

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI.

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
CUM EXPLICATIONIBUS

IN QUIBUS UNIVERSUM JUS PONTIFICIUM PROPONITUR
ET NOTITIA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PASSIM ILLUSTRATUR

Nec non variis disputationibus, aliqua novitate, ad usum scholasticum excitatis, discussisque, elucidatur

OPUS

LAZARI BENEDICTI MIGLIORUCCI

Sacrorum Canonum in Pisana Universitate Professoris Ordinarii

REGIÆ CELSITUDINI


COSMI III.

MAGNI ETRURIÆ DUCIS

DICATUM

LIBER II.





PISIS, MDCCXII.

Ex Typographia Francisci Bindi Impressoris Archiepiscopalis.
SUPERIORUM PERMISSU.

SERIES TITULORUM

LIBRI II.

INSTITUTIONUM CANONICARUM

NECNON

Dissertationum, quæ Titulorum explicationibus opportunè inseruntur.

Dis-

De

De

FINIS.



INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER SECUNDUS.

DE RERUM DIVISIONE.

TITULUS I.



Uemadmodum Justinianus res (*a*) dividit (*b*) in (*c*) corporales, & in incorporales *in Lib. 2. Tit. 1. Institutionum*: pari ratione res Ecclesiæ (*d*) partim sunt corporales, partim (*e*) incorporales. E numero corporalium rerum, quæ animæ causa sunt institutæ se primò offerunt (*f*) Sacramenta. De his igitur utpotè primum locum dignitate sua obtinentibus sermonem instituemus.

SUMMARIUM.

1 *REi appellatio unde ortum habuerit?*
2 *Rei appellatio denotat personas etiam,*
3 *Cur Pythagoras hominem mensuram rerum vocaret?*
4 *Rei appellatione venit etiam Actio.*
5 *An valeat legatum rei in genere?*
6 *Divisio Justiniani* Lib. 2. Tit. 1. *ad Res Ecclesiasticas accommodari non potest.*
7 *Bona Ecclesiæ ad proprietatem cujusquam non pertinent.*
8 *An sint pauperum vel Ecclesiæ, quoad dominium?*
9 *Sunt Ecclesiæ particularis eæ oblata fuerunt sed non sunt singulorum de Ecclesia.*
10 *Elegans distinctio Gonzalez notatur.*
11 *In hoc differt quod possessionem rerum Ecclesiarum clericus, ab Episcopo; quod ille habet solum usum: hic dispensationem.*
12 Olim Fideles *sublato meo, & tuo in communione vivebant.*
13 *Anglia cum primum ad fidem conversa fuit in hac communione vixit.*
14 *Fideles olim dicere prohibebantur* hæc res est mea *sed dicebant* hæc res nostra est.

15 *Celebris divisio rerum Ecclesiarum facta a 8. Simplicio.*

16 *Divisio rerum corporalium, & incorporalium a Jure Ecclesiastico recepta.*

17 *Enumerantur Ecclesiastice res corporales.*

18 *Explicatur quid sint* Cimelia; *& lucem accipiunt varii Canones.*

19 *Beneficium cur res incorporea sit?*

20 *Sacramenta quomodo res corporea appellatione veniant?*

EXPLICATIONES.

(a) Res.

1 *Agitur de rei appellatione.*

HABET hæc vox latissimam extensionem;
tracta enim hæc appellatio, ab Hæbraico idiomate *Ros*, ideft *miscuit*, signi-
2 ficat perpetua quadam mutatione, ex prima rerum materia, quæ varia signetur impressione formarum, multiplices rerum species existere: Nec verò res solùm materiales indicantur, sed & personæ ipsæ, atque Jura: quare Ausonius.

Imperium litem Venerem cur una notat res?
Quodque ulla res non est, nihil est.

Et Cicero artificio Rethorum infinitam, & immensam materiam subiiciens, 1. *de Orat.* ita lo-
3 quitur: *Orator erit qui, quacumque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter, & compositè, & ordinatè, & memoriter dicat.* Pythagoras, hac generica appellatione hominem vocavit: *rerum mensuram*. Id ænigmaticè prolatum, sic intelligendum censuit *Cal. Rhodiginus. Lect. antiq. L. 2. cap. 17.* hominem videlicet, sensu utique sensibilia metiri, intellectu intelligibilia; quæ ultra intelligibilia sunt, excessu attingi.
4 Quo fit, ut in se comperiat homo, veluti dimetiente ratione, creata omnia. Ob tantam hujus appellationis extensionem sequitur, ut nomine rei veniat etiam *actio*; Quare legans rem, censetur legasse omnem actionem sibi competentem in dicta re, ad rem, pro re, & occasione rei: & etiam actionem de evictione rei; & non solum Jus, quo actu potitur; sed etiam quod in
5 potestate habet ad tradita *per Sabellum Verbo Legatum n. 68. Gerard. Spino. Consil. 10. n. 47. & seq.* An verò valeat legatum rei in genere? disputatur; Et verius est tam genericam dispositionem, nulla designata specie, non valere ut *tradit Vasquez Opusc. Moral Tract. de Testamentis c. 8. §. 4. dub. 7. pag. 347.* Quæ dicta sint ad confirmandum, quàm latè pateat rei appellatio: de qua sunt Textus *in l. rei 23. & l. vi 51. ff. de V. S*

[b] Corporales.

Justiniani divisio ad res Ecclesiæ non pertinet.

Justinianus quidem *in Tit. 1. Libri 2.* alia uti-
6 tur divisione; Quod res vel in nostro patrimonio vel extra patrimonium nostrum habeantur.

Sed hęc divisio bonis Ecclesiasticis aptari nequaquam potest. Bona Ecclesiastica propria cujusquam non sunt. Dicuntur bona pauperum 7
in can. quia XVI. q. 1. in can. futuram 12. q. 2. in can. quoniam XVI. q. 1. Dicuntur bona Ecclesiæ *can. inter memoratas 16. q. 3.* sicut hæreditas est domini, *l. hereditas ff. de acq. rer. dom.* Dicitur etiam Deus altissimus bonorum hujusmodi dominium habere *can. qui Christi 12. q. 2. can. qui abstulit 16. can. quo Jure 8. dist. can. tua de Decimis cap. cum ex eo 34. de Elect. cap. cum secundum de Præben.* Et Quia penes plures uno eodemque tempore dominium reperiri non potest: altercatus inter cens magno dissi- 8
dio magistri Canonum; an re ipsa dominium bonorum Ecclesiasticorum sit apud pauperes?

Ac si quærimus veriorem, plausibilioremque sententiam; omisso inutili verborum circuitu, sic statuendum puto, dominium rerum, quæ sunt Ecclesiæ, residere penes illam Ecclesiam particularem, cui talia bona liberaliter, ac pie concessa 9
pro dote fuerunt: Non autem est dominium penes Ecclesiam universalem: & multo minus apud Ecclesiam materialem, seu lapideam, quæ mæniis comprehenditur. Ita Gonzalez *in cap. 1. de reb. Eccl. alien. vel non. n. 2. in fin.* Nec persona singularis habet dominium; Sed sola communitas. Quin etiam dum his rebus Clericus utitur ad sui sustentationem non considératur ut persona singularis; sed ut pars, & mem- 10
brum communitatis. Cum hac differentia: Quod alius est tamquàm membrum simplex, ut Canonicus: & hic solum usum habere dicitur; Alius vero est membrum principale, & totius communitatis caput: qualis Episcopus qui habet dis- 11
pensationem, & distributionem. Qua eleganti distinctione idem *Gonzalez* utitur *ex Coriolano in notis ad Concil. Viennense in add. Summa fol. 03.*

Patet igitur quam verum sit res Ecclesiasticas in patrimonio cujusquam non reperiri: ut 12
expresse traditur in *cap. expedit 12. qu. 1.* ubi Prosper *l. 2. de Vita Contempl. cap. 9. Non enim (Ecclesiæ facultates) propria sunt sed communes.*

Planè primævæ Ecclesiæ fideles venditorum agrorum suorum, domorumque pretia ponebant ante pedes Apostolorum: quę dividebant singulis prout cuique opus erat. Et posteo quoque tempore una erat, & communis vita; & ex pretiis venditarum rerum, Clerici; viduæ, pu-

pil-

pilli pauperes sustentabantur, & hac ratione primos Fideles vixisse, vel ipsius Luciani Testimonio probari queat; is enim in Dialogo de morte peregr. ita scribit: *proinde apud illos* (Christianos) *omnia ex aequo habentur contemptui; existimantur esse communia, quae citra ex-*
13 *ploratam fidem in communem usum, a quoquam deferente suscipiunt*. Et de hac communione certior probatio habetur *in can. scimus in can. dilectissimi 12. qu. 1.* Cum Anglia recenter ad fidem conversa est eadem communio servata, quae initio nascentis Ecclesiae, in quo nemo *aliquid suum esse* audebat pronunciare: quae historia refertur *in can. quia 12. q. 1.* & certe Christianis
14 aliquid proprium dicere prohibebatur, ut deducitur *ex can. non dicatis ead. c. & q.* Et licet paulum immutatum fuerit postea primaevum institutum tradendi pretia rerum; Ipsique met fundi Episcopo veluti dispensatori fructuum, traderentur; Attamen societas illa communioque vivendi perdurabat, & Clerici mensibus singulis victus causa stipem recipiebant ut ex S. Cypriano habetur *epist. 28. ad Clerum Cartag.* Tandem aucto oblationum numero ad invidiam usque Gentilium, Simplicius Pontifex circa annum Christi 500. divisionem bonorum introduxit:
15 quae habetur *in can. de redditibus 12. q. 2. & in can. quatuor. ead. Caus. & q.* Ut una pars esset Episcopi; altera Clericorum; tertia pauperum; quarta fabricis Ecclesiarum applicaretur. Sublata igitur fuit prisca illa communio. Non tamen factum est ut res Ecclesiae, piorumque Fidelium oblationes in patrimonium, & proprietatem cujusquam transirent. Ideo ab Episcopis res Ecclesiae consanguineis dandas non esse clamant Jura in *cap. ut nullus extra de Preb. et Dig. in can. Episcopo, can. plerique 2. q. 1.* Ideo semper institutione, & collatione Episcopi opus est in beneficiis *can. Moyses, can. Apostolica 8. q. 1.*

Quocirca, ex his paulo fusius expositis, constat ad nostrum tractatum de rebus Ecclesiasticis Justiniani divisionem non pertinere.

[c] *Incorporales.*

Res Ecclesiae dividuntur in corporales, & incorporales.

Haec divisio rerum corporalium, & incorporalium desumpta est a Justiniano *ex l. 1. §. 1. ff. de Rerum Divis.* ex Ulpiano in *Fragmentis Tit. 19. §. in jure cedi, & §. res autem corporales. ex Cajo lib. 2. Inst. T. 1.* ex Cicerone in Topicis qui ait *alias res esse, alias intelligi*, & talis divisio recipitur *in cap. inter corporalia de Transl. in c. si quis 1. q. 1.* Nam, & corporalis Ecclesia dicitur; & unum corpus vocatur in
16 Concilio Ephesino in Epistola Caelestini Papae ad Clerum Constantinopolitanum; & contra articulum I. Joan. Hus Concilium Constantiense declaravit, catholicam Ecclesiam non esse invisibilem. Late Bellarminus in libro de Ecclesia triumphanti. Considerat quoque Jus Ecclesiasticum res corporales, & incorporales: ad crimen

detestabile simoniae, & usurarum puniendum: Et simonia est non modo siquis dona S. Spiritus pecunia vendiderit; qua res omnis corporea continetur *can. totum 1. q. 3.* Sed etiam si quis res quasdam acceperit pretio aestimabiles licet incorporeas, *can. sunt nonnulli 1. q. 1. can. Salvator vers. ideo ibid.* Usura pari ratione non in sola pecunia, esca, veste, aliaque re corporea consistit; sed in quacumque accessione etiam incorporea: quodcumque tandem sorti addatur, *can. plerique 14. q. 3.*

[d] *Res.*

De rebus Ecclesiae corporalibus.

Illae res quae sub tactum, visum, auditum cadunt, sunt corporeae res: ut vasa sacra; vestimenta Ecclesiae quae ad curam Sacristae pertinent 17
cap. un. extra de Off. Sacristae; ut pallia, linteamina altaris, & cuncta utensilia Ecclesiae; quae indesinenter custodire spectat ad officium custodis; & lampades, & lanternae, & oleum ut luceant, omnia corporea sunt *cap. custos extra de offic. custodis*, ager, animal Deo consecratum, res Ecclesiastica corporea est *can. nulli 12. q. 2.* Et Cimelia etiam de quibus *in can. Apostolicos 12.* 18
q. 2. Ac si *Cimelii* significationem exquirimus ad intelligentiam hujus Canonis; *Cimelia* significant ea omnia quae reservantur inconsumpta, & recondita custodiuntur ut videre est apud *Gerardum Vossium l. 2. de Vitiis latini sermonis cap. 1.* qua interpretratione lucem quoque accepit Textus *in cap. ea quae 3. De Offic. Archidiaconi*, ubi Gregorius monet Archidiaconum Salonitanam, nisi cimelia collecta sub omni sollicitudine servet, officio suo defuturum; intelligitur etiam cur cimeliarca dicatur custos cimelii *in l. fin. C. de Bonis auth. Jud. in l. jubemus C. de Sacros. Eccl.* Utque alia exempla rerum corporearum enumeremus; fructus agrorum, & agri ipsi olim a fidelibus donati; res corporeae sunt *cap. non liceat 12. quaest. 2.* & denique omne patrimonium Ecclesiae ministris alendis destinatum, *can. Volaterrana 12. quaest. 2.* Et ipsae Ecclesiae magnus fundatae, *cap. 1 extra de Eccles. adif. S.*

(e) *Partim.*

De rebus Ecclesiae incorporalibus.

Res Ecclesiasticae sunt pariter magna ex parte incorporales. Ecce; Beneficium ius titulus, est 19
aliquid vere Spirituale: illud nempe Jus sacri ministerii, *cap. dilecto 25. vers. in Ecclesia extra de Preb. & Dignit.* Nam recipiendorum fructuum adnecta facultas manifeste accessionis vice existit. Praeterea eadem haec facultas clericali ordini inseparabili quadam legis obligatione adnungitur; ac proinde principalis ejus juris seu officii spiritualitatem quandam participat: quae enim relligiosis adhaerent, relligiosa fiunt: ut habet *Lelius Mancinus diss. 5. cap. 3. n. 21.* Quocirca

beneficium absolutè spirituale vocat *Alex. III. in cap. cum inter extra de Renunc.* & eadem appellatione donatur *in cap. Felicis §. si qua verò de Pœnis in 6.* Patronatus, decimarum exactio, canonica portio, immunitas, Jurisdictio, confirmatio, sunt res incorporeę, optime *Corvinus in Instit. Canon. lib. 2. de Rer. divis. Tit. 1.* item virtutes, & dona Dei *can. gratia 1. q. 1.* & late disserit *Glossa in principio Causa 1. q. 15.* Hęc enim invisibilia sunt longeque a sensibus remota. Quare & *Vates ille* Res incorporeas, ita expressit.

Qua quoniam manuum tactum suffigit, & ictum Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.

Et Tertullianus *in Lib. de Anima cap. 18.* res ait incorporales intellectui attribui his verbis: „ & nunc ad differentiam sensualium, & intel- „ lectualium, non aliud admittimus quam re- „ rum diversitates corporalium, & spiritualium, „ visibilium, & invisibilium; quod illæ sensui; „ istæ intellectui attribuantur. Idemque *Tertullianus eod. Libro cap. 18.* Ut res incorporeas sibi finxerit Plato Ideas exponit his verbis „ Vult enim Plato esse quasdam substantias in- „ visibiles incorporeas supermundiales divinas, „ & æternas, quas appellat Ideas, idest formas „ exemplares, & causas naturalium istorum „ manifestorum, & subiacentium corporalibus „ sensibus, & illas quidem esse veritates *hac autem imagines earum.* Huc spectat quod habet B. Justinus Martir. Plato *inquit Principia universi esse affirmat Deum, materiam, & Ideam, idest cujusque rei exemplar,*

(*f*) *Se.*

Sacramenta Ecclesia rerum nomine veniunt.

Sacramenta in numero sunt corporalium Rerum; Textus expressus in *can. corporalia 1. q. 1.* ubi *D. Augustinus: corporalia Sacramenta qua portant etiam segregati ab unitate corporis Christi.* Neque huic assertioni adversatur, quod in Sacramento Pœnitentiæ nihil appareat, quod tangi possit; nam spectat ad sensum corporeum enunciatio verborum: quare verba corporea natura constare pronunciavit *Philosophus ille. L. 1. de Natura rerum*

- - - - - nec voces ternere sinuntur: Qua tamen omnia corporea constare necesse est Natura, quoniam sensus impellere possunt.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TITULUS II.



OLET accipi variè vox *Sacramentum*: nunc pro pecunia in pignus deposita, *Varr. lib. 4. de ling. lat.* nunc etiam pro Juramento juxta Horatium

Non ego perfidum dixi Sacramentum:

interdum pro re arcana *Sap. 2. Nescierunt Sacramentum Dei*: Sed hoc loco Sacramentum definitur. *Invisibilis* [*a*] *Gratię visibilis forma.*

Ex quo Adam (*b*) peccavit, institui oportuit Sacramenta, quibus homo fidem suam protestaretur in Christum venturum. Igitur in statu naturæ corruptę, oblationes, (*c*) decimationes, & Sacrificia, Sacramenta fuerunt, & circumcisio. In statu Legis Scriptæ, agnus paschalis, consecratio Sacedotum, lustrationes ab immunditiis legalibus. Tandem in statu Legis novæ Christus auctor gratiæ, minora (*d*) quidem numero Sacramenta instituit, sed majoris efficaciæ. Olim namque Sacramenta antiquæ Legis gratiam non conferebant ex opere operato, sed opus operantis, idest contritio perfecta exigebatur ad Justitiam obtinendam.

Nunc

Nunc vero Sacramenta novę Legis (*e*) gratiam conferunt ex [*f*] opere operato statim ac opus peractum est, juxta institutionem Christi. Et nec plura, nec pauciora sunt quam septem *Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram.* videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. At linguæ [*g*] igneæ in die Pentecostes; lutum in oculis cæci; pedum ablutio in die cænę: Sacramenta non sunt. Cur ita? quia non fuerunt a Christo relicta ut stabiles institutiones, utque usum haberent pro statu durantis Ecclesiæ.

Sacramentorum summa divisio hæc est; quod quædam sunt necessaria; quædam voluntaria. Primi generis sunt, quæ sine interitu salutis æternæ prętermitti, & contemni non possunt. Voluntaria sine salutis dispendio recipi, & refutari possunt: cujusmodi sunt Ordo Sacer, et Matrimonium.

Alia divisio hęc est, quod quędam characterem [*h*] imprimunt: videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo Sacer; Et hæc iterari non possunt.

Omnia Sacramenta constant elemento, & verbo. Elementum est quidquid sub visibili natura Gratiam invisibilem designat, & continet. Verba sunt, quæ formæ visibilis efficaciam exprimunt. Dispensatio autem Sacramentorum Ecclesiæ ministris convenit. Hi quidem inculpati esse debent; Sed cum in Sacramentis Dominus operetur divinitus; nihilominus Sacramenta conficiuntur, modo Minister ut in Baptismo Judęis facere intendat, quod solet Ecclesia fideliū. Qua verò (*i*) lingua in Sacramentis utendum sit, si quęritur? Sciendum, non esse de Jure Divino: neque ad essentiam Sacramentorum pertinere, quo sermone conficiantur; Tamen ob multas easque gravissimas causas visum est Ecclesiæ, & ipsi Spiritui S. qui eam regit; ut Sacramenta non ministrentur lingua vulgari, nisi forte in casu necessitatis.

SUMMARIUM.

1 *EXplicatur Sacramenti definitio per sacros canones tradita.*
2 *Explicatur Sacramentorum necessitas.*
3 *Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato.*
4 *Circumcisio non conferebat gratiam ex opere operato.*
5 *Gratiæ definitio, & divisio traditur.*
6 *Quam Gratiam conferant Sacramenta, & quomodo? ex Loco D. Augustini.*
7 *Numerus Sacramentorum expenditur; & plura quoad numerum ipsum septenarium traduntur.*
8 *Quædam Sacramenta imprimunt characterem.*
9 *Cur tria solum Sacramenta characterem imprimant?*
10 *Conclusio ponitur, & defenditur; Sacramenta lingua vulgari non esse administranda.*
11 *Quid sit lingua vulgaris?*
12 *Quid sit lingua communis?*
13 *Adducitur elegans Gregorii VII. decretum.*
14 *Antiqua Liturgia qua lingua essent conscripta?*
15 *Exlicatur locus Divi Pauli ad Chorinth.* 1 *cap.* 13.
16 *Illustratur Textus* in cap. quoniam de Offic. Ord.
17 *Cur Sacramentum Baptismi in causa necessitatis, & Sacramentum matrimonii lingua vulgari possint administrari?*
18 *Explicatur Textus in can.* indignum 38. dist. in can. legimus 37. dist. & in can. retulerunt de Cons. dist. 4.
19 *Traditur notitia privilegii cujusdam Sclavis concessi a Ioann. VIII.*

EX-

EXPLICATIONES.

[a] *Visibilis.*

Definitio Sacramenti.

Hæc definitio est D. *Augustini in c. Sacrificium* 32. *dist.* 2. *de cons.* a Tertulliano *in Apologetico* Sacramenta dicuntur *Res Dei*, & D. Bernar-
1 dus in *Sermone de Canâ Dom.* hęc habet: *Sacramentum dicitur Sacrarum signum sive Sacrorum secretum.* Visibilis autem forma vocatur. Quia si incorporeus esses, inquit D. *Joan. Chrysost. hom.* 83. *in Math. nude ipse dona, incorporea tibi tradidisset; sed quia corpori coniuncta est anima tua; ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.*

(b) *Ex.*

De Sacramenti necessitate.

Et certe si parens nostri generis Adam perbeatam nactus vitam, diligentiam adhibuisset in eo statu permanendi, qui status integræ naturæ status innocentiæ vocatur; nec oblitus mandati
2 Divini inexpiabili scelere se contaminasset, necessitas instituendi Sacramenta nulla fuisset. Quid enim opus est valentibus medico? *Math.* 9. *Marc.* 2. *Luc.* 5. Ut differit *Vignerius verf. cy. de Sacramentis in genere.* Sacramenta enim sunt remedia sanandis peccati vulneribus inventa, ab auctore gratiæ. Adhuc enim, ut de Adamo dicitur, præsto esset homini Gratia sanctificans, concentus, reliquarum virtutum; & Doni S. Spiritus. Sed eum tempore admodum exiguo in ea felicitate perstiterit, ausus mandata Divina violare; omnes homines in prævaricatione Adæ jacturam innocentiæ fecerunt; imminutum, attenuatum, & inclinatum est liberum arbitrium; & peccatum origine unum propagatum, transfusum est in omnes *Conc. Araus. &c. &* *Trid. sess.* 5. *in decreto de pecc. origin.* Amissa est quoad gratiam, & gloriam imago *Dei c. illa anima de penit. dist.* 2.

Ergo post peccatum omni tempore Sacramenta fuerunt necessaria; non quidem absolutè, quia non erat abbreviata manus Domini, ut aliter saluti nostræ consuleret *Esai.* 59. Sed necessitate convenientiæ; unde *D. August.* 19. *contra Faustum: in nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coadunari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum sensibilium consortio colligentur, consonat can. his igitur* 13. *dist. &c.*

(c) *Oblationes, & Sacrificia.*

Hoc asserit Albertus Magnus *lib.* 6. de Sacramentorum virtute *cap.* 7.

(d) *Minora.*

Minora numero Sacramenta in lege Gratia.

Hæc habet *D. Aug. lib.* 3. *de Doctr. Christ. c.* 9. *bis verbis*: hoc vero tempore, posteaquam Re-
„ surrectione D. N. J. C. manifestissimum Judi-
„ cium nostræ libertatis illuxit, nec eorum qui-
„ dem Signorum, quæ jam intelligimus, opera-
„ tione gravi oneratis sumus: sed quędam pauca
„ pro multis eademque factu facillima, & in-
„ tellectu augustissima, & observatione castissi-
„ ma ipse Dominus, & Apostolica tradidit Dis-
„ ciplina. Et significat his postremis verbis quædam Sacramenta instituta pariter a Christo sed ab Apostolis postea promulgata.

(e) *Gratiam.*

Sacramenta gratiam conferunt.

Negant Lutherani, & Calvinistę, ut videre est apud *Bellarm. de Sacram. in genere*: asserunt enim Sacramenta fuisse instituta propter solam fidem nutriendam: sed reclamat acriter *Trident.* 3
can. 5. *de Sacram. in gen.* „ Si quis dixerit hęc
„ Sacramenta propter solam fidem nutriendam
„ instituta fuisse anathema sit. Sed Hæretici quia objici poterat juxta eorum sententiam pueros non esse baptizandos; quia Fide actum elicere non valent; descendunt ad docendam rem planè miram; infantes dum baptizantur credere, & acquirere fidem per orationem Ecclesię; & in Conciliabulo VVittembergensi dictum est a Lutheranis, Baptismum in pueris excitare actus Fidei, sicuti Baptista præcursor exultavit in utero, narrat *Bellarm. de Sacr. Bapt.* eosque refellit.

[f] *Ex opere.*

Sacramenta novæ legis ex opere operato gratiam conferunt.

Hic est effectus Sacramentorum novæ Legis: En verba Florentini C. in doctrina de Sacramentis:
„ Sacramenta veteris Legis non causabant Gra-
„ tiam, sed eam solam per passionem Christi
„ dandam figurabant: Hæc verò nostra, & con-
„ tinent Gratiam, & ipsam dignę suscipienti-
„ bus conferunt. Consonat *Trid. sess.* 7. *c.* 2. *de Sacram. in gen.*

At verò antiquę Legis Sacramenta erant egena, infirmaque elementa, & circumcisio non conferebat Gratiam ex opere operato; ut videntur velle nonnulli ex loco *Genes. cap.* 17. ubi omittens circumcisionem perit, Nam solum inde efficitur, fuisse hoc Dei preceptum, quod qui transgrediebatur peribat. 4

Sed Gratia multiplex. Hęc generatim sumpta, est id omne, quod sine obligatione, ac debito, nobis tribuitur. *Gratia* inquit *D. Aug. in Psal.*

5 *Psal. 45. merito nominatur quia gratis datur.*
Non loquimur autem de Gratia naturali, quæ Dei benignitas est; & providentia nutriens, fovens, conservans universa creata; sed hoc loco verba facimus de Gratia supernaturali ordinata ad vitam consequendam æternam: quæ definitur *Beneficium, & donum naturæ nostræ superadditum, neque ad rei naturam constituendam, neque ad conservandam, necessarium.* Cujus Gratiæ diversi effectus diversam induxere distinctionem. Interdum hoc donum operatur miracula, scientiam infusam, prophetias; & vocatur Gratia gratis data: & hæc Gratia non ad propriam, verum ad alienam salutem prodest; & qui illam sortitur etiam peccator esse potest. De hac igitur sermo non est in præsentia. Interdum hoc donum datur ad propriam cujuscumque salutem; quod si in anima permanet, dicitur Gratia sanctificans simul habitualis, & permanens: ut sunt habitus infusi Fidei, Spei, & Charitatis; sin vero vix in anima immoretur; sed tamen suadeat, exhortetur, moveat exemplis, terreat periculis, incitet miraculis, inspiret consilia, cor illuminet, & fidei affectionibus alliciat; est Gratia actualis operans, quæ dicitur etiam gratia præveniens: cujus necessitatem negans anathema declaratur a *Trident. sess. 6. can. 3.*

Quocirca Sacramenta hanc conferunt Gratiam supernaturalem ex opere operato, ut ait *Trident. sess. 7. c. 8. Vivifica sunt instrumenta, per quæ visum est Deo Salutem nostram efficaciter operari*
6 ut populare dictum sit jam *per se ipsum quoque Sacramentum multum valere D. August. lib. contra Donat. cap. 24.*

(g) *At.*

De Sacramentorum numero.

Hoc desumpsimus ex *Bellarm. de Sacram. in genere*, ubi acriter disputat contra Calvinistas, & Luteranos. Numerus ergo Sacramentorum
7 est, ut nec plura, nec pauciora sint quam septem *Trid. sess. 7. de Sacram. in genere c. 1.* Numeri rationes fuse tradit Albertus Magnus *lib. 6. c. 5. de Sacram.* Quia vel, septem respondent hominum diversitatibus in Ecclesia:

Nam primum Sacramentum est intrantium; secundum pugnantium; tertium vires resumentium; quartum resurgentium; quintum exeuntium; sextum ministrantium; septimum tandem novos milites introducentium. Vel quia Sacramenta indicata, sunt in septem illis signaculis, quibus fuit veteris Testamenti pagina conclusa *Apocal. 5. 8.* vel in Septem tubis, quibus Angeli cecinerunt *Zacch. 3.* vel in septem stellis, quas habebat filius hominis in dextera sua *Num. 8. 4.* vel in septem lucernis Tabernaculi super positis candelabro: vel in septem lotionibus. *Num. 8.* Vel postremo quia disponunt ad septem virtutes: nam Baptismus est Sacramentum Fidei: Confirmatio Spei: Eucharistia Charitatis, Pœnitentia Justitiæ, Extrema unctio perseverantiæ, quæ est fortitudinis complementum; Ordo Prudentiæ: Matrimonium Temperantiæ. Ita *Alb. Magn. cit. lib. 6. cap. 5. de Sacr. in gen.*

[b] *Quedam.*

De caractere, quem imprimunt Sacramenta quædam.

Karaptin græcè, latinè sonat signum, & insigne *Colum. lib. 11. cap. 2.*

Quare in universum dici potest expressio signi, quo aliquis a cæteris discernitur. Hoc modo dedit Deus olim populo circumcisionem corpo-
ralem, quam Apostolus vocat signaculum ad 8
Hebr. 4. per quam dilectus ille populus a cæteris distinguebatur. Hoc modo tempore persecutionum Gentiles candente ferro frontes Christianorum notabant Theophilus *Tit. 14. tract. de stigmatissimo sacro, & profano.* Quo factum, ut Imperator Constantinus in Synodo Nicena præclaros Dei cultores ita deformatos aspiciens constitutionem ediderit in *L. si quis metallum C. Theod. de Penis* qua funditus indignum morem sustulit. Hac quoque ratione Urban. VIII. clericis falsariis degradatis in signum maleficii jussit in aure stigma imprimi, idest caracterem *cap. ad audientiam de crim. falsi.* Veruntamen (ut ad circumcisionem revertamur) sicuti ex charactere impresso per circumcisionem in corpore nota distinctionis habebatur: Sic Deus misericors *signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* Paulus II. ad Chor. 1. Quippe cum vita hominis *militia sit super terram* Job. 7. militia hæc non est corporalis, sed spiritualis; Unde Apostolus ad Rom. 1. *Induite vos armatura Dei ut stare possitis adversus insidias Diaboli: Quia non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem &c.* Meritò igitur cum deputemur ad militiam spiritualem, insigniri aliquo spirituali charactere debuimus. Audiatur locus elegans Basilii in exhortatione ad Baptismum *Hom. 13.*
„ Tesseram Duces sub se militantibus dant, ut
„ amici faciliùs invicem se noscentes exhorten-
„ tur, & si cum hostibus commisceantur eò
„ facilius discerni ac separari possint. Quod si
„ forte commilitonum separatio fiat, nemo te
„ quarum nostrorum an adversarii sis partium
„ noverit, nisi mysticis signis familiaritatem
„ prætuleras, nisi signatum sit super te lumen
„ vultus Domini, nisi caracterem in te agnoscat
„ Angelus? Quonam modo pro te pugnabit,
„ aut ab inimicis vindicabit? Quomodo umquam
„ dices Dei sum, signa, non ostendens? An igno-
„ ras quemadmodum signatas Domos in Ægypto
„ exterminator præteriit?

Si verò quæritur ad uberiorem explicationem, & intelligentiam, cur hæc tria solum Sacramenta
Baptismus, Confirmatio, atque Ordo characterem 9
imprimant; non alia reliqua, *can. non in vobis de Cons. dist. 4. can. sicut, can. Sacramenta 1. q. 1.* Ratio optima traditur, a Bellarmino, *de Effectu Sacramentorum l. 2. cap. 19.* his verbis — *a Priori difficile est, & minime necessarium reddere rationem. Illa potissimum addu-*

ci solet, quod in his, (tribus præcipue Sacramentis) accepit homo novam potestatem, ac deputatus novo ministerio per novam consecrationem, et quodammodo statum mutat, & proinde accipit novum signaculum. Nam in Baptismo transit homo, a Diabolo ad Christum, & adscribitur in ejus familiam, & accipit potestatem participandi Sacramenta, aliaque Bona Ecclesiastica Christi. In Confirmatione adscribitur ad militiam Christi ut gerat vexillum ejus in fronte, & accipiat robur, & potentiam ut ex officio pugnet contra Dæmones. In Sacramento Ordinis adscribitur in Numerum Ducum, & præpositorum hujus militia, & accepit potestatem distribuendi aliis Bona Domini sui. In aliis Sacramentis non fit mutatio status; Sed vel alitur spiritualiter ut in Eucharistia, vel accepit medelam ut in Sacramento Pænitentia &c

Et idem *Bellarminus eod. lib. cap. 22.* aliter ratiocinatur, Baptismus (ait ipse) aliquid profert Sacramentale, & si percipiatur sine fide. Eucharistia, & absolutio sine fide nihil animæ conferunt. Qui sumit Eucharistiam sine fide verum quidem corpus Christi sumit; sed nihil in anima nisi peccatum. At in Baptismo est aliquid permanens in anima; & si percipiatur sine fide, quod non est gratia. Ergo est caracter, & eodem modo Bellarminus de Ordine, & Confirmatione differit. Unde intelligitur satis, cur hæc tria solum Sacramenta imprimant characterem.

Effectus verò characteris est; ut sit indelebilis, Nam cum subiectum characte is anima sit immortalis: eternum quoque hoc signum in anima esse oportet. Julianus Apostata Constantii filius falso Deorum cultu in priore statu reposito, corpus abluebat sæpe sanguine victimarum, ut Baptismi characterem deleret: refert Gregorius Nazianzenus *Orat. 1. in Jul.* sed quam decipiebatur?

Verum quemadmodum deleri character non potest: ita nec iterari. Nemo iterum baptizari potest *can. quodam, c. si quis, c. quamvis, c. ostendunt de cons. dist. 4.* Nemo iterum confirmari valet *c. dictum est de conf. dist. 5.* Nemo iterum ordinatur *c. non dicit, c. ult. de Sacr. non iter.*

(i) *Qua vero Lingua.*

Lingua vulgari Sacramenta administranda non esse; cum Bellarmino tradidimus: qui *l. 2. cap. 31. de Effectu Sacramentorum*, quam id justè, & rationabiliter in Catholica Ecclesia fiat fuse firmissimisque fundamentis docet. Ad discentium uberiorem notitiam placet hanc subnectere dissertationem.

DISSERTATIO UNICA.

Qua lingua, sint administranda Sacramenta Ecclesia?

10 Sacramenta non vulgari lingua sunt administranda, sed communi sermone.

Explicatur conclusio. Cum enim communi, & non vulgari lingua utendum asserimus; pro vulgari lingua cave intelligas solum Etruscum sermonem; sed maternum quodcumque Idioma nativum, & vernaculum lingua vulgaris est; juxta Regionum, Nationumque diversitates. Concilium Trid. sess. 24. de Reform. cap. 7. linguam vulgarem vernaculam vocat, ibi: *ut Parochi explicent lingua vernacula, si opus sit, Sacramentorum vim, & usum &c.* Et *Clem. V. in clement. ne in agro* §. *sane de statu monach.* 11
jubet ut superior Monasterii Regulam ordinis, quæ forte Latinè scripta sit, vulgariter exponat, propter juniores. Communis ergo lingua in Ecclesia Occidentali est Latina; in Orientali lingua communis est Græca: quæ quidem dum Resp. 12
Romana floreret egressa est Orientis fines, & ad alias permanavit Regiones. Unde Cicero Orat. pro Archia Poeta *Græca* (inquit) *leguntur in omnibus fere gentibus; Latina suis finibus exiguis sæpe continetur;* Sed posteà desiit in Occidente Græca lingua esse communis, ac Pincipatum Latina obtinuit in tota Italia, Gallia, Hispania Anglia. Nihilominùs in Ecclesiis Syriæ probatur Chaldaicæ linguæ usus, Arabica etiàm lingua communis est, per varias Orientis Provincias; hinc rectè ritèque in ea, Divina celebrantur officia. Excipitur tamen lingua Arabica vulgaris, cujus speciem quandam inveniri Bellarminus jam citatus notat. Atque his præcognitis.

Probatur I. Conclusio ex decreto Tridentini Concilii sess. 22. de Ref. cap. 5. in Doctrina de Sacrificio missæ ibi: *& si Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; Non expedire visum est PP. ut vulgari passim lingua celebraretur:* & idem Concil. sess. 22. can. IX. ibi, *si quis dixerit Ecclesia Romana ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere* (& infra) *Anathema sit.* Jam ergo, si linguæ vulgaris usus in Sacramentis admitteretur, planè Missæ celebratio vernaculo idiomate non prohiberetur.

Probatur II. Ex responso Gregorii VII. a quo Bohemiæ Dux instanter petierat, ut Bohemis liceret celebrare Missam lingua vulgari. An ergo Pontifex petitioni annuit? Nequaquam. Nam 13
ita respondit ut *est in l. 7. ejusdem Epistolarum* ibi: *Quia verò nobilitas Tua postulavit, ut secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum officium celebrari annueremus; Sciàs nos huic petitioni tua nequaquàm posse satisfacere. Et hoc nempè sæpè volentibus liquet non immeritò sacram scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam; ne si ad liquidum cunctis pateret forte vilesceret, & pateret despectui; aut pravè despecta a mediocribus errorem induceret.* Quibus verbis Pontifex improbat linguæ vulgaris usum in sacris mysteriis; & satis efficacem rationem proponit.

Probatur III. Quia nulla est necessitas ut hi

qui

qui Sacramenta percipiunt, intelligant verborum sensum; Nam Sacramentorum verba, aut diriguntur ad elementa, ut consecratio Eucharistiæ; atqui ridiculum fit asserere, certum idioma elementa intelligere. Aut diriguntur ad Deum, ut *in extrema unctione*; Deus autem omnium voces exaudit. Aut dirigantur ad personas, ut in Baptismo, in Confirmatione, in Matrimonio. Tum verò verba non respiciunt personas, ut instruantur, & doceantur; sed ut consecrentur, seu absolvantur. Quod si aliquis inveniatur, qui intelligat; per accidens erit ad vim Sacramenti: nam validè baptizantur illi etiam, qui imperiti sunt, qui amentes, qui furiosi; hi quidem si antea baptismum petierunt *cap. majores §. sed adhuc extra de Bapt.* Baptizantur, & parvuli *can. non illud, cum baptismus, can. ut assenderet, can. parvuli de Conf. dist. 4.* Imò si quis infirmitate pressus in phrenesim versus fuerit; si voluntatis præteritæ, qui eum audierunt dent testimonium, recte accipiet penitentiam; & nisi timeatur vomitum, recte ejus ori tradetur Eucharistia; ita decisum est in *can. is, qui Pœnitentiam 26. q. 6. & S. Leo Epistola 82. alias 91.* idem confirmavit, ibi: Testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt ut simul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur. *Cabassutius ad Concil. Cartag. IV. c. 76.*

Probatur IV. Quia mens verborum, quæ in Sacramentis omnibus adhibentur, non minus piè Plebi perspecta est, quam si Latinam addidicissent linguam. Hanc verò genericam intelligentiam sufficere, illud argumento esse debet; Quod Evangelistæ, & Apostoli Græcè vel scripserunt, vel in Græcum Idioma translati sunt, vel ipsi suorum Collegarum scripta transtulerunt. Illud quoque argumento esse debet, quod, & Scriptura Sacra utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens, intelligentiam non capiat: quibus verbis loquitur *Orig. Hom. 20. in Joan.* Et in eundem ferme modum *Joan. Chrysostomus Homil. 3. de Lazaro*, ibi: Quid si non intelligamus, quæ continentur in sacris libris? Maximè quidem; Etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur Sanctimonia. Quinimò, & Deus altissimus Levitici *cap. 16.* præcipiebat ut Sacerdos pro populo qui extra templum stabat, oraret. Ergo cur generica intelligentia verborum, quæ proferuntur in administratione Sacramentorum fidelibus non sufficiat? Excepto tamen Matrimonio, & Baptismo, in casu necessitatis, quæ duo Sacramenta rectè vernaculi sermonis usum admittunt.

Probat. V. Quia verborum mutationes, etiamsi formæ sensus incolumis sit, in Sacramentis arbitrio cujusque sunt inconcessæ *can. de hymnis de Cons. dist. 1. can. invenimus eadem dist. can. institutio de cons. dist. 2.* Atqui tales mutationes, quotiescunque in Sacramentis usus linguæ vulgaris admitteretur, non semel contingerent. Quis enim ignorat vocabula nunc florente, nunc aboleri, verborumque esse quandam vicissitudinem? Quædam in ore omnium jactantur ac reviviscunt, quæ neglecta in usu esse desierant. An non teste Quintiliano *exantlare* obsoletum, & antiquum verbum erat; quod nunc familiarissimum est latinè scribentibus? eleganter *Horatius l. 2. Epist. 11.*

Profert in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus atq; Cethegis.

Et *in Arte Poetica* idem Venusinus Poeta *versu 68.*

Mortalia facta peribunt
Ne dum Sermonum stet honos, & Gratia vivax
Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque.
Quæ nunc sunt in honore vocabula: sic volet usus
Quem penes arbitrium est, & Jus, & norma loquendi.

Neque absurdum est ad rem propositam confirmandam uti Poetarum testimoniis cum, incidit, ut id apte fieri possit *can. turbat 37. dist.*

Probatur VI. Quia si in vulgares linguas essent sacra diducenda mysteria, Ecclesiæ adimeretur communitatis, concordiæque; si Galli, Hispani, Angli, Sauromatæ, Germani vernaculo sermone uti possent in Sacramentis. Cum tamen conveniens sit ut totum Ecclesiæ corpus quàm fieri possit in eadem observatione concordet, ut Textus in *can. Basilicas de Cons. dist. 1.*

Probatur VII. Quia si lingua vernacula sacra Mysteria essent celebranda, Clerici ad Ordinis executionem peritia Latinæ linguæ non indigerent. Cum tamen Tridentinum *sess. 23. de Reform. cap. 11.* hæc habeat: *Minores ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant* [*& infra*] *conferantur*, idemque habetur in *can. si quis autem 37. dist.* qui textus est deductus ex *can. Concilii Romani habiti Roma sub Eugenio II.*

Probatur VIII. Quia vernaculi sermonis varietas schismatibus, hæresibusque, viam panderet; quas ex unius syllabæ mutatione, ex unius vocis inflexione quandòque ortas, nemo est qui nesciat. Quare Ecclesia nunquam consuevit Hæreticis aliquam vocum mutationem postulantibus, annuere. Ephesinum Concilium noluit Nestorio concedere Deiparam Virginem vocari Christotocon, licet id verum esset, sed voluit appellari *Theotocon* [*Azorius l. 8. Inst. P. 1. cap. 26.*

Probatur IX. Quia, cum Sacramenta majestatem spirent, suique dignitate omnem venerationem, obsequiumque mereantur, quodammodo linguæ vulgaris usu vilescerent. At verò Linguæ communis quæ jam apud peritos residua est, quantus honor viget! Tanta Latinæ linguæ præstantia, ut Romani decreta sua Latino idiomate solum conciperent. *Valer. Max. l. 2. cap. 2. §. 2.* Cicero action. V. in Verrem, quod in Sicilia coactus esset uti peregrino sermone, petiit excusationem. Tiberius Imperator *Monopolion* in Senatu abstinuit pronunciare. Et ad res Ecclesiasticas quod attinet, in Conciliis Legati, & Oratores Latinè solum eloqui debebant *ba-*

 ron.

ron. ann. 225. Marcianus Imperator in Concilio Calcedon. Latinè locutus est. Idemque Baronius narrat, quod Orientalis Ecclesia Latinè primum Euangelia, & Epistolas recitabat; mox Græcè. Nam, & Græca lingua communis in Oriente majestatis plena est. Quare Arcadius, & Honorius utrique linguæ tantum detulerunt, ut statuerint in *l. Judices C. de Sent.* ex periculo, tam Latina quam Græca lingua proferri sententias. Neque absurdè D. Hieronymus *scholio ad Marci cap.* 15. arbitratur Latinam, Græcam, & Hæbraicam linguam Dominicæ Crucis Titulo ad principatum fuisse consecratas. Itaque ad Sacramentorum decus lingua communis usus valde pertinet.

Probatur X. Quia quorundam vulgarium idiomatum barbaries, & absona pronunciatio sacra Misteria ludibrio exponeret. Quare in *can. locutio* 38. *dist.* D. *Augustinus* de Scripturarum versionibus verba faciens; notat, in quaque lingua quasdam esse proprietates, quæ in alia lingua videntur absurda.

Probatur XI. Nam antiquas Liturgias apud omnes Occidentis Nationes Latini idiomatis extitisse semper, compertissimum est. Affricanorum
14 lingua vernacula erat Punica; Tamen Latino utebantur idiomate in sacris rebus, unde B. Augustinus *l.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 13. affirmat suo ævo psalmos in Ecclesia Affricana Latinè decantari consuevisse. In Anglia verò tempore quo floruit Beda, quatuor fuere linguæ vulgares; Latina tamen dumtaxat communis erat ratione sacrarum rerum, ut ipse testatur *l.* 1. *hist. gentis suæ cap.* 1. In Hispania ex Concilii Toletani IV. *cap.* 2. & 13. constat Latinam in usu fuisse. Quam verum est igitur linguam vulgarem a Sacramentorum administratione removendam, tam inexcusabiles sunt qui aliud sibi, aliisque persuadere conantur.

TOLLUNTUR OBJECTIONES, ET VARIA EXPLICANTUR.

Primo agendum cum Hæreticis. Hi enim novarum rerum studiosi, cùm paulatim universam rem Divinam tentare ausi fuerint, & ex Christianorum finibus Missæ Sacrificium exterminare, quod pene Latini sermonis usus ususque interciderit, Doctis intelligentia reservata eo audaciæ devenerunt ut definirent inutile ac stul-
15 tum esse Sacrificales preces verbis concinere, & enunciare Latinis. Horum argumentum ex D. Paulo educitur ad Corinthios *I. cap.* 13. his verbis *orabo spiritu, orabo mente, psallam spiritu, psallam, et mente. Cæterum si benedixeris Spiritu quis supplet locum Idiotæ quomodo dicet Amen super tua benedictione? quoniam quidem nescit quid dicas.* Ergo planum est in vulgares linguas vertenda esse sacra Mysteria, quo populus valeat exactius sua operatione defungi adiutus intelligentia sermonis; non enim satis est rudis plebeculæ personã, ministri aliquæ indaere.

Prima specie vim aliquam præsefert argumentum, re tamen explicata, est fundamentum in aqua positum. Certum est in primis apud Corinthios Divina officia Græcè fieri solita. Non ergo loqui potest Apostolus de Sacramentorum administratione; cum apud Corinthios Græco idiomate hæc conficerentur. Intelligit ergo Apostolus de Canticis Spiritualibus quæ Christiani componebant ad laudandum Deum aliorumque consolationem. Cenabant enim fideles, infimi admixti nobilibus, post aquam manualem hymnum aliquem qui esset proprii ingenii partus, decantabant; narrat Tertullianus *in Apolog. c.* 39. *in fin.* his verbis. Post aquam manualem, & lumina ut quisque de Scripturis sacris vel de proprio ingenio potest, provocatur in medio Deo canere. Et idem Apostolus clarissime idem enarrat ad *Ephes.* V. ibi; sed implemini Spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.

Quocirca hos hymnos, & has preces hortatur Apostolus fieri lingua vernacula, non aliquo peregrino sermone quem nemo intellexisset; cum enim hæc cantica deberent ad consolationem Christianorum, qui tempore persecutionum vexabantur esse composita: solatium ex tribula-
tionibus, nisi intelligerent, percipere non poterant. 16
Secundo objicitur Textus in *cap. quoniam extra de off. Jud. Ord.* Ubi Innoc. III. cum refcisset in variis regionibus Christiani Orbis, in una eademque Civitate populos diversarum linguarum habitare, districtè mandat Episcopis, ut idoneos Presbyteros linguarum vulgarium peritos quibuscunque Nationibus assignet, ut secundum diversitates linguarum Sacramenta illis administrent. Ergo Hispanis, Gallis, Germanis, Sauro natis, in nativo & vernaculo sermone Sacramenta, ex hac decisione Pontificia, debent administrari.

Textus ad litus optimè loquitur; Illatio verò falsissima est. Nam Innocentius ita locutus est Episcopis Orientalibus; quo tempore Constantinopoli a Latinis capta, a Balduino nempe Comite Flandriæ, in Civitatibus Imperii Orientalis permixtim Latini, & Græci habitabant. Ideo Innocentius statuit ut Græci juxta ritum Ecclesiæ Occidentalis Sacramenta perciperent. Quocirca de linguis vulgaribus nihil hac constitutione decernitur. Post hæc varia adhuc remanent explicanda ad utilitatem studentium Juri Canonico.

Primo difficultas videtur oriri spectato Matrimonii Sacramento. Nam sacri Canones statuunt verba contrahentium debere invicem intelligi. Unde si contrahentes sint diversi Idiomatis, rem per Interpretem expedient *cap. ex literis* 7. *extra de Spons.* & *M.* ut contingit in omni contractu *l.* 1. §. *fin. ff. de V. Ob. Cod.* in 2. *parte cap.* 4. §. 1. *de matr.*

Secundo difficultas insurgit Sacramento Baptismi considerato. Cum enim urget mortis periculum, nec copia Sacerdotis est, cui vernaculo

ſermone baptizare non liceat? Nam ſi contige-
17 rit Latinè linguæ peritum non reperiri; numquid igitur ſine lavacro regenerationis aliquis perire debet?

Utraque tamen difficultas tollitur, ſi conſideres hæc duo Sacramenta a regulâ noſtra excipi; & quoniam exceptiones aliqua ratione ſubnixæ eſſe debent ad tradita *ab Harprecto in Tit. de his per quos agere poſſumus*. Ratio ſpecialis in promptu eſt, cur ad Matrimonii fœdus ineundum linguæ vulgaris uſus admittatur. Quia videlicet Matrimonium non tam Sacramentum quàm contractus eſt, & contractus ad eliciendum conſenſum claram utriuſque contrahentis pronunciationem efflagitant; aut ſaltem res gerenda eſt per Interpretem, *§. utrum Inſt. de V. Ob.*

Ratio ſpecialis pariter in Sacramento Baptiſmi non deficit, cur urgente mortis periculo queat ſermone vulgari conferri etiàm a muliere *can. ſuper quibus 30. q. 3.* & a quocunque alio debitam intentionem habente; nec officiat validitati diverſitas idiomatis: ut optimè declarat *Oxoniense Concilium I. cap. 16. & Gregor. III. Summ. Pontifex in Epiſtola V.* Quia nempe nemo ſine lavacro Baptiſmi, ſalvatur *can. catechumenum de conſecr. diſt. 2.*

Unde cum Divini juris non ſit, neque ad eſſentiam Sacramentorū pertineat, quo hęc idiomate conficiantur; Eccleſia voluit periculo mortis imminente, Baptiſmum (deficiente Sacerdote) ab eo qui præſto ſit quamvis linguæ communis imperito, conferri *cap. firmiter de Sum. Trin. can. in neceſſitate de conſ. diſt. 4.*

Tertia difficultas, quæ aliquam exigit explicationem, deducitur *ex can. indignum 38. diſt. ubi indignum vehementer exiſtimo* (ait Gregorius) *ut verba cœleſtis Oraculi reſtringam ſub regulis Donati*; & idem eſt ac ſi dixiſſet: verba Cœleſtis Oraculi, non eſſe reſtringenda ad linguam Latinam.

D. Hieronymus Latina lingua, & elocutione Ciceronis tamquam ſuaviſſimis deliciis oble-
18 ctabatur, Ab Angelo tamen eſt correptus *can. legimus diſt. 37.*

Zacharias Papa, Presbyterum omninò Latinę linguæ imperitum, Sacramentum Baptiſmi adminiſtraſſe, narrat: *in can. retulerunt de Conſ. diſt. 4.*

Ex quibus omnibus, prima ſpecie redditur hęc veriſſima noſtra ſententia, perplexa nonnihil, & ambigua.

Verè tamen difficultas exigui momenti eſt. In primis illud ſupponendum, Canones eſſe ſollicitos, ut Clerici tanta prędita ſint Latinę linguę cognitione, & intelligentia, quanta ad executionem rectam Ordinis, efflagitatur. Textus eſt *in can. quamvis errare diſt. 38. Quare Leo Pontifex in can. ſi in laicis ib.* ita loquitur ad Clerum Conſtantinopolitanę urbis. *Si in laicis vix tolerabilis videtur inſcitia, quanto magis in iis, qui præſunt* (ideſt Clericis) Olim hęc debebat quilibet Sacerdos ſcire; Librum Sacramentorum; Lectionarium; Antiphonarium, Bapiſterium, Computum, Canonem Poenitentialem, Pſalterium, Homilias per circulum anni; & quando ordinabatur Libellum officialem ſumebat, nec cuiquam Canones ignorare licebat *can. quæ ipſi, can. nulli, can. quando 38. diſt.*

Quod ſi tamen aliquis reperiretur mediocris literaturę non ob id a Populis eſt deſpiciendus. Poteſt enim aliquis e Populo eſſe ſcientiſſimus, non ob id ſi aliquem miniſtrum Eccleſię forte animadverterit cum barbariſmis, & ſoleciſmis Deum invocare, per ſuperbiam debet contemnere, *can. ſedulo 38. diſt.* Hoc eſt quod dicitur in *d. can. indignum 38. diſt. verba Cœleſtis Oraculi non reſtringi ſub regulis Donati.*

Quod verò D. Hieronymus ab Angelo correptus fuerit, propterea quod libros legeret Ciceronis; non ob linguę ſtudium correptus eſt; ſed ob delectationem qua ob Ciceronis ubertatem, & leporem afficiebatur; ut eſt in *eodem Textu*. Zacharię verò decretum non dat æſtimandi copiam, Presbyteros expertes eſſe oportere cognitione communis idiomatis. Sed narrat eveniſſe ut quidam Presbyter Latinam linguam penitus ignoraret.

Pro Coronide, Sciendum eſt apud Sclavos etiam hodiè celebrari Miſſam idiomate Illyrico ex 19
conceſſione Joan. VIII. in gratiam *Sfetumpulchri* Sclavi Moraviæ Principis; cum onere tamen ut Evangelium Latinè recitetur: narrat Baronius *Tom. 10. ſub anno* 880. Pignattellus *Tom. 8. Conſult. Can. Conſ.* 118. Itèm Sacerdotes Liburnię quę Archidiœci Noritorum noſtro ęvo paret, adhuc ignari Romanæ linguę Sacrificia patrio more nempè Sclavorum procurant; idem *Pignattellus ib.* Joannes VIII. conceſſit Principi Moravię, ut ſi vellet, poſſet Miſſam Latino idiomate coram ſe celebrari cuicumque ex ſuis Sacerdotibus jubere: ex qua conceſſione infertur alias Miſſam idiomate Illyrico eſſe celebrandam in ea Regione — S. Pius V. in Bulla quę incipit *Providentia* revocavit licentiam Gręcis Latino more, & Latinis Gręco ritu Miſſas celebrandi: quam conſtitutionem religiosè jurat obſervandam Sacra Congregatio S. Officii Videatur *Pignattellus Tom. VIII. Conſ. Can. Conſ.* 132. *per tot.*





DE BAPTISMO.

TITULUS III.



RIMUM omnium Sacramentorũ Baptismus est, quasi janua, & fundamentum aliorum; quo (a) Deo renascimur, vitamque novam subimus: & Christi membra efficimur. Ejus [b] institutionem si quærimus; Baptismum Redemptor instituit, postquam a Joanne baptizatus discipulos collegit, & partim propriis manibus: partim discipulorum ministerio baptizavit. Ejus effectum deinceps si quærimus; maximè differt Baptismus a nostro Legislatore institutus, a Baptismo Joannis; cum ex Baptismo Christi labes origine contracta, & propria quoque voluntate suscepta deleatur. At Baptisma [c] Joannis, fuit potius præludium, & instructio ad aquas regenerationis. Vnde a Joanne baptizati rursus in nomine Christi baptizabantur. Quocirca Sacramentum Baptismi necessarium est ad salutem, tam [d] adultis, quàm parvulis. Adulti quidem etiam muti, surdi, ægrotantes baptizandi sunt: parvuli etiam; sed jam (e) nati. Ejus (f) elementum, ac materies aqua est vera, ac naturalis. Carentiam tamen (g) aquæ supplere potest Baptismi votum in mortis articulo; & a Spiritu sancto excitata contritio cordis; qui rectè vocatur Baptismus flaminis: & æque bene supplebit sanguis in Martyrio; qui dicitur Baptismus sanguinis; qualis fuit sanctę Emerentianæ, sancti Genesii, aliorumque etiam, quos aqua non abluerat, ac de tali Baptismo Poeta vetus Prosper cecinit.

Et quidquid Sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria Martiris.

Ut de forma jam loquamur. Hæc in (h) Ecclesia Orientali est: *Baptizetur Christi servus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In Ecclesia [i] Latina: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; approbante Concilio Florentino utrumque (l) modum. Si quærimus post hæc ministrum [m] idoneum; quamvis sit Sacerdotum munus Baptisma administrare; Tamen ubi necessitas vehementer urget, baptizare possunt etiam alii, ne infidelibus quidem exceptis; dummodo ab intentione Ecclesię, & ejus verbis conceptis nullatenus recedatur.

Sunt autem [n] præsentandi pueri, vel adulti a susceptoribus: qui ad summum duo (o) esse debent, vir, & mulier; atque ab hoc patrini munere arcentur [p] Monachi, & Moniales; qui non (q) sunt baptizati, nec confirmati: atque etiam ex Baptismo cognatio nascitur spiritualis. (r) Locus verò ubi lavacrum fit regenerationis, etsi olim essent (s) fon-

tes

tes, & flumina; nunc tamen Ecclesia est baptismalis; exceptis tamen Principibus [t] quibus indulget Clemens Papa domi posse baptizari. Constantinus [u] tamen baptizatus in Ecclesia perhibetur a S. Silvestro. Dies praeterea pro Baptismo adultorum decreto Ecclesiæ præfixi erant in Pascha, [x] et Pentecoste; & ideo [y) consecratio fontis hisce ipsis temporibus adhuc peragitur.

Postremo, ut rectè Baptismus administretur, observandi sunt ritus veluti per manus traditi, & commendati nobis; deinde vitandæ sunt hæreses. Ritus quidem varii quondam fuere: veluti per (z) trinam immersionem baptizare; & confestim baptizato lac, (aa) & mel post Eucharistiam præbere; & illico confirmare. Variçque etiam fuere Catechumenorum (bb) stationes. Veruntamen jam non omittuntur ante Baptismum aquæ Consecratio; Interrogatio; Adjuratio; Trina insufflatio; Exorcismi cum signis Crucis; gustatio salis; saliva, qua aures, naresque liniuntur. Oleum Catechumenorum, & professio Fidei; Post Baptismum verò Chrismatis unctio in vertice *c. siquis de consecr. dist.* 4. candida vestis, & cereus ardens. Hæreses autem [cc] vitandç. Pueros non egere Baptismo, quia careant originali culpa, docuit Pelagius. Nullum peccatum prçter originale tolli in Baptismo, docuit Lutherus. Mortuos esse baptizandos auctores fuere Marcionistæ: damnati in Concilio Carthag. Ad materiã quod attinet sanguine baptizandum, Flagellantes putarunt: damnati in Concilio Viennensi. Quod spectat ad formam: Eunomii, Euthichiani non in Trinitate, sed in Christi morte baptizant. Montanistæ, seu Pepuzeni in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizabant. Quoad effectum vero; Messaliani nullam utilitatem afferre credebant lavacrum regenerationis.

SUMMARIUM.

1 *DE Catechumenis locus D. Augustini.*
2 *Quandonam Baptismus institutus?*
3 *Baptisma Joannis describitur, & quam vim habuerit expenditur.*
4 *De vi hujus Baptismi traditur Textus* in can. non regenerabantur de Cons. dist. 4.
5 *Nova interpretatio Textus* in can. a quodam Judæo de Cons. dist. 4. *& conciliatur antinomia quæ versatur cum alio* Textu in can. multi ib.
6 *Necessitas Baptismi Canonum auctoritatibus illustratur.*
7 *Parvulis quoque Baptisma necessarium est.*
8 *An infans adhuc in utero existens baptizari queat? adducitur Consultatio Pignattelli.*
9 *Vinum materia sufficiens non est, explicatur* canon XI. conventus Carisiaci.
10 *Historia Nicephori de Judæo arena baptizato quam fidem mereatur?*
11 *Traduntur variæ rationes, cur aqua fuerit ad Baptismi materiam electa?*
12 *Duplex materia Baptismi conveniens, & sufficiens.*
13 *Canones de* Baptismo Sanguinis, *& exempla quædam historica.*
14 *Canones, & exempla de Baptismo Flaminis.*
15 *Græci olim usque adeo formæ suæ adhærebant ut Latinos rebaptizarent.*
16 *Verba erroris per imperitiam prolata aquæ sanctificationem non impediunt, elegans historia narratur.*
17 *Ratio Concilii Florentini, cur Græca forma fuerit approbata?*
18 *An valeat Baptismus in Occidente, Græco ritu collatus?*
19 *Munus Sacerdotis est baptizare; In necessitate*

quivis

quivis est sufficiens, habens debitam intentionem.
20 Triplex minister Baptismi, quis sit fueritque olim explicatur.
22 Explicantur ex historia Ecclesiastica plures Canones difficiles.
23 Qua ratione a Paulianistis baptizati, sint iterum baptizandi, & quid hodie servetur de aliis Hæreticis?
24 Patrinorum origo traditur, & ostenditur antiquissima.
25 Patrinorum numerus expenditur; explicatur, cur olim unus Patrinus esset?
26 Cum duo Patrini adhibentur, unus mas, alter femina esse debent.
27 An hoc admittatur hodie ex consuetudine?
28 Explicatur de patrinis Canon 22. Concilii Nicæni.
29 Adducitur Statutum Equitum Jerosolimitanorum, ne sint patrini, decernens.
30 Commendatur Synodus Illustrissimi, ac Reverendissimi Archiepiscopi Pisarum D. Francisci Frosini.
31 Catechumenus neque patrinus esse potest, & si forte fuerit, & postea baptizatur, non tamen consurgit cognatio spiritualis.
32 Qua ætate patrinus esse debeat?
33 Triplex olim patrinorum genus.
34 Cognatio ex catechismo sublata est, ex decreto Tridentinæ Synodi.
35 Cognatio spiritualis quid sit, quotuplex sit?
36 Compaternitas duplex erat juxta veteres Canones.
37 Elegans Disputatio proponitur; an procurator patrini contrahat spiritualem cognationem?
38 Multis argumentis defenditur negativa sententia.
39 Explicatur textus in l. Procurator ff. de Procur.
40 Plurima scitu digna de patrinis.
41 Olim in fluminibus fontibusque baptizabatur.
42 Quando experit prohibitio baptizandi extra Ecclesiam?
43 Principum infantes baptizari in suis Palatiis possunt, singulari privilegio - late hoc illustratur.
44 Defenditur Canonum auctoritatibus Constantinum Romæ fuisse baptizatum.
45 De die ad Baptismum præfinita quid olim, quid nunc observandum?
46 Nova Explicatio, ad Textum in can. deinde de Conf. dist. 4.
47 In loco ubi tenetur baptisterium non possunt sepeliri mortui.
48 De Baptismo per immersionem, plura ex historia Ecclesiastica ad notitiam Canonum adducuntur scitu necessaria.
49 Olim adulti ante Baptismum sua scelera ad aures Sacerdotis fatebantur.
50 Ritus dandi statim post Baptismum Eucharistiam, quandonam cessaverit?
51 Confessio catechumeni ex consilio est.
52 Olim catechumeni in conchum nummos projiciebant, ex hac historia canon quidam explicatur.
53 Stationes Catechumenorum juxta veteres Canones explicantur.
54 Hæreses referuntur circa Sacramentum Baptismi.

EXPLICATIONES.

[a] Quo.

Baptismus hominem justificat.

HOC docet *Concilium Tridentinum sess. 6. c. 4.* per lavacrum regenerationis hominem justificari. Hinc *August. tract. 23. in Joann.* ita loquitur. Quantumcunque Ca-
1 „ techumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ ini-
„ quitatis portat: non illi dimittitur nisi cum „ venerit ad Baptismum, & idem est in *c. catechumenus de cons. dist. 4.*

(b) Ejus.

De institutione Baptismi.

In hoc sequimur sententiam Layman. *de Bap-*
2 *tismo.* Si tamen verba perpendamus D. Augustini *in sermone de Epiphan.* aliud sentiendum videtur, ait enim „ ex quo Christus in aqua „ mergitur ex eo omnium peccata abluit aqua: „ & idem etiam sensit Beda „ Christus tactu suæ „ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit „ aquis. Quinimo in *c. per aquam de Consecr. dist. 4.* asseritur D. Jesum Christum Baptismatis formam dedisse; cum venit ad Joannem, ut baptizaretur.

[c] Baptisma.

De Baptismo Sancti Joannis Baptistæ.

D. Athanasius de *diversis Quæstionibus quæst. 133.* octo species Baptismi describit 1. diluvii, quo peccata excisa fuerunt: 2. in maris ru-
bri transitu: 3. legalis Baptismi quo immundi 3
lavabantur, & purificati redibant in castra; 4. est D. Joannis Baptisma: 5. D. N. Redemptoris: 6. est Baptisma lacrymis constans; 7. per Martyrium, & sanguinem: 8. Baptisma non salutare, quod fine fine punit peccatores.

Atque ut in Baptismo Joannis immoremur. Equidem Baptista præcursor baptizabat afflatu Divino Lucas *c. 30.* „ & factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, „ & venit in omnem regionem Jordanis prædicans „ Baptismum pœnitentiæ. & Joannis *cap. 1.* „ qui „ misit me baptizare ille dixit mihi &c. quos Textus

Pauli-

Paulinus vir Consularis, & Poeta pervetustus, in hæc carmina transtulit;

Paruit auditis famulanti mente Joannes,
Protinus, & ripas inter devenit ad amnis
Diluit infusis credentum viscera lymphis &c.

Non tamen ille Baptismus gratiam conferebat utpote ad salutem minimè necessarius, sed in consilio positus. Non fuit Sacramentum, seu stabilis cæremonia ad hominum sanctificationem;
4 probat *Text. in c. non regenerabantur de consecr. dist.* 4. *Joan. Chysost. homil. ad Evang. secund. Luc.* ita loquitur: *suum baptisma nihil plus habebat, quam aquæ.*

Non imprimebat characterem; cum omnes accepto Baptismo Joannis, Baptismi undis iterum abluerentur *in nomine Christi*, & ipsi Apostoli (veluti Andreas jam pridem ablutus a Joanne) rursus baptizati sunt in nomine Christi. Quare *Tertullianus lib. de Baptis. c.* 10. *Nil caleste præstabat; sed cælestibus præministrabat; Pænitentia S. Præpositus, quæ est in hominis potestate &c.* & paulo post *in actis Apostolorum invenimus, quosdam qui Joannis Baptismum habebant, non*
5 *accepissent Spiritum sanctum.* Hinc explicatur Textus alioquin difficilis in c. *in quodam Judæo de consecr. dist.* 4. cujus sententia hæc est; quod Judæus baptizans etiam *nomine Christi*, non *in nomine Sanctissimæ Trinitatis* validè baptizat, neque denuo baptizandus: nimirum hic respicitur ad Baptisma Joannis: ut enim Baptismus sit Sacramentum, adhibendum est Baptisma *Christi* non Baptisma *Joannis*. Quare in specie adducti Textus, ideo validum dicitur Baptisma, quia in nomine Christi; non in nomine Joannis fuit celebratum. Cùm scilicet interrogatus fuit Catechumenus an vellet baptizari in nomine Christi; non erat respondendum, se velle Baptisma Joannis; sed debebat respondere, se velle Baptismum Christi: perinde enim erat, ac si respondisset, se velle Baptismum in nomine Trinitatis. Ceterum dum Catechumenus reipsa abluebatur pronuncianda fuit forma a Christo Domino assignata *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Atque hæc interpretatio jamdiu excogitata fuit a Facundo Episcopo *lib.* 1. *in Conc. Calcedonense c.* 3. ait enim „ certissimè in nomine Jesu „ baptizabant Apostoli, & sic non in solius Do„ mini Jesu, idest Filii nomine baptizant, ve„ rum etiam in Patris; & Spiritus sancti; ac per „ hoc arbitror; quod cum Baptisma celebraretur „ in ipso quoque sacratis verbis servabatur illa „ forma Baptismi. Atque hac interpretatione percepta recte intelligitur alter Textus qui videtur antynomiam facere *in c. multi ibidem.*

(*d*) *Necessarium.*

Parvuli quoque capaces Baptismi sunt.

Hoc antiquis ex Canonibus aperte deducitur. Baptizari debent omnes homines nati ex viro,
6 & muliere, ait Text. *in c. quisquis de Consecr. dist.* 4. *& c. un. §. fin. de summ. Trin. & fid. in Clem. Absque Baptismo nullus salvatur licet sit parvulus* ait Text. *in c. Catechumeni de Consecr. dist.* 2. *Baptismus ita necessarius est ad salutem, ut non sit in libertate velle, aut nolle baptizari Trid. de Baptism. sess.* 7. *can.* 5.

Et parvulis etiam necessarium est Baptisma, licet actu non credant *c. majores extra de bapt.* 7
nulloque fundamento subnixi *Anabaptistæ* hujus temporis docent, Baptismum non esse tradendum nisi adultis, qui per se eum valeant flagitare, ejusque erroris princeps, ac signifer fuit quidam *Balthassar Pacimont*, qui postea Viennæ crematus est, ita Cotleus *in act. Luth. anno* 1528. Erasmus Rotherodamus docuit homines in infantia baptizatos ubi adoleverint interrogandos esse, an ratum habeant quod eorum nomine in Baptismo promissum est, quos negantes, dimittendos in libertatem *præfat. in Math. apud Bajerlinck verbo Baptismus*. Sed & Pelagiani, contra quos scripsit *D. Aug. lib. 4. contra Epistolam Pelagii c.* 22. eadem infecti labe fuerunt; quos strenue refellit *Gonzalez in d. c. majores de baptismo pag.* 908.

(*e*) *Sed.*

Infans an possit baptizari dum adhuc in utero matris est?

An vero si intra maternum uterum aqua puerum possit aliquo modo veluti per spongiam manu admotam attingere; Baptismus valeat? elegans consultatio est Pignattelli *cons.* 153. *per* 8
tot. Et quamvis varient Interpretes, clarissimis argumentis idem probat, valere Baptismum; quia peccatum originale contrahitur *generativè* in utero etiam prius quam infans nascatur; & cum in utero infans potest ablui, cur lavacrum regenerationis illa ablutio credenda non est? Certe nullo argumento oppositum convincitur. Novissime hoc defendit *P. Gabriel Gualdo Theatinus in Dissert. de Baptismo puerorum.*

(*f*) *Ejus.*

Aqua materia Baptismi est.

Non igitur liquor alius: quare credendum est constitutionem illam Conventus Cariflaci in Gallia habiti *can.* 11. „ Si in vino quis, propte„ rea quod aquam non inveniens, at omnino pe- 9
„ riclitantem infantem baptizavit; nulla exinde „ ei adscribitur culpa: Infantes sic permaneant „ in ipso Baptismo: credendam est, inquam, hunc canonem vel a Stephano XI. non emanasse, vel apocryphum afictumque; ut est apud Antonium August. *de emend. Grat. pag.* 140. vel forte integrum locum non afferri, quamvis habeatur *tomo* 17. *Concil. pag.* 576. vel Pontificem respondisse opinative, ut privatum Doctorem, ut tradit Gonzalez *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 011. *n.* 2. quocirca absolute hic textus concedi non potest, ut explicat *Jo. Harduinus, e Soc. Jesu in Tract. de Bapt. Mort. & de Baptis. in vino &c.* Nec etiam historia Nicephori Calisti *l. 3. hist. Eccl. c.* 37. fidem meretur qui narrant ambulantibus Christianis simul cum Judæo per loca

deser-

deserta, Judæum dum se moriturum putaret,
10 Christianos esse obtestatum, ut se baptizarent, & cum aquam non invenissent, arenam adhibuisse; Nisidixerimus, quod testatur Petrus Gregorius in Syntagm. *p. 1. lib. 2. c. 4.* Alexandriæ Episcopum, verum baptisma postea Judæo contulisse.

Cur vero Redemptor noster aquam voluit esse materiam Baptismi? Adnoto aquæ præfigurationem in Baptismo Aaronis, & filiorum ejus *Exod. c. 29.* nam Moyses fecit ascendere puteum, *Exod. c. 21.* Redemptor Christus fecit ascendere aquas, sicut habetur in Joele *c. fin. & fons de domo Dei egredietur*. Prædictum quoque idipsum ap-
11 paret per Ezechielem *c. 36. effundam super vos aquam mundam & emundabimini ab omnibus inquinamentes vestris, & Zaccharia c. 13. haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Caussas assignat etiam cur potius in aqua sit materia hujus Sacramenti. Cyrillus Ierosolimitanus *Catech. 3. primum* (inquit) *quia unum ex quatuor Elementis*. Secundo quia Cęlum Angelorum habitaculum est: at ex aquis sunt Cęli. Terciò, terra hominum locus, at ex aquis etiam terra: Quartò, ante rerum omnium creatarum distinctionem sex dierum, spiritus Dei ferebatur super aquas: Quinto, principium mundi aqua: Sextò principium Evangelii Jordanes. Septimo, liberatio Israelis a Pharaone per mare facta, & liberatio a peccatis Mundi per lavacrum est aquæ cum verbo Dei: Octavò ubicumque fędus inter Deum, & homines, ibi, & aqua: post diluvium fędus percussum est cum Noe: fędus cum Israele in monte Sinai: verum hæc non sine aqua, & lana subeat: primus enim Elias transivit Jordanem, deinde in Cęlum raptus est: prius abluitur, Summus Sacerdos factus.

Non minus elegans alia ratio D. Jo. Chrysostomi *hom. 24. in Joan.* Primum divina in hoc consumantur judicio, sepultura, mortificatio, & resurrectio, vita, & hæc simul omnia: in aqua enim tanquam in sepulchro caput immergentibus vetus homo sepelitur, & submergitur deinde nobis emergentibus novus resurgit inde, ut facile nobis est immergi, & immersos respirare, ita Deo veterem sepelire hominem, & novum induere.

Non mirum sit (ait Tertullianus in *lib. de Baptis. c. 3.*) in Baptismo si aquę animare noverunt: nam ipsius quoque hominis figurandi opus, sociantibus aquis, absolutum est de terra; Materia non tamen habilis, nisi humecta, & succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquę in stationem suam superstite humore limo temperant. Quod Tertullianus ne aquis segregatis excogitavit, id non minus ingeniosè Aurelius Prudentius Poeta vetus *in Apotheosi* retulit ad lutum a Christo saliva humefactum.

Arida terra fuit nulli prius apta medela
Sed postquam liquido cœlestis Spiritus ore
Virgineam resperjit humum medicabilis illa est
Inde trahit succum, lentoque humere salutem
Inlinit, infunditque diem Baptismate lota.

Neque omittam aliud Tertulliani argumentum *eod. lib. c. 5.* ait enim „ Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatem eadem efficacia Idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur; nam, & sacris quibusdam per lavacrum initiantur. Isidis alicujus, aut Mithræ ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt. Cœterum villas, domos, Templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ passim expiant, certè Indis Apollinaribus, & Pelasiis tinguntur. Idque se in regenerationem, & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt: *Item* penes veteres, quisquis se homicidio infecerat purgative aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquæ, quod propria materia sit allegendi auspicii emundationis blandiuntur, quantò id verius aquæ præstabunt per Dei auctoritatem, à quo omnis earum natura constituta est.

Et sane Theologi, & Canonum magistri duplex aquæ genus indigitant; Primi generis aqua dicitur materia conveniens, de qua hactenus locuti sumus; altera sufficiens aqua in necessitate. Illa est aqua fontis Baptismalis; hæc est illa, quæ magis ad manum est, instante, & ur- 12
gente periculo; exceptis tamen aquis artificialibus; & humoribus mistis, ut aqua rosacea lacrymis, saliva, cervisio, jusculo, *Laym. c. 3. lib. 5. de Baptism.* quamquam variæ sint de quibusdam aquis opiniones Theologorum, de quibus nihil attinet hoc loco disserere, cum nullus vel leviter res Theologicas attigerit, qui tali cognitione destituatur.

(g) Carentiam.

De Baptismo sanguinis, & flaminis.

Hoc deducitur ex *c. baptismi vicem de consec. dist. 4. & c. Catechumenum 37. ibid. ex c. 22. de Presbyt. non baptiz.* Et quod S. Emerentiana, & Genesius Martyres, Baptismi lavacrum fecerint in sanguine Martyrii, refert *Caballut. Scient. Canon. lib. 3. c. 2.*

Et in Chronicis S. Antonii *lib. 11. c. 98.* refertur exemplum decem millium Martyrum, qui apud Alexandriam Armeniæ, tempore Adriani 13
Imperatoris, Imperatoris jussu, quod Christi fidem profiterentur in monte Arath proprio sanguine baptizati triumphantes Cęlum intrarunt.

Quod verò spectat ad Baptismum flaminis: exempla passim occurrunt; se offert ut singulare exemplum Valentiniani adhuc Catechumeni filii Valentiniani Magni, qui cupidus Baptismi profecturus cum exercitu adversus Barbaros
irrumpentes in Italiam, illudque D. Ambrosio 14
petiisset; accidit, ut adhuc in itinere constitutus proditorum appetitus insidiis occubuerit in voto Baptismi. *D. Ambr. de obitu Valent. junior.*

(h) Hac.

De forma Baptismi apud Græcos.

Græ-

Græca Ecclesia utitur forma illa verborum *Baptizetur servus Christi &c.* Cabass. Notit. Eccl. Sæc. IV. dissertat. in Concil. Carthag. Atque ex hac forma, cum Græci suam minimè enuncient personam, infert D. Thomas in 4. *dist.* 3. *art.* 2. *ad primum*, non esse absolutè in Baptismo necessariam personæ ministri expressionem; quod
15 tamen haud probatur a *Gonzalez in c. ult. extra de Bapt.* Cum verò Græci usque adeo adhæserint olim formæ suæ, ut auderent rebaptizare babtizatos in Latina Ecclesia, eo quod formam *Ego te Baptizo* reprobandam censerent: Hunc errorem damnavit Lateranense Concilium sub Innocentio III. & narratur in *c. Licet de Bapt.*

(i) Ecclesia

De forma Baptismi in Ecclesia Latina.

Siquidem Christus Gratiæ auctor Math. c. 20. jussit Apostolis, ut docerent omnes gentes, addens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hæc verba, accedente Ecclesiæ traditione, propriam Baptismi formam continent. Quare, cum vera Baptismi doctrina sit in Ecclesia Romana *Trid. sess. 7. de Bapt. can.* 8. hanc esse formā verā multis Constitutionibus pronunciatur, præsertim *c.* 1. *x. de Bapt.* eamque immutans excommunicatur *Concil. Apost. c.* 49.
16 Placet hoc loco historiam elegantem proponere: qua interim explicabitur *Text. in c. retulerunt de consecr. dist.* 4.

In Bojoriæ Provincia quidam Sacerdos Latinæ linguæ ignarus, non pronunciavit baptizans, integra verba præfatæ formae, sed linguam infringens, protulit hæc: *Baptizo te in nomin Patria, & Filia, & Spiritu sancta.* In hanc provinciam anno 743. tempore Zachariæ Papæ II. propagandi Evangelii causa Virgilius, & Sidonius venerant, & Bonifacio ejus regionis Episcopo asserenti talem Baptismum invalidum, repugnare cœperunt. Res delata ad Zachariam Pontificem, qui Decretalem Epistolam Bonifacio scripsit: quæ habetur in d. *c. retulerunt de Consecr. dist.* 4. & negat esse rebaptizandum puerum, cui talis adhibita fuerit forma Baptismi. Ratio deducitur ex alio *can. si non sanctificatum de Consecr. dist.* 4. ubi *verba erroris per imperitiam prolata non impediuntaqua sanctificationem.* Atque hæc omnia historia est apud Baronium *Tom.* 9. *annal. ad annum* 744.

[l] Utrumque

Rursus de forma Baptismi Ecclesiæ Latinæ

His verbis, *Forma hujus Sacramenti est: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Non tamen negamus quin, & per illa verba baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum; si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Hactenus Concilium Florentinum, cuius integram literam referre necessarium duxi: quoniam tacitè
17 tionem approbandi Græcam formam attingit.

Sed, ne ex hoc loco confestim migremus, veluti transfugæ, placet inquirere, an si Presbyter Latinus administraret Sacramentum Baptismi juxta Græcorum formam Sacramentum sit invalidum? Respondet Gonzalez *in c. fin. de Bapt. in princ.* validum esse. Quemadmodum etsi offerat in pane fermentato: Valide conse-
crabit; quamvis Latinis Ecclesia panem azymum 18
pro sacris Mysteriis destinaverit, *Eug. IV. in Concilio Florentino in Decreto de unione Armenorum §. item in azymo.* Ceterum ad cognoscendum, an debeat Grecus Presbyter, qui moretur in regionibus Occidentis consecrare in azymo; distinguendum est. Aut enim in regiones orasque Latinæ Ecclesiæ domicilium transtulit animo perpetuo manendi, & vivendi more Latino; tunc verò in pane azymo consecrare debet, & in omnibus aliis observationibus ritum Ecclesiæ Latinæ adimplere; nam in qua Provincia quisque degit eius moribus obsequi necesse est *c. illa consuetudo* 12. *dist.* Aut è converso Clericus é Græcia ad Latium venit negotii causa, aut peregrinationis: hoc casu tametsi festorum dierum observationem, & jejuniorum ejus consuetudinem sequi debeat, *Covarruvias lib.* 4. *Var. c.* 20. *n.* 8. tamen quoad consecrationem Eucharistiæ, ritum propriæ Ecclesiæ debet observare: quia propria Ecclesia non est, in qua forte aliquis obiter degit. *Late Gonzal. in c. fin. de celebr. Missar. n.* 3.

[m] Ministrum

De ministro Sacramenti Baptismi 19

Hic etiam laicus, etiam Hæreticus, etiam Paganus, etiam Judeus esse potest *c. Romanus de cons. dist.* 4. *c. dictum est a Deo* 96. 1. *q.* 1. Pater qui baptizandum generavit, minister quoque sufficiens est *c. ad limina* 30. *q.* 1.

Sed hi Canones procedunt, & intelliguntur ubi necessitas vehementer urget; nam alioquin munus Sacerdotum est baptizare: En verba Concilii Tridentini de Baptismo *sess.* 7. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis non solus Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier; immò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Atque ut dantes operam Iuri Canonico, notitiā antiquitatis assequantur, Triplicem ministrum Baptismi sciant assignari: Primum ordinarium: Secundum extraordinarium: Tertium necessitatis. Ordinarii ministri ad solembe Baptisma vi suæ Consecrationis Episcopi sunt, & Presbiteri *c. Diaconus dist.* 95. licet primis Ecclesiæ tem-

C pori-

poribus Baptismi dispensatio quoad actum, & usum Episcopis competeret: D. Hieron. in dial. contra Lucifer. n. 10. ibi: *Unde venit, ut sine Crismate, & Episcopi jussione Presbyteri, neque Diaconi jus habeant baptizandi?* Tertull. de Bapt. c. 17. *dandi quidem habet summus Sacerdos, qui est Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi e eum bis* 16. q. 1. & c. 1. *de relig. dom.* ubi *jussus Episcopi exigitur*. Tradit rationem huius primaevi Iuris Bellarminus *tom. 2. tit. de Sacr. Confir. c. 12.* quia is solus ad corpus Ecclesiae potest admittere, qui corpori tamquam caput praeest. Hoc vero mutationem recepit ex quo tempore Parochiae divisae fuerunt, & iis constituti Parochi. Ipsi enim caeperunt

21 independenter ab Episcopis baptizare. Clem. *l. 3. Const. c. 10.* ibi *Neque Diaconum jubemus ordinare ex laicis Clericos: Sed Presbyterum tantum docere, & offerre, & baptizare:* Quare nunc Parochus proprio Iure Baptizat *Barbos. de off. Paroch. p. 2. c. 18.*

Secundus Minister, scil. extraordinarius ex delegatione, est Diaconus. Hic, Episcopo consentiente, vel Presbytero, solemniter potest baptizare, *Gonz. ad Concil. Illib. c. 77.*

Tertius minister necessarius scil. in periculo est (ut diximus nuper) omnis, qui intentione faciendi quod Ecclesia consuevit, non caret. Addimus Textum in *c. firmiter de sum. Trin. & fid. Cath. Trid. sess. 7. cap. 4.*

Nihilominus tertio decurrente saeculo seges plurimarum concertationum, fuit tantopere agitata quaestio, de validitate collati ab Haereticis Baptismi, de qua *Cabass. Saeculo 3. Historia Ecclesiastica*. Etenim Ecclesia Africana, primum sub Agrippino Carthaginis Episcopo, haereticum invalide baptizare, censit. Tum verò sub Cypriano Sancto eadem opinio magis confirmata fuit Synodo Affricanorum Patrum uno, & 70. indicta. Sub idem fere tempus duae in Orientis partibus Synodi, hoc idem de rebaptizandis haereticis decreverant, Iconii, & Synadii, anno circiter 156. Restitit huic dogmati vehementer Stephanus Pontifex, vetuitque ne quis auderet a contraria traditione Apostolica recedere: dummodo in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine Baptisma fuerit collatum. Deinde idem definivit Arelatense Concilium primum c. 8. his verbis: *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit interrogent eum circa Symbolum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Post 11. vero annos ab hac Arelatensi Synodo devolutos Nicaenum Concilium can. 19. e solis *Paulianistis conversos, decernit iterum baptizandos*. Quare satis insinuat apud re-

22 liquas sectas baptizatos non excludi; in quibus circa Trinitatem sanctissimam nullus versetur error. Hac doctrina intelliguntur *Tex. in c. quos a paganis de Cons. dist. 4. c. si quis confugerit c. Paulianistae* 1. q. 1.

Etenim jam inde ab Apostolorum aetate Ebio fuit, & Chorinthius Christo Divinitatem abrogantes. Saeculo 2. hanc eamdem haeresim intermortuam suscitavit Theodorus Bizantinus damnatus a Victore Papa. Tertio demum recurrente saeculo Artemon, & hunc insequutus Paulus Samosatenus Antiochiae Episcopus idem perversum dogma propugnavit. Haec igitur haeresis in Divinitate, unicam agnovit, praedicavitque personam, ejusque tria esse nomina non proprietates personales, sed solum diversas perfectiones significantia: ut narrat *Cabass. Secul. 3. pag. 69.* Merito igitur Paulianistae sunt rebaptizandi cum 23 error in Sancta Trinitate versetur.

Quaerit *Arsdechin. in Theologia tripartita*. An nostrorum temporum haeretici, dum convertuntur, debeant sub conditione rebaptizari? Respondetur, regulariter non debere; Si tamen sit dubium an forma debita prolata sit, sub conditione esse rursum abluendos aqua Baptismatis. Atque hactenus patet, quae Doctrina de Ministris vera sit, & Catholica.

Non est omittendum, quod contigit in Diaecesi Metensi tempore Innocentii III. Judaeus quidam in mortis articulo constitutus, cum inter Judaeos tantum existeret, in aquam seipsum immersit, dicendo: *Ego me baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Re ad Episcopum delata, haerens in difficultate, & ambiguus consilium suscepit humiliter ab Innocentio III. decisionem ortae quaestionis addiscendi. Sedes Apostolica ita rescripsit: *Respondemus quod cum inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, memoratus Judaeus est ab alio baptizandus*. Aliae rationes ejusdem Pontificis sunt in c. *debitum 4. de Bapt.*

(n) *Sunt*

De origine Patrinorum.

Origo susceptorum profluxit ex Baptismo infantium: nam cum a cunabulis ipsis nascentis Ecclesiae fuerit necessarium profiteri Christi Fidem in Baptismo, & nunciũ Satanae remittere, & pompis eius; idque pueris per se adimplere per aetatem nõ liceret; praestabant id, opera susceptorũ *Gonzal. in c. ex literis de cogn. spirit.* Et frustra Magdeburgenses, Anabaptistae, Molineus, Gentilis, Duarenus, superfluum vocant adhibere Patrinos Nam Patrinorum usum vetustissimũ ostendit auctoritas Clementis *lib. 3. Const. c. 16.* ibi: *ac virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa*. Ex quo inferre licet Patrinos olim fuisse solos Diaconos, & Diaconissas. En, & locũ Dionysii qui floruit per 24 annos 500. *Naturales oblati parvuli* (ait ipse) c. 2. & 7 de Eccl. Hierarch. *parentes puerum uni ex Fidelibus tradent, Hunc itaque Praesul spondenti? Pueri*

juxta

juxta sanctam, educaturum vitam requirit, ut abrenunciationem profiteatur. Et mentio de sponsoribus est apud Tertull. qui floruit circa annum Christi 200. *lib. de bapt. c. 18. alicenim sponsores periculo ingeri; qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli*. Ostendunt eandem patrinorum antiquitatem tam multi canones a Gratiano congesti, *c. ita diligere, c. Pitatium, c. non oportet c. super, can. post susceptum, c. per adoptionem, c. illud etiam sub causa* 30. *q*. 3. cum aliis sub eadem *causa q*. 5. *& ex c. in Catechismo, c. in plures, c. in baptismate, c. non licet c. Monachi de consecr. dist*. 4. Cum partim hujusmodi auctoritates sint dicta Sanctorū, partim decreta vetustissimorū Conciliorum; eo magis errores Hæreticorum confutantur.

(o) Qui

De numero Patrinorum

Certe Iure communi inspecto, in Catechismo, & in Baptismo unicus patrinus offerre debet Sacerdoti baptizandum: ita Higinus Papa *in c. in*
25 *Catechismo de Consecr. dist*. 4. Etidem expressum est in *c. non plures ibid*. Sed postea ad Sanctissimæ Triadis Mysterium indicandū receptus fuit usus trium susceptorum: docet *Gonz. n*: 7. *in c. ex literis de cogn. Spir*. Tandem Concil. Trid. *seff*. 24.
26 *c*. 2. *de Reform. matr*. disponit; ut in Baptismo ad summum duo patrini adhibeantur masculus, & fœmina: sive mas, sive fœmina baptizetur; non autem duo viri, neque duo mulieres. Si verò unus patrinus adhibeatur ad formam Iuris antiqui ex *c. non plures de Consecr. dist*. 4. docet Layman. *l*. 5. *tract*. 2. *c*. 9. *n*. 4. marem esse oportere; si puer, fœminam; si puella baptizan-
27 da sit. Sed hæc doctrina minime admittitur ex contraria consuetudine, saltem in Baptismo infantium; ut docet *Tonellus in manud*. Licet enim in Concilio Niceno c. 22. ita decretum fuerit, *Viri non teneant in Baptismo fœminas; neque mulie-*
28 *res teneant mares*. Hoc tamen refertur ad adultos, & adultas; qui olim nudi per immersionem baptizabantur.

(p) Arceantur

Monachi patrini esse non possunt

Expressi sunt Canones id decidentes in *c. non licet, in c. Monachi de consecr. dist*. 4. Imò in
29 Statutis Militum Hierosolymitanorum tit. 28. c. 3. sic scriptum est: *Non liceat cuiquam fratrum nostrorum in Sacro Baptismatis fonte recipere absque sui superioris licentia nisi baptizzandus esset filius Baronis, aut majoris Domini*: confirmat Petr. Greg. in Syntagm. p. 1. lib. 2. c. 4. n. 18. Clericos etiam, in hac prohibitione includi, absque Ordi-
30 narii permissu, decernit Pisana Synodus Illustrissimi, ac Reverendiss. D. FRANCISCI FROSINI Archiepiscopi Pisani anni 1708. *p*. 1. *cap*. 8. Quod quidem opus eximiam demonstrat optimi Antistitis doctrinam; estque in eo cognitionum supellex, quæ magno usui studiosis iuris Canonici esse possit.

(q) Qui

Patrinus debet esse antea confirmatus

Ita statuit *Concilium Moguntinum in can. in Baptismate de consecr. dist*. 4. ibi *in baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in Filium qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus*.

Et ideò Catechumenus suscipere filium de Fonte non potest extra necessitatis casum *Tonellus in Manud. Concl*. 1. *n*. 5. 31

Quod si ætatem ad patrini officium idoneam exquirimus; ait Lauria in *Epithome Canonum ex Concilio Coloniensi* 2. *par*. 7 *can*; 4. provectæ ætatis esse oportere patrinum. Veruntamen *Possevinus de Officio Curati*, censet Patrinum saltem 12. annorum esse debere; ita ipse *cap*. 6. *n*. 20. Consuetudine ait Petrus Rebuffus *in l*. 1. *ff. de Adopt*. invaluisse, ut Patrinus VII. annos habet: idem docet Lara in *Compendio Vitæ hominis cap*. 16. *n*. 120. contra *Abbatem in cap. debitum* 3. *n*. 3. *de Baptis*. 32

[r] Cognatio

De cognatione spirituali.

Ex adoptione oritur legalis cognitio impediens dirimensque Matrimonium *cap*. 1. *extra de cogn. Leg*. ut enim ex nuptiis oritur genus quoddam prohibitionis ad contrahendū, inter affines; idem evenit ex oblatione pueri ad Lavacrum regenerationis. Ex Baptismo igitur oritur Spiritualis cognatio. Baptisma naturam imitatur; cum homo ad veram nascatur vitam Petrus Gregorius (id notat) *in Syntagmate l*. 2. *tit*. 2. *n*. 1. Verùm ut exactè spiritualis ista cognatio intelligentia percipiatur; Non est ignorandum, triplex quondam patrinorum fuisse genus. Primi generis erant patrini Catechismi. Ad secundum genus patrini 33
Baptismi pertinebant; Ad tertium patrini Confirmationis *can. ex catechismo de consf. dist*. 4.

Quod attinet ad patrinos Catechismi; hi erant necessarii: quia ante Baptismum in variis morabantur stationibus Catechumeni ut dicam n. 52. *Incipiebat ergo cognatio a Ritu sacri salis in os Catechumenorum ingesti*; ita habetur *in can pervenit* 30. *q*. 1. ibi: *a primo pabulo Salis, & ingressu Ecclesiæ usque ad Confirmationem S. Spiritus per Chrisma Ab hoc ergo primo Spiritus S. Dono usque ad septimum, nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscepisse debet; nam ex eo tempore Christianus Catechumenus appellatur can. cave*. 28. *q*. 1.

Veruntamen hæc cognatio quæ olim matrimonium dirimebat sublata est, *per Tridentinam Synodum sess*. 24. *cap*. 2. *de Ref. matr*. ut declaravit Sacra Congregatio his verbis apud *Leandrum disp*. 34
27. *n*. 4. *Qui in Ecclesia fuit præsens ei qui domi verè fuit baptizatus; Si deinde in Ecclesia fuerunt servatæ solemnitates nullam specialem cognationem contraxit*. Addo id quoque decisum videri in

in cap. contracto de cogn. Spirituali, & in Bonifacio VIII. in cap. 1. ibid. in 6.

Quod attinet ad cognationem ex Baptismo. Hanc luculenter probant octo constitutiones sub titulo de Cogn. spirit. & numero septem Canones sub Causa 3. q. 3. & 4. Et si hoc de Baptismo asserimus, idem de Confirmatione judicium esto. Ergo hæc ex Baptismo cognatio in duas secernitur species: Quadam Paternitas; alia quædam est compaternitas. Paternitas nihil est aliud quam cognatio, quam illas Baptizatus contrahit cum baptizante, cum patrino, & mattina: qui omnes sunt spirituales patres: & vicissim ipsi filio spirituali eodem vinculo cognationis junguntur. Compaternitas verò inter ipsos patres est. Nam pater, & mater naturalis, sunt cognati Baptizantis patrini, & mattinæ; Et quia hæc cognatio inter ipsos omnes patres exurgit; idcircò compaternitas jure vocatur.

Nihilominus juxta antiquos Canones duplex erat compaternitas, Directa, & indirecta. Directa illa est quam hactenus explicavimus: & de qua mentio fit in can. 1. 30. q. 3. Indirecta verò

35 compaternitas illa erat quæ extendebatur ad Uxorem compatris cap. si Pater can. Si quis 30. q. 3. Unde, & si Maria uxor Ioannis levasset de fonte filium alterius feminæ; non poterat Ioannes cum femina illa post mortem uxoris contrahere can. Perscitatus 3. q. 4. Sed tamen hæc indirecta compaternitas sublata est per concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. de Reform. matr. Nunc ergo cognatio Spiritualis ad solam paternitatem, & compaternitatem restringitur.

36 De hac spirituali cognatione nobilis exoritur controversia, quæ sequenti dissertatione discutienda est.

DISSERTATIO I.

An procurator patrini, contrahat spiritualem cognationem, vel potius principalis?

Per procuratorem patrini loco subrogatum, non contrahitur cognatio spiritualis, de qua im-

37 præsentia sermo est. Hæc plausibilior, receptiorque sententia videtur.

Probatur I. Quia ad hoc ut susceptor istam contrahat cognationem, exigit sancta Synodus Tridentina, ut susceptor assumatur a Parentibus baptizandi, aut a Parocho, si ea de re Patentes non providerint sess. 24. cap. 2. de Refor. Atqui procurator qui ad suscipiendū infantem e lavacro Baptismi mittitur, non assumitur, non eligitur a parentibus, sed eū assumit, eligitque ille qui Procuratorem constituit; ut videmus usitatum inter Magnates, & Principes. Igitur ex mente Concilii cognatio omnis attingit Principalem, ut argumētatur Caballut. Scient. Canon. l. 3. cap. 21. n. 11.

Probatur II. Quia in nostra specie procurator nunquam sibi persuadet obire munus patrini, sed eius vices gerere. Deest ergo consensus, & scientia gerendi se tanquam verum patrinum, cum potius rem exequatur nomine mandantis; unde nonnunquam ignorantia ab effectu cognationis spiritualis excusat; Casus elegans, & decisio habetur in cap. si vir extra, de cognat. spirit.

Probatur III. Quia procurator in administratione sua semper obligat principalem reg. qui facit de Reg. jur. in 6. Unde, si Procurator contraxit, obligatur ex contracta Dominus, qui mandatum dedit l. Pignori §. ult. ff. de Usucap. Quoties autem procurator ad suscipiendum infantem missus, cognationem contraheret, ipse quoque obligationes cognationi annexas subire deberet; quod est absurdum, & contra decreta Canonum; Si quæris quæ nam istæ sint obligationes cognationi spirituali annexæ? Sunt, ut obligetur Patrinus educare puerum, & ad optimū vitæ exemplar fingere S. Dionysius de Ecclesiast. Hierarchia cap. 2. his verbis: Hunc (idest Patrinum) Præsul requirit, spondentem puerum juxta sanctam educaturum vitam. En, & non minus clara verba Textus in can. vos ante omnia 105. de Conj. dist. 4. Vos ante omnia tam mulieres, quam viros qui filios in baptismo suscepistis moneo ut vos cognoscatis Fidejussores apud Deum extitisse; Ideoque semper eos admonete; ut castitatem teneant. Et in can. 10. Concilii Atelat. 6. scriptum est ut Parentes filios suos, & Patrini eos quos de fonte lavacri susceperunt erudire summopere studeant: Illi quia pro eis Fidejussores existunt. In Concilio vero Rhemensi cap. 2. scriptum est: Parochus moneat susceptores Fidei pro suscepto sponsores esse. Itaque eos obligari cum infans ad adultam ætatem pervenit eum docere Fidei rudimenta seu Symbolum. Ad quem Canonem ait Caball. Quod olim susceptorum de Sacro fonte ritus fuit, ut pro baptizato curam se habituros spponderent: unde, & Sponsoris nomen, ipsis Inditum fuit. Et hoc argumentum est Zoesii ad Libr. IV. Decretal. tit. XI. num. 10.

Probatur IV. ex eodem præcitato Tridentini decreto, ubi statuitur ut tres non sint Patrini, utque si præter designatos alii levent puerum de Sacro fonte non contrahant ullam cognationem. Jam ad conficiendum argumentum, interrogo. Quisnam in nostra specie est designatus in patrinum? procurator ne, an principalis? Certe principalis. Fac ergo procuratorem contrahere cognationem spiritualem; plane illuderetur Decreto Concilii Tridentini, quod voluit præter designatos, alios nullam cognationem contrahere.

Prob. V. Ex fine propter quem Tridentina Synodus, & Bonif. VIII. in cap. fin. de cogn. spir. in 6. patrinos ultra duos esse nō oportere decernunt. Finis ita decernendi fuit, ut excessivus susceptorum numerus tolleretur, ne oriretur difficultas major ex cognatione spirituali, & ad cognoscenda impedimenta, quadā perplexitas; Quam rationem observare datur etiam in cap. non debet extra de con. & aff.

Probatur VI. Quia, & si nihil valerent rationes huc usque adductæ; attamen satis esset

De-

Declaratio Cardinalium S C. Trid. Int. Quæ declaratio in præsenti controversia decidit his verbis *Procuratorem nulla affectum cognatione remanere*. Quæ verba fideliter transcripsit *Navarrus l. 3. Consiliorum Cons. v. Barbosa Apostolic. Decis. collect. 177 n. 9 Sellius in selectis Canon. cap. 76. n. 25.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiicitur I. Falsum est Procuratorem obligare solum principalem dum contrahit; Nam in *l. Procurator 67. ff. de Procur.* diserte traditur, Quod quoties Procurator vendens rem principalis, de evictione promittit, non modo obligatur Principalis, sed & ipse Procurator. Hic textus est quidem Iuris Civilis, sed tamen infertur, Procuratorem obligare se ipsum. Cum ergo ille, quem cognatio spiritualis attingit obligetur ad ea quæ exposita sunt, in 3. *argumento*, & solum ille, sic obligetur qui cognationem contraxit; si Procurator obliget se ipsum, contrahet etiam ipse cognationem: Quoniam cognatio, & obligatio sunt quam maxime inter se connexa.

Hæc difficultas removetur omissa solutione Glossæ, dicendo Procuratorem teneri de evictione cum, et promittit pro Domino, & simul ipse novat obligationem, se ipsum expressa conventione astringendo: ut *Mangilius* respondet *in*

38 *Tract. de Evict. p. 3* Quare casus evictionis detorqueri non potest ad casum suscipiendi infantem in Baptismo: cum non respiciatur procurator tamquam patrinus, sed tamquam subrogatus: Neque ulla species obligationis insistat in procuratore, sed solum assistit Principalem. Atque eaden responsione occurritur alteri decisioni *Textus in L. servum Titii vers. & plus ff Mandati* plura alia sunt apud *Sanchez. l. 7. disp. 50. a n. 19.*

Obiicitur II. Monselius, si nequit esse patrinus, ideoque nec contrahet cognationem patrini proprium, Quippe non est is nulla qualitas esse po-

39 *test l. si serum § V. 1. ff. de Act. empt. l. ejus qui in Provinciis 41 ff de Reb. cred. l. itaque fullo ff. de Furtis l. decem 116 ff. de V. Ob*

Sed cum in *cas. pervenit 18. q. 1. in can. monachi de Consecr. dist. 4. & simil.* cognationi obstatur, non constitutioni monachi patrini *Sanchez. di Matr. L. 7 disp. 60 n. 21.* si monachus procuratorem constituat, sistet cognatio in procuratore.

Sed respondetur, in tali casu, cum Regularis ubi viget consuetudo, ad suscipiendum infantem, procuratore utitur; cognationem contrahi ab ipso Regulari: docet *Sanchez. de Matr. l. 7. disp. 60. n. 21. Barbosa de Pot. Episcopi part. 2. Alleg. 30. n. 33. & 36.* Imo Regulares creatos Episcopos libere posse infantes suscipere in Baptismo vel Confirmatione, & contrahere cognationem Spiritualem declaravit Sacra Congregatio exemplo Gregorii qui ex Religioso creatus Cardinalis, factus est Mauritii Imperatoris Cōpater, *narrat Ventrigl. in Prax. T. 1. ann. 48 § xn n. 66.*

Pro Coronide hujus nostræ Tractationis de patrinis: Sciendū alia quædam in quæstionē revocari.

Primo quæritur an si tempore necessitatis aliquis infantem teneat tamquam patrinus contrahat hanc cognationem?

Secundo quæritur an tempore necessitatis Patrinus sit necessarius?

Ad Utramque difficultatem respondet *Diana part. 3. tract. 4. Resol. 18.* si aliquis urgente mortis periculo infantem teneat, proposito patrini munus exercendi, eum tamē cognationē hujusmodi non contrahere. Deinde, eodem imminente periculo, patrinum non esse necessarium.

Denique, circa patrinos, sciendum est Concilium *Aquense* decrevisse *Tit. de Sacramento Baptismi* neminem exequi posse patrini munus qui sacra Chrismate signatus in fronte non fuerit.

(s) Olim

De baptisteriis.

Nascentis Ecclesiæ ævo in fluminibus, fontibusque Baptisma administrabatur *Strabo de Rebus Ecclesiæ cap. 23.* his verbis: *Sciendum autem, simpliciter primo in fluviis vel fontibus baptizatos credentes*: Nam baptisteria, vel propter 40
inopiam Ecclesiarum, vel propter Tyrannorum persecutiones, in usu non erant; Mox paulatim in privatis ædibus construi cœperunt baptisteria *Vicecomes l. 1. de Ritibus Baptismi cap 6.* Deinde extra Urbes hæc ædificari cœperunt, Gregor. Turonensis *l. V. hist. Franc. cap. 1.* ibi *gavisus a nudeio Pontifex noctis sanctæ Pentecostes vigilias celebratis, ad baptisterium foris muros ducens egressus est*.

Demum, pace Ecclesiæ data, cœperunt in Porticu intra urbem baptisteria construi Cyrillus *Catech. 1 Myst. g. Primum ingressi estis in porticum domus Baptisterii*; postea in Ecclesia constructa sunt *can. omnes 106. de cons. dist. 4.* & ex hoc Canone cœpit prohibitio baptizandi extra 41
Ecclesiam, aut in privatis ædibus.

Quin etiam baptisteria erant olim, non in pagis & oppidis, sed tantum in Civitatibus: postea in omnibus Ecclesiis, & Plebaniis cœperunt constitui Greg. Nazianz. Or. 40. *Ne via longinquitatem reformides, nec maris spatia, nec ignem, quo gratiam consequaris*. Quæ notitiæ antiquitatis ad discendum Jus Canonicum necessariæ sunt alioquin multi Canones, velut *c. omnis 106. de consecr. dist. 4.* nunquam percipi funditus poterunt, sed larvas, & umbras pro scientia consectabimur.

[t] Exceptis

In sacello regio Filii Regum baptizari possunt.

Clemens V. *in Clem. un. de Baptis.* ita decrevit: *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati aliquos [nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu 4
deferri, liberi extiterunt aut talis necessitas emer-*

serit

ferit &c. De quibus Principibus hoc procedat, tradit ibi *Barbosa n.* 4.

Multa enim privilegia Regibus conceduntur: veluti, ne sub eadem facultate excommunicandi alicui Præsuli concessa, contineantur *c. ne aliqui de privil. in 6.*

(u) *Constantinus*

Constantinus a S. Sylvestro baptizatus.

Vnde in Ecclesia Lateranensi Tabula extat, in qua scriptum carmen occurrit
Rex baptizatur, & lepra sorde lavatur.
Narrat Ciampinus in opere *de Sacris ædificiis a Constantino constructis cap. 2.* Hoc sequenti dissertatione latius exponetur.

DISSERTATIO II.

De Constantini Magni Baptismo.

43 Quæ argumenta persuadent, Constantinum Romæ fuisse baptizatum; hæc sunt.

Prob. I. Certum est, anno Christi 324. Crispum, & Licinium iuniorem a Constantino Augusto crudelissimè fuisse interfectos, quod adversus ipsius Imperium aliquid machinati essent: qui ut norunt omnes sibi maximè propinqui erant; adeoque resipiscens Constantinus lustrationem a Flaminibus sepè poposcit; illisque respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula elueret, angore conscientiæ 10 dies torquebatur; cum esset alioquin Princeps mitis, benigneque naturæ. Ex quibus videtur inverisimile prorsus, ut distulerit Baptismum; ex quo (ex labes omnes, expiatione hac vera Christianorum, detergi poterant, (ut ab Hispano Ægyptio acceperat,) & distulerit usque ad extremum vitæ, dum Nicomediæ versaretur. Sic *Baron. tomo 3. ad annum 334.*

Prob. II. Augendo probabilitatem huius opinionis; quod Niceno Concilio interfuerit Constantinus: in quo cum scripto oblatæ essent accusationes adversus Episcopos; libellos quidem accusationum accepit: Sed dixit convocatis Episcopis: *Vos Dii estis a vero Deo constituti, ite, & inter vos causas discutite*, refertur *in c. Sacerdotibus 11. q. 1.* Prosequitur idem Canon. *Quid ergo mirum si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare?* ergo iam erat baptizatus.

Probatur III. id confirmando ex *c. futuram 12. q. 1. E quibus*, ait Textus, *Vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus licentiam dedit per universum Orbem sub suo degentes imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare Ecclesias.*

Denique præfatus Princeps in Deũ donaria immensa contulit, & fabricam Templi primæ Sedis B. Petri Principis Apostolorum instituit. Hæc omnia sunt in adducto Canone; ergo quis neget jam Constantinum inter Christianos relatum Sacramento Baptismi? Si jam *fidem veritatis patenter erat adeptus*, ut ait ille canon.

Prob. IV. Ad hominem adversus eos, qui baptizatum volunt Constantinum in mortis articulo. Quemnam, dicunt Adversarii, Constantinum baptizasse? Interroga Theodoretum *lib. 1. c. 32.* dicet baptizatum in suburbiis Nicomediæ ab Episcopo loci Eusebio. Porro cum eundem Eusebium Nicomediensem constet Arianorum fuisse antesignanum acerrimum adeó, ut, sicuti ab Ario Ariani, ita ab Eusebio Eusebiani dicti sint. Quis erit, qui in illud absurdum delabi velit, & asserere Constantinum Arianum, Constantinum ab Ecclesia Catholica alienum? Quem Sanctum Orientalis Ecclesia predicavit in suis Minologiis; quem omnis Orbis Christianus, ut pium tantis decretis; quæ in Codice reperiuntur expertus est; cujus nomen ex Diptycis Ecclesiæ recitari solebat, ut notat *Baron. anno 334. Tomo 3. Annal.*

Prob. V. Causa differendi ad hoc usque tempus sacrum regenerationis lavacrum, adscribitur ab Adversariis cupiditati, qua ardebat Constantinus recipiendi Baptismum in *flumine Jordanis*. Bene se res habet. Velim tamen mihi dicant; ut quid igitur, non eum suscipere curavit, cum anno ante obitum, ut ipsemet testatur Eusebius, Hierosolymam ex omnibus Orientis partibus, illius jussu, ad Templi dedicationem Episcopi convenere; cum, & tricennalia instarent Imperii, digna, ut hujuscemodi solemniis præcipue illustrarentur: & profectio in Persas immineret: qua maximè dubia erant certamina ext imescenda?

Probatur VI. Urgendo propositum. Si enim ad mortem expectavit bapizari; cur idem Eusebius VI. *de vita* 25. 57. asserit Constantinum sacris interfuisse Mysteriis: atque ipsis Paschæ diebus sanctorum ritus cum reliquis Fidelibus obire consuevisse. Cum tamen vigeret tum maximè consuetudo, ex disciplina Ecclesiastica, qua omnes Catechumeni, audito verbo Dei, voce Diaconi expellerentur. Mendoza latè *ad can. 37. in Concil. Illiberit.*

Addo ad robur argumenti; quod Theodosius ob delictum non tam atrox fuit ab Ecclesia Mediolanensi exclusus. Textus expressus in *can. cum apud 11. q. 3.* cur igitur admittendus erat præter consuetudinem Catechumenorum inter Christianos, dum sacrum celebraretur Constantinus?

Probatur VII. Secum ipse pugnaret Eusebius si Constantinum in extremo vitæ baptizatum vellet, idem namque 3. *de vita* 3. asserit Constantinum ante palatii vestibulum tabulam suspendisse; in qua ipsius imago erat depicta cum Cruce super caput sita, & sub pedibus dracone, medio ventre Cruce transfixo: quo (ut ait Eusebius) significarat Demonem conculcatum suis pedibus jacere. Quomodo hæc convenirent Constantino adhuc Catechumeno?

Probatur VIII. Huc conferunt testimonia recentiorum Græcorum *Cedreni, Glycæ, Nicephoris*, & acta Liberii apud quæ exstat aperta mentio de Constantini Baptismo Romæ suscepto.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

Non obstat, Eusebium, qui rem quamcumque tanti Principis memoriæ prodidit, factum tam insigne suscipiendi Romæ Baptismum, conticuisse. Quod argumentum tanti fit ab adversariis, ut nunquam labefactari posse putent.

Nam mens Eusebii erat suadere parem vim Baptismi Arianorum, & Baptismi Romę traditi, At cum volunt in fine vitæ baptizatum Constantinum in Suburbijs Nicomediæ; satis designant accepisse Baptismum ab Ariano. Ex quo absurdum pullulat prorsus improbabile; Nam hoc pacto Constantinus, impius ab hac vita migraverit; & ab Ecclesia penitus abalienatus.

Neque obstat D. Hieronymum, in Chronicis, in extrema ægritudine baptizatum hunc Imperatorem, posuisse.

Nam licet suspicari locum illum apocryphũ. Idem S. Doctor in *lib. adversus Vigilant.* ita loquitur: *Ergo Sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim?* Hęc sunt verba Hieronymi. Cętera videnda sunt apud *Arn. Pontanum in Not. ad Hieron. Chron.* Nunc ad alia progrediar.

(x) In Pascha

De tempore Baptisma conferendi

Tempora Baptismo, citra necessitatis casum,
44 præfinita, erant in sabbathis, Pascha, & Pentecostem pręcedentibus: ut statuit Syricius Papa *Epist. ad Himer. Tarracon. Episc. cap. 2.* & Leo similiter adhæsit Syricio *in c. duo tempora de consecr. dist.* 4 Ratio autem, cur præsertim reservata fuerint hæc tempora ad Baptismum, diffusissimè exponitur *in c. propriè de cons. dist.* 4.

Sed apud investigatores antiquitatis, non levis hæsitatio est, an etiam Epiphaniæ festivitas ad Baptismum esset decreta; et oritur ex *can. si quis ibid.* verum placet opinio Cabassutii *Notit. Eccl. secul. 2. pag. 28.* juxta quam ille Canon similesque, ad localem quamdam consuetudinem pertinere credantur. Nunc tamen ex decreto *Tridentini Sess. 5 in decreto de peccato Origin. c. 4.* Baptismus dari potest parvulis statim ac nati sunt: quod etiam asserebatur in *can. baptizari de cons. dist. 5.* unde cæpit talis antiqui Iuris reformatio, Lauria *Epith. Can. verbo Baptismus.* Extat tamen Concilium Triburtiense c. 12 quo decernitur ut extra casum necessitatis 8. die pueri baptizentur: quod Concilium provinciale est; neque omnes obligat.

(y) Benedictio

De aqua fontis baptismalis

Et planè baptisterii aqua tempore Paschæ, & Pentecostes in sabbato debet benedici solemniter
Concil. Colon. 3. tit. Censura c. 14. Laur. verbo Baptisterium Tertullianus cap. 19. de Baptismo Sed
valde obloquitur Textus a paucis notatus in *can.* 45
deinde de cons. dist. 4. ubi eo ipso, quo Catechumenus ad fontem preducitur, solemnitatem benedictionis peragendam docetur.

Sed pro responsione observandum puto, quod in Ecclesię primordiis, Baptismus quolibet die celebrabatur (ut nunc etiam) D. Ambrosius in Epist. ad Ephes. c. 10 Etenim *post quam omnibus locis Ecclesiæ sunt constituta, & officia ordinata aliter composita res est, quam, caperat. Primum enim omnes baptizabant quibuscumque diebus vel temporibus fuisset occasio* Cum vero ante ipsos dies, quibus Baptisma administrabatur Pentecostes, & Paschæ in pervigilio fontes benedicerentur; satis verisimile est hunc Canonem accipi de aliqua loci consuetudine, in qua adhuc quotidiè baptizandi, mos retineretur, & similiter vigeret consuetudo frequenter fontem consecrandi. De quo fonte Baptismali illud docet *Laur. ubi supra* quod in
loco ubi Baptisterium tenetur, non possunt sepeliri mortui *ex decreto Concilii Altissiodor. cap.* 14. 46

[z] Per

De ritu veteri trinæ immersionis

Ritus baptizandi antiquissimus, & communis erat, per trinam immersionem: quam indicat *Apost. ad Rom. 6. Consepulti enim sumus cum Christo per Baptismum in mortem.* Immersio ergo in aquam, mysterium exprimebat Dominicę mortis, sepulturæ, & resurrectionis conformitatem. De hac trina immersione in lympham sacram, est Textus *in c. in Synodo de consecr. dist. 4. in c. postquam nos, in c. multi, in c. propter vitandam ibid.* Textus *in c. 1. extra de Bapt.* unde Athanasius docet modum hujus immersionis q. 14 his verbis: *Quod infantem ter in aquam immergimus, ter educimus, triduanam Christi resurrectionem significat*; & clarius ritum edocet immersionis Gregorius Magnus in *lib. Sacr. de Baptism. infantium*, his verbis: *Deinde baptizat eum Sacerdos sub trina mersione tantum sanctam Trinitatem invocans, ita dicendo: Ego te baptizo in nomine Pa-
tris, & mergat iterum & Filii, & Spiritus sancti, &* 47
mergat tertiò. Immò si quis semel mersisset ex Presbiteris, deponebatur *c. si quis 79. de cons. dist.* 4 Quod si cupimus, avemusque notitiam temporis, quo exolevit iste ritus; sciendum quod Arianorum grassante improbitate, multique propterea ad tres Naturas indicandas abuterentur hoc ritu, Gregorio magno visum est decernere, atque jubere, ut sub una mersione presertim in Hispania celebraretur *c. de trina de cons. dist. 4. c. propter ibid.* Cum vero Catechumeni ad hanc mersionem nudandi essent, & ungendi in vertice, in pectore, atque inter humeros, a Presbytero: unctionem prosequentibus per totum corpus cæteris ministris, ritus immersionis non

nihil

nihil habebat pudoris, & incommodi. Quare ad masculos denudandos non nisi Diaconi adhibebantur; ad fœminas Diaconissæ. Idcirco ubique talis ritus exolevit, docet Cabassut. Not. Eccl. sæc. 2. dissert. 4. n. 6. & 7. cum præsertim constans sit Canonistarum, & Theologorum sententia ad substantiam, & validitatem sacramenti sufficere quamlibet ablutionem aqua factam, sive per aspersionem, sive per immersionem Gonz. in c. 1. de Bapt. n. 3.

Atque hac occasione ex historiarum monumentis quaedam eruere placet, & explicare. Mos erat in Hispania, & in Gallis in Dominica Palmarum caput Catechumenorum abluere, unde talem festivitatem vocabant Capitilavium Isidor. lib. 6. Etymolog. c. 3. qui ait: vulgus autem ideo diem hunc capitilavium vocat, quia moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt, ne observatione Quadragesimæ sordidata ad unctionem accederent. De Gallis testatur Alcuynus l. de Eccl. Off. Hic nondum finis. Mos quoque fuit in Italia etiam pedes baptizandorum aqua tergere: idque ea ratione; quoniam ut Judæi pedes hospitibus lavabant honoris, atque officii causa Genes. cap. 18. ita, & venientes ad Fidem recipiendi erant, ut hospites honorifice. Sed uterque mos, quem prohibuit Concil. Illib. can 48. non spectat ad immersionem; de qua nuper sermo a nobis factus est.

(aa) Lac

De confessione, lacte, melle, Eucharistia in Baptismo.

Ut recto ordine ad notitiam hujus antiquitatis
48 perveniamus, sciendum, quod olim præmittebatur adultorum ad aures Sacerdotis confessio, quæ Græcis exhomologesis dicitur. Hujus rei testis est Tertullianus in l. b. de Bapt. c. ult. ait enim: ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare, oportet, & cum confessione omnium retro delictorum. Atque hoc loco Tertulliani (ut hoc obiter dicam) expresse hæreticorum cavillationes in confessionem auricularem profligantur: quinquam, & sint aliæ expressæ auctoritates. Prosequitur namque Tertullianus: nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras: aliam auctoritatem adducit Cabassut. videndus sæculo 2. dissert. 4. Post hæc celebrabatur Baptismi Sacramentum, & duo alia, ut plurimum Sacramenta jungebantur Eucharistia S. & Confirmatio. Alcuyn. lib. de Divin. Offic. cap. de Sabbato Sancto Paschæ; qui monet, ne lactentur infantes antequam communicaverint. Atque hic mos confirmatur ex Carminibus Paulini, ita finem Baptismi describentis.

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu,
Circumdatque rudes festis altaribus agnos
49 *Puta salutiferis imbuit ore cibis.*

Quod si quærimus, quandonam hic ritus cessaverit est quæstionem Cabassutius non attingat; tamen, ad perfectam Juris Canonici scientiam, id non est ignorandum. Invenio igitur sententiam Iacobi Pamelii in Notis ad Tertull. lib. de Bapt. in præf. sub n. 1. vers. Tertulliani sic corpore, asserentis, haud dubie sublatum fuisse morem illum, quando cessaverunt tempora illa præfinita ad solemnem Baptismum; atque ob periculum irreverentiæ. Satis enim ex Epistola S. Ioannis Chrysostomi ad Innocentium Papam innotescit, quale nam facinus intra Baptisterium acciderit; quando eruptione militum, Christi Sanguis præparatus ad Neophytorum communionem effusus est. De confessione autem, dico, quod hæc ex consilio est: quia absolutionis Catechumenus incapax est: debet tamen saltem habere attritionem Tonell. in manuduct. §. 74.

De lacte, & melle Eucharistiam subsequente late testatur Tertullianus cap. 3. lib. de Corona militis, & Rhenanus ex D. Hieronymo adversus Crucifixianos idem ostendit, lucemque affert Cæremoniis, & canticis, quibus adhuc in Paschalibus feriis utimur; veluti ad introitum feriæ 2: introduxit vos Dominus in terram fluentem lac, & mel. 50

Ultra hæc, mos erat quibusdam in locis, in concham nummos projici a catechumenis; quod cum natum esset ex religione, & pietate Christiana, in præceptum, & necessitatem nonnulli Sacerdotes avarè nimis converterant; adeo, ut si pecuniis carerent miseri, & pauperes; pignus ab illis exigerent. Ideo id prohibitum in can. emendari 1. q. 1. Qui Textus per hanc historiam illustratur relatam a Mendoza in Concil. Illiberit. c. 48. Eoque magis credo adductos fuisse Patres ad id prohibendum; quia id poterat aliquid priscæ superstitionis redolere. Namque apud Gentiles, qui se alicui Numini devovebant munus aliquod ei offerre adstringebantur, ut de Veneri initiatis Clemens Alexandrinus refert in Protreptico, & ideo in Concilio Bracarensi ad summum permittitur donaria a Parentibus spontè oblata suscipi c. placuit 1. q. 1.

(bb) Catechumenorum 51

De Catechumenorum stationibus.

Variæ fuerunt Catechumenorum stationes, ut ostendit Lupus ad Canon. 14. Concilii Nicæni ait enim, quinque fuisse Catechumenorum classes; aut enim erant Christiani; aut audientes; aut initiati; aut competentes; aut electi. Hinc Eusebius Cæsariensis l. 5. c. 10. ait Pantænum Philosophum Alexandriæ præfuisse institutioni Catechumenorum. Christiani igitur vocabantur, qui nomen Parocho dederant. Audientes qui ad concionem admittebantur: de quibus Tertullian. lib. de præscriptione c. 41. Initiati qui Crucis signo notabantur in fronte. Competentes, qui Baptismum efflagitabant a Clero humi prostrati. Electi, qui per scrutinium eligebantur. Scrutinia ante Baptismum sex fiebant Quadragesimæ tempore a feria 4. Dominicæ 3. & in Sabbato sancto, nomina baptizandorum recitabantur, quorum, masculi stabant ad dexteram; feminæ ad

fini-

finiſtram, fuſe de his ſtationibus Pamelius ad librum Terrulliani de Baptiſmo.

Quod verò attinet ad noſtra tempora: Mane, & veſpere Cathecumeni ſunt inſtruendi; Eccleſiā frequenter adire debent; in qua tamen ſeorſim ab aliis fidelibus orare debent, & Miſsæ tantum Cathecumenorū adeſſe *Tonell. in manud.* §. 33. *in proemio*. Tempus autem Cathechiſmi licet 40. diebus pręſcribitur: experientia tamen compertum eſt diuturniorem Cathechiſmum valde utilem eſſe. Qua in re docilitas minor, majorue quid expediat ſuggeret *Tonell. in proem.* §. 33. nam in *c. ante viginti de conſ. diſt.* 4. viginti dies pręfiniuntur. Contra vero in c. Judęi de conſecr. diſt. 4. octo menſes, quæ diverſitas pendet ex circumſtantia habilitatis, ac pietatis, atque ita unus textus cum alio conciliari recte poteſt.

(cc) *Hęreſes vitandę.*


Pueros igitur non egere Baptiſmo docuit Pelagius; narrat Arſdechin in ſua Theologia tripartita tom 1. in notitia dogmatum verbo *B.* Quod vero Lutherus doceat ſolum peccatum
53 originale per Baptiſmum deleri idem Arſdechin refert, & in eumdem Lutherum inſurgit Trident. ſeſſ. 5. Mortuos verò eſſe baptizandos ſenſere Marcioniſtæ, quos deteſtatur Carthaginenſe Conc. 3. Atque hac occaſione nobis oblata, narrabo fuiſſe primis prædicationis Evangelicæ temporibus quoſdam tanti fervoris, ut pro defunctis ante Baptiſmi, ſuſceptionem baptizarentur quorum meminit D. *Paul. ad Chor. cap.* 15. *quid facient ii, qui baptizantur pro mortuis*? qui pius uſus ex ignorantia acceptus poſtea in errorem hujuſmodi hæreticorum degeneravit; narrat enim D. Chyſoſt. in Epiſt. 1. ad Chorint. c. 15. hom. 40. *Poſt quam Cathecumenus quiſpiam apud eos exceſſerit ſub lecto mortui abſconſo aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant velit ne Baptiſmum accipere, deinde qui ſub lecto eſt reſpondet.*

Ad flagellantes, quod attinet: hi circa annum 1300. Sanguine ſuo ſe baptizabant: Prateol. verbo *Jacobitæ*: hi damnati fuerunt a Concilio Viennenſi ſub Clem. V. errores flagellantium proſcribente anno 1311. Arſdechin ubi ſupra.

De Eunomianis, quod depravarent Baptiſmi formam narrat Socrates lib. 5. cap. 23. & Lutherus affirmat ſufficere Baptiſmum in Dei nomine, in lib. de captivitate Babilonis.

Tandem Meſſaliani, qui orantes dicebantur, & Sacrificantes aſſerebant nullam utilitatem ex aquis Baptiſmi profluere, & ſolam ſtudioſam orationem fugare Demonem, narrat Petrus Gregor. *in Syntagmate de Baptiſmo lib. 2. cap. 4.*

DE SACRAMENTO
CHRISMATIS.
TITULUS IV.



E Lavacro regenerationis, undiſque Baptiſmi renati deinceps in fronte debent ſacro Chriſmate ſignari, ut qui in novam vitam ſunt geniti, ſacræ unctionis pabulo quaſi nutriantur, & adoleſcant, & perfectum animi robur (*a*) aſſumant. Voluit enim (*b*) auctor Gratiæ Chriſtus hanc myſticam unctionem, quæ manus impoſitione Epiſcopi peragitur additis ſolemnibus verbis, eſſe [*c*) Sacramentum: Atque id SS. Patrum, Pontificum, et Conciliorum perpetuo docuit conſentiens auctoritas. Anathema ſit ſi quis dixerit Confirmationem Baptizatorum olim nihil aliud fuiſſe, quam Cathecheſim (*d*) quamdam, qua adoleſcentiæ proximi ſidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, quo decreto protervas hæreticorum voces, nefarioſque conatus comprimit Sancta Tridentina Syno-

dus seff. 7. can. 1. *de Sacramento Confirmationis*.

Et vero non est quidem Confirmatio ad salutis (*e*) necessitatem instituta; sed neque otiosa (*f*) Cæremonia est, quippe hos parit effectus; nam [*g*] Septiformis Spiritus Sanctus hoc Sacramento accipitur, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilii, & fortitudinis; Spiritus Scientię, & Pietatis, & Timoris. Habet præterea hanc vim Confirmatio, ut Caracterem (*h*) imprimat, quo fit, ut nulla unquam ratione iterari [*i*) possit; ac si quis fuerit per errorem oleo delinitus loco Chrismatis, supplendum (*l*] quidem errori, Chrisma adhibendum est; sed non iteratur Sacramentum, quia sola unctio Chrismatis Sacramentum est. Etsi vero iterans hoc Sacramentum irregularis (*m*] non sit, quia pæna hæc nulla Canonum expressa dispositione sancitur; attamen Tarraconense (*n*) Concilium bis, ter, vel amplius confirmatos, Ecclesiæ servitiis addici jubet veste Clericali, vel habitu religioso; Ac si ulterius vim tanti Sacramenti libet indagare: ex Confirmatione oritur affinitas (*o*) dirimens Matrimonium: Ex Confitmatione ad Tonsuram recte recipiendam (*p*) quilibet habilis efficitur, & idoneus ad Patrini [*q*) officium pro aliis confirmandis exercendum. Verumtamen ita demum effectus tam multi producuntur si debita materia, debita forma, aptoque Ministro Sacra unctio perficiatur.

Nunc age, quænam igitur Confirmationis materia conveniens? In (*r*) die Cænæ quotannis Episcopus solemni Consecratione ex oleo, & Balsamo unguentum conficit, Oleum Cathecumenorum [*ſ*) benedicit, & Oleum quoque Infirmorum ad usum unctionis extremæ. Jam verò etsi Chrismate [*t*] Fons Baptismalis ungatur, & Calix, & Patena, etsi consecretur Ecclesia, & Altare; &si ungantur Episcopi in capite, & manibus; potissimè tamen Sanctum Chrisma materia est [*u*] Confirmationis, cumque pollice Chrismate delibuto frontem signat, manumque imponit Episcopus, proxima hæc materia dicitur, quare, & Chrismatio [*x*] manus impositio vocatur longe differens a manus impositione illa, [*y*) qua hæretici reconciliantur, & ab illa, qua (*ʒ*) Diaconissæ benedicebantur, & ab (*aa*] illa, quæ super ænergumenos adhibetur. Quod Dallæus, [*bb*) aliique vacantes lumine Catholicæ veritatis non observantes, libros suos infinitis erroribus referserunt. Et olim quidem distinctæ erant actiones manus impositio, & Chrismatis inunctio; sed post octavum [*cc*) sæculum in unam, eamdemque actionem coaluerunt.

Constat quę sit materia conveniens; qua (*dd*) verò forma Sacramentum confirmationis absolvatur clarè dilucet ex Florentina Synodo. Signo te Signo Crucis, confirmo te Chismate Salutis in nomine Patris, & Flii, & Spiritus Sancti. Hæc vera forma est: nam quod Græci alia verba ad Sacram unctionem adhibeant, scilicet [*ee*) *signaculum doni Spiritus*

tus Sancti, non hęc proferunt ad formam, sed potius ad excitandam Confirmandorum pietatem.

Reliquum est, ut ad Ministrum idoneum, ritusque servandos in administratione hujus Sacramenti sermo convertatur. Nemo (*ff*) autem nisi Episcopus hujus Sacramenti conficiendi ordinariam habet potestatem. (*gg*) Calumnia IV. Photii fuit in Romanam Ecclesiam, quod Presbyteris Baptizatorum frontes linire Chrismate prohibemus. Ubinam auctoritas vel Sacræ paginæ, vel SS. Patrum, vel Conciliorum, vel Pontificum, quæ promiscuè Episcopum, & Presbyterum ordinarios ministros statuat? Ad summum Presbyter potest (*hh*) Chrismate linire Baptizatos in vertice capitis ex Sylvestri Pontificis permissu, non tamen in fronte, & hic Baptismi (*ii*] quidam ritus est, non tamen Sacramentum. Sacramentum Confirmationis unico casu Presbyter validè, & legitimè administrabit, si ipsi [*ll*) facultas a Pontifice delegetur ut (*mm*) olim quibusdam fuisse concessum, notum est, ab Hadriano VI. Innocentio IV. Gregorio Magno, Joanne XXII. Leone X. Gregorio XIII.

Postremò quod spectat ad ritus, & observationes, quibus Ecclesia Sancta utitur in hoc Sacramento: Frons (*nn*] signanda, ut baptizatus eum abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat; Manu leviter ab Episcopo maxilla cæditur, tum verò Pax datur in signum acceptæ Gratiæ.

Adest [*oo*) Patrinus, qui infantes brachio dextero sustinet, adultos pede dextero; ad quod officium unus, vel una tantum accedit. Locus denique observatur, & tempus. [*pp*] Locus interdictus non impedit Episcopum signare fideles. Impedit tamen locus in aliena (*qq*] diecęsi positus. Tempus vero quondam erat ipse dies Baptismi, nam statim ab Episcopo [*rr*] post Baptismum frontes signabantur. Hodie tamen etsì hęc observatio fortè vigeat in quibusdam Gręciæ Regionibus, tamen jam differtur hoc Sacramentum usque [*ss*) ad septennium. Quin etiàm honestati congruum, esset mane conferri, ut omnes [*tt*] essent jejuni, & confirmans, & Confirmatus; Sed neque pręceptum hoc est, neque necessitas, & ideò post (*uu*) horas etiam promeridianas rectè confertur.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentum confirmationis gratiam confert.*
2 *Quomodo Chrismatis Sacramentum ab Apostolis vocaretur.*
3 *Confirmatio non est ab Ecclesia instituta ut quidam male senserunt sed a Christo Redemptore.*
4 *Confirmatio quando nam a Christo instituta.*
5 *Confirmatio non est Cathechesis sed Sacramentum; latè probatur.*
6 *Armeni nostris etiam Temporibus Sacramentum confirmationis admittunt, Suriani similiter, & Ægiptii, & Græci hujus Temporis.*
7 *Sacramentum hoc differt a Cathechistica Institutione puerorum.*
8 *Quid Cathechesim esse credant haeretici.*
9 *Confirmatio ad salutis necessitatem instituta non est.*

 10 *An*

EXPLICATIONES.

(a) *Perfectum animi robur assumant.*

1 PErfectum animi robur assumunt confirmati, qui re in eis omnes de Consecr. dist. 5. Urbanus Papa ita loquitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Et Melchiades Papa in c. *Spiritus Sanctus de consecr. dist. 5. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Et Rabaamus de Inst. Cleric. in c. novissimè de consecr. dist. 5. *In secunda* (hoc est Confirmatione) *ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis Gratia*

Gratia cum omni plenitudine Sanctitatis, & scientia, & Virtutis venire in homine declaretur. Quare Dyonisius D. Pauli discipulus c. 4. de Ecclesia scribit Sacramentum, hoc appellatum fuisse ab Apostolis *teleton*, idest perfectionem. Et apud Belgas vocatur *Vroomspsel* idest
2 *Robur* quod Baptizatum præmuniat ad ea strenue adimplenda, quę in Baptismo promisit. Ab aliis vocatur quoque *Sacramentum Militantium*, nam adhibita Confirmatione post Baptismum fit Christianus undequaque munitus tamquam duplici thorace adversus maligni hostis insidias, ut loquitur Cuccus in Instit. Canon. hoc tit. ex d. c. Spiritus Sanctus.

(*b*) *Voluit enim Christus auctor Gratiæ &c.*

Certè nonnisi Christus instituit Sacramentum Confirmationis, & alia cętera Sacramenta. *Si quis dixerit sacramenta novæ Legis non fuisse a Christo Domino nostro instituta anathema sit*, ait Trident sess. 7. de Sacram. can. 1. Quamquam Ecclesia hanc habuit perpetuo potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire ju-
3 dicasset Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. attamen instituere Sacramenta ad solum Redemptorem spectabat. Quid ais ergo, Laudane, Rectores Ecclesiarum Sacramentum Confirmationis instituisse ex familiati consilio spiritus sancti? (ut narrat Gaeta in c. ad limrna 30. q. 1. n. 26.) Quid ais, Halensis, fuisse hoc Sacramentum institutum in Concilio Meldensi, ut videris velle p. 4. q. 24. memb. 1. supputa annos, quibus habitum est Meldense Concilium, Sergio Papa II., & Carolo Calvo regnante, Imperium verò tenente Lotharingo Ludovici I. filio dum Normanni, populationibus, direptionibus, incendiis, & Sacrilegiis per Gallicanas Provincias effusi grassabantur Meldem, quæ est oppidum haud procul Lutetia Parisiensi Archiepiscopo subditum, convenere tres eum suffraganeis Metropolitæ anno Salutis 845. Jam vero ipse Clemens Romanus Discipulus D. Petri, & quartus ab eo Pontifex, qui floruit anno 91. lib. 3. Constit c. 16. ita scribit: *Episcopus Baptizatos Chrismate ungat*: idemque Epist. 4. sub finem ita docet: *Per Episcopi consignationem nos septiformem Spiritus Sancti Gratiam accipere*: ergo Clemens anno 91. testatur luculentissimè suis etiam temporibus Sacramentum Confirmationis administrari solitum. Quorsum igitur a Meldense Concilio repetere Confirmationis initia? Nec vereor plura alia SS. Patrum testimonia veritatem Catholicam confirmantia adesse. Sed jam Bellarminus, & P. Natalis diss. 10. adversus Dallæum cumulatissimè satisfecere repugnantibus.

Quando autem Christus Redemptor hoc Sacramentum instituerit, etsi quærant anxiè, & sollicitè Magistri Canonum, jam tamen majorem plausum retulerunt, qui in hac persuasione sunt, ut in ultima Cæna, quando jam egresso Proditore nequissimo mansuetissimus Dei filius ad Apostolos Concionem habuit, in qua mis- 4
sursum se spiritum sanctum spopondit Joan. 14. 15. 16. & 17. Tunc quoad substantiam saltem instituerit hoc Sacramentum, docueritque Chrisma conficere, ejusque usum prçcipuum; unde Fabianus Papa in celebri Epist. 2. ad Orientales c. 1. ita scripsit. *In illa die Dominus Jesus post quam cænavit eum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut a SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit*.

Non tamen ita perfectè eo tempore hoc Sacramentum instituit, quia nemini illud conferendi potestatem impertivit. Sed hanc est elargitus Apostolis post resurrectionem, eum Joann. 20. dedit ejs plenam, completamque ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis potestatem. Et sine potestate hac legitima Gratiæ efficax non est Sanctum Chrisma. Koninch. quest. 72. de Confirm. art. 1. dub. 2.

(*c*] *Esse Sacramentum*.

DISSERTATIO I.

Est Sacramentum Confirmatio. Quis audeat quis possit notionem clarissimę veritatis dissimulare? nisi sit ex his ad argutam malitiam eruditis, qui (ut habet Lactant. lib. 1. de fals. relig.) *pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis Re-* 5
ligionibus quas pravè asserunt benemeriti, quam de se male, qui eum habeant iter rectum devios sequuntur anfractus, lucem relinquunt, ut in tenebris, cæci, ac debiles jaceant. Male sit improbo Calvino. Male sit improbo Luthero. Illi VViclefi, & Novatianorum extinctos errores, aut sub nube oblivionis latentes, excitarunt, renovaruntque, Lutherus in lib de captiu. Babilon. Calvin. in Antidot. Concil. sess. 8. can. 2. Confirmationem negant esse Sacramentum. Novatiani antem Baptizatos Chrismate non ungebant ea certe ex causa, quod eorum Antesignanus a Cornelio Papa notarus esset, quod in lecto baptizatus, nec dum Chrismatis signaculum ab Episcopo accepisset, & tamen voluerit fieri Episcopus.

Dolendum verò, quod tam multi sequuti pessimos Magistros in iisdem errorum fluctibus miserè adhuc volutentur. His consulendum est, ut velint tandem se a mendaciis liberare, & consulit P. Natalis, aliique plures magna existimatione viri. Quæ sunt igitur meæ partes? Quasdam selectiores auctoritates pondere gravissimas numero tamen paucas hic apponere, ad solam instructionem dantium operam Juri Canonico,

nonico, ut probetur Confirmationem esse Sacramentum; non quod res in ambiguo sit, cum doceamur a Trident. sess. 7. can. 1. de Sacram. Confirm. & a can. multi 1. q. 1. Sed ad majorem evidentiam, & eruditionem aliquam.

Primo in Actibus Apostol. cap. 8. id narratur quod: *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur spiritus sanctus obtulit eis pecuniam dicens: date, & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum*. Quare D. Hieronymus in dialog. adversus Luciferianos ita scribit: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, & ita invocetur spiritus sanctus. Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostol. Etiamsi scriptura auctoritas non subesset, totus orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret*.

Secundò. Cornelius Papa, qui floruit anno 251. apud Eusebium lib. 6. Hist. c. 44. de Novatiano sic loquitur, de Sacramento Confirmationis. *Dum jam jamque moriturus crederetur in ipso, in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit: si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendum est, sed neque postquam liberatus est morbò reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimo percepto quo tandem modo spiritum sanctum potuit accipere?*

Tertio. Tertullianus de resurr. carnis c. 8. ita scribit: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur*. Quomodo sperent hujus auctoritatis vim evitare sectarii? aut qua possunt cavillatione illi detrahere? An quia Tertullianus loquatur de viribus Sacramenti Baptismi, quoniam statim prisco ævo baptizati Chrismate ungebantur? At diversi sunt isti effectus Sortiri Gratiam per undas regenerationis, & confirmari animam per unctionem, & cum caro signatur animam præmuniri, & cum manus imponitur, animam spiritu illuminari.

Quartò. In Concilio Illiberino c. 38. scriptum est. *Peregrè navigantes aut si Ecclesia in proximo non fuerit posse fidelem, (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate ita ut si superuixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit*. Hoc Concilium vetustissimum est, habitumque Eliberi urbe maxima in Hyspania jussu, mandatoque Melantii Toletani Pontificis, & Hyspaniarum Episcopi primæ sedis anno 300. vigente adhuc persecutione: uidelicet ante Constantinum sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano. Jam verò si perfectus est Baptismus a laicis collatus quid possunt aliud significare Patres, dum asserunt per manus impositionem Episcopi perfici baptizatum, nisi vires, & effectus Sacramenti Confirmationis?

Quintò D. etiam Cyprianus in Epist. 73. ad Jabajanū c. 3. dogmati pondus adiicit ita scribens: *Quod nuncquoque apud nos geritur ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur & per nostram orationem, ac manus impositionem spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consumentur*. Non libet hic transcribere ex Bellarmino, ex P. Natali, ex Mendoza in Concil. Illiber. loca alia planissima, & Catholicæ veritatis compertissima testimonia: sed his paucis ad notitiam aliquam prolatis, quæ ex fontibus ipsis auctorum deduxi sū contentus.

Illud vel ad exornandum, vel ad confirmandum hunc articulum adiiciam præterea, quod his temporibus Armeni a Catholica Sententia de Sacramento Confirmationis non dissident; nam Usoanius Episcopus S. Sergii in magna Armenia in responsione ad varias quęstiones sibi propositas data Lugduni Batavorum die 21. Februarii anno 1667. ita scripsit quærenti an Armeni admitterent hoc Sacramentum: *Quod hujus Sacramenti administratio ibi est infrequens, quod factum per varios motus, & tempestates, quibus Ecclesia fuit jactata*. Idem Sacramentum agnoscunt Suriani, sive Syrii, id scribit Jacobus de Vitriaco lib. 1. hist. Hierosol. cap. 74. *Parvuli eorum statim post Baptismum a simplicibus Sacerdotibus in frontibus Chrismate consignantur quod non est concessum, nisi Episcopis, qui locum in Ecclesia Dei obtinent Apostolorum*. Idem Sacramentum admittunt Ægyptii, ut constat ex professione fidei, quam literis consignatam Mathæus Alexandrinus Patriarcha agente Illustrissimo D. de Nointel Regis Galliæ regnantis feliciter ad Imperatorem Othomanum Legato, misit ad eumdem Regem Galliæ, quam refert Arnaldus Sorbonius Doctor relatus a P. Natali diss. 10. de hoc Sacramento in hist. Eccles. pag. 135. Idem Sacramentum recipiunt Græci hujus temporis ut patet ex Synodo Leucosiæ in Insula, Cypri celebrata sub Nicephoro totius Insulæ Archiepiscopo 6. Idus April. 1668. tertio enim capitulo ita scriptum est. *Si quis Sacratissimum Chrisma non unum proprie fateatur ex septem Sacramentis per traditionem Apostolorum ab ipsomet Rege institutis &c. is integritatem Ecclesiæ tollit*. Hoc Sacramentum, & venerantur, & adhibent quoque Abyssini, ut affirmat Zagizabus illius gentis Episcopus in libello, quem de Religione Abissinorum edidit, & testatur novissimè Pignattellus tom. 6. Consult. Canon. Consult. 41. n. 3. 6

(*d*] *Quam Cathechesim quamdam &c.*

Differt Confirmationis Sacramentum a Cathechistica institutione puerorum, qui fide suscepta Baptismi ad Episcopum adolescentiæ proximi ducebantur. *Lutherus in lib. de captivit. Babil.* ut exploderet hoc Sacramentum conatur per hanc Cathechesim SS. Patrum testimonia explicare. Zuinglius eamdem institit viam lib. de ver. & fals. relig. c. de aliis Sacram. Idem 7

pla-

placuit Kemnitio in 2. parte examinis pag. 320. In hoc autem posita erat juxta eorum explicationem Cathechesis.

Nam pueri in infantia baptizati cum septennium attigissent offerebantur Episcopo, qui primò admonebat puerum de Baptismo, & quid
8 accepetit, & quid promiserit. II. debebant Pueri fidei professionem recitare. III. de præcipuis Christianæ Doctrinæ articulis respondere. IV. ostendere se dissentire ab Ethnicis, hæreticis, & profanis opinionibus. V. admonebātur ad perseverantiam in suscepta fide. VI. solemni precatione Deus orabatur, ut sancto suo spiritu illos gubernaret, & confirmaret in professione fidei refert *Bellarm. lib. 2. de hoc Sacram. c. 1. Et de hac Cathechesi intelligitur* anathema sacrosancti Concilii *Trident. sess. 7. c. 1. de Sacram. Confirm.* in eos, qui hisce dolis instructi adveniunt, ut indoctorum animis caliginem quamdam offundant, inque suas perducant ineptias.

(e) *Ad salutis necessitatē instituta &c.*

Confirmatio ad salutis necessitatem instituta non est: hęc sunt verba Cathechismi §. *in quo*
9 *tit. de Sacram. Confirm.* quia sine Confirmatione salvus quis esse potest: idem Cathechismus §. *sed quoniam*, qui addit, quod quamquam necessarium non est hoc Sacramentum a nemine tamen prætermitti debet, sed potius maximè cavendum est, ne in re Sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur aliqua negligentia comittatur quare Melchiades Papa in c. spiritus sanctus de consecr. dist. 5. *Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.* Et Urbanus Papa in c. omnes de consecr. dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani fiant.* Et Melchiades Papa in c. de his ibid. *Ita coniuncta sunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem (nisi morte præveniente) nullatenus segregari, & unum sine altero rectè perfici non potest.*

Sed quæri posset an sub culpa gravi omnes
10 ad hoc Sacramentum obligentur? Quęstioni satisfaciendum est hac Conclusione. Quod

Per se loquendo hoc sacramentum non recipere culpa gravis non est. Ita Koninch. de Sacram. art. 8. dub. 7. n. 87.

Ratio est, quia Ecclesia non cogit omnes ad hoc Sacramentum, ut in *c. omnis utriusque sexus de panit. & remiss. semel in anno ad Eucharistiam & Pænitentiam* ut omittam, quod si hæc obligatio vigeret continuo transituris omnino esset
11 adhibendum Chrisma, cum tamen Melchiades Papa suo decreto aliter statuere videatur *in d. c. Spiritus Sanctus*. Nec vero in hac Conclusione verba illa *per se*, temere, & inconsulto apposita judices: quippe eventu aliquo, & opportunitate, & circumstantia, omissio Confirmationis, culpę, & criminis expers non remanebit. Ecce, sit aliquis, qui in eam mentis proterviam dilabatur, ut tantum Sacramentum rem 12
puerilem, rem exigui momenti pensitet et rem de qua laborare non valde sit opus, sic per ludibrium omittens Confirmationem certe peccabit: *ita concilium Constantiense sess. ult. in Consti. Martini V. circa medium*. Sit alter qui inter hæreticos versetur, & sollicitetur ad defectionem, vel terrore minarum, vel illecebris premiorum, cum videt hic, & cognoscit sibi periculum imminere deficiendi a fide, an non utetur salutari remedio ad Constantiam, ad Perseverantiam instituto, quale est Confirmatio? Si non utetur peccabit, ita idem Koninch. q. 72. art. 8. dub. 7. nam singulare donum Dei esset ubi urgeant hæc pericula eam fidei Constantiam tueri, ut in animum mutabile quiddam non cadat, atque flexibile. Quod donum quamvis Deus paratus sit omnibus indulgere, sępe tamen minus liberaliter illud confert, cum auxilia respuuntur, ac remedia, quę Christus instituit, quęque ad manum sunt, & facile parabilia. Ex Sacramento autem Confirmationis ultra Gratiam, & Dona virtutum, auxilia quædam impetrantur necessaria ad fidem constanter profitendam, & quodammodo una cum Gratia (ut in scolis loquuntur) in actu primo Deus conferet, dando homini Jus, ratione illius Gratiæ, ut ea debeant pro loci, & temporis opportunitate in actu 2. conferri. Quę doctrina tradita *a Koninch. quæst. 62. art. 2.* Communitur Canone Tridentini sess. 6. c. 22. Etsi enim Gratiæ habituales, & dona virtutum dent nobis vitam spiritualem, ait tamen Concilium, quod *si quis dixerit sine speciali auxilio Dei justificatum in accepta justitia perseverare posse, anathema sit*. Unde, & in Baptismo præter Gratiam, & virtutes habituales, auxilia conferuntur ad puritatem vitæ, quam in Baptismo recepimus conservandam, perducentia; idemque Judicium est de singulis Sacramentis, ut quædam auxilia specialia ad singulorum Sacramentorum finem consequendum necessaria obtineamus.

(f) *Sed neque otiosa Cęremonia est.*

Hæc verba transcripta sunt, atque in hunc locum translata ex Concilio Trid. sess. 7. can. 2

[g] *Nam septiformis.*

Septiformis Spiritus Sanctus in hoc Sacramento accipitur: Ita scribitur in c. novissimè de consecr. dist. 5. *Ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis Gratiam cum plenitudine sanctitatis, & scientia, & virtutis venire in hominem declaretur*. D. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. ult. eumdem usurpat loquendi modum: *Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat quando ad invocationem sacerdotis spiritus sanctus infun-*

infunditur spiritus sapientia, & Intellectus, spiritus Consilii, atque virtutis, spiritus cognitionis, atque Pietatis, spiritus sancti timoris septem quasi virtutes. D. Clemens Epist. 4. eadem utitur Sententia: *Omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo, & septiformem spiritus sancti Gratiam accipere.*

Sed quid hoc significat, quid denotat spiritum sanctum septiformem ex manus impositio-
13 ne Confirmationis obtineri? nimirum plures gradus Gratiæ santificantis conferri, & excellenter, & cumulate: nam ut loquitur Cathechismus §. itaque: *Novam Gratiam tribuit hoc Sacramentum quod cæteris quoque Sacramentis commune est. Sed præter hoc Baptismi Gratiam perficit confirmatque animum ad confitendum, & glorificandum nomen D. nostri Jesu Christi.* Et tale quidem robur inserit in animo, ut si resistendum sit Tyrannis, si ignis, si cruciatus, si verbera perferenda, si mors subeunda, si ærumnæ, quibus abundat hæc vita, tolerandæ; intus in pectore vigor sit, & præsentia quædam animi terrorem abiiciens; instar Apostolorum, qui licet sub ipsam passionis horam adeo remissi essent, ut Domino in vincula conjecto se fugæ dederint, tamen in die Pentecostes vim hujus Sacramenti, atque efficientiam experti, cum spiritus sancti virtute repleti sunt.

Protinus ecce viri calefacti Numinis igne,
Qui modo morte Ducis prostrati cuncta timebant.
In latebris, nunc intrepidi mira ore loquuntur,
Mira sonant, varias linguis, longeque remotas
Inter se gentes imitantur munere vocis:
Uno, eodemque sono diverso more loquuti,
Continuo penetrant aulas, & limina regum
Contra stare ausi foliorum edicta superba
Bis senique hominum genus id, te Præside freti
Extincti Ducis, ac devicta a Morte reducti
Nobile per gentes omnes vexere trophæum.

Ita cecinit *Vida in hymn. de spir. sanct.*

Elegans hujus quoque Constantiæ, vi Sacramenti Confirmationis exemplum, narratur ab Aurelio Prudentio in Apotheosi contra Judæos: Julianus namque Imperator Aposthata, qui re-
14 clusis Ethnicorum templis simulacris Deorum victimas jugulabat fronde lauri revinctas, cum esset in templo ad facinus hoc perpetrandum, jamque senex cruentis manibus fibras, & viscera animalium tractaret.

--- Subito exclamat media inter Sacra Sacerdos
Pallidus, en quid ago? Majus Rex optime majus
Nescio quod numen nostris intervenit Aris,
Quam sufferre queat spumantia Cymbia lacte
Cæsareum sanguis Pecudum verbena coronæ
Avitas video longe dispergier umbras:
Territa Persephone vertit vestigia retro
Extinctis facibus tracto fugitiva flagello,
Nil agit arcanū murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides ut Thuribulis frigentibus ignis
Marceat &c. - - - Et deinde - - -
Nescio quid certe subrepsit Christicolarum
Hic juvenum genus hoc hominum tremit
Infula, & omne.
Pulvinar Di[illegible]um; lotus procul absit, & unctus,
Pulchra reformatis redeat Proserpina Sacris.
Dixit, & exanguis collabitur ac velut ipsum
Cerneret excito minitantē fulmine Christum
Ipse quoque exanimis posito Diademate Princeps
Pallet, & adstantes circumspicit: ecqnis aliūnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo?
Qui Zoroastreos turbaret fronte susurros?
Armiger e Cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei custos lateris deprehenditur unus:
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Proiicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus dejecto Antistite Christus &c.

Huc respexit Lactantius lib 4. de ver. sapient. c. 27. his verbis: *Nam cum Diis suis immolant si assistat aliquis signatam jam frontem gerens sacra nullo modo litant. Nec responsa potest consultus reddere vates: Et hæc sæpe causa præcipua Justitiam persequendi malis regibus fuit.* Et subinde: *sed quoniam neque accedere ad eos possunt, in quibus cælestem notam viderint, neque iis nocere, quos signum immortale inuriverit &c.*

(b) *Caracterem imprimit &c.*

Quod Confirmatio caracterem imprimat infertur ex D. Paulo ad chorinth. 2. *Qui unxit nos Deus qui, & signavit [sfragiamenos] & dedit signum in cordibus nostris* Quare Concilium Trident. sess. 7. c. 8. ita docet: *si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo S. Confirmatione, & Ordine non imprimi caracterem in Anima* 15
hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile unde ea iterari non possint, anathema sit. Sunt enim Caracteres signa quædam, ac veluti Tesseræ, notæque distinctionis. Caracter Baptismi signum est, & nota domesticorum Dei. Caracter Ordinis signum est, & nota Dispensatorum Mysteriorum Dei. Caracter Confirmationis signum est, & nota militum Dei. Non sim reprehendendus si quibusdam exemplis vim pandam testem Sacri nominis. Ita apud Romanos per H ordo militum hastatorum discernebatur; per P Principum; per T Triariorum, ut habet Lipsius lib. 5. de Militia. Ita hospitalis Tessera signum erat, quo ostenso amici in majorum suorum hospitia recipiebantur, de qua Plautus in Penulo.

Deum hospitalem, ac Tesseram mecum fero
Hæc mihi hospitalis Tessera cum illo fuit,
Ergo hic apud me hospitium tibi præbebit.

Quare & olim Christiani eadem hospitalitatis Tessera hospitio ab aliis fidelibus recipiebantur. quam cum hæretici per fraudem imitarentur, sæpe novis formis, & notis mutata fuit, & postremo hæc Tessera mutata est in Epistolas, quæ dictæ sunt a PP. Concilii Niceni *Literæ*

for-

formata, de quibus est Textus in c. extraneo 71. dist. in c. non oportet de consecr. dist. 5. & in c. in nomine 73. dist. ubi exemplum elegans literæ formatæ affertur; apponuntur enim in iis literis græca elementa P. T. AP. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomen inchoantia, & P. numen Petri Apostolorum Principis, & prima litera scribentis nomen, & alia, nomen ejus, cui mittitur exprimens &c. quæ videri possunt in d. can. in nomine. Sed hæc exempla ad usum explicandi proposita, & Caracteres illi notę sunt exteriores, & indicia distinctionis, quæ sub aspectum cadunt. At vero de Caractere Confirmationis ita loquitur D. Ambrosius lib. de spir. sanct. c. 2. *Et si specie signantur in corpore, veritate tamen in corde signantur, ut spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem*. Et D. Basilius in exhortat. ad Baptism. quæ est homilia 12. *Tesseram Duces sub se militantibus dant*. & infra: *Nemo te quarum, nostrarum, an adversarii partium sit, noverit nisi mysticis signis familiaritatem præferas, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini, nisi Caracterem in te agnoscat Angelus quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vendicabit? quomodo inquam dices Dei sum, signa non ostendens?* Quare Caracter est in potentiis animæ ratione Gratiarum, quas Deus recipientibus Caracterem confert, ut operentur, ut munus ad quod per caracterem destinantur possint ritè exequi. At ratione substantię Caracter est in ipsa animæ essentia, veluti in subiecto repositus Koninch. quæst. 63. artic. 4. quo respiciens D Chrysostomus homil. 2. ad Ephes. ait: Obsignati sunt, & Israelitæ, sed Circumcisione, quemadmodum pecudes obsignati sumus, & nos, sed spiritu, ut pote filii.

(i) *Ut nulla ratione iterari possint*.

16 Semel Confirmatio suscipienda a fidelibus. Docet auctoritas, & ratio. Auctoritas est in c. de homine de Consecr. dist. 5. his verbis. *De homine qui a Pontifice confirmatus fuerit denuo illi talis iteratio prohibenda est*. Ratio, quia Caracter quædam est participatio Sacerdotii Redemptoris nostri, quod æternum est Trid. sess. 13. c. 2. Ergo semel susceptus vi nulla delebitur, ita D. Thomas apud Koninch. quæst. 63. n. 17. art. 4. Alia ratio, quod Caracter Confirmationis res est spiritualis in anima immortali impressus: ergo sua natura deficere, atque interire non potest; cur ergo iterandus? Accedit quod si quis iterare vellet Sacramentum Confirmationis Sacrilegium patraret, quasi non haberet Confirmatio effectum perpetuum: violatio namque rei Sacræ Sacrilegium est c. quisquis 17. q. 3. & fieret Sacramento injuria, ait Text. in c. ostenditur de consecr. dist. 4. & c. quod quidam 1. q. 1.

(l) *Supplendum errori &c.*

Oleo, loco Chrismatis in fronte signatus, verè non recipit Sacramentū Confirmationis; ut enim 17 Baptismus sine aqua, ita nec Confirmatio sine Chrismate confertur. Quem sensum ergo habet Pontifex, qui ita scribit in c. 1. de Sacram. non iterand. *Præterea nos consulere voluisti &c. Et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus? Ad quod breviter duximus respondendum quod in talibus non aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*. Gonzalez ex Covarruvia lib. 1. variar. c. 10. n. 4. in solo oleo Confirmationem vim habuisse Caracteris imprimendi defendit *in c. Presbiter de Sacram. non iterand. n. 7.* Quoniam ea persuasione ducitur ut ex Institutione Divina, materia remota Sacramenti Confirmationis sit oleum per Episcopum consecratū, & ex præcepto Ecclesiæ cum Balsamo permixtum. Et licet quæ Sacramenta unica materia, & unica forma administrantur ut Baptismus, & Pænitentia, si quid in eis omittatur circa materiam, & formam, ex integro iterenda sint: attamen in aliis quę diversis materiis constnat, & formis, quorum una ab alia non pendeat, ut Eucharistia, quæ conficitur ex pane, & vino; Extrema unctio, quæ diversis unctionibus administratur; Ordo, qui diversis materiis, traditione videlicet vasorum, & impositione manuum; si una materies omittatur quę non dependeat ab alia, illi tantum supplendum est. Quæ Sententia ex eo quoque adstruitur, quia verba illa *non esse aliquid iterandum* significare videntur Confirmationem jam vim suam obtinuisse per solam unctionem olei sine Chrismate. Iteratur enim quod factum sequtumque non est c. solemnitates de consecr. dist. 1. Præterea quid significat supplere, nisi addere aliquid perfectionis? Textus est in c. nihil 7. q. 1. Si ergo Innocentius disertis verbis supplendum cautè monet non iterandum quidquam, cur volumus ad alium sensum verba tam expressa detorquere?

Nihilominus tutior Sententia erit si dicamus oleo simplici fronte delinita, Sacramentum Confirmationis non esse susceptum. Cur ita? Quia Fabianus Pontifex Epist. 2. ait: *Ex Divina Institutione provenire, ut oleum cum Balsamo conficiatur* c. nn. 5. per frontis extra de Sacr. unct. Et quia Eugenius IV. in decreto de Sacramentis in hæc verba docet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem bonæ Conscientiæ, & balsamo, quod odorem bonæ famæ significat per Episcopum benedicto*.

Experiamur nunc an, ut tot Interpretes malo cum auspicio t ntæ rei dissolutionem, explicationemque invenire tentarunt; Nos etiam ausis excidamus. Nunc unum quippe negotium

remanet explicandi verba illa: *Non est aliquid iterandum, sed caute supplendum*. Sensum in-
18 timum, ac mentem Pontificis hanc esse judico, nec forte decipior, Et si pedem feram in via ubi nulla aliorum Interpretum vestigia obvia sunt oculis. *Non est aliquid iterandum*, cum oleo fidelis inunctus est in fronte. Quasi dicat Pontifex, nihil præcedit, quod vim habuerit, nil præexistit. Possunt Episcopi sine metu Sacrilegii rursus manum admovere fronti baptizatæ; nam quamvis oleo per errorem frons inuncta sit, nihil adest, quod iteretur, nihil adest renovandum, repetendumque. Olei simplicis inunctio in fronte per errorem sequuta, non fuit Sacramentum Confirmationis; quid igitur metuat Episcopus rursum frontem baptizati linire? nihil ab ipso iterabitur; verumtamen suppleatur errori, & accuratæ considerationis circumspectio compenset incuriam antea commissam. Cavendum in posterum, ne ungatur frons oleo simplici, perinde enim esset, ac si Sacramentum Chrismatis sit prætermissū. Cautè ergo supplendum, quod incaute fuerat prætermissum. Interrogo. Potest ne hic esse sensus Pontificis? potest ne hæc Constitutio hunc habere intellectum? Certe potest. Cur ergo, vir erudite Gonzalez, cur studes Didace Covarruvia, persuadere solum Oleum esse Confirmationis materiam?

Nec vero nostra Interpretatio est fundamentum in aqua positum, ut loquitur Cicero; Gregorius IX. in c. *presbyter de Sacram. non iterand.* nobis præluxit. fingit in Ordinatione Presbyteri, Diaconi, manus impositionem pretermissam, ait tamen in alia Ordinatione illi supplendum. Sed quomodo? manus impositio omissa adhibenda erit; quid hinc inferre licet? Quod supplere est rursus ordinare: ergo supplere Sacramento Confirmationis invalide accepto, est rursus confirmare.

Præterea Textus, quem explicamus auctorem, conditoremque suum profitetur Innocentium, an ergo volumus Innocentium III. secum pugnare, qui in cap. unico de Sacra unctione tam expresse asserit: *Per frontis Chrismationem manus impositio sic designatur qua alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & initio lextus docet, quod conficitur Chrisma ex oleo, & balsamo*. Numquam ego mihi persuadere possum Innocentium III. sibi voluisse in c. 1. de Sacram. non iterand. Oleum Simplex ad vim Sacramenti sufficere.

(*m*] *Irregularis non fit &c.*

Irregularis non est iterans Confirmationem,
19 quia id non est expressum in Jure: Irregularitas enim est stricti Juris, neque extenditur de casu ad casum *c. is qui 18. in pr. de sent. excomm. in 6.*

(*n*) *Terraconense Concilium.*

Pœna recipientium Sacramentum Confirmationis semel, iterum, aut ultra præterea, hæc est in Concilio Terraconensi relato in c. dictum est 20
de consecr. dist. 5. *Quia bis, ter vel amplius baptizatos, aut Confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari vel Clericali religiosissimè famulari decretum est*. Verumtamen hæc pæna in usu non est nostris in regionibus, quia & juxta antiquos Canones, tunc huic severitati locus erat, cum Ecclesiæ necessitas id postulasset, ut servitio Ecclesiæ iterantes Confirmationem, manciparentur, ut ibi Gloss. observat.

(*o*] *Oritur affinitas dirimens Matrimonium.*

Concilium Tridentinum cupiens multitudinem prohibitionum, ne in casibus prohibitis matrimonia contrahantur per ignorantiam, faciliorem ad numerum redigere *in sess. 24. c. 2. §. ea quoque* ita statuit: *Ea quoque Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmationem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur*. Quare Concilium Tridentinum impedimentum Cognationis Spiritualis ad duo sola genera redegit, ad Paternitatem, & Compaternitatem. Pater Spiritualis est Episcopus Confirmans, & Patrinus Confirmationis. Isti igitur coniuncti sunt vinculo Spiritualis Cognationis cum Patre, & Matre naturali Confirmati; & hæc vocatur Compaternitas. Pater Spiritualis est Episcopus Confirmans, & Patrinus, & filius spiritualis est Patrinus Confirmatus: ergo inter hos partes, & hunc filium Cognationis Spiritualis vinculum intercedit, & est Paternitas.

Verumtamen, ut sola Paternitas, & Compaternitas servetur, novum est: nam longe aliter se res habebat de Jure veteri. Quippe ultra Paternitatem, & Compaternitatem modo exposito contingentem, secundum Canones, addebatur indirecta Cognatio spiritualis ex parte uxoris, & ex parte fratrum. Ex parte uxoris, nam quamvis solus Maritus Patrinus Confirmationis extitisset, attamen indirectè uxor quoque particeps erat ejusdem Cognationis Spiritualis, ita 21
Innoc. in c. si quis 30. q. 4. *Si quis ex uno Coniugio filium, aut filiam alterius de Sacro fonte susceperit aut ad Chrisma tenuerit, ambo, & vir, & uxor Compatres existunt Parentibus Infantibus, quia vir, & mulier caro una effecti sunt*.

Quocirca si uxor quoque contrahit cognationem hanc Spiritualem, vidua facta non poterit cum Confirmato copulari, ita Clem. III. decidit in c. Martinus extra de cogn. Spir. *Nos autem tua fraternitatis Consultationi duximus respondendum, quod cum secundum verbum Domini vir, & uxor una per Connubium caro efficiantur liquidum est Tebergam non posse Martino matrimonialiter copulari, qui Compater ejus fuerat, cum qua ipsa Taberga una caro noscitur*

Exti-

Extitisse. Ex parte fratrum quoque procedebat indirecta Cognatio Spiritualis: Finge Confirmantem, & Patrinum habuisse filios; quoniam Confirmans, & Patrinus sunt spirituales Patres Confirmati, & Confirmatus vel fictione, vel effectu Juris est filius spiritualis; Inter filios Naturales Patrum spiritualium, & filiam spiritualem indirecta exurgebat Cognatio spiritualis quasi invicem, ita Bonif. VIII. in c. nedum de cogn. spir. in 6. *Nedum inter Baptizatum, & illum, qui eum suscepit de Baptismo, ac inter eumdem Baptizatum, & suscipientis uxorem, et filios cognationem spiritualem in Baptismo contrahi jure constat*, & in §. confirmatum: *Ex Confirmatione quoque seu frontis Chrismatione spiritualis cognatio iisdem modis contrahitur*. Hoc igitur erat Jus antiquum, quod Tridentini Concilii Patres Prudenti moderatione, quo magis libertati Matrimonii prospicerent, & periculla contrahendi in gradibus prohibitis evitarentur reformarunt.

[p] *Ad Tonsuram recte recipiendam*.

Quandoquidem Clericorum Ordo sublimioris perfectionis est laicorum statu, convenit, ut nullus ad Clerum promoveatur qui non sit in fron-
22 te, Chrismate signatus: est enim Confirmatio teste Dionisio Hierarchiæ cap. 2.
iera tis teogennisias telosis,
idest, Sacra divini ortus, ac generationis perfectio. Quare jure merito solet his temporibus ante Ordines quæri, an sint Confirmati, qui accedunt ad Gradus Ecclesiasticos, ut dixi in lib. 1. tit. de his, qui sunt in Minoribus constituti. Nam si quis detegeretur Sacramento Confirmationis vacans, ante actum Ordinis ab Episcopo esset confirmandus, ut est in Pontificali Romano præscriptum: Recte ergo Tonsura tunc percipitur, cum aliquis Chrismate fuit in fronte signatus. En Concilii Tridentini verba sess. 23. cap. 4. *Prohibetur Tonsura initiari, nisi qui confirmationis Sacramentum antea susceperit*. Hic verò Canon non sumpsit exordium à solis Patribus Concilii, quippe qui viguit jam inde ab ipsis Ecclesiæ primordiis, ut probat luculenter S. Cornelii Romani Pontificis ad Fabium Antiochænum Epistola apud Euseb. lib. 6. hist. Eccles. cap. 35. asseverat namque, non recepisse Novatum in sua illa sacerdotali inauguratione Spiritum sanctum, eo quod signaculo Dominico non fuisset antea consignatus, quod ut ibi asserit fieri antea oportuerat, *cata ton tis Ecclisias canona* secundum Ecclesiæ canonem. Sit ergo hæc illatio, ex his observationibus, quod Decreto Tridentini, & vetustissimo canoni adversatur; & illicite, & cum peccato lethali Tonsuram accipit, qui sine Confirmatione accipit, ita verius arbitror ex sententia *Bonaccina de Sacram. disp. 8. quæst. un. p. 5. propos. 2. uteumque adversetur Konineb. Suarez. Navarr.*

(q) *Ad Patrini officium*.

Qui vult Confirmandos tenere, fungique susceptoris ministerio, debet esse confirmatus. Ita 23
Canones decernunt. Ita Concilium Moguntinū in c. bapismate de Consecr. dist. 4. *In Baptismate, vel in Crismate non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus*.

(r) *In die Cana quotannis*.

In die Jovis Sacræ Ebdomatis, ex instituto ab Apostolis accepto Chrisma vetus, & oleum 24
Cathecumenorum, infirmorumque igni traditur si quod remanserit in ampullis, poncturque in lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum ut comburatur. Reliquum autem, quod est in Pixidibus sive in capsulis cum bombice, igni comburitur, ita in Pontificali §. *vetus de Chrismate pag.* 180. Nam Chrisma singulis annis est renovandum, quod cum in Oriente quarumdam Regionum Episcopi non observare abnuerent, iis ita scribit Fabianus Papa in c. literis de consecr. dist. 3. *Errant verò qui talia excogitant,* 25
& mente vesana potius, quam recta sententiæ hac audent, & infra &c. Quia novum Sacramentum est per singulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista a Sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus. Idemque asseritur in c. si referente extra de celebrat. missar. quare ex Concilio Lugdunensi in c. si quis de alio de consecr. dist. 4. *Si quis de alio Chrismate, quam de illo novo, quod proprii episcopi largitione, vel concessione acceperit baptizare nisi præoccupante morte tentaverit pro temeritatis ausu ipse in sua damnationis protulisse sententiam manifestatur*.

Extra diem Cœnæ non invenitur concessum 26
Crisma conficere a Sacra Congregatione *de propaganda fide*, nisi semel Arciepiscopo Antiborensi die 2. Augusti anno salutis 1625. idque sub condition. *Si Santissimo placuerit, narrat Pignattell. tom. 6. cons.* 41. *n.* 3. Ad summum ergo dispensat Ecclesia si in aliquo loco sit penuria Sacerdotum (ut de Episcopo Ficinensi contigit 4. Februarii 1625 tempore Clementis VIII. ex Congregatione super Episcop. 7. Novembr. 1610.) ut Episcopus in die Cænæ consecret oleum cum Sacerdotibus, Diaconis, atque Subdiaconis, idem *Pignattell*. Quo circa cum non suppetit copia habendi novum Chrisma, & fragrantiam retineat vetus, nec sit valde dubia materia, si in corruptū maneat, licebit ex dispensatione Pontificis 27
adhibere etiam ad triennium Chrisma: nam & morte præoccupante Chrisma vetus adhiberi potest expresso *can. si quis de alio de Consecr. dist. 4. docet Pignattell. tom. 7. cons. 55. n. 3*.

Quoniam ergo ex consueto, & ex regula Canonum singulis annis Chrisma renovandum est

 solem-

solemni consecratione Ad quem spectat hoc renovare? Et qualis nam ista solemnitas? Joannes *de la Cruce de statu relig. lib. 2. c. 5. dub. 9. concl. 2.* affirmat Prelatum Regularium posse in suis Terris Chrisma conficere fretus auctoritate Privilegii Urbani II. Bulla 1. sed hallucinatus est ex mendosa impressione ejusdem privilegii, quod est apud *Rodriguez in Bullario*: nam in originali, quod habetur in Monasterio Cavensi Congregationis Montis Cassini non reperiuntur illa verba *Chrisma conficere*; sed scriptum observatur. *Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium consecratione, & Chrismatis confectione dumtaxat exceptis*. Et ita etiam legi in Bullar. tom. 1. Laertii Cherubini. Renovare igitur Chrisma spectat ad solum Episcopum *c. literis de consecr. dist. 4. c. si referente extra de celebr. miss. unde concilium Toletan. 1. can. 20. ait: quamvis fere ubique custodiatur ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum conficere*. Quin etiam ad solum Episcopum spectat adeo ut, ex dispensatione Pontificis simplici Sacerdoti hoc committi non possit, ita Koninch. quæst. 72. de Confirm. in artic. 3. dub. 1. concl. 14. & novissimè Cabassut. in scientia Canon. de hoc Sacram.

28

29

Sed quænam solemnitas ab Episcopo est adhibenda in Consecratione Chrismatis? Conficiendum est Chrisma inter Missarum solemnia d. c. te referente de celebr. Miss. nec interest quidquam locum esse interdictum, nam quamvis terra sit interdicta, Chrisma tamen die Cœnæ Domini conficitur Ita decernit Bonif. VIII. in cap. quoniam de sent. Excomm. in 6. *Posse (licet terra interdicta existat) Chrisma die Canæ Domini confici dubium non existit* & in c. responso extra de sent. excom. non dissimiles legitur sententia: *super quo tibi taliter duximus respondendum, quod sicut baptizari pueri possunt: sic & (tempore interdicti, cui Civitas sit supposita) baptizati ad Confirmationem in frontibus a te possunt sacro Chrismate deliniri*. Cæterum hi textus ita accipiuntur a Gonzalez in cap. quod in te de pænit. & rem. ut si vel ministrans, vel recipiens fuerunt specialiter, & personaliter interdicti, non possint neque conferre, neque recipere Sacramentum Confirmationis.

Ultra hæc aliæ solemnitates Chrisma conficiendi sunt, ut Episcopus oleo, & balsamo jam permixto halet aliquoties super ampullam Chrismatis exemplo Domini, qui in Episcopos insufflavit, Joann. 20. ut eo ritu demonstraret spiritum sanctum in eos descendentem, ut observat Bellarm. cap. 13. de hoc sacram. Ac præterea ab Episcopis Chrisma his verbis salutatur *Ave Sanctum Chrisma*. Reverent a hæc adhibetur non incongrue, cum res sacra sit, atque vim habeat sanctificandi, ut Dei instrumentum, sed non adoratur ut Deus, alioquin etiam Judæi cultores extitissent Idololatræ, qui Arcam Domini ligneam adorabant, idque exequebantur Prophetæ monitu 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*; nam licet Sanctum Chrisma res sit inanima, attamen quod absurdum est salutari perinde, ac si sensu non vacaret? ita enim Nazianz. orat. ad 150. Patres cum Episcopatu se abdicaret, valedicit Cathedræ, templi Psalmodiis. Hieron. in epist. de obitu Paulæ describit salutationem, quam B. Paula ad Bethelem habuit. Quam ergo hunc morem immerito irridere hæretici non verentur? quod si Æneas apud virg. lib. 7. Æneid. vers. 120.

Continuo salve fatis mihi debita tellus,
Vosque (ait) o fidi Troia salvete penates
Hic domus, hac patria est —

nec improbatur, nec irridetur, tellurem salutari, & penates; quę temeritas est religiosissimum hunc ritum in Ecclesia receptum reprehendere? Jam ergo confectum Chrisma ab Episcopo, deferendum est & ad dissitas remotasque Ecclesias. Si quæris a qua persona deferendum sit laica, vel Ecclesiastica? dubitationem, jam removere Sacri Canones, nam Concilium Toletanum 1. anni 400. loc. præscribit. *A dissitis remotisque Ecclesiis mittendos esse vel Presbyteros, vel Diaconos qui ante Paschalia festa acceptum Chrisma in usum anni ad eas deferant*. Aquense vero concilium anni 1585. *Vetat Parochis mittere Laicos, aut Clericos sacris Ordinibus minimè initiatos ad sanctum oleum ad Parochiam deferendum*. Congerit plures auctoritates Cabassutius in not. Eccles. sæcul. 4. ad Concil. Carthag. 4. ann. 398. atque hoc Carthaginense Concilium refertur in can. Presbyteri 95. dist. Presbyteri, qui per Diœceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, nec per juniorem Clericum, sed omni anno, aut per se ipsos, aut per illum, qui sacrarium tenet ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant. Postremo Chrisma perductum ad Ecclesiam, ut convenit, utque præscribunt Canones. sub custodia asservari, oportet, Text. est in c. statuimus extra de custod. Eucharist. Chrism. & aliorum Sacram. *Statuimus ut in cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*. Et Concilium Ravennat. 2. tempore Clem. V. rubr. 7. *Statuimus quod Eucharistia, Viaticum sive corpus Christi, Chrisma, oleum sanctum, & oleum infirmorum sic devote, tutè, & secrete custodiantur, & reponantur in locis, aut sacristiis ad hoc deputatis, & aptis, quod ad ea non possit manus nefaria accedere, seu sacrilega, & maxime mulierum*. Neque iniuria ei diligens custodia præscribitur. Nam quorumdam moribus abusus Chrismatis irrepserat. Quidamut narrat Moguntina Synodus can. 17. ita Chrismate utebantur: *Nam criminosos eodem Chrismate unctos, aut potatos nequaquam ullo crimine deprehendi posse a multis putabatur*. Quidam 31

pro

pro medicina Chrismate utebantur tempore Arabatensis Concilii 6. can. 18. his verbis: *Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub pratextu medicina, vel cujuslibet rei donarè prasumant*. Et concilium Mogunt. can. 27. *Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub pratextu medicina, aut maleficii donare prasumant*. Multo minus vendere Chrisma possunt Presbyteri: & tamen tempore Concilii Bracharensis hic quoque abusus invaluerat, ut tremisse Chrisma venderetur, quemadmodum refertur in can. placuit 1. q. 1. Quocirca in Synodo Turonensi can. 20. & lib. 3. Capituli Caroli cap. 35. hęc pœna in Presbyterum aliquid ejusmodi audentem præscribitur. *Si presbiter Chrisma dederit ab Episcopo degradetur, & postmodum a Iudice manum perdat si propter judicium subvertendum hoc fecerit*.

[ſ) Oleum Cathecumenorum benedicit.

Oleum Infirmorum, & oleum Cathecumenorum distinctis benedictionibus perficiuntur ut patet ex Pontificali Romano: Distinctis in ampullis asservantur.

(t] Jam vero etsi Chrismate etc.

Hoc videre est perdocte expressum ab Innoc. III. in cap. un. extra de Sac. unct. verf. ungitur prope finem his verbis: *Ungitur praterea secundum Ecclesia morem eum consecratur altare, eum dedicatur Templum, eum benedicitur Calix, non solum ex mandato legis Divina verum etiam*
32 *exemplo sancti Silvestri qui conseerabat altare, illud Chrismate perungebat*. Quin etiam in veteri testamento non solum ungebantur Sacerdotes, sed Reges, & Prophetę d. cap. un. uerf. *unde* de Sacr. unct. Reges aliquando vel abusu, vel privilegio in sui Coronatione Chrismate per ungebantur. Nam de Carolo Calvo in ejus capitulis ita legitur *Coronet te Dominus. Inuxit eum Hincmarus Archiepiscopus Chrismate ad dexteram auriculam, & in fronte usque ad finistram auriculam, & in capite*. sed hodie in solẽni Regũ Coronatione observatur, ut electus Rex ungatur a Metropolitano eum benedicente oleo Cathecumenorum in modum Crucis in Brachio dextro inter juncturas manum, & juncturam cubiti, atque scapulas addita oratione, de qua in Ritual. Romano.

(u) Materia Confirmationis etc.

Sacrosanctum Concilium Florentinum in literis Eugenii, sive Decreto de Armenis ita loquitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio*
33 *cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat Conscientia, & Balsamo, quod odorem significat bona fama per Episcopum benedicto*. Et Innoc. III. ita loquitur in *c. unic. extra de sacr. unct. verf.* ante Baptismum: *Ante Baptismum ergo ungitur oleo benedicto, & post Bapismum Crismate sacro, quia Crisma soli competit Christiano; Christus enim a Chrismate dicitur, vel potius a Christo dicitur Chrisma: a Christo verò Christiani dicuntur tamquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes concurrant in odorem unguenti illius, cujus nomen oleum est effusum. Per frontis Chrismationem manus impositio designatur*. Extat etiam II. Epistola Fabiani Pontificis ad Episcopos Orientales. Extat liber de Chrismate *Dyonis. Areopagita lib.* 4. Et de hac materia confirmationis a vetustissimo Poeta Christiano Aurelio Prudentio mentio fit in Symmacum, his verbis:

- - - - Lateranas currit ad ædes
Unde sacrum referat regali Chrismate signum,
Et dubitamus adhuc Romã tibi Chriſte dicatã
In Leges transisse tuas? - - -

& idem in Psychomachia

Post inscripta oleo frontis signacula, per quę
Unguentũ regale datũ est, & Chrisma perenne.

Neque vero ulla alia materia, quam Chrismatis aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur; Oleum enim, quod pingue sit, & natura sua manet, ac diffluat gratiæ plenitu inem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat, atque effunditur sicut unguentum, quod ex Psalmo 132. descendit in barbam Aaron usque in oram vestimenti ejus unxit enim eum Deus, ut est in Psalmo 44. oleo lætitiæ prę consortibus suis. Balsamum verò habet eam vim, ut quidquid eo circumlitum fuerit putrescere non sinat, quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valde accomodatum videtur cum plane constet fidelium animos cælesti gratia, quæ in confirmatione confertur prępararos a scelerum contagione defendi posse. Preclarè quoque D. Ambrosius lib. 1. de Sacram. c. 5. *Unctus est quasi Athleta Christi quasi luctamen hujus saculi luctaturus*. Nam in lucta oleo, & cera luctaturi ungebantur, & alius alium in terram prosternere nitebatur, de quo certamine *Virgil. lib.* 3. *Aen.*

Exercent patrias oleo labente palestras
Nudati socii &c.

Ingeniose etiam ut cætera *Tertull. de Baptism. cap.* 7. *Quemadmodum enim post aquas Diluvii quibus iniquitas antiqua purgata est; post Baptismum, ut ita dixerim mundi pacem Calestis ira Praco columba terris adnuntiavit dimissa ex arca, & cum olea reversa; quod signum etiam apud nationes pacis pratenditur eadem dispositione spiritualis effectus terra, idest carni nostra emergenti de lavacro post vetera delicta Columba S. Spiritus advolat*.

[x) Chrismatio manus impositio dicitur.

Sacra-

Sacramentum hoc vocatur manus impositio in
c. de his de confecr. dift. 5. *De his verò, de-
quibus rogaftis vos informari, ideft utrum majus
effet manus impofitio Epifcoporum, aut Baptif-
mus &c.* Et manus impofitionis Sacramentum
vocatur confirmatio fimiliter ab Eufebio Papa
in Epift. 3. ad Epifcopos Campaniæ tranfcripta
in c. manus de confecr. dift. 5. *Manus quoque
impofitionis Sacramentum magna veneratione
tenendum eft.* Et Beda in Pfal. 29. his verbis
34 profatur *illa unctio, quare per manus impofi-
tionem ab Epifcopis fit, & vulgo confirmatio di-
citur.* Cumulat alia quædam Martinus Gilbertus
in notis ad Inftitut. Canonic. Cucchi ad tit. de
confirmatione.

[y] *A manus impofitione illa, qua hęretici reconciliatur.*

DISSERTATIO II.

De variis manuum impofitionibus.

Multæ funt manus impofitiones, quæ in Ec-
clefia Sancta Dei adhibentur, fed non omnes ad
eumdem ufum, ad eumdem finem directæ funt.
Si altius rem libeat perfcrutari. Apud Judæos
in omni fere facra, Civilique ad publicum
aliquod munus Ordinatione, in victimarum, ac
35 reorum devotionibus, manus imponebantur. Si
quidam Ægyptius genere Deum altiffimum blas-
phemaffet, juffit eum Deus duci extra caftra,
omnefque, qui audierunt ponere manus fuper
caput illius, eumque lapidari Levit. c. 24. quafi
hoc ritu, teftimonium ferrent, & fignificarent
illud caput impium, & dignum morte. Sic duo
feniores qui accufabant Sufannam adverfus eam
confurgentes pofuerunt manus fuper caput ejus
Daniel. c. 13. Etiam fuper Idololatras manus
imponebantur ex præfcripto legis veteris Deu-
teron. c. 17. Et Moyfes impofuit manum capiti
Joniæ fucceforis fui numer. c. 17. Et Ifaac be-
nedicens Jacob, & Jacob benedicens filios Jo-
fephi manus impofuit Genef. cap. 27. & 48.

Sed in Ecclefia manus impofitio in primis
adhibetur in reconciliationibus. Nam in recon-
ciliatione hęretici refipifcentis a fuo errore Pon-
tificale Romanum hæc habet. *In reconciliatio-
ne Pontifex manum dexteram imponit fuper ca-
put illius dicens: Oremus. Domine Deus Om-
nipotens Pater Domini Noftri Jefu Chrifti, qui
dignatus es hunc famulum tuum ab errore hæ-
retica pravitatis ad Ecclefiam tuam fanctam
revocare. Tu Domine emitte in eum Spiritum
36 Sanctum Paraclitum de Cœlis Spiritum Sapien-
tiæ, & Intellectus, fpiritum confilii, & forti-
tudinis, fpiritum fcientiæ, & Pietatis, adim-
ple eum lumine fplendoris tui, & in nomine
ejufdem D. N. Jefu Chrifti dignetur ✠ Signo
Crucis in vitam æternam. Amen.* Quæ & alia
ad reconciliationem hæretici ufurpari folita vi-
debit ftudiofus Juris fub rubrica - *Ordo ad re-
conciliandum Schifmaticum, vel hæreticum §.
tunc depofita Mitra.* Atque hic mos reconci-
liandi hæreticos per manus impofitionem viguit
prifco quoque ævo in Ecclefia: en Textū in can.
Arriannos 1. q. 1. *Arriannos præterea, cæteraf-
que hujufmodi peftes, quia eorum laicos conver-
fos ad Dominum fub imagine Pænitentiæ, ac
fancti fpiritus fantificatione per manus impofi-
tionem fufcipimus* en alium Textum in c. quo-
modo de confecr. dift. 4. §. manus. *Propter cha-
ritatis tamen copulationem manus hæreticis cor-
rectis imponitur* en & alium in c. manus impo-
fitio 1. q. 1. *Manus impofitio non ficuti Baptif-
mus repeti non poteft: quid enim eft aliud nifi
Oratio fuper hominem.* Textus hic non poteft
accipi de manus impofitione Sacramenti, quod
poft Baptifmum recipitur illa enim manus im-
pofitio non eft fola Oratio fuper hominem,
fed pertinet ad Sacramentum Confirmationis.
Illa manus impofitio repeti non poteft, quia
ex Sacramento Confirmationis indelebilis cara-
cter imprimitur. Ergo folum intelligitur de
manus impofitione reconciliatoria.

Addendus eft etiam ad comprobationem Tex-
tus in c. presbyter 26. q. 6. *Cujuscumque au-
tem pænitentis publicum, & vulgatiffimum cri-
men eft, quod univerfam commoverit Ecclefiam
ante Apfidam manus ei imponatur.* Sed quid
illa verba fonant *ante apfidam*? quem habent
intellectum? nihil aliud ea verba fonant quam
manum imponendam effe ante locum ubi erat
ultima ftatio publicam peragentium pœniten-
tiam. Nam quatuor erant pęnitentium ftationes:
prima *fletus* vocabatur. Secundus gradus *ferula*
dicebatur feu auditio intra portam in porticu 37
Ecclefię: tertius gradus *fubftractio* dicebatur in
primo Ecclefiæ ingreffu, in eoque primam ma-
nus impofitionem accipiebant pęnitentes *Gon-
zal. in c. 1. de bigam. non ordin. fub n. 7.* Tan-
dem ad 4. gradum, & ftationem perveniebant,
quæ dicebatur confiftentiæ, & ubi poft manus
impofitionem reconciliatoriam fine oblatione
communicabant. Hęc verò quarta ftatio locus erat
Ecclefię eminens adinftar Tribunæ, & diceba-
tur *abfis*, cujus verbi explicationem profequi-
tur Cælius Rhodiginus l. 18. var. Lect. cap. 10.
ex qua explicatione notum eft cur fit ante Ap-
fidam manus reconciliatoria imponenda? quia
nempe *Abfis* erat pęnitentium ftatio poftrema.
Similes alii Textus in c. confirmandum 50. dift.
in c. alienum eft ibid. in can. pęnitentes ibid.

Ultra manus impofitionem reconciliatoriam
pęnitentium, qui fua flagitia ad tempus prefi-
xum expiarunt adiiciebatur interdum etiam
Chrifmatis inunctio in fronte, in oculis, in
naribus in ore, & auribus; non tamen hæc un- 38
ctio Chrifmatis, erat Sacramenti confirmationis
renovatio; Sed actus ungendi conjungebatur cum
Oratione, qua invocatur fpiritus fanctus ad re-
miffionem peccati hęrefeos ad baptifmalis Gratiæ,
vel fufpenfæ, vel extinctæ fufcitationem, ad
agnitionem veritatis, ad coniunctionem cum

ceteris Ecclesiæ membris. Etenim hęc erat Oratio, quę in Euchologio refertur: *Ipse benigne Domine servum tuum istum rationalis Ovilis Christi tui ovem inimicorū impiorum captivitate redemptā respice, & quamvis puerili inscitia, aut tyrannica vi mores eorum imitatus fuerit, nunc tamen populi tui congregationi restitui permitte, virtute, & operatione sancti tui spiritus mentē ejus irradia, ut salutaris, Baptismi scintilla in ejus anima incidens, & relicta aura Gratia ventilata spiritualiter rursus accendatur &c.* Quinetiam Ritus ille unctionis ex se propriaque virtute ad gratiam renovandam non valebat, sed vel Ecclesię precibus, vel Sacerdotis meritis, vel conversi hominis humilitate, ut remoto obice Baptismi, & confirmationis acceptę gratia repararetur. Quamobrem falsa persuasione ducitur Dallæus dum putat in suo libro ad confirmationis Sacramentum eliminandum conscripto, hanc unctionem adiectam manus impositioni Catholicis posse videri Sacramentum. Quinetiam negamus hanc reconciliatoriam unctionem esse Sacramentum. In Sacramento Confirmationis frons ungitur ab Episcopo, Unctio Chrismatis ex opere operato Gratiam confert, non vero dependenter a meritis, a precibus vel Ecclesiæ, vel Sacerdotis, qui ex delegatione Episcopi reconciliare potest *c. Aurelius 26. q. 6.*

Ut verò dans operam Juri Canonico ritum veterem adiungendi interdum manus impositioni Chrismatis quoque unctionem addiscat ex auctoritatibus hoc patet ex *canone 7. Concilii Constantiensis ibi*: Arriannos quidem, & Macedonios, & Novatianos, & Thessaradecatidas, & Apollinaristas recipimus dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, & signatos sive unctos primum sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus signaculum doni spiritus sancti. Hos autem hęreticos Confirmatione caruisse verosimile non est. Nec in oriente solum, verum etiam in Occidente sic ad Ecclesiam redeuntes hęreticos suscipi mos fuisse videtur ex *Concilio Arelatense 2. can. 16. & 17.* Bonosiacas autem ex eodem errore venientes, quos sicut, Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint cum Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. Et idem inferri videtur ex *Synodo Arausicana 1. can. 1.* Hęreticos in mortis discrimine positos si Catholici esse desiderant si desit Episcopus a Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placuit. Hunc canonem *Cabassutius in notitia Ecclesiast. his verbis interpretatur*. Verbum consignari, & circumstantia Episcopi absentis arguunt hanc esse confirmationis Chrismationem. Nonnulli tamen volunt confirmationem illam esse cæremonialem. *Concilii Epaonense in Gallia habitum can. 16. ita loquitur*. Presbyteris propter salutem animorum, quam in cunctis optamus, desperatis, & decumbentibus hęreticis si conversionem subitam petant Chrismate permittimus subvenire. Et cum Lautildes Soror Clodovei conversa fuit ita reconciliata est *Gregor. Turon. lib. 2. hist. Francor. c. 31. hæc scribit*: Conversa est & alia soror Lautidis nomine, quę in hæresim Arrianorum delapsa fuerat, quæ confessa æqualem filium Patri, spiritui sancto chrismata est. Et Athanagilda Regis Hyspaniæ filia, quam Sigisbertus in matrimonium duxit eodem modo chrismata est, ita enim scribit *Sigibertus lib. 4. c. 27.* Et quia Ariannę legi subiecta est per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionē conversa beatam in unitate confessa Trinitatē credidit, atque chrismata est. Galsuintha ejusdem Reginæ soror, quam Chilperitus uxorem duxit eodem modo chrismata est ut idem scribit *Sigibertus cap. 28.* Jam enim in lege Catholica conversa fuerat & chrismata. Et de Hermenegildo Leuvigildi Regis Hyspaniæ filio, & Ingunde illius uxore pariter conversis, & chrismate delibutis hæc habet *Sigibertus lib. 5. c. 39.* Cæpit Ingundis prędicare viro suo, ut relicta hæresis fallacia Catholicæ Legis veritatem agnosceret, quod ille diù recusans tandem commotus est ad Legem Catholicam, & dum chrismatur &c. Ex quibus auctoritatibus palam est nonnumquam ad ritum reconciliationis quasdā unctiones chrismatis adhibitas fuisse. Non tamen infertur eas ad Sacramentum Cosifirmationis spectasse, sed potius ut gratia accepta in Sacramento Baptismi, & confirmationis per infidelitatem deperdita repararetur his, vel aliis Ecclesię precibus, & ritibus. Nam nunc etiam in Pontificali legitur quod Episcopus reconcilians hęreticum post exorcismum signat illum in fronte, Signo Crucis dexteræ manus pollice, inquiens: Accipe signum Crucis Christi, atque Christianitatis, quod prius acceptum non custodivisti, sed male deceptus abnegasti. Ex qua uberrima explicatione veniet in occursum quibuscumque, quam differat manus impositio reconciltatoria a manus impositione confirmationis.

[ζ] *Et ab illa qua Diaconissæ benedicebatur.*

Non videtur posse subscribi Sententiæ Baronii ad annum Christi 34. dum num. 288. asserit Diaconissarum benedictionem manum impositione caruisse. Et in primis inter Apostolicas constitutiones a D. Bartholomeo sic fuisse dispositum, ut memorat *Clemens 1. lib. 8. cap. 25. Constit. Apost.* De Diaconissa ego Bartholomæus dispono. O Episcope impones ei manus præsentibus præsbyteris, Diaconis, & Diaconissis. Accedit Calcedonensis Concilii canon ex versione Dyonisiana, *i deghe dezameni tin chirotesian* idest *Si autē post quam manum impositione suscepta &c.* Sed tamen Baronius aliter sentit, negatque Diaconissas Ecclesiastico ministerio fuisse unquam adscriptas impositione manum con-

sisus

fisus Nicæni Concilii verbis in *can.* 19. *quæ ita se habent*: Commemoravimus Diaconissas, quę in hoc ordine inventæ sunt, quę nec manus impositionem aliquam habent, ita ut omni modo inter laicos habeantur. Sed hæc verba non crederem posse vim habere persuadendi Baronii Sententiam, nam Patres Nicæni Concilii respexerunt ad eas Diaconissas, quę ab hæresi Pauliniani depositis erroribus convertuntur qui Christo Divinitatem abrogabant: ergo Concilium vetat conversas Diaconissas ad officium rursus Diaconissæ assumi, manusque imponi. Et merito vetat: quia antiquitus Diaconissarum officium in Cathechizandis fœminis versabatur;Grave autem periculum imminebat cathecumenarum Institutionem Diaconissæ conversæ demandando, fragile quippe est fęminarm genus.

Illud autem non asserimus neque potest ullus sine reprehensione affirmare, quod manus impositio Diaconissę Sacramentalis fuerit, qualis illa Diaconorum; sed potius ad ritum, ad cæremoniam quamdam pertinebat dum benedicebatur Diaconissa, suoque deputabatur officio, quem admodum in Pontificali Romano habetur, quod Episcopus in benedictione Abbatissę imponit manum utramque extensam super electę caput his verbis prolatis: Et quia per nostræ manus impositionem hodie Abbatissa instruitur tua sanctificatione digna a te electa permaneat, & numquam postmodum a tua gratia separetur indigna. Et tamen hæc quoque Sacramentalis non est. Quamquam jam omnis sublata est ambiguitas, omnisque dubitatio, propterea quod deficiente consuetudine Baptismum in provectiorem ætatem differendi, exolevit etiam Diaconissarum ministerium: neque amplius manum impositionem juxta veteres canones officium illis imponitur, nam sub Hormisda Concilium Epaonense sic decernit *can.* 21. Viduarum consecrationem quas Diaconissas vocitant ab omni regione nostra penitus abrogamus sola pænitentiæ benedictione si converti ambiunt imponenda. Et hac de re plura diximus lib. 1. tit. de his, qui sunt in sacris constituti.

(*aa*) *Et ab illa quæ super Aenergumenos adhibetur.*

Exorcistæ manus imponendi super ænergumenos, & cathecumenos habent potestatem; nam Episcopus in hujus ordinis collatione tradens Exorcismorum librum recipienti ordinem, sic
40 loquitur, ut est *in c. exorcista* 23. *dist.* Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super ęnergumenos sive baptizatum, sive cathecumenum. Et ne excrescat nimis in magnam molem hic liber verba aliorum canonum transcribere supersedemus ejusdem manus impositionis fidem facientia, ut c. perlectis dist. 25. c. omni die de cons. dist. 5. quamquam Mediolanense Concilium 1. par. 2. tit. de exorcist. jubeat, ut Episcopus non permittat manus istas imponere, nisi personis probatæ vitæ, & Rituale Romanum assentitur nam sub rubrica *de exorcizand. obsess. obsess. demon. ita loquitur.* Hunc præterea maturę ętatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum. Imò jam sine licentia Episcopi nemo exorcistæ officium exercet P. Mauritius a S. 41
Gregorio in summa casuum conscientiæ pag. 297. qui probat ab Inn. I. Epist. 7. fuisse hanc facultatem Episcopo, reservatam.

(*bb*] *Quod Dallæus.*

Dallæus hęreticus scripsit elapsis annis librum sane magnum adversus hanc Catholicam veritatem, quod nempe confirmatio non sit unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis: atque in hoc opus doctissimas exaravit confutationes Alexand. Natalis diss. 10 tom. 2. sæcul. 2. suæ hist. Eccl. ostendens Dallęum errore lapsum, quod manus impositiones diversas, pertinere judicaverit ad confirmationem baptizatorum contra Patrum mentem, contra canones, contra historicos, & denique contra expressam veritatem.

[*cc*) *Sed post octavum Sęculum.*

Post octavum Sęculum manus impositio, & chrismatis inunctio in unam, eamdemque actionem contractæ sunt. Quamvis enim prioribus Sęculis chrisma, & manus impositio actione duplici adhiberentur, ab anno tamen 800. in
unam actionem coalverunt: unde scriptores Ec- 42
clesiastici medię ætatis non dicunt unctionem, & manus impositionem in confirmatione exhiberi; Sed unctionem manus impositione, vel manus impositionem unctione. *Ecce Beda in Psal.* 29. Illa unctio, quæ per manus impositionem ab Episcopis fit, & vulgo confirmatio dicitur. I*n cap. quanto x. de consuet. sic loquitur Innoc. III.* Sacramentum confirmationis chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre. *Ulterius in c. un. §. per frontis x. de Sacr. unct.* Per frontis chrismationē manus impositio designatur. Addenda professio fidei Michaelis Palęologi Gręcorum Imperatoris, quam ei Sedis Apostolicæ Nuncii præscripserunt his verbis. Sacramentum confirmationis per manus impositionem Episcopi conferunt chrismando renatos. Atque id ultra alios observat *P. Natalis tom. 2. Sec. 2. differt.* 10. *pag.* 6. Quod si quæras quomodo nunc unico actu Episcopus, & manus imponit, & frontem signet? hoc facile intelligitur; nam pollice chrismate delibuto, & tangit frontem, & extensa manus eodem actu, eodemque tempore, manus est impositio. Quare Amalarius fortunatus Episcopus Treverensis *lib.* 1. *de off. Eccl. c.* 7. *bis verbis profatur.* Ut ab Episcopis solis ungatur per manus impositionem ab Apostolis concessum est. Vides Episcopum inungere per manus impositionem: ergo pollice chrismate imbuto exequitur unctionem eadem-

que

que manus extensa, exequitur manus impositionem.

(dd) *Qua verò forma.*

Forma Sacramenti Confirmationis non modo hæc est, juxta Florentinum Concilium in Doctrina de Sacramentis, verum etiam eadem perpetuo fuit adhibita. Etsi enim de forma Con-
43 firmationis Sancti Patres satis obscure loquuti sint, ne mysteria nostra patefacerent infidelibus; unde Innoc. I. ad Decentium §. 3. *Verba*, ait, *dicere non possum, ne magis producere videar quam ad Consultationem respondere*: insinuat tamen eam Apostolus 2. ad Korinth. 1. ubi ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Est qui asserit, quod in edicto Constantini Sylvester Papa hac forma Constantinum confirmavit: *Signet te Deus sigillo fidei sua in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti in consignatione fidei*. Et D. Ambrosius lib. 2. de Sacram. c. ult. hanc formam ponere videtur. *Deus qui te regeneravit omnipotens, remisitque tibi peccata tua ipse te ungat in vitam aternam*. D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. ita loquitur: *Ex verbis act. 8. Oraverunt pro ipsis, ut acciperet spiritum sanctum, quem morem in suis prapositis etiam nunc fervat Ecclesia*. Sed his respondetur cum Pignattello *tom. 8. Consult. consult. 78.* Vel adducta verba ad formam non spectasse, sed ad excitandam Confirmandi devotionem, ac pietatem: vel si ad formam spectabant, non fuisse prorsus cuncta illa verba, quæ in actu confirmandi proferebantur, sed quia Patres noluerunt prodere omnino formas cujuscumq; Sacramenti, ne infidelibus Religionis nostræ mysteria patefacerent, æquivalentibus verbis usi fuerunt in scriptis suis, in quibus tamen forma eadem, quæ a Concilio Forentino assignata est insinuatur.

(ee] *Signaculum doni spiritus sancti.*

Falsum est hæc verba: *Signaculum doni spiritus sancti* in Ecclesia Greca formam fuisse Confirmationis. Nec quidquam refert, quod in Euchologio Græcorum hæc verba legantur: *Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bo-*
44 *norum, sol Justitia, qui per unigeniti filii tui, & Dei nostri apparitionem, veluti sol salutis iis, qui in tenebris erant illuxisti, & nobis indignis beatam purgationem in vivifica unctione contulisti, qui, & nunc recens illuminatum servum suum per aquam, & spiritum sanctum peccatorum sponte, atque etiam indeliberate commissorum remissione ei concessa regenerare voluisti. Ipse Domine rex omnium benigne*: Signaculum doni *sancti, & omnipotentis, & adorandi tui spiritus, & sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei largire, in sanctitate custodi illum, in vera fide confirma*. Nam illa verba, *Signaculum doni Sancti, & omnipotentis, & adorandi tui spiritus*, proferri solita fuerunt ad significandam dumtaxat illius unctionis sanctitatem, & ad excitandum humilitatis, & devotionis sensum. Sicut nunc etiam in Sancta Ecclesia Dei proferuntur ante communionem illa verba ad fidem erigendam: *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* ita observat ultra alios etiam P. Natalis *dissert.* 10. *tom.* 2. *sacul.* 2.

(ff) *Nemo autem nisi Episcopus.*

Episcopus, non vero Presbyter simplex, ordinarius est Confirmationis minister. Innumeræ sunt Canonum auctoritates elucidantes hanc Ca- 45
tholicam veritatem: *Nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel cŭversis hareticis Paracletŭ spir. sanct. tradere, nec Chrisma conficere, nec chrismate baptizatorŭ frontes signare*, ita loquitur *Leo 1. in can. quamvis 68. dist.* Innocentius vero Pontifex Decentio Episcopo ita scribit in c. presbyteros 119. de consecr. dist. 4. *Presbyteros Chrismate baptizatos ungere licet; non tamen frontem ex eodem oleo signare.* Urbanus Papa in *c. omnes de consecr. dist.* 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debent*. Eusebius Papa non minus clarum exhibet testimonium in c. manus ead. dist. *Manus quoque impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus*. Innocentio III. eadem confirmat assertionem *in cap. un. §. per frontis extra de Sacr. unct. Per frontis chrismationem manus impositio designatur &c. unde cum cateras unctiones simplex Sacerdos, idest Presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, idest Episcopus*. Ex historia quoque Ecclesiastica lumen accipit dogma hoc Catholicæ veritatis. Isaacius Angelus Bizantii Imperator a proprio fratre Alexio Commeno depulsus imperio fuerat, oculisque orbatus. Cumque Isaaci filius ad Philippum Germanorum Imperatorem patruum suum confugisset, is cum Principibus, qui procedebant ad Sacram Jerosolymorum expeditionem, quique hyemem transigebant in Anchoris apud Constantinopolim consilia communicavit, quorum præcipui erant Dandulus Venetorum Dux, Balduinus Flandresium comes, Bonifacius Montisferrati Marchio; ergo omnes adversus Alexium conspirarunt, Urbemque adorti, vi tandem expugnarunt, ex qua Tyrannus fuga se subduxit, contigitque Bizantii expugnatio a Latinis facta anno 1203. Tunc excæcatus Imperator e custodia eductus, & in solio restitutus, & in consortium illi traditus filius. Ex eo tempore introductus in Urbem publicus Latinorum cultus sub Innocentio III. & Latino Patriarca Thoma Veneto. Tunc verò Innocentius idem Lucium suum Vicarium in eadem Urbe collocavit ad Disciplinam Ecclesiasticam conservandam. Cum

verò Constantinopolitani Sacramentum Chrismatis a simplici Presbytero reciperent, quæsivit Lucius Vicarius Innocentii III. per literas, numquid hoc esset permittendum, cui Innoc. respondit in *c. quanto extra de consuet. Discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis distinctè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant*; de qua historia Cabassutius in *not. Concil. sæcul.* 13. *n.* 9.

Quod si rationem scrutemur cur hoc Sacramentum a solo Episcopo debeat administrari; Altius initia sermonis repetere convenit. Episcopus vi suę Consecrationis ordinis Potestatem a Christo recepit propter quam Presbiteris pręstat, atque antecellit, & ideò quædam exęqui Episcopus potest, quæ denegantur omninò presbiteris *Trid. sess.* 23. *cap.* 4. -- Ex his autem ministeriis solo Episcopo reservatis, quædam ad Sacramenta pertinent, quædam ad Sacramentalia. Ad Sacramenta hoc pertinet, ut & Sacer Ordo, & Confirmatio ab Episcopo conferantur. Ad Sacramentalia, ut consecrationes Ecclesiarum, altarium, Vasorum, Virginum Episcopalis similiter sint potestatis atque administrationis *cap. penult. vers. Chrisma de Præscr.*

Ac nullum est dubium quin Christus voluerit ita hoc Sacramentum instituere Confirmationis, ut solus Episcopus non presbyter completam ex sua ordinatione illud conferendi assequeretur potestatem. Voluit Christus redemptor: Et sicut in extruendis ædificiis fabri inferioresque ministri cementa, Calcem, Ligna, reliquamque materiam parant, atque componunt, absolutio tamen operis ad Architectum spectat; Ita cum hoc Sacramento ædificium quodammodo spirituale perficiatur, a nullo nisi a summo Sacerdote administrari oportet, ut differit Cathechismus §. *neque T. de Sacramento Confirmationis*.

46 Quæ adeò vera sunt, ut hinc inferatur Sacramentum Confirmationis a presbytero collatum esse irritum, quam illationem probant auctoritates. Nam in *can. manus de Consecr. dist.* 5. ita Eusebius scribit. *Nam si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur, & vacuum, & inter cælestialia numquam deputabitur Sacramanta*. Insuper Gregorius XIII. ob quamdam Synodum suo tempore anno *vid.* 1578. apud Maronitas celebratam, ei qui Synodo pręsidebat injunxit *ut qui in illis regionibus a simplici Sacerdote erant confirmati, si vellent possent iterùm ab Episcopo chrismari. Si tamen scandalum timeretur, non oportere confirmationem reiterari etsi nullum (utpote a Sacerdote simplici collatū) esset Sacramentum*. Narrat hanc Decisionem *Pignattellus Tom. VIII. Consf.* 73. *n.* 12.

Et tamen quis crederet contra manifestam veritatem, ausos fuisse quosdam Presbiteros in *Eugubio* Civitate Umbriæ introducere, ut ipsi per se Frontem Fidelium chrismate signarent? Ad reprimendam tantam audaciam *Innoc. I. ad Decentium Eugubinum Episcopum cap.* 3. ita scripsit -- *De consignandis verò infantibus, manifestum sit, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent*. Reliqua litera textus habetur in *can. presbyteros* 119. *de Cons. dist.* 4.

(gg) *Calumnia IV. Photii fuit &c.*

Photius Pseudopatriarca secundæ Romæ, in Epistola II. Encyclica ad Orientis Patriarcas conatur probare, non esse Sacerdotes a ministrando Chrismate excludendos, ita enim scribit in latinos: *inquiunt solis Pontificibus hoc datum est -- Unde hac Lex? Quis Auctor? Quis Apostolorum? Au Patrum? An in Synodo aliqua? Sed ubi, & quando habita? Non licet Sacerdoti eos qui baptizantur consignare, igitur neque omninò baptizare neque sacra facere &c.*

Et idem Photius (infra) his verbis. *Baptizat Sacerdos Donum baptizato expiatorium perficiens, quomodo? Cujus purgationis ipse auctor, & consumator est, illi custodiam, atque signaculum eripies?*

Hæc est Photii Calumnia quæ etiam a Lupo refertur in *can.* 27. Octavæ generalis Synodi.

(hh) *Chrismate linire baptizzatos in vertice &c.*

Presbytero simplici linire baptizatos in vertice permissum est a S. Silvestro, *Damasus Pontifex in Pontificali, ubi de S. Silvestro sic loquitur -- Hic, & hoc instituit ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de Aqua propter occasionem transitus mortis &c. Fortunatus vero in L.* 1. *de Eccl. Off. cap.* 17. hęc habet -- *in gestis Pontificalibus* legitur. *Silvester Papa instituit ut a Presbytero ungeretur neophitus in cerebro, & infra &c. si quis sine chrismate migraverit de Seculo periculosum iter abripit: Hoc providens Silvester Papa inquantum potuit subvenit, & propter absentiam Episcoporum necessitatem addidit ut a Presbytero ungerentur* -- Hoc idem restatur Hugo a S. Victore *L.* 2. *de Sacramentis p.* 7. *cap.* 3. his verbis *Primis Temporibus omnis unctio chrismatis, per solos Pontifices fiebat, sed postea institutum est ut Baptizzatum Sacerdos in vertice liniat &c.*

Et hac de permissione videre est Textum in *can. presbyteros de Cons. dist.* 4. *& in can. siquis* 121. *ead. dist.* Quare in rituali Romano *de Sacramento Baptismi* §. *deinde* ita instruitur presbiter. *Deinde intingit pollicem in sacro chrismate, & ungit infantem in summitate Capitis in modum Crucis dicens, Deus omnipotens &c.*

Sed quomodo, si presbyter, pollice debet verticem inungere intelligitur Textus a paucis observatus in *can. si quis* 121. *de Cons. dist.* 4 ubi ita

ita Concilium loquitur - *Si quis voluerit chrismate Pannum iterum linire, & super altum baptizatum mittere non est absurdum*. Interrogo: numquid ergo loco frontis pannus est liniendus? Numquid presbiter a Rituali Romano poterit recedere? Dicendum est quod *Concilium Epaunense* in eo Canone significat eumdem Pannum quo unius baptizati caput fuerit circumvolutum, posse inservire ad eumdem usum pro alio qui baptizetur, planèq. casum penuriæ canon ille considerat, eiq. consulit.

(ii) Et hic Baptismi Ritus est &c.

Quod Unctio Chrismatis in vertice Baptizati sit Ritus Baptismi simplex, egregiè probat canon 2. Concilii Arausicani his verbis - *Nullus ministrorum qui baptizandi recipit officium sine chrismate usquàm debet progredi; Quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem qui in baptismate, quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur; Nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una Benedictio est, & necessaria habetur chrismatio repetita &c.*

Hujus canonis, hanc exaravit Analysim Cabassutius in idem *Concil. Seculo V*; - *Sacerdos cui onus incumbit explorandi, & præsentandi Episcopo confirmandos; Si præsentet eum qui fuit ab ipso baptizatus urgente Mortis periculo, sed quia secum non habebat chrisma quo tempore vocatus fuit ad baptizandum periclitantem non tamen fuit chrismate delinitus in vertice, ad moneri debet, ut sic præmonitus duplicem curet adhiberi chrismationem, unam quæ cæremonialis est in vertice adhiberi solita, alteram in Fronte, quæ Sacramentum est*;

Ex qua Cabassutii Analysi infertur unctionem in vertice esse ritum, alioquin illi non
47 suppleretur post baptismum, jam ejamque validè administratum.

[ll] Si ipsi facultas, a Pontifice delegetur.

Simplici presbytero facultas signandi chrismate Baptizatorum frontes a S. Pontifice delegari potest; Nam etsi propter Ordinem Episcopalem ordinarius minister sit Episcopus, attamen presbyter esse potest minister extraordinarius, quia habet eum ordinem saltem inchoatum, & im-
48 perfectum; Unde virtute hujus remotæ consecrationis, accedente delegatione potest validè hoc Sacramentum conferre: Nec verò Pontifex tali commissione mutat hujusce Sacramenti essentialia. Quia essentialis hujus Sacramenti minister non est solus Episcopus; Sed hic vel simplex Sacerdos habens talem Pontificis commissionem qua minister idoneus efficitur, sicuti efficitur minister Pœnitentiæ Episcopi auctoritate observat *Koninch. de hoc Sacramento n.* 107.

Etsi verò *Petrus Suavis in Concilio Trid. Histor. L.* 2. *pag.* 279. conetur ostendere collationem Sacramenti Confirmationis ita ad Episcopum spectare ut delegari non possit, quia quę ratione ordinis competunt Episcopis, non transeunt personã, nec aliis demandantur, argumento *Textus in cap. aqua de Cons. Eccl.*

Attamen inconsiderate ista dicuntur, & contra mentem Sacrorum Canonum; Nam si presbiter ex delegatione signare non potest frontes Fidelium cur ergo. *Sancta Synodus Trid. sess.* 7. *de Confir. cap.* 3. vocat Episcopum Confirmationis ministrum ordinarium. An non ex sensu ipso Sermonis supponi videtur presbyterũ esse ministrũ extraordinariũ, Pontificis præcedente delegatione?

(mm) Ut olim quibusdam fuisse concessum &c.

Pontifex ut historiarum monumenta testantur nonnunquàm chrismandi facultatem simplici concessit presbytero. Quò circa *Florentinum Concilium, in Decreto Eugenii* 4. *secundum, ita scripsit: legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex Rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis Sacramentum &c.*

Et merito ita scripsit Concilium; Nam legitur *in can. pervenit* 35. *dist.* Gregorium Magnum concessisse Presbyteris Caralitanis in Sardinia ut baptizatos in fronte chrismate tangerent, quod notat etiam *Baronius Tomo VIII. an.* 49
506. Legitur *Hadrianum VI. anno* 1521. *mense Aprilis die* 25. concessisse fratribus minoribus Galapione, & *Francisco de Angelis*, ut in Indiis, & regionibus in quibus non erant Episcopi, Sacerdos regularis, ex ordine minorum chrismate ab Episcopo consecrato confirmare posset, & *Suarez in* 3. *parte D. Thomæ q.* 72. asserit authenticum Instrumentum Hispali reperiri in monasterio S. Francisci, narrat quoque *P. Natalis Seculo* 2. *Hist. diss.* x. *pag.* 117. Legitur insequentibus temporibus Gregor. XIII. scripsisse Episcopo qui Synodo præsidebat apud Maronitas anno 1578. quique Sedem Apostolicam scripta Epistola rogabat quid agendum de presbyteris qui Sacramentum confirmationis administrabant; Eidemque ita Gregorius exaravit. *Quia Apostolicam dispensationem non legimus de presbyteris Ecclesiæ Hierosolimitanæ cui Maronitæ subsunt collatam esse; Idcirco a Presbytero chrisma collatum irritum est &c.* Narrat Pignattell. *Tomo* 8. *Conf.* 73. *n.* 11. Unde D. Augustinus eam antiquiorem consuetudinem deplorat *L.* 9. *Q. Q. novi, & veteris Testamenti q.* 24. juxta quam Ægiptii, & Alexandrini ex quadam corruptela audebant baptizatos in fronte signare, ait enim Sanctus - *Nam in Alexandria, & per totum Ægiptum si desit Episcopus consignat Presbyter*. Legitur ultra hæc ante tempora Photii hanc Orienti fuisse non vetitã facultatem a Sede Apo-

stolica, consuetudine firmatam, ut simplex presbyter huic Sacramento administrando sufficeret; Neque in Concilio Florentino damnata est, quia gravissimis de causis toleranda fuit; Nam Eugenius in Synodo hujus rei satis conscius factus erat a Mytilensi Presule ut est in eodem Concilio. Deinde hoc non omittam quod est apud *Arcudium L. 2. de confirmatione cap. 15.* P. Ludovicum Fonsecam Societatis Jesu Sacramentum hoc administrasse in Brasilius plagis auctoritate Pontificis per Diploma quod in illis partibus asservatur. Postremò cum olim in Congregatione *S.* Concilii quæsitum fuisset an *Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3. & sess. 6. cap. 5.* obstet quominùs facultas ministrandi Sacramentum Confirmationis concessa a Sede Apostolica ante Concilium Abbati regularià nunc confirmetur accedente præsertim consensu Ordinarii, die III. Martii anno 1575. congregatio censuit Papam ex Concil. id posse concedere sivelit narrat Pignattellus *Tom. 6. Cons. 12.*

Ex qua diffusa explicatione patet potestatem chrismandi simplici presbytero ex Delegatione posse concedi.

(nn] *Frons signanda &c.*

Hęc verba a Cirillo Hierosolimitano cathechesi 3. mystagogica desumpsimus. Hæc enim habet. *Et primùm quidem Fronti illinitur ut eum abstergat a vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat; Simulque efficiat ut positis vultu non velato gloriam Domini intueri.* Neque omittam quod ait *Amalarius Fortunatus* nempe per istam manus impositionem, signum Crucis, & unctionem in fronte, eam faciei partem liniri, atque signari ubi Pontifex Aaronicus in lamina aurea insculptum Dei nomen gerebat - *In can.* (verò) *novissime de Consecr. dist. 5. scriptum est: chrismatur in fronte quia in Confirmatione confertur audacia spiritualis, & audacia confessionis.*

(oo] *Adest patrinus.*

Hunc morem quem asserimus in Sacramento Confirmationis adhiberi a Patrino; præscribit Romanum Pontificale his verbis. *Infantes per Patrinos ante Pontificem chrismare volentem teneantur in Brachiis dextris; Adulti verò seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui ita in §. infantes pag. 2. &c.*

Ad quod officium.

Patrini Confirmationis duo esse non possunt sed unus vel una; Ut habetur in *can. non plures de Cons. dist. 4. & docet Cabass. de Sacramento Confir. in scientia Can. L. 3. cap. 3. n. 3.*
50 Ità ut Vir sit Patrinus Viri confirmandi, mulier mulieris, ut habetur *in Pontificali T. 1. de Conf. Diana in Summa verbo Patrinus n. 1. & 2. Choninchbius de Baptismo quæst. 67. art. 8.* docet de consuetudine unum vel unam esse Patrinū, *can. non plures 100. de Conf. dist. 4.* idem affirmat *Barbosa ad Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. n. 38. & 39. Sanchez L. 7. de matr. disp. 57. n. 9. Toletus L. 2. cap. 13. n. 11. cap. fin. de Cogn. Spirit. in 6. Bonaccina de Imped. Matr. quæst. 3. Punct. 6. §. 2. n. 31.*

Patrinos confirmationis esse posse relligiosos mendicantes docuit *Choninchbius 3. par. quæst. 67. art. 7. n. 56. de Sacramentis.* Quia ut ipse 51
probat *in can. Monachi de Cons. dist. 4.* Monachi solum tale Officium exercere prohibentur. Veruntamen contrarium est probabilius. Quia Rituale Romanum jussu Pauli V. editum ita habet - *Prætereà ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujusclibq. ordinis regulares, a seculo segregati, &c.*

Quod verò spectat ad Patrini obligationem non amplius confirmatum erudire obligantur. Quia sufficienter creditur, a Parentibus, vel Præceptoribus, vel publicis cathechisticis erudiri ipsos; secus esset dicendum si inter hęreticos 52
confirmatus reperiretur *Sà verbo baptismus n. 17. Choninchbius q. 67. art. 8.*

(pp] *Locus Interdictus.*

Locus interdictus non impedit Episcopum signare fideles. Ita decrevit Innoc. III. *in cap. responso §. præterea de Sent. Excom.* ibi *præterea quæsivisti, cum Ferrariensis Civitas sit in interdicto supposita, & ideò sint ibidem universa* 53
Sacramenta Ecclesiastica interdicta an liceat ibi baptizatos pueros in Frontibus consignare. Super quo respondemus quod sicut baptizari possunt pueri, sic et baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacro Chrismate deliniri &c. Imò et solemniter tempore interdicti posse tale Sacramentum administrari infert ex hoc Textu *Gonzal. in cap. quod inte x. de Pænit. n. 2. in com.*

(qq) *Locus in aliena diacesis positus.*

In aliena Diæcesi Episcopus non valet confirmare Baptizatos *Trid. sess. 4. de Reform. cap. 5.* ibi - *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diæcesi exercere nisi de ordinarii licentia*; Nam administrare hoc Sacramentum est exercere aliquam Jurisdictionem aliquo modo *Peyrin. de Privil. minim. Tom. 1. Const. 216. Leonis X. §. 146.* Et cum 54
Tridentinum Episcopo inhibeat Pontificalia in alterius Diæcesi exercere; Satis ostenditur prohibitam hanc quoque administrationem Sacramenti, Nam Pontificalium nomine veniunt actiones propriç ordinis Episcopalis, collatio ordinum, consecrationes Virginum, & actus Sacerdotales quatenus exercentur cum apparatu Pontificali. *Quam intelligentiam præstat Sanchez Cons. Mor. L. 7. cap. 1.*

Eandem ob rationem exempti debent quæ

sunt

sunt ordinis Episcopalis ab ordinario petere, quia exempti subsunt Diœcesano in actibus voluntariè Jurisdictionis; Ita docet *Erasmus Chobiev de Jurisd. in Exemp.* P. 4. q. 42. *per tot.*

Quæstionis tamen est admodùm perplexæ an Episcopus in Ecclesiis Parochialibus regularium possit tempore visitationis chrisma conficere, & administrare? Cum enim Ecclesiæ Regularium exemptæ sint neque exemptio revocata sit a *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 11. Videtur Episcopo id nullo modo esse concessum.

Utcumque tamen alii senserint. Adherendum censeo Pignattello *Tom.* 8. *Conf.* 7. *n.* 8. Et affirmo posse Episcopum in Ecclesiis Parochialibus regularium chrisma conficere, & administrare.

55 Ad quod probandum. Sufficiat varias declarationes adnotare.

I. Declaratio Sacræ Congregationis emanavit hac super re *die* 9. *Junii anno* 1657. his verbis - *An Eminentissimus Episcopus Brixiensis in Ecclesia Parochiali Monachorum exemptorum possit administrare Sacramentum Confirmationis invitis ipsis regularibus, II. & quatenus possit an contrà eosdem regulares impedientes dictam administrationem valeat censuris procedere - Sacra Congregatio re pluries proposita, utraque parte informante affirmative ad utramque dubitationem Respondit &c.*

II. Declaratio emanavit *die prima Octobris anno anno* 1661. in Passaviensi Jurisdictionis his verbis - *Cum inter alia quæreretur sexto loco, an prædicti Parochi regulares exempti teneantur sacrum Chrisma, & olea accipere, ab Episcopo Diœcesano, ut ei possit constare, an veteribus, vel nullis nisi ordinariis vel communibus utantur Ad sextum respondit affirmativè late Pignattellus ead Conf. n* 34.

His Delarationibus addi potest *Clementina* 2. *de Privil.* ibi *Archiepiscopo per quævis loca exempta sua Provinciæ facienti transitum* (et infra] *ea etiam in Pontificalibus celebret*.

(rr) Ab Episcopo statim post Baptismum.

DISSERTATIO III.

De confirmationem statim post Baptismum.

Olim post Baptismum Vix ulla mora interposita Episcopus Baptizatorum Frontes Sacro Chrismate signabat.

Sed ut ex hoc ritu qui saltèm in Occidentali Ecclesia justissimas ob causas in observatione non est, aliquam utilitatem inferant studiosi sacrorum Canonum, placet paulo diligentius novam examinare controversiam, cujus status hic est: An Ritus quo olim utebatur Ecclesia chrismandi statìm post Baptismum, nunc possit Græcis ex tolerantia permitti, qui eo utuntur in quibusdam regionibus.

56 SIT NOSTRA CONCLUSIO.

Potest tolerari ritus quorumdam Græcorum qui statim post baptismum Sacramentum conferunt confirmationis.

Hæc autem assertio explicatione indiget. Si enim quærimus, an hodie sit ulla Græcorum Natio quæ hunc Ritum observet? Apud Cophtos aliosque nonnullos Orientales mos iste viget, qui et statim baptizatum chrismant in fronte, & ulterius Eucharistiam Sacrosanctam tribuunt; Narrat Alphonsus a Castro *vers. Baptismus*. Idemque de Abyssinis affirmat *Zagizabus* illius gentis Episcopus in *Libello quem de Religione Abyssinorum edidit Pignatt. Tom.* 6. *Conf.* 41. *n.* 31. His præcognitis.

Probatur I. Conclusio. Quia extat in tali controversia Declaratio Sacræ Congregationis S. Officii subanno 1613. narrat *Pignatttellus Tomo V. Cons.* 62. *per tot.* qui asserit id decrevisse non semel Cardinales, quæ declarationes Jus faciunt ut in *L.* 1. nostrarum Institutionum probatum est.

Probatur II. Quia diversi Ritus nonnunquàm in Oriente, & Occidente servari possunt.

Quæ propositio ita explicatur. Nam interdùm sine scandalo quidam ritus amoveri non possunt, quo casu extat Bulla Innoc. IV. super Ritibus Græcorum quæ incipit *sub Catholica*, & *in* §. *circà hæc* decidit his verbis - *Si tolli sine scandalo vel removeri non potest toleretur.* Verùm si Græci varient in aliquo ritu, a Latinis instirutis, eaque persuasione ducantur, ut censeant nos occidentales errore lapsos quia recedimus ab eorum observatione, non modo tolerandi non erunt, verum ut Schismatici judicandi. Est et alia Regula pro ritibus discernendis aptissima. Nam sunt intolerabiles diversi ritus si cum Fide Catholica pugnent, Rationique obsistant. Pugnat cum Fide Catholica Ritus ille Armenorum qui ut Dioscori errorem profiteantur unam tantum in Christo liberatore generis nostri, naturam asserentis, quoties celebrant vino aquam non immiscent. Pugnat cum fide Catholica Ritus ille Jacobitarum qui in Oriente Eucharistiam tribuunt Impuberibus Confessione culparum minimè præmissa, cum tamen expiatio culparum per Sacramentum penitentiæ præmittenda sit divino mandato *Trid. sess.* 13. *cap.* 7.

Porrò obsistit Rationi, Abyssinorum ille ritus ut tempore Baptismi circumcidant pueros, imò est manifeste erroneus, & inexcusabilis, de ritu qui his temporibus viget testatur Guliel. Regin. in suo Calvino Turcismo l 2. cap. 9. Quam sit hic ritus detestabilis probat Valentia l. 2. disp. 7. q. 7. Puncto 8. Quamquam satis hæc omnia astruit tolerari non posse luculenter Innoc. IV. in dicta Bulla in principio his verbis - *Quamquàm in his (tolerandis) quæ animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticæ, derogarent non debeamus illi deferre aliquatenus nec velimus &c.*

Atqui si quærimus quid sit censendum de ritu confirmationis illico post Baptismum admi-

mini-

ministrandæ; Cum et supponamus scandalum aliarum Ecclesiarum cessare, neque Ecclesiasticę honestati derogare, neque adversari Fidei Catholicæ articulis, tolerari potest.

Nam si adversaretur Catholicæ fidei articulis planè prisco ęvo hic ritus in usu non fuisset, cum tamen, ante quam Silvester Pontifex instituisset ut simplex presbyter ungeret infantis verticem Sacro chrismate (fronte tamen Episcopo reservata) utique simul cum Baptismo Sacramentum confirmationis recipiebatur a Baptizatis, sive Pueris, sive adultis *can. nullus* 115. *de Conf. dist.* 4. *can. presbyteris* 119. *cap. presbytea* 120. *can. omni tempore* 124. *de Conf. dist.* 4. *Gonzal. in cap. quanto de Conf. n.* 16.

Ergo nemo dixerit talem ritum in illis Regionibus in quibus observatur nostro ævo, tolerari non posse.

Probatur III. Argumento a simili. Nam Greci minores gradus videlicet Acolyti, exorcistę, & Ostiarii non conferunt, tantumque Lectoris Psalmistæque gradum administrant ut colligitur ex *can.* 5. *Synodi* 7. Deinde majores gradus Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyterii absque ulla manuum unctione administrant. In consecratione vero Episcopi non plures Episcopi, Sed unus manus imponit super caput consecrandi. Quinetiam Græci non observant in Gradibus conferendis interstitia nisi a minoribus ad majores intervallum septem dierum Balsamon in *can.* 27. *Concil. Const.* Si quæritur ratio cur hæc diversitas rituum admittatur. *Gonzales in cap. cum secundum de tempor. Ord.* affirmat, diversas cæremonias quibus non lædatur Jus divinum, neque essentialia Sacramentorum immutentur, esse tolerabiles.

Atque eiusmodi est ritus tradendę illico post Baptismum Confirmationis.

Probatur IV. ex D. Gregorio L. 1. *Epistola* 4. *ad Leandrum Episcopum Hispalensem his verbis - In una fide nihil officit Sancta Ecclesia consuetudo diversa.*

Probatur V. Qia Patriarca Maronitarum Gregorium XIII. de multis interrogavit anno 1578. inter quæ sciscitabatur his verbis - *Ordo Baptismatis nostri diversus est ab Ecclesia Romana quamquam Forma sit eadem.* Quęrebat an tuto observari posset? Interrogationi quæ versabatur etiam circa ritum statim concedendæ Confirmationis, post salutares baptismi Undas, Responsum hoc impertivit S. Pontifex *Florentinum reliquit suas Græcis cæremonias, possunt ideò etiam Maronitis permitti, dummodo per Viros Doctos ab omni erroris specie purgentur*, narrat Pignat. *Tom.* 6. *Cens.* 41.

Sed vehementer Conclusioni, assertionique propositæ reclamat Textus in can. literis de Conf. dist. 3. ubi Fabianus Orientalibus Episcopis ita scribit - *Literis vestris inter cætera insertum invenimus quosdam regionibus vestra Episcopos a vestro nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cæna Domini chrisma conficere. Errant verò qui talia excogitant:* Ergo non tolerantur juxta hunc Canonem diversi Græcorum Ritus.

Sed Responsio petenda est ex Regulis quę in secundo argumento declaratæ sunt quod attinet ad tolerantiam diversorum Rituum. Tolerari namque nullo modo possint ritus quibus Ecclesiasticæ obviatur honestati, scandalum generatur aliarum Ecclesiarum, leditur ve Catholica Fides, cum vero chrisma renovare a S.S. Apostolis, & successoribus acceptum sit, & Christus Dominus in ultima Cęna docuerit chrisma conficere, diversa observantia inexcusabilis est. Atque eadem Responsione quidam alii Canones explicantur.

[ss] *Usque ad Septennium.*

Confirmationis Sacramentum dari potest homini in tenera ætate, sed necesse est supra septennium esse ex Decreto Concilii Mediol. I. par. 1. tit. quę pertinet ad Sacramentum Confirmationis Concilii Coloniensis 2. part. 7. cap. 8. & 9. Lauria verbo Confirmatio, & in Cathechismo tit. de Sacramento Confirmationis ita 57
legitur: ad quod sanè pugnæ genus Pueros qui adhuc usu rationis carent nemo aptos esse dixerit. Quare, apud Dubraum l. 20. Histor. Bohemiæ scriptum est, quod Joannes Bohemorum Rex, Venceslaum filium in Galliam, ad Regem Carolum cum misisset, ut a pueris statim Gallicis moribus imbueretur; Carolus anno septimo vix elapso a Præsule Ritu solemni Puerum confirmari curavit; ratio quoque adest, ut post annorum decursum, fidelis ejus Sacramenti recordetur *Cabassut. in hunc tit.*

[tt] *Ut omnes essent jejunii.*

Jejuni deberent esse qui conferunt, & qui recipiunt confirmationis Sacramentum *can. ut jejuni, can. ut Episcopi de Conf. dist.* 5. Sed lo- 58
quuntur hi Canones ex honestate quadam, ut est in Pontificali Romano, ait enim - *Confirmandi deberent esse jejuni*, & deducitur ex *Can. honestum* 22. *q.* 5. Nam Cornelius Papa sic loquitur. *Honestum etiam videtur ut qui in Sanctis audet jurare, & h c jejunus faciat*, & similiter Testimonium debet dicere jejunus *cap. placuit x. de Testibus* non tamen juramentum ex necessitate, aut Testimonium, requirit hanc cibi abstinentiam, sed tamen valde honestum est, *nam Geneseos cap.* 2. Sacra Scriptura proponit quod Isaac, & Abimelech convivio pridie celebrato surgentes, manè jurarunt.

[uu] *Post horas etiam pomeridianas &c.*

Hoc præclare affirmat Cabassutius in Scientia Canonica *tit. de Sacr. Confirm.* his verbis, *Consuetudo enim passim involuit ut differatur hoc Sacramentum post horas pomeridianas, atque etiam* 59
post vespertinam horam &c.

DE

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

TITULUS V.



IRTUS (*a*) Pęnitentiæ, quæ charitate perficitur, Deoque reconciliat, fuit quidem universis hominibus in aliquod peccatum mortale prolapsis quovis Tempore necessaria, ad spem æternæ vitæ reparandam, sive statum Naturæ, sive statum Mosaycæ legis consideres; Hinc (*b*] illa holocausta, illæ Arietum oblationes, & cineres, & Cilicia, & labor in gemitu, & tota die contristatio, & animæ amaritudo, & odium anteactæ vitæ, & doloris acerbitas inexplebilis.

Christus tamen redemptor humani Generis, dives in misericordia, ut de remissione peccatorum minus nobis dubitare liceret; & quia nemo salutem nisi per Christum, ejusque passionis beneficio consequi potest, Pœnitentiam [*c*] Sacramentum esse voluit, cujus vi, & efficientia Christi Sanguis ad nos defluens peccata post baptismum patrata elueret, atque ità reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

Ergo a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens *accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittentur eis, quorum retinueritis retenta sunt*. Quibus verbis hujus (*d*) apparet institutio Sacramenti, cum et sensibile signum absolutio sit, & gratia promittatur remissione culparum, & Apostolis, & eorum legitimis succesoribus fideles reconciliandi post baptismum lapsos, potestatem fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos (*e*) remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia Catholica tamquàm hæreticos explosit, atque condemnavit.

Jam verò si materiam hujus Sacramenti quærimus, etsi aliorum Sacramentorum materia est res aliqua Naturalis, vel arte effecta, hujus tamen Sacramenti quasi materia [*f*] sunt actus pęnitentis nempe contritio, confessio, & satisfatio, qui quatenus in pœnitentiæ ad integritatem Sacramenti, & plenam ac perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac Ratione partes pœnitentiæ dicuntur; Atque ex his actibus Confessio criminum cum dolore Exomologesis [*g*)

Græ-

Græca voce olim appellabatur.

Contritio [*b*) consistit in Dolore animi, culpæque commissæ detestatione, accedente (*i*) proposito non peccandi de cetero. Hæc vero duplex perfecta, & imperfecta. Perfecta contritio Dolor est commissi peccati tamquam summi mali abolendi, quatenus Deo super omnia dilecto repugnat. Imperfecta (*k*) contritio quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & pęnarum metu concipitur si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, Donum Dei est, & Spiritus Sancti impulsus quo pænitens adiutus viam sibi ad Justitiam parat; atque ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponitur.

Confessio expressio q ue [*l*] Peccatorum, jure Divino necessaria est, in quæ Christi fideles exciderunt; Cumque Dominus noster Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquerit tamquàm præsides, & Judices ad quos crimina deferantur, quo pro potestate clavium sententiam pronuncient, constat ad aures Sacerdotis peccata esse detegenda. Falsum, (*m*] confessionem auricularem inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse. Falsum in Ecclesia Græca [*n*) a Nectario Patriarca cui Joan. Chrisostomus successit, confessionem secretam culparum abolitam fuisse. Falsum in (*o*) genere dumtaxat, & non potius in specie, ac singillatim peccata Sacerdoti esse declaranda. Principiò debet quisque se diligenter (*p*) excutere, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorare, doloreque debito concepto, non [*q*) absens se, literis scriptis sacerdoti, accusabit, sed præsens; & illas (*r*] circumstantias explicabit, quæ speciem peccati mutant. Hoc tamen verum est cum peccata (*s*) inequalia sint partim mortalia, partim venialia; Peccata [*t*] venialia quibus a Gratia Dei non excludimur, taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse. Illud quoque verum est quoad confitendi modum, Christum quidem non vetuisse, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, & Ecclesię ędificationem, delicta sua publicè [*u*) confiteri possit, non esse tamen hoc divino præcepto mandatum; Nec satis (*x*) consulte humana aliqua lege præceptum, ut secreta delicta, publica essent confessione aperienda.

Post hæc, ut de satisfatione loquamur; Hæc pro peccatis exolvenda est, ità ut occultis occulta; publicis [*y*) publica, scandalosis flagitiis solemnis (*z*) iniungatur pęnitentia: Et licet [*aa*) pęnæ plurimę, pro certis delictis in Jure Canonico statutæ inveniantur; Nulla tamen ex his facto (*bb*] ipso incurritur. Hæc verò (*cc*) satisfactio pars integralis est Sacramenti Pęnitentiæ, neque omittenda. Duo enim peccatum consequntur, *macula* (*dd*) & *pęna*; Quamvis autem culpa dimissa supp-

pli-

plicium apud inferos constitutum condonetur; tamen non semper contingit ut Dominus peccatorum relliquias, pęnamque certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, remittat; Aut ergo in hac vita satisfaciendum est, aut si contigerit aliquem obire pæna nondùm condonata, non priùs animæ ad Patriam æternam patebit ingressus, quam purgatorio (*ee*) igne cruciata ad definitum tempus expietur. At nostri liberatoris misericordias in æternum cantemus! Ille sponsę suę dilectæ *ECCLESIÆ*, facultatē tribuit absolvendi a reatu pænæ temporalis luendæ, applicando Thesaurum satisfactionum Christi, & Sanctorum, & hęc absolutio remissioquè pęnæ *Indulgentia* [*ff*] dicitur, quę juvat etiam defunctorum animas in purgatorio [*gg*) existentes.

Hactenus de quasi materia huisce Sacramenti verba fecimus; jam de forma videamus: Est autem [*hh*) forma: *ego te absolvo*, quæ verba ostendunt peccatorum remissionem hujus Sacramenti administratione effici, eademque verba explicitè prolata, ad valorem Sacramenti sufficiunt, addunturque præteræa complures preces. Absolutio autem statim a Sacerdote conceditur [nisi differre consultius esse duxerit]: Tametsì Ecclesia tempore persecutionum, ne lapsorum augeretur malitia, in certis flagitiis, non illicò absolutionem impertiret, sed priùs valdè longa peragenda erat pænitentia, ut in [*l*] explicationibus ostendemus.

Dicendum nùnc de Pænitentiæ ministro. Hic non potest (*mm*) esse laicus, quin immò ne Diaconus (*nn*] quidem. Jurisdictio, a Chisto confertur Sacerdotibus, dum ordinantur, quibus ab ordinante dicitur *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Verùm, ut sacerdos sit minister idoneus, est ab Episcopo (*oo*] approbandus, aut is Parochiale (*pp*] beneficium obtineat, quo casu lex approbat; Ac novissime Innocentii XI. (*qq*) decreto non permittitur, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato. Addendum, quod interdùm approbatus Sacerdos absolvere non potest, casus nempè ab Episcopo, aut Pontifice reservatos; Episcopus tamen in Ecclesia Cathedrali constituet (*rr*) Pænitentiarium, qui absolvat a casibus Episcopo reservatis. Romæ [*ss*) etiàm, in tribus Patriarchalibus Basilicis tres Pænitentiarii absolutionem, a casibus [*tt*] Pontifici reservatis impertiunt. Verumtamen in mortis articulo [*uu*) quilibet Sacerdos potest ab omni Culpa, & a Censuris etiam reservatis absolvere. Nullus tamen (*xx*) Sacerdos auditas culpas ullo modo potest revelare.

Remanet usus hujusce Sacramenti explicandus. Necessaria (*yy*] imprimìs Pænitentia omnibus post Baptismum lapsis in grave peccatum, & necessaria ex pręcepto divino. Huic accessit (*zz*] præceptum ecclesiasticum, ut omnis utriusque sexus, semel in anno confiteatur. Insuper (*aaa*) Medicis, ab Innocentio III. præcipitur, ut ęgrotos moneant confiteri.

fiteri. Concilium Viennense jubet admitti ad pænitentiam deputatos [*bbb*] ad ultimum supplicium. Bonifacius VIII. tempore (*ccc*] quoque Interdicti, hoc Sacramentum concessit administrari.

SUMMARIUM.

1 *PÆnitentiam esse virtutem ostenditur.*
2 *Tertulliani locus explicatur.*
3 *Exempla pænitentiæ, ut virtus est.*
4 *Pænitentiam esse Sacramentum canonum antiquorum auctoritatibus evincitur.*
5 *Institutio huius Sacramenti explicatur Canonum auctoritatibus.*
6 *Novatianorum historia.*
7 *Materia hujus Sacramenti quæ sit.*
8 *Exponitur canon difficilis.*
9 *Exomologesis quid significet.*
10 *Contritio quid sit, Canonum auctoritatibus exponitur.*
11 *De proposito, varii canones expenduntur.*
12 *Difficilis canon circa propositum exponitur.*
13 *De Imperfecta contritione.*
14 *Propositio quædam ab Inn. XI. damnata refertur.*
15 *De Confessione auriculari.*
16 *Prophana exempla canones interdum non spernunt.*
17 *Confessionem auricularem non fuisse a Concilio Lateranensi introductam Canonum antiquorum auctoritate adstruitur.*
18 *Canonum variorum explicatio.*
19 *Historia* N.ctarii *latè exponitur ad canonum quorundam notitiam assequendam.*
20 *Ex hac historia explicatur Textus difficilis.*
21 *In genere peccata exponere non sufficit, probatur canonum auctoritate.*
22 *De examine culparum, plura traduntur.*
23 *In absentia culparum confessio prohibita Clementis* VIII. const.
24 *De Circumstantiis culparum plures canones traduntur.*
26 *Peccata esse inæqualia fuse demonstratur contra Calvinum Lutherum, & contra Stoicos.*
27 *De peccatis venialibus.*
28 *Olim ad Confitenda venialia tempus erat præscriptum.*
29 *Publicæ confessionis exempla non pauca.*
30 *Quibusdam in regionibus inconsulta Lege lata præcipiebatur publica confessiones.*
31 *De Publicis pœnitentiis varia antiquitatis notitia.*
32 *Publica pœnitentia quando nam ab usu recesserint, & quam ob causam.*
33 *Publica pœnitentia a quonam imponebatur.*
34 *Publica pœnitentia non inducebat irregularitatem.*
35 *Publica pœnitentia a solemni distabat.*
36 *Exponitur canon difficilis.*
37 *De solemni pœnitentia tractatur diffusissimè & de variis pænitentium stationibus.*
38 *De Reconciliatione pœnitentium.*
39 *Pœnitentia solemnis an sit in usu.*
40 *Certa delicta certam habent a Canonibus pœnam definitam, & quæ nam ea sint.*
41 *Nulla pæna delictis præscripta ipso facto incurritur.*
42 *Proponitur Consultatio Pignatelli.*
43 *De Satisfactione.*
44 *De macula, & pæna peccati.*
45 *Tractatur de Purgatorio ex Canonum antiquis auctoritatibus.*
46 *Tractatur de Indulgentiis ex Canonum auctoritatibus.*
47 *Est in Ecclesia Thesaurus satisfactionum.*
48 *Est in Ecclesia facultas applicandi reis luenda pænæ Temporalis Thesaurum.*
49 *Indulgentia liberat a Reatu pænæ coram Deo & coràm Ecclesia.*
50 *Diversitas indulgentiarum explicatur.*
51 *De Jubilæo latè differitur.*
52 *De Anno sancto tractatur.*
53 *Indulgentiæ prosunt defunctis, & quomodo? latè ex Textibus exponitur.*
54 *Forma pœnitentiæ Sacramenti.*
55 *Refellitur dissertatio quaedam Cabassutii.*
56 *Pro quibusdam flagitiis diu absolutio olim differebatur; ostenditur historia antiquitate, & ex Sacris Canonibus.*
57 *Laicus non est pœnitentiæ minister idoneus, explicantur varii canones.*
58 *Diaconus non est minister idoneus, varia hac occasione exponuntur.*
59 *Minister idoneus est quem approbat Episcopus; plura de approbatione traduntur.*
60 *De Parochi Jurisdictione.*
61 *De obligatione confitendi proprio Parocho elegans observatio.*
62 *Pænitentes alienæ Diœcesis, quo Jure ad Confessionem admittatur.*
63 *Interpetratio Textus proponitur.*
64 *De simplici presbitero novum Innoc. XI. decretum.*
65 *De pœnitentiario, quis sit, a quo, & ubi constituatur.*
66 *An Pœnitentiarius, sine speciali commissione possit absolvere a casibus Episcopo reservatis.*
67 *De Romana pœnitentiaria, ejus prisca origine elegans notitia.*
68 *Recensentur Casus Romano Pontifici juxta Canones reservati.*
69 *In mortis articulo nulla est reservatio.*
70 *De Sigillo Confessionis multa juris Canonici*

pro-

EXPLICATIONES.

[a] Virtus Pœnitentia.

DISSERTATIO I.

De virtute Pœnitentia.

Quod Pœnitentia virtus sit, Canonum declarant auctoritates, & Rationes.
1 *En Textis in can. pœnitentiam 6. de pœn. dist. 3.* ibi - *magna est enim contra Peccatum Virtus pœnitentia*. Textus similis *in can. ille Rex de Pœn. dist. 3. in can. inter hæc de Pœn. dist. 3.*

Fulcitur hęc eadem assertio, illustraturque rationibus. Quippe nisi ad Rationem Virtutis spectaret Pœnitentia, tam multa tradita non essent de Pœnitentia præcepta, veluti *in cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & toto Tit. extra de Pœn. & Remiss.* Lex enim de his tantum actionibus quæ cum virtute suscipiuntur, pręcipit *can. omnis dist. 3. cap. facta eam. erit autem Lex dist. 4.*

Deinde Pœnitentia, si finem consideres ad Justitiam spectat. Quem pœnitet peccatum abolesse sibi proponit, & Deo satisfacere, & in ejus gratiam redire cujus offensionem, & odium propter peccati fęditatem incurrit; ita ratiocinatur *Catheechismus de Sacramento pœnit.* Quare D. Ambrosius *L. 1. de Officiis cap. 25. hæc habet. Ille enim Iustus qui nec sibi parcit, & occulta sua latere non patitur*, & Baruc. *cap. 2. anima quæ tristis est super magnitudine mali dat tibi gloriam, & justitiam*.

Ultra hæc modus in Dolore Pœnitentię tenendus est, ut nec minor sit quam par est, nec ita se mærori atque ægritudini dedat animus, ut de salute prorsus desperet, qualis fortasse Caim videri potest, qui ait *major est iniquitas mea quam ut veniam merear Genes.* 4. & qualis certe Judas fuit qui pœnitentia ductus suspendio vitam animamque amisit Matth. 27. considerat Textus *in can. sceleratior de Pœn. dist. 3.* Ita & Esau pœnituit sed *lacrimæ illæ erant animi violenti, & indignationis ęternę* ait Textus *in can. Judas de pœn. dist. 3.* Sperandum vero de Gratia ait Textus *in can. si apostolus de pœnit. dist. 3.* & sicut seta introducit linum ita timor introducat charitatem, ut ait Textus *in can sicut seta de pœn. distinct. 2.* & de eadem spe est Textus *in can. nemo de pœn. dist. 5. can. libenter ib.*

Virtutis porrò est servare modum; Quare D. Basilius in Isaiam, *Virtus (ait) est quædam inter excessum, & defectum mediocritas.* Et D. Hieronimus in Isajam *cap. 52. l. 14. Neque enim (inquit) vitia, & perturbationes invicem se sequuntur, quod de Virtutibus dicitur in quibus* imperbasis *sunt nec ellipsis idest nec plus nec minus sed omnia temperata*. Quo etiam in sensu Horat. *Epist. 18. l. 1.*

... Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.

Hinc veteres ternarium numerum dedicarunt Justitiæ, ut de Pithagoricis disciplinis Plutarcus ait. Iniuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcircò vitiosa, justum ęqualiter utrinque reductum in medio residet *Pier. Val. l. 3. p. 83.*

Neque omittendus Lactantii locus in Epitome divin. Inst. ibi *Confugiamus ad pœnitentiam quæ non minimum locum inter virtutes habet quia sui correctio est &c.*

Sed esto vera sit hęc assertio, Pęnitentiam ad rationem virtutis pertinere. Quem igitur sensum habet Tertulliani locus *in l. de pœnit. in* 2
Principio dum ait *Pœnitentiam passionem animę quamdam esse, quæ veniat de offensa Sententiæ prioris*; Si Pœnitentia passio est non ergo virtus. Unde *Aristot. 4. Æth.* ait verecundiam quia passio est, non esse virtutem.

Distinguendum cum Suarez *in 3. partem D. Thoma Quest 84. artic. 1. pag. 4. n. 4. & 5.* Si hæc perturbatio aut verius passio appetitus sensitivi, unicè consideretur, plane virtus incongruè vocabitur, cum juxta hanc acceptionem virtus non sit; At vero quòd in voluntate, electione, consilioque, & prudenti deliberatione retractatio præteriti facti posita est, ex hac parte Pœnitentia virtus est. Quare clemens Alexandrinus *l. 2. Strom. Pœnitentiam vocat magnam intelligentiam*, & D. Augustinus *l. De vera, et falsa pœnit.* providam Christi, devotam pœnitentem appellat, ibi - *hæc omnia provida virgo sensisti quæ hoc Bonum tantum dilexisti*. Alia mox addimus.

(b) Hinc illa Holocausta illa Oblationes Arietum, &c.

Exempla virtutis Pœnitentiæ ad redimenda peccata in statu Legis Mosaicæ plurima occurrunt. 3

Levitici cap. 4. Si peccasset Princeps, & postea intellexisset peccatum suum debebat offerre hostiam Domino hircum de Capris immaculatum, privatus autem de populo terræ offerebat capram immaculatam, ponebatque manum super caput hostiæ, & cap. 5. Anima, quæ ju-
» raverit (& infra) agat pœnitentiam pro pec-
» cato, & offerat, de Gregibus agnam sive capram,
» & de his oblationibus est elegans Textus *in can.*
» *inter hæc de Pæn. dist.* 3. *& cap.* 6. *Anima quæ peccavit (& infra) pro peccato suo offert Arietem immaculatum de Grege*.

Ezechielis cap. 18. *Convertimini, & agite pænitentiam, ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*, & ibid. cap. 33. *Convertimini a vitiis vestris pessimis, & quare moriemini Domus Israel?*

Jonæ cap. 3. *Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis, & Principum ejus dicens: Homines, & Jumenta, & Boves, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur Saccis homines, & Jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum*. Et de hac Ninitivarum Pænitentia, quam novum peccatum sequtum est, & ideo ira Vindicis Dei subversa est Textus *in can. sicut ait; & in can. Nautm de pæn. dist.* 3.

III. Regum 21. *Itaque cum audisset Achab sermones istos scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*, prosequitur historiam, & effectum pœnitentiæ Textus *in can. sicut Achab de pænit. dist.* 3.

» I. Regum 12. Ingressus est David ad Bersa-
» beę uxorem Uriæ Ethei, & a Nathan prophe-
» tante correptus Respondit dicens *peccavi* statim-
» que meruit audire, & Dominus abstе abstulit
» peccatum; Adulterio enim junxerat Homici-
» dium, & tamen conversus ad lacrymas *miserere*, ait, *mei Deus secundum magnam misericordiam tuam; Hæc omnia sunt in can. totum de pænit. dist.* 3. Similisque narratio habetur in *can. illud, in can. ille Rex de Pænit. dist.* 3.

Et Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. *Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujusmodi generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam ante acta vita odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*.

(c] *Pœnitentiam Sacramentum esse voluit*.

4 *Si quis dixerit in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis*, *a Christo Domino nostro institutum: Anathema sit*, *ita Trident. De Sanctiss. Pœnitentiæ Sacramento can.* 1.

Quo canone perversa hæreticorum audacia, atque temeritas contunditur aliter opinantium. VValdenses putabant Christum approbasse, ex hac parte Mosaicam legem, non verò pœnitentiam ad rationem Sacramenti extulisse, *quos refellit Vasquez. quæst. 9. articulo 1. de Sacramento pœnitentiæ dubio 1. n. 4.* Cavendum præterea a Glossa ad verba Gratiani in principio *distinctionis V. de pænit.* dum ait *Pœnitentiam institutam fuisse a quadam universalis Ecclesiae traditione potius, quam ex novi vel veteris Testamenti auctoritate*. Cavendum quoque a Panormitano *in cap. omnis utriusque sexus extra de pœnit. & Remis.* qui ait *idcirco Græcos qui non receperunt hanc traditionem non teneri Christi præcepto*. Execrabilis præterea hæresis novatorum qui pænitentiam dumtaxat esse volunt Baptismum memoria repetitum, ut narrat, Bellarminus *in Tractatu de pœnit.* & eorum singulis mendaciis erudite occurrit.

Quod ergo per Confessionem cordis accedente Contritione, & absolutione adveniente, gratia Doni Cælestis accipiatur, tradit Textus *in can. non potest 41. de Poen. dist.* 1.

Hoc idem Sacramentum in Ecclesia a Christo institutum tradit *Concil. Coloniense cap. 10. Tit. de Confess. Concil. Florentinum in Decreto Eugenii his verbis: quartum Sacramentum est pœnitentia cujus quasi materia &c.* & deinde *Effectus hujus Sacramenti est absolutio a peccatis*.

Concilium Constantiense *sess.* 15. damnat 8. Articulum Joan. Hus &c. qui hæc habebat - *Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes infideliter sentiunt de septem Ecclesiæ Sacramentis;* Ergo Pænitentia quoque refertur inter Sacramenta.

Sixtus IV. constit. 17. quæ incipit licet decernit Pænitentiæ Sacramentum non pertinere ad Legem Naturæ.

Concil. Trid. sess. 14. *cap.* 1. decernit ante Christi adventum Sacramentum pænitentiæ non extitisse.

Pænitentiam vocat Sacramentū Clemens Pontifex in clem. *cum secundum de Pæn. & Rem.*

Tempore interdicti præter Baptisma, & pœnitentiam morientium reliqua Sacramenta interdicta sunt, ait Textus *in cap. responso extra de Sententiâ Exc.* atque ex literali sensu hujusce constitutionis confirmatur hoc semper Ecclesiā tenuisse, ut pænitentia Sacramentum sit.

D. Ambrosius *l. 2. de pœn. cap.* 2. ibi *similiter impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est; Factum est igitur possibile quod impossibile videbatur.*

En jam ex tam multis auctoritatibus, ne illas huc transferam quas congerit Bellarminus, satis dilucide constat Pænitentiam esse Sacramentum novę legis.

(*d*) *Qui-*

(d) *Quibus verbis apparet hujus institutio Sacramenti.*

Si quis dixerit verba illa D. Salvatoris: accipite Spiritū Sanct. quorū remiseritis peccata remittŭtur
5 *eis, & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de Potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra Institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prędicandi Evangelium: Anathema sit Trid. sess. 14. can.* 3. quo canone obviam, it audacię Calvini qui verba Christi, *quorum remiseritis &c.* non ad institutionē Sacramenti pœnitentię, sed ad auctoritatem prędicandi detorquet, narrat *Bellarm. in hoc Tract. de Pæn.*

D. Gregorius *Homil. 16. in Evangelio hæc scribit Quorum remiseritis peccata &c. Ecce non solum de semet ipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, Principatumque superni Judicii sortiuntur, ut jure Dei quibusdam relaxent.*

D. Chrisostomus *Homil. V. de verbis Jsaię vidi Dominum. Quis hæc dicit? Ipse Celorum Rex quæcumque ligaveritis super Terram erunt ligata, & in Cœlis, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta, & in Cœlis quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit Cœlum; Nam Judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quidquid hic in inferioribus judicarit hoc ille in supernis comprobat.*

D. Augustinus *de verbis Domini Serm.* 8. *Quis peccatorem mortuum in peccatis resuscitabit nisi qui remoto lapide clamavit dicens: Lazzare prodi foras: Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat Foras prodere Qui confitetur foras prodit. Foras prodire non posset nisi viveret, vivere non posset nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione fui accusatio Dei laudatio est, (& infra) Quid ergo fuit Ecclesia cui dictum est, quæ solveris soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos, solvite illum, & finite abire, &c.*

D. Cyprianus in *Tractatu vel sermone de Lapsis. Confiteantur quæso singuli vos Fratres delictum suum dum adhuc qui deliquit in sęculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est &c.*

Et in can. *quem pænitet* 88. *dist.* 1. *de pænit. scriptum est. Qui confiteri vult peccata ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & solvere, &c.*

Et in can. *Verbum Dei* 51. *dist.* 1. *de pæn. Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos est Judex, Dominus par jus, & solvendi, & ligandi esse voluit &c.*

Et Concilium Trid. sess. 14. *de Necessitate, & Institutione Sacramenti pænitentiæ cap.* 1. *hæc habet: Dominus autem Sacramentum tunc præcipue instituit cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatum universorum Patrum consensus semper intellexit &c.*

[e] *Et Novatianos remittendi Potestatem &c.*

DISSERTATIO II.

De Novatianis.

De Novatianis qui sustulerunt pænitentiam loquuntur Textus in can. *si enim* 5. *ad hębreos de Pæn. dist.* 2. *& in can. nemo de Pænit. dist.* 1. 6
ergo ad intelligentiam hujusmodi canonum, nostrique Tituli explicationem, non erit absre ad factū preteritum cognoscendum lumen ab his mutuare qui res gestas literarum monumentis commendarunt, historiamque conscripserunt.

D. Cypriani Temporibus Novatus Episcopus Affricæ multorum flagitiorum reus, avaritia inexplebilis, Rapacitate furibundus, arrogantia, & stupore superbi tumoris inflatus ut loquitur. *Cyprianus Epist.* 8. *l.* 2. novas ac periculosas ad impugnandam Christi Ecclesiam machinas instruxerat nemini post baptismum lapso penitentiam dandam existimans. Ergo dum immineret cognitionis dies quo in Cartaginiensi Ecclesia causa ejus ageretur, Judicum Sacerdotum voluntaria fuga præcessit. Reddita quies Ecclesiæ. Sed Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans similia illic molitus est idemque schismatis incendium seminavit, (*atque hæc omnia idem Cyprianus narrat.*) Accessit, & Novatianus Presbyter Romanæ Ecclesiæ, qui hæresim Novati Romæ defendit contra Cornelium Papam qui lapsos ad pænitentiam admittebat, & præterea a Novato corruptis quibusdam Episcopis factus fuit Episcopus Romanus ut latè narrat D. Cyprianus *Epist.* 2. *l.* 4. Novatus ergo, & Novatianus eorumque Asseclæ, qui novatiani appellantur perniciosò Dogmate aditum ad Pænitentiam, & reconciliationem intercluserunt; Verùm observandum est Pænitentiam denegasse, quæ cum absolutione coniuncta esset, aliam vero Pænitentiam quæ esset sine indulgentia concedebant ut patet ex D. Ambrosio l. 1. de Pæn. cap. 2. *Quid autem (inquit) durius, quam ut interdicant pænitentiam quę non relaxent, cum utique veniam negando incentivum auferant pænitentiæ.*

Fuerunt vero duæ Rationes, & Causæ quibus hanc hæresim defendebant.

Prima. Quia Apostolus *Hebr. cap. 6. Vers.* 4. *ait* Impossibile esse, eos qui semel illuminati »

sunt

„ sunt, & gustaverunt Bonum Dei verbum,
„ ac Virtutes futuri seculi, & ciderunt, rursus
„ renovare, crucifigentes sibi met ipsis Filium
„ Dei, & traducentes &c. Quem locum ita accipiunt ut Christus non dederit potestatem Ecclesiæ ligandi atque solvendi nisi per pænitentiam, quæ praecederet Baptismum, vel quæ cum eo coniuncta esset; Nam Passio Domini, ideòque Baptismus quo consepelimur in Christo sufficienter remittit, adeòque omnem aliam impedit remissionem, ita narrat Epiphanius in hæresi Catharorum.

Respondetur locum adductum ex D. Paulo non favere Novatianis. Quia verba Apostoli sunt accipienda de alio baptismo, directa enim sunt ad Judæos credentes, ex quibus nonnulli adhuc Legem Judaicam omittere nolebant, diversisque baptismatis, seu aspersionibus utebantur; Ad illos igitur se convertens Paulus eos dehortatur ab omnibus aliis baptismis, ostenditque solum baptismum Christianorum semel collatum sufficere. Atque hoc ex verbis, quæ sequuntur dilucet, nam hortatur hæbreos ut renuncient peccatis, & ad perfectionem tendant, & Bona opera peragant quod fit per Pænitentiam. Ita Respondet Dartis *in tractatu de Pœnit. cap. 3. Oecumenius in Epist. D. Pauli ad Hæbreos d. Loco, Eulogius l. 2 Contra Novatianos*; atque apud Judæos certas aquæ aspersiones baptismata vocari pater ex *cap. XII. Judith.*

Secundum Fundamentum, Ratioque quæ in dolum Novarionos deduxit, hæc fuit. Quia videbant suis, & primis Temporibus cum magna difficultate Patres Ecclesiæ concessisse pænitentiam quibusdam facinorosis hominibus ut Idolatris, Homicidis, Adulteriis ut dicam n. 56.

Sed Respondetur hæc ita fuisse observata, non quia Ecclesia repeti Confessionem minime posse existimaret; sed ut hac severitate, perfecta ostenderetur pænitentia. Patet ex can. *irrisor de pæn.* dist. 3. *Irrisor est penitens* (ait Textus) *qui adhuc agit quod pænitet nec videtur Deum poscere subditus; Sed subsannare superbus.*

Hæc ergo est fides Ecclesiæ ut credamus nullum esse peccatum quod Pænitentia expiari non possit Textus *in can. adhuc de pænit. dist.* 3.
„ *ibi* -- Scimus autem, & primos Patres, & in
„ omni tempore Ecclesiam Dei semper usque se-
„ ptuagesies septies (quod est semper) peccata
„ remittere (& infra) cur enim Dominus Petri
„ pedes lavisset, & Ecclesiam hoc idem docuisset
„ nisi quia, quoniam quotidiana offensio est, opor-
„ tet ut quotidiana sit remissio.

Textus non dissimilis in *can. septies cadit de pæn. dist.* 3. *in can. Visis verbo habet enim* 16. *q.* 2. quibus anctoritatibus Sacrorum Canonum septuagies sepries delinquenti si convertatur ad pænitenriam, peceara donari confirmatur. Quare Callixtus Papa *Epist.* 2. *ad Episcopos Galliarū* ait *contrarium bis dicere esse contra traditas Claves Ecclesiæ disputare.*

Et Clemens Papa *L.* 2. *Const. Apostol. cap.* 20. *ibi* -- Scire igitur oportet quod Deus qui est „
misericors Pænitentiam iis qui peccatunt Jure- „
jurando promisit, „

Atque per eamdem sententiam docto excurrit Sermone D. Cyprianus *L.* 4. *Epist.* 2. *ibi post multa argumenta* -- Nec putes frater carissime, „
hinc, aut virtutem fratrum minui, aut mar- „
tiria deficere, quod lapsis laxata sit pænitentia, „
& quod pænitentibus spes Pacis oblata. Manet „
vero fidentium robur immobile, & apud ti- „
mentes ac diligentes toto corde Deum stabilis „
& fortis perseverat integritas. Nam, & Mœchis „
a nobis pænitentiæ Tempus conceditur, & Pax „
datur non tamen idcircò Virginitas in Ecclesia „
defecit &c. „

(f) Materia sunt actus Pænitentis &c.

Quasi materia hujus Sacramenti sunt tres illæ actiones, quæ totam hominis ad Deum conversionem, Pænitentis officium, & renovationem complectuntur, cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio. 7

Canones hoc confirmant. Textus in *can. perfecta de pœn. dist.* 3. *in can. tres de pænit. dist.* 1. *in can. non sufficit de pœn. dist.* 1. *in can. ecce ibid. in can. super tribus ib.*

Concilium Florentinum in *Doctrina de Sacramentis ibi* -- Quartum Sacramentum est Pœ- „
nitentia cujus quasi materia sunt actus pæni- „
tentis qui in tres distinguntur partes. Quarum „
prima est Cordis Contritio, ad quam pertinet „
ut doleat de peccato commisso cum proposito „
non peccandi de cetero. Secunda est oris Con- „
fessio &c.

Atque eodem sensu verborum Catholicam Doctrinam stabilivit adversus nefarios hæreticorum conatus Sancta Tridentina Synodus *sess.* 14. *cap.* 1. *& can.* 4.

Si quærimus quomodo Peccata quorum dolor concipiatur et confessio, & satisfactio sequatur; Materia esse possint? Optime Cathechismus satisfacit; his verbis -- Ut enim Ignis materiam, „
ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur „
ita peccata quæ pænitentia delentur recte hujus „
Sacramenti materia vocari possunt. „

Hæc tria si adsint fructifera est Penitentia ait Chrisostomus *in can. perfecta de Pœn. dist.* 1. Nam cum tribus modis offendamus Deum scilicet delectatione cogitationis, imprudentia locutionis, & superbia operis *can. super tribus de pœn. dist.* 1. *can. sed pensandum dist.* 6. ut contraria contrariis pensentur in Pænitentia veraciter tria ad esse debebunt ut scribit Gregor. *L.* 6. *in* 1. *Lib. Regum*.

Neque his adversatur Textus in can. *multi* 1. *q.* 1. ubi ideò Baptisma, Chrisma, & Eucharistia Sacramentum est quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius operatur. Peccata vero quiddam corporale non sunt. 8

Sed *Respōdetur* Verba quiddā corporea existere

ut

ut supra ad Titulum de Sacramentis in genere dictum est,

(g) *Exhomologesis vocabatur.*

DISSERTATIO III.

De Exhomologesi.

Quid sit Exhomologesis optimè omnium tradit Tertullianus *L. de pen. cap.* 9. his verbis,
9 *Pœnitentia probatio est, ut non sola conscientia praferatur, sed aliquo etiam actu administretur; Is actus qui magis Graco vocabulo exprimitur, & frequentatur Exhomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro; Sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pænitentia nascitur, pęnitentia Deus mitigatur &c.*

Et Concilium Toletanum 17. *cap.* 6. *hęc habet Exhomologeses votis gliscentibus celebrentur, quatenus dum generalem omnipotens Dominus afflictionem prospexerit, & delictis omnibus miseratus indulgeat.*

Et D Joan. Crisostomus *Parenesi* 1. *ad Theodor. Lapsum cap.* 12. *ne igitur perinde peccatum atque accusatur solum traduxeris, sed tamquam qui debet justificari per formam pænitentia, quo pacto animę Exhomologesim habenti licebit incutere verecundiam.*

Quibus auctoritatibus patet Exhomologesim esse cum Dolore peccatorum confessionem.

Non inficior tamen alium quoque sensum habuisse apud priscos auctores non nunquam Exhomologesim.

Aliquando enim significat Episcopi aut cleri manum impositionem. Nam Cyprianus *Epist.* 14. *l.* 13. (ait) *Nondum pænitentia nondum Exhomologesi finita.* Ubi apparet manifesta distinctio, & significat nondum manu eis ab Episcopo aut clero imposita, quę manus impositio reconciliatoria erat, ut supra exposuimus ad Titulum de Confirm. n. . & tradit eleganter *Rhenan. ad Tertull. de pen. l. un. cap.* 9.

Aliquando pro satisfactione Exhomologesis accipiebatur ut colligo ex D. Basilio *Homilia* 3. in illud *attende tibi*, ait enim. *Magnum et grave est peccatum tuum? Multa indiges Exhomologesi, lacrimis amarioribus opus habes, insuperabilibus, & longis vigiliis, & continuo jejunio; leve verò, & tolerabile est peccatum tuum? Ad huc tamen facienda est pęnitentia.* Vides satisfactionem, & Exhomologesim idem significasse interdùm, apud priscos auctores.

Interdum Exhomologesis significabat ultimum Pœnitentis actum, cum jam satisfactione completa ducebatur ad Episcopum ad cujus pedes projectus crimina detestabatur jam confessa. Colligitur ex D. Cypriano *L.* 1. *Epist.* 11. *astimato justo tempore, postea Exomologesi facta ad Ecclesiam redeat.*

Sed ut initio exposuimus, frequentius pro Confessione culparum cum significatione aliqua exteriori doloris interni, quo animus crucietur, apud scriptores antiquos accipitur ut probat Dartis *Tract. de Pœu. cap.* 36. Nam Græce *ex* idem est quod *Foris*, *omologia* idem quod confessio. Quare Tertullian. *Lib. de Or. cap.* 6. *Exhomologesis est petitio veniæ, quia qui petit suum delictum confitetur.*

Ceterùm inutile non fuerit varias quoque hujus vocis indicasse acceptiones, & sensus; Nam hoc veluti illaro lumine multa, quę alioquin obscura prima specie videri possint, clarescunt, ac pręsertim.

Intelligitur locus D. Cypriani *L.* 3. *Epist.* 17. dum ait -- *Si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus ecperit apud Diaconum quoque Exhomologesim facere delicti sui possit.* Quibus verbis appareret Diacono confiteri posse peccata, nisi teneas quot significationes habeat Exhomologesis; Significat ergo hoc loci D. Cyprianus aliquam manum impositionem reconciliatoriam quæ ad clerum spectasset, non verò secretam culparum expressionem.

(h) *Contritio consistit &c.*

Est contritio interna afflictio, & peccati commissi detestatio, ait Textus *in can. porro* 31. *de pen. dist.* 1. de contritione similiter habentur
Textus *in can. facilius* 32. *in can. quis aliquando* 88. *in can. ecce, in can. scindite, in* 10
can. convertimini, in can. involuntate, in can. sicuti, in can. omnis, in can. perniciose de pæn. dist. 1. *Trid. sess.* 13. *cap.* 7. *& sess.* 14. *cap.* 3. *Leo X. constit.* 40. *quę incipit exurge.*

Hic verò Dolor summa ratione contritio vocatur ducta similitudine a Rebus corporeis quæ minutatim saxo aut duriore aliqua materia confringuntur, ut eo vocabulo declaretur corda nostra quę superbia obdutverunt pęnitentię vi contundi, atque conteri; Adeò ut nec dolor ipse ex morte Filiorum parentumque susceptus tali contritionis appellatione donetur; Sed illius tantum doloris proprium est hoc nomen quo ex amissa Dei gratia afficimur, ut differit Cathechismus. Atque hoc nomen Contritionis est in scripturis Sanctis *deut.* 4. *V.* 29. *Cum quęsieris Dominum Deum tuum invenies eum; si tamen toto corde quæsieris, et tota contritione anima tuæ, & psalm.* 40. *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, & Joel* 2. *vers.* 12. *convertimini ad me toto corde vestro in jejunio fletu, & planctu, & scindite corda vestra.*

Debet ergo contritio esse Dolor super omnia mala propter Deum summè dilectum.

(i) *Accedente proposito &c.*

Pænitentia sine proposito vocatur falsa in
Jure Canonico Textus est in *can. fratres de* 11
pen. dist. 5. *in can. negotium, in can. falsus,*
in can.

in can. de his, *in can. si qui*, *in can. nihil de Pæn. dist.* 3. *in can. qui admissa*, *in can. inanis*, *in can. irrisor*, *in can. ille de Pœn. dist.* 5.

Et D. Augustinus librum ornatissimum exaravit *de vera*, *& falsa pænit.*

Propositum vero esse voluntatis, actum tradit Textus *in cap. pervenit* 2. *de Jur. in cap. beneficium*, *in cap. statuimus de Regul. in* 6. *in cap. litteraturam de Voto*. Unde Bellarminus L. 1. *cap.* 6. *de pæn. ait*: *propositum esse*, *cupere simul*, *ac velle deinceps in melius vitam commutare*. Et Suarez *Tom.* 4. *q.* 85. *art.* 1. *disp.* 4. *sect.* 3. Propositum vocat: *voluntatem*, *& intentionem corrigendi mores*, *& servandi divina mandata*.

Hoc propositum explicitum esse oportere defendit idem Suares His rationibus, quia ad assequendum finem corrigendi mores, & servandi Divina mandata aptius est explicitum propositum. Deinde quia actus hic expressus est valde congruus ad recompensandam Divinam Justitiã pravitate culparum offensam.

Difficilis occurrit Textus circa propositum,
12 in quo explicando interpetres ingenia consumpserunt. Textus est in *cap. quod quidam extra de pæn* ubi Alex. III. ait *accipiendam esse eorum confessionem*, *qui tamen asserunt a culpa se abstinere non posse*. Si propositum adeò necessarium est ut hactenus docuimus, cur ergo admittenda Confessio, proposito destituta?

Crederem Alexandrum non intelligi de Pœnitentia Sacramentali; Sed de illa Confessione quam solum salubre consilium Sacerdotis sequitur, suspensa absolutione, interim tamen crebris, & salutaribus monitis hortando Pœnitentem ut fragilitati suę orationibus, precibusque ardenti animo ad Deum fusis, prospiciat.

Alia quoque Interpretratio non omittenda circa propositum, ad Canonem Florentini Concilii *sess. ult. in Decreto Eugenii*. Dum enumerans Pænitentiæ partes ait. *Quarum una est contritio ad quam pertinet propositum non peccandi*.

Explicat Vasquez *q.* 86. *art.* 2. *n.* 3. Plane utprimùm menti occurrit Disponere de Moribus futuræ vitę necessarium esse propositum expressum cavendi a culpis, non quia addat Virtutem dolori ad Justificationem; Sed quia statim necessario sequitur idem propositum, & hunc (idem Vasquez) ait esse Concilii sensum. Ceterum, Bonaccina *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 4. ita loquitur: *efficit tamen propositum Virtuale quo quis ita detestatur peccata*, *ut si menti occurrerent peccata futura*, *firmum eliceret propositum illa præcavendi in futurum*.

(*k*] *Imperfecta contritio*.

Verbis eisdem nititur Concilium Tridentinum
13 declarans *contritionem Imperfectam non solum non faceat hominem Hypocritam* (ut per ludibrium distitant sectatores) *verum Donum Dei esse*, *& Spiritus Sancti Impulsum non adhuc quidem inhabitantis*, *sed tantum moventis*, *quo paenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat ita Tridentinum sess.* 14. *cap.* 4.

Hinc Bonaccina *Disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 4. *Punct.* 3. ita loquitur - *Hinc patet eum qui recipit Pænitentia Sacramentum*, *cum detestatione omnium suorum peccatorum ob Timorem Gehennæ vel alterius pena qua a* Deo *infligatur obtinere suorum peccatorum remissionem*.

Et idem Theologus paulo inferius hæc habet -- *Sufficit attritio quamvis aliquis non putetur contritus sed cognoscatur attritus* - *Quia alioquin Sacramentum pęnitentia numquam produceret primam gratiam*, *nec remitteret peccata mortalia*; *Sed peccata priùs remissa supponerentur per contritionem*. *Et tamen in Tridentino habetur hominem virtute Sacramenti justificari cum attritione*. *Deinde aliàs sequeretur Legem Evangelicam esse antiqua graviorem*, *in quabomines cum sola contritione justificabantur*.

Hinc quoque dicitur Uulgò attritus fieri contritus, quod idem Bonaccina ita explicat. *Non enim attritio fit intrinsece contritio*; *Sed attritus vi Sacramenti recipit gratiam quam etiam recipit contritus*.

Quæ tamen vera sunt si Dolor attritionis fit supernatnralis; Quod si agamus de illa propositione: *licitum est in Confessione uti attritione ex timore pænarum Temporalium quę à Reo tamquam a Delictorum vindice infliguntur*. Si hæc opinio doceat licitum esse deducere ad Praxim id genus attritionis ita ut dicatur esse licitum ita confiteri advertenter, subiacet damnationi *Innoc. XI. qui Propositionem I. damnat*; *Docet Cardenas dissert.* 2. *cap.* 5. *q.* 2. *n.* 72. 14

(*l*] *Confessio Expressioque Peccatorum Jure divino necessaria est &c.*

Divino spiritu instruente, hoc dogma Catholicorum declaravit Tridentina Synodus in *sess.* 14. *cap.* 5. his verbis. *Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum Confessionem*, & eadem *sess. in can.* 6. hæc habet. *Si quis negaverit*, *Confessionem Sacramentalem vel institutam vel ad Salutem necessariam esse Jure Divino*, *aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti*, *quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit*, *& observat*, *alienum esse ab institutione*, *& mandato Christi*, *& inventum esse humanum*; *anathema sit*.

Quo canone torquetur excommunicationis fulmen adversus Sectarios intolerabili protervia Sanctitati nostrorum Dogmatum reluctantes, præceptumque Confessionis Lateranensi Concilio tribuentes in *cap. omnis utriusque sexus extra de Pæn. & Rem.*

Adstipulatur Florentinum Concilium in *Doctrina de Sacramentis* ibi - *ad Oris Confessionem pertinet ut peccator omnia peccata quorum memoriam*

moriam habet sub Sacerdoti confiteatur.

Confirmat Concilium Senonen. *Tit. de Confess. cap.* 10. ex tempore institutionis factæ a Christo Joan. 20. cæpisse Confessionem Sacramentalem obligare, non autem ex Tempore Concilii Lateranensis.

Et Clemens *Epistola* 1. *ad Fratrem Domini* - ibi - *instruebat B. Petrus actus sua Vita, omni hora custodire & omni loco Deum respicere, firmiter scire, cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare*.

Nec dicant heretici Confessionem flagitiorum esse quid impossibile, adversus quos insurgit Côcil. Trid. sess. 14. can. *Si quis dixerit Confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia servat esse impossibilem* (& infra) *anathema sit*. Deus enim impossibilia non præcipit; Nec quisquam Sacerdoti narrare propria crimina debet erubescere. *Non te pudeat coram uno dicere quod te forsitan coram multis, & cum multis facere non puduit*, ait D. August. in *L.* 2. *de Visit. Infirm. cap.* 4.

Ipsi Gentiles peccata sua detegebant interdùm Lysander in Samothrachia oraculum petens, jussus est a Sacerdote Idolorum quid deterrimû in vita egisset evulgare, narrat *Plut. in Lac.* Claudius Cæsar, iræ suæ conscius in quam vitio Naturę frequenter incidebat, hoc vitium edicto suo excusans ignosci, sibi postulavit narrat, Suet. Habetur inter Laconum instituta, quod qui in aliquo delicto deprehendebatur, coactus erat aram in orbem circuire, compositamque criminis narrationem, & vituperationem se se obiurgando, decantare *Plut. in Lacon. institutis pag.* 110.

Nec sine prudenti consilio Euripides inducit Crensam *in jove*, ut flagellantis conscientiæ stimulos mitiget ex congressu cum Apolline, occultum suum, crimen detegentem.

Et Claud. *in Epigr. Satisfact.*

> En adsum, & veniam, confessus crimina posco
> Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.

Quamquam hæc profana Exempla dum in re tam sacra versamur fortasse inconveniens est adhibere, eòque magis quod dum Canones loquuntur, omnia Ethnicorum scripta sordęscunt. Nihilominus ubi fert opportunitas Sacrę Constitutiones Oratorum Poetarumque dicta non spernunt *cap. puberes de Despons. Imp. can. tur-*
16 *bat* 37. *dist. can. aut facta de Pan. dist.* 2. *can. iste dist.* 95. Et dum haretici suorum criminum confessionem impossibilem causantur, non fuerit absurdum Ethnicorum exemplis, pudorem posse vinci, declarasse.

[*m*] *Falsum confessionem Auricularem inventum humanum esse.*

DISSERTATIO IV.

De confessione Auriculari.

Confessio auricularis quæ nempè ad aurem Sacerdotis fit, non est a Concilio Lateranensi introducta *in cap. omnis utriusque sexus extra de Panit. & rem.* ut Sectarii susque deque omnia 17
vertentes existimant.

Probatur I. ex *can. quem panitet* 88. *dist.* 1. ibi *quem pœnitet omninò paniteat, & dolorem lacrimis ostendat, raprehesentet Vitam suam Deo per Sacerdotem praveniat Judicium per confessionem. Hic canon auctorem habet D. Ambrosium*. prosequitur deinde - *Pracipit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata non per nuntium, non per scriptum manifestanda*.

II. Probatur ex *can. sufficit* 61. *de Pęn. dist.* 1. ibi - *Sufficit panitenti illa confessio, qua primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti qui pro Delictis panitentium precator accedit*. Ita Leo Pontifex qui multum præcessit Lateranense Concilium.

III. Probatur ex *can. Verbum de Pan. dist.* 1. ibi - *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos est Judex*.

IV. Probatur ex *can. multiplex* 49. *de pan. dist.* 1. ibi - *Mediator enim Dei, & hominum homo Jesus Christus hanc prapositis Ecclesia tradidit potestatem, ut et confitentibus panitentię satisfactionem darent &c.*

V. Probatur efficacissima ratione, qua utitur Textus in *can. agite de Panit. dist.* 1. *Agite panitentiam - nemo dicat sibi occulte ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscit quia in corde ago: Ergo sine causa dictum est, quę solveritis interra soluta erunt & in Calo? Ergo sine causa claves data sunt Ecclesia?* Unde Tridentinum in *sess.* 14. *cap.* 5. ibi - *Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquàm prę sides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur* (& infra) *Constat enim Sacerdotes Judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque ęquitatem quidem illos in panis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent*.

VI. Probatur ex *can. non potest* 38. *de pęnit. dist.* 1. *non potest quisquam justificari a peccato, nisi ante fuerit peccatum confessus*.

VII. Probatur ex *can. facilius* 32. *de Pęn. dist.* 1. ibi - *Facilius Deum sibi placabunt illi qui non humano convicti Judicio, sed ultrò crimen agnoscunt, qui aut propriis illud confessionibus produnt &c.*

VIII. Probatur ex *can. quidam* 90. *de Pan. dist.* 1. ibi - *Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur*. Ubi *verbum institutio* non significat innovationem,

introductionemque, sed Doctrinam. Unde *Institutiones* Justiniani Quintiliani &c. Et *instituere*, docere significat - Cicero 2. *de Or. Rudem ad dicendum instituere* - *Quint. L.* 1. *cap.* 17. *Socrates iam senex instituit lyra non erubescebat*.

IX. Probatur ex loco celebri Basilii q. 288. *in Regul. Brevior.* - *Necessarium videtur his quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est confitenda esse peccata. Sic enim, & hi qui antiquitus pœnitebant inveniuntur apud Sanctos confessi esse peccata sua*.

X. Probatur ex loco D. Cypriani de Lapsis ibi - *Confiteantur singuli delictum suum dum adhuc qui delinquit in seculo est dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio cujusque, & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est*.

XI. Probatur ex Concilio Vormatiensi *can.* 25. ibi - *Si quis pro aliquo criminali peccato ad nos pænitentiam acturus vel suscepturus accesserit oportet nos imprimis rei veritatem ad liquidum interrogando discutere* (*& infra*) *praterea studiosè scrutandum, an diversis erroribus sit implicitus, sicut quidam increduli Lapides, Lucos, Arbores, & hujusmodi vanitates, relictâ Ecclesia venerantur quod Decretum invenit Pamelius; refertque in Annot. 2. ad Tertullianum de Pænit.*

XII. Probatur ex Tertulliano *in lib. de Panit.* ibi — *Ergo cum te ad Fratrum Genua protendis Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lacrymas agunt Christus patet, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur, semper quod Christus postulat. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humana notitia subduxerimus, proinde, & Deum celabimus. Adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere quam palam absolvi?*

XIII. Probatur ex Origene *Homilia* 2. *in Psal.* 37. *Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere*.

XIV. Probatur ex Concilio Cabilonensi *cap.* 45. ibi - *Qui peccata sua Sacerdotibus in quorum sunt Parochia confessi sunt, & ab his agenda pœnitentia consilium acceperunt*.

XV. Probatur ex Sozomeno Greco historico his verbis - *Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maximè spectabilem secretorum tenacem huic officio præfecerunt, cui accedentes qui peccarunt acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto quid aut facere singulos aut licere oporteret interminatus absolvebat ut a se ipsis commissorum pænas exigerent. En optime descriptam confessionem auricularem a Græco auctore qui floruit multo ante Concilium Lateranense - habetur id omne in L.* 7. *hist. Eccl. cap.* 16.

XVI. Probatur ex *can. non debet* 30. *q.* 1. ibi - *Non debet Episcopus aut presbyter commiscere eum mulieribus quæ ei sua fuerint confessa peccata*.

Videat Lector me quæ Bellarminus, Baronius, Natalis, Gonzales colligunt, huc minime transtulisse. Ipsi quoque eandem catholicam veritatem firmissimis immotisque fundamentis stabilitam demonstrarunt. Ego autem, si quis meum sensum exploret, satis mirari non possum in tanta luce rerum inveniri aliquem detestandis vocibus Catholicorum aures verberantem *Quod nimirum Confessio ad aures sacerdotis inventum humanum sit*, tamque nefariam opinionē plurimos eadem erroris fæditate contaminasse, satis mirare non possum. Nec verò tam multis argumentis uti necessarium erat, neque enim apud catholicos hæc disputantur; Sed ad exercitationem studiosæ juventutis dumtaxat eas Canonum auctoritates colligere placuit ut scilicet impromptu sint, non ut hæc sententia revocetur in controversiam.

Antequam ad alia stylum vertamus, explicandi sunt quidam canones ne quidquam desit, quod ad scientiam canonicam necessarium videatur.

Et Primo quid significat Textus in *can. lacryma de Pænit. dist.* 1. Dum ita loquitur? *Lacrymę lavent delictum; Quod voce pudor est confiteri*. 18

Hic Textus auctorem habet D. Ambrosium *super Lucam ad cap.* 22. Non ergo sensus esse potest, loco Confessionis auricularis lacrymarum copiam esse fundendam. Nam D. Ambrosius in *Psalmum* 37. hec habet. *Plurimum suffragatur Reo verecunda confessio, & panam, quam defensione evitare non possimus pudore sublevamus* (& infra) *ut Febres in alto sita non queunt mitigari: Cum foras eruperint spem afferunt definiendi; Ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardescit, si confessionibus prodit, evaporat*. Ex quibus verbis duo inferre datur I. cum pudore confitendum; II. Confessionibus occulta peccata manifestanda esse.

Dum ergo D. Ambrosius ad Pudorem evitandum Usum Lacrymarum suggerit significat solum, non esse necessarium publice, sive coram, populo evulgare flagitia sua morumque pravitatem. Nam Concilium Tridentinum diserte asserit, publicam Confessionem non esse divino præcepto mandatam *sess.* 14. *cap.* 5.

II. Quid nam significat Textus in *can. nemo tollit* 141. *de Con. dist.* 4. dum ait, *nemo tollit peccata nisi solus Christus*?

Non est hęc Sacra constitutio pravè intelligenda, quasi verò Sacerdotes potestate peccata remittendi careant; Sed ut ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap 6. *Absolutio Sacerdotis alieni est Beneficii dispensatio*: Sed tamen est actus Judicialis non nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, ut male hæretici sentiunt, quos strenue confutat plura alia addens Bellarm. in *Lib. de Pænit. Sacram.* videatur optimus Textus in *can. verbum* 51. *de Pęn. dist.* 1.

(*n*] *Falsum in Ecclesia Græca a Nectario Patriarca &c.*

Factum

Factum Nectarii tam celebre est, & in historiis Ecclesiasticis decantatum, & ad explicatio-
19 nem quorundã canonum necessariæ cognitionis, ut Sacri Juris studiosus ex hac antiquitatis notitia non modicam utilitatem sit relaturus. Sciendum igitur, absoluta Synodo II. æcumenica in Urbe Constantinop. illaudabiles ortas fuisse discordias. Nam hoc ipsum Concilium Episcopatum Constantinopolitanum D. Gregorio Nazianzeno contulerat, populusque meritissimi Præsulis electioni faustis acclamationibus faverat. Sed cum idem Gregorius post mortem Meletii Antiocheni Præsulis instaret subrogari Paulinum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ, in se multorum odium concitavit conectantium non studio Pacis, sed colligatione cum Occidentalibus in hanc propendere Sententiam; Ergo consilium inierunt de abdicando Patriarcatu Constantinopolitano a D. Gregorio. Ille re perspecta sponte renunciavit; atque in ejus locum *Nectarius* eligitur ordinis Senatorii Vir, ac celeriter Sacerdotio, & Episcopatu consecrant, Synodo Provinciali antea celebrat, a Nicephorus *L. XI. cap.* 13. de quo Nectario mentio fit *in can. prima* 10. *dist.* 16.

Jam hic Nectarius dum Patriarchatum Constantinopolitanum administraret, accidit ut mulier quædam nobilis, dum in pœnitentia confessorum criminum moraretur intra Ecclesię septa, Diaconus cum ipsa cubaverit; Cumque in usu essent in Ecclesia Græca publicæ Criminum confessiones, illa Diaconi facinus patefecit; Ipse verò Diaconus ab Ecclesia repente eiectus est, & tumultus inde in populi multitudine excitatus: Ideoque Eudæmonis suasu Nectarius publicam sustulit Confessionem.

Ex hoc facto Nectarii colligunt Hæretici publicam fuisse ante Nectarium Confessionem non verò secretam soli Sacerdoti expositam, aut si fuit secreta confessio in usu, arguunt ex hoc Tempore patrati facinoris a Diacono, hanc fuisse sublatam, datamque libertatem, ut pro sua quisque conscientia ad misteria participanda accederet.

Ego rursùs affirmo falsum esse in Ecclesia Græca confessionem secretam culparum abolitam fuisse.

Sciendum namque quod in Græcia; ut observat Dartis *in Tractatu de Canon. disciplina circa pænitentiam*, in singulis Ecclesiis erant plures presbyteri Pœnitentiarii, ad suscipiendos pœnitentes præfecti; Erat, & publicus Pœnitentiarius. Nam cum in Ecclesia Constantinopolitana Pœnitentes vel ipsimet etiam publicè sua peccata confiterentur, vel ipsi Sacerdotes confessionem eorum publicarent; Hoc munus ad publicum Pœnitentiarium spectabat evulgandi peccata quæ secreto jam audita, publice ad Ecclesiæ ædificationem, & pœnitentis profectum absque ullo scandalo, & aliorum famæ Læsione propalanda esse censerentur.

Nectarius igitur sustulit hanc publicam occultorum peccatorum confessionem abrogavitque ejusmodi publici Pęnitentiarii officium; liberumque reliquit iis qui post secretam peccatorum suorum confessionem pœnitentiam publicam agere vellent uti pro sua quisque conscientia ad misteria participanda accederent, nec amplius ei necessarium esset peccata pro quibus pœnitentiam ageret evulgare. Ita *Cardinal. Perron. Respon. ad Reg. Mag. Brit. L.* 2. *cap.* 1. *Baronius ad An.* 56. *n.* 10. *&* 11.

Et re vera Secretam Confessionem post Nectarii Decretum remansisse patet ex Socrate in hac Historia, dum ait -- Sublatæ dicuntur Pœ-,, nitentiæ publicæ, propter fęminam quandam ,, primariam (& infra) Nectarius Episcopus ,, Constantinopolitanus Eudæmonis cujusdam ,, Consilio pænitentiarium illum presbiterum ,, sustulit, & unumquemque suæ conscientiæ ,, permisit, ut ex ejus arbitrio de misteriis usurpandis apud se statueret.

Summa igitur hæc esto, publicas fuisse sublatas Confessiones, non vero secretas. Hinc protinus absq. labore intelliguntur variæ auctoritates.

Primo intelligitur Homilia 1. Joannis Chrisostomi in *Psalmum* 50 dum ait -- At pudet te ,, peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratio- ,, ne non dico, ut exponas conservo, qui te ,, probris impetit, dic Deo, qui iis medetur.

Nam Respondetur, D. Joan. Chrysostomum Nectario proximè successisse, eamdemque publicam confessionem ob Diaconi facinus in Ecclesia sua patratum non præcipit. Ceterum quod secretam confessionem admiserit D. Joan. Chrisostomus patet ex *Oratione in Samaritanum*, ,, ibi -- Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubes- ,, cit? neque vult confiteri aut agere pœniten- ,, tiam? In Die illo non coram uno vel ,, duobus, sed universo Terrarum Orbe spe- ,, ctante tradetur. Quod clarius explicat ex *can. quamvis* 89. *de pœn. dist.* 1.

Secundo intelligitur Textus in *can. quidam Deo* 90. *de Pęnit. dist.* 1. ibi -- Quidam Deo
,, solummodo confiteri debere peccata dicunt 20
,, ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus con- ,, fitenda esse percensent ut tota fere Sancta ,, Ecclesia.

Nam de quibusdam Græcis hic Canon intelligitur, qui Novatianis adherentes existamabant Ecclesiam condonare ac remittere non posse peccata, & Nectarii factum ad suæ opinionis confirmationem male detorquebant ut Respondet Dartis *ubi supra*, *& ad Decretum Gratiani Tractatu de Pænitentia cap.* 13.

(o) *Falsum in Genere dum taxat &c.*

Et hoc probatur ex *can. sunt plures de Pænitentia dist.* 3. *cap. omnis utriusque sexus extra*
de pæn. Sixtus IV. contra Petrum de Oxma con- 21
stit. 17, *qua incipit licet Trident. sess.* 14. *can.* 7.

[p] *Se diligenter excutere.*

Examen est necessariò præmittendum, quo enim iure aliquis obligatur ad opus, obligatur etiam ad media; Alioquin si ejus neglectu cer-
22 tum sit fore, ut Peccata mortalia memoriæ non occurrant Confessioni deerit integritas; Unde obligatus ad mortalia confitenda est obligatus ad illorum examen. Confiteri volenti erit proinde examen necessarium Trident. seiss. 14 cap. 5. Textus alter ex Decreto in can. *consideres de Pæn. dist.* 5. ibi -- consideret qualitatem criminis (& infra) consideret quantum perseveraverit (& infra) immoretur in singulis istis & sentiat modum criminis.

Quod examen ad sui conversionem ipse moralis Philosophus Seneca, rationis naturalis dictamine necessarium esse, cognovit, quare in *Epistola* 28. hæc habet -- Initium est Salutis notitia peccati, deprehendas te oportet, antequam emendes, inquire te, accusatoris primum partes fungere, deinde Judicis, novissime deprecatoris.

Et Pithagoræ Consilium fuit unumquemque se interpellare sicque dicere.

Quid pretergressus? Quid gestum in tempore quid non.
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

[q] *Non absens se literis scriptis Sacerdoti accusabit.*

Eleganter hunc articulum exponit Textus in can. *quem pœnitet* 88. *de pæn. dist.* 1. Repre-
23 ,, sentet Vitam suam Deo per Sacerdotem, præcepit enim Deus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per sctiptum manifestanda.

Qui per se peccarunt per se erubescant. Erubescentia enim ipsa partē habet remissionis. Multum enim Satisfactionis obtulit qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit celavit. Adeò ut hic fallat vulgata regula qui per se aliquid facere potest id, & per alium poterit *cap. quia nonnulli extra de cler. non res.*

Quare Tertullianus *Lib. de Pœn. cap.* 9. Ingemiscere lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum tuum, presbyteris advolui, & caris Dei adgeniculari quo verbo adgeniculari significatur, præsentem esse, oportere, confitentem.

Omnemque sustulit cavillationem quorundam contrariam opinionem defendentium Clem. VIII. in Const. 87. quę incipit *Sanctissimus* per quam ,, declaravit, quod Confessio per literas, seu per nuncium absenti fieri non potest, & est nulla, & absolutio nequit in ejus virtute obtineri. Et Doctrina dicens contrarium, est falsa, temeraria, & scandolosa, nec defendi ut probabilis potest, nec doceri nec imprimi.

Nec obstat Textus *in can. qualis in fine* 30. 24
q. 5. ibi. *Pænitentia illius per scripturam recipienda.*

Nam alia fuit semper in Ecclesia Dei observantia quo spectat Parisiense *Concilium* 6. *L.* 1. *cap.* 32. ibi. *Confessio in scriptis non valet.* Canon igitur, qui contra opponitur non intelligitur de Pænitentia Sacramentali; Sed cum agatur de Uxore adultera, si ipsa in Judicio scriptis crimen confiteatur ejus recipitur Confessio ut Judex ad ulteriora procedat, quamquàm accusationes criminum per scripturam absentium non recipiantur *can. per scripta* 2. *q.* 8.

(r] *Et illas circūstantias explicabit &c.*

Circunstare idem ac circundare. *Cicero Or.* 2.
in Verrem: Circunstant te summę auctoritates; Et 25
circunstantia actus ipsi circumstandi Gellius *L.* 3. *cap.* 7. *De Loci importunitate, & loci circunstantia.* Quod ad pravitatem peccati transfertur; Nàm, & quæ circum actus malitiam sunt, vel Dignitas Personæ, vel Qualitas Temporis, vel qualitas rei, vel alia diversi generis, factum immutant non in genere Naturæ, sed accidentaliter in genere moris ut differit Laiman *Tom.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 2.

Jam circumstantias peccati Sacerdoti esse aperiendas, non est qui dubitet, Textus hac de re clarissimi sunt. *In cap. omnis utriusque sexus de Pæn. in cap. Deus extra eodem Concil. Trull. can.* 102. *Concilium Vormaciense sub Hadr. II. can.* 25.

Circumstantiarum quadruplex est differentia, vel enim sunt augentes seu aggravantes peccatum, ut est actus odii deliberatus unus, & individuus, si duraverit per sesquihoram, aut duabus continuis horis, si una eademque illicita fuerit brevior aut longior, si ad eam oscula quoque fuerunt adhibita necne, vel sunt circumstantię minuentes peccatum, ut si mulier consensit in stuprum semel requisita. Vel sunt impertinentes, ut si quis longo, aut brevi gladio aliquem occidit, aut dextra, aut sinistra manu. Postremò vel sunt circumstantiæ quæ mutant speciem.

Ex his quæ aggravant Peccatum sileri possunt, item, & quæ ad rem non pertinent; De minuentibus, dicendum est, quod si circumstantia minuens Peccati speciem immutet faciendo veniale quod alioquin esset mortale, a Pœnitente exprimenda est.

Probatur quia circumstantia minuens est in puella violentia libidinis, & ideo si Virgo per vim opprimatur, proposito tamē castitatis permanente Virginitatem suam non violavit *can. proposito* 32. *q.* 5. Hæc ergo circumstantia minuens exprimenda.

Probatur quia si quis homicidium non vo-

lun-

luntate, sed casu fortuito fecit, circumstantia minuens est *can. eum dist.* 50. & tam minuit ut peccatum homicidii esse definat.

Quodattinet ad Circumstantias mutantes speciem; Extat Tridentini decretum *sess.* 14. *cap.* 5. *Colligitur praterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, qua speciem peccati mutant.*

Ergo si quis Sacris Ordinibus initiatus fornicatur; Sacri Ordinis circumstantia aperienda est utpote species Sacrilegii *can. de lis dist.* 28. ibi. *Quod si forte (presbyteri forniceando) fuerint Sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei.*

Si quis percutiat clericum circumstantia clericatus exprimenda est, cum & hęc sit Sacrilegium *can. si quis suadente* Diabolo 17. *q.* 4.

Si quis concubitum habeat cum Uxore alterius est circumstantia mutans speciem, nec enim est fornicatio simplex, sed adulterium *can. nemo blandiatur* 32. *q.* 4. *can. nemo plane* 32. *q.* 5.

Postremò, de circumstantiis sunt Textus in *in can. homo christianus* 40. *dist. in can. qui vero* 4. *dist.* 50. *in can. pracipue* 11. *q.* 3. *in can. nullus* 25 *q.* 1. *in cap. sivet* 6. *de hanc in L. omne delictum ff. de Remil.*

[s) *Cum Peccata inaqualia sint.*

26 Hæresis Calvini fuit nullam, inter Peccata esse differentiam *L.* 3. *Inst. cap.* 2. §. 2. Lutherus idem asseruit *art.* 32. *assertionis articulorum suorum*; Sed hi ab VVicleffo, & hic a Joviniano, & Jovinianus a Stoicis, perversitatem Dogmatis sumpserunt. Unde D. Cyprianus *L.* 4. *Epistola* 2. hęc habet. *Alia est Philosophorum, et Stoicorum ratio frater carissime, qui dicunt omnia peccata paria esse.*

De Stoicis ita loquitur Plutarcus, Crysippus omnia peccata fecit equalia, omnes perturbationes, affectus, *in L. de Virtute Morali pag.* 285.

Et idem Plutarcus in *lib. de Commun Notitiis adversus Stoicos*. Eorum rationem affert. Quod nempè sicut is qui cubitum a maris superficie distat non minus suffocatur quam qui ad Ulnas mille demersus est, ita eodem modo absunt a Virtute qui peccant quomodocumque.

Et Cicero in Paradoxis:

Ὅ τι ἴσα τα ἁμαρτιματα ϗ τα κατορθωματα.

Idest. Aqualia esse peccata, & Recte facta ait - *Siquidem peccare est transilire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est, quam longe progrediare, cum semel transieris ad augendam transeundi culpam nihil pertinet* [& infra) *Quod si virtutes pares sunt inter se paria esse etiam vitia necesse est.*

De hac Sententia Stoicorum Horatius *lib.* 1. *Satir.* 3.

Queis paria esse fere placuit peccata,
laborant
Cum ventum ad verum est.

Contra quos tamen Idem Venusinus Poeta in eadem satira insurgit his aliis carminibus.

Nec vincet ratio hoc tantundem ut
peccet, idemque
Qui teneros Cauleos alieni regerit horti
Et qui nocturnus Divum sacra legerit.

Sed hęc Sententia a Philosophis iamdiù explosa est; Nam si volumus alia quoque Stoicorum Dogmata observare, his similia inveniemus, contraque opinionē probatiorem. Eo namque devenerunt ut dicerent Canes, & belvas peccare. Unde Athenis animalia quoque puniebant Plutarchus in *d. Lib. de Com. Not. adv. Storia.*

Contra hos errores stabilis est Catholicorum veritas, Peccata non esse paria; Sed quædam ex natura sua mortalia esse, aut venialia; Priora reddere hominem indignum amicitia Dei, & reum æternæ damnationis, per posteriora verò temporale dumtaxat supplicium, & Paternæ castigationis incurri reatum.

Patet hoc Joann. *cap.* 19. ibi. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Patet 2. *Proverb.* 24. *septies in die cadit justus, & resurgit; Impii autem corruent in malum.*

Patet *Math. cap.* 5. ibi *Omnis qui curaverit fratri suo reus est Judicio, qui autem dixerit fratri suo Recha reus erit Concilio, qui autem fatue reus erit Gehennæ ignis.*

Patet ex *can. qui vult* §. *Sacerdos de pan. dist.* 6. *ex can. de quotidianis de panit. dist.* 3. *ex can. reperiuntur de pan dist.* 3. *ex can. homo dist.* 40. *ex can. sciendum de Pan. dist.* 1. *cap. non debet de Consang. & affin. ex cap. cum tanto de Consuet.*

Insuper Origenes Tract. 6. in Math. & in Ezechielem *Hom.* 9. *cap.* 15. - *quod* (inquit) *inequalia sunt peccata scripturis utentibus nulli dubium est.*

[t] *Peccata venialia taceri &c.*

Venialia peccata in lege veteri remittebantur per cæremonias *can. qui vult. de pęn. dist.* 6. & 27
Veniali culpę adscribitur ociosus sermo, & immoderatus risus *can. qualis dist.* 25. Licet autem aliquis in Peccatis venialibus viam universę carnis ingressus post hanc vitam, ea purgare debeat *can. qui in aliquid can. qualis hinc dist.* 25. Attamen in hac vita multis salutaribus remediis divina benignitate concessis deleri possint neque de necessitate salutis in Confessione sunt aperienda, ut docet Sancta Tridentina Synodus *sess.* 24. *cap.* 5. & *can.* 7.

Quod si tamen, & velit aliquis confiteri, utique poterit; Imo Fideles primitivæ Ecclesiæ Venialia prope sextum Paschatis solebant confiteri. *Innoc. I. Epist. ad Decentium cap.* 7. his verbis. *De Panitentibus vero qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus panitentiam* 28
gerunt si nulla interveniat agritudo, quinta feria ante Pasca eis remittendum Ecclesia Romanę consuetudo demonstrat, idem affirmat *Isaac Lingon. de panit. cap.* 15. *Blesensis in serm.* 10.

Quæ

Quæ verò attritio sub quo nempe motivo, & quod propositum exigatur in confitente venialia, si queritur.

Quoad attritionem; Adnotare oportet, jam subiacere damnationi Innocentii XI. opinionem asserentem, ad Confessionem venialiũ non requiri dolorem formalem, & expressum, sed sufficere implicitum, qui includitur in ipsa voluntate confitendi ea peccata, intelligendo tamen subiacere damnationi opinionem practicam non speculativam, ita docet Cardenas *in Chrisi dist. 2. cap. 6. q. 18. propos.* 1.

Quoad propositum; Ait Choninchius *disp.* 2. *dub.* 14. *n.* 130. Ad remissionem peccati venialis propositum quidem exigi, sed non esse necessarium, ut propositum excludat omnem habitualé inclinationem ad Peccatum; Sed sufficit, ut excludat omnem actualem affectum; ita *Basseus vers. Pœnitentia in supplemento n.* 5.

(*u*) *Publicè confiteri possit*.

Confessionis publicè factæ exempla non pauca
29 in historiis rerum Ecclesiasticarum reperiuntur. Basilius Imperator ut est *in appendice ad Synodum VIII.* sua peccata palam accusavit, & post confessionem suam ita in dicta appendice inducitur loquens ,, Ego ptimus memet super ,, pavimentum proiicio purpuram, & Diadema ,, parvipendens, ascendite ad genas meas, & per ,, oculos meos incedite, ut reputetis magnum ,, Imperatori calcare scapulas.

Et quod consilio Confessariorum, publica suorum errorum fieret confessio infertur etiam ex Origine *Homil.* 2. *in Psalm.* 37. Si - inquit - ,, Hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur quę commisit, & humana confessione ,, parvipendat eos, qui exprobant eum confitentem, & notant, vel irrident, ille autem ,, intelligens, per hæc sibi veniam dari &c.

Atque idcircò in Concilio Laodiceno can. 2. publicam peragentes Confessionem, & mox pænitentes publicè, citius communioni reddnntur, ut est inversione latina his verbis ,, Eos, ,, qui in diversis delictis peccant, sed in Oratione ,, confessionis publicæ, & pænitentiæ perseve- ,, rant, & se a malis perfecte convertunt tem- ,, pore Pænitentiæ, eis pro delicti proportione, ,, dato, nihilominus propter Dei miserationes, ,, & bonitatem reddat communioni.

Sed clarissimè, licitum esse quandòque in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, & aliorum exemplum delicta sua publicè confiteri suadente Confessario tradit Sancta Tridentina *Synodus sess.* 14. *de Pæn. cap.* 5. *de Confess.*

Hinc D. Hieronimus in Epistola ad Oceanum Fabiolæ publicam confessionem describit in æde Lateranensi factam.

(*x*] *Nec satis Consultè humana aliqua lege &c.*

Huc referri potest Epistola 80. Leonis Summi Pontificis scripta ad Episcopos per Campa- 30
niam, Samnium, & Picenum constitutos cujus pars refertur in can. *quamvis* 89. *de Pæn. dist.* 1. Nam in his Regionibus aut scripta Lex, aut consuetudine introducta reperiebatur, ut peccata publice enunciarentur Leo Pontifex illicitam hanc vocat usurpationem, cogere Fideles ad evulganda flagitia in quæ inimicus invisibilis suggestionibus suis nos inducit, aut fragilitas naturæ nostræ in malum declinans. Ait- ,, enim Illã etiam contra Apostolicam Regulam ,, præsumptionem, quam super agnovi a qui- ,, busdam illicita usurpatione committi, no- ,, dis omnibus constituto summoveri - Ne de ,, singulorum peccatorum genere scripta professio ,, publice recitetur cum reatus conscientiarum ,, sufficiat solis Sacerdotibus judicari confessione ,, secreta; cætera sunt in adducto Textu.

Huc quoque referri potest Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de Confessione*, ubi idem quod Leo Pontifex decernit.

(*y*) *Publicis publica*.

Publicis delictis commissis, antequàm reus, qui se de his Sacerdoti accusavit, publicam sa-
tisfactionem, atque Pœnitentiam implevisset non 31
absolvebatur Cathechismus *de hoc Sacramento*. Publica autem Pœnitentia quæ maximè a solemni differt illa erat, quæ peragebatur ante fores Ecclesiæ, cum face seu theda accensa, & aliis quibusdam solemnitatibus, tamen extra Tempus Quadragesimæ notat Gregorius Tholosan. *in Syntagm. de hoc Sacro Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. Nonnunquàm publica pœnitentia constabat aliis cæremoniis veluti peregrinatione cum baculo, & pera benedictis, aut cilicii aperta delatione seu veste mutata *can. Sacerdotes* 2. *de pæn. dist.* 6. Interdum publica pœnitentia agebatur ingrediendo monasterium, si peccator altioris conditionis fuisset, ut de Hastulpho narrant historiæ, qui cum propriam occidisset Uxorem sine causa ad publicam peragendam Pænitentiam monitis, & suasionibus Stephani Papæ V. in monasterium secessit Textus *in can. admonere te* 33. *q.* 2.

Henricus IV. Germanorum Imperator publicam egit pænitentiam, nam Canusium veniens Tusciæ oppidum triplici muro septum, intra secundum murorum ambitum deposito Regio cultu nudis pedibus in lanea veste jejunus per tres dies stetit, & quarta die in conspectũ Gregorii IV. admissus est, narrat Lambertus Anno 1077.

Henricus II. Indictam sibi pænitentiam a Legatis Alexandri III. peregit. Narrat Dartis in *Fractura de Pæn. ad Decretum Gratiani.*

Theodosius per octo menses eam item peregit ob cladem Thessalonicensem, & in Festo Natalis Christi absolutus est, *dicens adhæsit pavimento anima mea*, ut narrat *Theodoretus, & Sozomenus*.

Nata-

Natalius Theodorianorum hæreticorum Episcopus tandem egit publicam pænitentiam ad pedes Zephirini se abiiciens *Eusebius l. 5. cap. 27.*

De his Pœnitentiis Publicis observandum est

32 I. Quod circa annum 1055. cœperunt redimi tales pænitentiæ canone vel erogatione bonorum in Pauperes, aut in Ecclesiam, vel Corporeis afflictationibus *P. Damianus Epistola ad V. Episcopum c. Concil. Claromontanum sub Urbano II.*

Observandum II. rarò posterioribus seculis usurpatas fuisse tales publicas pænitentias propter illarum sordes. *Dartis de Canonica disciplina circa penit. cap. 25. in fine.* Unde, & Gibalinus in Tractatu de Regular. *Disq. III. cap. 2. §. 6.* ait quod publica pænitentia prohibebat Matrimonii usum patet ex *can. de bis 36. q. 2.* Non poterant Publici penitentes altari inservire *can. non confidat 50. dist.* Non poterant redire ad militiam *can. de bis 26. q. 7.* omnemque rerum suarum habebant incuriam, & dedita opera corpus negligebant ad carnem exterminandam, & Deo satisfaciendum. Idemque Gibalinus in alio volumine de Irregularitate *cap. 5. Confect. 9.* his verbis loquitur *Respondetur locum Vix ullum hodie restare huic solemni, & publica panitentia.* Bonaccina tamen *disputat 7. q. 3. punct. 3.* ait hodie quibusdam in locis publicam observari penitentiam.

Observandum III. Quod hæc publica Pænitentia non imponebatur necessario ab Episco-
33 pis; Sed poterat iniungi etiam a Presbitero. *cap. ministerium 2. de Off. Archipr.* Covarr. *L. 2. Var. cap. 10. n. 3. Gonz. in cap. 1. de Pen. n. 5.*

Observandum IV. Quod hæc Publica Pæniten-
34 tia non inducebat irregularitatem, ut ait Gonz. *ubi supra, Gibalinus de Irregul. d. confect. IX.*

Observandum V. Quod Peccata quæ publicam mererentur pænitentiam scandalum quidem pariebant, sed non ita grave ut solemnem mererentur Penitentiam *can. depenitentibus dist. 7. de Pan.* observat Gonzal. in *d. cap. 1. de pænit. n. 5.* Lancellot. *in Inst. Tit. de pan. §. publica.*

Observandum VI. Aliud esse statum pæni-
35 teniæ amplecti aliud publicam aut solemnem agere pænitentiam. Penitentiæ Statum amplexi ab eo discedere non poterant propter promissionis ac voti quo se obstrinxerant immobilitatem, nam seculo renunciasse dicebantur, & si ad illud aliquandò redirent damnabantur, & canibus ad vomitum redeuntibus comparabantur, & inter Aposthat s censebantur, patet hoc ex *Leone cap. 10. Epist. 92.* ibi „ Contrarium omnino „ est Ecclesiasticis Regulis post pænitentiæ actio„ nem redire ad militam Sæcularem. *Concil. toletan. 4. 54.* ibi „ Quicumque ex Sæcula„ ribus accipientes pænitentiam totonderunt se, „ & rursus prævaricantes laici effecti sunt, „ comprehensi ad pænitentiam ex qua recesse„ runt revocentur. De hoc statu pœnitentiæ
36 intelligitur Textus in *can. hoc nequaquam 7. q. 1.* ibi „ Ut quicumque de pontificali ordi„ ne ad monacorum idest penitentium descende„ rit Vitam vlterius possit ad Pontificatum „ reverti.

At verò qui vel publicam vel solemnem agebant pænitentiam expleto certo temporis spatio reconciliabantur neque ad continuandam pænitentiam cogi poterant.

Quæ omnia dicta sint ut si forte aliqua in Regione publicarum pænitentiarum usus frequentior fiat iuxta veteres canones; innotescat, quid Jure veteri de his inveniatur dispositum. Cæterum Sancta Tridentina Synodus *sess. 24. de Refor. cap.* 8 instat publicas iniungi penitentias. *Episcopus tamen publica hoc panitentia Genus in aliud secretum poterit commutare* ut ait Concilium &c.

[5] *Solemnis iniungatur Panitentia.*

DISSERTATIO V.

De Solemni Pœnitentia.

Solemni pænitentia a solo Episcopo imponenda *can. penitentis can. in capite 50. dist. cap. accedentibus de excess. Prel. can. fin. 26. q. 6. cap. 1. & cap. statuimus de Maled. cap. fin. de bis qui prop. fil. occid.* 37

Solemnis item pænitentia majora exigit delicta quam publica pænitentia quę nempe universum populum turbaverint *can. placuit 68. dist. 50. cap at si clerici §. 1. extra de Jud. can. nihil prodest de panit. dist. 3.*

Solemnis pænitentia imponi dicitur apud Canones in capite Jejunii *ut in capite 50. dist.* Et significant, penitentiam Solemnem imponi solitam fuisse feria IV. ante Dominicam primam quadragesimæ, quare & huius ritus adhuc habemus vestigium in aspersione cineris quæ eo die fieri solet, ut notat *Bejerlinch. in verbo panitentia pag. 445.*

Solemnis pænitentia omnem respiciebat corporis ornatum quare quo primum tempore petebatur impositione manum, & cilicii super caput exordiebatur *can. panitentes dist 50.* Tondebatur Coma *Concilium Agatense can. 15.* exceptis mulieribus quæ non tondere sed velare caput debebant *Concil. Tolet. 3. can. 12.* Sacco induebatur pænitens *can. in cap. 50. dist. Lucius Pap. in decretis cap. 5.*

Solemnis pænitentia certas habebat leges. Nam pænitens.

I. Abstinere debuit a participatione divinorum misteriorum. Quare non immerito nostri disputant an penitentia solemnis esset species excomunicationis? Dartis *in decretum Grat. P. 2. 26. q. 6. & 7.* putat pænitentes hujusmodi tamquam alienas a communione fuisse; Et planè locus adest D. Augustini *L. 5. de Civitate Dei cap. 20. ait enim per panitentiam, malamque conscientiam quisque ab eodem corpore Christi separatus est.* Et similiter Patres Concilii Lugdunensis

gdunensis 1. *cap.* 3. loquentes de Rege qui crimen quoddam gravissimũ patrarat dicunt *illum eum deliquit temetipsum ab Ecclesia communione ipso facto suspendisse.* Verum dicendum est potius fuisse pęnitentię solemni adiunctam aliquam excomunicationem majorem, vel minorem ut arbitratur *Gibal. de Clauf. regul. Disq.* 3. *cap.* 2. §. 6. *n* 30. Non autem ipse status pænitentium erat Censura, & reipsa pœnitentes qui erant in substratione, & gradu 3. solvebantur majori excommunicatione accipiendo pœnitentiam per manus impositionẽ *Tertull. in lib. de Pud.* Verum cum ne quidem toti Sacrificio interesse sinerentur, & post Missam accepta manus impositione secedere cogerentur, planè non perfectè communicabant cum Ecclesia, ac proinde ligabantur adhuc excomunicatione aliqua, sed leviore, quam foret illa qua tenebantur flentes, & audientes, donec absolutissimam reconciliationem accepissent ut loquitur Concilium *Vaseten. 1. can.* 2. Quare non poterant pœnitentes inire coniugium Concil. *Arelat. II. can.* 21. Non poterant balneis uti *Pacianus in Parenesi ad pæn.* Non poterãt esse milites *Leo Pontifex epist.* 92. *c.* 11. Non poterant Encharistiam sumere *D. Cyprianus de Lapsis*; non poterant ordinari *can. ex pęnitentibus dist.* 50.

II. Certis exercitationibus erant addicti pœnitentes. Nam singulis diebus Jejuniorum veniebant ad Ecclesiam, & capita Sacerdotibus submittebant, qui manus imponerent, & pro eis orarent Concil. *Cartag. IV. can.* 8. Deinde mortuos sepelire ex *cod. Conc. can.* 81. genua flectere ad orandum consuetę erant exercitationes.

Ultra hæc Solemnis Pœnitentia certas habebat stationes; & hujus pœnitentiæ severitas, ut alia omittam consistebat, in quorumdam etiam graduum transcursu quorum amarissimos gressus referunt Patres Concilii Agathensis *in can. in cap.* 5. *dist.* & *habentur in can. vide de pænit. dist.* 1. Quatuor ergo fuere pœnitentiæ solemnis gradus uti colligere datur ex *Synodo Ancyrana Nicana, Gregorii Neocęssar. Epist. Can. Basil. ad Amphil. Leon. Imperat. lib.* 60. *Basilio Abbate, Rabitu in gradum* 4. *Scala Climachi aliisque veteribus.*

I. Statio aut Gradus est προσκλαυσις Fletus nempe, & lamentatio, quæ statio erat ante fores ut advertit Cujacius *L.* 60. *Basilic. Tit.* 37. *cap.* 28. atque ut alii putant sub dio, ubi, & Anathematizati & Sathanæ traditi pœnitentes permanebant Basilius *ad Amphilochium can.* 22. ibi *raptores mulierum primo anno a precibus expelli, & ad Ecclesię fores deflere.* Eo pertinet Tertullianus de Pudicitia dum ait *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus ultra Jus Natura non modo limine verum Ecclesiæ tecto submovemus*; In Sacramentario Rotaldi Corbeiensis Abbatis feria IV. Cinerum eliminantur ab Ecclesia pœnitentes canentibus clericis responsorium *in Sudore vultus tui* quod ex antiqua consuetudine exemplo Adami e Paradiso ejecti factum affirmat *Burcard. lib.* 19. *cap.* 26.

Hi pœnitentes flentes a Synodo Ancyrana *can.* 17 Vocantur *hiemantes*; Atque juxta observationem Albaspinei *in sacris suis observationibus* hiemantes dicti sunt quià sub dio frigori, aliisque aeris iniuriis espositi ad januam Ecclesiæ deflere cogerentur; Atque ex antiquo hoc more fluxit, ut quondam in monasterio Stabulensi Crux erigeretur sub dio adquam pœnitentes starent.

II. Statio Audientium erat grecè dicta ἀκρόασις cujus locus erat intra fores Ecclesię, in parte Navis, quæ Narthex dicebatur. Est qui putet pœnitentes audientes audivisse quidem Sacras scripturas sicut, & cathecumeni non tamen in eodem loco, cum ipsis, quod colligi posse videtur ex Nicæna Synodo; Nam *can.* 11. & 12. egit de Fidelibus lapsis, & 14. de Cathecumenis lapsis, hæc habet,
„ De Cathecumenis sancto, & magno Concilio
„ placuit, ut tribus annis sint inter audientes,
„ post hæc autem cum Cathecumenis orent.
Ergo cathecumeni audientes non fuerunt eodem loco cum audientibus pœnitentibus.

III. Statio prostratorum erat, unde tertius hic gradus græcè ὑπόπτωσις latinè dicebatur substratio, & substrati etiam supplices conversi vocabantur atque etiam per anthonomasiam pœnitentes; Quia per manus impositiones pœnitentiã accipiebant; his in Ecclesiam dabatur ingressus, sacras audiebant scripturas, Missamque Cathecumenorum, prostratique ad Sacerdotum pedes, fratrum atque Ecclesię preces, & fletus poscebant, & a Sacerdotibus manum impositionem accipiebant, neque tamen toti intererant sacrificio Synodus Laodicena *can.* 19.

IV. Pœnitentium ordo consistentium dicebatur & συστασις græcè; Una cum Fideli populo ad finem usque Sacrificii intus persistebant; Sed non Sãctæ Eucharistię participes erant Synod. Ancyrana *can.* 6. Atque *Absis* locus erat eminens ad instar Tribunæ ceterum necesse non fuit omnes istos gradus a Pęnitentibus percurri; Sed arbitrio Episcopi varietatem criminum expendentis modo secundum, modo tertium occupabant gradum ut ex eodem Concilio Ancyrano constat *can.* 7. 8. 9. 16. & 24. notat Gibalinus *de Clauf. Reg. Disq.* 111. *cap.* 2. §. 6.

Reconciliabantur verò feria V. ante Pascha *can.* 17. *de Conf. dist.* 3. Et ideò cum in Concilio Remensi *anno* 923. *Tom.* 3. *Conciliorum Galliæ* iniungitur iis pœnitentia, qui interfuerant Bello Suessionis inter Robertum, & Carolum dicitur in *Cœna Domini reconcilientur.* Quare in Pontificali eadem feria V. reconciliationis forma adhibenda præscribitur; Ut nempe Episcopus in Pontificalibus recitatis Psalmis Pœnitentialibus mittat duos subdiaconos ad pœnitentes prostratos ante fores Ecclesiæ nudis pedibus, & ipsi subdiaconi candelas ipsis ostendant dicentes *Vivo ego dicit dominus nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat*, & post varios Ritus, ac preces idem Episcopus unum ex pœnitentibus per manum accipit, omnibus similiter se se ad manus tenentibus, usque ad faldistorium ducens; Ultimò aqua absterguntur benedicta, manibusque elevatis,

vatis, & supra illos extensis solemniter benedicuntur ut latius in Pontificali.

Remanet ut videamus, cur semel tantum hæc Pœnitentia juxta canonum preceptum imponenda esset; Et an hisce temporibus in usu sint tales Pænitentię solemnes.

Quod attinet ad primum articulum. Ratio habetur in *can.* 2. *de pæn. dist.* 3. Quia qui sæpius agendam Pęnitentiam putant, luxuriantur in Christo, nam verè non agere pœnitentiam ferè suspicari potest. Deinde quia ut ait Textus *in can.* 22. *de pæn. dist.* 3. Medicina tantò magis salubris, quantò minus assiduitate vilescit.

Licet autem non daretur secunda Pœnitentia; Attamen debebant saltem alia ratione qui peccaverant pęnitere *can.* 27. *de pęnit. dist.* 3. *Dartis ad Decretum p.* 2. *cauf.* 26. *q.* 6. & 7.

Quod attinet ad secundum articulum; Pœnitentia Solemnis pluribus in locis in usu non est, & arbitrio Episcopi in aliam pęnam com-
39 mutatur. Unde Zonaras in can. 16. Synodi Cartaginiensis, ait. *Hac qua fiebant de pænitentibus suis temporibus in desuetudinem abiisse*. S. quoque Maximus cap. 3. de Ecclesiast. Hierarchia in quo agitur de locis distinctis Cathecumenorum, Energumenorum, & pœnitentium, ait, *has differentias suo tempore non esse in usu*. Imo, & Concilium Cabllonense 2. cap. 29. hęc habet. *Pænitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit. Dartis ad Decretum ubi supra. Covar. L.* 2. *uar. cap.* 10. *n.* 3. qui ait solum his temporibus aliquam imaginem solemnis Pœnitentiæ videri in quadam urbe. Piasecius *in Praxi p.* 2. *cap.* 2. qui ait. *Reservata esse Episcopo peccata, propter quę publica esset iniungenda pænitentia. Auctores tamen moderni dicunt hanc solemnem pænitentiam non amplius in usu.*

[aa] Et licet pœna plurima pro certis delictis &c.

In Jure Canonico pro certis delictis certæ erant constitutæ penæ.

40 Ecce qui contrahit cum sponsa alterius de præsenti, 40. diebus jejunare debet in pane, & aqua *cap. accepisti de sponsa duorum.*

Qui scienter cognoscit duas sorores, vel majorem filiam, amitam, neptem perpetuo privatur coniugio *can. si quis cum duabus* 31. *q.* 3.

Qui Clericus contra Naturam deliquit, deponitur, vel traditur Religioni *cap. Clerici extra de Excess. prælat.*

Qui excomunicatus celebraverit per 2. 4. & 6. feriam debet a vino, & carnibus abstinere *can. de his XI. q.* 3.

Qui Paganum vel Judæum occidit, pœniteat 40. dies *can. qui verò odit* 50. *dist.*

Qui uxorem occidit nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit nisi post 10. annos *can. admonere* 33. *q.* 2.

Qui fraudat mensuras in Pane, & Aqua Iejunet *cap. ut mensura de emtr. Emt.*

Qui blasphemaverit Deum altissimum septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ dum Missa cantatur existat, & ultimo die pallium, & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & in pane, & aqua jejunet, & alia sunt in *can. si quis juratus* 2. *q.* 3.

Qui Presbyter revelat Confessionem, de Jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ suæ ignotus peregrinari *can. sacerdos de pæn. dist.* 6.

(bb) Nulla tamen ex his ipso facto incurritur.

In foro conscientiæ nulla ex enumeratis aliisque pœnis incurritur sed expectanda est ex hominis facto nempe. Episcopi qui solemnes imponit Pœnitentias, easque potest in secretas commutare *Trid. sess.* 24. *cap.* 8. *de Refor.* licet olim non posset, ut ait Tiraquellus de *Pæn. Temp. in Præfat. n.* 28. & generaliter quod omnes Pœnitentię à Jure Canonico statutæ, sint arbitrariæ idest arbitrio Episcopi docet *Clarus §. fin. in Praxi q.* 83. *Menochius de Arbitrar. cap.* 307. *per tot. Francisc. Marc. q.* 279. *part.* 1. *Bald. cons.* 155. *Paul. Christin. ad legem unic. Tit.* 2. *artic.* 15. *per tot. Sabellus §. mensura n.* 5. *Lauria verbo Pœnitentia.* 41

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus absolutio est reservata S. Pontifici; Tunc enim pœnæ arbitrarię non sunt, ut cum statuitur in Sacris Canonibus, ut absolvantur Rei cum cautione juratoria de publica certa Pœnitentia peragenda, cap. felicis de Pænis in 6. vel quando a Sacra Pænitentiaria imponitur pæna sub simili cautione præstiti Juramenti latè, & doctè Pignattellius *Tomo VI. Conf. Can. conf.* 73. *n.* 5. Bellarminus *L.* 1. *cap.* 7. *Indulg. prop.* 5. 42

[cc] Satisfactio Pars integralis &c.

Egregiè Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 3. *Sunt* (ait) *autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pænitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui, quatenus in pænitente, ad integritatem Sacramenti &c. requiruntur.* Et eadem sess. cap. 8. perversa Hæreticorum Dogmata confutantur. & *can. satisfactio can. pœnitentia* 4. *de pæn. dist.* 3. *can. pęnitentia* 1. *de pęn. dist.* 3. *can. perfecta* 8. *de pæn. dist.* 3. 43

(dd) Macula, & Pœna &c.

Audiantur verba canonis *productior de pœnit. dist.* 3. *Productior est enim pæna, quam culpa; ne parva putaretur culpa; si cum illa finiretur & pæna* (& infra) *Temporaliter hominem detinet pæna etiam, quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* 44

Verum qua ratione factum sit, ut pæna om-

I nis

nis Sacramento Pœnitentiæ æquè ac Baptismo non condonetur, præclare a Sancta Tridentina Synodo explicatum est his verbis *sess.* 14. *cap.* 8. *Divina Justitia ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratia recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel a peccati, & Demonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti Dono scientes Templū Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

[ee] *Purgatorio Igne cruciata.*

Toleranda est ergo pæna, quæ in vita dimissa
45 non fuit, in Purgatorio.

Patet hoc Dogma Catholicum ex verbis Concilii Florentini *in Lib. Ult. Sanctæ Unionis, in Decreto de Purgatorio*, ibi - Profitemus justo-.. rum animas perfectam Laureolam in Cælo .. jam consecutos esse, ac impiorum perpetuas .. pœnas luere; Medias vero in purgatorio esse; .. Quod quidem sive ignis, sive obscuritas, .. sive turbo, siue id genus aliud sit, nihil re-.. fert. Et in *Concilio Tridentino sess.* 6. *can.* 30. & *sess.* 25. idem a Patribus decernitur. Patet ex loco Matthæi *cap.* 12. ubi Christus ait. *Quod, si quis peccaverit in Spiritum Sanctum, non dimittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quo loco D. Bernardus utitur *serm.* 66. *in cant.* ut probet, aliqua peccata remitti in alio sæculo; At hæc non remittuntur in Cælo, quia nihil coinquinatum intrat in Regnum Cælorum *Apoc.* 2. nec pariter in Inferno, ubi nulla est redemptio: Ergo in loco Purgatorii.

Sed infinita SS. Patrum loca hac opportunitate cumulare si velim, quis finis erit? Namclarè Purgatorium evincitur etiam ex Auctoritate D. Pauli ad Chorint. 1. *cap.* 3. ex D. Hieronimo *in* 4. *Amos*, & *L.* 2. *In Jovinianum.* Ex Origene *homil.* 6. *in exod.* Theodoreto *in P. ad Korinth.* ex D. Gregorio *L.* 4. *Psal. cap.* 39. ex Lactantio *L.* 7. *Duun. Inst. cap.* 21. ex D. Basilio *in Lib. de Spiritu S.* ex omnibus illis, quos in hoc tractatu expendit doctissimus Bellarminus.

Ex Sacrorum Canonum auctoritate idem demonstratur. *Ex can. nullus ult. de Pæn. dist.* 7. ibi - Nam prius purgandus est igne purgationis, .. qui in aliud sæculum distulit fructum con-.. versionis; Ex can. qui in aliud dist. 25. *ibi* .. hic autem ignis etsi æternus non sit, miro .. tamen modo gravis est; excellit enim omnem .. pœnam, quam umquam aliquis passus est in .. vita, vel pati potest.

Ultra hæc preces pro mortuis nonnè in fide Purgatorii nituntur? Ut videre est in omnibus liturgiis; de quibus mentionem PP. habent.

Ità Clemens *lib.* 8. *Const. Apost. cap.* 41. ait, *Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt.*

Ità Dionisius Areopagita *lib. de Eccl. Hierarchia cap.* 7. ait *Deinde accedens divinus Antistes ipsi mortuo sanctè precatur.*

Ità Tertullianus de Monogamia *cap.* 10. ait *oblationes pro defunctis facimus.*

Ità D. Joan. Chrisostomus *Homil.* 69. *ad Populum Antiochenum* fateri videtur, Apostolos in Liturgiis has inseruisse commemorationes.

Et Defunctis orationes prodesse, habetur *in can. pro Obeuntibus* 13. *q.* 2. *in can. anima* 13. *q.* 2. *in can. Tempus* 13. *q.* 2. *in can. non æstimemus in can. cum gravia* 13. *q.* 2. Cum è contrariò, si agatur de his, qui damnati creduntur ad Inferorum pænas, non prosunt his oblationes, aut orationes *can. in præsentè* 13. *q.* 2.

Hoc receptaculum, in quo quæ continentur animæ medium quemdam statum habent inter felicitatem electorum, & damnationem reproborum, quidam Hæretici negare ausi sunt, Primus Aerius teste August. hæres. 35. VValdenses item circa annum 1170. Lutherus, & Calvinus eorumque asseclæ. Græcos etiam hujus erroris insimulavit D. Thomas Aquin. *in Opuscul. contra Græcos.* Sed certè jam facta Unione Greci, qui schismatici non sunt Purgatorium de fide credunt; Et Josephus Patriarcha Constantinopolitanus Græciæ totius Primas in mortis articulo constitutus; hanc fidei formulam professus perhibetur .. Beatissimum Patrem Patrum, .. ac summū Pontificè Domini nostri Jesu Chris-.. ti Vicarium concedo, atque animarum Pur-.. gatorium esse non inficior, narrat *Pet. Bez. in conc. diei animarum.*

[ff] *Indulgentia dicitur.*

DISSERTATIO VI.

De Indulgentiis.

Quæ de Indulgentiis hactenus a nostris scripta sunt, in exiguum angustumque spatium redigere, sperabile non est. Sed tamen insti- 46
tutum præsens efflagitat, ex canonum auctoritatibus dissertationem aliquam contexere.

Principiò catholicam hoc dogma tenendum est, esse in Ecclesia *Thesaurum satisfactionum Christi, & sanctorum, qui applicari possit iis* 47
qui rei sunt pœnæ luendæ post culpam in Sacramento Poenitentiæ remissam.

Patet hoc ex Textu in *Extravaganti unigenitus de pænit.* Christus ait .. Clem. VI. The-.. saurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens .. suis thesaurizzare Filiis pius Pater, ut sic .. sit infinitus Thesaurus hominibus, quo qui .. usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt ef-.. fecti. Quem quidem Thesaurum non in sudario .. repositū, non in agro absconditū, sed per Beatū .. Petrum Cæli clavigerum, ejusque successo-.. res, suos in terris Vicarios commisit fidelibus .. salubriter dispensandum, & propriis, & ra-.. tionabilibus causis, nunc pro totali, nunc .. pro partiali remissione pœnæ tèporalis pro pec-

catis

.. catis debitæ, tam generaliter, quàm speciali-
.. ter, (prout cum Deo expedire cognoscetent)
.. verè Pænitentibus, & confessis misericordi-
.. ter applicandum. Ad cujus quidem Thesauri
.. cumulum beatæ Dei Genitricis, omnium ele-
.. ctorum à primo justo, usque ad ultimum
.. merita adminiculum monstrare noscuntur &c.

Patet ex Basileensi Concilio *sess.* 24. Patres enim illius concilii in Bulla Indulgentiæ quam concesserant dicunt *se aperire Thesauros spirituales quos ipse Salvator ascendens in Cælum reliquit Ecclesiæ*.

Qui Canones magis elucidantur ratiocinio, quo utitur Bellarminus *de Indulg. lib.* 1. *cap.* 2. Si Thesaurum ex Christi liberatoris humani generis Passionibus considerare libeat, hic planè infinitus, hic exhauriri non potest. S. Joan. in priore Epistola cap. 2. ibi *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, & Isaias cap. 53. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Certum est autem, non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, pretium mortis Christi reipsa applicatum fuisse, ad eorum expianda peccata; Imò, majorem partem hominum ęternæ morti esse addictam. remanet ergo multum illius pretii, quod semper applicari possit, etiam si infinitum non esset, sicut reverà semper redundabit.

Si deindè satisfactionem ex meritis Sanctorū spectare placeat; hi planè plus passi sunt, quam eorū peccata exigerent. Ecce, Virgo fuit immaculata *Trid. sess.* 6. *can.* 23. & tamen quanta passa fuerit, notum est, cum ejus animam doloris gladius pertransierit. Et Martyres quanta passi sunt? Est Martyrium tam plena satisfactio, ut expiare possit reatum contractum ex quantovis ingenti numero, & magnitudine peccatorum. Cur de D. Joanne Baptista silemus? quem constat in utero sanctificatum, & tamen ejus vita tam parcè ac duriter acta est, perinde ac si omni scelere coopertus vixisset, & expiaret severitate vivendi ante actæ vitæ mores depravatos. Quid non audimus de S. Job? quot angustiis, & afflictionibus oppressus non fuit? qui de se ita ait cap. 6. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hęc gravior appareret*. Similia afflari potuissent Helias, Helisæus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, pluresque alii Sanctissimi Prophetæ, qui gravissimas persecutiones, vel etiam mortem ipsam pertulerunt. Tandem et Confessores, & Eremitæ, & cæteri Justi, qui asperimam, & durissimam vitam duxerunt, nonnè in hoc spirituale ærarium multum omninò satisfactionum contulerint?

Secundum Dogma Catholicum est, *tributam fuisse a Christo Jesu sanctę Ecclesiæ facultatem applicandi has satisfactiones illis qui rei sunt luenda pœna temporalis*. Quod probatur efficacissima ratione, amplior est illa promissio Do-
48
mini, quæ habetur. *Matth. cap.* 16. *quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis*, quam illa alia promissio quæ habetur *Joan.* 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Nam in hoc posteriore loco, nempe Joann. restringuntur verba ad peccata, in priore loco D. Matthei generatim dicitur, *quodcumque solveris, vel ligaveris*. Hinc latius patet, & in hoc verbo fundatur potestas non solum absolvendi a peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam dispensandi in legibus, in Votis, in Juramento, dum Causa rationabilis adest; promittitur enim his verbis Apostolo Petro supremum Tribunal Ecclesiasticæ potestatis, quod ei demum exhibitum est Joann. 21. *Pasce oves meas*, ut patet etiam ex *cap. per venerabilem extra qui filii sint leg. ex can. quodcumque* 24. *q.* 1. *cap. ad Apostolica de sent. & Re Jud. in* 6. *can. manet* 24. *q.* 1. *can. quem pœnitet de Pęnit. dist.* 1. in quibus auctoritatibus expenditur, quam latè pateat auctoritas, quæ in illis verbis quodcumque ligaveris significatur. Quoniam ergo & reatus pœnæ temporalis solubilis est, nec solum ligatur ille, cui retinentur peccata, sed etiam, qui præcepto, qui Juramento, qui promissione, qui reatu pœnæ, aliaque obligatione constringitur; efficitur ex his, apud Ecclesiam esse facultatem applicandi has satisfactiones, ut Rei pœnæ luendæ solvantur. Ultra rationem, in promptu etiam est antiquitas rei. Bonifacius VIII. *in cap.* 1. *de pæn. & Rem.* ait, *antiquorum relatione Indulgentias haberi*. Et idem ait Tridentinum, *sess.* 25. *in decreto de Indulg. Ecclesiam antiquissimis temporibus illis usam esse*. Et meritò Concilia ità loquuntur, nam scimus, D. Paulum Indulgentiam incestuoso pænitenti concessisse, ita enim ait 2. *Chor.* 20. *Vers.* 10. *Indulgentiam imperti incestuoso, jam seriò pænitenti*. Olim Martyres literas scribebant Episcopis, quibus aliquorum Canonicæ pœnitentiæ mitigabantur; Nam commeabant lapsi ad carceres, pacem a Confessoribus illis (idest Martyribus, qui ob Confessionem fidei in tormentis factam Confessores vocabantur) petentes, antequam pro Christo mortem capesserent; illi vero vicissim petentium desideria ponderantes pacem nonnullis concedebant, eamque libello, seu literis a se subscriptis signatam ad Episcopum destinabant, qui hac ratione ad communionē eos admittebat. Hanc autem Pacem dare lapsis per Confessorum literas pacificas, idem est, quod Reos Ecclesiasticę communioni, ante expletum pænitentię tempus, sociare. De hac pace, seu mitigatione pœnitentiæ per literas Confessorum extat locus Tertulliani in Lib. ad Martyres his verbis: *quam pacē quidam in Ecclesia non habentes, eam a Martyribus, in carcere constitutis exorare consueverunt; Ideòque hanc etiam in votis, & fovere, & retinere debetis*. Specimen quoddam hujusmodi literarum est in Epistola

Luciani ad Celerinam inter opera D. Cypriani *T. Tom. Epistol.* 22. ibi - Cum Benedictus Martyr Paulus in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post accersionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo; Sed & omnes, quos Dominus in tanta tribulatione accersire dignatus est. Extat quoque de his literis pacificis mentio in can. 25. Concilii Illiberini his verbis - Omnis, qui attulerit literas confessorias sublato nomine Confessoris (*& infra*) communicatoriæ dandæ sunt ei literæ. Ad cujus Canonis intelligentiam sciendum est, quod lapsis, qui attulissent literas Confessorias, dabantur ab Episcopo literæ communicatoriæ, ut his constaret Fidelibus, eos ad unitatem, & Ecclesiæ Catholicæ communionem fore admittendos, Mendoza *in dictum can. pag.* 261. Ex qua notitia antiquitatis, contra calumnias hæreticorum apertè dilucet, quod, cum Episcopi minuerent Pœnitentias ob satisfactiones Martyrum, Indulgentiarum usus recens non est, neque ad tempora Clementis VI. ut male opinantur sed multo altius, usum, originemque earundem esse repetendam. Hodiè autem, cum Catholicorum Principum Relligio diuturnam Ecclesiæ pacem peperit, literarum scribendarum abolita est consuetudo, ut ait *Mendoza loco super adducto*.

Ultra hæc, si placeat ad alias Antiquitates decurrere; apud Gregorium Magnum legimus exemplū Indulgentiæ, licet formula sit alia, quàm nunc Patres utantur *lib. 7. in Epistol. ad Recaredum* ibi: *Clavem parvulam a sacratissimo B. Petri corpore pro ejus benedictione transmisimus, in qua est ferrum de Catenis ejus inclusum ut quod collum ejus ad martyrium ligavere, vestrum ab omnibus peccatis solvat*; per verbum illud *benedictionem* significatur Indulgentia, & missio *clavis parvulæ* erat indicium Indulgentiæ Peccatorum per potestatem clavium concessæ, in qua auctoritate D. Petro successit. Nunc propterea Pontifex aliis verbis idem significat, cum dicat: *Auctoritate Beati Petri &c.* mittentes non clavem, sed literas, quas vocant Bullas cum clavibus pictis.

Et Gregorius VII. ad ad Alphonsum Hispaniæ, ut est Lib. 7. Regestri ejus ità scripsit - *Ex more Sanctorum vobis mitimus clavunculam auream, in qua de Catenis B. Petri benedictio continetur &c.*

Addamus & alia. *In cap.* 14. *de pœn.* Lateranense Concilium decernit, ne dum dedicatur Ecclesia ultra annum extendatur Indulgentia.

In cap. 3. *de pœn. in 6.* statuitur, ne Indulgentiæ excedant præscripta Concilii Lateranensis.

In cap. quod autem de pœnit. agitur de remissionibus, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarū.

In cap. 15. *de pœn. & rem.* definitum est ab Honorio III. ut possit Archiepiscopus per suam Provinciam concedere literas remissionis generalis.

In extrav. 1. *de pœn.* fit mentio antiquarum Indulgentiarum, quæ concedebantur visitantibus Basilicam Principis Apostolorum.

In Extrav. 2. *eod. Tit.* Indulgentiæ Jubilæi centesimi anni rediguntur ad quinquagesimum quintum.

In Extrav. V. de pœn. & remiss. revocantur Indulgentiæ concessæ a Sixto IV.

In cap. inter opera de Sponsal. & M. Clemens III. ait, *publicas mulieres de lupanari extrahentes, & ducentes in uxorem, quod agunt in remissionem proficere peccatorum*.

Multa omitto, quæ congerit Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 3. Ex his Canonum auctoritatibus; Nisi velint obniti contra expressam veritatem Sectarii, patet in Ecclesia semper fuisse adhibitam facultatem remissiones concedendi. Quod si hęc auctoritas a quo exercenda sit, quærimus, hæc potissimum residet penès Pontificem, ut patet *ex cap. cum ex eo de pœn. & Rem.*

De Episcopis, ac Metropolitanis certum pariter est, posse Episcopos in sua Diœcesi, Metropolitanos in sua Provincia Indulgentias tribuere; sic tamen, ut Indulgentiam unius anni in die Dedicationis Ecclesiæ, vel 40. dierum aliis Temporibus de iniunctis Pænitentiis non excedant Textus est *in d. cap. cum ex eo, in cap. nostro de Pœnit. & Remis. & in cap. nostro de Pœnit. & Remis. & in cap. Indulgentia eod. in* 6. Nec minus certum est, non requiri ad Indulgentias concedendas potestatem Ordinis, sed solam potestatem Jurisdictionis. Unde Pontifex, vel Episcopus nondum sacris Ordinibus initiati, eas concedere valent Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 11.

De Legatis Apostolicis, posse eos ex commissione speciali, vel generali S. Pontificis, Indulgentias in omni loco suæ legationis concedere, pariter indubitatum est. Inferior tamen Episcopo Indulgentias concedere non potest, nempe Prelatus exemptus *Kocbier part.* 4. *q.* 10. habetur *in can. accedentibus de Excess. Prel. in capite nostro de Pęn.* latè probat *Bellarm. lib.* 1. *cap.* 11. *q.* 3. *Ind.*

Tertia Assertio hęc est. *Quod Indulgentia liberant a reatu pęnę non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.* Hęc assertio cum præcedentibus maximè cohęret, & per hanc explicantur 49
Effectus Indulgentiarum.

Satisfit namque Ecclesiæ; Nunc enim iniunguntur mitiores Pœnitentiæ, quæ delictis impares sunt, omninò autem pœna luenda est vel in hac vita, vel in altera, nisi misericorditer relaxetur, ità Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 6. *& lib.* 2. *cap.* 18. *de Jud.*

Unde intelliguntur diversitates Indulgentiarum. Interdùm conceduntur aliquot dies, vel anni Indulgentiarum, & istæ Indulgentiae, juxta veriorem Sententiam, significant remis- 50
sionem Pœnitentiae, quæ peragenda fuisset tot

diebus, vel annis, secundum Ecclesiae ritum. Imperabatur enim Pœnitentibus *ex* 9. Jejunium feria 2. 4. & 6. interdicebatur usus balnei, equitationis, uxorisque. Interdùm conceduntur Indulgentiae *quadragene dierum*; & significant remissionem Pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus, in jejuniis, aliisque laboriosis operibus agenda fuisset. Quæ Quadragena, quandoque imperabatur acrior, adeo ut Pœnitens solo pane, & aqua se posset sustentare; Illi autem, qui hanc explebant Pœnitentiam, *Carena* dici solebat, quod scilicet *Carentiam* omniũ ferè Ciborum contineret. Interdum conceditur Indulgentia sic - *tertia*, *vel quarta*, *vel alia peccatorum pars*; & nihil significatur aliud, nisi remitti *Pœnitentiam*, quæ pro tanta parte penæ, peccatis debitæ, expianda necessariò fuisset. Interdum conceditur Indulgentia *Plenaria*; & significat, totum penæ reatum tollere, qui post culpam commissam fortè remansit. Deni-
51 que conceditur Indulgentia *plenior*, *& plenissima* etiam in *Jubileo*; Sed non differt a Plenaria simpliciter, & absolutè concessa. Atque ad notitiam Jubilæi sciendum est, in veteri lege Deum jussisse, sanctificari annum quinquagesimũ, eumque vocari, voluisse, annum remissionis cunctis habitatoribus terræ *Levit. cap.* 25. *&* 27. eo anno remittebãtur labores omnes agriculturæ, non arabatur, nec serebatur, neque metebatur, sed ex frugibus, quas Dominus anno precedenti suppeditabat triplo plures, commodè omnes sustentabantur, revertebantur agri, domusque, venditæ prioribus Dominis absque pretio, etiam si millies essent vendita. Remittebantur omnia debita; Exules ad natale solũ redibant, desiitque apud Judeos hic annus quinquagesimũ observari, qui et *Jubilaus* dicebatur, postquã illi excisi fuerunt, & differentia Possessionum et Tribuum inter eossublata. Ergo Jubilæus fuit annus germinans, utilis, fructuosus, qui agros, & domos antiquis Dominis restituebat; fuitque typus, & figura nostri Jubilæi, per quem tam multa Dei benignitas indulgetur. Undè Clem. VI. annum illum celebrẽ, in quo Indulgentiæ maximæ ade-
52 untibus Apostolorũ Basilicacõceduntur, Jubilæũ vocavit nèpè et hic Pontifex quinquagesimũ annũ Sanctũ designavit. Et quidẽ sub Bonifacio VIII. anno 1300. tanta venit hominum multitudo Romam, ut vix incedere per Urbem quamtumvis amplissimam liceret. Denique idem Jubilæum &c. anni Sancti a Paulo *II. in Const. qua incipit irrefragabilis*, *& a Sixto IV.* Jubilæum anni Sancti ad annum 25. est reductum *Extrau quemadmodum de panit.* Et durante anno Sancto, omnes Indulgentiae in aliis locis suspenduntur, & hac de re Constitutiones Clem. VIII. & Urb. VIII. citat *Lauria verbo* Jubilæum. Denique idem Jubilæi nomen protractũ est ad omnes Indulgentias, quæ in amplissima forma concedi solent, ut Pœnitentes eligant sibi Confessarium, qui eos absolvat ab omnibus criminibus, etiam *S. Ap.* reservatis, & Censuris, cum potestate commutandi Vota; *Basseus verbo Jubilaus in supplemento n.* 2. cœterùm Indulgentia Plenaria idem valet, quod plenior Basseus verbo Indulgentia 2. *n.* 10. *Coninchius disp.* 12. *n.* 18.

Ostendimus, Indulgentias tollere reatum Pœnæ coram Ecclesia.

Ostendendum, Indulgentias expiare pœnæ temporalis reatum, etiam coram Deo; Sed hoc vix indiget explicatione. Quorsum enim spectant verba illa, *erit solutum*, *& in Cælo*, si non solvitur vinculum, nisi humanum? Hinc Patres passim affirmant, per iniunctas, vel sponte assumptas Pœnitentias satisfieri Deo; Tertullianus *in lib. de pæn.* loquens de iis, qui dum agunt Pœnitentiam, redeunt ad peccata, ita inquit *Qui per delictorum Pœnitentiam instituerat Domino satisfacere* S. Augustinus *Hom.* 50. *cap.* 15. *non sufficit mores in melius mutare, nisi etiam de iis, qua facta sunt, satisfiat Deo.*

Denique, si post hanc Vitam locus extat pœnalis, ubi animae illorum exercentur, qui, dum viverent, pro suis peccatis Deo integrè non satisfecerunt, illicò venit in consequentiam, Indulgentias liberare homines a reatu Pœnæ, non solum coràm Ecclesia; sed etiam coram Deo.

(gg) *Quæ juvant etiam animas in Purgatorio existentes &c.*

Pœna Purgatorii succedit penæ, quæ non est in hac Vita integrè expiata; Quare Indulgentia liberans a debito totius penæ temporalis, quæ in hac Vita persolvenda fuisset, consequenter liberat, a pœna Purgatorii, quæ illi fortè successisset. Indulgentiae ergo, quæ conceduntur in hac Vita, immediatè, & principaliter liberant a debito penæ subeundæ in hac Vita; mediatè verò, & quasi secundariò liberant a debito penę subeundæ in Purgatorio. 53

Sed hæc optimè intelliguntur loquendo de illo, qui in vita Indulgentiis usus est, ad se liberandum a Purgatorio.

At, quomodo nam prosunt Indulgentiae animabus, jam in Purgatorio existentibus?

Supponendum est hoc principium, *Indulgentiam propriè esse absolutionem Judiciariam*, *habentem annexam solutionem ex Thesauro.*

Patet hoc ex testimoniis Sacrorum Canonum. Nam Alexander *III. in cap. quod autem de panit.* statuit, neminem posse concedere Indulgentias, nisi propriis subditis, & rationem reddit, *quia non potest*, *nisi proprius Judex absolvere vel ligare*; ergo quia, Indulgentia est absolutio Judiciaria.

Patet ex Dicto Martini V. qui in fine Concilii, concedens Indulgentiam ait, se concedere absolutionem Plenariam.

Denique, si non esset necessaria Jurisdictio ad concedendas Indulgentias, quilibet suam satisfactionem applicare posset, & Indulgentias proindè concedere; quod est inauditum, &

por-

portenti genus.

Quod attinet ad solutionem ex Thesauro, per hanc significamus compensationem, quæ condonat reatum pœnæ cujus sunt lapsi, in foro Dei debitores.

Indulgentiae autem præter absolutionem, continent applicationem Thesauri, ut patet ex *Textu in extr. unigenitus T. de Pænit.*

Hoc praemisso Principio Theologiae, & Sacrorum Canonum.

Dicendum est, Pontificem dare Indulgentiam Defunctis *per modum suffragii*; Nam, quando concedit Pontifex Indulgentias subditis suis viventibus, ipse qui nomine Dei, ejus vices gerit in terris admittit compensationem ex Thesauro depromptum, & ea admissa, & reatu poenae temporalis, absolvit.

At, è contrario Pontifex, dum concedit pro Defunctis Indulgentias per modum suffragii, non ipse, sed Deus acceptat compensationem, pro Defunctis, non ipse, sed Deus absolvit; Pontifex autem clementissimo Domino solùm offert ex Thesauro justam compensationem, quanta necessaria est ad eas liberandas: et Deus acceptans alienam satisfactionem, communicatâ animabus Defunctorum, eas liberat a reatu illo poenae. Et licet etiam illi, qui jejunant, dant eleemosinas pro Defunctis, offerant similiter Deo satisfactionem illam, & Deus eam acceptans liberet Defunctos a debito pœnae, tamen aliud est cum Pontifex offert; habens enim Jurisdictionem dispensandi Thesaurum potest offerre quantum requiritur ad satisfaciendum integrè pro reatu cujuscumque pœnae, cum è contrario jejunans, dans eleemosinam, nesciat, an id, quod offert, sufficiat ad animam liberandam.

Hęc est Doctrina consona Sacrorum Canonũ auctoritatibus. Neque enim Pontifex per modũ absolutionis potest Indulgentias concedere Defunctis, ut probatur ex *can. quod autē* 24. *q.* 2. ubi Defunctorum Causa Judicio Dei reservata est; *ex can. legatur* 24. *q.* 2. *ex can. nec quisquam ib.* ubi homines mortui ab Ecclesia judicari non possunt, et ità declarasse Sixtum *IV. refert Gabriel. in addit. ad lect.* 55.

(*hh*) *Est autem forma ego te absolvo &c.*

Sancta Tridentina Synodus hæc habet *sess.* 14.
54 *cap.* 3. *Docet pręterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiae Formam, in qua praecipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.*

Utque intelligatur, quid significent apud Concilium illa postrema verba *&c.* adducere placet verba Bonaccinæ *Disp.* 4. *q.* 4. *Punct.* 1. *prop. un. Tom.* 1. ibi - *imo ad essentiam, & valorem Sacramenti sufficiunt hæc duo verba, explicitè prolata (absolvo te) particula &c. non additur ad ostendendum, alia verba esse de essentia; sed ad indicandum, alia adiungi posse, quæ de more adiunguntur.*

Et Layman *lib. V. Tract. 6. cap. 13. sub n. 7. hæc habet. Notant tamen DD. ad essentiam Formæ retinendam, satis futuram esse, si solum hæ voces (absolvo te) expressè pronunciarentur.*

Quid verò dicendum est de dissertatione Cabassutii *ad Concilium Carthag. IV. an.* 398. ubi acriter insectatur quorundam Theologorum Scholasticorum Conclusiones? 55

Probat enim inter alia, in absolvendis olim Pœnitentibus Sanctam Ecclesiam verbis usam deprecativis, tam in Oriente, quam in Occidente, memoratque, Leonem Rom. Pontificem, quoties de sacramentali reconciliatione loquitur, non aliis rebus eam attribuere, quam Pœnitentium confessioni, & Sacerdotum supplicationibus & precibus, ut probat *ex can. sufficit* 61. *de pæn. dist.* 1. ubi ita scriptum est. *Sufficit Pænitenti illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiàm Sacerdoti, qui pro delictis Pænitentium precator accedit.*

Verùm non tam expressè infertur ex dicto loco Leonis Pontificis, Absolutionem in Ecclesia Universali adhibitam fuisse verbis deprecativis, quemadmodum contendit Cabassutius; Nam semper quaedam preces ante, & post absolutionem in usu fuerunt, & hinc Cathechismus hæc verba profert. *Adduntur pręterea complures preces, non quidem ad Formam necessaria, sed ut ea removeantur, quę Sacramenti vim, & efficientiam, illius culpa, cui administratur, impedire possent.* Quamobrem, quæ nam ratio reddi potest, cur Verba Leonis solùm ad has Sacerdotum preces referri non possint? Cętera, quae sunt in eadem dissertatione, ad hunc locum non pertinent.

(*ll*) *Vt in Explicationibus &c.*

Vere non potest Jus Canonicum perfecte intelligi, nisi Historiae Ecclesiasticae lumen accesserit; Et hæc necessitas praecipua est in hoc Sacramento Pœnitentiae. 56

Asseruimus in *Tit. nostro*, quod Ecclesia, tempore persecutionum in quibusdam flagitiis, non illicò absolutionem impertiret.

Hoc patet *ex can. Aurelius, ex can. si quis, ex can. qui recedunt, ex can. is qui* 26. *q.* 6. *can. si Diaconus* 81. *dist.*

Ad expositionem itaque hujusmodi Canonum; sciendum est, tria fuisse delicta, propter quæ absolutio differebatur, donec longa peracta fuisset Pœnitentia. Hæc fuerunt Idolatria, Homicidium, & Adulterium. Probatur, ex Paciano *in Parenesi ad Pœnitentiam Tom.* 3. *Bibli. PP.* ibi - *reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur; hæc verò tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt; hæc quicumque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit.* Et de his planè tribus criminibus Pacianus loquitur. Nam ei Tertullianus *lib. de Pud. cap.* 9. hęc habet - *hinc est, quod neque Idolatræ, neque*

San-

Sanguinei Pax ab Ecclesia redditur; & de Adulteris eodem in sensu loquitur D. Cyprianus *epistol. ad Anon.* ibi - *& quidem apud antecessores nostros quidam de Episcopis istis in Provincia nostra, dandam pacem mœchis, non putaverunt, & in totum Pœnitentiae locum contra adulteria clauserunt*, notat Dartis *lib. de Canon. discipl. circa pan. cap.* 8.

Eusebius verò *lib. 6. cap.* 36. narrat, quod Serapion senex, in persecutione lapsus, non est admissus ad communionem, nisi in exitu vitæ.

Et Concilium Illiberinum *lib.* 2. *can.* 1. hęc habet. *Placuit interea, ut qui post fidem Baptismi salutaris adultæ ætate ad templum Idoli idolatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale, nec in fine eum communionem suscipere*.

Qui canon est explicandus juxta Doctrinam Mendozzæ, rejecto Gonzales, qui per verbum *Communionem* contendit significari absolutionē sacramentalem; Quasi verò Rei criminum decederent sine absolutione. Verius ergo Mendozza putat, Ecclesiam Divini Numinis gratia illustratam numquam desperasse medicinam morientium, neque aditum ad veniam interclusisse resipiscentibus; Sed, cum mollire quorundam impiorum nequitiem non potuisset, proposuit Concilium Illiberinum, perpetuam Sacræ Communionis interdictionem, nec asperiores fuerūt illi *PP.* nec duriores, quam veritas, quam rei natura, quam temporum conditio paterentur, Cum præter Eucharistię Sacramentum olim etiā extrema Unctio pœnitentibus denegaretur. Unde *Inn.* 1. *in Epist.* 1. *ad Decent. cap. fin.* ubi de Chrismate sic ait: *Nam Pœnitentibus istud infundi non potest; Quia genus est Sacramenti: Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo, unum genus, putatur, posse concedi?* Censebat autem, absolutionem Pœnitentibus semper dandam idem Innocentius, ut patet ex *can. agnovimus* 26. *q.* 6. ait enim - *agnovimus Pænitentiam morientibus denegari* [& infra] *horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem inveniri, ut de Dei bonitate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere*. Ecce vides, quod, si canon supracitatus ex Concil. Illib. posset intelligi de Sacramentali absolutione deneganda impietatis notam *PP.* illi non evitarent.

Præterea Sanctum Tridentinum Concilium veritatis Magister, Traditionum certus Judex, antiquitatis arbiter hęc habet. *Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio, in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet Pænitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint*.

Si ergo teste Tridentino semper hoc fuit custoditum, ut absolverentur in extremis agentes, quid aliud quærimus?

Alia etiam via, aliaque ratione explicari potest Concilium Illiberinum (eoque revertamur, unde degressa fuit oratio.) Nam infirmis pœnitentibus; Infidelitatis, Adulterii, aut Homicidii crimine notatis, in periculo mortis absolutio data fuit, non quidem absolutissima, qua liberarentur a pœna Pœnitentiae, sed qua liberarentur à peccato, patet *ex can. qui recedunt* 26. *q.* 6. *ex can. is qui eod. C. & q.* Ità tamen, ut ad sanitatem reversi, indigerent alia reconciliatione, & manus impositione absolutoria, qua scilicet ab imposita Pœnitentia liberarentur, ut expresse habetur in *d. can. is qui* 26. *q.* 6. notat Dartis *in Tract. de Pænit. ad Decret. cap.* 14. *in fine*. Et insuper addi potest *Concilium VVormaciense can.* 80. *& Syricius Papa ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap.* 3. *his verbis, adiectum est, quosdam Christianos ad Apostbasiam, quod dici nefas est, transeuntes, Idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione esse prophanatos, quos a Christi Corpore, & Sanguine, quo dudum redempti fuerant, renascendo, jubemus abscindi, & si resipiscentes forte ad lamenta fuerint aliquando conversi, his, quandiù vivent agenda Pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda*. Ex quibus constat, quibusdam, solū in periculo vitæ, concessam fuisse Sacramentalem absolutionem.

Nec dicas id valde periculosum animabus fuisse, dari Pœnitentibus auditæ culpæ jam longam Pœnitentiam, & tamdiù differi absolutionem. Etenim hoc ideò factum, ut lapsi ad Contritionem confugerent; & Ecclesia existimavit, eos esse indignos, qui salvarentur per facilem gratiam Sacramenti Pœnitentiae, nisi adderent & labores in pœnitendo, propter gravitatem peccati. Quod si forte repentino obitu dieni extremum clausissent eos tamen Ecclesia recipiebat perinde ac si essent absoluti ut patet ex *Canonibus Isaaci Lingonensis Tit.* 1. *cap.* 10. his verbis enim scriptum est: *placuit his, qui accepta Pœnitentia migrant ad Deum ante reconciliationem, communicari pro eo, quod honoraverint Pænitentiam Sacrificii, & oblationibus juvabantur*, Textus elegans in *can. Sacerdos* 26. *q.* 7. latè exponit *Ambian. ad Tertull. cap.* 12. *pag.* 740. *Gonz. ad can* 1. *Concil. Illib. lib.* 2. *pag.* 108.

[*mm*] *Non potest esse Laicus &c.*

En verba Sancti Concilii Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. ibi *declarat Sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas Doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciosè ex-* 57 *tendunt*. Consonat Bulla *Leonis X.* 40. *quæ incipit exurge* contra Lutherum, qui potestatem absolvendi laicis attribuit.

Neque obstat Textus *in can. quem pænitet* 88. *de pæn. dist.* 1. *in versu tanta*, ait enim - *tanta itaque vis est Confessionis, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo*. Quæ verba repetita invenies *in can. qui vult. de pænit. dist.* 6.

Sed ex litera Textus se prodit responsio; Nam

si ne-

si neque locus, neque Tempus offerat Sacerdotem, laudabile consilium est, urgente mortis periculo, turpitudinem sui criminis socio confiteri, ad contritionem facilius excitandam. *At ille, cui confitetur* (ait Textus) *potestatem solvendi non habet*.

Sed nec habet hanc potestatem solvendi Fæmina etiam in dignitate constituta. Nihilominus refert *Balsamon in respons. ad interrog.* 34. fuisse tempora, in quibus hic error in mentes illius sexus irrepserit, ut Abbatissae subditarum Monialium possent audire confessiones, quod accidit in Hispania in Regali Monasterio Guldensi quod Alphonsus VIII. construxerat. His auditis Innoc. III. *in cap. nova de pænit.* ita scripsit - Nova „ quædam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod „ Abbatissæ videlicet in Burgen. & Palentin. „ Diœcesib. constitutæ Moniales proprias benedicunt, ipsarumque Confessiones criminalium „ audiunt (tùm vocat id absonum pariter et absurdum) quia, licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus Claves Regni Cœlorum commisit.

Atque hanc ob Caufam Gnosticos hæreticos explosit, rejecitque D. Hirenens *L. 1. cap.* 9. quòd Fœminis potestatem alterius Sacramenti, nempe Eucharistiae conficiendae, & administrandæ impertirent.

(*nn*) *Quin immo nec ipse Diaconus &c.*

Sed falsum prima specie videbitur hoc assertũ, Diaconis esse interdictum absolvere; Cum obstent expressi Canones, *in can. cum aliquis* 11. *q.* 2. *& eod. placuit fin.* 50. *dist. cap. fures* 2. *extra. de furtis*, in illis verbis *Presbytero, vel Diacono confessi fuerint*, idemque legitur in ordine Romano *cap. de reliquis totius anni offic. in* 4 *fer. Quadr.* ibi. *si autem necessitas evenerit*, & *presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pænitentes, & det Sanctam Communionem*. Et Concilium Illiberinum *can.* 32. hæc habet. *Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere Pœnitentiam non deberè, sed potius apud Episcopum, cogente tamen infirmitate, necesse est, presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos*.

58

Sed pro interpretatione tam multorum Canonum, sciendum est, hanc reconciliationem juxtà illas constitutiones non fuisse reconciliationem Sacramentalem, sed cæremonialem, & quæ tantùm proderat ad agnoscendos fructus Poenitentiae. Duplex enim in Episcopis potestas, altera Ordinis, altera Iurisdictionis, quæ Ordinis sunt inferioribus aliis, ut vices suas agant committere nequeunt ut ordinare &c.

At quæ Jurisdictionis sunt, utique possunt, & hujusmodi est Poenitentium reconciliatio Mendozza ad Concil. Illib. *d. can* 32. *pag.* 311.

Quod si quis, cum non est Sacerdos, administraverit Poenitentiae Sacramentum de hæresi suspectus est, ex declaratione Gregor. XIII. in Bulla incipiente *officii nostri* his verbis - *animadvertentes, eos, qui Presbyteratus Ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quę solos Presbyteros &c.* Maximè his Temporibus, in quibus illa hæresis grassatur, quod scilicet etiam laici, & sæculares sint Pænitentiæ ministri Bellarm. *Tom.* 2. *controv.* 1. *lib.* 24. & 25. *Carena in direct. part.* 2. *Tit.* 11. §. 1. *part.* 155.

Et licet munus hujusmodi, reos puniendi, spectaret ad Ordinarios *cap. ex literis, de Cler. non ordin. minist.* tamen Gregor. XIII. ita in præcitata Bulla decrevit. *Nos itaque, ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur &c. eorum qui in Presbyteratus Ordine non constituti, Missas celebrant, & Confessiones audiunt, cognitionē, & punitionem ad Inquisitionis officium, & ad Inquisitores antedictos pertinere &c.*

(*oo*) *Est ab Episcopo approbandus.*

Ità expresse decernit Tridentina *Synodus sess.* 23. *cap.* 15.

Perperàm verò Choninchius *de pæn. dist.* 8. *dub.* 7. *n.* 50. negat, posse ab Episcopo in Confessarium approbari eum, quem subditum non habet. *Tota universa Ecclesiae Praxis in contrarium est*, ut probat Cabass. *lib.* 3. *Scientię Can. cap.* 8. 59

Potest autem Episcopus, & Prælatus inferior exemptus, etiam prætet sui superioris licentiam, eligere Confessorem ex Decreto Gregor. XI. in *cap. ne pro dilatione de pæn. & Rem.*

Et facultatem eligendi Confessarium Papa indulget aliquandò, prò una tantùm vice, sive publica, ut in Jubilæis, sive privata concessione Cabass. *Scientia Can. L.* 3. 8. *n.* 14.

[*pp*) *Aut Parochiale Beneficium obtineat.*

Parochus à lege est approbatus, habetque in Pænitentiae foro Jurisdictionem. Ideò potest suorum Parochianorum Confessiones audiendi potestatem alteri Sacerdoti delegare, expresso *Textu in cap. omnis utriusque sexus de pęn. & rem.* Dummodò alius hic Sacerdos, quoad potestatem audiendi Confessiones, fuerit ab Ordinario approbatus *Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 15. & ità intelligit dictum Textum in *cap. omnis utriusque sexus, Barbosa de Parocho part.* 2. *cap.* 19. qui ita disserit -- *Quia approbatio est quid Jurisdictionis, quam non habent simplices Parochi, & eos approbare nemo alius nisi Episcopus potest, Sacra Congregatio Concilii ità decrevit*. 60

Atque hoc loco eruditam Cabassutii observationem recensere, non erit ab instituto alienum

d. L. 3.

61 d. L. 3. *scientię Can. cap.* 8. ait enim... N.IV. Viguisse aliquandiù obligationem confitendi soli proprio Sacerdoti, aut alteri cuidam, sed ex proprii tamen Sacerdotis licentia, & non aliter, juxta cap. omnis utriusque sexus de Pœn. & Rem. procusum in Concilio generali Lateran. sub Inn. Papa III. Is autem proprius Sacerdos multò strictius, quam nunc temporis intelligebatur; omnium enim intrà fines Parochiæ, sive Sacerdotum, sive inferiorum Clericorum, sive Laicorum proprius, Sacerdos, cui confiteri tenebantur, non alius erat, quam Parochus; Parochorum Sacerdos erat solus Episcopus: Ipsis etiàm Episcopis, confiteri volentibus, necesse erat recurrere ad Metropolitanum, donec Gregor. IX. cap. fin. de Pæn. aliter indulsit (ut supra diximus) *& infra* Cardinales etiam Sanctę Romanæ Ecclesiæ non alio confiteri poterant, nisi Papæ, ejusve majori Pœnitentiario, aut ei, quem isti ad hoc delegassent, ut notat Fagnanus in cap. ne pro dilatione de Pœnit. & rem. sed jam Cardinales, post d. Textum in cap. ne pro dilatione, possunt ex Privilegio sibi eligere Confessarium, modò sit approbatus.

Imò jam ex consuetudine, quæ ubique invaluit, Pęnitens alienæ Diæcesis admittitur ad Con-
62 fessionem, & alienigena, dummodò Idioma percipiatur, & multò potiori ratione possunt ipsimet Diæcesani, quem libuerit approbatum in eadem Diæcesi Sacerdotem, cui confiteantur, eligere. Unde ex consuetudine proprii *Sacerdotis* notio, & significatum latiùs multò, quam olim, extenditur.

Nam Episcopus non minus est proprius per totam Diæcesim Sacerdos, quam Parochus loci. Ergò, quos Episcopus delegaverit, eamdem perindè, quoad hoc Sacramentum, potestatem habent. Ità Cabassutius loco citato, qui omnia hæc ex Bonaccina confirmat *de Pœn. disp.* 5. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 1. 4. *&* 5.

Neque *oberit Textus in cap. si Episcopus de Pæn. & Remis. in* 6. ibi *nulla quoque potest Consuetu-*
63 *dine introduci, quod aliquis, prater sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere, vel ligare*.

Nam respondet idem Cabass. Textum intelligi, ut non possit particularis alicujus loci, hominisve introduci consuetudo, Juri communi, atque universali derogans; Secùs verò, si introducatur universalis, & diuturna in oppositû consuetudo, quæ priorem abroget, maximè hoc Tempore, quo Regulares tam multi obtinent audiendi Confessiones facultatem. Neque novû est, ut ex consuetudine nova acquiratur Jurisdictio, *Textus est in cap. dilecti extra de Arbitris &c.* De hac eadem consuetudine testatur *Gonz. in cap.* 12. *n.* 3. *de Pænit. & Rem.*

(qq) *Novissimo Innoc.* XI. *decreto &c.*

Innocentius XI. in decreto circà Communionem quotidianam, dato Romæ die 12. Februar. 64
anno 1679. sic decernit — *Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario*. videatur explicatio hujus decreti apud Cardenam *in Chrysii Theol. dissert.* 2. *cap.* 6. *Artic.* 12. *ad proposit.* 7.

(rr) *Constituit Pænitentiarium &c.*

Episcopus [*ex Concilio Trid. sess.* 24. *cap.* 8. in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Pænitentiarium aliquem 65
cum unione Prębendæ, proximè vacaturæ, omninò instituat], qui magister sit, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui, dùm Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur. hęc omnia Tridentinum statuit, ac decernit.

Vicario quoque suo communiter dare solet Episcopus facultatem absolvendi reservatos, sed id expressè concedere debet, aliter enim Vicarius, vigore mandati Vicarialis, Casus Episcopo reservatos absolvere non potest; ità Piasecius *in Praxi part.* 2. *cap.* 1. *n.* 15. *pag.* 106.

Imò an Pænitentiarius, ex vi solius Officii, absque alia speciali commissione, possit absol- 66
vere a casibus Episcopo reservatis specialiter, perplexa quęstio est.

Et negativam Sententiam tuetur novissimè Ventriglia *Tomo* 2. *in Praxi Episcop. annot.* 12. *§.* 2. *n.* 12.

Etenim extat declaratio Sacræ Congregationis Concilii apud Barbosam *de Potest. Episc. part.* 3. *Alleg.* 55. *n.* 23. *& in Summ. Apostol. decis. verbo Canonicus Pænitentiarius n.* 24. Qua decernitur, Pœnitentiarium speciali indigere commissione, ait enim, *Panitentiarius non poterit absolvere quemquam, in Casibus, quos Episcopus sibi expresse reservaverit, nisi ipsemet Episcopus banc illi speciatim dederit auctoritatem*.

Accedit, & Concilium Provinciale Compostellanum, *actione* 2. *decreto* 38. ubi idem statuitur.

Et de his Pœnitentiariis est Textus *in cap. inter cętera extra de off. ord.* de his plura erudite scripsit Socrates, *historia tripartita L.* 9. *cap.* 35. *&* Joverius *Lib. Sanction. Eccles. agens de Concil. Oxonens. §.* 15.

[ss] *Roma etiam in tribus Basilicis &c.*

De Romana Pœnitentiaria extat Textus *in clem. ne Romani §. eo tamen de El. in* 6. licet 67
multi de hac scripserint, ut Petr. Greg. *in Syntagm. L.* 15. *cap.* 42. *p.* 2. *Cassan. Patr.* 4. *Cons.* 17. *in cathal. Mandos. in Gloss. Facult. regend. §. volentes in verbo Panitantiaria ob officia*.

Attamen luculentissimè differvit de hoc argumento Card. de Luca *discurs.* 12. *Relat. Rom.*

Cur.

Cur. suæque narrationis summam hic ponemus.

Si ergo vetustatem Pœnitentiarię quærimus; Cum olim quoque graviorem quorundam scelerũ absolutio Summo Pontifici esset reservata; ipse munus absolvendi explebat, eratque solus ipse Pœnitentiarius *Petr. Gregorius ubi supra*.

Cum verò Pontifex universi Orbis Christiani habenas moderetur, fieri non poterat, in magna negotiorum mole, ut singula munera per se adimpleret. Ergo in Pœnitentiarii officio Vicariũ sibi constituit. Atque hic summus erat Pœnitentiarius: Et Tempore Greg. X. anno circiter 377. major. Pœnitentiarius Cardinalis erat teste Mandosio *glossa facult. §. volentes*.

Hodierno vero statu inspecto, istius muneris explicatio fit per duplicem Ministrorum speciem, una est illorum Sacerdotum, qui Sacramentum Pœnitentiæ, prævia auriculari Confessione, ministrant, in tribus Patriarcalibus Basilicis Urbis. in Lateranensi Basilica est Pœnitentiarius Ordinis Minorum observantię reformatorum; In Vaticana est Pœnitentiarius Societatis Jesu; In Basilica S. Mariæ majoris est Regularis Ordinis Prædicatorum, istique sedentes virgam habent, iisdemque victum suppeditat Pœnitentiæ Tribunal ex ejus emolumentis.

Alia species ministrorum est eorum, qui regunt Pœnitentiariam audientes supplicationes super petitis Absolutionibus, & Dispensationibus. Adest & Regens Pęnitentiariæ idest Vicarius Generalis Pænitentiarii, qui solet esse unus ex Auditoribus *Rotæ*. Summus verò Pęnitentiarius est Cardinalis *Pius V. Const.* 83. *in omnibus*. Adsunt tres alii Officiales, nempè Procuratores, & per Turnum porrigunt supplices libellos.

Si ultrà Officiales quærimus quæ negotia in Pęnitentiaria sacra explicentur. Negotia sunt dispensationes super occultis Irregularitatibus ex Causa homicidii, vel illegitimorum Natalium; Convalidationes Matrimonii habentis latens impedimentum ejusque dispensationes in gradibus remotioribus. Revalidationes Simoniacatum provisionum Beneficiorum, aliarumque provisionum; Absolutiones a Censutis, & ab Incursa pro percussione Clerici, etiàm si fuerit publicè Episcopi monitoriis denunciata; Nam ità excomunicatus Romam pergit, confitetur uni existenti in prædictis Basilicis, deindè verò literæ pro ęxterno foro conceduntur; Quod si quis ex inimicitiis, ætate, infirma valetudine, & ob aliud justum impedimentum, ad Urbem nequeat accedere, conceditur per Breve facultas Ordinario, ut absolutionem, in forma Ecclesię concedat. Item Pęnitentiaria in forma Brevis prębet facultatem Relligiosis, ut sibi eligant approbatum Confessarium, pro absolutione a reservatis, quę omnia latius explicat, & narrat *Cardinalis de Luca, ubi supra*.

[*tt*) *A casibus Pontifici reservatis*.

Casus Pontifici reservati; imprimis illi sunt, qui in Bulla Cęnę comprehenduntur, nam 68
Censuræ solum a Pontifice absolvuntur, quæ sunt in Bulla Cęnæ explicitę; Casus alii reservantur *in extravaganti etsi Dominici de Pan. & remis. in cap. si quis suadente 17. q. 4. in cap. studuisti de off. leg. in cap. sane de Off. deleg. in cap. dura, & cap. ad Falsariorum de crimine falsi; In cap. significavit de Sent. excom. in cap. tua ib. In cap conquestus ib. In cap. fundamenta de elect. in 6. In cap. quicumque de Sent. Excom. in 6. In cap. multorum §. verum de har. in 6. In Clem. 1. de Privil. regul. in Clement. cupientes de Panis; In Clemen. grave de Sent. Excom. in extr. 2. de sepult. in extravag. 1. & 2. de sim. in extravag viam ambitiosa de Reg. in extravag. 1. de Sent. Excom. in Trid. sess. 5. de Peccat. orig. in sess. 22. cap. 11. idem Concil.*

Præter hos Canones; A Concilio Costantiensi *sess.* 41. reservatus est Casus rapientium bona Cardinalium, dum in Conclavi sunt, seù in Pontificem electi; A Concilio Lateran. *sub Leon. X. sess.* 9. reservatus est casus Cardinalium revelantium secreta Consistorii; A Concil. Lateran. *V. sub Julio* II. *sess. V.* reservatus est Casus Cardinalium, committentium Simoniam in Electione Pontificis; A Clem. VIII. reservatus est casus ineuntium Duellum, aut suadentium, in *const. anni* 1592. *qua incipit, illius vices*; Ab Innoc. VIII. *in constit. qua incipit, cum sicut*, reservatus est Casus fingentium, se esse Nepotes Cardinalium, quò literas gratis expediant; A Gregor. XIII. *in const. qua incipit inter Apostolicas an.* 1584. Casus reservatur facientium curare illicita, vel de observandis ordinationibus, adversantibus Sancto Concil. Trid. A Pio V. *in constit. qua incipit, licet omnibus*, reservatur Casus capientium Christianos, habitantes in locis a Turcis occupatis; Martinus V. *in Bulla, qua incipit ad reprimendas*, excommunicat Judices Sæculares si judicaverint Clericos tractos ad suum forum, & reservat absolutionem. Gregor. XIII. *in Bulla quę incipit, ubi gratia anni* 1575. *Idib. Jun.* reservat excommunicationem incursam ob violationem Clausuræ Monialium, itemque Pius V. *in Bulla, qua incipit decori ann.* 1570.

Paulus IV. *in Bulla cum secundum* reservat Casum tractantium de eligendo novo Pontifice, dum adhuc in Sede Apostolica Pontifex vivit.

Reservata est ad extremum Sum. Pontifici dispensatio quinque votorum, Relligionis, Castitatis, Peregrinationis ad Limina SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Hierosolimam, Compostellam, *Textus est in Extrau. etsi regimini de pan. & Remis.*

Verumtamen Sancta Tridentina Synodus *sess.* 24. *cap.* 6. Singularem proponit exceptionem; ut si Casus Pontifici reservati occulti fuerint, neque deducti ad forum contentiosum, absolutio Episcopo permittatur; licet hoc Tridentini Decretum ad Casus Bullæ Cęnæ non extendatur, teste Pirhing.o *Part.* 2. *cap.* 2. *n.* 13. &

extat hac de re declaratio Sacræ Congregationis apud Pegn. in 3. *parte direct. Inquis. com.* 141.

Alia quoque exceptio est *in cap. ea noscitur, in cap. quod de his de Sent. Excom.* Nam si quis legitimè impeditus ad Sedem Apostolicam, eiusve Legatum nequit accedere, Episcopus absolvet. Causę verò legitimi impedimenti sunt, Paupertas, Valetudo adversa, perpetua Infirmitas, Conditio sexus, si sit mulier, seu status, ut si non sit sui Juris, seu si sit Servus, gravis senectus, Membrorum mutilatio, Inimicitiæ capitales; Absolvitur tamen impeditus absolutione ad reincidentiam *cap. eos de Sent. Excom. in 6.* ut hunc Textum intelligit *Piasecius ubi supra.*

Conceditur quoque Episcopo absolutio a percussione, quæ leviter sit illata Clerico, *cap. pervenit de Sent. Excom.*

Levis percussio Clerici, quę sit, exponitur ab Extravag. Joennis XXII. quæ refertur à *Piasecio ubi supra;* ibi - Vobis, prout possumus, respondemus, illam videlicet modicam percussionem (esse) aut impulsionem pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, lapidis, quę ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit; nec, si tum levissimi pugni percussione sanguis exiret. Mox eddit, observandas varias circunstentias, ut cognoscatur, quę sit levis, vel enormis iniuria, veluti si in loco, ubi sit multitudo &c. percutiatur Clericus.

[uu) *In mortis articulo &c.*

In mortis articulo nulla est reservetio, & ideò Presbyter, etiàm ab Episcopo minimè
69 probatus, potest absolvere Text. in *can. Presbyter 14.-26. q. 6. Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Concil. Cartag. 2. c. 4. ext. 1. §. causa de Treg. & Pac.*

[xx) *Nullus potest revelare &c.*

Nullus Confessarius audita peccata revelare
70 potest. Canonum præscripto Sacerdos sigillum frangens, ignominiosus omnibus diebus Vitę suæ peregrineri debet, *can. 2. da Pan. dist. 6.* ant in Monasterio detrudebetur *cap. 12. de Pan. & rem.*

Et secretum Confessionis omninò servendum, ait Textus *in can. de forma 21. q. 5.* Ratio est; quia non est Confessarius criminum conscius, ut homo; Sed Dei vices sustinuit in Pœnitentiæ Sacremento *cap. si Saecrdos de Off. Ord.* Ideò secretum nulli revelandum, *can. placuit, can. si tantum 6. q. 2. can. Sacerdos de Pan. dist. 6. cap. omnis §. caveant de Pan. & remiss. cap. dilectus de excess. Prel. cap. erubescant 2. q. 1. can. plenius 2. q. 7. can. de forma 2. q. 5. cap. nemo 14. de Sim.*

Quin, etiàm signis, eut alio quovis modo, revelatio peccatorum inhibetur *cap. omnis §. caveant. de Pan. & rem.*

Textus verò, qui contrà videntur prima specię decernere, in *cap. 1. de Cler. per saltum promoto, in cap. ad aures de Tempor. Ordin. in capit. Lata de Ren,* intelliguntur de Judiciali, non verò de Sacramentali Confessione, & ideo ea notitia, quę in Judicio relata est à Judice, ipse uti potest; Addo, etsi secretè extrajudicialiter Confessionē criminis Judex audisset, notitiæ, scientiaque hujusmodi instructus ad puniendum reum, descendere, si æquum videbitur, poterit, siquidem (*ut ait Gonz. in d. cap. 2. de Off. ord. n. 9.*) ubi Secramentum non adest præceptum hoc Sigilli, arctissimaque obligatio cessat.

(yy] *Necessaria imprimis Pœnitentia omnibus baptizatis &c.*

Hoc Dogma indubitatum est; Trid. *sess. 14. cap. 5.* ibi - ex Institutione Sacramenti Pęnitentię, jam explicata universa Ecclesia semper 71
intellexit institutam etiam esse a Domino integram Peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necesseriam existere. *can. non potest, can. ecce nunc, can. perfecta, can. quandiù, can. quidam de Pan. dist. 1. Concil. Constant. Contra artic. 7. Joan. VVicleffi.*

(zz) *Accessit pręceptum Ecclesiasticum &c.*

Concilium generale Lateranense celebratum sub Innoc. III. relatumque *in cap. omnis utriusque sexus de Panit. & remiss.* hæc habet; Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in 72
enno proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi Pœnitentiam pro virili stud=at adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pesche Euchiristiæ Sacrementum.

Praxis, & communis Fidelium usus annum, hunc computat ab uno Paschate ad aliud; & Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* hæc hebet .. unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum Fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi secro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ.

Julius I. *Epist. 1. cap. 7.* statuit Sacremetelem Confessionem faciendem *feria V. Sanctæ Hebdemadæ*, & subindè novis vinculis Statutorum Synodalium firmata fuit illa universelis Ecclesiæ Consuetudo à *Synodo Atrebatensi cap. 4. de Pan. Synodo Audemarensi cap. 7. de Pan.*

Julius IV. in Textu *in extrau. vices de Treg. & Pace §. nos igitur vers. quia de Jure* hæc habet - Quia de Jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.

Barbosa ad dictum *cap. omnis utriusque* hęc habet

habet - Sumptis Quadragesima, & Pascha pro -. 15. diebus, a Dominica Palmarum, usque .. Dominicam in Albis. Sed olim recipiebatur absolutio, in Cæna Domini *can. in capite dist.* 50.

(*aaa*) *Medicis ab Inn. III. &c.*

Medici infirmos, quo primùm die invisunt, ante omnia monere, & inducere ægrotantes debent, ad Culparum salutarem Confessionem.;
73 ità statuitur *in cap. cum infirmitas* 13. *de Pæn. & remis.* Consonat Concil. Brachar. 4. *act.* 5. *cap.* 31. ibi: .. præcipit Sancta Synodus singulis huius Provinciæ Medicis sub excommunicationis pœna, ut qun primùm die ægrotos decumbentes invisunt, illos de salutari saltèm Confessione facienda admoneant. Consonat Concilium Raven. 2. Tempore Clem. V. rubr. 15. .. monemus insuper omnes Medicos, .. quod, quandò vocati fuerint ad infirmos, .. non ulterius redire audeant, nec curare eosdem; nisi priùs eis constiterit, quod ipsi infirmi prædicti Medicum advocaverit Animarū. Sed Pius V. in celebri Bulla, *supra gregem. in §. & hac nostra* hæc habet .. Et hac nostra .. in perpetuū valitura Constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cum ad .. infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos .. ante omnia moneant, ut idoneo Confessori, omnia peccata sua juxtà ritum S. R. E. confiteantur, neque tertiò die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor, .. ob aliquam rationabilem causam, super quo .. ejus conscientiam oneramus, concesserit, & .. eis per fidem Confessoris in scriptis factam .. constiterit, quod infirmi, ut præmittitur, .. peccata sua confessi fuerint.

Et in §. *quod si Medicorum* comminatur Pœnas ibi .. Quod si qui Medicorum præmissa non .. observaverint, ultra pœnas in dicta constitutione (cap. omnis utriusque sexus) contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò sint infames, & gradu Medicinæ, quo insigniti erant, omninò priventur, & a collegio, seu universitate Medicorum eiiciantur, .. ac pęna etiam pecuniariæ, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.

[*bbb*) *Deputatis ad ultimum Supplicium &c.*

Quibusdam in Regionibus introducta erat abominabilis consuetudo, ut ultimo supplicio 74
damnati excluderentur a Sacramento Pœnitentiæ. Clem. V. re delata ad Viennense Concilium., ità decrevit in *Clem. cum secundum de Pæn. & remis.* ibi .. abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omninò, volentes, Justitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant .. abusu, hortamur in Domino &c.

(*ccc*) *Tempore interdicti &c.*

Pœnitentia Tempore Interdicti sanis etiam non denegatur. Ità statuit Bonifacius VIII. in
cap. alma mater de Sent. Excom. in 6. his verbis - 75
.. Concedimus, quod tempore Interdicti, ab .. homine vel a Jure prolati, non tantummodò .. morientes, sed etiam viventes, tam sani etiā, .. quam infirmi, ad Pœnitentiam, quæ propter .. pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum, summè necessaria est, licitè admittātur, dum tamen excomunicati non fuerint: .. quos admitti, præterquam in mortis articulo .. nolumus ad eamdem. Ipsis etiàm qui causam Interdicto dederunt, (*& infra*) non est .. Pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum.



DE

DE EVCHARISTIA

TITULUS VI.



Hura (a) pii date Thura, volet vapor ater ad auras, *Vida Hym. de Euch.*
Suppliciter genibus nixi advolvamur ad aras.

En venimus ad Sanctum, & venerabile Eucharistiæ Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius, efficacius, salubriusve; Et rectè quidem Eucharistia (b] vocatur, tamquàm bona gratia, seu gratiarum actio, quia summorum bonorum nos admonet, pro quibus acceptis gratiarum actioné Deo summo debeamus. Et planè magna est supra reliqua Sacramenta ejus excellentia. Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: At in Eucharistia ipse Sanctitatis Auctor ante usum (c) est; Continent accidentia vivificum Sacramentum, dùm in tabernaculis etiàm [dd) asservatur aut in Columbis [e] argenteis, juxtà veterem Ecclesiæ ritum. Ultrà hæc latriæ cultus Eucharistiæ (f) debetur, cum illum eumdem Deum præsentem, in hoc Sacramento adesse credamus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dixit: Et adorent eum omnes Angeli ejus: quem Magi procidentes adoraverunt. Reliquis autem Sacramentis minor quidam cultus (g) conveniens est.

Jam si de institutione præcellentis hujus Sacramenti libet inquirere. Cum apud Hæbreos menses ómnes numerarentur, a Novilunio, [h] cumque die 14. primi (i) Mensis, ideft 14. die a Novilunio usque ad diem 21. dies essent [l] Paschales, & Azzimorum; primo (m) diè Azzimorum, quando Fermentum inveniri non poterat, in omnibus finibus Israel *Exod.* 12. *&* 13. Redemptor noster transiturus de hoc mundo ad Patrem, in memoriam Mortis suę, instituit [m] Summum, & magnificum sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum. [n]

Hujus Sacramenti Materies est Panis[o] triticeus, & Vinum de vite; licet autem duo sint Elementa, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum (p) esse confitemur. Porrò cum utrumque Panis genus, & azzimus, & fermentatus veram, [q) & propriam Panis rationem, & nomen habeat (quidquid Photius aliter opinatus sit) in azzimo, sive fermentato Pane triticeo, Corpus Christi veraciter conficitur, Sacerdotemque in

altero

altero ipsum Dominicum Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem Florentinum Concilium decrevit. Ac de altera hujus Sacramenti materia, & elemento certum est, Vinum ex vitis fructu (*r*) expressum, cui modicum aquæ permixtum sit, esse oportere. Vinum cum dico non excludo (*s*) mustum in casu necessitatis, ut olim decidit Julius Papa. Quod vero Innocentius (*t*) VIII. Norvegis in alio liquore qui in glaciem non concresceret, consecrare concesserit, etsi Volaterranus asserat, credibile non est. Egyptii quidam Presbyteri, lac pro Vino in divinis Sacrificiis dedicabant; Alii per eumdem Ægyptum pannum lineum musto intinctum per totum annum reservabant, & in tempore sacrificii partē ejus aqua lavare, & sic offerre consueverant; Quę Evangelicę, & Apostolicæ doctrinę contraria (*u*] declarata fuerunt. Quod pertinet ad aquam miscendam, quamquam ea si desit (*x*] Sacramentū constare possit, eam tamen sine mortali peccato prætermittere non licet. Inventi sunt (*y*] Aquarii Hæretici, qui specie sobrietatis Aquam solam Calici infundebant; In hos (*z*] editi sunt plurimi Canones, sub *distinctione 2. de Consecratione* collecti. Unde B: Pius V. (*aa*) scribens Tarraconensi Episcopo quosdam arguit qui plus Aquæ, quam Vini in sacrificio adhibebant; similique reprehensione in Suecos Presbyteros jam pridem usus erat Honorius [*bb*) Pontifex. Inventi (*cc*) quoque sunt Armeni quos a veritate deflexisse, ostendit Gregorius VII. eo quod aquam penitus Vino non admiscebant. Hæc satis de Materia, circa quam aliæ insanæ quorumdam hæreses, quoniàm versamur in re tam augusta, tam sacra, tam venerabili, silentio [*dd*) supprimendę sunt.

Age jam ad verè stupendam, solaque fide metiendam transmutationem stylum dirigamus. Panis [*ee*) convertitur in Corpus Christi vi illorum verborum: *Hoc est corpus meum*. Vinum in Sanguinem, per hęc alia verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*. In his verbis utriusque Consecrationis forma [*ff*] posita est. Hæc admirabilis conversio convenienter, & propriè, a Concilio Lateranensi [*gg*) *transsubstantiatio* vocata est: Nulla alia vox ad exprimendam conversionem totius substantię Panis, & Vini, in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi magis accomodata. Obganniant, ut libet, Hæretici: Potest Ecclesia ad errores extirpandos, & explicanda Mysteria novitatem nominis inducere, quomodo Nicæna Sinodus ὁμόυσιον, Ephesyna Θεοτόκον, & Evangelistę Transfigurationem dixerunt. Nec, quòd Græci ex [*hh*) Liturgia S. Joannis Chrisostomi, Græcum sermonem adhibeant ad Consecrationem, nempe: λάβετε φάγετε τῦ τομῦ ἐςί τε σωμα το υπερ υμῶν κλωμεναιν εις ἀφεσίν αμαρτιων, idest: accipite, manducate, hoc meum estCorpus, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum, & rursùs: πίετε ἐξ αυτου παντες τυτο εςι το αἷμά μου τὸ τῆς

τό τῆς καινῆς διαθήκης το υπερ υμον ϰ πολλῶν ξκχυομενον εἰς αφεσιν ἁμαρτιῶν, ideſt: bibite ex hoc omnes, hic eſt sanguis meus novi teſtamenti; idcircò arbitreris non ſequi admirabilem hanc tranſubſtantiationem. Juſtè, ac rationabiliter fit, ut Romana Eccleſia Latinam linguam uſurpet, & Græco Idiomate utatur Græca Eccleſia, & lingua Caldaica utatur Eccleſia Syriæ. Non (*ii*] extat Divinum prçceptum, quæ lingua ad Conſecrationem ſit adhibenda, idque, agentes *de Sacramentis in genere*, latè expoſuimus. Nec præterea quòd, in eadem Græca Liturgia dictio *çterni*, itemque verba *myſterium fidei* omittantur, idcircò aliquid, quod ad Formç eſſentiam attineat deficere, (*ll*] formamque variari exiſtimabis. Itaque ſub speciebus Panis Corpus adeſt Chriſti D. ex vi [*mm*] Sacramenti. At quià Corpori Sanguis, Anima, & Divinitas coniungitur: Hæc quoque in Sacramento erunt omnia, non quidem ex Conſecrationis virtute; Sed, ut ea, quæ Corpori coniuncta sunt, videlicet ex concomitantia. Similiter ſub Vini (*nn*] accidentibus eſt Sanguis Jesu Chriſti pretioſiſſimus vi Conſecrationis, usque adeo tamen ut corpus etiam, & totus Chriſtus vere inſit. Verùm quid hoc ſit, fide cognoſcendum eſt; quommodo fiat, non curioſius inquirendum, ut Leo Pontifex (*oo*) ſcribit Conſtantinopolitanis. (*pp*] VVicleſſus, quòd tam ineffabilem converſionem ea Philoſophiæ regula metiri vellet, juxtà quam accidentia non manent ſine ſubiecto, in eam veſaniam delapſus eſt, ut aſſereret, ſubſtantiam Panis materialis, & ſimiliter ſubſtantiam Vini materialis manere in Sacramento Altaris. Et ſunt adhuc Sacramentarii [*qq*) (oh horrendam, ſæpèque damnatam impietatem] qui adorandum hoc magis, quam inveſtigandum Myſterium, dum ſenſu ſuo ſequi non poſſunt, negare audent Evangelii verba quamvis luculenta, mirè depravantes. Utinam aliquandò reſipiſcant, tenebriſque diſcuſſis in quibus volutantur, ad lumen veritatis oculos attollant.

His jam circa Conſecrationis Formam expoſitis; ordo efflagitat, ut de Miniſtro Conſecrationis diſſeramus. Res ita ſe habet. Nemo (*rr*) hoc Sacramentum poteſt conficere niſi Sacerdos, qui ritè ſit ordinatus, ſecundum [*ſſ*] Claves Eccleſiæ quas conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Chriſtus; Neque officit (*tt*) validitati Conſecrationis, quod Sacerdos ſit Cenſuris illaqueatus, aut degradatus, aut irregularis, aut in hæreſim prolapſus, modo nec Forma, nec Materia, nec Intentio debita deficiat.

Sed iam tempus, ut de uſu Venerabilis hujus Sacramenti diſſeramus. Proh quàm immenſa apparuit, in ultima illa Cçna benignitas Salvatoris! Inſtituit hoc Sacramentum, ut (*uu*) à Fidelibus ſumeretur; ſuum (*xx*] corpus in Cibum, & Sanguinem in poculum concedens; Utque (*yy*) Apoſtoli, eorumq; in Sacerdotio ſucceſſores offerrent, præcepit. Ergo

uſus

usus tanti Sacramenti est ad fideliũ Cõmunionem, atq; ad Missę Sacrificiũ.

Quod attinet ad fidelium Communionem; & qui venerabilem ministrat Eucharistiam, & qui eam recipit, considerandus est. Eucharistiam ministrandi potestas competit unicè [*zz*) Sacerdotibus, ex Christi institutione. At verò, ut licitè hoc munus executioni mandetur, Sacerdos debet (*aaa*) esse Pastor Ordinarius, vel ab Ordinario, expressam, aut præsumptam habere commissionem. Imò Clemens Papa (*bbb*) Regulares subiicit excommunicationi Sedi Apostolicæ reservatæ, si Eucharistiam absque Parochi permissu dispensent. Sed Pastor Ordinarius non potest cuicumque personæ munus hoc demandare. Olim quidem (*ccc*] usitatum fuit, ut Diaconi ex commissione Sacerdotum S. Eucharistiã, pręsertim Calicem populo porrigerent; Sed posteà (*ddd*) talis exolevit consuetudo; Solùmque ex causa necessitatis, si nullus (*eee* ∫ idoneus adsit Sacerdos (quod perrarò evenit) potestas hæc Diacono committi valet. Ceterum extra (*fff*) Sacrificium nemo se ipsum communicabit: Quamquàm (*ggg*) primis V. Seculis Venerandum Christi Corpus, in manus etiam laicorum daretur, liberumque esset in privatos lares deferre, & asservare.

Quod si eos respiciamus, qui Communionem recipiunt. Imprimis ætas aderit legitima; Nam infantibus (*hhh*] Eucharistia danda non est, etsi enim quibusdam in locis consuetudo fuerit præbendi hoc Sacramentum (*iii*) infantibus; jamdiù tamen ejusdem Ecclesiæ auctoritate id fieri desiit. Ultrà hæc (*kkk*) probet seipsum qui ad sacram Synaxim, seu Communionem accedit; criminum maculas eluat præmissa (*lll*] Confessione. Non audeant communicare notoriè impænitentes, (*mmm*) excommunicati, interdicti, [*nnn*] Hæretici, [*ooo*] raptores rerum Ecclesiasticarum, Scęnici, (*ppp*] histriones, Meretrices. [*qqq*] Mutet vitam qui vult accipere Vitam. Adde his [*rrr*) Energumenos, qui propter scelera sua Dęmonis patiantur vexationem; Et si [*sss*] aliqui Clerici, e suo gradu ob crimen fuerint dejecti, ad laicam rediguntur Communionem. At licet fidelis probę vitæ sit; An (*ttt*) sæpiùs eadem die communicabit? Absit. An saltem [*uuu*] quotidie? Hac super re decretum Innocentii XI. circà Communionem quotidianam observandum est. An sub utraque Specie? Si aneiqũ Ecclesiæ Statum repetimus, nunc unam, nunc utramque Speciẽ fidelibus dispensatam comperiemus. Verùm cum magister rerum usus paulatìm docuerit majore cum populi commoditate, ac minore periculo, multisque de Causis frugiferè fieri, ut Calicis omitteretur usus; Sancta Ecclesia potestatem a Sponso acceptam in dispensandis Mysteriis ad ædificationem, communemque utilitatem convertens, jussit Laicos, Clericosque non conficientes, sub [*xxx* ∫ una tantum Specie Panis communicare. Illud inter hęc jubent Canones, ut semel saltem (*yyy* ∫ singulis annis

annis unusquisque Cęlestis mensæ particeps fiat, neque (*zzz*) infirmi decedere sine Viatico debent, semperque in Sacrario Hostię consecratæ asservantur. En explicatum usum hujus Sacramenti circa Communionem.

Sed in alium quoque usum instituta est Eucharistia, ut (*aaaa*) offeratur nempè in verum, & proprium Sacrificium. Etsi enim in ara Crucis ęternam redemptionem, dum se obtulit Jesus æterno Patri sit operatus; non [*bbbb*] tamen per mortem Sacerdotium ejus erat extinguendum, at [*cccc*] seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolari pręcepit. Ergo in hoc Sacrificio idem ille incruentè immolatur, qui semel in Ara Crucis seipsum cruente obtulit. Ratio [*dddd*] Sacrificii mutationem rei exposcit. At quatenus consecratione Panis, & Vini Corpus Christi, & sanguis sub eorum Symbolis, & speciebus sistuntur, idest sub speciebus Panis Corpus, sub speciebus Vini sanguis, gladio verborum (ut ita loquar) separantur, quamvis, & Corpus, sub specie Vini, & sanguis, sub specie Panis sint, per concomitantiam. Hæc (*eeee*] non solum mutatio; sed & immolatio morsque mystica est, sufficiens [*ffff*] ad sacrificium commemorationis, quo Passio D. N. repręsentatur. Neque tamen nuda est Passionis Christi ræpresentatio, sed sistitur offerturque Agnus Victima, & pretium salutis nostræ, Divinæ Majestati.

Quare Sacrificium istud verè propitiatorium [*gggg*) est. Idem est offerens, Sacerdotum ministerio, qui se ipsum in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Confert igitur remissionem peccatorum; Cumque animæ defunctorum nondum ad plenum purgatę capaces sint fructus Sacrificii propitiatorii pro ipsis quoque (*hhhh*) salubriter offertur. Contra, pro Beatis [*iiii*] non offertur sacrificium, quatenus propitiatorium est, sed quatenus laudis est, & gratiarum actionis Dei, qui illes coronavit.

Jam quemadmodum digne reverenterque offeratur inspiciendum est. Altare (*llll*) ubi celebratur sit consecratū, sive sit hoc fixum sive (*mmmm*] portatile, quo uti (*nnnn*] possunt Episcopi dum diversis ex causis ex suis dięcesibus absunt, & ex Regularibus [*oooo*] Minores, & Prædicatores cum sunt in itinere, & non adsunt Ecclesię, quemadmodum, & Regulares Societatis Jesu in partibus Indiarum ubi Episcoporum copia non habetur viatico altari uti possunt. Eadem die, in eodem altari ubi [*pppp*) celebravit Episcopus aliæ missæ non dicantur. Sint (*qqqq*) in altari lumina. Incedat (*rrrr*] Sacerdos sacris vestibus ornatus. Ministrū habeat, sed non fæminam. [*ſſſſ*) Calix non (*tttt*] vitreus, stamneus, aut ligneus sit, sed ex auro vel argento. Locus (*uuuu*) ubi Missa celebratur non in Mari, aut flumine sit; sed in loco fixo, veluti in scopulo altare erigatur pro Navigantibus; At extra casum necessitatis sub (*xxxx*)

Dio celebrare non licet; Neque in privatis Domibus, etiàm si ibi [*yyyy*] sint Oratoria, nisi licentia a Sede Apostolica impetrata. Tempus deindè observandum, nempè ab (*zzzz*) Aurora, ad Meridiem, nempè, ut (*aaaaa*) semel quisque Sacerdos celebret in die; nempè, ut post [*bbbbb*) suam Ordinationem Presbyter non illico, idest absque Episcopi permissu celebret. Ritus (*ccccc*] ab Ecclesia probati nullatenus omittantur. Cantus [*ddddd*) indecens, dum celebrantur tam sacra Mysteria, amoveatur. Missa præsantificatorum (*eeeee*) solum in die Parasceves celebretur. Græci suo (*fffff*) Idiomate utantur, suisque Ritibus. Denique in stipendiis Missarum abusus evitentur, ne scilicet una Missa [*ggggg*) credat Sacerdos acceptis pluribus stipendiis satisfacere; & alia, quæ lucri (*hhhhh*) redolent cupiditatem, quæque a Symoniaca labe non absunt, prohibentur antiquis, novisque Canonum decretis. Cæterum, si Anniversaria (*iiiii*) relinquuntur, aut stipendia promittuntur, satisfaciendũ est Sacerdoti, qui celebraverit, cum (*lllll*] stipendia Missarum ex Justitia debeantur.

SUMMARIUM.

1 Carminum usus Jure Canonico non reprobatus, ad illustrandam, confirmandamque sententiam, si aptè conveniant carmina.
2 Quot nominibus efferatur hoc Sacramentum.
3 Sacramentum hoc est ante omnem usum.
4 Tabernaculum Ciborium vocatur.
5 De Pixide, ubi asservatur S. Eucharistia.
6 Lampades ardere debent assidue ante Eucharistiam.
7 Quibus in Ecclesiis asservetur Eucharistia.
8 Quale esse debeat tabernaculum, ubi asservatur Eucharistia.
9 Ubi nam conservari debeat Eucharistia pro Monialibus, qua nempè in Ecclesia.
10 Ubi nam olim Eucharistia asservaretur.
11 Variis modis explicatur can. 3. Concilii Turonensis.
12 Eucharistia olim sub specie etiam Vini asservabatur.
13 Eucharistia privatim quoque olim asservabatur.
14 Latria Cultus variis Notitiis explicatur.
15 Latria Cultum Eucharistiæ deberi, fusè probatur auctoritate Canonum.
16 Latria Cultus reliquis Sacramentis non tribuitur.
17 Lunaris, & Solaris anni exponitur divisio.
18 Quando nam Judæi Pascha celebrarent, & cujus anni rationem habeant.
19 Primus Mensis quis nam sit apud Judæos.
20 Pascha quid esset apud Judæos.
21 Pascha, & Pentecostes cur, & quomodo adhuc observentur.
22 Dies Paschæ Judæorum quisnam esset.
23 Dies Festi Judæorum quando incipiant.
24 Controversia inter Græcos, & Latinos de tempore, quo Christus instituit Eucharistiam, late discutitur.
25 An in prima, vel in 2. vesperè Christus Eucharistiam instituerit.
26 Modus in Institutione Eucharistiæ servatus a Clementissimo Redemptore, ex historia sacra explicatur.
27 Sacramentum, quo in sensu sit Eucharistia.
28 Eucharistiam Sacramentum esse, late probatur, & contrariis occurritur, atque hac quæstio canonicè examinatur aliqua novitate.
29 Emendatur litera Textus, in can. panis de Conf. dist. 2.
30 Materia una Eucaristiæ est Panis triticeus, & varie Canones explicantur.
31 Elegans historia enarratur.
32 Solvitur obiectio ex can. dicimus de Conf. dist. 2.
33 Calumnia Photii de Agno oblato.
34 Fideles olim ante Communionem oblationes faciebant.
35 Quomodo hoc Sacramentum sit multiplex, & sit unum.
36 Cur in Collecta dicatur: Sacramenta, quæ sumpsimus.
37 Adducuntur ad hanc unitatem explicandam Canones a paucis considerati.
38 Oppositio quædam contra hanc unitatem refellitur.
39 Panis azimus a Latinis summo jure adhibetur.
40 Tollitur oppositio de Pane Azimo.

Lati-

EXPLICATIONES.

[a] Thura pii date Thura &c.

VIDA Episcopus Cremonensis in Sacro Hymno de *Eucharistia*, his carminibus ad obsequium, & venerationem Fidelium animos invitat; Neque abs re esse duximus, acturi de tam admirabilis Sacramenti excellentia, dignitate, usu, administratione iisdē versibus exordiri. Nam nec Sacri Canones carmi-
1 num usum improbant, cùm incidit, ut id aptè fieri possit; Textus in *can. turbat* 37. *dist. in can. aut facta de Pœnit. dist.* 1. *in cap. puberes de Despons. impuber.*

(b) Eucharistia.

Nominibus, quę aliquid magnum insinuent,
2 tam venerabile Sacramentum effertur. Ecce, Gratia vocatur a D. Ambrosio *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 3 ibi: *venisti ad altare accepisti gratiam Christi*. Hostia, & oblatio Dei vocatur, in *can. non oportet*, *de conf. dist.* 2. Mysterium pacis, & unitatis nostrę vocatur, in *can. quia passus de conf. dist.* 2. Dionysius, *de Eccl. Hyerar. cap. de com. eos*, qui ob turpem vitam, a divinis excludebantur Mysteriis ait remansisse ἀχαρίστους contra participes eorumdem εὐχαρίστους vocat.

Usu Ecclesiastico accomodatum est hoc nomen, ad Divinissimum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi; Textus, *in can. si per ebrietatem*, *in can. in cana*, *in can. quotidiè de Conf. dist.* 2. *in cap.* 1. *de Cust. Euchar.*

[c] Ante usum est.

Narrat Bellarminus *L.* 3. *cap.* 24. *de Sacramen-*
3 *to Eucharistiæ*, Calvinum, Petrum Martyrem, & Illiricum sensisse, tunc solum Panem, & Vinum esse Sacramentum dum comeditur, & bibitur. Adversus hanc perniciosam, falsamque doctrinam, Tridentina Synodus, in Spiritu S. congregata insurgit *sess.* 13. *can.* 4. .. Si quis .. dixerit peracta Consecratione, in admirabili .. Eucharistiæ Sacramento non esse, Corpus, .. & Sanguinem D. N. Jesu Christi, sed tan- .. tum in usu, dum sumitur non autem ante vel .. post (*& infra*) anathema sit.

Quare D. Augustinus, *in can. nos autem de Conf. dist.* 2. hæc habet .. Nos autem, in specie .. panis, & vini, quam videmus res invisibiles, .. idest Christi carnem, & Sanguinem honora- .. mus, *& in can. ego Berengarius de Conf. dist. dist.* 2. hæresis Berengarii proponitur abjuratio, & se ipsum pęnitet, quod crediderit non fuisse sub speciebus *verum Christi Corpus*, *& Sanguinē*

(d) Diū in tabernaculis etiā asservatur.

Tabernaculum olim vocabatur *Pastophorium*. Quare Clemens Romanus *L.* 8. *const. cap.* 13. seu alias *cap.* 20. jubet peracta Communione, quod 4
supererest de Corpore Domini reponi a Diaconis, cum debita reverentia in *Pastophorio*, idest Tabernaculo, ut exponit *D. Hieronimus com. in cap.* 22. *Isai*. Hoc Tabernaculum Ciborium quoque vocatur. *Anasth. in Leon. III.* ibi, *Ciborium ex argento purissimo*. Inde multa ad hunc usum asservandi S. Eucharistiam passim per urbes Tabernacula argentea erecta cernuntur; & narrant in Belgio unum esse excellens in Ecclesia Religiosorum Præmonstratensis ordinis sita in Campania Bramantina vico vulgò *Tongerlto* cui inscripti sunt hi versus

Quid stas, & lapides pulchros miraris, & artem?
Cerne, quod interius sit Deus omnipotens.
Hòc te non moveat, quod pulchra ędicula facta est,
Omnis nam pulchri hic Conditor occluditur;
Auctor mundanæ hic fabricæ concluditur intus
Flecte genu supplex numina sancta colens.
Non hoc quis celebri Salomonis conferat ædi,
Non umbras, verum sed capit ipsa Deum.

In his autem Tabernaculis, non nudè, & immediatè S. reponebatur Eucharistia, sed in loculo argenteo, quem Grçci Κιβώριον appellant, a Κιβ quod Arcam, & ὥριον, quod illuminationem significat. Tempore exundantium

Bar-

Barbarorum Exuperius, Tolosæ Episcopus, canistro vimineo, Vas ad portandam Eucharistiam canistro vimineo conflaverat, ut narrat D. Hieron. *Epist.* 4. *ad Rust.* his verbis .. Nihil il- .. lo ditius, qui Corpus Dom. canistro vimi- .. neo, Sanguinem portat in vitro. Concilium Turonense IV. quod circa annum D. 798. est celebratum cap. IV. statuit, ut omnis Præsbyter, hoc est Animarum Pastor habeat Pixidem, aut Vas tanto Sacramento dignum; idemque statuit Leo IV. *homil. de Cura Post. Concil Eboracense* 1. *Londin.* 1. *cap.* 2. *Colon.* 2. *part.* 7. *cap.* 16.

6 Ante Encharistiam semper Lampades ardere jubent Canones, *Concil. Med. p.* 2. *Tit. quæ per invent. ad Euchar. Lauria in Epit. Can. Verbo Eucharistiæ quo ritu &c.*

7 Illud non omittendum quod Sanctum Eucharistiæ Sacramentum non potest asservari nisi in Ecclesiis Parochialibus, alibi non nisi ex auctoritate, & concessione Pontificia, uti declaravit *Sacra Congr. Concil. anno* 1609. *Refert Genucnf. in Praxi cap.* 100. *& Piasecius P.* 2. *cap.* 3. *pag.* 16. *Verba declarationis recensct.*

Et quamvis Regulares Privilegium habeant asservandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in eorum Ecclesiis a Sede Apostolica, tamen non possunt illud publicè adorandum exponere, sine causa ab Ordinario approbanda, prout voluit Sacra Congregatio Concilii *in Neapolitana* 17. *Aug.* 1630. *penes Lezzanã in summ. Regul. q.* 9. *Tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 26.

Nec pariter Confratres Laici absque Ordinarii licentia Eucharistiam publicè valent exponere, Sacra Congr. Rit. sub die 26. Febr. 1625. *Apud Ventrigl. Tom.* 2. *annot.* 21. *§. un. n.* 17.

Ex Apostolica concessione potest in Ecclesiis Hospitalium pro Infirmis asservari Sacramentum Eucharistiæ Ant. de Luca *ad Ventrigl. annot.* 21. *§. un. n.* 4. *tom.* 2.

8 Denique, ne de custodia Eucharistiæ potiora, magisque necessaria omittamus; placet Aquensis Concilii Canonem huc transferre; Quod Concilium a Sede Apostolica fuit approbatum, habitumque est anno 1586. Jam *in Tit. de Sacramento Eucharist.* decernitur his verbis. Vt .. Tabernaculum ligneum saltem fit, non ex .. Tabulis Nuceis, aut querneis, unde humi- .. miditas gigni solet, sed ex populeis, aut si- .. milibus conficiatur: Totum extrinsecus, aut .. saltem magna ex parte inauratum, reliquis .. partibus decenter pictis (*et infra*) In eius .. summitate posita sit imago, vel resurgentis, .. vel sacrum pectoris vulnus exprimentis, vel .. Cruci affixi Christi D.: Super majori altari .. tamquàm digniori, magisque conspicuo loco .. collocandum erit, omninò bene firmum, .. firmiterque suffultum: nisi necessaria vel gra- .. vi de Causa aliud Episcopo videatur: tum .. etiam tutò clausum, cujus claves videat, ne .. cuiquam alteri facile committat Ecclesiæ Re- .. ctor; at ne laico viro unquam, etiam Eccle- .. siæ custodi, uti alicubi factum sæpè animad- .. vertimus 25 aureorum pęna proposita Rectori .. aut ei, cui clavis cura commissa est, ac .. graviore præterea, arbitratu Episcopi, Ita .. quippe aptè positum, ut ad promendum re- .. ponendumque Sacramentum, altare nunquàm .. ascendi, oporteat.

Et in §. *vacuum* ita decernitur - Vacuum, .. ita sit a Reliquiis, & sacri Olei Vasis, aliis- .. que rebus omnibus, ut ne inanis quidem .. Pixis intus reponatur, nihilque aliud pror- .. sùs, in eo recondi liceat, quam illud ipsum .. Vas, in quo tunc asservetur Sanctissimum .. Sacramentum

Barbosa tamen *ad Concil. Trid. sess.* 13. *cap.* 6. hæc habet .. Intus etiam decenter orna- .. ri deber, & tenendæ duæ Pixides, in qua- .. rum una conservetur Sanctissimum Euchari- .. stiæ Sacramentum, in altera deferatur ad in- .. firmos &c

Concil. Trid. *sess.* 25. *de Reg. cap.* 10. hæc habet - Quod verò Sanctissimum Christi Cor- .. pus intra chorum, vel septa Monasterii, & 9 .. non in publica Ecclesia conseruetur prohi- .. bet Sancta Synodus, non obstante quocum- .. que indulto aut Privilegio: notat Piasecius *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 57. *pag.* 105.

[e] *Aut in Columbis Argenteis &c.*

Nunc se offert opportunitas, atque aditus aperitur, explicandi veterem Ecclesiæ morem in Eucharistia asservanda custoditum.

Asservabatur autem vel publicè, ut nunc etiam, vel privatìm ob persecutiones.

Publicè conservabatur Eucharistia, *in Vase* 10 ad formam Columbæ efformato Durandus *L.* 1. *cap.* 16. *de Rit Eccl.* & in Synodo Constantin. 2. act. 1. ingeminant questus Clerici Antiocheni adversus *Severum* illum Episcopum, his verbis: .. Nam columbas aureas, & argenteas, in for- .. mam Spiritus Sancti super divina lavacra, .. & altaris appensas unà cum aliis sibi appro- .. priavit. Et meritò ità queruntur Ecclesiasticæ Personæ, cùm res Ecclesiæ, a quoquam Episcopo alienari non possint *cap. nulli liceat de Reb. Eccl. al. vel non.*

In Choncula argentea, vel aurea quoque asservabatur Christi Corpus, ut in Ecclesiis Campaniæ; & Secretario, ubi a dextra absidis vivificum Sacramentum condebatur, appensum legebatur disticon D. Paulini

.. Hic locus est, venerãda penus qua conditur, & qua
.. Promitur alma sacri pompa ministerii.

Nec non etiàm, hoc admirabile Sacramentum, in vase ad formam turris confecto publicè exponebatur adorationi. Greg. Turon. *in lib. de Glor. Mart. cap.* 86. quæ Turris erat ut his temporibus, Ostensoria, quæ, & *Hierotheca*, & *remonstrantia* vocantur.

Locusque ubi vas istud, aut simile aliud poneba-

nebatur, erat sub Cruce, ex celebri *can.* 3. *Concilii Taronensis*, ibi .. Corpus Domini in
11 .. altari non imaginario ordine, sed sub Cru-
.. cis titulo componatur; Et significat hic Canon, juxta expositionem Gresseri *de Cruce lib.* 2. *cap.* 33. Sacrosanctam Eucharistiam non in eodem cum aliis Imaginibus loco ponendam in altari, sed in electo, & speciali loco, nempè sub ipsa Cruce. Huic interpetrationi statim Gonzales in *cap.* 1. *de Cust. Euch. n.* 5. acquiescit. Sed Cabassutius *Secul.* 2. *dist.* 10. *in not. Eccl. n.* 15. aliam viam tenuit ad explicandũ eum Canonem, his verbis - Poterat quidem esse .. loculus affabrè dispositus, in illa Crucis media parte, qua duo ligna, rectum, & transversum committebantur, aut certè titulus Crucis pro ipsamet Cruce, ibi usurpatur, ut velit Concilium, Eucharistiam in medio altaris recondi, intra loculum situm sub pede Crucis.

Sed non modò asservabatur sub specie Panis verũ etiam, sub speciebus Vini, celebris est locus D. Joan. Chrisostomi *ad Inn.* 1. *Papam*,
12 ubi ait .. Ingressis militibus in Sacrarium, ubi
.. Sacra erant reposita, Sanctissimum Christi Sanguinem investes effusum fuisse. Quia tunc laici sub utraque forsitan specie communicabant; Sed, tum ob periculum effusionis, tum ob facilitatem corruptionis, Eucharistia sub sola Panis specie cœpit asservari.

Dictum est, quomodò juxta veterem Ecclesiæ Cõsuetudinẽ publicè custodiretur Eucharistia.

Privatim quoque olim custodiebatur, & peregrè proficiscentes collo alligatum in vase exiguo viaticum Sacramenti gestabant. S. Thar-
13 sicius Martyr cùm Eucharistiam deferret, & paganis quærentibus, quid illic esset, noluisseque aperire occisus est, divinoque miraculo Sacramentum se eorum manibus subduxit *Beda in Martyr. die* 15. *Aug.* - Satyrus Ambrosii Mediolanensis Episcopi frater particulam Eucharistiæ suspendit in periculo Naufragii ad collum suum, eoque auxilio fretus se in mare deiecit, & incolumis ad litus evasit *Ambr. Or. de Obit. Satyr. cap.* 7.

D. Cyprianus *in L. de lapsis*, hæc habet - .. Cum quędam (Idolorum Sacrificiis maculata) .. arcam suam, in qua Domini sanctum fuit .. manibus indignis tentasset aperire, igne inde .. surgente deterrita est, ne auderet attingere. Ex hoc loco *D. Cypriani* apparet privatim quoque in arcula repositam Eucharistiam asservari solitam.

Hæc verò arcula in ara domestica ponebatur, ibique, ut tantæ rei majestatem decet, adorabatur. Gorgonia sanctissima fœmina solita erat nocturno tempore ante Eucharistiam procumbere, & partem Eucharistię in conspectu habere *Greg. Nazianz. in Gorgon.*

(f) *Eucharistię debetur &c.*

DISSERTATIO I.

De Adoratione Latriæ.

14

Explicandum est ante omnia quid Latriæ adoratio sit; deinceps ostendendum, hanc Cultus speciem tam ineffabili Sacramento deberi.

Latriæ nomen, apud Græcos quemlibet servitutis cultum, quem servus Domino suo defert, significat. At D. Augustinus *L.* 20. *contra Faustum cap.* 21. *pag.* 120. ostendit a Scriptoribus sacris quomodo hęc vox accipiatur; Ait enim - .. At illo cultu, quæ Græcè Latria dicitur, .. latine uno verbo dici non potest, eum sit .. quædam propriè Divinitati debita servitus, nec .. colimus, nec colendũ docemus nisi unum Deũ.

Est ergo Latria propriè Divinitati debitus honor, cultusque servitutis qui rerum omnium Domino persolvitur, ob summum ejus Imperium, & quod universa, è nihilo condiderit, & ea suo nutu conservet, sua Providentia gubernet, & regat. Quod si Idolis conferatur, Idolatria vocatur, *can. qui sine*, *can. sed & illud.* 26. *q.* 2.

De hac Adoratione Latriæ loquitur etiam D. Joan. Chrisostomus *Hom.* 32. *in cap. Joan.* 4. ibi - .. adorare enim creaturę, adorari non Creaturæ sed Domini est.

Et non omittendus locus alter Divi August. *L.* 10. *de Civit. Dei cap.* 1. ibi .. Hic est enim .. Divinitati, vel si expressius dicendum est .. Deitati debitus cultus, propter quem uno .. verbo significandum, quoniam satis mihi .. idoneum non occurrit latinum, Græco uti .. necesse est, insinuo quid velim dicere: Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum .. Scripturarum positum est, interpetrati sunt .. servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur .. hominibus, secundum quam præcepit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse .. debere: alio nomine Græcè nuncupari solet. .. Latria verò secundum consuetudinem, qua .. locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, .. ut penè semper ea dicitur servitus quę pertinet ad colendum Deum.

Verum, & in Sacris Literis servitus ipsa, *Latria* vocabatur, ut in Levitico, *omne opus servile non facietis* λατρευτον, & iterum: *de semine tuo non dabis servire Principi* λατρεύειν

At usu Ecclesiæ (ut jam innuimus) Latriæ vocabulo significatur cultus ille religiosus, qui soli Deo debetur in signum, & protestationẽ supremi Dominii, quod in res õnes crearas obtinet.

Cultus autem ille religiosus, qui ob creatam excellentiam defertur, communiter *Dulia* vocatur, quo nomine, usu Ecclesię significatur servitus, & submissio, non qualibet abiecta, & vilis, qualis est mancipiorum; neque etiam honoraria, & politica, qualis est subditorum erga Principes; & inferiorum erga superiores, sed religiosa, & pia, quæ scilicet Sanctis de-

rimi

fertur, ob eorum Virtutem, & Sanctitatem.. De hac veneratione Sanctis exibenda sunt plurimi Canones: Ecce in Concilio Later. Inn. III. relatus *in cap. cum ex eo de Rell. & Veneratione* SS., decretum est non esse Relliquias SS. venerandas, nisi auctoritate R. P. fuerint approbatæ. Quæ approbatio, *Vindicatio dicebatur S. August. in Breviculo coll. cap.* 13. & D. Greg. Nazzianzenus, eandem venerationem SS. debitam, confirmat *Or.* 3. *Invectiva in Julianum n.* 30. ibi .. Quorum vel sola Corpora idem possunt, quod Animæ Sanctæ, sive tangantur, .. sive honorentur. Quare cum Constantinus Constantiæ Episcopus hæresim abjurasset, quàm contra Imagines secutus fuerat, in psendo quadam Synodo, posteà in Nicena II. act. III. hanc loquendi formulam usurpavit: .. Suscipio, & .. complector venerandas Imagines; adorationem autem, quę fit secundum Latriam, hoc .. est Dei cultum, tantũmodo Trinitati conservo.

Restat Hyperdulia, qua Virgo Mater Dei Sanctissima, præ omnibus aliis Sanctis colenda est, cultusque ei debitus major esse debet, eo cultu qui aliis Sanctis defertur, *extravag.* 1. *de Rell. & vener. Sanctor. Mart.* 1. *Epist.* 14.

15 Venio jam, ad secundum Articulum. Quis nisi Hæreticus ineffabili huic Sacramento Latriæ adorationem audeat abnegare? Quis? nisi veterum P. P. sententiis, Canonum auctoritatibus, & Conciliorum expressè velit repugnare?

Cyrillus Hierosol. *Cartag.* 5. *Mystag.* hęc habet: .. Accede inquit pronus, adorationis in modũ, .. & venerationis.

D. August. *L.* 26. *contra Faustum cap.* 13. ibi .. Sacramentum Religionis, cui longe diversus .. cultus debetur, quam communi Pani, & Vino.

Concil. Ephesinum *can.* 8. definivit, Christum hominem Deum una esse adoratione adorandũ.

S. Ambros. *lib.* 3. *de Spirit. Sancto cap.* 12. .. explicans verba Psalmi 98. (adorate scabellum pedum ejus) per scabellum (inquit) terra intelligitur; per terram autem Caro Christi, quam hodiè quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt; Neque enim divisus est Christus.

S. Chrisostomus *Homil.* 24. *in priorem ad Korinth.*, ibi .. Hoc corpus in Præsepe .. reveriti sunt Magi, & viri impii, & barbari, longo itinere confecto, cum timore, .. & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur .. igitur saltem Barbaros nos, qui Cælorum .. Cives sumus: Illi enim, cum id præsepe, .. & tugurium tantum, neque eorum quiquã, .. quæ tu nunc intueris, viderent, summa ac.. cesserunt reverentia, & horrore. Tu verò non .. in præsepe id, sed in altari, non mulierem, .. quę in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, & Spiritum perabundè, super propo.. sito diffusum Sacrificio vides.

Origenes *Homil.* 5. *in diversas Euangeliii locos*, ibi: Quandò Sanctum Cibum, illudque .. incorruptum accipis epulum quandò vitæ pane, & poculo frueris, manducas, & bibis .. Corpus, & Sanguinem Domini: Tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo .. humilians te ipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, .. ut intres sub tectum meum.

En, & Textus Canonicos, quibus Latriæ cultus Eucharistię Sanctissimę debitus convincitur.

In *Can. nihil* 8. *de Cons. dist.* 2. hæc habentur .. Nihil in Sacrificiis majus esse potest, quã .. Corpus, & Sanguis Christi; Nec ulla oblatio hac potior est (& *infra*) atque ab omnibus veneranda, & sicut potior est cæteris, .. ità potius excoli, & venerari debet.

In *Can. nos autem* 41. *de Cons. dist.* 2. hęc alia habentur .. Nos autem in specie Panis, & .. Vini, quam videmus, res invisibiles, idest .. Christi Carnem, & Sanguinem honoramus.

In *Can. panis est ead. dist. de Cons.* scriptũ est .. ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.

In *Can. tunc enim* 90. *de Consecr. ead. dist.* scriptum est .. Tunc eis Petrus annunciavit, .. eum colendum, quem crucifixerunt, ut ejus .. Sanguinem biberent, credentes quem effuderunt sitientes.

In *cap. sane* 10. *de celebr. miss* Honorius III. hæc habet. Eucharistia, in loco singulari, mundo, & signato, semper honorificè collocata .. devotè ac fideliter conservetur.

Adde Textum *in can. accesserunt de Cons. dist.* 2. In *Clem. un. ne Relliq. & venerat. SS.* ita Clemens V exclamat. O excellentissimum Sacramentum. O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis .. prosequendum obsequiis.

In Concilio Tridentino res hæc quoque decisa, *sess.* 13. *cap.* 5. & 6.

[g] *Minor quidam cultus conveniens est.*

Hoc deduximus ex Bellarmino *lib.* 1. *de Sacramento Eucharistia cap.* 29. *pag.* 104. his verbis differente; Neque ullus Catholicus est, qui .. doceat ipsa Symbòla externa, per se, & propriè esse adoranda cultu Latriæ; sed solum .. veneranda cultu quodam minori, qui omnibus Sacramentis convenit. 16

Optimè Innoc. III. *in cap. cum. Martha* 6. *ex eo de celebr. miss.* ibi .. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec auctoritates Scripturę convenienter intelligunt, nec .. Sacramenta Dei suscipiunt reverenter.

Optimè Cathechismus de Sacramento Eucharistię, ibi: Sed explicata nominis ratione, do.. cendum erit, hoc verum esse Sacramentum, .. atque unum ex septem illis, quæ Sancta .. Ecclesia, semper religiose coluit, ac venerata est.

(h] ANo-

[*b*) *A Novilunio*.

Judæi utebantur anno Lunari, & quæcumque nova Luna, mensem inchoabant, & primus dies Neomeniæ erat, seu Kalendarum, in quo proprium Sacrificium destinatum erat Deo, *Numer. cap.* 21. *D. Aug. contr. Faust. L.* 19. Sic, & ex constitutione Romuli, a nova Luna mensis incipiebat, & ab ejus apparitione fasti aut nefasti dies declarati, latè *D. Joan. Chris. Homil.* 82. *in cap.* 26. *Matth. Bellarm. L.* 1. *de Sacr. Euch. Cabass. Notit. Secul.* 4. *dissert. de Epactis*.

17 Duplex enim annus. Unus Solaris alter Lunaris. Solaris, cum Sol totum Zodiacum, ac duodecim signa peragrat. Omitto hunc solis reditum in Zodiaco ad idem punctum, ab Astronomis naturalem dici, & vel medium esse perpetua æqualitate constantem, relatum aut ad puncta 4. Cardinalia media, quæ *tropos* vocant unde, & *Tropicus* appellatur, aut ad primum Arietis cornu, & sydereus appellatur; vel etiam esse verum, seu temporalem annum, quo Sol ad verum Æquinoctium sive Solstitiū revertitur; singulis quippe annis duo sunt Solstitia, unum æstivum alterum hyemale, sunt enim duo Tropici hibernus, & æstivus. Hæc omitto, aliaque, hujus generis. Nam vix, otium est, ea, quæ proposito subservire possunt, huc transferre. Solaris igitur annus circuitum Zodiaci complet diebus 365. & horis ferè sex, demptis aliquot minutis.

Lunaris annus ille est, cum Luna mensibus duodecies iteratis universum Zodiacum emetitur, quorum mensium initia semper Noviluniis, media pleniluniis respondent, & sunt alternis 29. & 30. dierum.

Lunaris annus constat diebus 354. & mensibus Lunaribus Synodicis 12.

Sol verò eundem conficiendo Zodiaci circuitum, annum perficit solarem, qui est dierum 365. & horarum ferè sex, demptis aliquot minutis.

Verùm, ut Lunaris anni, Solarisque ratio iniri possit citra errorem, aliquid de *Epactis*, *de Cyclo Decemnovennali*, qui vulgò dicitur numerus aureus, differendum. *Epacta* nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus Solaris annum Lunarem excedit, nempè XI. cum superadditis horis, & minutis supra Lunarem annum.

Cyclus decemnovenalis, quem Græci *Enneadecaeterida* vocant, est computatio decem, & novem annorum excurrentium ab eo anno, quo Sol, & Luna, simul, eodemque die cursum Zodiaci auspicati sunt, sub signo Arietis; Quippe singulis recurrentibus annorum novemdecim spatiis duo hæc Sydera unum, eumdemque simul annum inchoant: At ceteris intermediis octodecim annis, Luna, quod sit brevior suus annus, solem prævertit. Ergo post primum annum, ex quo duo hæc astra simul inchoavere cursum, dies supersunt XI. quibus Solaris annus Lunarem excedit.

II. Anno alii dies *XI.* superadditi, cum totidem præcedentis anni diebus 22. simul dies efficiunt.

III. Anno eadem proportionis habita ratione constituentur dies 33. ex quibus deducendi triginta dies quibus constat circiter mensis Lunaris *intercalaris* seu Embolismalis.

IV. Anno, quoniā supra Embolismalem mensem tres superfuere dies, necessariò computantur ad undecim dies Epactæ Lunaris, adeòque exurgent dies quatuordecim, quibus adjungendo dies XI. anno, qui sequitur V. efficientur dies 25. Sexto vero anno dies triginta sex, undecim pariter addendo; Unde alia Embolismalis Luna constabit, & præterea dies sex.

Et sic deinceps adjungendo, & supputando eadem serie, atque ordine, invenies demum anno decimo nono, Lunam Embolismalem dierum viginti novem; itaque anno, qui sequitur vigesimo Sol, & Luna, ad idem revertentur punctum, ab eoque novum inchoabunt.

Hic decemnovem annorum complexus vocatur annus magnus, & septem menses XIX. annis lunaribus attexuntur, ad conciliandum Solis, & Lunæ cursum quem numerum in anno Juliano, aureis literis notatum invenies, & 18
ideò aurei Numeri, Cycli, & Paschalis nomen meruit, quoniam verum Paschatis, ex Mosayco instituto celebrandi diem indicat. Nec alienum ab instituto existimavi, paulo altius Anni Lunaris, Solarisque notitiam exordiri, cum omnia colliment ad notitiam temporis, quo Judæi Pascha celebrarent, & quo noster mitissimus Redemptor ineffabile Sacramentum Eucharistiæ instituit.

(*i*) *Primi Mensis*.

Duo hic explicanda. I. quisnam apud Judæos esset primus Mensis; II. quomodo, mensis Lunaris dies supputarent?

Primus igitur mensis apud Judæos *Nisan* vocatur, & *Xanticus*: Et est hic Mensis Lunaris, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet; & Novilunium Æquinoctii verni primum anni diem efficit. A Vere igitur anni exordium fecere; Unde in sacris paginis, *Deut.* 19
cap. 16. hæc habentur „ Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, „ ut facias Phase Domino Deo tuo.

Joseph. in *lib.* 1. *Antiq. Juda. cap.* 3. ità scripsit „ Moyses mensem Nisan, qui est Xanticus, primum in suis festis ordinavit, quod „ per hunc Hæbreos ex Ægypto eduxisset. „ Eundem etiam omnium, quæ ad rem Divinam pertinebant exordium fecit.

D. August. *Tomo* 2. *Epist.* 119. *de ritibus Ecclesiæ*, ibi - Propter hanc ergo vitæ novitatē, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic (*nempe Pascha*) attributus est. Nam, & ipse di-

citur

.. citur mensis Novorum.

D. Ambrosius, *ad Episcopos Æmiliæ de Niceni Concilii institutis agens*, hæc inquit: .. Ipsum mensem Novorum rectè custodierunt, .. quià in Ægipto, hoc primo Mense nova se- .. cantur frumenta. Hic autem Mensis, & pri- .. mus est secundum Ægiptiorem proventus, & .. primus secundum legem, & octavus est se- .. cundum consuetudinem nostram; Indictio .. enim Septembri mense incipit. Octavo igitur Mense Kalendae Aprilis sunt. Incipit autem .. Mensis, non secundũ vulgarẽ usum, sed secun- .. dum consuetudinẽ peritorũ, ab æquinoctio, qui .. dies est 12. Kal. April. & finitur 11. Kal. Maii.

Beda verò citatus a *Gyraldo, de Annis, & Mensibus pag.* 112. hæc habet: .. Hujus igitur .. Mensis spacium, propter multivagum Lunæ .. cursum, nunc in Martium, nunc in Apri- .. lem cadit, nunc aliquot Maii dies occupat. .. Hoc autem tempore, propter æquinoctii an- .. ticipationem, quam vocant Astrologi, cum .. nostro Martio concurrit.

Alia apud Gyraldum *loco supra indicato* studiosus lector videre potest. Interim, ex his locis adductis planè, & dilucidè constare puto, quis apud Judęos esset *Primus Mensis*.

Quod verò spectat ad dies computandos Lunaris hujusce mensis. Audi Bellarminũ *ubi supra*. .. Est observandum apud Hæbreos, menses om- .. nes numerari a Novilunio, & idem esse apud .. Hæbreos, primam lunam, secundam lunam, .. ac primum diem Mensis, secundum diem .. Mensis &c. Hęc Bellarminus.

(I) *Essent Paschales*.

DISSERTATIO II.

De Tempore Paschæ Judæorum.

Duo, ad hunc locum promptè percipiendum, novisse, oportet. Primò quid Pascha esset apud Judeos. Secundò qua luna, sive die, primi Mensis, jam explicari Paschæ contingeret.

Age jã aggrediamur primi articuli explicationẽ. Ex sacris literis constat, hęc a Deo Festa instituta, primò Sabbatum, *Gen. cap.* 2. *Levit. cap.* 23. Secundò Festum Paschæ *Exod. cap.* 12. ibi: .. Dixit quoque Dominus ad Moysen, & .. Aron in terra Ægipti: Mensis iste vobis .. principium Mensium primus erit in mensi- .. bus anni: loquimini ad universum cętum .. filiorum Israel, & dicite eis; decima die Men- .. sis hujus tollat unusquisque agnum per fa- .. milias, & domos suas (*& infra*) est enim Pha- .. se (idest transitus Domini) & transibo per .. terram Ægipti nocte illa, percutiamque om- .. ne primogenitum, in terra Ægipti ab homine .. usque ad pecus (*& infra*) habebitis autem .. hunc diem in monumentum, & celebrabitis .. eam solemnem Domino in generationibus .. vestris cultu sempiterno.

Undè Philo Judæus, *Antiquit. Judaic. L.* 3. *cap.* 10. hæc habet: .. Mense X. antiquo, qui .. nostris Nisan dicitur, & annum exorditur .. Luna decima quarta, Sole Arietem obtinen- .. te (quandoquidem hoc Mense ab Ægiptiaca .. servitute liberati sumus) Sacrificium, quod .. tunc exeuntes fecisse dicimus, Pascha nomi- .. natum quot annis instaurare, lege jubemur. 20

Pascha igitur apud Judæos est Festivitas instituta, in recordationem, jugemque memoriam transitus, vel transilitionis Angeli exterminatoris qui paulò ante, quàm populus, ex Ægipto egrederetur — Dei jussu, in domos Ægiptiorũ insilvit, occidẽdo in eis omne primogenitũ.

Omitto alios Judęorum festivos dies, divinitus institutos, nam tertia celebritas erat Pentecoste. Et hoc festum erat die 50. a Paschate, in quo Judæi existimabant, legem datam populo per Moysem in Syna. *Exod.* 19. *Levit.* 23. quarta celebritas erat festum propitiationis, quinta Festum cætus sive Collectę, sexta Festũ Tabernaculorũ, septima Festũ Tubarũ *Levit. c.* 23.

Ante quàm ad secundum articulum descendam, qua die Paschæ celebritatem habebant Judæi non omittendum censeo; Quod Apostoli, explosis legalibus cæremoniis, illa tamen, quæ præcipua esse videbantur Judæorum festa *Pascha*, 21 atque *Pentecosten* ex parte celebrare cæperunt, ut retinentes nomina celebrarent etiam, quæ nova erant in illis, & augustiora mysteria, atque eadem ipsa, quæ iidem solemnitatibus erant olim typicè significata, nimirum Crucis, & Resurrectionis Domini in Paschate, & adventus S. Spiritus in Pentecoste. Hinc D. August. *Epist.* 119. *Tom.* 2. hæc habet: .. Eo itaque .. modo agimus Pascha, ut non solum in me- .. moriã, quod gestũ est, revocemus, idest, cum .. mortuus est Christus, & resurrexit. Sed etiã .. cætera, quæ circa ea attestantur ad Sacra- .. menti significationem non omittamus. Quia .. enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est pro- .. pter delicta nostra, & resurrexit propter jus- .. tificationem nostram, transitus quidem de .. morte, ad vitam in illa Passione Dominĩ, & .. Resurrectione sacratus est; Nam etiam voca- .. bulum ipsum, quod Pascha dicitur non Græ- .. cum, sicut vulgò videri solet, sed Hebræum .. esse, dicunt, qui linguã utramque noverunt &c.

Et Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. hęc habet: .. Nam celebrato veteri Paschate, .. quod in memoriam exitus de Ægipto, mul- .. titudo Filiorum Israel immolabat, novum .. instituit Pascha, se ipsum, ab Ecclesia per .. Sacerdotes sub signis visibilibus immolan- .. dum, in memoriam transitus sui, ex hoc mundo ad Patrem &c.

Sed jam promissi memor, gradum faciam, ad alterum articulum, quo die à Judęis Pascha celebraretur; Ad intelligentiam. Dies du- 22 plex; Naturalis, et artificialis. Naturalis est spatium, quo sol ducitur circa terram ab Oriente, usque in Occidentem, scilicet spatium diei, & Noctis, quod semper continet 24. horas.

Artificialis dies est spatium, quo sol moratur supra nostrum hemisphærium ab ortu Solis usque ad Occasum, hic juxta Solis ascensum, & descensum crescit pariter, & decrescit; Diciturque hic dies artificialis, quia solum hoc tempus aptum est usibus, & artificiis exercendis.

Dies festi apud Judæos incipiunt ab Occasu Solis, & desinunt in Occasum Solis, ut patet
23 Levit. *cap.* 23. ibi: *Mense primo, quartadecima die mensis, ad vesperum Phase Domini est*.

Sequitur ergo quod Judæi Pascha celebrarent 14. Luna primi mensis ad vesperam Exodi 12. ibi: *immolabitque eum universa multitudo filiorū Israel ad vesperam*.

Et usque adeò firmiter, constanterque mandavit Deus servari 14. Luna ad vesperam, ut si qui immundi essent, eaque Luna illud celebrare non possent, non in sequentem, tertium, quartumve diem, id facere permitterentur; sed expectare deberent 14. Lunam Mensis proximi: Ea verba *Numer. cap.* 9. .. Ecce autem quidam .. immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad .. Moysen, & Aron, dixerunt eis: immundi .. sumus super anima hominis, quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre .. Domino in tempore suo inter filios Israel: .. Quibus respondit Moyses: state ut consulam .. quid præcipiat Dominus, de vobis. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens; Loquere filiis Israel. Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense .. secundo quartadecima die Mensis ad Vesperam. Qua ratione tempore Ezechiæ (2. *Paralip. cap.* 30.) cum legitima ex causa, nempè ob raritatem Sacerdotum Pascha in alium diem transferendum esset, non nisi in 14. Luna alterius, nempè secundi Mensis fuit licitum celebrare hanc Solemnitatem.

Sed, etsi Solemnitas Paschalis Divinæ Legis præcepto, esset diversa ab ea, quæ dicitur Azymorum *Exod.* 12. *Levit.* 23. *num.* 28. quippe quæ, ex duplici beneficio a Deo accepto originem duxissent, eas tamen celebrari consuevisse, una, eademque die, testatur *Philo tractatu de Decalogo*, *probat Spondanus anno* 34. *n.* 17.

Omnia hæc paulo fusius exposuisse, necessarium est, ad rectè, & dilucidè percipiendam hujus Sacramenti Institutionem.

(*m*) *Primo die Azymorum*.

DISSERTATIO III.

24 *Quando nam Christus* D. *Eucharistiā instituerit*?

Hoc rectè percipietur, si dissensionem inter Græcos, & Latinos explicemus.

Sub Leone IX. anno 1053. ut idem Pontifex testatur *in Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantin.* cœperunt Græci Latinos objurgare, quod Azymum Panem in Sacramēto Eucharistiæ assumerent, unde, & Latinos Azymitas vocabant.

Putabant enim, nostrum Redemptorem suum Pascha, & Sacramentum manducasse die 13. seu Luna 13. Mensis primi, sequenti autem die, post Christi Mortem ad occasum Solis incæpisse tempus Paschale Judæorum, & fermenti abjectione, ut habet *Euthym. & Nyceph.*

Latini existimant, Christum D. ad vesperam diei 14. Mensis primi, secundum Legem hoc instituisse Sacramentum.

Hæc Sententia, Euangelistarum dictis, Patrum, Canonumque testimoniis innititur.

Quod attinet ad Evangelistas D. Matthæus *cap.* 26. hæc habet: .. Prima die Azymorum .. accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes, ubi .. vis paremus tibi comedere Pascha? *D. Marcus cap.* 14. prima autem die Azymorum, .. quando Pascha immolabant - *D. Lucas cap.* 22. .. venit dies Azymorum, in qua necesse erat, .. occidi Pascha.

Ex quibus Sacræ Scripturæ locis error Græcorum convincitur, neque enim reperias in tota Scriptura, diem primum Azymorum dici diem 13. Mensis primi, sed solum 14. ad vesperam vel 15. - *Exod.* 12. & 13. *levit. cap.* 23. *Num. cap.* 28.

Sed, & convincitur Patrum testimoniis partim Evangelia explicantium, partim in aliis operibus Latinorum sententiam confirmantium.

Hyeronimus in *Evang. secundum Math. cap.* 26. hæc habet. .. Postquam Typicum Pascha .. fuerat impletum, & agni carnes cum Apo.. stolis comederat ad verum Paschæ transgre.. ditur Sacramentum. Origenes *in idem Evang.* .. hæc habet .. Forsitan autem aliquis requiret .. ex eo, quòd Jesus celebraverit more Judaico .. Pascha &c. refertur in *excerpto de Consid. dist.* 2.

Beda verò *in Evangelium secundum Marcum cap.* 14. ità scripsit: .. Primum diem Azymo.. rum quartum decimum diem primi mensis .. appellat, quandò fermento abjecto, immo.. lare, idest agnum occidere solebant. Hyeron. ib. ità scripsit: .. Azyma vero quæ cum amari.. tudine, idest lactucis agrestibus manducan.. tur, redemptio nostra est, amaritudo verò .. Passio Domini

Beda rursus *in Evangelium secundum Lucam cap.* 22. ita loquitur: .. Horam manducandi .. Paschæ designat quartam decimam diem pri.. mi mensis, perductam ad vesperam, quinta .. decima luna jam terris apparente - Theophilus ibid. non dissimili ratione loquitur - Sed .. qualiter Dominus discumbere dicitur, cum .. Judæi Pascha manducarent? Dicunt ergo .. quod, cum manducavisset legale Pascha, ac.. cubuerunt secundum communem usum, .. manducantes quosdam alios cibos.

Si placet evoluere Patrum alia volumina, idem invenies confirmatum.

Tertullianus in Libro adversus Judæos *cap.* 8. hæc habet .. Quæ passio hujus exterminii intra .. tempora 70. hebdomadarum perfecta est sub

.. Tibe-

.. Tiberio Cæsare Coss. Rubellio Gemino, & .. Ruffio Gemino, mense Martio, temporibus .. Paschæ, die 7. Kal. Apr. die primo Azymorum, quo agnum, ut occiderent ad vesperam a Moyse fuerat præceptum, et idem Tertullianus *eod. lib. cap.* 10. ibi. Hoc enim et .. Moyses initio primi mensis novorum fructu,, ros vos, prophetavit, cum omne vulgus .. filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum, et hanc Solemnitatem diei hujus, .. idest Paschę Azymorum cum amaritudine manducaturos prædicebat, adjecit Pascha esse .. Domini, idest Passionem Christi; Quod ita .. quoque adimpletum est, ut prima die Azy- .. morum interficeretis Christum.

D. Augustinus *de Trinit. L.* 4. *cap.* 5. Ibi: *Octavo enim Kal. Aprilis. conceptus creditur, quo, & passus.*

D. Cyprianus Sermone de Cęna D. ibi: *Finem igitur legalibus Caremoniis impositurus, parari sibi voluit Pascha, & ex consuetudine legis ea quæri, quæ solemnitas exigebat, agnum assum, panes azymos, & lactucas agrestes.*

Executus sum hactenus promissi partem. Nam pollicitus eram Latinorum Sententiam, ex ipsis Evangelistis, Patrumque Testimoniis, in apertum ponere, hac in re officio non defui.

Superest ut ex Sacrorum Canonum auctoritatibus veritatem hanc stabilire ulterius, nitamur.

Primo Textus occurrit *in can. accipit. de Cons. dist.* 2. ibi: *Accipite, & comedite hoc est Corpus meum, postquam typicum Pascha fuerat completum, & agni carnes cum Apostolis comederat; assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Pascha transgreditur Sacramentum.*

Secundo Occurrit Textus *in can. celebritatem de cons. dist.* 3. ubi Victor Pontifex, agens de Pascha, ità decrevit: *A* 14. *vero Luna primi mensis, usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis eadem celebretur festivitas.*

Atqui Tempus Paschale, apud Christianos, a 14. Luna desumitur, quia Christus 14. Luna Pascha legale celebravit ejusque rei rationem fusè reddit D. Aug. Epist. 119. cur nempè; *ità Spiritus Sanctus transitum illum de alia in aliam vitam, qui Pascha nominatur a quartadecima Luna voluit observari.*

Et de Tempore Paschali, locus erit aptior differendi, ad finem hujus Tituli.

Interim apparet, quàm justa causa sit Latinorum, et quam bono Jure nitantur.

Nec ullum præsidium Græci constituere possunt in cap. 19. Joann. ibi: *erat autem Parasceve Paschæ*, aut in loco d. Matthæi: *Scitis quia post biduum*, quasi vero noster Redemptor, ante diem Azymorum, et ante 14. Lunam, Paschalem agnum comederit, et ineffabile Eucharistię Sacramentum instituerit in Pane fermentato. Nam solum Judæi jubebantur, fermentũ projicere a 14. Luna. Ergò in fine 14. diei fermentum inquirebant, ad lumen lucernæ, quia scilicet ea nocte incipiebat esse prohibitum.

Resp. tamen, cum Bellarmino, ad Locum D. Joann. *cap.* 19. verbum *Parasceve*, non significare diem, qui tempus Paschale, aut Azymorum præcederet, sed præparationem Ciborum, in Paschate occurrente ante Sabbatum; Parasceve enim, apud Judæos non erat, nisi propter Sabbatum, & hæc præparatio ante Sabbatum erat necessaria.

Ad alium verò D. Matthæi locum respondebit Origenes *Tract.* 35. *in Matth.* Nam (*Scitis quia post biduum*) dicit hęc verba prolata a Christo fuisse in 11. Luna, cum Pascha celebraretur 14. quæ duobus diebus distabat ab 11. non computatis extremis; Unde concludit, Christũ D. passum fuisse, primo die Azymorum, cum vespera antecedenti Pascha celebrasset.

Neque secundo loco refragatur veritati propositæ *Homilia* 81. *in cap. Matthæi* 26. D. *Joan. Chrysost. in principio* ibi: *Primam Azymorum eam diem vocat, quæ ante Azyma erat* (& infra) *Sed dicere possumus, quia postquam comederunt Pascha, ad cœnandum recubuerunt.*

Undè videtur, D. Joan. Chrisostomus sentire, suum Pascha prius, quàm illud comederent Judæi celebrasse.

Nam respondetur cum eodem Bellarmino *L. IV. cap.* 9. *de Sacramento Eucharist.* Judæos distulisse cænam agni in sequentem diem præter Legem, eo quod erant in negotio occidendi Jesum occupati. At Redemptor noster manducavit agnum in illa nocte, in qua communiter alii manducabant, ut patebit integram Divi Joannis Chrisostomi Homiliam perlegenti.

Jam satis de dissensione circa diem Paschæ, inter Græcos, & Latinos.

Quoniam ergò patet, Jesum Christum liberatorem nostrum, Pascha legale celebrasse eodẽ tempore, quo fermentum inveniri non poterat, infertur, in Pane azymo Eucharistiam instituisse, memoriam suorum mirabilium efficiendo.

Sed cum festum Judęorum contineret duas vesperas *Levitici cap.* 23. sequitur quod Paschæ dies, ad duas se porrigebat vesperas, priorem, 25
posterioremque; Unde dubitabitur, an in prima, vel in secunda vespera Christum hoc ineffabile Sacramentum instituerit?

Sententia Suarez, *q.* 73. *Artic.* 5. *disp.* 41. *sect.* 1. *in D. Thomam*; Hæc est, Christum Dominum ultimam cœnam legalem peregisse in posteriori vespera decimę quartæ diei, quæ erat illius finis, & initium decimæ quintæ.

Probatur I. quia Lex *Exodi* 12. *Lev.* 2. *Numer.* 28. solum septem dies Azymorum observare præcipiebat, qui ab eadem vespera, in qua agnus comedebatur, incipiebant, & in ultima vespera 21. diei ejusdem mensis finiebatur; Undè necessario concluditur, vesperam, in qua incipiebant dies Azimorum fuisse finem 14. ę Lunę, & initium 15. Sed esus agni, & Azymi dies simul incipiebant, ergò comedebatur, eadẽ vespera, quę erat initium 15. Lunæ, & finis 14.

 Patet

Prob. II. Ex Verbis Lucæ *cap. 22. appropinquabat autem dies festus Azymorũ, qui dicitur Pascha.*

Quota verò horâ noctis tenerentur Judæi manducare agnũ si queritur? Idem Suarez in ea sententia est, debuisse agnũ comedi ante noctis dimidiũ.

Tùm quia *Exod.* 12. Angelus in noctis medio omne primogenitũ in terra Ægypti percussit.

Tùm etiàm quia, si post mediam noctem Paschalis agnus comedebatur, jam non decima qarta, sed potiùs decima quinta Luna, Solemnitas celebrata fuisset.

Undè a principio noctis, ad mediam usque, liberum erat, qua libuisset hora cænare; quià nulla hac de re facta erat a Lege temporis definitio.

Prima autem vespera decimæ quartæ Lunę incipiebat, II. vel tertia hora post meridiem, quæ *nona hora* olim dicebatur; Atque adeò, tempus medium, inter duas vesperas incępisse ab hora IX & durasse usque ad noctem, quæ interdum, etiam nomine vesperis significatur, deducitur ex *Josepho lib. 7. de Bello Judaico cap. 17.* ibi: *eum dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt.*

Itaque juxta Eusebium, considerato anno Solari, Christus instituit Eucharistiam die 22. Martii indict. XV. sero vespere. Alii putant 24. die Martii, quibus accedit S. August. L. 4. *de Trin. cap.* 5. ibi: *Octavo inquit Kal. Arilis conceptus, creditur Christus, quo & passus*; Horis verò duabus circiter post solis Occasum, *Suarez p. 3. q. 3. art. 5. sect. 5.*

(*m*) *Instituit.*

Verba hęc accepta sunt, ex Textu, in *clem. un. de Rell. & ven. Sanct.*

Multa hactenus in superioribus explicationibus, circa institutionem hujus Sacramenti probata sunt; qua die, quo mense, an ad vesperam, qua hora, quo in pane, venerabilis hujus Sacramẽti facta sit a Redẽptore Clementissimo institutio.

26 Nunc paucis de modo, in institutione servato differemus.

Sciendum igitur, Convivii Paschalis duplicem fuisse Cænam coniunctam, vel, ut melius loquamur, unius Cænæ duplicem Mensam extitisse; in cujus priori esus agni; in posteriori agebatur cæremonia Azymorum - Et, quamvis, in aliis quoquè maximis Judæorum festis, puta Pentecoste, & Scenopegia, duplices ejusmodi cenę exhiberi consuevissent; quædam tamen intercedebant differentię.

Prima differentia erat, quod in aliis maximis Festis, Judaei tantum semel pedes lavarent; scimus enim, tum apud Romanos, tum etiam apud Judæos, ipso ingressu domus solitos fuisse, convivarum pedes lavari; patet ex loco Plutarchi in Pompeio, ubi asserit, Favonium Pompeio ministrasse, non tantùm in cęna, sed in pedum quoquè lavatione - *Fulvius Ursinus, in appendice ad Petrum Ciacconium, de Triclinio*, locum adducit Homeri, qui refert, Ulissem agnitum ab Euryclia, in pedum ante Cęnam ablutione, ut appareat, hunc quoque Græcorum fuisse morem ante Cænam lavandi pedes.

At in Paschatis Cœna, bis hæc ablutio sequebatur; primùm ante esum Agni, postea verò ante ceremoniam Azymorum.

Secunda differentia, quæ ad rem nostram pertinet, hæc est, quòd in secunda mensa Convivii Paschalis non solebant apponi bellaria, ut in aliis secundis mensis aliorum festorum, sed tantum a lege statutum cibum, nimirùm primo loco Embamma, ex Intybis, & lactucis agrestibus factum, aliisque rebus conditum, in quod primus Pater familias intingebat Offam azymam, hactenus sub Mappa servatam, in tot partes dividebat, quot essent in Cœna discumbentes; sicque divisam singulis porrigebat, tum poculum, a se primò degustatum tradebat proximo, hunc secundo, illum tertio, donec per totum convivium circumferretur.

Tertia differentia, hęc est, quod in cæteris secundis mensis usitata erat quædam communis benedictionis formula; at in Paschali secunda mensa, post illam benedictam (quia omnis secunda mensa, ob accepta beneficia, ad gratias Deo agendas potissimum comparatæ erant) cum distribueretur torta azyma, itemque, cum poculum traderetur, solebat Pater familias propria, & peculiari uti formula benedictionis. Hæc omnia ex ritnali Hebræorũ desumpta sunt.

In hac igitur secunda Cęna Sacramentum ineffabile Sanctissimæ Eucharistiæ fuit institutum; et quę in memoriam veterum beneficiorum fuerant introducta, in communionẽ õnium præstãtissimi noviter accepti beneficii mutata fũt.

[*n*) *Sacramentum.*

DISSERTATIO IV.

Quo in sensu Eucharistia sit Sacramentum?

Quo in sensu Sanctissima Eucharistia, rationem habeat Sacramenti, sex Propositionibus 27 optimè explicabitur, quemadmodum ad hoc docendum progreditur Bellarminus, cujus sententiis, & ratione tradendi sacram disciplinam, semper utemur. *Tomo III. igitur lib. 4. cap. 6.* rem omnem his propositionibus explicat.

I. *Propositio*. Consecratio Eucharistiæ Sacramentũ dici potest amplissimo vocabulo, nõ tamen est signũ, neq. causa gratię sanctificantis animã.

II. *Propositio*. Sumptio Eucharistię, Sacramentum dici non potest, quatenus accipitur Sacramentum pro signo rei sacræ sanctificantis animam; Nam significat quidem illa externa manducatio internam manducationem, & refectionem; sed non est causa internæ illius refectionis; Causa enim illius internę refectionis, non potest esse actio nostra; sed esse debet actio Dei, per ministrum Ecclesiasticum; itaque illa sumptio concurrit, ut conditio, sine qua non

appli-

applicaretur nobis divinum hoc alimentum, non autem est causa propriè dicta.

III. Propositio. Solæ Species Panis, & Vini, non habent integram Sacramenti rationem.

IV Propositio. Corpus D. & Sanguis sine ordine ad species non habet rationem Sacramenti; nam Sacramentum est signum externum, ac sensibile; non est autem tale corpus D. sine ordine ad species.

V. Propositio. Etsì tàm species Panis, & Vini, quam Corpus, & Sanguis D. ad essentiam. Sacramenti Eucharistię pertineant; ratio tamen Sacramenti magis convenit speciebus, ut continent Corpus D. quam Corpori Christi, ut est sub speciebus.

In quo observandum est, quod alia Sacramenta constant ex elemento externo, & virtute Divina illi impressa, at possunt esse signa, & causę. Eucharistia constat ex elemento, sub speciebus externis, & Corpore, & Sanguine D. quę sunt loco impressę illius virtutis.

Quoad modum loquendi, dicimus, Sacramentum Eucharistię debere potius dici species, ut continent Corpus D. quam Corpus, ut est sub speciebus.

VI. Propositio. Ratio Sacrificii, necnon pignoris, & alimenti Divini magis convenit Corpori Domini, ut est sub speciebus, quàm speciebus, ut continent Corpus Domini. Nam quod offertur Patri, non sunt species Panis, sed id, quod in Cruce fuerat oblatum.

Ex quibus Propositionibus, hęc infertur De-
28 finitio: *Eucharistia Sacramentum est Corporis, & Sanguinis Christi, sub speciebus Panis, & Vini, ad spiritualem animarum refectionem divinitùs institutum*.

Probatur I. ratione. Quia notum est, Sacramentum esse sensibile signum rei sacræ, ad hominem sanctificandū divinitus institutum. Textus est in *cap. Sacrificium 32. dist. 2. de Conf. can. detrahe 1. q. 1. cap. cum Martha de cel. Miss.* At hujusmodi planè est Sanctissima Eucharistia; siquidem species, sivè accidentia Panis, ac Vini significant sacratissimum Corpus, & Sanguinem, quę sub ipsis continentur, tamquam Spirituale animę nutrimentum, juxtà illud Joan. 6. *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus vere est potus*.

Probatur. II. ex can. multi, vers. sunt autem 1. q. 1. ibi: *Sunt autem Sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi: quę ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum Virtus Divina secretiùs salutem eorundem Sacramentorum operatur.*

Probatur III. *Ex Concilio Carthag. III. relato in can. in Sacramento 5. de consecr. dist. 2.* ibi: *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit.*

Probatur IV *ex can. in illo 85. de Conf. dist. 2.* ibi: *in illo Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi.*

Probatur V. *Ex can. qui discordat 65. de Consecr. dist. 2.* ibi: *Qui discordat à Christo; nec manducat Carnem ejus, nec Sanguinem bibit, etiamsi tanta rei Sacramentum ad judicium sua præsumptionis quotidiè indifferenter accipiat.*

Probatur VI. *Ex can. commendat 62. de Conf. dist. 2.* ibi *commendat nobis Christus in isto Sacramento Corpus, & Sanguinem suum.*

Probatur VII. *ex can. hoc Sacramentum 63. de Conf. dist. 2.* ibi: *Hoc Sacramentum pietatis est signum unitatis, vinculum Charitatis.*

Probatur VIII. *ex can. qui manducant §. ista ideò de consecr. ead. dist.* ibi: *ista ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritalem.*

Probatur IX. *ex cap. firmiter §. una vero extra de Summa Trin. & fid. Cath.* ibi: *cujus Corpus, & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus Panis, & Vini veraciter continetur.*

Ac, nè alteriùs in re tam explorata versemur, sciat Juris nostri Studiosus, Berengarium, & reliquos Sacramentarios ausos fuisse negare, Corpus Christi verè, & realitèr esse in Sacramento Eucharistiæ (refert Textus, *in can. ego 42. de Consecr. dist. 2.*) Hos autem omnes copia expressissimarum auctoritatum confutat, redigitque ad silentium *Gratianus integra dist. 2. de Consecr.* quam partem Decreti ad uberiorem notitiam proderit intueri.

Nec quicquam Catholicæ Sententiæ, dogmatique nostræ fidei decerpunt perexiguæ quædam difficultates.

Nam primo obiici posse videtur, quod Sacramentum debet signum esse per se sensibile, *can. sacrificium 32. can. signum de consecr. dist. 2.* Atqui Corpus, & Sanguis Christi, quatenus in Sacramento existunt, per se sensibilia non sunt: Unde prima specie repugnare apparet, quod sint Sacramentum.

Sed non valde laborandum in hujus difficultatis dissolutione. Etenim exigitur ad integri Sacramenti rationem, ut signum cadat sub sensum, non tamen hoc exigitur ad quamvis sacramenti partem constituentem. Ecce etiàm Contritio pars est Sacramenti Pęnitentiæ: et tamen non per se, sed per Peccatorum enarrationem Sacerdoti factam, sensibilis est.

Ad eundem modum Clementissimi Domini nostri Corpus, & Sanguis non per se sensibilia sunt, sed per alteram Sacramenti partem, nimirùm ratione specierum.

Secundo refragari videtur propositæ veritati Matthæi locus, *cap. 26.* ibi: *pauperes semper habebitis*, & Joan. 16. *relinquo Mundum, & vado ad Patrem*; & in Symbolo fidei pronunciamus D. *in Cœlos ascendisse, & ad dexteram Patris sedere*. Undè colligunt hæretici, Christi Corpus non esse re verà præsens in Eucharistia.

Sed refutatur facili negotio obiectum. Chri-

stus

ftus quidèm reliquit Mundum, nec femper cum hominibus veratur prętentia fenfibili; fed realitèr tamèn pręfens eft in Euchariftia invifibili præfentia. Exemplo res explicabitur. Nonnè Difcipulis poft Refurrectionem ajebat: *hac funt verba, qua locutus fum ad vos, dum adbuc effem vobifcum*: *Luca* 24. Et tamèn cum ipfis erat, dum illos alloquebatur; Sèd non erat eo pacto, quo fuerat anteà more hominum mortalium. Significat ergò, fe modo vifibili in Mundo non futurum; at non negat, fe invifibili, Sacramentali, & ineffabili modo femper in Mundo manfurum: Imò Math. 28. ait: Et ecce ego vobifcum fum omnibus diebus ufquè ad confumationem Sæculi. Videatur Tridentinum *feff.* 13. *cap.* 1. Undè S. Joan. Chrisoft. *lib.* 3. *de Sacerdotio* ait: *O miraculum! O Dei Benignitatem! Qui cum Patre furfum fedet, in illo ipfo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Textus eft in *can. quia Corpus* 35. *de Conf. dift.* 2. *can. prim.* §. *donec eadem dift* & 1. *can. non hoc Corpus* 45. *ib. etem. un de Reliq. & ven. Sanct. cap. cum Martha de celebr. Miff.*

Tertiò nonnihil etiam adverfari videtur Textus *in can. panis* 29. *de Conf. dift.* 2. ibi: *Quamvis fit Panis, & Calix, alimentum eft refurrectionis non Sacramenti religionis*, ergò Euchariftia Sacramenti rationem non habet juxta hunc Textū.

Credo fenfum hujus Canonis effe, ut diximus in II. Propofitione, quam ea Bellarmino huc tranfcripfimus n. 27. Quod fumptio Euchariftiæ Sacramentum dici non poffit, quatenùs accipitur Sacramentum, pro figno rei facræ fanctificantis animam; Nam fignificat, quidem illa externa manducatio internam manducationem, & refectionem: fed non eft caufa internæ illius refectionis modo jam explicato.

Addo prætereа, Textum neceffariò emendandum, quia Gratianus auctorem ejus facit D.
29 Ambrofium, cùm tamen ejus conditor fit D. Auguftinus in *Libro de Cathechizandis rudibus*. Verba autem D. Auguft; hæc funt: *Quamvis fit Panis, & Calix, alimentum eft refectionis, non Sacramentum relligionis, nifi quod benedicimus &c.* ex quibus verbis patet, in Textu adducto a Gratiano aliquid mutationis irrepfiffe.

(o) *Panis Triticeus, & Vinum de Vite.*

Hæc verba funt Eugenii, §. *tertium* ibi: *Ter-*
30 *tium eft Euchariftia Sacramentum, cujus materia eft Panis triticeus, & Vinum de Vite.*

Ergò ex alia materia confici neutiquam S. poteft Euchariftia. Cœfarius *L. IX. cap.* 65. hæc habet: *requifitus Papa Honorius III. per litteras cujufdam Abbatis noftri, an Hoftia ex Spelta confici poffent, refpondit, Speltam magis pertinere ad hordeum quàm ad triticum.*

Ea quo decreto concidunt quorundam veterum fententiæ, quas refert *Stephanus de Gaeta in repet. in can. ad limina* 30. *q.* 1. *n.* 40. ibi: *unde fpelta frumentum eft, & de ipfa confici poteft Corpus Domini, ficut de Tritico*, citat Nicol. *in addit. hanc opinionem tenuiffe Albericum. Palud. in* 4. *dift.* 11. *q.* 1. *artic.* 3. *Concl.* 2. & alios prætereа addit. Atque hoc Decretum Honorii, confonum eft, & verbis Chrifti, & Apoftolicae traditioni, & Doctrinae perpetuò in Ecclefia Sancta Dei receptę, & obfervatæ. Salvator, ut docent Evangeliftæ, *Panem in manus accepit, benedixit, & fregit, dicens &c.* ergo Salvatoris factum, ac verba ipfa, cùm, inquit: *ego fum Panis vivus, qui de Cœlo defcendi*, oftendunt, quid de materia hujus Sacramenti dicendum fit; Panem vid. ex tritico intelligi, fatis conftat, ut loquitur *Cathechifmus Concil. Trid. de Sacramento Euch.* Idem SS. Apoftolos intellexiffe, deducitur *ex can.* 3. *Apoftolorum*.

Idem PP. & Concilia, & Pontifices femper conftanti tenore docuerunt. *Concil. Cartag. III. cap.* 24. tranfcriptum, in *can. in Sacramento V. de Conf. dift.* 2. ibi: *nec amplius in Sacrificiis offeratur quam de uvis, et frumentis*; S. Hieronimus *in cap.* 62. *Ifaia* fuper illa verba: fi dedero triticum tuum ultra inimicis tuis: *Triticum quoque, de quo Panis Cælestis efficitur illud eft, de quo loquitur D. caro mea verè eft Cibus.* Irenæus adverfus herefes *cap.* 34. *lib.* 4. ibi: *quomodo autem conftabit eis, cum Panem, in quo gratia facta fint, Corpus effe D. fui, & Calicem Sanguinis ejus, fi non ipjum Fabricatoris Mundi Filium dicant, idest Verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes; & dat, primum quidem fœnum, poft deindè fpicam, deindè plenum triticum in fpica. Quomodò autem rurfus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, qua a Corpore Domini, & Sanguine alitur?* (& infra) *quemadmodum, enim, qui eft a terra Panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis Panis eft, fed Euchariftia, ex duobus rebus conftans terrena, & Calefti, fic et corpora noftra, percipientia Euchariftiam, jam non funt corruptibilia, fpem refurrectionis habentia.*

Hinc Diaconus ille Ecclefiæ Alexandrinę, vocatus *Ischirio*, obtulit Concilii Calcedonenfis 31
PP. libellum, in quo inter alia Diofcorum, Alexandrinum Epifcopum accufabat, quòd frumentum a piis Imperatoribus Ecclefiis Libiæ, qua in Provincia triticum non nafcitur, non permitteret fufcipi ab Epifcopis, *imprimis quidem, ut incruenta ex ipfo Hoftia offeratur*, quę verba funt *in actione III. Concil. Calced.*

Probatum eft igitur, Euchariftię unam materiam effe non alium Panem, quàm triticeum.

Obiicitur, offerri, olim confueviffe, in al- 32
tari uvas, Spicas, Lac, & Mel; itèm agnum in Ecclefia Romana die Dominicæ Refurr. *can.* 3. *Apoft. can. didicimus* 6. *de Conf. dift.* 2. ibi: *didicimus, quod in quibufdam Ecclefiis Sacerdotes Sacrificio oblationis coniungant uvas, qua fecundum ufum, in altari offeruntur.*

Ref-

Resp. hæc oblata non fuisse super altari ad sacrificiū, sed ut primitias, ac munera, pietatis impulsu tradita, non verbis Christi D. consecranda, sed singulari benedictione sanctificanda; sed,
33 quòd superaltare simul cum Dominico Corpore agnus oblatus fuerit, calumnia est Photii in Ecclesiam Romanam; Agni carnes non in altari; sed juxta altare vel sub eo ponebantur; *Strabo de Reb. Eccl. cap.* 18.

. Solum ergò ad Consecrationem ponebatur Panis, & Vinum; Nam fideles non communi-
34 cabant nisi priùs Panem obtulissent, & Vinum: tanta erat priscis sęculis Christianorum Pietas. Imò pudor erat, antea Panem consecrandum non obtulisse. *D. August. serm.* 215. *de Temper.* ibi: *erubescere debet homo, si de aliena oblatione communicaverit.*

[*p*] *Unum tantum esse confitemur.*

Hoc Sacramentum est multiplex, si specte-
35 tur materia remota, Panis nempè, & Vinum, ut res quædam sunt, unum verò, si spectetur (ut debet) significatio, perfectio, & finis hinc si in collecta, plurali numero Ecclesia Eucharistiam designat: *purificent nos, quæsumus D. Sacramenta, quæ sumpsimus*, verba illa magis ad Species respiciunt; nam unum est hoc Sa-
36 cramentum, quatenùs significat unum Sacrificium cruentum, quod Christus in Cruce consumavit; Unum est, quatenùs in se, continet unum Christum verum Deum, & hominem; Unum est ratione unius effectus vid. gratiæ sanctificantis quam in utraque Specie, per modum spiritualis perfectionis, perfectè significat; Unum est, quatenus Symbolum existit Ecclesiasticæ unitatis; Unum est, quatenus per utramque ejus speciem simul significatur plena Cœlestis Gloriae societas.

Hac de re sunt in corpore Juris Canones elegantissimi Textus.

Ecce *in can. ubi pars* 78. *de Conf. dist.* 2. ibi;
37 *ubi pars est Corporis est et totum. Eadem ratio est in Corpore D. quæ in manna., quod in ejus figura præcessit, de quo dicitur (qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus) non est omninò quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed Virtus Sacramenti Spiritualis.*

In *can. quid sit* 73. §. *tanta de Conf. dist.* 2. similia verba profert Gregorius Papa: *tanta est Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique sit Panis Corporis Christi, & unus sit Calix Sanguinis ejus: Quia sicut Divinitas Verbi Dei una est, quæ totum implet Mundum: ità, licet multis locis, & innumerabilibus diebus, illud consecretur Corpus, non sunt tamèn multa Corpora Christi, neque multi Calices, sed unum Corpus Christi, & unus Sanguis cum illo, quod sumpsit in utero Virginis.*

In *can. mortui* 70. *ib.* ità scriptum est, *Per partes manducatur, & manet integer totus.*

In *can. hoc Sacramentum*, idem confirmatur, sub eadem distinctione: *Hoc Sacramentum pietatis est signum unitatis, vinculum Charitatis.*

In *can. qui manducant eod. Tit. & dist.* ita pronunciatur: *nec quandò manducamus, partes de illo facimus.*

In *can. in Christo* 53. *de Conf. dist.* 2. hęc habentur: *& una hostia non multa. Quomodò una, & non multa? quià semel oblatus est Christus* [& infra) *alioquin, quoniàm in multis offertur, multi sunt Christi? nequaquàm; Sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens: & illuc plenus. Sicut enim, quod ubique offertur unum est Corpus, & non multa Corpora: ità et unum Sacrificium.*

Et in puncto prędictæ collectæ Textus adest, *in can. species ead. dist. & Tit.*

In *can. quià passus, eodē loco*, verba hæc reperiuntur: *Hæretici quandò hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quià illi quærunt divisionem, cum Panis iste indicet unitatem.*

In *cap. cum Martha* §. *distinguendum extra de celebr. miss.* notabilis traditur distinctio: *Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem Corporis, & Virtutem spiritualem. Forma est Panis, & Vini. Veritas Carnis, & sanguinis: Virtus unitatis, & Charitatis. Primum est Sacramentum, & non res. Secundum est Sacramentum, & Res. Tertium est res, & non Sacramentum. Sed primum est Sacramentum gemina rei. Secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit, Tertium est res gemini Sacramenti.*

Innoc. *lib.* 4. *de Myster. alt. cap.* 27. *Mirari* (inquit) *quòd Verbum Dei juxta Sacramenti Virtutem, totum simul in diversis locis existit, & non miraris verbum hominis, juxtà vocis naturam, totum simul esse in auribus diversorum: Quid quæris Naturam in Christi Corpore, cum præter Naturam sit natus de Virgine?*

Objicitur tamen Textus prima fronte difficilis Gelasii Papæ, in *can. comperimus* 12. *de Cons., dist.* 2. Verba ejus hæc sunt, *comperimus* 38
autem, quòd quidam sumpta tantummodò Corporis Sacri portione, à calice Sacri Cruoris abstineant (& infra) *aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quià divisio unius, ejusdemque Mysterii sine grandi Sacrilègio non potest provenire.* Vides ex hac litera Textus difficultatem. Nàm videtur inferri, unicum non esse Sacramentum Eucharistiae.

Agnovit oppositionis vim Stephanus 30. Gaeta in repet. ad Textum in *can. ad limina* 30. *q.* 1. *n.* 2. qui ità pro responsione loquitur „ Intellige, quod dicitur in dicto cap. comperimus „ per Laudensem, & Joan. in glossa hic de speciebus, secundum Archidiaconum in dicto „ cap. comperimus: vel ponitur plurale pro „ singulari, secundum Archidiaconum in can. „ qui manducat, de Conf. dist. 2. & facit ad prędicta can. vasa in fine de Conf. dist. 1.

Cęte-

Cæterum P. Alexander Natalis *in Theolog. Morali*, *& Dogm. de Sacr. Euch. pag.* 19. explicat Textum, eum referendo ad materiam remotam Panis, & Vini, ut res quædam sunt, unumque asserit Eucharistiæ Sacramentum ab una perfectione finis. Quare Sacerdotes in Missa eam Orationem pronunciant, Corpus tuum D. quod sumpsi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat &c non enim dicunt, adhæreant. *notat Stephan. de Gaet. q. 2. in d. can. ad Limina*.

(q) *Veram, & propriam Panis Rationem, & nomen habeat.*

Photius pseudopatriarcha Ecclesiæ Constantinopolitanæ, omnem lapidem movit, ut Romanae adversaretur Ecclesiæ. Inter alia ad morem
39 Latinorum improbandum Eucharistiam consecrantium in azymo Pane, cœpit asserere, Panem azymum, non esse verum Panem. Schisma vero Photii aliquandò sopitum, denuò excitavit Michael Cærularius ejusdem II. Romae Patriarcha, æquè ac Photius, odio incensus in Latinos.

Extat Epistola Leonis IX. ad Michaelem hunc exarata, in qua consuetudinem, & ritum Orientalis Ecclesiae consecrandi in fermentato Pane non improbat; sed Græcos dumtaxat reprehendit, quòd Latinos veluti hæreticos insectaretur, & Schisma faceret.

Concilium verò Florentinum sustulit hanc Controversiam *in §. itèm; his verbis* .. Item in .. azymo, sive fermentato Pane triticeo Corpus .. Christi veraciter conficitur, Sacerdotemque in .. altero ipsum Dominicum Corpus conficere .. debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiae sivè Occidentalis, sivè Orientalis Consuetudinem.

Addo locum elegantem Gregorii in Regesto, ibi .. Solet autem nonnullus movere, quòd in .. Ecclesia alii offerunt Panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert .. azymos Panes, propterea, quod Dominus .. sine ulla commixtione suscepit carnem, aliae .. verò Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, .. quòd Verbum Patris indutum est Carne, & .. est verus Deus, & verus homo, nam et fermentum commiscetur farinae; sed tamen tàm .. azymum, quàm fermentatum dum sumimus .. unum corpus D. nostri Salvatoris efficimur.

Addo insuper locum alium S. Anselmi *in Responsione ad Vualeramnum cap.* 2. ibi .. Apertissimum est, quià melius sacrificatur de azymo, quàm de fermentato, tum quià valde .. aptiùs, & purius, tùm quià D. hoc fecit.

Obstare videtur his auctoritatibus locus ex Vita Melchiadis Rom. Pontificis; Unde constat,
40 Fermentum solitum fidelibus distribui apud Latinos.

Respondetur tamèn cum *Cabassutio in Not. Eccl. sæcul.* 2. *diss.* 11. Fermentum illud non fuisse adorandum Christi Corpus; Nam etsi hoc Fermentum Sacramentum dicatur, attamèn ità loquitur, idem *Cabass. Certum est his quoquè vocabulis (consecrati, & Sacramenti) exprimi solitas quascumque eulogias fuisse.* Cui vestigati adstipulatur Concilii Cartag. III. can. 5. dicens *Placuit, ut per solemnissimos dies Sacramentum* Cathecumenis non detur, nisi solitum Sal. Augustinus paritèr *lib. 2. de Pecca. merit. cap. 2. ait* .. Et quod accipiunt Cathecumeni, quamvis .. non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, .. & Sanctius, quam Cibi, quibus alimur, .. quoniàm Sacramentum est.

Et Innoc. 1. *in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum* perspicuè docet fermentum 41
non esse Sacratissimam Eucharistiam; Etenim Officium transportandi fermentum solis Acolytis assignat, non Sacerdotibus, non Diaconis. Cœtera videantur apud Cabassutium loco indicato. Frustrà igitur hinc quidam inferunt, olim Latinos adhibuisse fermentum.

(r) *Vinū ex Vitis fructu expressum &c.*

Dominum Salvatorem, in hujus Sacramenti 42
institutione Vino usum esse, Catholica semper docuit Ecclesia, cum ipse dixerit *Math. 26. 29.* non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, quo in loco Chrisostomus, *de Germine* (inquit) *Vitis, quæ certe vinum, non aquam producit. ut tanto antè illorum hæresim qui, aquam solam in hisce mysteriis adhibendam, senserunt, convellere videretur.*

Cyrillus Hierosolimitanus *Cathechesi* 4. *Mystagogica*, ibi .. Quare omni cum certitudine .. Corpus, & Sanguinem Christi sumamus: .. Nam sub specie Panis datur tibi Corpus, & .. sub specie Vini datur Sanguis.

S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ibi: .. Didicisti, quòd ex pane Corpus fiat Christi .. & quod Vinum, & Aqua in Calicem mittitur, sed fit Sanguis Consectatione Verbi .. Cœlestis.

Concilium Nicœnum II. *actione 6. Tom. 3. §. per panem*: ibi .. per Panem, & Vinum *ἀντίτυπα* .. membrorum Corporalium Christi prædicat. .. (*& infra*) confidentes tuo facto altari appropinquamus, & proponentes *ἀντίτυπα* Sancti Corporis, & Sanguinis tui te precamur, .. & invocamus. Et qua deinceps sequntur sententiam Patris amplius confirmant, quòd ante sanctificationem *ἀντίτυπα* vocaverint: post .. Consecrationem autem Corpus D. & Sanguinem Christi, atquè, ità esse, creduntur.

En et Canones ex Corpore Juris Ecclesiastici. In *Can. nos autè* 41. *de Cons. dist.* 2. hec habentur .. Cum fideliter fateamur, ante Consecrationem esse Panem, & Vinum, quod .. natura formavit; post Consecrationem verò .. Christi Carnem, & Sanguinem, quod benedictio consecravit.

Gregorius *Papa in can. species* 33. *de Cons. dist.* 2. ità loquitur .. Species, & similitudo il-

.. larum

.. larum rerum vocabula sunt, quæ antè fuerunt, scilicet Panis, & Vini.

In Can. *quia passus* 36. ib eadem Sententia: *Heretici (ait) quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt; quia illi quærunt divisionem eum Panis iste indicet unitatem: sic & Vinum in multis racemis post pressuram torcularis.*

Quod et confirmatur ex aliis Sacrorum Canonum auctoritatibus, quorum verba inducere supersedebo. *In can. in quibus de Conf. dist. 2. in can. nos autem, in can. ego Berengarius, in can. fortè dicas, in can. panis est, in can. illo Sacramento, in can. accesserunt, in can. ante benedictionem*, ib. Trid. *can. 2. de Sacramento Euch. sess.* 13.

(f) Non escludo Mustum.

Mustum est Vinum novum, Vinum non defæca-
43 tum, quod et botrus cōpr. ssus in Jure nostro vocatur. Jam quod attinet ad usum Musti pro S. Eucharistia. Julius Papa decrevit *in can. cum omne, vers. nam quod de expresso, de Consecr. dist.* 2. in Casu necessitatis botrum in Calice compressum posse consecrari. En verba Textus: .. Nam quod de expresso botro, idest de Uvarum granis populus communicatur, valdè est omninò consonum: Sed, si necesse fit, botrus in Calice comprimatur, & aqua misceatur: quià Calix Dominicus, juxta Canonum præcepta, Vino, & aqua permixtus debet offerri.

Quem Casum necessitatis notavit D. Thomas III. Part. q. 74. artic. 5. ad secundum, ibi: .. nec mustum, statim expressum de Uva, in Calice offeratur, quià hoc est indecens, propter impuritatem musti; Potest tamen in necessitate fieri.

Etenim, & mustum Vini appellatione venire, senserunt Jurisconsulti, *in ff. ut patet, ex P. si quis Vinum ff. de Trit. Vino, & Oleo leg.* Quod ad nos verò attinet eo modo, quo explicavimus, ad usum Augustissimę Eucharistiæ, adhibetur.

[t] Quod vero Innocentius VIII. &c.

Volaterranus L. 7. suæ Geographiæ refert, Norvegis Inn. VIII. Pontificis concessione per-
44 missum, *sine Vino Calicem sacrificare, quod ob immensa frigora Vinum in eam regionem importatum acescat*. Confutatur *a P. Natali*, & multo ante a *Bellarmino de S. Pontifice*. Nam, ut alia missa faciam, quis non videt, quàm debilis ad persuadendum sit illa ratio. *Quod ob immensa frigora Vinum in eam regionem importatum acescat*; Cum longe aliud experientia demonstret.

(u) Contraria declarata fuerunt.

Hic abusus, qui in Ægipto, tempore Julii Pontificis, contra Ecclesiasticæ disciplinæ regu- 45
las irrepserat, optimè confutatur, ac redarguitur, *in can. cum omne crimen 7. de Consecr. dist.* 2. ubi introducta reprehensibilis corruptela sic enarratur: .. Audivimus, quosdam Schismatica ambitione detentos contrà divinos ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in Divinis Sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam Populis pro complemento Communionis porrigere: Quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre: alios verò pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, & in tempore Sacrificii partem ejus aqua lavare, & sic offerre. Quod quā sit Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ contrarium, & consuetudini Eucharistiæ adversum, non difficile ab ipso Fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria (*& infra*) Cesset ergo lac Sacrificando offerri: quià manifestum, & evidens Evangelicæ veritatis exemplum illuxit, quod præter Panem, & Vinum aliud offerre non licet. Illud verò, quod pro complemento Communionis intinctam tradunt Eucharistiam Populis, nec hoc prolatum, ex Evangelio testimonium recipit; ubi Apostolus Corpus suum, & Sanguinem commendavit. Seorsùm enim Panis, & seorsum Calicis commendatio memoratur. Nàm intinctum Panem aliis Christus præbuisse non legimus &c.

Atque hujus Decreti Auctor fuit Julius Romanus Pontifex, & imminens Schisma, & pravam illam per Ægiptum sustulit consuetudinem.

(x) Quamquam, ea si desit, Sacramentum constare possit &c.

Hæc ipsa verba sunt Cathechismi in *Tit. de Sacramento Eucharistia*.

Hinc aquæ admixtio non est ex necessitate Sacramenti, sed præcipitur ab Ecclesia, & præ- 46
ceptum obligat sub gravi peccato. Videtur expressus hac de re Canon, apud *Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 7. ibi *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam Vino in Calice offerendo misceerent, tùm quod Christum D. ità fecisse credatur, tùm etiàm quià è latere ejus aqua simul eum Sanguine exierit.*

Extat hac de re Decretalis Epistola Alexandri Pontificis Orthodoxis omnibus scripta, relata *in can. 1. de Conf. dist. 2.* ibi: *Non enim debet, ut a Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in Calice Domini, aut Vinum solùm, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse, legitur.*

In Can. *cum omne 6. de Conf. dist. 2. §. nam quod*, eadem asseruntur: *Quià Calix Dominicus juxta*

juxtà Canonum præcepta Vino, & aqua permix- tus debet offerri.

Sed adversari videtur I. Textus *in can. in Sacramento 5. de Conf. dist. 2.* ibi .. in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit hoc est Panis, & Vinum aquæ mixtum.

II. Adversatur non minus, alter Canon nempe Canon *sic in sacrificando, ib.* in quo scriptum est .. Sic in Sacrificando Calice Domini offerri .. aqua sola non potest, quomodò nec vinum .. solum potest; Nàm, si Vinum tantum quis .. offerat, Sanguis Christi incipit esse sine .. Christo.

III. Pugnat, cum Sententia supra tradita, Textus Concilii Aurelianensis IV. cap. 4. ibi: .. Ut nullus in oblatione Sacri Calicis, nisi .. Vinum aqua mixtum offerre præsumat; quia .. sacrilegium judicatur, aliud offerri, quàm in .. mandatis Sacratissimis Salvator instituit.

Tribus hisce auctoritatibus sacrorum Canonum responderi potest, aquæ admixtionem vocari Domini præceptum, ac traditionem, eo quòd profluxit hoc præceptum, & hæc consuetudo ab exemplo, & imitatione Christi, qua ratione S. *Ambrosius in L. de Spiritu S. in Proemio Domini mandatum vocat pedum lotionem.* Enimverò non omnia, quę a Redemptore nostro peracta sunt in ultima Cęna, Ecclesię præcepit suo mandato; Ecce. Consecravit in Pane azymo; sed conveniens quidém est in azymo Sacerdotes ad Christi imitationem consecrare, non tamen hoc spectat ad Sacramenti necessitatem.

Neque vim faciunt verba illa quæ *in can. sic in Sacrificando ponuntur in fine* ibi, *si Vinum*
48 *tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine Christo:* Quasi hinc inferatur, admixtionem aquae tàm necessariam esse, ut Sacramentum sine aqua non consistat.

Nàm *Respon.* explicando Canónem, per alium Canonem; nempe per Textum *in Can. cum omne vers. qua copulatio de Conf. dist. 2.*

Ubi repetens Julius Pontifex eadem verba ait: *Nàm si Vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi esse incipit sine nobis.* Quare verba illa *sine Christo* idem significant, ac *sine nobis* idest *sine Ecclesia*, quæ mysticum Corpus Christi est. & significatur his verbis, quòd, sine aqua nobis non profuisse ostenditur, quoniàm aqua Symbolum est Ecclesiæ. Nec novum est in Jure nostro, ut *Christus* nonnunquàm ad Christianum Populum significandum dicatur, ut patet ex *cap. 1. extra de Sacra Unctione.*

[y] *Inventi sunt Aquarii Hęretici.*

En Verba Textus *in can. quidam autem §. Aquarii 24. q. 3.* ibi: *Aquarii appellati, eo quòd*
49 *aquam solam offerunt in Calice Sacramenti.* Crederem, hujus hæresis auctorem extitisse *Tatianum* temporibus S. Cypriani, qui Tatianus aquam solam Calici infundebat, de quo errore Epiphanius *hæresi 46.* D. Augustinus *de hæresibus cap. 4.* Prohiberi hanc hæresim *in Concilio Later. sub Inn. III. in cap. 1. §. una vero de Sum. Trin. & fid. Cath.* opinatur Sebastianus Medices *in Summa omnium hæresum verbo Aquarii 62.* Sed et prohibetur *in Concilio Cartag. 3. cap. 24.* Hac lue erroris infecti deprehenduntur etiam Euchratitæ; de quibus *Epiphanius Tom. 1. L. 2. contra hæres. hæres. 46.*

(z) *In hos editi sunt plurimi Canones.*

Extat imprimis Canon III. Apostolorum, qui referri potest ad condemnationem similis erroris, qui tempore etiàm Apostolorum irrepsisset, ut patet P. *Natalis in Theologia*, differens de hoc Sacramento. Ait enìm Canon ille, .. Si quis Episcopus, ant Præsbyter præter ordinationem D., quę de Sacrificio instituit, .. alia quædam, puta aùt Mel, aùt lac, aùt 50 .. pro Vino Siceram (*& infra*) obtulerit, ut .. qui contrà ordinationem D. faciat, deponatur.

Et Alexander Pontifex *in Can. in Sacramentorum de Conf. dist. 2.* ibi .. Non enìm debet, .. ut à PP. accepimus, & ipsa ratio docet, in .. Calice D. aut Vinum solum, aut aqua sola .. offerri.

Et Julius Papa *in can. cum omne de Conf. dist. 2.* ibi *Non enim potest Calix D. esse aqua sola.*

D. Cyprianus *in can. sic in Sacrificando de Conf. dist. 2.* ibi: *sic in sacrificando Calice Domini offerri aqua sola non potest.*

D. Aug. de *Eccl. Dogm. cap. 57.* ibi: *non debet pura aqua inferi, ut quidam sobrietatis falluntur imagine.*

Quod si aqnę miscendæ rationes quærimus? varias hujus mixturæ rationes Sacri Canones proposuere.

Concilium Martini Bracharensis ex quo de- 51 ductus est *can. non oportet de Conf. dist. 2.* hanc tradit rationem: *Quia, dum in Cruce penderet, de Corpore ejus Sanguis effluxit, & aqua.*

Julius Papa *in cap. cum omne de Conf. dist. 2.* hanc expendit rationem: *Ergò cum in Calice Vino aqua miscetur; Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit copulatur.* Et meritò Pontifex Populum aqua scribit significari; Nàm, & in Apoc. legitur, *Aqua multa populi multi.* Quamvis et interdum aqua significet Pænitentiam: *can. testamentum de Pæn. dist. 6.* quandoquè Scripturam *can. si paulus 32. quæst. 5.*

Inn. III. *in cap. cum Martha extra de cel. miss. §. quæsivisti*: hanc proponit rationem, .. quod, cum de latere Christi duo præcipua .. fluxerint Sacramenta redemptionis in Sanguine, ac regenerationis in aqua: Ità illa .. Vinum, & aqua quæ commiscentur in Calice Divina Virtute mutantur. Et hæc Pon-

.. tifex

.. tifex ex aliorum sententia loquitur.

In Canone *in Calicem de Conf. dist.* 2. multæ aliæ rationes, cur aqua vinum temperetur, excogitantur, ibi .. quid sibi vult admixtio aquæ? .. rationem accipe. Jussit Deus Moysi, ut tangeret Petram de Virga: tetigit Petram, & .. Petra undam maximam fudit, sicut Apostolus ait (bibebant autem de consequenti eos .. Petra, Petra autem erat Christus, (*& infra*) .. tangit ergò Sacerdos Calicem, redundat aqua .. in Calice, salit in Vitam æternam, & bibit .. Populus Dei, qui Dei gratiam consequtus est. .. Didicisti ergo hoc, accipe & aliud. De Latere ejus aqua fluxit, & Sanguis. Quarè aqua? .. quare Sanguis? aqua, ut emundaret, Sanguis, .. ut redimeret. Quare de Latere? quià undè .. culpa, inde Gratia: culpa per fœminam, .. Gratia per D. Jesum Christum &c.

[aa] Unde B. Pius V.

Antonius Augustinus *in Synodalibus Constit. Tarraconensis Ecclesiæ* refert Constitutionem B. Pii V. ad illius Civitatis Archiepiscopum datam,
52 qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquę, sed plus aquæ, quàm Vini Calici infundebant.

Concilium verò, Florentinum, ut in Titulo indicavimus, modicam aquam Vino admiscendam statuit, in §. *tertium autem in Decreto Eugenii*, his verbis: *Cui* (Vino de Vite) *ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*.

Huc transferam verba *Stephani de Gaeta* insignis Canonistę *in repet. ad Textum in can. ad Limina* 30. *q.* 1. *n.* 53. *q.* 36. ibi .. & sic debet tam .. parum apponi de aqua, quod Vinum illam .. absorbeat, quià Christus, qui significatur per .. Vinum, non mutatur in Ecclesiam, quę .. significatur per aquam, sed Ecclesia in Christum; Unde Augustinus in Persona D. Lib. VII. Confessionum *dicit*, Cibus .. sum grandium, cresce, & manducabis me, .. nec tu mutabis me in te, sicut cibum Carnis tuæ sed mutaberis in me; Pendet hæc ratio, ex decisione illius controversiæ, quam excitat Innoc. in *cap. cum Martha de cel. miss.* Ideò juxta decisionem Innocentii intelligatur hæc ratio.

[bb) Honorius Pontifex.

In Suecia abusus hic perniciosus erat introductus, ut plus aquæ, quam Vini ad Sacrificium adhiberent, eo quòd Septentrionales illę Regiones Vino carent; Quare Honorius III. Upsalensi Episcopo, qui Sedem in illis Regionibus tenebat, nempè Olao VI. ità scripsit .. Perni-
53 .. ciosus valdè sicut audivimus in tuis partibus .. inolevit abusus, videlicet, quod in majori .. quantitate aqua ponitur in Sacrificio, quàm .. de Vino: cum, secundum rationabilem .. consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in .. ipso sit de Vino, quàm de aqua ponendū.

(cc) Inventi sunt Armeni &c.

Gregorius VII. in L. VIII. Regesti. Epist. 1. obiurgat Armenos, qui aquam Vino in Sacris Misteriis penitùs non admiscebant his verbis: .. Quoniam vestram Armenorum Ecclesiam, à .. rectitudine Fidei, quam ab Apostolis, & SS. .. Patribus traditam, universalis Ecclesia tenet, .. in quasdam pravas exorbitasse sententias, .. nobis relatum est, profectò nimiùm Paterni affectus compassione doluimus. Quorundam siquidem relatione didicimus, in celebrandis salutiferis Sacramentis aquam Vino .. penitus apud vos non admisceri, cum nemo .. Christianus, qui sacra novit Evangelia dubitet, a latere Domini aquam cum sanguine .. emanasse.

(dd) Silentio supprimenda sunt &c.

Ita et Petrus Gregorius in Syntagmate Manichæorum hæresim silentio involuit, de qua Epiphanius *Tom.* 2. *lib.* 1. *contra hæreses hæresi* 64.

Tacendi etiam Casseanorum errores, quos redarguit S. *Augustinus Lib. de hæres. sect.* 49.

(ee) Panis convertitur in Corpus Christi &c.

Textus id clarissimis rationibus probant, *in can. quia Corpus, in can. Panis est, in can. revera de Consecr. dist.* 3. *in can. in quadam* 8. *de* 54
Celebr. miss. in can. non oportet, in can. in Sacramento, in can. omnia de Conf. dist. 2. *Trid. sess.* 13. *cap.* 4.

(ff) Forma posita est.

Essentialis forma verborum, quibus Corpus Christi per se conficitur, hæc est: *Hoc est corpus meum;* Item essentialis forma verborum, quibus Sanguis Christi per se conficitur, in his verbis consistit *hic est Calix Sanguinis mei*.

Res est valdè controversa, an forma consecrationis Calicis in solis illis verbis posita sit: *hic est Calix Sanguinis mei*.

Innocentius XI. damnavit hanc Propositionē: .. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore .. Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet Lex, .. Conventio, aut periculum gravis damni:

Sèd licet hæc Propositio versetur tantummodò circa Sacramentorum administrationem, prout verba extrinsecè sonant; tamèn cum scopus hujusce damnationis sit, ne frustrationi Sacramentum exponatur; ideò pertinet etiam ad valorem.

Et quod attinet ad Eucharistiam, ità loquitur Cardenas explicans hanc *primam Propositio-* 55
nem

nem diss. 2. *cap.* 4. *& n.* 47. .. Et Sapientissimi .. DD. censent, in solis illis prioribus verbis .. formam consistere. At S. Thomas, & plures .. alii censent reliqua omnia verba esse essentia.. lia, sine quibus non erit valida Consecratio .. Calicis; sed, quià hæc secunda est tutior pec.. cabit lethaliter Sacerdos, qui sine reliquis om.. nibus verbis consecraret.

Tonellus tamèn in suo Enehyridio multò post damnationem ejus Propositionis exarato *Tit.* 8. *in notis ad Can. missa* hæc habet *n.* 2. .. In Con.. secratione Calicis probabilius est, esse de essen.. tia Sacramenti sola verba, hic est Calix San.. guinis mei, vel hic est Sanguis meus, ut cum .. aliis probat Leander *p.* 2. *Tract.* 7. *disp.* 9. q. .. 21. Ratio convincens est, quià etiam in Litur.. giis Græcorum sequentia verba non leguntur .. & n. 24. addit, quòd, si quis in Consecratione .. Calicis diceret, hic est Calix novum Testa.. mentum in meo Sanguine, fieret Sacramentum, .. quia hanc formam verborum ponunt S. Lucas .. cap. 22. sui Evangelii, & D. Paulus 1. Cor. 11. .. Nihilominus, qui uteretur hac forma, sicuti .. qui alia verba superioris Formæ omitteret, .. peccaret mortalitèr.

Reipsa nihilominùs hæc Tonelli Doctrina minimè attingit difficultatem, an, post Oraculum Sedis Apostolicæ, sint cætera verba essentialia judicanda, ut *D. Thomas* sentiebat.

(gg) Transubstantiatio.

Concilium Lateranense III. omnium, quæ in Europa habita fuerint, celeberrimum, celebratum sub Innocentio III. habenas Christiani Orbis gubernante, qui ipsi Concilio præfuit, anno 1215. habitum enim fuit in ædibus egregiis Lateranensibus. Vocem *Transubstantiatio* approbavit; verba enim Concilii, quę referuntur *in cap. firmitèr de Summa Trinitate, & Fide Cath.* sunt hæc .. In .. qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus .. Christus: cujus Corpus, & Sanguis in Sacra.. mento altaris sub speciebus Panis, & Vini ve.. racitèr continentur, transubstantiatis Pane in .. Corpus, & Vino in Sanguinem potestate Di.. vina.

56 Hinc est, *Transubstantiationem* passim in aliis Juris nostri locis vocari, eandem hanc admirabilem transmutationem. Ut in *cap. cum Martha de celebr. miss.* ibi: *quam ipse Christus expressit, cum in Corpus, & Sanguinem suum Corpus transubstantiavit.*

Imò et Bessarion Archiepiscopus Constantinopolitanus, eandem usurpare vocem, videtur in *Libro de Sacramento Eucharistiæ, & verbis, quibus Consecratio peragitur* ibi .. Quibus dictis mox .. Consecratio fit, transubstantialitas perficitur, .. consumatur Sacramentum (*& deinde*) Verun.. tamèn, concurrere Patrem, ac Spiritum S. .. Filio, in hoc Divino opere transubstantialita.. tis, fas est a Fidelibus credi.]

Et Concilium Tridentinum jure optimo *sess.* 13. *cap.* 4. hæc habet: *qua conversio convenientèr, & propriè a Sancta Eccl. Transubstantiatio est appellata.*

[hh] Nulla alia Vox &c.

Si de Voce quæstio sit, Nomen *Transubstantiationis*, invenitur in dicto Concilio Lateranensi omnium frequentissimè. Sed si de re ipsa agatur, certè *Transubstantiatio*, idest substantialis transmutatio, semper cognita fuit in Sancta Ecclesia, quoscumque PP. antiquos evolvas; ut videre est apud Bellarminum in *Apologia contra Regem Angliæ cap.* 8. *pag.* 75.

In gratiam studentium Juri Canonico, qua voce apud antiquos Canones *Transubstantiatio* explicaretur, exemplis propositis, verbisque relatis plurimorum Canonum declarabo. 57

Mutatio I. vocatur *in can. re verà verf. quod si tantùm de Conf. dist.* 2. ibi: *Quod si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de Cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elemētorum?* & similis est Textus *in can. Panis est ead dist. & Tit.*

Conversio II. vocatur *in can. quià Corpus verf. quanta itaquè* ibi: *novum, & impossibile videri non debeat, quod in Christi substantiam terrena, & mortalia convertuntur.* Et Berengarius *in Concilio Romano sub Gregor. VII.* in Ecclesia S. Salvatoris, post longo tempore dogmatizzatam impietatem, errasse se coràm Concilio frequenti, confessus, veniamque postulans juravit hac, præter alia verba, formula usus: *Panis, & Vinum substantialiter convertuntur in veram, ac propriam, & vivificatricem carnem, & Sanguinem D. N. Jesu Christi. Unde Conversio hac vocatur substantialis.*

Transfiguratio III. vocabatur: En S. Ambrosium *L.* 4. *de Fide ad Gratianum Augustum cap.* 5. ibi: *Nos autèm, quotiescumque Sacramenta sumimus, quæ per Sacra Orationis Mysterium in Carnem transfigurantur, & Sanguinem.* Idemque D. Ambrosius *in can. si credas de Conf. dist.* 2. ibi: *& offeras transfigurandum Corpus in altaribus*, junge tamen ad hunc Textum *Glossa intelligentiam in verbo rectè.*

Transelementatio IV. vocabatur: En Theophilactum, *in Marci* 14. *caput*, ibi: *Idcirco misericors Deus, nostrę infirmitati condescendens, speciem quidèm Panis, & Vini servat in virtutem autèm Carnis, & Sanguinis transelementat.*

Transformatio V. vocabatur: En eumdem Theophilactum *in caput* 6. *Joannis*, ibi: *Transformatur enim arcanis verbis Panis ille, per mysticam benedictionem, & accessionem S. Spiritus in Carnem Domini.*

Sed nulla alia vox, ità convenienter, ità propriè exprimat admirabilem hanc conversionem. Ut enim generatio Naturalis, quod forma in ea mutatur, rectè, & propriè transformatio dici potest: Ità etiàm, quòd in Sacramento Eucha-

ristię

ristiæ tota unius rei substantia, in totam alterius rei substantiam transeat, verbum transubstantiationis rectè, & sapienter a majoribus nostris inventum est; atque hac explicatione in-
58 telligè, quæ obitèr, & cursim diximus *Lib. 1. Tit. 1. in Explicat. Verbo reliqua n. 23. in fine*.

Et de hoc nominis invento, eleganter Bellarminus *Lib. 3. cap. 23 pag. 259. in Contr.*

(*bb*) *Ex Liturgia S. Joannis Chrysostomi &c.*

Græcorum missale, quod in Sacrificio Missæ ad-
59 hibent, inscribitur: *Missa D. Joannis Chrysostomi*: eaque Greco Idiomate conscripta est.

[*ii*] *Non extat Divinum Praceptum &c.*

Hoc deducimus ex Bellarmino *L. 2. cap. 31. de*
60 *effectu Sacramentorum*, qui ait deinde .. Tamen .. ob multas, easque gravissimas causas, visum .. est Ecclesiæ, & ipsi Spiritui S. qui eam regit, .. ut Sacramenta non non ministrentur lingua .. vulgari &c. eademque habet Casalius de Sacramento Eucharistiæ, & alii supra citati *ad Tit. de Sacramentis in genere*. Qui docent, non vulgari sed communi lingua utendum, ut fusius alibi declaratum est.

[*ll*] *Formamque variari existimabis.*

In Grecis liturgiis animadvertere datur, non easdem omnino dictiones, totidemque verba quot Latini adhibent adnumerari. Præscribit Basilius, ex D. Jacobi exemplari in suo compendio iste:
61 λαβετε φαγετε τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, idest: *accipite, comedite, hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*.

Et posteà super Calice: πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, idest: *bibite ex eo omnes hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, in remissionem peccatorum*. Quæ dictiones prorsus eędem, & a B. Joan. Crysostomo Basilianę Liturgiæ abbreviatore sunt reservatę, & suis commendatæ.

Vides in Basiliani Liturgia deficere verbum *enim*, deficere verba, & *aterni*, deficere, & illas dictiones *mysterium fidei*.

Sed hinc infert Theologus ille singularis Doctrinę Layman, *de hoc Sacramento cap. 3. assert. 3.* Formam Consecrationis in his verbis quæ deficiunt, quæ non recitantur a Græcis non consistere, idemque observat Tonellus *ubi supra*.

Ideò si invenimus in Missa D. Clementis hæc sola verba: *Accipite ex eo, comedite: hoc est corpus meum, quod pro multis comminuitur in remissionem peccatorum*; Si invenimus in consecratione Calicis hæc alia dumtaxat verba adhiberi: *bibite ex eo omnes, hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem*; idem quod Layman considerat, asserendum est; Cui adstipulatur novissimè Arsdechin *in Tom. 2. Part. 2. Tr. IV. cap. 4. §. 1. n. 6. pag. 257.* ibi .. Ad essen- .. tiam formæ pertinent tantum hęc verba hoc .. est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei. .. Reliqua tamen verba novi, & æterni testa- .. menti &c. sine gravi peccato omitti non pos- .. sunt. Idque ex Cathechismo quoq. infertur §. verum, ibi .. Nam, cum inquit, hoc est Corpus .. meum: hic est Sanguis meus: nemo ignorare .. qui modo sanę mentis sit, præsertim cum de .. humana Natura sermo habeatur (& *infra*) .. cum ex ipsius Domini professione, & fide .. nostra Caro ejus vere sit cibus.

Præclare etiam, Matthęus Vesteapellius, *de Sacrosancto Sacrificio Missa cap. 12.* ibi .. Etenim .. licet cuique suas, seu Ecclesiæ suæ traditas, .. quam religiosissimè ajamus observandas formulas, Grœcis gręcanicas, Latinis latinas, .. Syris Syriacas, atque ita de aliis judicandum .. Ecclesiis universis: attamèn ubiquè eadem .. substantia; utcumque accessoriæ qualitates, .. atque accidentia alia pro tempore, loco, idiomate variari inveniantur. Dummodò ergò .. enuntiati hę partes: hoc est corpus meum: hic .. est Calix Sanguinis mei, sartæ maneant, ac tectæ: Salvo cujusque Ecclesiæ ritu, partium ,, cętcrarum hinc indè accessiones si defuerint, pec- ,, cati notam creabunt, frustrari effectu volentem ,, perficere Sacerdotem non poterunt.

Nec adversatur hactenus, circa formam Ro- 62
manae Ecclesiae, seu circà verba expositis, quod D. Ambrosius videatur aliquid omittere in Ambrosiano missali, *relato in can. Panis est de Consf. dist. 2. §. vis scire*, ibi: vis scire, quià verbis Cœlestibus consecratur? Accipe, quę sunt verba. ,, Dicit Sacerdos. Fac nobis inquit, hanc oblatio- ,, nem adscriptam rationabilem, acceptabilem, ,, quod est figura Corporis, & Sanguinis D. No- ,, stri Jesu Christi: qui pridiè quàm pateretur in ,, sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad ,, Cœlum, ad te Sancte Pater omnipotens æterne ,, Deus gratias agens benedixit, fregit, fractumque ,, Apostolis suis, & discipulis suis tradidit dicens: ,, accipite, & edite ex hoc omnes: hoc enim est ,, Corpus meum, quod pro multis confringetur. ,, Similiter, & Calicem postquam cænarum est pri- ,, diè quàm pateretur, accepit, respexit ad Cœ- ,, lum ad te Sancte Pater omnipotens æterne De- ,, us gratias agens benedixit, Apostolis, & Disci- ,, pulis suis tradidit, dicens: accipite, & bibite ,, ex eo omnes; *hic est enim Sanguis meus*. Ergò ex hoc Textu videtur D. Ambrosium suis prefixisse formis quod in Liturgiis Gręcis est auditum.

Sed *Resp.* quod etsi appareat ex præscripto D. Ambrosii juxta verba adducti Textus (Quid quid sit de Ambrosiano Missali] aliqua verbo-

rum

rum trauspositio, non tamèn omittit quę ad essentiam formæ spectant.

Sed gravior secundo loco se offert difficultas, ex supra citata D. Joannis Chrysostomi Liturgia: Nam post enunciatam hucusque Græcorum consecrandi formam postquam Diaconus
63 ofrenderit cum horario sanctum Panem dicit Sacerdoti εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον, idest: *benedic Domine Sanctum Panem*. Et Sacerdos exurgens benedicitter Sancta munera dicens secretò: Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σοῦ, idest. *fac quidem Panem hunc preciosum Corpus Christi tui*: Diaconus post hæc ait; *amen*; & rursus Diaconus: εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ποτήριον, idest: *benedic Domine Sanctum Calicem*. Et Sacerdos benedicens ait: τὸ ἐν ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σοῦ, idest: *Qui autem in Calice est sito preciosum Sanguinē Christi tui*. Ex quibus inferri posse videtur, hanc potiùs esse formam gręcanicam, in Consecratione Eucharistiae venerabilis adhiberi solitam.

Agnovit difficultatem P. Natalis in Theologia Dogmatica; Ejusque respousione utemur.

Nempè illis precibus non postulari a Deo transmutationem physicam Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Christi D. quę jam, jamque verbis ipsius Salvatoris facta supponitur, sed postulari transmutationem moralem, idest ut profit ad effectum spiritualem, quod quidem virtute Spiritus Sancti perficitur nonminus, quàm Panis, & Vini Transubstantiatio, patet hoc ex Verbis sequentibus, ibi: *Ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ*.

Unde in Actis Concilii Florentini hęc habentur.. De Divino autem Sacrificio quæsitum .. est a Latinis, quomodò prolatis Christi ver- .. bis, *hoc est Corpus meum, quod pro vobis* .. *frangitur, in remissionem peccatorum*, & il- .. lis *bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis* .. *meus &c.* & sanctis donis per hæc sancti- .. ficatis, vos postea hanc additis Orationem, .. dicentes: & fac Panem quidem hunc pretio- .. sum Corpus Christi tui, quod verò in Calice .. est pretiosum Sanguinem Christi tui transmu- .. taus Spiritu Sancto- Id sic portò resolutum .. est: fateri nos diximus per hæc verba tran- .. smutari Sanctum Panem, & fieri Corpus Chri- .. sti; sed posteà quemadmodum, & ipsi dictis .. (jube perferri dona hęc per manus Sancti An- .. geli tui super Cœleste altare tuum.) Ita & .. nos quoque oramus, dicentes, ut Spiritus S. .. descendat super nos, & faciat in nobis Pa- .. nem hunc pretiosum Corpus Christi, & quod .. est in Calice pretiosum Sanguinem Christi .. transmutetque illa Spiritu S. suo, ut fiant acci- .. pientibus in emendationem Animę. Ex quo loco Concilii Florentini actuum, responsio supra tradita egregiè confirmatur, nec opus est aliquid adiicere.

(mm) Ex vi Sacramenti.

Hæc verba deduximus ex Cathechismo *in §. in quo tamen* de Sacramento Eucharistiæ, & optimè concomitantiam hanc explicat Textus *in can. hoc est, de Consecrat. dist. 2.* 64

(nn) Accidentibus.

Species, et figura Panis, & Vini, quæ se prodit, nonnumquam accidentia quoque vocatæ 65
sunt. Ut in Concilio Constantiensi, dum reprobat Joannis VVicleff illum articulum: *Accidentia non manent sine subiecto in eodem Sacramento*. Similiter de accidentium appellatione habetur, *Textus in cap. cum Martha §. quæsivisti de Celebr. missarum*, ibi.. Prętera potest dici, .. quod aqua non transit in Sanguinem, sed re- .. manet prioris Vini acccidentibus circum- .. fusa.

Formam, & Speciem, quæ nobis apparent vocat Textus, in *can. hoc est 48. de Consf. dist. 2.* ibi.. Caro ejus est, quam forma Panis opertum .. in Sacramento accipimus, & Sanguis ejus .. quem sub Vini specie, & sapore potamus.

Et in *can. qui manducant §. ita ideo de Consf. dist. 2.* ibi.. quod videtur speciem habet corporalem.

Et in *can. corpus* ib. dum ait.. quod, cum per ,, manus hominum ad illam visibilem speciem ,, perducitur.

Figura etiam vocatur accidens ut extrinsece apparens *in can. utrum de Consf. dist. 2.* ibi.. Dum .. Corpus Christi, & Sanguis virtute Spiritus .. Sancti in virtute ipsius, ex Panis, & Vini .. substantia efficitur: figura verò est id, quod .. exterius sentitur.

Cur vero misericors noster, & mitissimus Redemptor sub speciebus, & accidentibus latere voluerit exponunt plurimi Canones: veluti Textus *in can. Panis 55. de Consf. dist. 2.* ibi.. ut nul- .. lus horror cruoris fit, & pretium tamen re- .. demptionis operetur.

Temporibus Tertulliani constat, Gentiles nos culpare solitos, quod carnibus vesceremur humanis, ut patet ex Apologetico *cap. 5. n. 1.* in cujus medio habentur hæc.. Hæc quo magis re- .. futaverim, a vobis fieri ostendam, partim in .. aperto, & partim in occulto per quod forsitàn .. & de nobis credidisti (*& infra*) Erubescat er- .. ror vester Christianos, qui ne animalium qui- .. dem Sanguinem in epulis esculentis habemus; .. qui propterea quoque suffocatis, & mortici- .. nis abstinemus, ne quo Sanguine contamine- 66
.. mur quare christianos dicebant *Antropbagos*

Atque ad hanc ineptam Gentilium criminationem, accusationemque respicit Textus a nemine consideratus *in can. utrum 72. de Consf.*
dist. 2. ibi.. Nihil rationabilius, ut quià nos jàm 67
.. similitudinem mortis ejus in Baptismo acci- .. pimus, similitudinem quoque carnis ejus su- .. mamus, & similitudine pretiosi sanguinis .. potemur. Ità ut et veritas non desit in Sa- .. cramento, & ridiculum nullum fiat Paga-

.. nis,

.. nis, quod Cruorem occisi hominis bibanus.

(oo) *Ut Leo Pontifex scribit &c.*

Ita scribit Leo Pontifex in *ean. in quibus de Conf. dist. 2. in fine*, ibi .. Quid hic quæris Naturae ordinem in Christi Corpore, cum præter Naturam fit ipse D. Jesus Christus partus ex Virgine; Unde, & elegantèr Vida cecinit in Hymno de Eucharistia.

Ergo age prisca fides nostro succurre labori
Quod renuunt sensus ratio quod nostra refutat
Ipsa doce, in tenebrisque tua nos erige luce.

Verba reliqua deduximus ex cathechismo. §. *sed illud*.

(pp) *VVicleffus quod tam ineffabilem conversionem &c.*

Id deduximus ex VIII. sessione Concilii Constantiensis, quod damnat hos tres primos Articulos Joannis VVicleff. *I.* Articulus hic erat; *Substantia Panis materialis, & similiter substantia Vini materialis manent in Sacramento altaris.* II. articulus: *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* III. articulus: *Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præsentia Corporali.*

68 Et vide *Tomo 12. Conciliorum* præclaram ad Concilium Constantiense appendicem.

Atque ad explicationem uberiorem quod mutationis physicæ regula, metienda non sit hæc admirabilis transubstantiatio; adducam verba Cathechismi in §. *sed illud de hoc Sacramento*, .. ibi .. Sed illud sæpissimè a Sanctis PP. repetitum Fideles admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit: nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus mutationibus aut in ipsa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus.

Et idem Cathechismus in §. *tertium* ibi .. Nam cum antea demonstratum sit Corpus Domini, & Sanguinem verè in Sacramento esse; Ità ut amplius nulla subsit Panis, & Vini substantia, quoniàm ea accidentia Christi Corpori, & Sanguini inhærere non possunt: relinquitur, ut supra omnem Naturæ ordinem ipsa se nulla alia re nisa sustentet; & ad hoc citar in hac eadem *sess. Concil. Constantiens.*

Et Canisius, vir singularis doctrinæ, ex insigni Relligione Societatis Jesu in Summa Doctrinæ Christianæ §. *hic duo Lit. B.* hæc habet .. Vere stupenda, solaque fide metienda transmutatio, quæ omnipotente Christi Virtute per ea ipsa verba operante fit.

[qq] *Sed sunt adhuc Sacramentarii &c.*

Non est hoc loco consilium confutandi errores Sectariorum; Nam id luculenter inter alios executus est *Bellarminus lib. 1. cap. 2. lit. F. in Controvers. de hoc Sacramento*, & novissime *Arsdecbin Tom. 1. cap. 4. de Sacramento Eucharistiæ*. Aliqua solum, ne omninò Sectariorum impietatem tacitus omittam, hic enunciabo - Calvinus errorum signifer, inter alia deliramenta, docet cum suis, Symbola Cœnę tantum esse in terra, Corpus autem Christi tantum esse in Cælo; Nec verò ipsum Corpus Christi ad nos descendere, sed quandam vim substantialem ex Christi Carne ad nos derivari, per Spiritum ejus tamquam per Canalem quendam, sicut Sol suã substantiam, quodammodo ad nos traiicit; Docetque fieri per fidem. Fides enim (ut ait) apprehendit Christum, in Cœlo existentem, & eum nostrum facit, ut participare possimus bona ipsius; Itaque fit coniunctio per cogitationem - Ità narrat *Bellarminus, ubi supra Gonzales, in cap. 1. extra de Custodia Eucharistiæ* Luterani suam illam excogitarunt Impanationem, idest interpetrantur, contra fidei nostrae, *SS. PP.* & consensum totius Ecclesiæ, panem cum Corpore Christi in Eucharistia permanere ut narrat *Arsdecbin. ubi supra in cap. 4. de Impanatione Lutherana*. Eorumque Dux Martinus Lutherus *in Libro de Captivitate Babilonis cap. 1.* ait inventam fuisse D. Thomę transubstantiationem admirabilem, & hanc opinionem fuisse a Lateranensi Concilio approbatam *in cap. firmiter de Sum. Trin. & Fide Cath.* 69

Sed ut alia omittam, quæ ad ipsum confutandum cumulat Bellarminus; Errat Lutherus in historia. Quià D. Thomas nondum ad auras Vitales editus erat, nondum procreatus, cum ea Constitutio Canonica in *d. cap. firmiter* edita fuit.

Veruntamèn infallibili Sacri Concili Tridentini auctoritatę docemur, *in sess 13. cap. 1.* totum Christum esse in hoc Sacramento, adversus Lutherum; Docemur verè realiter, & substantialiter sub specie rerum sensibilium contineri adversus Calvinum, qui indignissimo fane flagitio, verba a *SS.* Euangelistis commemorata ad fictitios, & imaginarios tropos detorquet.

Quare in hos contentiosos, pravosque homines, sectariosque alios extant *canon 1. 2. 3. 4.*

Omitto innumeras auctoritates innumeros Canones *sub dist. 2. de Consecrat*, & argumenta ex historia Ecclesiastica, quarum est ingens copia; mirumque est in eniti qui ita se obdurent contrà veritatem manifestam.

Sed quoniàm circà errores versamur, stultasque hæreticorum nequitiam cursim, atque obiter Ophitarum heresim enarrabo.

Ex Valentiniani schola, quæ & Gnosticorum dicta est, progressa fuit insulsissima hæresis *Ophitarum*, cujus auctorem fuisse Euphratem quemdam tradit *Origenes L. 6. contr. Celsum*. Dicti Ophitę a serpente, quòd, ut ait *Iren. L. 1. cap. 34. in fine* Sapientiam serpentem factam dicerent, & agnitionem hominibus

immi-

immisisse; Imò *Tertullianus de Praescript. cap.* 7. in tantum eos serpentem magnificasse tradit, ut illum ipsi Christo praeferrent; Atque etiàm introducerent ad benedicenda Eucharistia sua, cum videlicet, ut ait *S. Augustinus de haeres. ad quod vult. Deum*, eorum Sacerdotes incantationibus quibusdam operarentur, ut egrediens de caverna serpens ascenderet super altare, & oblationes eorum lamberet involuens se circa eas: sic verò quasi a serpente Christo sanctificatus confringebant in Eucharistiã, ac Populo tradebant. Narrat Spondanus ad Baronium anno 145. n. V. Sed haec deliramenta sacrilega, Daemonumque iniquissima invena commemorasse breviter sufficiat, ad intelligentiam Textus *in can. quidam* 24. *q.* 3. ubi condemnantur.

(rr] Nemo hoc Sacramentum &c.

Sacerdos solus est idoneus ad Eucharistiam conficiendam, & verba quae adduximus in Titulo, integrè deducta sunt *ex cap.* 1. §. & *hoc*
70 *utique extra de Summa Trinit. & Fid. Cath.* eademque transcribit *Cuccus L. 3. Inst. in hoc Tit.* §. *Nemo autem*.

Atque haec Doctrina tam certa est, ut contrarium asserere sit haeresis. Patet ex *can. gravis est de Conf. dist.* 2. *ex can. utrum ib. ex can. absit* 11. *q.* 3. *ex can. doctos* 16. *q.* 1. *ex can. ecce* 95. *dist.*

Et ratio est quia solis Sacerdotibus Christus dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, tradit *Beatus Germanus, in commentario ad Liturgiam Chrysostomi*, ibi.. Ipse dixit, hoc est .. Corpus meum, hic Sanguis meus. Ipse etiã .. Apostolis praecepit, adeoque per illos universae Ecclesiae hoc facere. Hoc enim (inquit) .. facite in meam commemorationem. Non praecepisset hoc facere, nisi vim, ac facultatem .. qua id fieri posset inditurus esset [& *infra*) .. Hic [idest *Spiritus S.*) per manum, & linguam Sacerdotum mysteria perficit, ac consumat: habetur *in can. dictum* 96. 1. *q.* 2.

Quare prima Nicaena Synodus *can.* 18. *hoc supponens*, ait.. Pervenit ad Sanctam Synodum .. quod in nonnullis locis, & Civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod nec .. Canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, his qui offerunt, .. dent Corpus Christi, *Textus in can. pervenit dist.* 93.

Idemque Concilium *in actis apud Gelasium Cyzicenum*, ibi.. Intelligamus situm in sacra .. illa mensa illum Dei Agnum tollentem Peccata Mundi incruente a Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius Corpus, & Sanguinem vere nos sumentes credere hęc esse .. nostrae resurrectionis Symbola.

Est verò notatu digna hęc Nicoeni Concilii auctoritas, qua Calvinistarum haeresis Sacrificium incruentum adorta profligatur, ultrà alias infinitas auctoritates. Et incredibile est quam multis ridiculis glossematis eludere vim hanc conetur Calvinus *L. 4 Inst. cap. 14. Sect. 36.* sed latetem lavat ut dicitur, errantis enim misera perfugia sunt.

(ss) Secundum Claves.

Presbyteri nomine tenus, non consecratione, & caracteris impressione creantur apud haereticos; 71
cùm legitimis Episcopis destituti sint, a quibus sacram ordinationem per continuam ab Apostolis profectam successionem accipiant; Ideo per meram extrinsecam deputationẽ ministros pseudo Ecclesiae suae creant.

Hi plane, qua confidentia Christi obire institutum, & consecrare audent? ut Calvinistae more suo faciunt perperam, expertes omnis auctoritatis, unctionis exortes, putantes tamen Christi Redemptoris exequi voluntatem, atque ordinationem. An non hęc similia sunt delirantis, aut Marci illius Magi, de quo *Epiphanius haeresi* 34. qui cum non ignoraret prophanis, & maximè mulierculis, nullam esse spem consecrandae a se Eucharistię, quod tamen his cupiebat persuasum, in vitro perspicuo vinum album exibebat iis, quod cum ipse suis fascinis, atque incantationibus in rubrum convertisse videretur, illae se precibus, & formulis recitatis id effecisse, & Christi verum Sanguinem confecisse persuadebantur. Aut similia sunt stultitię Collyridianorum, qui Dei genitrici putarunt, muliebrem sexum sacra quaedam oblatis libis posse facere, ut narrat S. Epiphanius his verbis hęresi 79. - Mulieres quaedam currum, .. seu sellam quadratam adornantes ac linteo .. desuper extento solemni tempore per aliquot .. dies panem proponunt, & in Mariae Nomen .. offerunt -

Quam hęresim sic refellit Sanctus Antistes .. Si Sacerdotium Mulieribus mandatum foret, .. aut canonicum quiddam praestare in Ecclesia .. liceret, nulli prorsus, quam MARIAE illud .. in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit, cui tantus honor est habitus, .. ut gremio, suuque suo Regem omnium, ac .. coelestem Deum, Deique filium exciperet; .. Verùm longè Deo aliter est visum: ac ne .. baptizandi quidem potestas est illi facta: .. cum alioqui tingi ab illa Christus potiùs .. quàm a Joanne potuisset.

(tt) Neque officit Validitati &c.

Hoc egregiè statuit Sancta Tridentina Synodus *sess. 7. can.* 12. ibi: Si quis dixerit ministrum .. in peccato mortali existentem, modò omnia 72
.. essentialia, quae ad Sacramentum conficiendũ, .. aut conferendum pertinent servaverit, non .. conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.

Cum ergò Canones quidam negant haereticos Eucharistiam posse conficere, Intelliguntur I. ut licitè

licitè Hæretici non consecrent. II. ut Virtutem Spiritus Sancti non habeant pro se ipsis (*ut ait Lauria in Epitome Canonum Verbo Ministri*) III. ut si vel careant intentione, vel caractere, vel in forma, vel in materia non conveniant cum Sancta Dei Ecclesia, utique Consecratio ineffabilis non sequatur.

73 Age jam hac doctrina præmissa, proponamus quorundam Canonum auctoritates, & earum sensus illicò tali illato lumine percipietur.

In *can. extra* 1. *q.* 1. scriptum est .. extra .. Catholicam Ecclesiam non est locus veri Sa- .. crificii.

In *can. si quis ead. Caus. & q.* scriptum est: .. ad hæc omnia, & illud malum; ut Antistes .. Diaboli audeat Eucharistiam facere, quandò .. nec sanctificari oblatio illic possit, ubi Spiri- .. tus S. non sit.

In *can. manifestum ibid.* ibi .. in Alexandrina .. Sede omnium Cœlestium Sacramentorum lu- .. men extinctum, intercepta est Sacrificii oblatio.

In *can. in Ecclesia ibidem*, ibi .. in Ecclesia Dei, .. quę Corpus Christi est, aliter nec rata sunt .. Sacerdotia, nec vera Sacrificia.

Verum hi Canones hunc sensum habent, ut, dum statuunt, Hæreticos invalide consecrare, intelligant, dum ritè non sint ordinati, & Eucharistiam consecrare velint, ità interpetratur *Alexander Natalis in Theologia Morali*, *& Dogmatica circà hoc Sacramentum*. Prætcrea dum statuunt Canones, Hęreticum non posse consecrare, intelliguntur cum Gratię effectu, nam consecrât ad damnationem sui, ut colligitur *ex can. fin.* 15. *q. ult. ex can. schisma* 24. *q.* 1.

Eodemque pacto Presbyter degradatus conficit *cap.* 2. *de Sacramen. non iter.* ibi .. *celebravit*. Quià Caracter Sacerdotalis, in quo potestas celebrandi sita est, consecrandique, ab homine tolli nequaquàm potest. Ergò Sacerdos quamquam hęreticus, & pręcisus ab Ecclesia, si in forma Ecclesiæ celebret, validè conficit, quamvis illicitè *can. nos dicimus*, *can. aurum* §. 1. *can. si quis a simoniacis* 1. *q.* 1. *can. sic populus*, *can. edit Deus*, *can. illi offerunt ead. C. & q.*

(*uu*) *Ut a fidelibus sumeretur*.

Hæc sunt verba Concilii Tridentini *sess.* 13. *cap.* 5. *vers. neque enim*, ibi .. neque enim ideò minus est adorandum, quod fuerit a Christo D. .. ut sumatur institutum.

[*xx*] *Suum Corpus &c.*

Hæc alia verba sunt *in Clem. un.* §. *transiturus de Reliquiis*, *& vener. Sanct.* ibi .. Corpus in cibum, & Sanguinem in poculum tribuendo.

(*yy*) *Utque Apostoli &c.*

Hæc verba sunt Concilii Tridentini *in cap.* 1. *sess.* 22. *vers. quos tunc*, ibi .. & ejusdem, eorumque, in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, pręcepit.

[*zz*] *Competit unicè Sacerdotibus. &c.*

Hæc assertio significat, quod ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam Christiano populo solis Sacerdotibus competit ex Christi Institutione; Nam soli Sacerdotes ratione ordinationis suae, adeòque ex officio potestatem habent super Christi Corpus conficiendum, consequenter etiam dispensandum aliis.

Undè Tridentina Synodus meritò hęc pronunciat, *in sess.* 13. *cap.* 8. In Sacramentali autem .. sumptione semper in Ecclesiæ Dei mos fuit, .. ut Laici a Sacerdotibus communionem acci- .. perent; Sacerdotes autèm communicantes, se .. ipsos communicarent.

Falsum est, omnes Christianos in Sacramentis ministrandis parem obtinere potestatem; In quo *extat can.* 10. *Concilii ejusdem sess.* 7. *de Sacramentis in Genere*, ibi .. si quis dixerit Christia- .. nos omnes in verbo, & in omnibus Sacra- .. mentis administrandis habere potestatem, ana- .. thema sit.

Cum tempore Concilii Rhemensis quidam Presbyteri in tantum parvi penderent Divina mysteria, ut Laico, vel fæminae Corpus traderent, ad deferendum infirmis - *Hoc horribile, & detestabile vocatur, in can. pervenit* 29. *de cons. dist.* 2.

Unde D. *Paulus* 1. *ad Corinthios* 4. ibi: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei.*

[*aaa*) *Sacerdos debet esse Pastor Ordinarius*.

Pastor Ordinarius est S. Pontifex Ordinarius Ordinariorum, Episcopus, Parochus.

Parochia est partitio cutę, nam populi cura partita fuit inter Ecclesias Parochiales *cap.* 1. *de Parochiis*, *clem. dudum de sep.* 74

Parochia sumitur, juxta antiquos Canones pro tota Episcopi Diæcesi - *can. si quis ordinatus* 92. *dist. cap.* 1. *de Rapt.* - sed post Dionisium Pontificem, qui divisit Parochias, & Jus proprium cuique Parocho assignavit *in can. Ecclesias* 13. *q.* 1. ibi .. Ecclesias singulas singulis Presbyteris .. dedimus Parochias, & Cæmeteria eis divisi- .. mus, & unicuique, jus proprium, habere sta- .. tuimus: Ordinarium Jus, vel constitutum, vel confirmatum est in Parocho. Quare et populi Rector vocatur in *can. sicut in unaquaque* 21. *q.* 3. *in cap. ut quisque* 3. *de Vita*, *& Honest. cler.*

Hinc Parochis Jura competunt non pauca; Inter quæ illud, ut Parochiani debeant a proprio Parocho Eucharistiam venerabilem accipere, ut deducitur *ex cap. omnis utriusque sexus de*

Pan. & Remis. & ex *Clem. Relligiosi de Privil.* fusè probat *Barbosa de Officio Parochi*, *Bassaus verbo Parochus in supplemento*. Ratio est, quià Sacramentorum administratio est actus Juridicus, undè qui recipit venerabilem Eucharistiam subesse debet, *d. clem. Relligiosi can. placuit de Pan. dist. 6.*

(bbb] Clemens Papa Regulares subiicit &c.

En verba Clementis V. *in Clementina prima, de Privilegiis* - ibi .. Relligiosi, qui Clericis, aut
.. Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel
.. Eucharistię ministrare, matrimoniavè solemnizare, non habita super his Parochialis
.. Presbyteri licentia speciali (& *infra*) præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

Ad hujus Clementinę interpetrationem, & explicationem, aliqua Juris studioso admodum
75 profutura subnectam.

Tractari potest de intelligentia hujus Clementinæ I. secundum Jus Commune. II. inspectis Privilegiis emanatis à *S. Sede* Apostolica.

Jus Commune præscribit, ut nihilominus valeat Parochianus alibi communionem Sacram recipere; si Parochi permissus, consensusque accesserit: Ideò si Curatus, aut Parochus nondum sit Sacerdos hanc potest subditis suis Fidelibus indulgere licentiam *cap. cupientes de Panis - cap. placuit de Pœnitent. dist. 6.* aliosqite casus suggerit *Glossa in d. Clementina verbo Presbyteri*.

Venio ad Privilegia emanata a Sede Apostolica.

76 Ecce; Leo X. Fratribus Minoribus concedit, ut, licentia Parochi non requisita, Eucharistiam ministrare possint, quæ concessio legitur apud Rodriguez - Imò de licentia Fratris Sacristę ejusdem Relligionis, Sacerdotes etiam sæculares in eorundem Relligiosorum Templis possunt ministrare Eucharistiam sine licentia Parochorum. Ità concessit Julius 2. Fratribus Ordinis Minimorum apud Rodriquez, & concessionis tenor, hic est .. Ut in Ecclesiis suis, quoties opus fu-
.. erit, possint ministrari facere Sacramentum Eu-
.. charistiæ Curialibus, Mercatoribus peregrinis,
.. & transeuntibus, ac aliis quibuscumque per-
.. sonis.

Nicolaus V. *anno* 1458. 28. *Septembris* concessit Monasterio Beatæ Mariæ de Guadalupe Ordinis, ac Familiæ D. Hyeronimi facultatem, ut illi mendicantes possent, etiàm in Die Paschatis etiàm repugnantibus Parochis Sacramentum Eucharistiæ administrare: Ex quo Bassæus ità argumentatur. Cum hoc Privilegium sit jam commune omnibus Monasteriis dicti Ordinis, sequitur, alios Ordines Mendicantium ejus esse participes: Nec ista Privilegia sunt per non usum revocata; nam Pius IV. Sixtus V. Paulus V. in Bulla *iniuncti nobis* 1. *decemb.* 1609. Privilegia Minorum, & Prædicatorum, per non usum etiam revocata, roboravit.

Cœterùm hæc Bassæi opinio in praxim a Regularibus non est deducenda.

Et extat Declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium ad Eminentissimum Cardinalem Boncompagnium his verbis emanata .. Conquesti sunt
.. coràm Sanctissimo D Rectores Ecclesiarum
.. Parochialiū istius Civitatis de Patribus Thea-
.. tinis, & Societatis Jesu, quod asserere audent,
.. Personas laicas assumentes in eorum Orato-
.. riis seu Congregationibus Eucharistiæ Sacra-
.. mentum in die Paschatis, Ecclesię Præcepto
.. satisfacere, cumque id minimè sit permissum,
.. sed fideles Sacram Communionem tempore
.. Paschali, a proprio, vel ab alio, de ipsius
.. Sacerdotis licentia suscipere teneantur, San-
.. ctitas sua jussit, Eminentiæ suæ significandum,
.. & sub Pæna suspensionis a Divinis, & aliis
.. sibi bene visis, id prohibeat præfatis Relligio-
.. sis, moneatque ipsos Laicos, Sacramentum
.. Eucharistiæ, ut supra, de manu proprii Pa-
.. rochi teneri suscipere, ut Ecclesię præcepto
.. satisfaciant. Ità igitur pro sua Pastorali pie-
.. tate omninò curabit Eminentiâ vestra, cui me
.. humiliter commendo. Romæ die XX. Mar-
.. tii 1638.

Eminentiæ vestrę Reverendissimæ.

Humillimus Servus
Cardinalis Verospius.

Utque alia recenseam privilegia: Paulus III. concessit anno 1545. in Bulla *Dilecti*, ut Relligiosi Societatis Jesu possint Eucharistiam Fidelibus ministrare, excepta Eucharistia in Paschate.

Ex concessione insuper Clementis IV. et Sixti IV. pro Benedictinis indulgetur, ut eorum Famuli commensales continui sumant tempore Paschatis in eadem Monasterii Ecclesia Eucharistiam; Imò eadem nostra Clementina, in cujus explicatione versamur, hoc indulget *in* §. *sane de Privilegiis*, ibi .. Sane Relligiosis illis, quibus
.. est ab Apostolica Sede concessum, ut Fami-
.. liaribus suis domesticis, aut Pauperibus in
.. hospitalibus suis degentibus, Sacramenta pos-
.. sint Eucharistica ministrare, nullum ex præ-
.. missis volumus, quoad hoc præjudicium ge-
.. nerari. Huc quoquè pertinet Concilium *Trid.*
.. *sess.* 24. *ca.* XI. *vers. nec non alios*.

(ccc] Olim quidem usitatum fuit, ut Diaconi &c.

Hoc patet ex Concilio Cartaginiensi IV. *cap.* 37. relato *in can. præsente* 18. *dist.* 93. ibi .. Præ-
.. sente Presbytero Diaconus Eucharistiam Cor-
.. poris Christi populo, si necessitas cogat, jus- 77
.. sus eroget.

Patet ex *can. Diaconi* 23. 93. *dist.* ibi .. Et sicut
.. in

.. in Sacerdotio ministratio, ita in ministro est
.. Sacramenti dispensatio.

Et Clemens Papa *in can. tribus de Conf. dist.* 2. .. tribus Gradibus commissa sunt Sacramenta .. Divinorum Secretorum, idest Præsbytero, Diacono, & Ministro.

Clemens idem *L. 8. Const. cap.* 34. ibi .. Diaconus non baptizat, non offert; offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dat populo; non veluti Sacerdos, sed veluti ministrans Sacerdoti.

Concilium Ancyranum, quod habetur *in can. Præsbyteros* 32. *dist.* 50. §. *Diaconi* hæc habet .. Diaconi, qui immolaverunt [*Idolis*) cessare autem debent ab omni Sacro Ministerio ita, ut nec Calicem, nec Panem offerant, nec Evangelium pronuncient, nisi fortè aliqui Episcoporū conscii sint laboris eorum, & cęt.

Ubi notetur cum Morino *lib.* 2. Exercit *cap.* 12. verba illa *Calicem efferant* mendum incuria Typographi continere, legendumque esse *Calicem deferant*, vigente olim consuetudine communicandi sub utraque specie *Concil. Aquisgranense cap.* 7. Unde *Arator Lib.* 1. *Histor. Apost.* ibi:

Vera Ministerii Sacris Altaribus apti
In septis sequere viros, quos undique lectos
Levitas vocitare placet, quam splendida cœpit
Ecclesia fulgere, munus, qua pocula vitæ
Misceat, & Corpus cum Sanguine porrigat agni.

(*ddd*) *Sed postea talis exolevit Consuetudo.*

Hæc verba ex *Layman deduximus de Sacramento Eucharistiæ cap. 7. n. 2. vers. posteà verò*, ibi ..
78 .. Posteà verò talis consuetudo exolevit; præter quamquod ob rationabilem causam necessitatis, si nullus idoneus Sacerdos adsit &c.

Itemque his ferè verbis utitur Cabassutius in Scientia Canonica *L. 3. cap.* 15. ibi: Præsens Ecclesiæ Praxis, & jam inde a multis Sæculis inveterata Consuetudo præcipuum, ac Ordinarium Diaconi Officium, in eo constituit, ut Evangelium in Missa solemnitèr decantet; Sacerdotique Sacrum facienti proximè assistat. Sub primitiva tamèn Ecclesia, præcipuum, & ordinarium Diaconi ministerium in hoc consistebat, ut communicantibus ad Sacram Mensam fidelibus Sacrum Calicem porrigerent Unde *S. Ambrosius L.* 1. *Officior. cap.* 41. introducit Martyrem Laurentium sic compellantem Sixtum Pontificem ad Martyrium properantem .. Experire, utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem. Et S. Cyprianus tractatu de Lapsis, sic ait: Persistit tamèn Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit.

S Justinus Martyr in *extrema Apologia* 2. testatur moris fuisse, ut Diaconus Sacram Eucharistiam ad Fideles absentes deferret.

(*eee*) *Si Nullus adsit idoneus Sacerdos &c.*

Unde Gelasius Pontifex *in can. Diaconos dist.* 93. hęc habet .. Diaconi Sacri Corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu Præsbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.

Et audiantur verba *Layman. L. 5. Tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 2. *vers. quamvis* ibi .. Quamvis talis necessitas nunc rariùs occurrit quandò, & major Sacerdotum numerus est, & Sacra Eucharistia populo in una tantum specie dispensatur: cujus dispensatio minus Diacono convenit, quam alterius speciei, teste S. Thoma art. 3. ad 1. Duran. in 4. dist. 13. q. 4. n. 7. Quia Corpus Christi propinquiùs à dispensante attingitur, quam Sanguis Sacratus, qui in Vase continetur.

(*fff*) *Extra Sacrificium nemo se ipsum Communicabit &c.*

Habetur in *cap. ex parte de celebr. Missarum*, 79
ibi .. Sacerdos postquàm totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum.

Et Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 8. ibi .. In Sacramentali autèm sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autèm celebrantes se ipsos communicarent.

In *Can. nullus* 57. *in fine de Conf. dist.* 1. *idem habetur*.

In *can. relatum est* 11. *de Conf. dist.* 2. hęc habentur .. Nam quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergò modis omnibus est tenendum, ut quotiescumquè sacrificans Corpus, & Sanguinem Jesu Christi D. Nostri in altari immolat, totiès perceptionis Corporis, & Sanguinis Christi participem se præbeat.

Et Gelasius Papa Majorico, & Joanni Episcopis, ita scribit *in can. comperimus eod. dist. de Conf.* ibi .. Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo Corporis Sacri portione a Calice Sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.

Atque elegans historia narrari potest hoc loci, 80
dum agimus de Sacerdote, qui se ipsum communicat. Nàm in Romana Ecclesia consuetudine receptum fuit, ut Episcopus, qui a Romano Pontifice consecrationem, recepisset communicaret super altari, quo die consecrabatur, de parte Sacræ Hostię quam ei Papa consecrator porrexerat, de reliquis autem ejusdem Hostiæ partibus, per insequentes 40. dies communicabat novus Episcopus, dieque 40. perficiebatur totius Hostię consumatio: *Cabass. secul. 2. Diss.* 5. *pag.* 30.

Tulbertus Episcopus *Epist.* 2. narrat: In Gallia fuisse hunc usum, ut novi Sacerdotes, dum ordinarentur, reciperent ab Episcopo Hostiam Consecratam, involutam in candidissima Pergamena, quæ ab ipsis accipiebatur minutatim intra 40. dies quotidiè sumendo in memoriam 40. dierum, in quibus Salvator post Resurrectionem, cum suis Discipulis commoratus est.

S. Lucianus Presbyter, cum Nicomediæ sub immani persecutione Diocletiani detineretur in Carcere supinus jacens, & hunci colligatus, petiit sacra Symbola suo nudo pectori superimponi, quo perinde atque altari usus rem divinam fecit, & post peractam consecrationem, se communione divina refecit, *Simeon Metaphrastes*. En ostendimus, Sacerdotes a se ipsis venerabilem Eucharistiam accipere.

[ggg] *Quamquàm primis V. Seculis.*

Qui vel primoribus labris, ut dicitur, Historicam degustarint antiquitatem, noverint
81 primis V. Seculis, etiàm in manus Laicorum Eucharistiam dari solitã fuisse, deducitur ex Gregorio Papa Magno *L.* 3. *Dialogorum cap.* 36. & D. Ambrosio, in *Orat. de Satiro fratre suo.*

Unde Basilius, in *Epistola ad Cæsariam Patritiam*, hæc habet: In Eremus solitariam uitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi asservantes a se ipsis communicent. Mulieres verò non nuda manu Eucharistiam accipiebant, sed mundo linteo, super quod a Sacerdote Corpus Christi deponebatur inter earum manus, quod Dominicale vocabatur, Concilium Antisiodorense anni 578. *can.* 36. & 42. ibi - .. ut unaquæque Mulier, quando communicat, .. Dominicale suum habeat.

Postquàm verò Priscillianistæ hæretici per Hispaniam Eucharistia ad Magica abutebantur præstigia, Concilium Toletanum primum anno 405. & Cæsaraugustanum *can.* 3. jusserunt, acceptam Eucharistiam in ipsa Ecclesia per communionem absumi. At extra Hispaniam pristina consuetudo ulterius duravit aliquo temporis intervallo: *Cabassutius d. Seculo* 2.

Suarez verò *disputat.* 72. *sect.* 3. probabiliter docet, quod si Laicus, in articulo mortis constitutus, careat idoneo ministro, qui Eucharistiam tribuat, scandalo cessante, se ipsum queat communicare; confirmatque exemplo Reginæ Scotiç, quæ in Anglia martyrium subitura Sacramentum Eucharistiæ, quod secum habebat, propriis accepit manibus.

(*hhh*) *Infantibus Eucharistia danda non est.*

Hoc aperte deducitur *ex cap. omnis utriusquè sexus extra de Pæn. & Remiss.* dum jubet, com-
82 munionem recipere eos, *qui ad annos discretionis pervenerint*. Atqui infantes planè vacant hac perfectione discernendi, rationis usu carent propter ętatis imbecillitatem, neque sacram Eucharistiam a commuui, & prophano pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre possunt; unde nec ad alios actus admittuntur *can. parvuli* 22. *quæst.* 2.

Et audiatur Canon elegans in *can. in Ecclesia de Cons. dist.* 4. ibi.. In Ecclesia Salvatoris, .. per alios parvuli credunt: sicut ex aliis ea, .. quç illis in Baptismo remittuntur, peccata .. traxerunt: nec illud cogitetis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corpo-.. ris, & Sanguinis Christi.

S. Carolus in Instructionibus de prima puerorum communione, in Synodo Diœcesana IX. ita statuit: Illos antem, (pueros) qui decennium attigerunt, hebdomadæ Septuagesimæ initio accersant, & singillatim instruant, atque crudiant ad cognitionem, cultumque Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

(*iii*) *Præbendi hoc Sacramentum Infantibus.*

Infãtibus etiã lactentibus olim administrabatur Eucharistia, eorũque infundebatur ori Christi Sãguis de Sacro Calice, cujus Communionis meminit S. Augustinus *epist.* 107. ad Vitalem, sic dicens.. Scimus, parvulos secundum ea, quæ .. per Corpus gesserunt, recepturos vel bonum, .. vel malum, undè et ipsi, sicut dixi, si in il-.. la parva ætate moriuntur, utique secundum .. ea, quæ per Corpus gesserunt, idest tempo-.. re, quo in Corpore fuerunt, quando per cor-.. da, & ora gestantium crediderunt, quandò .. baptizari, vel non baptizati sunt, quandò .. carnem Christi manducaverunt, vel non man-.. ducaverunt, quando, & Sanguinem biberunt, .. vel non biberunt, secundum hæc ergò, quæ .. per corpus gesserunt, judicabuntur.

Et Nicænum Concilium in *Can.* 10. ibi.. Na-.. ti benedictionem accipiant, secundum Eccle-.. siæ legem, & constitutionem, nimirùm post .. quadragesimum a nativitate diem, nec ultrà .. hoc tempus differendum est: sed baptizentur, .. & Christiani efficiantur sine ulla cunctatione, .. ut sacram suscipiant Eucharistiam, & edant .. panem, & vinum bibant, quæ sunt caro, & .. Sanguis Domini, & Dei nostri Jesu Christi.

Et *Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 4.. Denique .. eadem Sacrosancta Synodus docet, parvulos .. usu rationis carentes nulla obligari necessita-.. te ad Sacramentalem Eucharistiæ Communio-.. nem (& *infra*) Neque ideò tamen damnanda .. est antiquitas, si eum morem in quibusdam .. locis servavit aliquandò.

Quare, & Paulinus Poeta vetus *Epist.* 12. ad Severum versus commemorat a se factos, quos in Basilicæ Nolanæ Baptisterio scribi, incidique, voluit:

Inde

Inde Parens Sacro ducit de Fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu:
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Cruda salutiferis imbuit ora cibis.

Fuit insuper receptissima Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudo, quam narrat Evagrius *lib.* 4. *Hist. Eccl. cap.* 36. pueros ex scholis accersendi ad comedendas Eucharistiæ particu as, quæ de populi communione supererant, ne situ corrumpentur.

Tandèm, hùc confert S. Dyonisii testimoniū *de Eccles. Hierarchia cap.* 3. dicentis .. Illud verò, quod pueri quoquè, qui non possunt intelligere divina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctæ signorum participes fiant.

(kkk) Probet seipsum, qui ad Sacram Synaxim accedet.

Nunc agimus de ea præparatione tanta sollicitudine a Conciliis, a PP., a Summis Pontificibus inculcata.

Audi Textum in *can. qui scelerate de Cons. dist.* 2. ibi .. Qui scelerate vivunt in Ecclesia, .. & communicare non desinunt, putantes, se .. tali communione mundari, discant, nihil ad .. emendationem sibi proficere, dicente Propheta, quid est, quod D. lectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid Carnes Sanctæ auferent a te malitias tuas? Et Apostolus: probet autem se ipsum homo, & sic de .. pane illo edat &c.

Et Basilius Episcopus ex 8. Synodo ut est in *can. timorem de Conf. dist.* 2. ibi .. Timorem .. docet nos Apostolus dicens: qui manducat, .. & bibit indignè, judicium sibi manducat.

Egregie *Concil. Trid.* tripliciter, ait, Eucharistiam sumi; I. Sacramentaliter tantùm, sicuti sumunt Peccatores; II. Spiritualitèr tantùm, sicuti illi, qui votum, & desiderium habent illius; III. Spiritualiter, & Sacramentaliter, & hoc modo sumitur ab iis, qui dignè accedunt *sess.* 13. *cap.* 8. *& can.* 8.

(lll) Præmissa Confessione.

Quidā apud Cajetan. in *Sum. ver. cōmunio princ.* & super I. ad *Corinth. cap.* 2. negarunt, ullū præ-
83 ceptum Divinum, vel Ecclesiasticum extare de Sacramentali Confessione præmittenda.

Sed hoc falsum est, docente his verbis Tridentino *sess.* 13. *cap.* 7. Ecclesiæ autèm consuetudo .. declarat, eam probationem necessariam esse, .. ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantùm sibi contritus videatur, absque præmissa .. Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam .. accedere debeat.

Cum igitùr Concilium Ecclesiastica consuetudine nitatur, cujus initii nulla extat memoria, satis declarat, esse hanc Apostolicam traditionem, aut Apostoli ea de re præceptum tradiderint, aut hoc præceptum, a Christo acceptum, promulgaverint.

Audi hac de re Canonem a paucis observatum, *in can. panem* 64. *de Cons. dist.* 2. ibi .. Panem Cœlestem spiritualiter manducare est .. innocentiam ad altare apportare; Peccata, .. etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera, .. antequam ad altare accedatis, attendite, quod .. dicatis, dimitte nobis debita nostra, sicut & .. nos dimittimus debitoribus nostris.

Et Basilius magnus *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 3. ibi .. Oportet igitur, accedentem ad Corpus Christi, .. & Sanguinem D. ad rememorationem ejus, .. qui pro nobis est mortuus, non solum purum .. esse ab omni inquinamento Carnis, ac Spiritus &c.

Et idem *lib.* 2. *de Baptismo cap.* 3. ibi .. mundemus itaquè nos ab omni inquinamento (differentia verò inquinamenti, & immunditiæ .. sapientibus est manifesta) atque ità ad Sancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus.

Et S. Cyprianus in *Sermone de Lapsis*, ibi .. quicumque ederit panem, aut biberit Calicem D. indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis D. Spretis his omnibus atque contemptis vis infertur Corpori ejus, & Sanguini.

Et Hesycius Presbyter Hyerosolimitanus in *cap.* 26. *Levitici*, ibi .. Probet autèm se ipsum .. homo &c. Qualem probationem dicit? idest, .. ut in corde mundo, atque conscientia, & .. pœnitentiam eorum, quę olim deliquit, intendenti, participetur *Sanctis* ab ablutionem .. peccatorum suorum.

S. Chrisostomus, *Homilia decima in Matth.* ibi: Tempus quidem Confessionis ęquè et lotis Baptismate, & illotis, prophanisque incumbit: illis quidèm, ut post patentia criminum vulnera pœnitentia interveniente curentur, & ad Sacra Mysteria redire mereantur: .. his verò, ut ablutis in Baptismo maculis ad .. Dominicam Mensam munda jam conscientia .. accedant.

( ) Notoriè impenitentes &c.

Expressè id decernitur in *can. pro dilectione* 95. *de Conf. dist.* 2. in *can. placuit* 23. *q.* 5.

(mmm) Excomunicati interdicti.

Ut decernitur, *in can. si non sunt* 15. *de Conf. dist.* 2. 84

(nnn] Hæretici.

De his extat prohibitio *in can. pœn. & fin.* 24. *q.* 1.

(ooo) Raptores &c.

Hac de re Textus Canonici habentur *in can. indignè* 12. *q.* 2. *in can. quisqu*[illegible] *q.* 1.

(ppp] Sce-

[ppp] *Scenici Histriones.*

Venerabilis Eucharistia non est Histrionibus danda *can. pro dilectione de Conf. dist.* 2.

Intelligitur tamèn hujusmodi prohibitio, sub conditione, nisi convertantur, ut patet, *ex can. Scenicis eod. dist. de Conf.* ibi .. Scænicis atquè .. histrionibus, cœterisque hujusmodi Personis, .. vel Apostaticis conversis, vel reversis ad Do- .. minum gratia, vel reconciliatio non negetur; Notat Lauria *in Epit. Can.* verbo *Eucharistia quibus neganda.*

Prætereà Textus *in cap* pro dilectione loquitur de Histrione, *qui sit Doctor non erudiendorum, sed perdendorum Puerorum*:

Undè Stephanus de Gaeta *in can. ad Limina* 33. *q.* 1. *n.* 152. hæc habet: Intellige de Histrionibus illis, qui illicitè artem illam exercent. Ubi aut in ars Histrionum sine mortali exerceretur, non videtur eis communio deneganda. Itèm intellige, si sit notorius seu manifestus, & perseveret, quià est infamis, alias videtur, quod possit dari arg. not. 86. *dist. donare*.

Undè et Villalobos, *in Paradox. Juris cap.* 9. Histriones moderatos eo modo, quem exigit pudor, ab omni infamia immunes defendit.

Quare Joculatores illi detestabiles sunt de quibus loquitur *Concil. Mogunt. in cap.* 1. *extra ne cler. vel Mon.* quos vocat *turpis verbi*, *vel facti* Joculatores; Nam proprii corporis spectaculum in scænà, ant ludo hujus generis homines exhibent.

Et Clemens Alexandrinus de his ita loquitur L. 3. *Pedag. cap.* 11. *probibeantur spectacula, & acroamata, quæ nequitia, verbisque obscenis temerè profusis vana sunt; Quod enim turpe factū non ostenditur in Theatris?*

D. Hieronimus in Vita Hilarionis T. 1. ibi: *credens in Dominum Jesum non circi furoribus, non arena Sanguine, non theatri luxuria delectabatur.*

Hinc Tiberius Cœsar Histriones Roma exturbavit, arteque ea interdixit, quod et mulieres ignominia afficerentur, & turbas darent *Dion. Cass. L.* 57. *histor.*

Inter justas Causas, ob quas Vir Uxorem repudiabat, illa erat, si Circensibus ludit, vel arenarum spectaculis, marito prohibente, interfuissent L. 8. *L. Consensu §. vir quoque C. de Rep.*

Ideò, & donare Histrionibus his, immane dicitur peccatum, *in can. donare* 86. *dist.*

Histriones addebant illud crimen gravissimum, quòd in spectaculis irridebant mores Christianorum, & Catholicæ fidei mysteria. Quarè cum Genesius mimus in Theatro Imperatore spectante causam nostræ Religionis illuderet, repente Dei Virtute quod jocosè jactabat seriò agere cæpit, se Christianum aperta confessione proclamans; Quod et de Dioscoro Archithеatro, ad Alypium refert S. Augustinus *epist.* 67.

Igitur a Matrimonii Sacramento, tales Histriones repellebantur: Audi Concilium Illiberinum *can.* 67. ibi: *prohibendum, ne qua fidelis, vel Cathecumena, aut comicos, aut Viros scænicos habeat.*

Et Can. 62. - idem Concilium non priùs scænicos ad Baptismi Sacramentum admittit, quam artibus suis renuncient, ibi: *si Augurtis, aut Pantomimi credere voluerint, placuit, ut priùs artibus suis renuncient.*

Quod si scænici post Baptismum vinculis ejusdem criminis implicarentur, ab aliorum etiam Sacramentorū susceptione repellebantur - Ab ordinibus repulsos liquet, ex *Innoc.* 1. *Epist.* 24. *ad PP. in Toletana Synodo cap.* 2.

Et tandèm Eucharistiæ venerabile Sacramentum his denegabatur, ad quod explicandum tendit hæc omnis expositio, patet ultra traditа ex Concilio Cartaginensi III. *can.* 35. & ex Concilio Cartaginensi VII. *can.* 2.

[qqq) *Meretrices.*

Meretrix est mulier, quę multorum libidini patet *can. vidua dist.* 34. *Meretrix* (inquit) est, *qua multorum libidini patet*; in cujus expositione, verbo, *qua multorum*, mirum est, quàm turpia, & a vero jurium, quæ citat, sensu abhorrentia, retulerit *glossa*, volens, ut Meretrix plures, quàm 23. millia hominum admiserit *argum.* (ut ait) *cap. disciplina* 45. *dist.* sed piget, has nugas referre. 85

Jàm ad rem. Meretrices in perpetuo statu damnationis vivunt; non igitur ad hoc Eucharisticum Convivium admittendæ, quoniàm eorum peccatum est publicum, & donec cognita fit Pœnitentia, debet ei denegari; *Stephan. de Gaeta in repet. in can. ad limina* 33. *q.* 1. *q.* 106.

Quare multis in locis extat localis prohibitio expressa, ut neque perseverantes in tali statu damnationis Meretrices Ecclesias ingrediantur, ut Florentiæ prohibitum fuit non semel ex Lege Ecclesiastica Archiepiscopi, anno 1577. die 27. Aug. & die 30. April. an. 1640. notat *Sabellus in verbo Meretrix.*

[rrr] *Energumenos &c.*

Inveniuntur Canones, qui Energumenis sacram interdicunt communionem, & alii qui ab hac Communione obsessos a Dæmone non excludunt. 86

Accipe itaque quomodò se res habeat.

Si tales energumeni sint qui propter publica scelera tamquàm rescissi, & excomunicati ab Ecclesia, Diabolo traditi sint ad vexationem secundum *Apost.* 1. *ad Corint* 5.

Item si constet, aut præsumi possit, propter scelus, adeòque in statu peccati incidisse in Dæmonis potestatem.

Addo insuper, si energumeni absque irreverentia Sacramenti communicari nequeant - his

om-

omnibus Casibus a Sacro hoc Convivio, in quo Christus sumitur, repelluntur, sive non admittuntur.

Exceptis similibus casibus vexati diabolica afflictione non excluduntur.

Quod jàm facilè explicatur excurrendo per variam Juris Canonici, & Historicæ antiquitatis notitiàm.

Concilium Arausicanum *in can.* 14. hæc habet: *Energumeni baptizati, si de purgatione sua curent, & se sollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodè communicent Sacramenti ipsius Virtute.*

Idque usitatum fuisse olim in Ecclesia, docet Prosper Aquitanicus *L. 4. prædict. cap. 6.* qui miraculum refert, quo Dæmoniacus sumptione Eucharistiæ liberatus est.

Joannes verò Cassianus *Collat. 7. cap. 29. & 30.* ubi *Serenus* post multa, hæc habet: *nec enim secundum Evangelii Sententiam, quàm congrue huic sensui coaptatis: Nolitè Sanctum dare canibus, ad Dæmonis escam Sacrosancta communio, & non potius ad purgationem ac tutelam Corporis, Animaque pervenire credenda est, qua, ab homine percepta, eum, qui in membris ejus insidet, Spiritum, seu in ipsis latitare conatur, velut exurens, fugat incendio.*

Et Pius Papa non absolutè energumenis interdicit sacram cõmunionẽ, sed ità loquitur *in can. communiter diffinimus dist. 33. ut nullus de iis, qui aut in terram abrepti a Dæmonibus elidantur aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscussè se ingerant Sacramentis Divinis exceptis illis, qui corporis incommoditatibus dediti sine hujusmodi passionibus in terram prcbantur elisi.*

Sed, è contrario, auditur quàm aliter loquatur Concilium Illiberinum *can. 20. Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum: neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret.*

Erratico autem spiritu exagitatos intelligit hic Canon Dæmonum energiis, & afflictionibus vexatos; Lactantius *L. de Falsa Rell. cap. 10.* Dæmonem interrogatum ab Apollinis Sacerdotibus quis esset? quid ageret? edito responso, refert, dixisse, spiritum erraticum se esse, ipsoque erratico discursu torqueri, de qua re hæc Carmina refert.

Dæmones errantes per terras, & mare semper
Æternas pendunt Divino verbere pœnas.

Ut redeam ad Canonem explicandum: I. iste Canon vetat, ne recitetur nomen Energumeni ad altare. Ex quo patet, eos non fuisse Sacri Corporis Jesu Christi participes; quia illiolim in Ecclesia offerebant Panem, qui sanctæ Communionis futuri erant participes, et eorum nomen, qui panem obtulissent per Diaconum ex sacris tabulis recitabatur, habetur *in can. de nominibus de Consecr. dist. 1.* II. docet ille Canon, Dæmoniacos a sacris functionibus semper repulsos. Unde, *et Can. 78. Apost.* habet *Quod, si quis Dæmonem habeat Clericus non efficitur, sed nec cum fidelibus preces fundito, mundatus verò recipitor, & si dignus fuerit, efficitor*, & similes Canones habentur sub 33. *dist. in Decr. Grat.* & hac de re videndus *Gibal. de Irreg. cap. 3. q. 2. Conf. 8. n. 22. Diana P. XI. Tract. 2. Res. 68.* qui docent, quod, si Energumeni ab obsessione liberati sint, promoveri possunt ad Ordines, nisi ex memoria recentis morbi maneant aliquæ infamiæ notę, & occasio offensionis, prout intelliguntur Canones, qui refragari prima fronte videntur ut *can. fin. vers. nec enim, 25. q. 1. & can. Clerici 33. dist. & can. maritum ibid.*

Ut ergò quoad Ordines aliquandò Energumeni non censentur excludendi; ità & de sacra communione dicendum. Undè pro coronide hujus explicationis adiiciam verba *Mendozza in Concil. Illib. can. præcepit: ut intelligeremus etiã non omnes qui molestantur a Dæmone altaris ministerio, & communione removeri; alios enim Energumenos, nec propter peccata, nec omnino mente privatos, quibus hoc decretum non congruit, recenset* Jann. *Cassianus.*

(sss) Et si qui Clerici &c.

Notetur hoc loco necessaria quædam antiquitatis notitia. Si Clerici e Gradu Clericali ob aliquod crimen dejecti fuissent, & in ordinem 87
plebis redacti ad communionem laicam damnati dicebantur, idest debebant sumere Eucharistiam extra septa Altaris cum Laicis. Ità Hadrianus II. Photio concedit laicam communionem si Conciliabuli sui gesta damnaverit. Syriacus Papa laicam communionem concedit redeuntibus ab hæresi *Epist. 1.*

Et de hac communione laica, hæc habetur, *in can. 76. Concil. Illib.* ibi: *Quod si alius detexerit (Diaconum) post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.*

Etenim olim ad percipiendam sacri Corporis communionem diversa loca fidelibus erant præscripta: Intrà Cancellos enim Ecclesiæ, quos hodie chorum vocamus, & in Ecclesiis minoribus capellam majorem non intrabant laici, nec ibi orare, aut communicare poterant, quod ex D. Ambrosii facto probatur narrante *Niceph. L. 12. hist. Eccl. cap. 41.* Theodosium enim Imperatorem, post oblatum munus ad altare, intra cancellos hærentem, per Diaconum interrogari jussit, numquid vellet, quod istic hæreret: dicenti se nihil aliud velle quam videre sacrorum mysteriorum functiones: Ea, inquit ille, istinc videre tibi non licet, habent in Dei templo Sacerdotes, habent, & Laici locum suum.

Unde Concilium Laodicenum *cap. 19.* ita decernit: *solis Ministris altaris licet ingredi ad altare, & ibidem communicare.*

Ad hanc igitur laicam communionem Clerici degradati redigebantur.

Hinc qui se de sede in sedem temere transtulissent

lissent Episcopi, laica communione privabantur Conc. Sardicensa can. 1. ibi: *sic omnibus placet hujusmodi pernicies savius, & aust rius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi placet.*

Huc pertinet can. 50. Concilii Agatensis ibi: *Quandiu vixerit tantum laicam communionem accipiat.*

Huc pertinet Syricius Epist. 2. ibi: *ut laicus communicet.*

Non tamen negaverim, interdum in Jure Canonico veteri, sumi laicam communionem pro illa societate, quæ fidelium commercium est. Quasi privare communione Presbyterorum, Clericorum, Episcoporum, & concedere solam societatem cum Laicis, idem sit, ac redigere ad laicam Communionem, & ità intelligi, puto can. eos 18. de Consecr. dist. 4. & can. 15. Apost. & can. 50. Concilii Agath. ibi *Quamdiù vixerit tantùm laicam communionem accipiat*, & Textus in can. accidens 50. dist. Videatur Morinus L. 2 Exerc. cap. 4. 8. & 9.

Hinc facile etiam intelligitur, quid significent Sacri Canones, dum aliquem ad peregrinam communionem damnant, ut Concilium Agathense can. 2. ibi: *contumaces Clerici, ab Episcopis corrigantur, & si qua prioris gradus elati superbia communionem, idest consortium cæterorum fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur.*

Significat ergo hic Canon, quod Clerici delinquentes non amplius Clerici, sed cum Peregrinis censebantur.

(ttt) An sępius eadem die? &c.

88 D. Thomas q. 80. artic 10. ad 2. docet, non permittere Ecclesiam eadem die fideles semel, atque iterùm communicare: deducitur ex can. sufficit 53. de Conf. dist. 1. docet Layman. L. 5. Tract. 4. cap. 5. n. 5.

Ratio, quæ ex Sacris Canonibus deducuitur, hæc est: ut representetur unitas Dominicæ Passionis, & ex hac parte major veneratio redundet ad ineffabile hoc Sacramentum, notat Petrus de Palu. in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. Concl. 2.

(uuu) An saltèm quotidie?

89 Super hoc articulo monemus, Innocentii XI. Decretum extare circa communionem quotidianam, quo vetus ambiguitas resecata est Innoc. XI. die 15. Februarii anno 1679. decretum publicavit, cujus tenor hic est, *in §. & propteteà: et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram Alimoniam accessus Confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In coniugatis autèm hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit, eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent Orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissima Eucharistia reverentiam continentia vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit; Non ut a frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè, pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius D. Corporis suavitatem degustet, &c.*

Cui Decreto consonus est Canon *quotidie de Conf. dist. 2. ibi: quotidiè Eucharistia Communionem percipere, nec laudo, nec vitupero* (& infra) *Dixerit quispiam, non quotidiè accipiendam Eucharistiam: alius affirmet, quotidie: faciat unusquisque, quod, secundum fidem suam, piè credit, esse faciendum.*

Ut dicebam hic Canon a sensu prolati Decreti non discedit. Multiplices enim sunt conscientiarum recessus, varię ob negotia spiritus alienationes, multę è contra Gratię, & Dei Dona Parvulis concessa, quę cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequentèr de frequentiori, aut quotidiano vitalis Panis esu potest constitui; Ideò servandum est jam prolatum Innoc. XI. Decretum.

Debitam quoquè suscipientis pręparationem, puritatem, animumque rectè dispositum supponit ille Textus in can. peracta 10. 10. de Conf. dist. 2. quo consuli videtur quotidiana communio, ait enim: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.*

Eundem sensum habet Fabiani Pontificis can. etsi non frequentius de Conf. dist. 2. ibi: *& si non frequentius, saltem in anno ter laici homines communicent.*

Eodem sensu accipitur Hilarius in can. si quotiescumque de Conf. dist. 2. ibi: *si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.*

Nam refertur ille Canon ad eos, qui caritate, pietate, devotione pręfulgebant, & summa cum pręparatione se dignos probaverunt Ecclesię ministris. Quod eveniebat primis Ecclesię temporibus, in quibus ea fidei constantia, ea animi Devotio, ea Pietas erat, ut Panem illum supersubstantialem frequenter susciperent. Hinc D. Cyprianus Serm. in orat. Dom. Eucharistiam quotidiè ad Cibum Salutis accipimus. Hinc Hyeronimus, Apolog. pro Libr. ad vers. Jou. scio,

Roma

Roma hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant.

Imò nec Missa celebrabatur, in qua fidelis non communicaret *d. can. peracta*; Notat Petrus Blesensis *sermon. 16. in Hebdomada paenosa.*

Inde est, quod collectę adhuc plurali numero pronunciantur: *Refecti Cibo, potuque Cælesti, &c.* & iterum: Sacramenta, *quæ sumpsimus, &c.*

Posteà fervore illo penè testincto, quater in hebdomada, & festis fideles communicare cœperunt, teste Basilio *ad Cæsaream Patriam*, ibi: *Nos quater in hebdomada communicamus &c.*

Gregorius Papa VII. cum Mathildi pro beneficiis in S. Ecclesiam collatis gratiam aliquam refette vellet, instructionem hanc misit. *in Epist. 47. & 50.* ibi .. inter cętera, quę tibi contra .. Principem mundi, arma, Deo favente, con.. tuli, quod potissimum est, ut Corpus D. fre.. quenter acciperes, indicavi &c.

Et Concilium Rhemense ann. 1583. hæc habet .. nos quoque fideles omnes hortamur, per .. viscera misericordię Dei nostri obsecramus, .. ut quam sępissime saltem verò diebus solem.. nibus communicent.

[xxx] *Sub una tantum Specie Panis.*

Primi omnium Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misnensis, quibus adhęsit Joan. Hus, qui
91 totam Bohemicam nationem, in suas partes traxerunt Communionem sub utraque specie, a Christo præceptam, ideòque ad salutem esse necessariam, asserentes. Lutherus autem, & Calvinus in hanc sententiam inclinantes ajunt, Ecclesiam Calicis usum subtrahere non potuisse.

Contra hos omnes S. Romana Ecclesia, quæ in suis decretis numquàm fallitur, S. Spiritus fulgore collustrata, docet, non esse necessarium præbere laicis Communionem sub specie Vini.

Quin potiùs ipse Christus duobus Discipulis in Emaus porrexit Eucaristiam sub specie Panis *Luc. 24.* ibi: *& cognoverunt eum in fractione Panis, & Joan. 6.* ait .. si quis man.. ducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum, & .. ibid. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro .. mundi vita.

Meritò igitur Synodus Constantiensis *sess. 13.* ità decrevit .. Cum in nonnullis Mundi partibus .. quidam temerarie asserere pręsumant, Popu.. lum Christianum debere Sacramentum Eucha.. ristiæ sub utraque Panis, & Vini specie susci.. pere: & non solùm sub specie Panis sed etiàm .. sub specie Vini populum laicum passim com.. municent (*& infra*) Hinc est, quod hoc pręsens Concilium Sacrum generale Constantien.. se in Spiritu S. legitimè congregatum, ad.. versùs hunc errorem saluti Fidelium provi.. dere satagens, matura plurium DD. tam Di.. vini, quàm humani Juris deliberatione præ.. habita, declarat, decernit, definit, quòd, li.. cet Christus post Cœnam instituerit, & suis .. discipulis administraverit sub utraque specie .. Panis, & Vini hoc venerabile Sacramentum: .. tamèn hoc non obstante, Sacrorum Canonum .. auctoritas laudabilis, & approbata Consue.. tudo Ecclesiæ servavit, & servat, quod hu.. jusmodi Sacramentum non debet confici post .. Cœnam (*& infra*) & mandetur auctoritate .. hujus Sacri Concilii, sub pœna excommu.. nicationis, ut effectualitèr puniant eos, con.. tra hoc decretum excedentes, qui communi.. cando Populum sub utraque specie Panis, & .. Vini exhortati fuerint, &, sic faciendum esse, .. docuerint.

Et Concilium *Basileense sess. 30.* hæc habet: .. Laudabilis quoquè Consuetudo communican.. di laicum Populum sub una Specie, ab Ec.. lesia, & SS. Patribus rationabiliter introducta, .. & hactenus diutissimè observata, & a Docto.. ribus Divinę legis, Sacrarum Scripturarum, .. atque Canonū multam peritiam habentibus, .. jam a longævo tempore commendata, pro lege .. habenda est, nec alicui licitum est, eam repro.. bare, aut sine auctoritate Ecclesiæ ipsam im.. mutare.

Huc confert Textus, *in can. qui manducat in can. ubi pars de cons. dist. 2. & Trid. sess. 21. cap. 1. & 2. & sess. 13. cap. 2. & 8.*

Sed, si libet antiquitatem historiæ Ecclesiasticæ percurrere, magis confunduntur adversarii, quibus ne hoc quidem perfugium reliquum est.

Nam Sozzomenus *L. 8. hist. cap. 5.* narrat, quod cum Vir quidam, & Mulier essent è secta Macedonianorum, audissetque Vir, D. Joannem Chrysostomum, resipiscens monere, hortarique cœpit uxorem, ut errores repudiaret; imo die quadam Maritus, nisi, ait, in divinis Mysteriis mihi communicaveris, nec vitę consors mihi eris imposterùm. Tum mulier, id se facturam, pollicita consilium aperit Ancillæ. Allapso igitur tempore Mysteriorum, mulier id, quod acceperat retinens, quasi Deum oratura caput sullinebat, Ancilla verò id, quod attulerat clanculùm ei tradidit. Quod cum Mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit.

Hinc licet arguere, quod, si eo tempore sub utraque Specie Venerabile Christi Corpus tribuebatur non potuisset Mulier illa sumptionem simulare.

Comprobatur, *ex can. comperimus 12. de Consecr. dist. 2.* qui Canon est decretum quoddam contra Manichæos, qui declinabant Sacri Cruoris potum, eò quod Dei Filium Sanguinem, verumque Corpus assumpsisse, negabant. Ad hæresim tegendam una cum Catholicis ad Communionem irrepebant, solumque Corpus sumebant sub Panis specie. Si Romæ libera non fuisset Communio, sub utraque Specie, quomodò latere Manichæi potuissent?

Addatur, quod parvulis sub una Vini Specie S. dabatur Eucharistia, *D. Cyprianus de Lapsis.*

Addatur, & illud, quod in Missa præsanctificatorum Corpus, & Sanguis non consecrabatur,

tur, sed Eucharistia antea consecrata sub sola specie Panis proponebatur, & sumebatur. Hujus ritus origo refertur ad Synodum Laodicenam, nàm in *can.* 49. ita decernit: *non oportere, in Quadragesima Panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantùm* - De eodem ritu Concilium Trullanum *cap.* 52. ibi: *in omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præter quàm Sabbato, & Dominica, & sanctâ Annunciationis die fiet Sacrum præsanctificatorum Martyrum.* Hunc morem adhuc observat Græca Ecclesia; Latina verò olim servavit, & servat adhuc die sancta Parascevis. Quæ dicta sint ad ostendendum, quàm falsò sibi persuadeant adversarii, omninò esse sub utraque specie sumendam Eucharistiam; potuitque procul dubio Ecclesia sub una tantùm specie Communionem imperare; sic trinæ immersionis in Baptismo veterem usum abrogavit Ecclesia justas ob causas in *Concil. Tolet.* 4.

Ergò &, ne Sanguis funderetur, aliasque justas ob causas, Communio sub utraque specie sublata est. Audiatur Rodulphus Abbas, qui floruit *sæculo* 12. &, Calicem a Laicis submoveri suadet his versibus.

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis, de Sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

Attamen ex privilegio singulari concessa quibusdam est Communio sub utraque specie; Tales sunt Reges Galliæ, in quorum inaugurratione sub utraque specie porrigitur ipsis Eucharistia; Tales etiàm sunt Diaconus, & Subdiaconus Ecclesiæ S. Dionisii propè Parisios, quibus datum est communicare sub utraque specie Dominicis, & solemnibus diebus; Atque hoc Privilegio gaudent etiam Ministri altaris apud Cluniacum, *P. Natalis de Euch. in Theol. Morali L.* 2. *Reg.* 2. *pag.* 409. *Basseus Verbo communio n.* 50. qui Pontificum indulta refert.

[yyy) Saltem singulis annis &c.

Venimus ad celebrem Concilii Lateranensis Constitutionem, quæ refertur *in cap. omnis utriusque sexus, de Pænitentiis, & Remissionibus*, undè a nobis desumpta sunt, quæ in Titulo po-
92 suimus. Omnia ergò, quæ jam adnotabimus, erunt, ad instar Commentarii ad hoc celeberrimum Decretum illustrandum.

Ante hoc Decretum ter in anno unusquisque Fidelis communicare tenebatur, *cap. & si non frequentius de consecr. dist.* 2. alioquin trinam hanc Communionem omittens, pro Christiano non habebatur; *can. Sæculares de Conf. dist.* 2.

Imò, & alicubi erat usus, quotidie communicandi *can. illa autèm dist.* 2.

Addo; omnes, qui intererant Sacrificio Missæ, quotidiè perfecta Consecratione communicabant, & voce Diaconi nolentes communicare admonebantur exire *can. peracta de Consec. dist.* 2.

Aliquandò in aliqua Provincia omni die Dominico erat venerabilis Eucharistia desumenda *Concil. Aquisgr.* 3. *P.* 4. *cap.* 2.

Ulterius omnes Ministri altaris debebant quotiescumque astitissent Sacrificio communicare, vel adducere causam, cur non communicassent, atque imminebat pena Excommunicationis *Concil. quod dicitur Apostol. cap.* 9.

Verùm flamma illa Caritatis restincta, quæ tamdiù in Fidelibus eluxerat, quaque erga hoc ineffabile Sacramentum ferebantur; saltèm Ecclesia mater benignissima, quæ suorum Filiorum Saluti modis omnibus consulit, voluit, mandavit, coegit severitate pœnarum, ut ad minus in Pascha tantum Sacramentum reverenter susciperetur, ait enim Concilium Lateranense in *d. cap. - omnis utriusque sexus: Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit* (& infra) *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum* (& infra) *Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens careat Christiana sepultura.*

Si jàm ad hujus Canonis expositionem quærimus, quatenùs obligationi satisfiat; an tempus videlicèt Paschę certis diebus comprehendatur? - Jam decisum est *ex Bulla Eugenii IV. qua incipit, Fide digna, edita die* 8. *Junii* 1440. *& habetur in Bullario Tomo* 2. *pag.* 200. Nam declaravit satisfactum esse huic Canoni, *si in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis Dominicæ, secundùm meliorem dispositionem conscientiæ, & aptiorem mentis devotionem, Fideles sanctum Eucharistiæ Pignus suscipiant; ut habet Fagnanus in hunc Textum n.* 41.

Quare tempus Paschæ intelligitur spatium quindecim dierum, a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè; *Basseus Verbo Communio sub n.* 6. *Layman. de Sacramento Euchar. cap.* 5. *n.* 8.

Attamèn quibusdam in locis speciali jure, hoc tempus totam comprehendit Quadragesimā, sicutì Mediolani teste *Laym. ubi supra* -

In Insulis Philippinis Fideles ex Indulto Apostolico, ob Sacerdotum paucitatem, & Populi frequentiam, quolibet anni die præcepto Ecclesiæ satisfaciunt ad viginti annos, & durante necessitate, judicio Episcopi, ut est notatum in *Libris publicis S. Congregationis Tomo* 23. *post paginam* 546. - Narrat *Fagnanus, ut supra n.* 47.

Si quærimus deinceps, qua ætate sit Fidelis ad Sacram Mensam excipiendus? - Rituale Romanum jussu Pauli V. editum hæc habet: Iisetiam, 93
„ qui, propter ætatis imbecillitatem, nondum
„ hujus Sacramenti (Eucharistiæ scilicet)
„ cognitionem, & gustum habent, administra-
„ ri non debet.

Quare non statim ac homo habet usum rationis, quo est capax peccati gravis, & obligatur confiteri, obligatur idcircò statim hac lege Paschalis Communionis; sed maturior ætas expectanda. Nam, ut inquit D. Augustinus *lib.* 1.

Con-

Confess. Corpus Christi cibus est grandium; & Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 4. hæc habet .. Denique .. eadem sancta Synodus docet, parvulos usu .. rationis carentes nulla obligari necessitate ad .. Sacramentalem Eucharistiæ Communionem - Quare arbitrio Parentum, & Confessorum relictum est, in qua ætatis parte incipiant Pueri habere discretionem sufficientem ad obligationem præcepti communicandi; Quibus, si facto examine, constiterit, eos sufficiens rationis Judicium habere ad discernendum sacrum Eucharistiæ Cibum a communi, & prophano, & ad percipiendum tam admirabilis Sacramenti gustum concipiendamque ipsius idoneam cognitionem, procul dubio, etiam ante decimi, vel undecimi anni ætatem necessitate præcepti eos obstringi, admonere debebunt, hæc monet *Cathechismus Parte* 3. *de Sumpt. Eucharist.* §. *qua vero ætate.*

Quia verò frequentèr plenus usus rationis accidit in ætate decem, vel undecim annorum in masculis, & circa nonum, aut decimum in fœminis; idcirco hac ætate Sacra hæc Mysteria danda esse censuit, *Azzorius instit. Mor. Tomo* 1. *L.* 7. *cap.* 41. *q.* 10. & *alii*, *quos indicat Narbona de ætate Anno XI. per tot.*

E contra alii censuerunt, octavo, vel nono anno posse dari pueris Sanctam Eucharistiam, *Navarrus in munuali cap.* 21. *n.* 33.

Et alii putarunt, vivacissimum puerum posse communicare ante decimum annum, nunquàm tamen ante septimum: *Melchior Zanbran in decis. casuum occurr. in articulo mort. cap* 3. *dub.* 2. *n.* 6.

Si quærimus ulterius, an præcepto Ecclesiæ
94 satisfiat per sacrilegam Eucharistiæ sumptionem? Sciendum, quod in *d. cap. omnis utriusque sexus*, Concilium Lateranense præcipit, ut *reverenter* Eucharistia suscipiatur - Multi tamen existimabant, per hoc verbum *reverenter* intelligi reverentiam externam non verò internam, scilicet debitę dispositionis; Quarè, satisfieri precepto Ecclesiæ per sacrilegam Communioné, existimabant.

Sed præcidit omnem dubitationem Innocentius XI. qui damnavit hanc *LV.* propositionem: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Et cum Alexander VII. in primo suo decreto damnasset eam propositionem, quę est 14. *qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Æquum erat, verbum *reverenter* a Concilio Lateranensi appositum, de interna dispositione intelligi, declarare

Nec dubites, quin Ecclesia possit actum hunc mixtum ex interno, & externo præcipere. Sunt enim expressissimi Canones, qui, hanc facultatem Ecclesiam Romanam adhibuisse semper testantur.

Ut est Textus in *cap. dolentes de celebrat. miss.*
In Clementina 1. *eod.*
In cap. commissa §. *Cæterum de Elect. in* 6.
In Clementina 2. §. *verum de hæret.*
In Clementina 1. *de Statu Monacor.*
In cap. si quis 8. *dist.* 30.

Si quærimus, qua pœna afficiendus sit, qui, 95
suæ salutis immemor, ne in Paschatis quidem Solemnitate Corpus Dominicum accipit?

Hanc quidèm pœnam expressit Lateranense Concilium in *d. cap. omnis*: ut videlicet renuens hoc adimplere præceptum, *ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Sed sacra Congregatio Concilii consulta, an contemnentes hujusmodi pœnas, & tempore præfixo non communicantes possent ab Episcopo excommunicari, & pœna pecuniaria mulctari, piis locis applicanda, utrumque sacra Congregatio admisit, teste Fagnano in *d. cap. omnis n.* 46.

Quamvis tamèn idem *Fagnanus n.* 44. *ib.* in ea sit opinione, quod huic annuo præcepto non satisfaciens suspectus de hæresi sit, ità ut in eum Tribunal Inquisitionis procedat.

Attamèn reiicitur ex traditis a *Pegn. in annot. ad Ambros. de Vignato in tract. de hær. sub num.* 32. & a *Carena parte* 2. *Tit.* 17. *n.* 3.

Nam *Hostiensis*, quem adducit *Fagnanus*, & *Felinus in Rubrica de Hæret.* moventur ex Dispositione Textus *in Auth. de Privil. Dot. hæret. Mul.*

At etsi Justinianus in ea Constitutione ità loquatur .. igitur Sacram Communionem in Ca.. tholica Ecclesia non recipientes a Deo ama.. bilibus Sacerdotibus hæreticos justè vocamus; attamèn hæc verba non de Communione sanctæ Eucharistiæ accipiuntur, sed de societate, & communione cum Catholicis; Atque hunc intellectum magis probat *Pegna ex versione Græca.*

Ergò secluso contemptu, aut circumstantia omissionis per plurimos annos, ut considerat Carena, non adest hæc hæresis suspicio; sed si versaretur in persona alias de hæresi suspecta, ageretur que de dicta omissione per plurimos annos, sine ulla legitimà, vel colorata causa, & de obstinata voluntate non communicandi, tunc posset ille, qui omittit, inquiri, & puniri, ut inspectus de hæresi præcipuè propter Tridentini dispositionem *sess.* 13. *de Sacramento Eucharistiæ can.* 9.

(zzz) *Neque Infirmi sine Viatico &c.*

Immò valdè probabile, extare Divinum præceptum sumendi Eucharistiam tempore mortis instar Viatici.

Hæc verò perpetua fuit Ecclesiæ consuetudo, ut, si quis egreditur è Corpore, cum Viatico decedat, uti testatur Nicænum Concilium *Can.* 13. ibi .. de his, qui ad vitæ exitum veniunt, .. etiam nunc lex antiqua servabitur: ità ut, 96
.. si quis egreditur e Corpore, ultimo, & ma.. ximè necessario Viatico minimè privetur.

Concilium Cartaginense, *in can. is qui* 8. *caus.* 26. *q.* 6. ibi „ & si continuò credatur moriturus, „ reconcilietur per manus impositionem, & „ infundatur ori ejus Eucharistia.

Textus *in can. Presbyter de Consecr. dist.* 2. in *can. pervenit de Consecr. distinct.* 2. idem confirmat.

Quare optime loquitur *Laym. L.* 5. *Tract* 4. *cap.* 5. *de Sacr. Euch. n.* 2. his verbis „ ut pro- „ indè negari non possit, esse hanc Apostoli- „ cam traditionem. Valdè autem verisimile, a „ Christo acceptum fuisse mandatum.

Imò, licet pueri non obligentur præcepto annuæ Communionis, tamèn eos in periculo mortis obligari, docuit Suarez de *Euchar. disp.* 70. *sect.* 1. & *Pac. Jordan. in Tit. de Sacr. Eucar. n.* 55. & *Anton. de Luca ad Ventrigl. annot.* 21. *n.* 3.

Hæc dari debet etiam morientibus in patibulis, si sunt dispositi *can. quæsitum est* 13. *q.* 2.
97 *can. fures, can. si fur ead. Caus.* & *q.*

Verumtamen, &si olim in Vase ab Acolito deferretur jussu Sacerdotis, idque viguisset quibusdam in locis, *Concilium Roman. sub Silvestro cap.* 9. Nunc tamen ab usu alienum est *Lauria Verbo Eucharistia pag.* 200.

Nunc etenim nonnisi Sacerdos eam Infirmis defert ante pectus habitu decenti, cum lumine, *cap. sanè olim de Celebr. missar.* Cum umbella, & tintinnabulo sonante ante, datoque prius signo campanę: *Concil. Mediolan.* 1. *part.* 2. *Tit. quæ pertinent ad Euch. Concil. Ilderdense anno* 1219. *celebrato*, ibi: *Sacra Eucharistia ad infirmos cum campana honorificè deportetur*.

Sed in partibus infidelium deferri sacra Eucharistia potest veste consueta, & absque luminibus *ex celebri Bulla Clem. VIII. Constit.* 40. *quæ incipit, ex omnibus*.

Ubi ergò Sacerdos ad infirmum pervenerit, „ facta de more confessione generali, sive ab
98 „ Infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos „ dicit Misereatur, &c. Indulgentiam &c. Dein- „ de facta genuflexione, accipit Sacramentum „ de vasculo, atque illud elevans ostendit In- „ firmo dicens, Ecce agnus Dei &c. In actu porrigendi dicat: Accipe frater (*vel soror*) Via- „ ticum Corporis Domini Nostri Jesu Christi, „ qui te custodiat ab hoste maligno, & per- „ ducat in Vitam æternam, amen: Hæc omnia huc transtulimus ex Rituali Romano, & ex *cap. sane de celebr. miss.*

(*aaaa*) *Ut Offeratur nempè in verum, & proprium Sacrificium.*

In Jure Canonico Sacrificium hoc variis nominibus insignitur, quæ studioso Juveni propo-
99 nere, necessarium duco.

Non rarò invenias hoc Sacrificium *Lyturgiam* dici, quo & interpetres Missę D. Jacobi, & Magnus Basilius, & Joannes Chrysostomus suas formulas rei Divinæ inscripserunt; Nec immeritò; Nam *Lyturgia* Grammaticis est munus publicum, neque ullum ministerium ità publicum est, veluti actio Sacerdotis Deo offerentis hoc Sacrificium.

Alias etiam *Mystagogia* vocatur, idest secreta actio, introductioque ad mysteria: Quare S. Cirillus *dissertationes* de Sacrificio *Mystagogicas* inscribit.

Synaxis nomine hoc Sacrificiū intilligit Dyonisius *cap.* 3. Nam *Synaxis* collectionem sonat, & hoc Sacrificium nos in Christo simul colligit, Deoque coniungit.

Prosphora, apud *Eusebium Cæsar. L.* 6. *hist. cap.* 43. nil aliud sonat.

Telete quod perfectio est, ad hoc Sacrificium refertur.

Æconomiam S. Epiphanius Missa vocat *heresi* 75. & *Eusebius L.* 8.

Corbona Muctar, & *Corban apud* Catholicos Syrios sunt hujus Sacrificii vocabula.

Apud Latinos *Collecta* dicitur hoc Sacrificiū, quià colligitur in unum Populus.

Dominium vocatur a S. Cypriano *Epist.* 63.

Agenda dicitur a *Concilio Carthaginensi secundo can.* 9.

Communio, quia inseparabilis est a Sacrificio.

Sed frequentius *Missa* dicitur; vel a voce Hebraica *Missah*, ut quibusdam placet ex *Deuteronomii cap.* 16. ibi: *et celebrabis diem festum hebdommadarum Domino Deo tuo missa*; idest 100
oblationem spontaneam manus tuę; Et sanè Concilium Coloniense *in Enchiridio Christianæ institut.* Vocabulum istud asseverat ab Judaico tractum Idiomate. Quod verò, ut putat Covarruvias *lib.* 4. *Var. cap.* 22. primus hoc nomen *Missa* adhibuerit Alexander I. *in can. sufficit de Consecr. dist.* 1. haud ausim affirmare. Hoc planè indubitatum, ex Græcis Clementem I. ejusdem dictionis meminisse *in can. cunctis* 16. *q.* 1. Quamquàm *VVescapellius de Sacrificio Missæ* fuse conatur ostendere *cap* 2. locum supra citatum Deuteronomii; non intelligi de *Obligatione*; sed de *portione*, quæ solvebatur suæ Familiæ, & Levitis in festo hebdomadarum; Etenim radix hujus vocis *Missah* est *Schores*, quod tributum sonat; Nam Epulisthius finis erat, ut Judæi servos fuisse in Egypto reminiscerentur. Hyeronimus tamen transtulit ità: *oblationem spontaneā manus tuæ, quam offeres*.

Vel potius *Missa* dicitur a dimissione, quià olim Cathecumeni ante Consecrationem dimittebantur, quasi eorum *Missa* finita, ut hodie in fine dimittitur Populus per Diaconum *Ite missa est*. Quare prior Sacrificii pars *Missa* dicitur Cathecumenorum. A Diacono olim in fine plebi dicebatur ἀπολυσις ἐστι λαω; Cumque olim in prophanis quoque mysteriis diceretur, λαοις ἀφεσις, idest *populis missio* (Diabolo æmulante Divina etiam nondum apparentia juxta *Martir. Justin. Apol.* 2.) Idcircò discriminis causa ἀπολυσις, non autem ἀφεσιν ab Apostolis

usur-

usurpata vox est, ne Diaboli ritus Ecclesiam admittere ullatenus, Neophiti putarent. Porrò *Missam*, Dimissionem notare, & illud suadet non nihil quod *Missa* in Florentinis Pandectis, acveteribus Juris consultis *repudium* significat, teste. *Francisco Balduino in Respons. ad Calu.* Quare est in quadam translatione Græcæ liturgiæ de qua testatur *Vesecapellius d. cap.* 15. quod Sacerdos post missionem illam *ἀπόλυσιν* concinit hymnum B. Simeonis, cujus secundum verbum est *dimittis*. Sed non idcircò curiose disceptandum, cur non hoc colendissimum Sacrificium dimissio, ablegatio, amandatio, quæ latiniora sunt nuncupetur. Sufficit aliud quidpiam addere *ex D. Isidoro lib. 6. oreg. cap.* 16. ibi .. Missa .. tempore Sacrificii est, quando Cathecumeni .. foras mittuntur, clamante Levita: si quis .. Cathecumenus remansit, exeat foras, & in- .. de missa.

Etsi verò Missę nomen non statim esset inventum, parum refert, dùm res existeret, ut ex *Gregor. Nazianz. Or. de Vocab.*

(*bbbb*) *Non tamen, per mortem Sacerdotium ejus erat extinguendum.*

Non est pręsentis instituti infinitas congerere auctoritates, ad retundendam protervam sectariorum insaniam, qui hoc Dogma Catholicum de Sacrificio Christianorum audent inficiari.

101 Duo solùm fundamenta proponam, magis ad scientiam Juris Canonici benè extructam, fundatamque, quam ad confutationem alienæ temeritatis.

Primum ergò fundamentum sit ratio. Ità differendum est. Deus nullo umquàm tempore reliquit Ecclesiam suam sine aliquo Sacrificio, ergò credibile non est, Ecclesiam Christi vero, & publico Sacrificio esse destitutam; Consequentia clara est *ex cap.* 1. *Malachia* Dominus enim per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, Sacrificium in omni loco offerendum prædixit.

Antecedens ex Sacra Scriptura dilucet. - In statu legis Naturæ publicum Sacrificium oblatum est Deo per Abel; Post diluvium primus obtulit Noe ædificans altare Domino *Gen.* 8.

Abraham erexitaltare indubie sacrificans *Gen.* 12. quin & jussus offerre Deo in holocaustum Unigenitum suum *Gen.* 22.

Melchisedech Rex Salem proferens Panem, & Vinum benedixit Abrahæ redeunti è prælio *Gen.* 14.

Isaac in Bersabee, ædificato altari, Sacrificium obtulit *Genes.* 26.

Jacob sæpè obtulit, Nunc in monte Galaad *Gen.* 25. Nunc propè Sichem *Gen.* 37. Nunc in Bethel *Gen.* 35. nunc ad puteum Juramenti *Gen.* 46. conscius jam filium Joseph vivere.

Job Regulus in terra Hus hunc cultum Deo exibuit. *Job. cap.* 1.

Hinc omnes Primogeniti ex stirpe Noe, usque ad Sacerdotium Aaron, fuerunt Sacerdotes *S. Hieron. Epist.* 116. *ad Evagrium.*

Quod attinet ad Legem Mosaicam, triplex materia Sacrificii erat a Deo designata. Primo animalia, ut Oves, Capræ, Hędi, Boves, Vituli, Columbæ, Passeres, Turtures. Cumque ex his sacrificabatur; Sacrificium vocabatur Hostia, seu Victima - Secundò fructus terræ erant designati, panes, simila, sal, thus, manipulus spicarum, & triticum; nam panis in frusta secabatur, simila coquebatur, sal, & thus urebatur, manipulus spicarum terebatur, & triticum; si ergò ex his sacrificabatur Sacrificium dicebatur Immolatio. - Tertiò erant & liquores designati, sanguis, vinum, oleum, aqua; et ex his Sacrificium libamen vocabatur, ut patet ex Levitico. Ergò numquàm Deus Altissimus Sacrificio destitutam reliquit Ecclesiam, quod erat demonstrandum.

Secundum Fundamentum sint auctoritates.

Nicænum Concilium *can.* 18. hæc habet: .. pervenit ad sanctam Synodum, quod in non- .. nullis locis, & Civitatibus Diaconi dant Pres- .. byteris Eucharistiam, quod nec Canon, nec .. consuetudo tradidit, ut, qui offerendi pote- .. statem non habent, his, qui offerunt, dent .. Corpus Christi, & in actis Concilii hujus, apud Gelasium Cyzicenum, hęc habetur declaratio .. Sed attollentes mentem fide, intelliga- .. mus, situm in sacra illa Mensa illum Dei .. agnum tollentem peccata mundi, incruentè a .. Sacerdotibus immolatum.

Et idem Concilium *can.* 58. ibi: *non oportet, in domibus oblationes ab Episcopis, sive Presbyteris fieri.*

In can. accipite Consecr. dist. 2. pręfiguratum dicitur hoc Sacrificium a Melchisedech; Undè cum Christus, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum, asseruerit *Math. cap.* 28. meritò *Tridentinum* morte extinguendum non-fore Sacerdotium Christi, docet *sess.* 22. *cap.* 1.

In *can. omnia de consecr. dist.* 2. ibi .. & ideò .. Christi Caro est, quæ pro mundi vita adhuc .. hodiè offertur.

In *can. quid sit Sanguis ead. dist.* ibi: Calix .. enim, quem Sacerdos Catholicus sacrificat, .. non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apo- .. stolis tradidit.

In *can. utrum ex D. August. de Cons. dist.* 2. ibi .. iteratur autem quotidie hęc oblatio, licet .. Christus semel passus sit.

In *can. iteratur ibid.* his verbis scriptum est: .. Et ideò quia quotidiè labimur, quotidie Chri- .. stus pro nobis mysticè immolatur.

In *can. panis* 55. *de Consecr. dist.* 2. ibi: .. accipe quæ sunt verba dicit Sacerdos. Fac .. nobis inquit, hanc oblationem adscriptam, .. rationabilem acceptabilem.

Omitto innumeras alias auctoritates veluti *can.* 3.

can. 3. *&* 9. Apostolorum, & quæ post suum tractatum de Sacrificio Missæ cumulavit *Vestrapellius*, *& Petrus Canisius*.

Illam unicam omittere non possum auctoritatem, quam potius a studioso Juris diligenter observandam, existimo, S. Andreæ Apostoli, ut legitur in libro, quem de Passione ipsius Presbyteri, & Diacones Achaiæ sicut viderant, & audierant, conscripserunt; Is ergò *ad Ægeam Proconf.* respondens in hunc modum ait: *Omnipotenti Deo* [*qui vivus, & verus est*] *ego omni die sacrifico non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum Agnum in altari Crucis sacrifico*.

(cccc) At se ipsum &c.

Hæc omnia ex Concilio Tridentino accepimus, quod planè Divino Spiritu instruente locutum: hæc docet *sess.* 22. *cap.* 1. *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem*.

Et in can. in Christo de Conf. dist. 2. ita scriptum est, *quia semel oblatus est Christus, hoc autèm Sacrificium exemplum est illius: id ipsum, & semper idipsum*.

Et in can. semel ibid. habentur hæc: *Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidiè immolatur in Sacramento*.

Consonat Textus *in can. institutio, in can. triforme ibid. in can. relatum ead. dist. & Tit. can. nihil. ibid.*

(dddd) Ratio Sacrificii mutationem rei exposcit.

102 Definitur Sacrificium: Oblatio externa soli Deo per legitimum ministrum facta, in qua substantia aliqua perimitur, vel immutatur in protestationem Divini nominis.

Hinc D. Thomas 2. 2. *q.* 84. *artic.* 3. *ad* 1. ibi: *Sacrificia propriè dicuntur, quando circà res Deo oblatas aliquid fit, sicuti quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*; Verba autem Angelici Doctoris maximè ad legem mosaycam referuntur.

D. Gregorius *in can. multi* 84. 1. *caus. q.* 1. *Sacrificium* (ait) *dicitur, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam Dominica passionis*: En Gregorium de Sacrificio legis Evangelicæ differentem.

D. Augustinus *cap.* 11. *Epistola ad Hebræos*, Sacrificium vocat *opus*: Neque immeritò, Cum enim grecè Sacrificium ἱερουργία dicatur, hçc factû sonat; ita χειρουργία non solum vulnus, non unguentum, vel caraplasma, sed & curationem, & artificium sonat. Atque hujus vocabuli pars prima, potiorque Deum respicit, cum illi sacrificium fiat, & hac de causa Divina res, & sacra dicitur; Deo enim hic cultus est unicus, ac pro admissis quotidianis expiatio. Hæc itaque jure optimo verbo uno *oblatio* dicitur. Sed hçc oblatio *opus* est, non solæ preces, ut nonnumquàm Sacrificii nomen indicat.

Hinc Plautus in Penulo, sacrificandi vocem pro precatione accipit:

Semper sacrificem, numquam litem.

Quamquàm propriè Sacrificiû Gentilium ultra preces mutationem rei postulabat. Hinc Jamblicus *libro de mysteriis Ægiptiacis cap. de ratione eorundem* ait: in Thisia (idest Sacrificio) preter precationes desiderari animal mactatum, & neutrum absque altero consumare Thisiam, Hierurgiam, seu Sacrificium: Eo respiciens Lactantius *L.* 6. *de vero Cultu cap. ult.* hæc habet: *Sacrificium est Victima, & quæcumque in ara cremantur*.

Sed de Sacrificio Christianorum audiatur D. Joannes Chrysostomus *ad cap.* 8. *Epistola* cujusdam super illo, *qui exemplari deserviunt, & umbra cœlestium*: *Nonnè* inquit, *& Cœleste nobis Tisiastirion altare? Quomodo? Nihil habet corneum, cuncta, quæ proponuntur, spiritualia fiunt non in cinerem, non in fumum, non in nidorem colliquescit, ac diffunditur. Thisia sacrificium, sed splendida, & nitidiora efficiuntur proposita*.

[eeee] Hæc non solùm mutatio sed &c.

Quomodò in Mysterio Eucharistiæ fit mutatio ad essentialem Sacrificii rationem necessaria, variè explicant Catholici. Ego sequor explicationem Basfei verbo *Missa n.* 2. *P. Natalis in Theolog. Mor. ali de Sacrif. Missæ*, qui in eum sensum accipit verba D. Cypriani *Epist.* 63. ibi: *Passio est Domini Sacrificium, quod offerimus*, & similis auctoritas D. Joannis Chrisostomi *Homilia de Pœnitentia in Enceniis*, ibi: *Mensa mystica parata agno Dei pro te mactato*. 103

[ffff] Sufficiens ad Sacrificium.

Partes essentiales Sacrificii Missę sunt *Consecratio*, *Oblatio*, & *Consumptio*.

Hinc quoties Sacerdos frangit, & sumit Hostiam pridiè consecratam, nec ipse aliam consecrat, non fit propriè Sacrificium, cum non adsit novæ Hostię Consecratio *Basfaus Verbo Missa n.* 3. 104

Sed notetur, quod si unus Sacerdos perficiat Missâ inchoatam ab altero, qui periit post Consecrationem fit Sacrificium, quia actio præcedentis coniungitur cum actione alterius, ita ut integretur, perficiaturque unum Sacrificium. En Canonem in promptu ex Decreto Soteris Papę *in can. ut illud* 58. *de Consecr. dist.* 1. ibi: *ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus a tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur*

quatur intrepidus, & officium adimpleat : idemque præscribit *Concilium Toletanum* 7. *cap.* 2.

Venio ad *Oblationem*. Hanc quoque esse Sacrificio colendissimo Missæ essentialem, non est dubitandi locus. Cave tamen, studiose Juvenis, ne te hoc nomen *Oblationis* ad hoc credendum perducat, quod sit illa *Oblatio*, de qua loquimur, quandò Panis offertur, ut Corpus Christi D. fiat; Sed illa *Oblatio* ad essentiam Sacrificii pertinet, quando post Consecrationem Christi Corpus offertur. Hinc S. Thomas 3. *Part. q.* 83. *artic.* 44. hęc ait: *Sacerdos petit hoc Sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit, supra quæ propitio ac sereno uultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera tui justi Abel &c.* Neque ignoro, plures contendere, quòd illa dicatur essentialis Oblatio, quæ est in ipsa Consecrationis actione, quod ea solum fit Redemptor noster usus in ultima Cæna, ut tradit *Coninch. q.* 83. *art.* 1. *n.* 96. - Hæc plane sententia sua non caret probabilitate.

Tandem Communicatio, idest sumptio Eucaristiæ, pro ut est Victimæ consumptio, requiritur ad Missę Sacrificium: *Bellarminus de Missa L.* 1. *cap. ult.* Sed alii non desunt, qui censent, hanc sumptionem pertinere dumtaxat ad perfectionem, quasi extrinsecà talis mysterii Suarez *disp.* 75. *sect.* 5.

Sed huic opinioni objicio *Canonem relatum de Cons. dist.* 3. ibi: *nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur.* Hinc Apostolus 1. *ad Korinth.* 10. *Nonnè qui edunt Hostias, participes sunt altaris.*

[gggg] *Vere propitiatorium est.*

Paucis verbis utar, ne inventa aliorum potius compilare videar, quam concisam explicationem tradere discentibus, quæ solum ad scientiam Canonicam pertinent, cœtera Theologis tractanda relinquam.

En igitur clarissimam rationem huius Dogma-
105 tis. Nonnè in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum obtulit? Quemadmodum ergò, ubi Christus hoc Sacrificium instituit, testatus est, se offerre Corpus illud, quod pro nobis traditum mox fuit, adeoque illud erat Sacrificium pro peccatis, ita hoc nostrum verè est propitiatorium: Ita *Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 11.

Sed, & si libet antiquas Liturgias observare, causam habebunt Novatores, suos inexcusabiles errores agnoscendi.

S. Jacobus, *In Liturgia* ità olim locutus perhibetur: *offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.*

In Liturgia Jerosolimitana hęc habentur: *flectimus genua ad tuam bonitatem, Domine miserere nostri. Quandoquidèm veremur, ac tremimus, cum ad tuum sanctum altare nobis accedendum est, & offerendum Sacrificium hoc verendum, & incruentum pro nostris peccatis, & pro iis, quæ Populus per ignorantiam admisit &c.*

S. Basilius in Liturgia sua per universam Græciam celeberrima, statim post initium dicit: *Dignos efficito nos, ut offeramus Sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo Populi tui.*

Haud aliter in Liturgia D. Joannes Chysostomus deprecatur. *Idoneos nos redde, ad inferenda tibi dona, & Sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis.*

Celebris est, & Juris nostri studiosis observanda decretalis Epistola Alexandri Papae, qui præfuit Ecclesiæ anno 121. qui posteris illustre reliquit testimonium de Missę efficacitàte, ut est apud Burchardium *lib.* 5. *cap.* 5. ibi: *crimina enim, atque peccata, oblatis his Domino Sacrificiis, delentur &c.*

Adstipalatur Pontifex Fabianus Epistola ad Felicem, ibi: *Per Sacerdotes aliorum hostias acceptat Deus, atque eorum peccata condonat.*

Non deest testimonium Julii Papę juxta Burchardi collectionem: *cum* (ait) *omne crimen, atque peccatum oblati Deo Sacrificiis deleatur &c.*

(hhhh) *Pro ipsis quoque salubriter offertur.*

Sacrificium Missę prodest etiàm Defunctis, qui in Domino mortui nondùm planè expia- 106
ti sint. Atque ego, quocumque me vertam innumera Catholicæ veritatis invenio testimonia. Constat hoc ex omnibus Liturgiis. Concilia omnium Provinciarum meminerunt Sacrificii pro Defunctis. Pro Affrica Concilium III. Cartaginiense *cap.* 29. & IV. *cap.* 79. - Pro Hispania Concilium Bracarense I. *cap.* 34. - Pro Gallia Cabilonense, ut est in *can. usum de Cons. dist.* 1. - Pro Germania VVormatiense *can.* 10. - Pro Italia Concilium VI. sub Simmaco - Pro Gręcia *cap.* 69. ex Capitulis Græcorum Synodorum apud Martinum Bracarensem, & tandèm Concilium Tridentinum accessit.

Patet hęc veritas, seu confirmatur ulterius, ex loco celebri *lib.* 2. *Machab. cap.* 2. Nam testatur eo loco historicus, Machabæum Judam millia non pauca dracmatum, Jerosolimam misisse, ut Sacerdotes Divinæ rei operatione, defunctis succurrerent.

Verumtamen saepe accidit, ut veritas secura, & expers oppugnationis non sit. Hinc temeritate minimè ferenda quidam audent, de fide hujus Libri Machabæorum subuereri; At, quicumque ita audent, ignorant, aut ignorare dissimulant, quod fideles omnes debent profiteri.

Audiant, quid Apostoli statuant, *can.* 84. *Sunto omnibus vobis Clericis, simul & Laicis vene-*

venerandi, *ac sacri libri veteris quidem Testamenti Mosis quinque*, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Jesu Filii Nave unus*, *Judicum unus*, *Ruth unus*, *Regum quatuor*, *derelictorum ex libro dierum duo*, *Hester unus*, *de Machabeorum gestis &c.*

Damascenus item *libro de quiescentibus in Christi fide juvandis rebus Divinis* Libros Machabeorum citat.

Concilium *Carthagin.* 3. *cap.* 47. *cap.* 2. cui Augustinus interfuit sexta universalis Synodus.

Innocentius I. *decret. cap.* 7.

Burcardus *L.* 3. *cap.* 217. *extr.* affirmat decretum extare Gelasii.

Florentinum Concilii Epistola sua Synodyca.

Tridentinum Sessione IV. in decreto de Canon. Scripturis ibi: duo Machabeorum primus, & secundus.

His dignissimis testibus freti Libros Machabeorũ recipimus, veneramur, fide recta prosequimur.

Si verò ex voluminibus, quæ in manus omnium circumferuntur continentia Juris Canonici decreta, Catholicę veritatis de Sacrificio pro defunctis testimonia desideramus.

I. Occurrit Textus in *can. qualis dist.* 25. ubi expresse id traditur.

II. Se offert Textus *in can. qui in aliud cad.* 25. *dist.*

III. Idem confirmat Textus *in cap. cum Martha §. tertio loco in fine de celebr. Mis.*

IV. Adstipulatur Textus *in cap. cum Creatura eod. Tit. de celebr. Mis.*

V. Consentit Textus *in can. nullus expectet* 33. *q.* 4.

VI. Adhuc probatur Catholicum dogma *ex Can. anima* 13. *q.* 2.

VII. Ex *Can. tempus ib.*

VIII. Ex *Can. pro obeuntibus ib.*

IX. Ex *Can. non æstimemus ib.*

X. Ex *Can. quibus ib.*

Neque adversatur Textus *in can. in præsenti* 13. *q.* 2. Undè videtur inferri, Defunctos Suffragiis minimè adjuvari.

Resp. Textum communiter intelligi de illis mortuis, qui in gravi culpa decesserint.

Postremò illud convenit explicare, quod si Animae Purgatorii sunt in securitate, quid est quod *S.* Ecclesia in Missa Defunctorum ita petit? *Libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis Inferni.*

Resp. ex, his quæ tradit *Perez de Anniversf. L.* 1. *cap.* 1. nempè (ut auditum refert a Cardinali Baronio Romæ) in primitiva Ecclesia, assuetum fuisse postquam Infirmi morientes accepissent Viaticum, & Sanctum Oleum, statim pro iis moribundis dicere Missam, & quia nescimus, qui ex mortuis egeant, vel non, suffragiis; idcircò pro omnibus est orandum. *can. non æstimemus* 13. *q.* 2.

[iiii] Pro Beatis &c.

Pro Sanctis non offertur Sacrificium quatenùs propitiatorium est; sed offertur quatenus *latreuticum est*, *& Eucharisticum*, idest quatenus est laudis, & gratiarum actionis. 107

En Canonem expressum *in can. tempus* 13. *q.* 2. ibi: *Sacrificia altaris &c. pro valdè bonis gratiarum actiones sunt.*

En alium Canonem *in cap. cum Martha §. ult. de celebr.* ibi .. undè, quod in plerisque orationibus continetur: prosit, vel proficiat huic .. Sancto, vel illi talis Oblatio ad gloriam, & .. honorem; ità debet intelligi, ut ad hoc profit, quod magis, ac magis glorificetur in terris.

Hinc jure optimo S. Tridentina Synodus *sess.* 22. *de Sacr. Miss. can.* 5. ibi .. si quis dixerit, .. imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione .. apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.

Oramus enim pro Sanctis, ut Sacrificium *illis proficiat ad honorem*, *nobis autem ad salutem*.

Plerique reputant non indignum Sanctorum gloriam usque ad Judicium augmentari; & ideò Ecclesiam interim posse augmentum glorificationis eorum optare; sunt verba Textus in *cap. cum Martha §. Tertio loco extra de Celebr. Miss.* quæ sententia fuit D. Thomæ, ut refert ad hunc locum *Gonzalez. in Not. n.* 3.

Obstat tamen hactenus traditis auctoritas D. Augustini *L.* 8. *de Civit. D. cap.* 27. ibi. Nos .. Martyribus non constituimus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia.

Resp. Ex verbis *S.* Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 3. *de Sacr.* ibi .. Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consuevit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: sensus ergò D. Augustini est non offerri Missas primario in honorem sanctorum, sed Deo.

[IIII) Altare, ubi celebratur, sit consecratum.

In Sacro Altari celebrare debet Sacerdos *cap.* 1. *in princip. cap.* 2. *§. si enim*, *can. sicut non alii* 6. 6. *can. Missarum* 22. *can. nullus Presbyter de Conf. dist.* 1. *can. Altaria de Conf. dist.* 2. 108

Dicitur Altare quasi alta ara Vocem hanc ab *altitudine Festus*, & alii deducunt.

Alii contra, deducunt ethymon ab *alendo*, quia igni Altaris addebatur alimentum: *Isidorus lib.* 15. *Orig. cap.* 4.

Significat Altare *mensam Domini Amalar. L.* 1. *cap.* 24. significat *Crucem*, *Bernard. De Cana Dom.* Forma Corporis Christi est Altare, ait s. Ambrosius *lib.* 4. *sacr. cap.* 12. ideò præeminet in Ecclesia, ut Christus inter membra ejus *Rup. lib.* 5. *cap.* 30. Gradus illius virtutes sunt, quibus ad Christum itur *Hugo Victor in*

can.

can. Missa cap. 2. Significat tandem Ecclesiam Spiritualem, cujus cornua sunt quatuor mundi plagæ: *Durand. lib.* 1. *cap.* 2.

Locum hunc itaque, oportet esse consecratum, ex *can. nullus de Conf. dist.* 1. Aut saltē oportet esse benedictū ritu proprio in Rit. Rom. Pauli V.

Non potest autem Episcopus deputare Oratoria in domo privata ex Literis Cardinalis Lancellori ad Episcopos datis nomine Pauli V. 10. Martii 1615. *ut ibi fiat Missa;* Imo ex Concilio Trident. *sess.* 22. *de observ. & evit. in missa.*

Consecratio autèm quo ritu fiat, si ex me quæritur; Præter S. Chrisma, Consecratio non fit sine Relliquiis Sanctorum, *ex Decreto Felicis I. ex can. placuit de Cons. dist.* 1. et Relliquiæ hujusmodi debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, ut respondit *Sacra Conc. Trid. Cong. Episcopo Interamensi* 13. *Sept.* 1593. *apud Piasec. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 7.

Unde S. Augustinus *Sermone* 37. *in appen. de Diver.* hęc habet: *& quasi pro quodam consortio ibi; Martyribus sepultura decreta est, ubi Mors Domini quotidie celebratur Scilicet ut qui propter Mortem ejus mortui fuerant, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.*

Non tamen est necesse ut Relliquiæ sint Sanctorum Martyrum, *Ricciul. Lucubr. L.* 1. *cap.* 40.

Si verò forte accidat humata reperiri Cadavera sub Altari, vel ejus gradibus, non debet in eo celebrari, donec altò transferantur: ità declaravit *Sacra Congregatio super negot. Episcop.* 10. *Nov.* 1599.

Consecratio Altaris durat, donec amoveantur Tabulæ, vel frangatur quomodocumque Relliquiarium Sygillus: *Gavant. Part.* 1. *Tit.* 29. *pag.* 53. Addo, quòd Ecclesia execrata, execratum quoque censetur Altare *Ago cap.* 1. *de Conf. Eccl.* Nisi fortè execratio Ecclesiæ succedat, per combustionem, vel murorum ruinam, salvo, atque intacto Altari remanente, tunc enim Altare consecratione minimè viduatur *Barbosa de Jure Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 23. Sequuta autèm execratione, & demolitione Altaris, Lapis prophanatus vendi potest, & licite ab Emptore tenebitur: sed in loco decenti, & honesto, quemadmodùm delaravit *Sacra Congregatio Ritum in Reatina* 9. *Maii* 1606. referente *Ventriglia Annot.* 10. §. *un.*

Altarium, ubi Missa potest celebrari, duo sunt genera; unum dicitur Altare firmum, seu stabile, aliud Viaticum, seu portatile. Primi generis Altare est tota mensa consecrata; secundi generis est Lapis ille portabilis consecratus, qui de uno in aliud Altare defertur.

Altare hoc portatile satis est, ut lapideum sit, tantæ extensionis, ut pedem Calicis capiat, & patenam cum Hostia consecrata, vel ut super eo major eorum pars firmitèr, absque ullo cadendi periculo queat collocari, *Barbosa de Potestate Episcopi Part.* 3. *alleg.* 27. *n.* 21. Hinc nimis parvę latitudinis removebitur Altare jussu Visitantium, ubi viderint posse Sacerdotem reponere ob id Calicèm, atque Hostiam, extra lapidem, & in parte lignea, ut jussit Ventriglia, visitans quandam Ecclesiam Diæcesis Capuanæ, ut ipse testatur *d. annot.* 10. *n.* 8.

Rursus, hoc idem Altare portatile non est consecrandum, nisi constet ex unico lapide: unde non sufficit, duos esse lapides invicem annexos arte sculptoris, talisque est Consuetudo teste *Bonaccina de Sacramen. Euchar. disp.* 4. *q. ult. punct.* 9. *n.* 17.

His precognitis de Consecratione Altarium, redeo ad id, quod in Titulo posuimus: Nempe, Altare, ubi celebratur, consecratum esse oportere.

Atquè ad uberiorem intelligentiam, sciendū est, acritèr disputari a nostris, an Sacerdos celebrans in Altari non consecrato sit irregularis?

Vera sententia est, non esse irregularem: quæ opinio est contra Maiol. *lib* 3. *&* 4.

Ratio est, quià nulla, quamvis illicita, Ordinis administratio parit Irregularitatem; fusè id probat *Gibalinus de Irreg. cap.* 5. *Propos.* 4. *pag.* 333. Quod intellige cum hac moderatione, *Nisi Censura violationem contineat.*

Neque obstat Ratiocinium Maiol. Ait enim, quod crimen, unde oritur depositio, producit Irregularitatem: Atqui ille Præsbyter, qui sine Altari consecrato Missam celebrat, degradari, jubetur, *can. nullus* 1. *&* 2. *de Conf. dist.* 1. Igitur incidit in Irregularitatem.

Hoc fundamentum facilè dilabitur: Nam si maior hujus syllogismi vera sit, intelligenda tantum erit de depositione ipso jure lata, non autèm de depositione ferenda: Canones autem in contrarium adducti hunc habent sensum, ut depositio sit pęna ferenda: ità hos Canones interpretatur *Gibalinus de Irreg. cap.* 5. 333.

Sed quamvis Præsbyter non incidat in Irregularitatem in Altari non consecrato celebrans; Attamen absque dubio illicitè celebrat: undè depositionis pœna iniungitur, ex Decreto Hormisdæ in *can.* 25. *de Conf. dist.* 1. Quæ degradatio est ferendæ sententiæ, ut ex Litera Textus, & ex interpetratione scribentium colligitur.

[*mmmm*] *Sive portatile.*

Altare portatile, quod lapideum esse debeat, quod debeat Relliquias Sanctorum continere, *ex cap. placuit, ex cap. non oportet de Conf. dist.* 1. 109
(quamvis Antonius de Luca ad Ventrigliam doceat necessitatem includendi Relliquias Consuetudine esse abrogatam, verba autèm illa Orationis, *quorum Relliquia hic sunt* intelligi, *quorum Relliquiæ hic fuerint*: Diana *Parte XI. Tract. VI. Resol.* 25. *in P.*) quod insuper loco Relliquiarium non possit apponi pars Hostiæ, aut corporalis ad tradita per *Ricciul. Lucubr. Eccl. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 11. *per Gacium Iord. Tom.* 1. *Tit. de Conf. alt. n.* 24. Verissimum est, & constat ex supra traditis.

At non omittam notitiam de Ecclesia Orientali

tali non iniucundam.

Ecclesia Orientalis certos pannos in eundem finem celebrandi Missam usurpat, quos vocant *Antimensia* quasi sint vice, & loco Sacræ Mensæ, ut ait Nicephorus his verbis: *vocantur Antimensia, ut multorum sæculorum, quæ sacram Mensam perficiunt vices, & figuram exprimentia*; Hæc Antimensia magnis cæremoniis consecrant, ut videre est in Euchologio, in quo Consecrationis titus describuntur. Pannos istos sacro Chrismate perfundunt, & Reliquiis Sanctorum ditant, & Santificant; En verba Euchologii: *Posteà prolatis Reliquiis, & cum ceromastice permixtis Episcopus Chrisma in eos infundit; Deindè in posteriore Antimensis parte, in loculo ad id præparato eas reponit, eisque benè, & securè conclusis sic precatur &c.* De his loquitur Synodus in Trullo. His Antimensibus loco Altaris portatilis Græci utuntur, *Morinus Annot. in Græcas ordin.*

Ut verò ad Ecclesiam Latinam sermo revertatur; Sciendum est, quod ad erigendum Altare amovibile nulla requiritur licentia, ut quando ad celebrandam festivitatem alicujus Sancti, cujus imago est in Ecclesiæ pariete depicta, & ea die Altare ligneum erigitur in honorem ejusdem, super eo consecratam petram imponendo, & celebrando; Hinc Sacra Congregatio in *Caietana* 10. *Novemb.* 1612. censuit, Altare ligneum cum ara lapidea permitti debere, non obstante Synodali constitutione, refert *Barbos. de Jure Eccl. un. L. 2. cap. 7. n. 6.*

Addo, quod tempore Pestis propter periculum Infectionis potest Missa celebrari extra Ecclesiam in Cæmeterio in Altari portatili *Barbos. in repertor. Jur. Civil. & Can.*

(nnnn) Quo uti possunt Episcopi.

Celebris est Canonica Constitutio *in cap. fin. de Privil. in 6.* ubi indulgetur Episcopis, uti posse Altari portatili, cum absunt a suis Diœcesibus, neque accessum habent commodum ad Ecclesias.

Quæ Privilegii concessio intelligitur, ut procedat etiam contradicentibus Episcopis Diœcesanis, teste *Fagnano in cap. quod nonnullis de Privil.* De hoc privilegio est etiam Textus *in can. concedimus de Consf. dist. 1.*

Neque ignorandum, Quæstionem a Canonistis excitari, cujus status hic est: An sicut usus portatilis Altaris indulgetur Episcopis, eorumque superioribus, ut in Textu, ità etiàm competat S. R. E. Cardinalibus.

Sit nostra Conclusio; Justissimè, & omni ra-
110 *tione Eminentissimis Cardinalibus hoc Privilegium competere.*

Probatur I. Quia teste *Fagnano, ubi supra* Consulta fuit hac de re Sacra Congregatio, & affirmativè respondit.

Probatur II. Nam Verba Textus citati in *cap. fin. de Privil. in 6.* dum ait, Episcopis, & eorum Superioribus hoc permitti, planè extendi censent ad Cardinales. Cur ita? quià ratione Dignitatis S. R. E. Cardinales Episcopis Superiores sunt, *can. Constantinus 96. dist. cap. per venerabilem §. rationibus extra qui filii sint legit.* Ideinque istud patet, ex historia Ecclesiastica; Nam in Concilio Florentino id constat admissum, ex Epistola decretali Eugenii IV. quæ incipit *non mediocri*; Patet ex *Tridentino Concil. cap. 1. sess. 24.* Patet ex Constitutione *Sixti V. de Sancta R. Ecc. Cardinalium præstantia, edita 3. Non. Decemb.* 1586.

Obiicitur I. Episcopum ratione Ordinis esse majorem Cardinali, *can. ante omnia 40. dist. cap. de his de Cons. dist. 1.*

Respondetur, quod, ubi tractatur de usu portatilis Altaris, ratio habetur dignitatis, & non Ordinis; quod vel indè poteris conicere, quod hoc Privilegium indulgeatur Episcopo electo, & confirmato, tametsi nondùm sit Consecrationis Ordine decoratus, ex sententia *Geminiani in d. cap. fin.*

Obiicitur II. In Privilegiis non admittitur extensio de uno ad alium *cap. ne alioqui de Privil. in 6.* ergo &c.

Resp. Hoc ultrò a nobis admitti. Equidem respuunt extensionem Privilegia. Et hæc regula est notissima; Attamen intellige hoc procedere, nisi verba Privilegii, ità sint ad certas limitatas Personas, ut nequeant secundum latam vocabuli significationem, non tamen impropriam, ad alios accomodari. Jàm verò in Privilegio viatici Altaris benigna hæc interpetratio locum obtinet *cap. in his de Privil. in 6.*

Postremò quod attinet ad illum Textum in *d. cap. fin. de Priv. in 6.* Notetur a Juris nostri studioso; Quod Sacra Congregatio Cardinalium censuit, non fuisse eumdem Textum sublatum ex Tridentini decreto *cap. un. sess. 21. de obser. & evit. in celebr. Miss.*

Notetur insuper, Episcopos posse eodem Privilegio viatici Altaris uti etiàm extra casum absentiæ, etiàm in propria Diœcesi ex rationabili causa, veluti magni incommodi, aut ingruentis periculi, ut censuit eadem Sacra Congregatio apud *Fagnanum, ubi supra Bassaus verbo altare n. 10.*

(oooo) Et ex Regularibus &c.

Clemens IV. *constit. 6. quæ incipit Virtute §. 6.* indulget, ut queant uti Altari viatico Superiores Ordinis Minorum, & Prædicatorum; Quales sunt Generales, & Provinciales. 111

Rursus est Constitutio Canonica *in cap. in his de Privil. in 6.* in qua permittitur Minoribus, & Prædicatoribus, cum sunt in itinere, & non adsunt Ecclesiæ, idem usus Altaris viatici.

Item Regulares Missionarii idem habent Privilegium teste *Bassæo, verbo Altare in Suppl. n. 8.*

Item Religiosi Societatis Jesu participes ejusdem

dem Privilegii sunt, concessi a Paulo III. 15. *Kal. Novemb.* 1549. & innovati a Gregor. XIII. anno sui Pontificatus octavo; 1. *Octob. an.* 1579. speciali diplomate, quod incipit *Usus Altaris portatilis*: Intellige tamen de Religiosis Societatis Jesu, cum in missione sunt, *Bassaus verbo Altare in sup. n.* 8.

(*pppp*) *Ubi celebraverit Episcopus &c.*

Ubi celebraverit Episcopus, ea die alii celebrare non debent; En Textus expressus. *Ita enim sancitum est in Concil. Altissiod. cap.* 10. Ita etiam sancitum invenias *in can. in Altari* 97. *de Consf. dist.* 2. *ex Concilio Urbico*.

112 Quos Canones intelligendos, existimo, in hunc sensum, nisi videlicet licentia saltem tacita Episcopi aliter suadeat, teste *Tonello in Enrbir. L.* 1. *cap.* 2. §. 4. *n.* 5. Vel nisi urgeat necessitas, ut deducitur, ex *can. nihil* 7. *q.* 1.

Addo tamen illum Canonem *in Altari* usu esse sublatum *Gavant. lib.* 1. *Part.* 1. *T.* 20. *Layman. lib.* 5. *Tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 10. *Diana Part.* 10. *Tract.* 12. *Res.* 24.

(*qqqq*) *Sint in Altari lumina.*

112 Lumen adeo necessarium est ad Missæ Sacrificium, ut sine ipso nequeat celebrari, ex traditis a *Fagund. præcepto* 1. *Eccl. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 19.

Ratio est, quià non utiquè ad depellendas tenebras Missarum solemnia absque lumine celebranda non sunt; sed potius in Typum illius luminis, cujus Sacramentum in Altari conficimus, sine quo in meridie palpabimus, ut in nocte.

Hinc S. Chrysostumus in *Liturgia* scribit, Sacerdotem ad Altare procedere cum lumine.

Constantinus Imperator, præter alia dona, quæ contulit in Ecclesiam Candelabra ad lumina incedenda, dum Divina peraguntur, largitus est, teste *Baronio Tomo* 1. *circa ann. Christi* 58. *n.* 75.

Unde apparet, hunc fuisse priscum Ecclesiæ Catholicæ usum, atque institutum - Accedunt Carmina S. Paulini *in Natali S. Felicis*

Clara coronantur densis Altaria lychnis,

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Accedit locus Tertulliani in *Apologet. cap.* 19. ibi: *Post aquam manualem, & lumina.*

Et lampadum, cereorumque usum in Ecclesia semper inolevisse, tàm in Divinis officiis, quàm in funeribus, probat Baronius *anno* 34. *n.* 311.

Quare in antiquis Cæmeteriis passim lucernæ reperiebantur teste *Bosio relato a Spondano Came lib.* 1. *Part.* 3. *cap.* 20.

Insuper antiquissimi Canones jubent, redditus Ecclesiasticos pro luminaribus assignari *Concil. Bracar.* 2. *can.* 2. *Carthag.* 4. *can.* 6.

Insùper est Textus expressus de luminibus in Missa necessariis in *cap. fin. de celebr. Missa*, ubi privandus Officio, & Beneficio Sacerdos, *qui sine igne, & aqua sacrificare præsumpserit*; Quæ verba *sine igne* vulgari omnium interpetratione de luminibus accipiuntur.

Neque ignorandum, probabile esse, quòd liceat sine luminibus celebrare in gravissima necessitate, veluti ad dandum viaticum *Pasqualig. quæst.* 715.

Probabile item est, unicum lumen sufficere, ut quis non peccet, *Tonellus ubi supra.*

Cereum autèm hoc lumen esse debet; sed si non adsit ex cera, ex sævo adhibendum, quod cum cera similitudinem habet, *Pasqualig. q.* 716.

Postremò illud notetur, quod non convenit accendere quatuor candelas etiàm Vicariis Generalibus, licet sint Prothonotarii, ut decrevit *Sacra Congreg. die* 7. *August.* 1627.

(*rrrr*) *Incedat Sacerdos Sacris Vestibus.*

DISSERTATIO V.

De Vestibus.

Credet aliquis, notitiam Sacrarum Vestium spectare ad eos, qui de Ritibus agunt, non ad Canonistas. Falsissimum. Sacrarum Vestium usus ex Sacris Canonibus colligitur, ut jàm apparebit. 114

Amictum Sacerdos celebraturus primùm induit, quo repræsentatur Divinitas, quę nostra carne amicta est *Amalar. de Eccl. off. Lib.* 2. *cap* 17. De hoc amictu est *Textus in cap. un. de Sacra Unct.* Hoc in aliquibus Ecclesiis super albam induitur, *Albin. Flacc. de Divin. Off. cap. de sing. Vest.*

Post amictum *Alba* Sacerdos induitur, quæ ræpręhesentat albam Vestem, in qua Herodes illusit Christo *Luc.* 23 Hæc communi vocabulo *Camisium* dicitur; de hac est Textus *in can. Episcopus* 11. *q.* 3. - Concilium *Cartaginense IV. can.* 41. extra Missam Alba uti prohibuit. Alba ultra Sacerdotem utitur quidèm etiam Diaconus; sed olim, nisi tempore oblationis, atque lectionis, ea non utebatur, *can. Diaconus* 93. *dist.* Græci hoc genus vestis his quoque temporibus vocant *Phenolion*, sæpe *interulam* Hinc *Curopalates de Officiis Constantinopol. cap.* 6. ibi: *postea ingrediuntur etiàm Cantores, cum pileis, & camisiis.*

Alba *cingulo* constringitur, quo Flagellum, quo Pilatus cęcidit Jesum, significatur itemque continentiam designat. *Duran. lib.* 3. *cap.* 4. *Divin. off.* - De Cingulo, sive Zona est Textus *in cap. unico in fine de Sacra Unct.* his verbis: *Mittimus autèm tibi per Card. prædictum Pontificalia ornamenta* (& infra) *cingulum, & succintorium.*

Ad cujus explicationem sciendum distingui *Cingulum a Succintorio*, quod his temporibus tantummodò adhibetur a S. Pontifice, dum solemniter celebrat, excepto die Veneris S. Hebdoma-

bdomadę, de quo in Cæremoniali Pontificio, ibi: *primum cingulo, tum succinctorio in parte sinistra pendente*; Hoc genus cinguli vocatur etiā *perizema*; *Gem. L. 1. de ant. Rit. Mis.* Ejus forma distincta est a *cingulo*. Etenim speciem habet Manipuli appensi lateri sinistro. Apud Græcos *perizema* est in formam *Bursa*, idque vocant *ipogonation* idest *supergeniale*, atque adhibetur in Missis ab omni Episcopo, cęterisque in dignitate constitutis. Ut ergò paucis omnia perstringam; ait in Textu adducto Pontifex, se mittere Episcopo Trinonitano cingulum, & succintorium, quia olim ultra Pontificem, Primates etiam succinctorum adhibebant.

Post hæc accipit Sacerdos *Manipulum*, atque inserit sinistro brachio. In Ecclesia latina unicus adhibetur Manipulus; Gręci singulis brachiis Manipulum accomodant. De Manipulo est Textus in *d. cap. un. in fin. de Sacr. Unct.* & Textus *in can. illud 22. dist. 93.* ubi prohibentur Clerici inferiores uti mappulis. *Gonzales in d. cap. un.* hunc Textum exponit de Mappula quatuor baculis colligata suprà Pontificem deferri solita. Ego crederem, intelligi vere de Manipulis, qui olim Mappulæ quoque dicebantur, neque id quidem injuria: Namquè olim Manipulus Mappula erat sinistro brachio appensa. Subdiaconus eam deferebat ad sacra vasa purganda; Arsenius Sudarium ferebat in sinu, vel manu ad tergendum effluvium lacrymarum. Significat Manipulus luctum, & pœnitentiam; Hinc Episcopo imponitur post confessionem, ut habet *ordo Romanus*, ibi: *Deinde Subdiaconus ponit Manipulū in sinistro brachio Pōtificis super Planetā.*

Ulteriùs *Stolam* sibi imponet celebraturus Præsbyter: De qua habes Textum *in can. monaco 27. q. 1. in can. unum orarium dist. 25.*

In his Canonibus Stola orarium vocatur, quemadmodum, & in *can. Ecclesiastica 23. dist.* & *in can. ministrum ib.* - Imò jubent Sacri Canones sub interminatione Anathematis, ut Præsbyter extra Missam communicaturus sine Stola non audeat accedere *d. can. Ecclesiastica ib.* - Nunc tamen non ex obligatione Peccati *Tonell. Ench. L. 1. cap. 2.* Orarii apud Græcos a Diaconis gestatio dupliciter a latina differt. Diaconus græcus super humerum sinistrum, ex utraque parte dependens, & in alarum quemdam Typum utrimque fluitans defert; Non alligat partes illas fluitantes, ut latinus sub humero, & brachio dextro: Ideò Græci mysteriorum interpetres orarii partes ante, retroque pendentes Angelorum alas significare, contendunt. *D. Joan. Chrisostomus homil. de filio prod.* ibi: *recordamini tremendorum mysteriorum, & ministrorum, sivè Diaconorum Divini Sacrificii, tenuis linteis super sinistros humeros impositis, Angelorum alas imitantur*; Ultra hęc Græcorum oraria ter inscriptum nomen habent *agios*, quo Angelorum cantus designatur. Latini in modum Crucis Stolam accomodant, excepto Episcopo, qui cum crucem una cum relliquiis appensam habeat, Crucem Stola non efformat -- Defertur Stola etiàm a Concionatoribus, Romana Urbe excepta, ubi ad venerationem Pontificis, qui assiduè Stolam defert, ea Concionatores carent.

Denique Sacerdos accipit *Planetam* sive *Casulam*, idem namque sonat; & Planeta dicitur *in cap. un. in fine de Sacr. Unct.* & *in cap. degradatio 6. poterit de Pœn. in 6.* Casula dicitur, eo quòd veluti *Casa* quædam alia omnia tegit *Rab. lib. 1. cap. 18.* Olim Planeta rotunda erat, & undequaque clausa: Post tempora Ruberti divisa fuit, ut indicat *Innoc. lib. 1. cap. 42.* Cur verò primæva institutione *Casula* esset rotunda, explicat *Morinus adnot. ad Græc. ord.* significat enim saccum, quo per ludibrium Salvator indutus est. Hæc græcè dicitur *Phenelion*. Græci adhuc indivisam gerunt Casulam, *Simeon Thessalonicensis cap. 4.* citatus a *Morino ubi supra*. Casula Presbyterorum differt a Casula Episcoporum. Episcopalis enim Planeta variis undique crucibus est insignita. Presbyterorum Casula, etsi olim Crucis formam etiam posterius haberet: recentiori usu, quasi Sacerdos inter Columnam sit, & Crucem Christi, anteriori parte Crucis speciem, posterius Columnę præsefert Planeta. Pars interior strictior est, quià Deus unus, posterior est latior, quia proximi amor est multiplex, de hac significatione *Gavant. Part. 2. T. 1. Rit.* .. Planeta S. Petri adhuc asservatur Parisiis, *Gavant. ib.* Olim cum sola Planeta celebrabatur; ut deduci, videtur, ex Vita S. Martini, qui vestem ex Planeta subduxit, ut inopi subveniret, & brachiis nudis apparuit. Et hęc de Vestibus Sacerdotalibus satis, superque dicta sufficiant; Nam alii hanc tractionem copiose exequuti sunt; Nos selectiora protulimus.

[ssss] Non Fœminam.

Regula est, Miss. sine ministro celebrari non posse, expressi sunt Textus regulam firmantes *in cap. proposuit de Fil. Presb. in fine*, *in cap. ut quisquis de Vit.* & *honest. Cler.* Quot sint necessarii ministri, si quæras, Soter Papa, duos esse oportere, decrevit in *can. hoc quoque de Cons. dist. 1.* Concilium vero Nannetense, unum ministrum sufficere, exponit *Capite 30. apud Juon. 3. par. cap. 70.* & declaratum invenitur in *d. cap. proposuit de Fil. Presb.* consonat *Concil. Mogunt. cap. 43. T. 3.* 115

Quis verò hic minister esse debeat, id quoque Canones decisum habent: ut fœmina non sit, *Leo IV. Homilia de Cura Pastor. Innoc. IV. const. 14. sub Catholica, cap. inhibendum est extra de Cohabit. Cler.* ubi eruditè *Gonz. in Not. n. 6.* - Cui addo Nannetense Concilium *can. 3.* his verbis: hoc secundum auctoritatem Canonum modus omnibus est prohibendum, ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra Cancellos stare, aut sedere. - Infertur tamèn ex Verbis Canonum

hujus-

hujusmodi, quod remotè poterit fœmina, si ad Altare nullo modo accedat, ministrare, quam illationem probat *Diana Part. 10 Tract. 15. & Misc. 5. Resol. 26.* Idque videmus in Ecclesiis Monialium nonnumquam usitatum, ut Monialis ex fenestra, unde Sanctam Eucharistiam largitur Presbyter ipsis Monialibus, respondeat. Nam, & idem faciunt omnes in choro, dum solemnis Missa decantatur.

Obiicitur I. Ratio Canonum prohibentium feminas ministrare est, ne pravis cogitationibus occasionem præbeant celebranti, ut patet *ex cap. inhibendum de Cohab. Cler.* Atqui huic periculo occurritur, si fœminæ velatæ sint *can. Mulier 33. q. 5. can. hæc imago ib.*

Sed Resp. Imprimis, nullum ministrum in hoc Officio, capite velato, posse Altari inservire *can. nullus 57. de Consf. dist. 1.* Ulterius dicimus; Non tantum ad periculum, supra exgogitatum, evitandum, arceri a tali ministerio mulieres: sed potissimè, quià ut ait Theodulphus *in Epistola decretali ad Clerum: memores esse debent femina infirmitatis suæ.*

Obiicitur II. Consuetudo Juris habet vigorem *can. consuetudo dist. 1.* Atqui ita consuetudo fert; in quibusdam Germaniæ locis sine ministro celebratur *teste Laym. L. 5. Tract. 5. cap. 4.* ergò prædicta non subsistunt.

Sed Resp. Quòd, etsi *Adamus Tanerus Tomo 4. Disput. 5. q. 10. dub. 6.* dicat hoc indultū fuisse quibusdam Germaniæ Conciliis, velim tamen hæc Concilia videre: Nam contrarium constat ex Concilio Moguntino anni 1540. *cap. de Missa officio rectè peragendo.* Quarè verius dicendum, quod Consuetudo sine ministro celebrandi abhorret ab Ecclesiæ disciplina.

[tttt] CALIX &c.

Praxis hæc est Romę, & alibi etiam nunc
116 observata, ut calices ęrei, vel alterius metalli, alioquin inhabiles ad consecrationem Vini, reddantur habiles, atque adhibeantur ad Sacrificium si intus inaurentur, notat *Tonellus in Enchirid. lib. 1. cap. 3. n. 2. Cardinal de Lugo, & Fagundez.*

Hoc tamen nulla consuetudine introduci potest, ut lignei sint Calices, aut vitrei, vel materiæ, quæ imbibat Sacras species, patet *ex can. Vasa, ex can. ut Calix de Consf. dist. 1.* In calice ligneo celebrans est deponendus *cap. fin. de celebr. miss.* - Patena, & si ejusdem materiæ cum Calice, videatur, esse debere, non est tamèn adeò necessarium cessante ratione *can. ut Calix.* Quarè hodiè plerumquè ex ære fit, sicut, & Vas ad Custodiam Eucharistiæ in locis, ubi penuria prævalet. Testatur *Barbosa de Universo Jure lib. 3. cap. 2.*

Obiicitur I. Concilium Triburiense, ibi narratur, quod *Bonifacius Martyr. & Episcopus interrogatus, si liceret in Vasis ligneis Sacramenta conficere,* Respondit: *Quondàm Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephirinus 16. Rom. Pont. Patenis vitreis Missas celebrare constituit. Hinc deindè Urbanus 18. Papa omnia ministeria Sacra fecit argentea*: Ergo patet licitum esse usum Calicis lignei.

Resp. negari non posse quin primis Ecclesiæ temporibus, cum Ecclesię facultates non suppeterent pretiosis calicibus comparandis, fictiles, & lignei fuerint, probat Baronius anno 216. variis auctoritatibus *a n. 12.* Idem tamen Concilium Triburiense, quod est *can. Vasa de Consf. dist. 1.* ab Urbano Pontifice, id sublatum, docet nempe anno Dom. 230. & *can. ut Calix ib.* Mandat, ut in paupertatis ærumna saltèm Calix sit stamneus; De ære autem non fiat, & hodiè Gręcis calix stamneus causa paupertatis permittitur *Innoc. IV. const. 14. sub Catholicæ Lauria in Epit. Can. verbo Calix.*

Caterùm in Calice argenteo consecrasse, perhibetur Christus Redemptor, & id opinatur Baronius *anno 34. n. 63. ex Beda cap. 2. de locis Sanctis* ibi .. in Platea, quæ ad martyrium, & .. Golgotha continuat: exedra est, in qua Ca-.. lix Domini scriniolo reconditus, per oper-.. culi foramen tangi solet, & obsculari: qui .. argêteus Calix hinc inde duas habet ansulas &c.

Obiicitur II. *Textus in can. ridiculum 12. dist.* ubi Nicolaus ait, satis ridiculum esse traditiones a *PP.* acceptas infringi; si ergò olim in aliis Vasculis poterat hoc Sacrificium offerri, quid causæ est cur id mutetur his temporibus? Atque ex illo textu ita arguit Grananiet. *cap. ult. de celebr. miss. n. 10.*

Resp. Sciphos ligneos justam ob causam olim in usu fuisse, tum ob paupertatem Ecclesię, tum ad evitandas Tyrannorum rapinas: longè aliter nunc se res habet pace Ecclesiæ restituta.

Antequam hanc adnotationem de *Calice* absolvamus, Narrationem *Gemm. lib. 1. cap. 46.* adnectam oportet. Hic refert, quod olim Calix cum Vino, & aqua in dextra Altaris locabatur, ad denotandam effusionem Sanguinis, & aquæ, quæ ex Latere Salvatoris exivit. Rursus observandum, Calicem debere esse consecratum. Consecratur Calix ab Episcopo, *cap. un. in fine de Sacr. Unct. cap. consulto de Consf. dist. 1.* Adhibetur ad Consecrationem Chrisma. Solus Episcopus consecrat, quià talis consecratio est Ordinis Episcopalis, *Barbosà de Univers. Jur. lib. 3. cap. 2.* Abbates tamen præditi jure minores Ordines conferendi, & ipsi queunt consecrare Calicem *Barb. ib. can. non oportet, can. non liceat 23. dist.*

Postremò illud probat Pignattellus *Tomo 9. Consult. Can. consult. 96.* quod olim calices erant picti, & celati, *Tertull. de Pud. cap. 7.*

Ac mos fuit alligandi Calicem Sanctum in manus defuncti Sacerdotis, ut ostendo ex memorabili exēplo S. Birini Episcopi Dorcestrlensis, qui ab Honorio Papa in Angliam missus obiit circa annum D. 640, in ejus Vita ita legitur:

gitur : *Ejus deinde Corpus , cum ad digniorem locum transferendum esset , aperto Sepulchro inventum est integrum , cum duplici stola , & infula rubra è panno serico , atque cum Cruce è metallo confecta pectori ejus imposita , denique cum Calice ad Umbilicum ejus posito* , latè ostendit hunc priscum morem *Caracciol. in Synopsi veter. Rell. P. 1. cap* 10. atque hoc vidi usitatum in urbe Pisarum.

[uuuu] LOCUS &c. Non in MARI &c.

Res ità se habet. Non in mari, aut flumi-
117 ne Missam celebrare licet, ob periculum effusionis, quidquid de Lusitanis referat *Scortia lib. 2. cap.* 13. & *VVandus Abbas ad Joan.* qui narrat, quòd cum jactis anchoris navis permaneret immobilis, VVfrandus Pontifex Missam celebravit secutumque est ingens miraculum patenæ fortè collapsę, postea revectæ.

Ergò licitum erit dumtaxat in litore Altare constituere, ut navigantes in navi existentes audiant, & satisfaciant in die festo, Barbosa ad *Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. n.* 20. *De lugo de Sacram. Tit. 1. Tract. de Euch. disp. 20. sect. 1. n.* 48.

Cbstat I. quod olim licitum erat Missam siccam celebrare, hinc Durandus *lib. 4. cap. 1.* hęc habet : *Missa sicca dicitur , quoniàm si Sacerdos non potest conficere , potest accepta Stola , Epistolam , & Evangelium legere , & dicere Orationem dominicam , & dare benedictionem*. Leo X. approbavit hunc modum, ut *est apud Navarrum*. Ergò in mari licitum est celebrare Missam.

De hac Missae specie respondetur, ex his, quæ novissimè tradit *Cardin. Bona rerum liturgic. cap.* 15. Nempè Missam siccam ab indiscreta quorumdam, privataque devotione originem traxisse, cui nimiùm indulgentes fuerunt Sacerdotes; Sicca jure dicitur, quasi jejuna, eo quod non solum Consecratione careat, sed etiam sumptione Corporis Christi, similis Cenę ligneę, & lapideę, quam Lampridius, & alii referunt, convivis suis Heliogabalum exhibuisse.

Dicimus ergò has Missas fuisse toleratas non expresśè imperatas ab ulla constitutione Canonica. Quantùm bactenus meminisse queo, *can.* 41. *Carthaginensis Conc.* siccarum Missarum habet mentionem: Quod Concilium admittit a Presbyteris jam pransis, & cęnatis Missas siccas celebrari, ad Deo commendandum subitum aliquod funus, & *Nicephorus lib. 12. cap.* 34. tale quiddam asserit usurpatum ab Alexandrinis quarta cujuscumque Hebdomadis die.

Cæterùm siccas Missas in Belgio Synodus Cameracensis II. abrogavit *Tit. 3. cap.* 7. sed multò antè vetitæ, fuerunt a *Concilio Parisiensi anno* 1212. *can.* 21.

(xxxx) Sub Dio &c.

Ex Canonem expressum, in *can. concedimus* 30. *de Conf. dist.* 1. ibi: *in itinere verò positis si Ecclesia defuerit, sub Dio, seu in tentoriis &c. celebrare concedimus*. 118

Atque hodiè usus obtinet, ut in tentoriis celebretur, dum castra, vel in itinere subsistunt, vel in campis *Hurtad. de Sacrif. Missa disp. 4. diff.* 6.

Constantinus Imperator extruxit tabernaculum Ecclesiæ figuram exprimens, cum contra hostes prætio contenderet: secum hoc circumferre consuevit, ne sub Dio Missa celebraretur *Sozomenus lib. 2. histor. Eccl. cap.* 8.

[yyyy] Etiam si ibi sint Oratoria &c.

Asserimus ergò, parùm esse, habere in privatis domibus Oratoria; In his Missa non 119
celebrabitur nisi concedente veniam Pontifice.

Sed hic parumper insistam; Nam variat Jus vetus Canonicum a novo.

Ordine igitur quid hac de re sit prius, posteriusvè constitutum, enarrabo. Inspecto Jure veteri, poterat Episcopus veniam dare ut in Oratoriis existentibus in domibus, Missa celebraretur, *ex can. Missarum*, ibi: *vel ubi ipse permiserit de Conf. dist.* 1.

Postea Tridentinum Conc. *sess. 22. in decreto de Observ.* ibi: *neque patiantur in privatis Domibus &c.* sustulit hanc amplam Potestatem, juxta quam erat in arbitrio Ordinarii permittere, ut liceret celebrare etiam in Oratoriis existentibus in privatis domibus. Quare Fagnanus *in cap. in his de Privilegiis*, hæc docet: *In privatis domibus nullo casu potest Episcopus permittere ut a Sacerdotibus, sive sæcularibus, sive Regularibus Missa Sacrificii celebretur; undè sublata est facultas, quam Episcopi habebant ex cap. Missarum &c.* Imò consque prohibet Tridentinum hoc Episcopis, ut etiam si Oratorium existens in domibus privatis esset dedicatum ad Divinum Cultum: attamen sola licentia Episcopi non sit satis, ut declaravit *S. Congregatio Card. apud eundem Fagn.*

Infertur ex his quod novo Jure Episcopus solùm poterit indulgere, ut Missa celebretur in Oratoriis publicis, qualia non sunt ea, quæ in privatis domibus existunt. Ergò cum Oratorium in Claustro existens non sit privatum, ibi celebrare de consensu Episcopi licebit, ut *ibid. Sacra Congregatio* declaravit: Cumque Palatium Episcopi non sit Domus privata, non erit in eo existens Oratorium privatum, *Carol. Episcop. Novar. in comment. ad d. can. Missarum.*

Addo, quòd neque sufficit licentia Episcopi si in agro construantur Oratoria, ostiumque habeant in area privata ut eadem *Congregatio Card. declaravit ib. apud Fagn.*

Olìm hujusmodi licentiae concedebantur a S. Congregatione Concilii. Hodiè expediuntur per literas in forma Brevis teste *Fagnano ubi supra num.* 18.

Insuper in Oratoriis privatis celebrari nequit

die

die Nativitatis D. Epiphaniæ, Paschę, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis, neque in festo SS. Petri, & Pauli, neque in festo Omnium Sanctorum: ita declaravit S. *Congreg. die 17. Nov. 1607. teste Tonello in Enchir. Lib. 1. cap. 2. n. 4.*

His addo Concilium Provinciale Florentinū anni 1564. cum rubris *cap.* 1. ibi .. declaravit .. loca congrua esse Oratoria privata, vel loca .. in domibus munda, ubi non dormiatur.

Atque hac oblata occasione, annectam interpetrationem ad clausulam, quæ in simili concessione imponitur *salvo jure Parochiali*, quæ clausula ortum ducit, *ex cap. in his de Privil.* Quæritur ergò, quid significet?

Sit nostra Conclusio. Quòd hæc clausula denotat, non posse in Oratoriis hisce Primitias Decimas, Viaticum, Eucharistiam in Pascha Jus sepeliendi, Canonicam portionem, & Matrimonii contractum, quæ pertinent unicè ad Parochum vel exerceri, vel usurpari

Hinc infertur, quòd, si in aliqua Congregatione, vel sodalitate sit Altare dedicatum ex. gr. Annunciationi B. V. ubi ea die, vel quacumque alia (exceptis iis quæ in Conclusione declarata sunt) velint Congregati Pœnitentiæ Sacramentum suscipere, sanctamque Eucharistiam, non possint a Parocho, in cujus Parochia Congregatio, sodalitasque reperiatur, ullatenus impediri, neque ipse quidquam juris ad impediendum habeat, neque possit contendere, ut ab ipso licentia postuletur.

Ità declaravit *Rota Romana Part. 5. Recent. decis.* 152. *n.* 11. & expresse in sensu veritatis, ità consuluit *Card. de Luca de Paroch. discursu 31. a n. 5. & 8. & per tot.*

Imò ex quadam Sixti IV. declaratione apud Tonellum in *Enchyr. Lib. 1. cap. 2. n. 12.* quidam docent illam clausulam intelligi solùm *quoad Decimas Primitias, & alias oblationes.*

Unde *Pasqualigus quæst.* 643. infert, in dictis Oratoriis posse benedici Candelas, Palmas, & Cineres, & dari pacem, & denunciari festa, & jejunià.

Sed obstat *Synodus Florentina anni* 1610. *Tit. de Celebr. Miss.* ubi prohibet hæc in Sodalitatibus fieri sine licentia Parochi.

Resp. hanc Synodum esse localem, neque ad alias Civitates extendi præter Florentinam.

Deniquè, licentiam non esse a Parocho postulandam administrandi Eucharistiam, docet *Tamburinus Meth. Nuf. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 6.

Altera Quæstio gravissima insurgit, an in Oratoriis existentibus in privatis domibus satisfiat præcepto audiendi Missam a non Privilegiatis?

Hęc Quæstio magis ad Theologos, quam ad Canonistas attinet, & dicam alibi.

Satisfieri docet *Castropal. Part. 4. Tract. 22. Punct. 16. n. 13. Fagund. I. Eccl. praecept. L. 2. cap. 3. Busemb. in med. lib. 3. Tract. 3. dub. 3. n. 10. Leandr. in precept. Eccl. Tract. 2. disp.* 1. *q.* 20. & alii *apud Tonellum, ubi supra.*

Nam clausula in Privilegio Oratorii quę apponitur, ut alii non satisfaciant, ponitur (ut ipsi ajunt solùm de Stylo Curiæ, & juxta antiquum Ritum, quando, non nisi in Parochia, Fideles Pręcepto satisfacere poterant.

[ζζζζ] *NEMPE ab Aurora &c.*

Hora celebrandi est ab Aurora ad Meridiem: *Ita Pius V. in Rubr. Missal. Part. 1. Tit.* 15. Imò Privilegia quibuscumque Prælatis, aliisque concessa celebrandi Missas vespertino tempore revocata sunt *ex Pii V. constitutione 4. an-* 120
ni 1566. quę incipit, *Sanctissimus, & est Tom. 2. Bull. in* §. *enim hac præsenti* ita *legitur: hac præsenti inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore hujusmodi licentiam, & facultatem habens, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere, præsumat.*

Aurora est prima Solis irradiatio, prima aeris illuminatio, lucisque initiùm, quæ Solis ortum per horam præcedit; per horam, & quadrantem circà æquinotia, per duas horas, & quadrantem circà Solstitia, & circa media tempora plus, minusve proùt magis accedunt ad hunc, vel illum terminum.

Hinc orta tam varia opinionum dissimilitudo circà horam, Missam celebrandi; Adeò ut *Layman* putet duabus horis ante Solis ortum licitum esse celebrare, qua de re videndus *Tonellus in Enchirid. lib. 1. cap. 2.* §. 1.

Jam ut Canones adducam rem hanc decidentes; de prima hora diei est textus *in can. necesse de Conf. dist.* 1. In terris infidelium, una hora ante auroram, & una post meridiem celebrari potest *Paulus V. Contr.* 40. *exomnibus* §. 6. - Missa solemnis ante horam tertiā non dicitur *can. nocte de Conf. dist.* 1. - In quadragesima hora nona *can. solent de Conf. dist.* 1.

Verùm, ut historiam Ecclesiasticam hic proponamus, de varietate temporis Missę celebrandę, pro regionum, sæculorumque diversitate.

Sciendum, apostolica ætate Presbyteris licuisse sacrificare quolibet diei tempore, ut asserere, videtur, *Clemens apud Burear. lib. 5. cap.* 15. Cui opinioni res gestæ Apostolorum a B. Luca in sacrum relatæ volumen suffragantur: si fractionem illam panis de Synaxi, & eam usque necessariò antegressam mistagogia intelligamus; Nam ex 2. *actorum*, extremo, satis liquet, tempore orationum fuisse communicatum, quæ ad horam nonam ibidem traduntur consuetæ. Ac meminit vespertinarum Missarum Concilii Agathense *in can. convenit de Conf. dist.* 5. ibi: *& in conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum.* Et quemadmodum posteà Thelesphorus nocte Nativitatis celebrare jussit *can. nocte de Conf. dist.* 1. ita, & magnum Sabbatum exceptum fuit, cujus nocte olim divina res mirè solemniter peragebantur: ut et Prudentii hymnus huic diei dedicatus, cujus initium *inventor rutili,*

rutili, & ceremoniæ latinæ, & Missales, & Epiphanius testantur. A qua consuetudine ætate D. Augustini discessum est, *Burchard. lib. 2. cap. 54.*

Ulterius, si qua Nycephoro fides, & iis quorum nititur auctoritate. Egyptii Alexandrinis viciniores, & qui circum Thebaidem habitant Sabbathis quibuslibet a prandio circiter vesperam multam, peracta oblatione, sacra percipiebant mysteria, a quibus Afros non abhorruisse abusos exemplo instituentis Christi, tanto mysterio non satis excusso, narrat D. Cyprianus, graviterque reprehendit. *Epist. ad Cæcil.* Namqui sancti sancta volebant tractare, a vespere quidem, sed a Jejuniis Sacrificium offerebatur. Quo in sensu Concilium Laodicenum *cap.* 18. præcepit, ut in collectis tàm nonis, quàm Vespertinis eadem præcum obeatur liturgia; & Silverius Pontifex apud *Burch. L.* 13. *cap.* 12. eodem insensu ità loquitur: *Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & Vespertinis Officiis, largitis elemosinis, ad cibum accedendum est.*

Quò autem abitum sit hodiè, nemo est, qui ignoret, & jam initio hujus adnotationis docuimus.

(aaaaa) Nempe ut Semel &c.

DISSERTATIO VI.

De Missæ Frequentatione.

Circa Missæ Frequentationem, duæ se offerunt Controversiæ.

Prima an quotidiè Sacerdos debeat celebrare?

Secunda an eadem die, idem Sacerdos queat rem divinam iterare?

Prima Controversia sic decidenda. *Ut quoti-*
321 *die sacrificet Sacerdos valdè decens, congruumque est; aliquoties tamen inanno celebrare omninò obstringitur.* Quæ conclusio duas continet partes; Utraque Canonum decretis jam probabitur.

Prima pars itaquè ostenditur ratione D. Cypriani, in primis suis Epistolis; prędicat enim se celebrare diebus singulis: quemadmodum fuit a Malachia prædictum 2. futurum nempe, ut per singulos dies inter gentes, Deo munda offerretur oblatio.

Deindè huc confert ratio textus in *can. utrû* 72. *de Conf. dist.* 2. ibi: voluit Dominus hunc pa-
.. nem, & Vinum in mysterio vere Carnem suam,
.. & Sanguinem suum Consecratione Spiritus S.
.. potentialiter creari, & quotidiè pro mundi Vi-
.. ta mysticè immolari (& infra) iteratur autem
.. quotidiè hæc oblatio, licet Christus semel pas-
.. sus sit, quià quotidiè peccamus. Ecce ex hoc
.. Canone voluntatem ipsius Redemptoris, ut quo-
.. tidiè, pro mundi Vita mysticè immoletur.

Ulteriùs exempla hanc convenientiam satis demonstrant. Sanè *B. Epyphanius lib. de Sacram.* Meletio asserit Martyres etiam in carceribus Sacra fuisse operatos. Ambrosii dictum in proverbium jam abiit, *qui quotidie pecco, immolare quotidiè debeo.* Paulus Apostolus *ad Hebr.* 15. ibi: *per Christum offeramus Sacrificium omni tempore Deo.* Metaphrastes autem, quod Romæ Petrus quotidiè synaxes celebraverit, in vita ejusdem demonstrat. Hippolitus Martyr *Orat. de Consum. Sæcul.* his verbis Sacerdotes, qui ita celebraverint dilaudat: *venite Pontifices, qui pretiosum Corpus, Sanguinem meum immolastis quotidiè;* scribit VVandalbertus, fuisse solemnem consuetudinem S. Goari Presbyteri: *ut omni die Missarum Solemnia celebrans Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret.*

Verissimum est igitur, quòd etsi Sacerdos simplex nullo præcepto obligetur, ut quotidie celebret, quomodò Canones, & exempla adducta intelliguntur a Theologiæ, Canonumque Professoribus, congestis a *Diana Part.* 2. *Tract.* 14. *Res.* 19. Attamen valdè utile proficuum, plurimumque Dignitati, & Muneri Sacerdotis conveniens est, ut quotidiè Missa celebretur. Eleganter loquitur can. in *can. si non de Conf. dist.* 2. *qui non meretur quotidiè accipere, non meretur post annum accipere;* Et digna huc transcribi Sententia B. Gregorii. *Nullum ab aliis majus præjudicium, quàm a Sacerdotibus tolerat Deus, quandò eos, quos ad aliorum correctionem, & ædificationem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit.*

Venio jam ad secundam Conclusionis ejusdem partem, in qua ostendendum est, aliquoties in anno Sacerdotem celebrare oportere.

Probatur *ex cap. dolentes* 9. *de celebr. Miss.* ubi suspensionis pœna videtur comminari in eum Presbyterum, qui vix in anno celebrat.

Probatur *ex Concilio Aquensi*, his verbis.
.. Curati ter in hebdomada sacrum faciant, aut
.. eo etiam sæpius, si vel loci consuetudo, vel
.. necessitas crebriorem divini Sacrificii usum
.. postulabit: Cœteris etiam Clericis præcipi-
.. mus, ut singulis mensibus.

Probatur *ex Concilio Trid. sess.* 23. *cap.* 14. ibi. Curet Episcopus, ut ii (nempe Presby-
.. teri) saltem diebus Dominicis, & Festis so-
.. lemnibus, si autem curam habuerint anima-
.. rum, tam frequenter, lut suo muneri satis-
.. fiat Missas celebrent.

Probatur ratione, quià Verba Christi *Lucæ* 22. *hoc facite in meam commemorationem*, significant, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse, ut S. Tridentina Synodus nos docet *sess.* 21. *cap.* 1. ergo sine Culpa rei divinæ operationem omittere quocumque tempore Sacerdos non potest.

Obicies I. textum *in can. quotidiè de Consecr. dist.* 2. Ubi Sacrorum Misteriorum quotidiana perceptio voluntati cujusque relinquitur, instar mannæ, quæ secundum propriam voluntatem in ore cujusqumque sapiebat.

Resp.

Resp. Hunc Textum a Grananieto, in *cap. Presbyter de Celebr. Miss. n.* 4. intelligi in hunc sensum, ut quandoquè liceat abstinere a Missæ celebratione; non tamèn eximit omnino Presbyterum, a tali munere, quod ipsi aliquoties incumbit, ut patet ex *Epistola ad Habreos* 5. *omnis Pontifex &c. pro hominibus constituitur, ut offerat Sacrificia pro peccatis*.

Obiicitur II. Olìm unica tantùm die in singulas hebdomadas Missa celebrabatur, ut patet *ex actib. Apost. cap.* 20. ibi: *una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*; Per unam Sabbati intelligitur Dies Dominica, *Ignatius Epist.* 3. ibi: *pro Sabbathi ratione diem Dominicum celebret omnis Christianus*. ergo &c.

Resp. Ex historia Ecclesiastica. Nam in eumdem sensum locutus est Textus *in cap. in Dominicis de Parochiis*. Et eadem notitia illustratur. Olìm etenim Missa publica semel tantum in hebdomada celebrabatur. Posteà verò, quàm Gentilium persecutiones quieverunt, invaluit, ut omnibus festis diebus publicæ Missæ celebrarentur, quod secutum est ante tempora Fabiani Papæ. Vicecomes *Volum. 3. de Ritibus Missæ lib* 3. *cap.* 11.

Obiicitur III. ad demonstrandum, quotidianum Sacrificium a SS. nonnumquàm intermissum; nam S. Basilius quater tantum in hebdomada sacrificabat, ut ipse scribit *Epist. ad Cæsareen.* Epiphanius verò testatur *Her*, 68. prisci ævi Sacerdotes, quatèr item per hebdomadam synaxim celebrasse. Ambrosius etiàm *in illud Pauli nisi ad invicem* testatur, se non quotidiè Missam facere solitum.

Sed Resp. De Tempore jejuniorum ea intelligi debere: vel de Ecclesiæ, Religionis ve alicujus peculiari usu: quamquàm universè dici potest, iis diebus, quibus sacrum non fieret, Eucharistiæ nihilominus Sacramento veteres communicasse, ut elicitur ex *Epistola* S. *Gregorii Papa lib.* 10. *Epist.* 31. *ad interr.* 31.

Post hæc *II. Quæstio*; Ita decidenda. *Sæpius*
122 *in dies, Divinis Rebus unus Presbyter operari non potest. Jure tamen naturali, ac divino id prohibitum non est*.

Quę assertio historiæ Ecclesiasticæ notitia adeo illustrari potest, ut laborandum non sit in exquirendis argumentis, ad fidem illi conciliandam.

Ex *canone relatum* 11. *de Consecr. dist.* 2. admonemur, quondàm ob Sacerdotum exiguum numerum eodem die cònsuetum, plures Missas ab eodem celebrari. Hinc Triburiense Concilium mirè commendat magnû ac Sanctû Leonem, quòd septies, vel octies uno die ipsemet sit Sacrificio defunctus; Hoc est enim quod ibi PP. loquuntur 3. *Missas superponere*.

Mox in Concilio Saleguftiadensi habito anno 1022. *can.* 5. facultas hæc contrahitur, caveturque licere solum quotidiè semel, iterum, & tertio ad summùm tremendis operari mysteriis.

Factaque, annorum decursu, majori Sacerdotum accessione, atque frequentia eo res deducta est; Ut uno die dumtaxat unicam celebrare Missam fuerit decretis Canonicis imperatum, exceptis quibusdam diebus, ut si magna necessitas interveniat *can. sufficit de Conf. dist.* 1. Quæ necessitas est, ad conficiendum Viaticum, quandò alio modo haberi non posset; Tunc verò Missa potest incoari ab oblatione, imo a Canone, & terminari statim post Communionem *Tonellus in Enchyr. lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 1. Rursus necessitas isthæc dicenda, cum complendum est alterius Sacrificium, nisi præsto sit alter Sacerdos, qui non celebraverit, *Tonellus ubi supra*.

Exceptus erat etiàm dies Resurrectionis Dominicæ, quo die olim bis celebrare permittebatur; Quemadmodum & exceptus erat dies, quo justa defuncto peragebantur. En verba Concilii Oxoniensis anno 1222. tempore Honorii III., ibi: *ne Sacerdos quispiam Missarum Solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis, & resurrectionis Dominicæ, vel in exequiis Defunctorum &c.*

Hic nondum finis. Excipiebatur etiàm dies Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ut infertur *ex Ordine Romano de Divinis Officiis* ibi: In Natali S. Joannis Baptistę; *Ideo tres Missæ celebrantur, idest una in vigilia ejusdem, dua in die Nativitatis ejus, quià tribus triumphis refulsit insignis, idest Officio Præcursoris, Baptistæ ministerio, & quià Nazaræus ex utero Matris permansit*.

Sed prisca illa libertas erepta est; atque imperatum, ut semel in dies Prebyteri celebrarent; excepto die Nativitatis Dominicæ. Quæ constitutio id decernens est *in cap. consuluisti de Celebr. Miss. in cap. nocte Sancta de Conf. dist.* 1. *in cap. sufficit ib. in cap. Presbyter de Celebr. Miss.* & excepta necessitate urgentissima, de qua fuse *Grananietus in cap.* 1. *de Celebr. Miss. n.* 7. His temporibus Valentię Sacerdotes bis in die celebrant in commemoratione videlicet defunctorum, teste *Gonz. in d. cap. Consuluisti in fine*.

Quodverò spectat ad tres Missas in die Nativitatis Dominicæ. Non sine Mysterio tres hoc tempore missæ; Nam prima pertinet ad generationem æternam, scilicet de Patre sine Matre, secunda ad temporalem scilicet de Matre sine Patre, tertia compacta est, quià de utraque agit, & ideò pertinet ad æternam simul, & temporalem de quibus tribus Missis *Innoc. III. in cap. ex parte de Celebr. Miss. in cap. consulvisti ib.*

In his Missis observandum, *ex cap. ex parte de Celebr. Miss.* ante ultimam Missam ablutionem a Sacerdote non accipi, ut jejunus possit, & tertiam celebrare, si velit; Nam non quidquid sanguini admiscetur sanguis est *can. quod in dubiis extra de Consecr. Eccl.*

Neque verò desinit esse jejunus Presbyter, eo quòd ante ultimam Missam communicet, ut perperàm quidam existimabant, quos ob urgat tex-

tus *in can. relatum* 11. *de Conf. dist.* 2. Hæc quæ etiàm fuit opinio Græcorum Stercoranistarum teste *Gonz. in cap.* 5. *de Celebr. Mis. in fine com.*

Ex hac historia hactenus prolata, ad hæc usque nostra tempora, quid observetur circa facri hujus Mysterii frequentationem, dilucet. Iamque etiàm facilè suademur, ex hac varietate temporum, ex hac varietate præcepti Ecclesiastici; Non esse vetitum Jure naturali, ac divino Mysteria divina repetere. Quià quæ Juris divini, ac Naturalis sunt remanent immutabilia. §. *sed naturalia Jura Inst. de Jure Nat. gent. & Civil.*

[bbbbb] Nempe ut post suam Ordinationem &c.

Habetur in *Concilio Trid. sess.* 22. *cap. Barbosa lib.* 1. *de Univers. Jur. cap* 34. atque hęc est optima consuetudo, quæ in Florentina Dięcesi servatur, & alibi etiàm, ut arbitror.

(ccccc) Ritus &c. Nullatenus omittantur.

DISSERTATIO VII.

De Ritibus Missæ.

Hanc de Ritibus Sacrificii Missę Assertionem

123 propono. *Ritus, qui observantur in Missa, penè omnes sunt vetustissimi.*

Probatur I. ex *can. Ecclesiasticarum dist.* 11. ibi: *Nam non modo, quod in Evangelio continetur, vel ab Apostolo insertum est in secretis dicimus: sed & alia plura adiicimus magnam quasi vim commendantis mysteriis.* En Canonem conclusionem nostram expressè confirmantem: Etsi *Lindanus in Apologia pro liturgia S. Petri Græca*, probet, a S. Petro fuisse prescriptam totam Missam Latinam.

Probatur II. a partium enumeratione.

Introitus qui constat ex scriptura, & versic. *Gloria Patri*, a Cęlestino institutus creditur - *Walfrid. cap.* 22. *de Reb. Eccl. cap. consilium de Cel. Mis.*

Sequitur *Kirie eleison* five *letania* Græcis: & constat ex antiquis liturgiis; ejus usus etiàm in Ecclesia Latina. Unde Concilium Vasense, quod fuit celebratum anno 350. ante Gregorii tempora jubet, Sacerdotes in Gallia ad Missam dicere *Kirie eleison*.

Constat ex *Arriano lib.* 2. *de Epicteto cap.* 7. qui ait: *adversus illos, qui acturi iter anguria captant, nunc trementes aviculam tenemus, Deumque invocantes precamur Chrie eleison, Domine miserere, permitte mihi exire.* Constat inquam in captandis auguriis olim his verbis usos fuisse *Covar. lib.* 4. *cap.* 23.

Hymnus *Gloria in Excelsis Deo*, qui Thelesphoro tribuitur quomodo canatur disponitur *in can. hi duo* 55. *de Conf. dist.* 1. *in can. porrò ib. in can. de hymnis ib.*

Salutatio *Dominus Vobiscum* sumpta creditur ex *Libro Ruth.* 11. Sic enim legitur Booz salutasse messores suos, Et Propheta in *Paralipomenon*, Assa Regem, & qui cum eo erant: Et Angelus salutans Gedeonem dixit: *Dominus tecum*: de hac salutatione Joan. Chrisostomus *Homilia* 36. 1. *ad Korinth.* ibi: *ubi nos capimus loqui Dominus vobiscum, cum spiritu tuo plebs respondet, & Textus in can. non omnis* 2. *q.* 7.

Orationes, quę *collecta* dicuntur, eo quod in ipsa Oratione adstantium preces omnes colliguntur, *Microlog. de Eccl. observ. cap.* 3. a variis, prout varia Officia sunt, decretæ fuerunt; & in Concilio Milevitano statutum, ut collectæ nonnisi approbatę dicerentur.

Epistolam semper adhibitam, constat ex *Tertull. Apologet. cap.* 30. *ex can. perlectis dist.* 25.

Graduale Epistolæ subiicitur, & est Antiphona *graduale* dicta, eo quòd canebatur, dum Diaconus interim ad legendum Evangelium scalae gradus ascendebat *Bellar. lib.* 2 *cap.* 16. *de Missa* - ut Graduale caneretur Gelasius ordinavit, *Sigibert. an.* 416. Significat Graduale, nos operibus respondere eis, quę in lectione audivimus, scilicet prædicationem; Et quia Prædicationes Prædicatorum secutæ sunt laudes, & Gaudia Ecclesiæ, *Duran. L.* 4. *cap.* 19. *Divin. Off.*

Evangelium cum *prosa* seu sequentia præterea canendum. Nocherius Abbas S. Galli, in Theutonia primò *sequentias* pro pneumis ipsius alleluia, jam composuit; & Nicolaus Papa ad Missas cantari concessit. Evangelium cantari solitum jam inde a priscis saeculis, patet ex *d. can. perlectis dist.* 25. - Ut omnes Evangelio assurgerent Ritus Apostolicus erat. *Clemens lib.* 2. *Const. cap.* 61.

Symbolum Constantinopolitanum in missis cantari solitum, patet ex *Liturgia Chrisostomi* recitandum in omni Dominica præscribit *Eugen. IV. in Decreto unionis Armenorum* - Olim in omnibus Ecclesiis ante octo dies Dominicæ Resurrectionis erat recitandum *can. Symbolum de Conf. dist.* 4. Marcus Papa I. statuit, illud alta voce cantari *Duran. lib.* 4. *cap.* 2. *Divin. Off.* Alii a Benedicto VII. id imperatum putant, *Baron. Tom.* 5. *Ann. anno* 447. *n.* 24.

Offertorium sequitur; et est Versus aliquis S. Scripturæ cani solitus, dum populus Panem, & Vinum, resque alias offerebat, atque hic cantus fuit ab Euthichiano Pontifice institutus.

Offertorio finito, & materia Sacrificii præparata subiungitur præfatio, ejusque antiquitatis locupletissimus testis est, Pelagius II. *in can. invenimus de Conf. dist.* 1. & Cyprianus *in can. quando de Conf. dist.* 1. & *can. sanctorum dist.* 70.

Additur *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, ut habetur passim in liturgiis, & *est Canon Concilii Vasensis* 61. Et Chrisostomus *Homilia* 14. ad Ephesios hæc habet: *quomodo potes eum illis dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quidam

Tri-

Trisagium a Sixto, qui octavus Pontifex a Petro sedit ordinatum in Missa, docent, *Merol. de Eccl. Observ. cap. 11.* Petrus Tullonius pessimus hæresiarca trisagio addiderat hæc verba qui *pro nobis Crucifixus Baron. anno 492.*

Præmissis his omnibus subiicitur Canon. Constat Canon tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus; Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Canonem, quo utitur Ecclesia ex Apostolica traditione susceptum, probatur ex Vigilio Papa in Epistola ad Eleutherium *cap. 5.* ibi: *Quapropter cum ipsius canonica precis textum dixerimus subter directum, quem Deo propitio, ex Apostolica traditione suscepimus.* Antiquior est Canon omni memoria. In Liturgia S. Petri totus habetur, sed parum auctus, saltem sanctorum nominibus; fuisse finitum totum ante Concilium Moguntiacum, probat *Bellarm. L. 2. de Missa cap. 20.* Incipit Canon a *Te igitur clementissime Pater. Actio vocatur a S. Dionisio.* De ejus vetustate est Textus *in cap. cum Martha de Celebr. Miss.* Nominare Pontificem in Canone vetustissimus mos est. Hodie Pontifex celebrans, ita ait: *Una mecum indigno famulo tuo, cap. 3. de Celeb. Miss.*

Post Canonem Oratio Dominica dicenda cujus omnes liturgiæ, & veteres meminerunt *Cirillus Catheeb. V. Myst. Ambros. lib. 5. de Sacr.* de qua est Textus *in can. id semper de Cons. dist. 5.*

Agnus Dei in fractione Dominici corporis decantatur, quod annos penè mille a Sergio Papa institutum *Strabo* testatur.

Verba *Domine non sum dignus* antiquissima item esse, testis est Cyprianus *lib. 2. Epist. 3.* ibi: *& ante quàm sumeretur Corpus Christi, sive a Sacerdote, sive alio, dicebat non sum dignus,* rursus idem testatur *Eusebius Emissenus Domin. 2. post Epiph.* ibi.. Quandò verò ad Christi Sa-.. cramentum accedimus, quid aliud dicit unus-.. quisque vestrum, nisi *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

Post Orationes dimittitur Populus per verba ite missa est. De orationibus his, est Textus *in can. species de cons. dist 2.* Verba autem *ite missa est* annunciant Populo, quòd Missa finita est, quoniàm ante hunc finem nullus exire debet de ecclesia juxta Textum *in can cum ad celebrandam de Cons. dist. 1.*

De aliis Cæremoniis veluti de Pace danda, est Textus in *can. perlectis dist. 25. in can. pacem de Cons. dist. 2.*

Illud non omittam, olim consuetum fuisse, nomina Fidelium, qui oblationes fecissent in dypticis idest Tabulis describere, & ea recitare inter Missarum solemnia, ut Sacerdos pro his oraret, de quibus dypticis est Textus *in can. de nominibus de Consecr. dist. 1. in can. sanè profertur 24. q. 2.* In his etiam describebantur nomina Papæ, Patriarcharum, & Episcoporum, *Fortunatus Episcop. lib. 10. Carm. 10.*

Nomina vestra legat Patriarchis, atque Prophetis,
Cui hodie in templo dypticus edit ebur.

Cum ergo pateat, vetustissimos esse ritus Missæ, nullatenus erunt omittendi, nisi universalis Ecclesiæ usus maluerit, ut aliquid omittatur veluti illa nominum recitatio ex *dypticis*, & dummodò a traditionibus apostolicis non recedatur.

[ddddd] *Cantus indecens &c. amoveatur.*

En Constitutionem Concilii *Trid. sess. 22. in decreto*, ibi: *ab Ecclesiis verè Musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur &c.* amoveant. 124

Quod et deciditur *in cap. docta de Vita, & Hon. Cler. in extrau.* deciditur, *in can. cantantes dist. 92. & can. in sancta ib.*

Cæterum musicam, usumque canendi minimè reprobari patet *ex D. Bernardo in meditationibus cap. 11.* ibi: *sæpe ad sacrum ministerium vocem meam fregi, ut dulcius cantarem.*

Etiàm Populus Clero olim promiscuè concinere solitus, unde illud Ausonii in Ephemeride.

Consona, quem celebrant modulati carmine David
Et responsuris ferit aera vocibus amen.

Et de hymnis in Ecclesia cantandis est Textus *in can. de hymnis de Cons. dist. 1.* Hinc et cantores instituuntur *can. psalmista dist. 23.* & ad evitandam confusionem, ne Laici præter certos in Ecclesia deputatos psallerent, provisum *est ex can. 15. Concil. Laodic.*

[eeeee] MISSA *Præsanctificatorum &c.*

Missa præsanctificatorum illa est, in qua Corpus, & Sanguis non consecratur; sed Eucharistia antea consecrata, sub sola specie Panis proponitur, & sumitur, præmissis psalmis quibusdam, & Lectionibus, & Orationibus. Hujus ritus origo refertur ad Synodum Laodicenam, cujus *canone* 49. ita fuit decretum: *non oportere in quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominicis tantum,* & idem affirmat *can. 25. Concilii Trull.* 125

Græci in omnibus Sanctæ Quadragesimæ jejuniis, præter quam Sabbato, & Dominica, & S. Annunciationis die, faciunt sacrum præsanctificatorum martyrum.

Latina Ecclesia solum in die Sancta Parasceves id servat, quo Dominicæ Passionis memoria recolitur. Nam traditio Ecclesiæ habet hac die Sacramenta ad mærorem indicandum non celebrari *can. sabbato de Cons. dist. 3. can. visum de Cons. dist. 1.*

[fffff] *Græci sub Idiomate utantur, suisque ritibus &c.*

Græcis observare suos ritus, dummodò abu-
126 sus non irrepserint, qui incolumi fidei Catholicæ sanctitate tolerari non possint, Sacrorum Canonum concors permittit auctoritas. Textus in *cap. cum secundum de tempor. ord. in cap. quod translationem ib.*

Audiantur verba Leonis X. scribentis Michaeli Cærulario *cap.* 29. .. Omnes Latinorum .. Ecclesias penes vos Clausistis Monachis Monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris .. viverent institutis: Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, & .. clementior vobis est. Siquidem, cum intra, .. & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, nullum .. eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a .. Paterna traditione, sive sua consuetudine .. quin potius suadetur, & admonetur eam .. observare.

Et in Concilio Florentino Grecis suos ritus esse relictos tam notum, ut verba Concilii referre supervacaneum sit.

A tempore Clementis VIII. *anno* 1595. *Const.* 35. Romę in Ecclesia S. Athanasii non modo singulis Dominicis, & festis liturgię, idest Missę, ceteraque Officia Ecclesiastica ritu planè græco publicè celebrantur, & decantantur, & ordines ipsi tàm sacri, quàm non sacri, ritu greco, juxta Euchologii ipsorum praescriptas cæremonias, ab Episcopo græco conferuntur, ut notat *Morinus de Sacris Ord. P.* 1. *cap.* 4. Quin etiàm Urbanus VIII. hanc constitutionem edidit quæ refertur, *ab eod. Morin. ib.* his verbis: .. Curet Protector procurationi Collegii specia- .. liter deputatus, ut Græcus aliquis, ex Oriente .. græco ritu consecratus Episcopus, Romæ ad .. divina officia atque ordinationes ritu græco .. in Ecclesia S. Athanasii peragendas, quique .. ad cæremonias, & ritus Orientalis Ecclesiæ .. faciunt docere alumnos, possit, & ipsos per .. omnia servet. Itèm infra. Jurent Italo Græci .. statum Ecclesiæ, ac sacros Ordines usque .. ad Presbyteratum ritu greco servaturos quan- .. doque, & ubi superioribus visum fuerit.

Est et Bulla *Clementis VII.* quæ incipit *provisionis*, ibi .. Missasque, & alia divina officia .. secundum eorum antiquam consuetudinem .. celebrare.

Cumque olim eo deventum esset, ut Presbyteri greco ritu ordinati Missas latinas passim celebrarent, & vicissim Latini grecas; Cumque ad Pium V. id perlatum esset, id severe prohibuit anno 1566. const. in Bullario 12. & utrisque Presbyteris prohibitum est alieno ritu Missas celebrare Græcis latino ritu, & Latinis greco; videndus *Morinus supra citatus*.

Si vero in specie de ritibus aliquid audire placeat, qui Græcis in usu sunt.

Sciendum, Flabellis Græcos uti in Sacrificio
127 Missæ. Quæ Flabella fuerunt instituta, ut a sacris Donis Muscę, aliaque id genus animalcula abigantur. Flabella autem motitare, & ventilare Diaconorum munus est. *Clemens L.* 8. *cap.* 12. Flabellorum hujusmodi in sacra Synaxi, cum Sacrificium celebratur, mentionem faciunt liturgię S. Chrysostomi, S. Basilii, aliæque greçę, atque etiam syriacæ.

Si forte Flabellum præsto non sit, solent Greci linteola, aut etiàm vela sanctorum Donorum apprehendere, & cum iis ventilare.

Hujus flabelli nullus in Ecclesia latina usus est.

Neque obstat, quod habet Joannes *Moscus prati Spiritualis cap.* 150. quod quidam presbyter Italus, celebrans coram Pontifice, dixerit Agapeto: *Diaconum illum propè me absistentem, qui flabellum tenet ab Altari remove*.

Nam Morinus respondet Italum hunc Presbyterum, ex usu Græcorum esse locutum, potius ad Diaconum illum demonstrandum.

Nec pariter obstat *Epist.* 8. *Hildiberti Canomanensis Episcopi*, qui ait in sua Provincia flabella in Sacrificio fuisse usurpata. Nam idem Morinus Respondet ibi significari factum alicujus Episcopi tam speciale, & extraordinarium, ut indè illatio de omnibus minimè sequatur.

Forma flabelli, est hæc: Manubrium ligneum oblongum, in cujus extremitate inseritur Cherubini facies sex alis circumdata.

Materia flabelli describitur a Clemente *lib.* 8. *Const. cap.* 12. ibi .. Duo Diaconi ex utraque .. parte Altaris teneant flabella, ex tenuibus .. membranis, aut ex pennis Pavonis, aut ex .. linteo, ut parva animalia abigant &c.

Ultra hæc in Missa Græcorum est *Antidorum*, idest panis ille fermentatus, ex quo excisæ sunt sacræ particulę, quæ postmodum in Missa consecrantur. Panis ille utplurimùm rotundus est, & ab iis *prosphora* vocatur. Crucem habet in medio: intra latera Crucis hæc verba sunt: *Jesus Christus vincit: Isus Christos nica*.

Cum Sacerdos Missam est celebraturus, primùm particulam, quę major est ex hoc sigillo excindit, deindè alias. Hoc autem facit in mensa idest in Altari *propositionis*; narrat *Morinus ubi supra*.

(ggggg) Una Missa &c.

Qui pro pluribus missis plura accipit honoraria, unica Missa non satisfacit.

Alexander VII. damnavit hanc Propositio- 128
nem .. Non est contra Justitiam pro pluribus .. Sacrificiis Stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque est contra fidelitatem, etiàm si promittam, promissione .. etiam juramento firmata, danti stipendium .. quod pro nullo alio offeram - notat *Tonellus in Enchyr. lib.* 2. *cap. un. pag.* 135.

Sacra Congregatio anno 1625. die 21. Jun. .. Sacra sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac precipit, ut absolutè, tot Missæ celebrentur quot ad Rationem tributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint.

Alia declaratio emanavit die 25. Jan. 1659.

quam

quam Alexan. VII. approbavit, & decretum publicari jussit die 20. ejusdem mensis ubi deciditur, Sacerdoti non licere applicare fructum specialissimum Sacrificii, scilicet eam partem, quæ ipsimet Sacerdoti contingit pro novo stipendio *Guimenius Tract. de Sacrif. propos.* 2. *n.* 2.

(*hhhhh*) *Quę lucri redolent Cupiditatem &c.*

Ut verò intelligat Juris studiosus, quandonam in stipendiis Missarum hęc lucri Cupiditas appareat. Hæc exempla subiiciam.

129 In Hispaniis invaluerat sub *Paulo V.* anticipate Missas celebrandi, & deindè, oblata occasione stipendii accepti multo post, credebatur satisfactum. Jam verò Missas anticipatè dicere pro Oblationibus in futurum dandis ab aliquo, prohibitum est die 15. Novemb. 1605. decretum refert *Barbosa de Off. & Pot. Episcopi P.* 2. *all.* 24.

Sacra Congregatio sub Urbano VIII. in §. *ac similiter*: prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosina, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosinę sibi retenta, celebrandam committat: Retuli verba decreti.

Dicendum aliquid de reductione Missarum. Eadem Sacra Congregatio ita decernit.. ac pri-.. mò districtè prohibet, atque interdicit, ne.. Episcopi in Dięcesana Synodo, aut Genera-.. les in Capitulis Generalibus, vel alias quo-.. quo modo reducant onera ulla Missarum ce-.. lebrandarum, aut post idem Concilium Im-.. posita, aut in limine fundationis; sed pro.. his omnibus reducendis, aut moderandis, vel.. commutandis, ad Apostolicam Sedem recur-.. ratur &.

Olim quidem redigere Missas ad minorem numerum spectabat ad Episcopum, *cap. cum accessissent, cap. ex parte* 12. *de Const.* Imò, etsi supradictum decretum Congregationis emanatum *sub Urbano VIII. apud Basseum Verbo Missa VI.* adimat Episcopis hanc facultatem; attamen intelligitur id cum *Bordono de Legatis cap.* 15. *n.* 20. ut tamen Episcopus habeat facultatem reducendi Missas receptas ante Concilium *Tridentinum in cap.* 4. *de Refor. sess.* 25. in decreto. Post Concilium verò omnibus abrogata fuit facultas reducendi Missas, & hodie recurrendum est ad S. Congregationem.

(*iiiii*) *Si anniversaria relinquuntur &c.*

Anniversarium illud est, quod fit pro Defuncto, anno revoluto, a die mortis suæ. Ab

130 Ecclesia quotannis hoc celebratur, pro Defunctis *can. visum de Cens. dist.* 1. Romanus Pontifex singulis annis in suo sacello celebrat pro Papa prædecessore *Grazian. decis.* 22. *n.* 18.

Sed possunt relinqui anniversaria a singulis fidelibus, ut patet exemplis, quæ videre est in *cap. cum creatura de celebr. Miss. can. animæ Defunctorum* 13. *q.* 2.

In his anniversariis potest contingere, ut qui anniversarium relinquit, non exprimat numerum Missarum. A quo igitur numerus hic taxari debet?

Perez *de Anniversariis L.* 1. *cap.* 10. putat non ab hærede; sed arbitrio boni viri numerum statuendum esse inspecta Defuncti qualitate, ejusque facultatibus.

Probatur ex *L. si cui ff. de ann. legat. Gamma decis.* 185. *Zabarella Clement.* 1. *de Test. num.* 27.

Probatur ratione, quia in relictis ad pias Causas arbitrium boni viri semper tacitè connexum est, *Baldus in L.* 3. *C. de Furtis n.* 4. *Covar. in cap. indicante n.* 4. *de Testamentis*.

Sed novissimè sacra Cardinalium Congregatio dubitationem hanc sustulit; quæ decrevit in *Resol. dub. anno* 1626. *dub.* 5. unicè ad Episcopum talem pertinere taxationem. Plures elegantissimas Quæstiones subministrat *Perez in suo ornatissimo tractatu de Anniverſ.*

[*lllll*] *Cum stipendia Missarum &c.*

Clerici tria Bonorum genera possident, seu triplex est Clerici peculium. I. Continet proventus Beneficiorum. II. Patrimonialia, quæ ex mere temporalibus causis procedunt, hæreditate, Donatione, labore, industria *Cabas. scientia Can. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 4. III. continet quasi patrimonialia, seu mixta, quę acquirunt *tamquam Clerici*, ex aliquo ministerio Ecclesiastico diversaque sunt a Proventibus Beneficii, ut concionando, Confessiones audiendo *Missas celebrando*.

Stipendia Missarum deberi ex Justitia indubitatum est; Textus hac de re sunt apertissimi, 131 *in cap. cum secundum de Præb. & dignit. in can. Sacerdos, in can. Clerici* 1. *q.* 3. *can. mos est* 12. *q.* 2. *can. quoniam* 16. *q.* 1.

Quin etiam ministri Ecclesiæ possunt etiam in foro externo, & via judiciaria stipendia, 132 aut lege, aut consuetudine, aut privato pacto constituta petere, *Gibalinus de Simonia q.* 18. *consect.* 6. *n.* 5. *Bellett. disquis. Clerical. P.* 1. *de Bon. Cleric.* §. 3. *n.* 18.

Ea Missarum stipendia nonnullis fruuntur Privilegiis.

Nam imprimis gaudent Privilegiis alimentorum *Perez de Anniversar. L.* 1. *cap.* 2. & 20. *Mascard. de Prob. conclus.* 1171. *n.* 54. *Guido Papa decis.* 576.

Missæ insuper, quæ dictæ sunt, aut nondum humato corpore, aut recenter humato, gaudent *Privilegio prælationis*, ut Sacerdos in his 133 stipendiis in concursu aliorum creditorum præferatur.

Ratio est; quia Missarum stipendia veniunt appellatione impensarum funeris *Glossa in Clemen-*

meu-

mentina dudum, §. *verum ne verf. funeralibus de Sepult. Gamma decif.* 308. *n.* 2. *&* 30. *Costa de Por.* *&* *Rata q.* 13. *n.* 2. *&* 30. *& q.* 144. *n.* 2. *Surdus Decif.* 255.

Porro indubitatum eſt, quod impenſæ funeris habent prælationem, & anterioritatem in concurſu omnium Creditorum. *Rodriquez de Concurſ. Cred. Par.* 1. *art.* 4. *n.* 4. *& per tot. Gratian. diſcept. For. cap.* 94. *n.* 2. *& ſeqq. Beltramin. ad Ludoviſ. decif.* 421. *n.* 14. *Martius Medices decif.* 21. *per tot.*

Et quod recenter humato corpore pro Miſſis celebratis ſtipendia gaudeant prælationis Privilegio, videtur, docere, *Coccinus decif.* 2103. *n.* 6. *conſonat Merlinus de Legitima lib.* 2. *Tit.* 1. *q.* 15. *n.* 8. *&* 9.

De reliquis Miſſarum ſtipendiis quid ſit ſtatuendum alibi dicemus. Interim de oneribus Miſſarum in perpetuum impoſitis illud ſtatutum, ſciamus oportet, a *S.* Congregatione, ſub Urbano VIII. ut pecuniæ, ac bona mobilia, pro his oneribus relicta, ſtatim deponantur, *ad effectum quam primum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis.*

DE EXTREMA

UNCTIONE.

TITULUS VII.



Uintum (*a*) Sacramentum eſt extrema Vnctio, quod infirmo, (*b*) de cujus Morte timetur, tantummodò exhibetur; Nam et hinc Sacramentum exeuntium, appellatur. *Concil. Florent. in inſtr. Harmen. in* §. *quintum. Trident. Seſſione* 14. *cap.* 3. *in doctr. de Sacram. ext. Unct.*

Materia [*c*] hujus Sacramenti, eſt Oleum olivæ per Epiſcopum benedictum, *Conc. Flor. et Trid. loco. cit. cap.* 1. Miniſter (*d*) verò Presbyter, ſivè is Epiſcopus ſit, ſive alius Sacerdos ab eo ritè ordinatus, *Trid. dicto loco. can. illud* 93. *diſt.* qui infirmi oculos, aures, nares, os, manus, pedes, et renes hoc ſacro oleo inungit, adhibita hac verborum formula: *Per iſtam Sanctam Unctionem, et ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum &c.* Et ſimiliter (*e*) in aliis Membris *Con. Flor. eod.* §. *quintum.* Honeſtatis tamen ratio poſtulare videtur in Fęminis, ut renes non ungantur. *Bellarm. de extr. Unct. cap.* 10.

Interdictum [*f*) verò Relligioſis eſt, ne hoc ſacramentum Clericis, aut laicis conferant, abſque ſpeciali licentia Presbyteri parochialis, ſub excomunicationis pæna ipſo facto incurrendæ, cujus et abſolutio Romano Pontifici reſeruata eſt *cap.* 1. *in princ. iuncto* §. *fin. de Priu. in clem.*

SUMMARIUM.

1 *PRobatur fuſe lateque, Extremam Unctionem eſſe Sacramentum.*
2 *Obiecta diluuntur.*
3 *Kemnitii oppoſitio refellitur.*
4 *Græci Unctionem extremam etiam benè valentibus conferebant.*
5 *Refellitur Franciſci Roia illatio quadam ex hiſtoria.*

6 *Al-*

EXPLICATIONES:

LECTORI.

Titulum supra traditum de extrema Unctione iisdem verbis desumptum ex Canisio jam explicandum aggredimur. *Vides nos non ità nostris delectari, ut aliena respuamus. Imò quemadmodum artifex, putat suo operi pretium adjici, si externis in Regionibus effossa marmora, aut statuas alieno artificio affabre factas, admisceat; ita qua viri admirabiles, qui mihi in institutionibus scribendis praluxerunt, scripta posteris reliquerunt, veluti pretiosa ornamenta hujus operis, adhibebo interdum; Ita fiet, ut qua rudia sunt, & malè compacta, aliquid splendoris, & venustatis aliundè mutuentur.*

(a) Quintum Sacramentum.

DISSERTATIO I.

Ex hujus Textus parte talis deducitur assertio:
1 *Extrema Unctio est verè, & propriè Sacramentum.*

Probant hanc assertionem Catholicā textus Juris Canonici, *in can. illud superfluum dist. 95. in can. ab infirmis in fine 26. q. 7. in can. omni in fine de Conf. dist. 4. Concil. Constantiense sess. ult. in constitut. Martini V. Concilium Regiatinum cap. 8. Alexander III. in cap. quæsivit de V. S. cap. un. de Sacra Unct. Concilium Florent. de Unione Armen. Vers. 5. Sacramentum, Trident. sess. 14. can. 1. Concil. Coloniense cap. ult.*

Probant Sancti Patres; *S. Joannes Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio*, ibi: Neque enim solùm, cum nos regenerant, sed posteà etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur, inquit, inter vos aliquis arceffat Presbyteros, Eo quod hic Sanctissimus vir, suo quoque ævo cognitum, receptumque, & in usu positum fuisse, testatur hujusmodi Sacramentum. S. Cyrillus Alexandrinus *L. 6. de Adoratione in spiritu, & veritate* proponens remedia contra incantationes. Ait: *commorabo etiam divinitus inspiratam scripturam, qua ait: infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros;* Adeòque hujusmodi Unctio V. etiam seculo usitata invenitur: Atqui hæc remissionem peccatorum conferebat, ut docet Apostolus; Illam ergò Sacramentum esse, S. Cyrillus agnovit. S. *Augustinus in Speculo* eadem verba D. Jacobi referens, ea novi testamenti præceptum existimat. Origenes *Homilia XI. in levitic. scribens;* dum loqueretur de Universa Christiani hominis pœnitentia, quæ complectitur Sacramentum Pœnitentię, & Sacramentum extremę Unctionis, quæ consumatio & perfectio pœnitentiæ

tiæ

declaratur etiam esse hanc Unctionem Infirmis adhibendam.

Narrat tamen Simeon Thessalonicensis *L. de septem Sacramentis*, *Arcudius*, *Iacobus Goar. Leo Allatius*, *& alii relati a P. Natali Theologia Dogmatica L. 2. cap. 4.* Extremam Un-
4 ctionem in Ecclesia Græca solitam fuisse conferri non tantum ægrotantibus, verum etiam peccatoribus bene valentibus.

Verum, cum Eugenius IV. in Decreto Concilii Florentini, ubi, & Græci convenerunt, declararet, *hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere*, hęc potius falsa Pietas vocanda Græcorum. Equidem infirmis tantummodo hoc Sacramentum dandum, certum est, neque aliter observandum.

Nec verò initio morbi extrema Unctio conceditur, ut explicat *Catechismus*, dummodò adhuc æger sit integris sensibus.

Neque illa ratio, quam tradit Franciscus Roie in *Inst. Can. L. 2. Tit. IX.* ullo modo
5 probatur. Ait enim ideo initio morbi Unctionem non tribui, quia vulgo persuasû erat post extremā Unctionem coniuges si convaluerint, ad se invicē redire non posse. Quem errorem Synodus VVirgorniensis damnavit. Ego non video quomodo hoc vulgus posset existimare; Si hoc numquam permissum fuit.

(c) *Materia hujus Sacramenti est oleum &c.*

DISSERTATIO II.

Ex quibus verbis talis assertio deducitur: *Ole-*
6 *um pontificali benedictione consecratum, quod fuerit ex baccis olivarum expressum jam antea, materia est hujus Sacramenti*. Probant eam Textus *in cap. unico de Sacra Unct. Engen. IV. in decreto unionis Armen §. quintum. Concil. Trid. sess. 14. de Extrem. Unct. cap. 1. Concilium Meldense can. 1. teste Burcardo L. 4. cap. 75. & Juone Part. 1. cap 269. ibi* .. Presbyter in .. Cœna Domini ampullas tres secum deferat, .. unam ad Chrisma, alteram ad oleum ad .. Cathecumenos inungendos, tertiam ad infir- .. mos juxta Sententiam Apostoli, ut, quan- .. do quis infirmatur, inducat Presbyteros Ec- .. clesię &c. *Beda in cap. VI. super ea verba Damonia multa eiiciebant, ibi* .. Undè patet, .. ab ipsis Apostolis hunc Sanctæ Ecclesiæ mo- .. rem esse traditum, ut energumeni, vel alii .. quilibet ęgroti ungantur Oleo Pontificali be- .. nedictione consecrato. *Concilium Aquisgranense 2. sub Ludovico cap. 8. ibi* .. Ut in .. die Cęnæ Oleum Sanctum conficiant, quia .. in eo salvatio infirmorum esse, creditur. *Concilium Moguntinum sub Gregor. IV. ibi* .. Sacra cum unctione Dei animati, secundum .. Statuta SS. Patrum Communione Viatici re- .. ficiuntur.

Verum hæc Catholica Sententia aliquas oppositiones habet. Nam valdè obstare videtur Innoc. 1. Epistola ad Decentium, in qua habetur, 7
quod fideles ægrotantes sancto oleo Chrismatis ungi possunt ab Episcopo confecto. II. Confirmatur difficultas ex Concilio *Aquisgranensi sub Gregorio IV. can. 8.* ubi decernitur, *ut quotannis in feria V. Cena D. destinatio S. Olei, in quo salvatio Infirmorum creditur ad omnes Civitates ab Episcopis non negligatur*; ergò alludit ad Epistolam Fabiani, in qua traditur, in Cęna D. Chrisma esse conficiendum; Undè videtur inferri, non oleum simplex benedictum, sed Chrisma esse materiam Sacramenti exeuntium. Accedit, quod simili modo colligi potest, oleum Cathecumenorum non fuisse diversum a Chrismate *ex Gregor. I. L. 3. Indict. 12. Epist. 9. ad Jan.* ibi .. Presbyteri baptizatos infantes .. signare sacro in frontibus Chrismate non .. præsumant: sed Presbyteri baptizatos un- .. gant in pectore, ut Episcopi postmodùm .. ungere debeant in fronte.

Hac dubitandi ratione non obstante, verissi- 8
ma est Catholica assertio suprapostia. Pro cujus expositione sciendum est; Unctionis extremæ duplex genus reperiri: alterum olei, quod ab Episcopo solemniter benedicitur, & per Presbyteros ministratur Infirmis, quæ unctio Sacramentum est; Alterum unctionis genus, illud est, quod simplici Crucis benedictione peragitur a quibuscumque fidelibus, ad sanandos quoscumque, etiam a fide alienos, ægrotos, supra vim naturalem, divina adiuvante gratia. Hoc genus unctionis Sacramentum non est. Hoc genus unctionis olim a Christianis passim adhibebatur, teste Tertulliano Libro ad Scapulum *cap. 4.* 9
his verbis .. Ipse etiam Severus Pater Antonini, .. Christianorum memor fuit; Nam et Procu- .. lum Christianum, qui Torpacion cogno- .. minabatur, Euhodeæ procuratorem, qui eum .. per oleum aliquandò curaverat, requisivit. Et D. Hieronimus in Vita B. Hilarionis idem affirmar, quod Agricolæ a Serpentibus, & venenatis animalibus percussi, accepto oleo ab illo benedicto vulnera sua ungentes pristinæ sanitati fuerunt restituti. Idem refert *Ruffinus historia Ecclesiastica L. 2. cap. 4. De Discipulis B. Antonii*, & Sulpitius Severius in Vita S. Martini, de Muta, & Paralytica oleo benedicto ab eo curatis, et Palladius de duobus Macariis similia.

Ulterius ad majorem assertionis prędictę illustrationem, explicationemque, sciendum est: summa ratione Unctionem olei pro materia hujus Sacramenti esse institutam; Nam unctio aptissimè Spiritus Sancti Gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur repręsentat, ut differit *Tridentinum de hoc Sacramento cap. 1.* 10
Aliam rationem excogitavit Petrus Damianus *in sermone primo in dedicatione Ecclesiæ*, ait enim: *vides ne qualiter sacerdotalis manus, infirmantis corpus alleviet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget Unctione?*

S Fe-

Ferunt, mare conspersum oleo pellucidum fieri, atque tranquillum, *Plutarc. q. 12. in QQ. Natur.* At hoc in anima, olei benedicti præstat, atque efficit Unctio, ut ait Petrus Damianus. Quod genus Unctionis, videtur, significatum per tertiam illam Unctionem factam in persona David Regis futuri; Nam quando tertiò fuit unctus, ut regnaret super universam Domum Israel II. Regum V. dicitur, in pace regnasse, & totius regni adeptus possessionem pacificam; Ita et post extremam Unctionem, superatis hostibus, regno illo fideles inaugurantur in pace fruituri, quod fuit in prima inunctione promissum;

Addo et eo tempore auxilium opportunum maximè Christum voluisse præstari ab Ecclesia fidelibus, quo vehementibus adversarius noster omnes suos versutiæ nervos intendit ad nos penitus perdendos, & a fiducia, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos. Ita et olim Athletæ fidentius hostem invadebant oleo delibuti; Undè *Virgilius*.

Exercent Patrias Oleo labente Palestras.

Quare olim ad campestres exercitationes similiter oleum legatum invenias, ut patet ex inscriptione veteri, quæ extat in templo vici Intemeani agro Comensi apud Inscriptiones *Metii ordine 3. fol. 159. L. Cacilius L. F. Cilo. III. Vir. A. P. Qui testamento suo H. S. N. XXX. Municipibus comensibus legavit, quorum reditu quotannis per neptunalia oleum in campo, & thermis, & balneis omnibus, quæ sunt comi populo praberetur;* quæ dicta sint ad hanc rationem exornandam.

Quamobrem ex his rationibus constat. Quam congruè fuerit huic Sacramento Oleum pro materia ordinatum ab Episcopo benedictum.

Neque his suppositis jam refragantur contraria, quorum difficultate oppressus *Henriquez L. 3. cap. 8. n. 2. & Suarez disput. 40. sect. 1.* parum probabiliter dixerunt, Olim Sacrum Chrisma, idest oleum balsamo admixtum, etiam Infirmis ungendis adhibitum fuisse.

Verum, respondendum est, quod sicut his temporibus, ita etiam prisco ævo discrimen fuit inter Chrisma, & Unctionem exeuntium.

Non negarim tamen, interdum hanc vocem *Chrisma* Oleum quoque significasse; Nam hoc

11 evidenter infertur, ex *cap. statuimus extra. de Custod. Euch. ubi Innoc. III. statuimus, ait ut in cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur.* Planè Innocentius III. in hoc Textu nomine *Chrismatis* etiam Oleum Infirmorum intelligit. Neque enim solum Chrisma, ut unguentum, & sola Eucharistia sub Clavibus recondita teneri debent; sed etiam Oleum Infirmorum: En hujus rei compertissimam conjecturam ex Concilio Trisingensi celebrato anno 1440. *can. 18.* quod Concilium, cum mentionem prædicti *cap. statuimus faceret*, ita loquitur. Item. præcipiendo mandamus, ut secundum constitutionem „ Lateranensis Concilii Eucharistia, & Oleum „ Sanctum sub fideli custodia, & reverentia „ debita, clavibus adhibitis, conservetur. Vides, quomodò Concilium Trisingense accipiat verbum illud *Chrisma* positum in *d. cap. statuimus*; videlicet pro Oleo Sancto.

Ex qua Doctrina; facile objecta diluuntur; 12
Nam, si quandò Canones pronunciant, ungi Infirmos Chrismate; Verbum *Chrisma* non ita pressè, & rigorosè accipitur pro Oleo balsamo admixto; sed pro Oleo benedicto ad usum Infirmorum.

Atque hac interpretatione lucem accipit Textus, qui diù, multumque torsit ingenia Interpetrum, *in can. illud 95. dist.* dum ait: *Episcopum Infirmos tangere Chrismate*; Et si non 13
desint, qui asserant, id esse Episcopi singulare Privilegium; Attamen jam elucet, Chrisma accipi pro *Oleo Infirmorum*, rejecta omni alia interpretatione, veluti *Glossa in d. cap. illud*.

Sed adhuc contra Assertionem nostram valida se offert opposito ex Textu *in cap. quod in-* 14
dubiis extra de Consecr. Eccles. ibi: *Nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri;* Ergo in hoc Casu non adhibebitur oleum ab Episcopo benedictum, ut ex institutione sacramenti est, & Canones imperant.

Pro Responsione: Equidem Innocentius in hoc Textu docet, Oleum prophanum non consecratum, posse confundi simul cum consecrato 15
in eodem Vasculo, ad Sacramentum exeuntium. Sed protinus intelligitur, quid hinc inferri debeat. Inferri debet, totum Oleum sequuta mixtione fieri, dicique consecratum, dummodo major non sit quantitas Olei prophani, vel etiam æqualis, ut rectè, & eruditè explicat Gonzales *in d. cap. quod in dubiis*; Imò etsi sæpius addatur oleum prophanum, totæ illæ modicæ in- 16
fusiones debent simul sumptæ, esse minores Oleo benedicto, ut *declaravit Sacra Congregatio die 23. Sept. 1682.* & refertur per extensum *a Cardena in Crysi diss. 2. cap. 7. n. 484. art 1.*

Cæterum, quod, debita mixtione sequuta, prophanum quoque Oleum consecratum fit, exemplum aquæ puræ additæ aquæ benedictæ, palam facit; Nam, ut ait Innocentius *L. 4. de Sacro Altaris Mysterio cap. 32. aqua pura, per aqua benedicta contactum efficitur benedicta*. 17
Hæc enim vis mixtioni concessa est; ad differentiam Vini consecrati per verba Sacerdotis, quæ, cum substantiam Vini converterint in substantiam Sanguinis Christi, non operantur Conversionem, nisi cum eadem verba proferuntur. Ideò talis vis convertendi in verbis inest, non in substantia, quæ mutata est; Undè miscendo Vinum non consecratum, per hunc contactum non transit in Sanguinem. *Textus elegans in cap. cum Martha §. quæsivisti de Celebr. Miss.*

His satis, superque explanatis. Jam alia quædam addenda, quæ non attinent sanè ad

Que-

Quæstionem nuper examinatam ; Attamen spectant ad materiam hujus Sacramenti propositam.

Sacculo igitur serico violaceo de collo pendente ferri ad infirmos Sacri Olei vas a Paro-
18 cho debet *Silvius Verbo Unctio*, *Gavantus verbo extrema Unctio n.* 8.

In via Psalmi sunt recitandi *Silvius ibid.*

Oleo veteri Sacro poterit uti Parochus in casu necessitatis, ut declaravit *Sacra Congregatio*
19 *Cardin.* 20. *Martii ann.* 1590. *apud Gavant. ubi supra*.

Singulis Mensibus reddi debet ratio deputato ab Episcopo de defunctis, & Sacramentis ad-
20 ministratis, *Gavant. ib.*

[*d*) *MINISTER verò &c.*

Quid servet Orientalis Ecclesia, quid latina
21 circa Extremę Unctionis Ministrum ; jam explicandum.

Quod attinet ad Græcam Ecclesiam, narrat *Arcudius de hoc Sacramento L.* 5.

Græcæ Ecclesiæ consuetudinem esse, ut septem
22 Presbyteri Sacramentum exeuntium Infirmis conferant. Verùm de hoc more inveterato Gręcorum, communi Doctorum consensionę dicimus, pręter unum Presbyterum ungentem, formamque Sacramenti proferentem, superfluos esse reliquos, si eorum mens, atque voluntas sit exequendi, conficiendi, iterandive Sacramentum non sine gravi culpa. E contrario, si qui intersunt Presbyteri ex more Gracę Ecclesię, non hanc habeant mentem conficiendi simul, aût iterandi Sacramentum ; quin potius unus unam peragat unctionem, pluresve formam enunciando, alius vero suppleat in his, quæ
23 defuerint ; Tunc poterit a pluribus hoc Sacramentum administrari, & quandoque licitè, veluti urgente Infirmi necessitate, vel deficiente Sacerdote, qui Unctionem cęperat. Vel dicendum est de hac Græcorum Consuetudine ; Plures interesse, unum, ut ministret, cæteros verò, ut respondeant. Ita *Diana P.* 5. *Tract.* 3. *Resol.* 87. *cum seq.*

Quod attinet ad Occidentalem Ecclesiam, Hæc semper Ministrum unum adhibendum,
24 censuit, alio respondente, dummodò fæmina non sit *Gonzales in cap.* 14. *de V.* 1. *n.* 6.

Quod autem Presbyter etiam unus ministrare hoc Sacramentum exeuntium valeat, probat Textus *in cap. quæsivit de V. S. in can. ab*
25 *infirmis* 27. *q.* 1. *in can. illud* 95. *dist. in cap. un. in P. de Sacra Unct.*

Neque verba D. Jacobi ad Laicos detorqueri possunt, eo quod Vox *Presbyter* sonat *Seniorem* Græco idiomate ; *Nam Tridentinum Conc. sess.*
26 14. *can.* 4. hæc habet .. Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus, adducendos esse ad infirmum inungendum, hortatur non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremę Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem : .. Anathema sit.

Neque pariter verba ipsius Epistolæ referri possunt ad Diaconos, aut Subdiaconos propter
verba Textus *in cap.* 1. *de Cohabit. Clericorum*, ibi: 27
Si quis Sacerdotum, idest Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus. Nam verba illa de solis Sacerdotibus Ecclesia Catholica perpetuò intellexit; undè nec etiam in magna necessitate Diaconus ungere potest, ut docet *D. Thomas in supplement.* 3. *part. q.* 33. *art.* 1. *ad* 2.

Cæterum, etsi omnis Sacerdos validè conferat hoc Sacramentum, licitè tamen, solum *Pa-*
rochus, aut de ejus licentia tacita, vel expres- 28
sa, alius Sacerdos illud administrare valet *Clem.* 1. *de Privil.*

Multò magis Episcopus poterit ungere Infirmos *can. legimus* 93. *dist. cap. Presbyteros dist.* 95.

[*e*) *Et similiter &c.*

Postquam igitur Æger Sacramento Pęniten-
tiæ animam purgaverit, & Viaticum acceperit, 29
ut perpetua Ecclesię Catholicę consuetudo servavit, devenitur ad hanc Unctionem. Undè Synodus Carnotensis ann. 1526. hæc habet .. Cum .. hoc Sacramentum sit ultimum Sacramentorum, inhibemus, illud dari Infirmo, nisi .. post Confessionem peccatorum suorum, & .. post Corporis Christi Communionem, si possibile sit, Infirmum communicare.

Tametsi male inferat *Franciscus Roie in Inst. Canonicis L.* 1. *Tit.* 8. Olim satis fuisse, ut languidus Confessionem pręmisisset, & hodiè
solum observari, ut pręcedat Viaticum, quod 30
ipse infert ex *can. illud* 95. *dist. ibi nam non Pænitentibus . istud infundi non potest* ; Sed, si verum quærimus, ille Textus non hoc asserit, quod olim consuetudine Ecclesiæ servaretur,
ut Infirmus sine Viatico reciperet Unctionem 31
extremam ; quamquam aliunde hoc conetur probare *Cerda in adversar. cap.* 22. *ex can. ab infirmis* 26. *q.* 7.

Ungendus igitur Infirmus ita dispositus in quinque sensuum sedibus.

Apud Græcos unctio adhibetur, in fronte, mento, & manibus, prout narrat *Simeon Thessalonicensis Lib. de Sacram.* Nunc verò Græcos
prętérea inungere pectus, & pedes, *Arcudius* 32
testatur.

In Occidente organa sensuum unguntur, atque ità declarat Concilium Florentinum in doctrina de Sacramentis, ibi .. Qui in his locis un-
.. gendus est : in oculis propter visum, in- 33
.. auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel .. loqutionem ; In manibus propter tactum, .. in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Ac de sensibus, qui nos ad culpas inducunt, elegans extat locus *Lactantii Firmiani in Epitom.*

divinar. Inst. Oculorum voluptas percipitur ex rerum pulchritudine: Aurium de vocibus canoris, & suasionibus: Narium de odore jucundo: Saporis de cibis deliciosis, quibus omnis virtus repugnare fortiter debet, ne his illecebris irretitus animus a Cælestibus ad terrena, ab aeternis ad temporalia, a vita immortali, ad perpetuam pœnam deprimatur; In Saporis, & odoris voluptate hoc periculum est, quod trahere ad luxuriam poterit; Voluptas, quæ spectat ad Visum multiformis est, nam quæ percipitur ex rerum pretiosarum multitudine avaritiam concitat. Hæc Lactantius.

Unde Ratio evidens apparet, cur ungatur in his Organis sensuum infirmus. Nempè ut indulgeat misericors Dominus quidquid fidelis per hæc eadem organa deliquerit.

Rursus, ut Sacerdotalis manus, illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget Unctione, ut loquitur *Petrus Damianus Sermone 1. in dedicat Eccl.*

Quare apparet, quam inani superstitione decepti quidam hæretici, Oleum aqua mixtum capiti defuncti immitterent, putantes ex hac
34 Unctione, non in prædictis organis Infirmi, sed in solo Defuncti capite adhibita, Defunctum a Dæmonum eripi potestate. Tales erant *Archontici*, & *Heracleoniti*; Invocatis, enim, super morientes quorundam Principatum nominibus, ungebant Defunctos oleo, & aqua, ut (quod somniabant) incomprehensibiles fierent, & invisibiles supernis Principatibus, & sic ab eorum potestate redimerentur. O Irridenda plane deliria, apertamque stoliditatem. Verùm egregiè confutantur *a Theophilo Tomo 15 in ffeter. Spirit. 2. part. lect. 1. Punct. 10. in fine*.

Ceterum ex hac Unctione, quæ vere Sacramentum est, qui effectus sequantur, declarat
35 Concilium Florentinum *in doctrina de Sacramentis*, ibi „ Effectus verò est mentis sanatio: „ inquantum autem expedit, ipsius corporis.

Et non minus apertè declarat *Concilium Tridentinum cap. 2.* ibi „ Res etenim hæc, Gratia „ est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si „ quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & Ægroti animam allevitat; „ Et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua Infirmus „ sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis „ calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ „ expedierit, consequitur.

Quare ex his Canonibus Conciliorum, infertur duplex hujus Sacramenti effectus. Primus Animæ sanitas. Secundus effectus est, si expediat, Corporis quoque valetudo; Nam quemadmodùm ob peccatum citius præsumitur quis mori *cap. cum infirmitas de Pænit. cap. qua fronte de Appel.* Non dispari ratione, cum Sacramentis peccata dimittantur, facile intelligitur, fieri posse Divino beneficio, ut ex morbi ærumnis emergat Sacra Unctione delibutus fidelis, modò id saluti Animæ expediat. Extrema namque Unctio sanitatem corporis non operatur ex naturali Materiæ proprietate, sed ex Virtute Divina, quæ rationabiliter operatur. Quare ratio 36
operans, cum non inducat secundarium effectum, nisi prout expedit ad principalem, ideo in hoc Sacramento non semper sequitur Corporis valetudo, neque absolutè, & veluti ex regula quadam id pronunciari potest.

[f] *Interdictum verò &c.*

Verba Clementinæ primæ, quam citat Canisius in suo titulo *de Sacramento extremæ Unctionis*, hæc sunt „ Religiosi, qui Clericis, aut „ Laicis Sacramentû Unctionis extremæ (*& infra*) „ ministrare nô habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali: (*& infra*) præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam „ ipso facto per sedem Apostolicam dumtaxat „ absolvendi.

In §. vero ultimo hæc habentur „ Sanè Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede „ concessum, ut familiaribus suis, domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus, quo „ ad hoc, præjudicium generari.

Si verò quærat Studiosus Juris Canonici exempla eorum Religiosorum, qui hisce fruuntur privilegiis. Sciat *Eugenium IV.* Fratribus Minoribus Observantibus Provinciarum Regni Castellæ concessisse benigno privilegio, ut ministrarent Sacramentum exeuntium. Insuper Clemens IV. eisdem Fratribus Minoribus idem indulsit. 37

Imo Benedictinis Hispaniæ concessum, invenio (teste *Tamburino de Jure Abbat. Tomo II. disp. 7. q. 3.*) *ut possint ii, qui intra septa Monasteriorum, seu domorum Religionis infirmati fuerint, extremam Unctionem Apostolica auctoritate libere, & licitè, Parochialis Presbyteri, vel alterius cujuscumque Episcopi licentia, vel assensu nullatenus requisita, ministrare.*

Habeturque hoc privilegium *in compendio Privileg. Mendic. verbo Unctio extrema §. 1. & in compendio societ. eod. Verbo.*

Verùm hac Concessione non licet uti post Bullam S. D. N. Urbani VIII. quæ revocavit omnia vivæ vocis oracula concessa Regularibus, ut dixi *L. 1. Tit. IV. in Textu §. rescriptum.*

Quamvis Pius V. vivæ vocis oraculo absolutè, & sine limitatione declaraverit, ut huiusmodi Gratiæ, pro foro conscientiæ non censeantur derogatæ, nec restrictæ per *Concil. Trid.*

Nihilominus Bulla Urbani VIII. data die 20. Decemb. 1631. manifestè revocavit oracula vivæ vocis, quæ gratias continebant; Undè illa facultas concessa Benedictinis cessavit, ut opinatur etiam *Bassaus Verbo extrema Unctio II. n. 8.* 38

Ut ve-

Ut verò ad Clementinæ supra citatæ interpe-
trationem alia addamus, sciendum, quod,
cum Pontifex ait, tunc posse tantummodò
Relligiosos Unctionem extremam conferre,
quando Parochus conscius sit redditus, atque
veniam languidos ungendi indulserit.

Non tamen Relligiosi pęnam illam excom-
municationis incurrunt, quoties ab Episcopo
39 veniam petierunt; Nam Diæcesis est Parochia
Episcopi *cap. 2. de Pænit. & Remiss. in 6. cap.
Apostolica de Donat. can. olim 95. dist.*

Idque dixit novissimè *Ventriglia* nullo tamen
canone citato *in Part. v. annot. 48. §. unico n.
48. ita explicans dictam Clement.*

Sed, quid dicendum, si velint Regulares mi-
nistrare extremam Unctionem ipsis Regularibus, 40
Novitiis, Conversis, ac familiaribus Monaste-
rio inserventibus?

Hanc Quæstionem examinat *Tamburinus de
Iure Abbat. Tom. 2. disp. 7. 3 per tot. Ventri-
glia ubi supra n. 51.* Hi unanimi consensu con-
cludunt, prædictam *Clementinam* hunc habere
sensum: ut aliis Regularibus, & Novitiis, &
familiaribus possint Regulares extremam con-
ferre Unctionem. Et hæc sint satis ad explica-
tionem *Tituli de Sacramento extremæ Unctionis
a Canisio compositi.*

DE SACRAMENTO

ORDINIS.

TITULUS VIII.



NVNC de illo Sacramento tractandum, quo sacrorum, & divini cultus procurationi fideles præficiuntur. Hoc est veluti ostium, per quod intrant legitimi dispensatores mysteriorum Dei, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & quotquot in Ecclesiasticis muniis obeundis cum auctoritate versantur. Nemo enim honorem hunc eximium sibi debet assumere nisi qui vocatur a Deo tamquam (*a*] *Aaron*, hoc est nisi Sacramento visibilis ordinationis initiatus.

Illa igitur Ecclesiasticorum graduum collatio, quæ verbis, (*b*) & signis exterioribus perficitur, Sacramentum (*c*) est. Hoc nemo potest inficiari. In manuum impositione, in calicis (*d*) cum vino, & Patenæ cum Pane porrectione, & denique in rerum ad ministeria cuiusque pertinentium assigatione, Materia (*e*] signumque externum elucet; in verbis autem exprimentibus potestatem, quæ confertur, forma (*f*] innotescit; Ea (*g*) Gręci ritu Græco pronunciant, latini proprio Idiomate, Utraque Ecclesia suum morem licitè conservat.

Minister est Episcopus, vel originis, [*h*) vel beneficii, vel domicilii, & olim ille Episcopus, in cuius Diæcesi quis erat baptizatus æquè erat idoneus.

Tempus conferendi ordines præscriptum est, a sacris Canonibus, veluti (*i*] olim mensis Decembris.

Cum ergo ordinationis ritus, quo solemni relligione ministri sacrorum instituuntur, sit Sacramentum, ex Christi D. institutione; suos parit effectus:

fectus: Gratiam (*k*] confert, imprimitque (*l*] characterem; Qui neque (*m*] per degradationem deletur.

Hoc verò Sacramentum generatim minores Ordines, maioresq. continet; Minores scilicet (*n*) Tonsuram, quæ idem est cum psalmistatu, [*o*] Ostiariatum, Lectoratum (*p*) Exorcistatum, (*q*) Acolytatum; Maiores verò Subdiaconatum, [*r*) Diaconatum, [*ſ*) Presbyteratum, Episcopatum; Neq. hos ordines furtive, aut per saltum quisquam debet accipere. Vnus enim gradus Ecclesiasticus ad alterum refertur. Omnia in sacris ministeriis certa ratione distributa sunt, & collocata; Vnde merito signaculum per quod spiritualis potestas traditur, Ordo vocatur.



SUMMARIUM.

1 *Aron ad Sacerdotium Divina vocatione evectus; Historia sacra narratur.*
2 *Hac historia explicatur Textus canonicus.*
3 *Manuum impositione quomodo Gentiles uterentur, & quomodo Ritus quidam Æthnicorum ad Vsum pietatis, sublata superstitione fuerint translati.*
4 *Canonum auctoritatibus antiquissimis tractatur Conclusio, quod Ordo sit Sacramentum.*
5 *Praclara Ratio cur Ordo sit Sacramentum.*
6 *Protestantium error circa Ordinem.*
7 *Novus intellectus ad Textum in cap. presbyter de Sacramentis non iterandis.*
8 *Distinctio elegans circa Ordinationes factas ab Hareticis.*
9 *Christiani quo in sensu sint Sacerdotes.*
10 *Disputatio elegans proponitur.*
11 *Omissa materia instituta a Christo Character non imprimitur.*
12 *Varia proponuntur difficultates.*
13 *Resolvuntur deinde.*
14 *Historica dissertatio proponitur ad Gracas Ordinationes.*
15 *Quot ordines Graci conferant.*
16 *Minores ordines Graci conferebant.*
17 *De Ministro Graca ordinationis.*
18 *Roma Gracoituli ubi nam ordinentur.*
19 *Graco Itali sine beneficio non ordinantur.*
20 *Ritus ordinandi Episcopos Gracos.*
21 *Ritus ordinandi alios Clericos Gracos.*
22 *Episcopus proprius olim erat Episcopus loci, ubi quis recepisset baptismum.*
23 *Intitulatio olim Episcopum proprium constituebat.*
24 *Est in arbitrio ordinandi eligere vel Beneficii, vel domicilii, vel originis Episcopum.*
25 *Privilegium ordinandi quo gaudent Patriarcha.*
26 *Episcopi suos familiares ordinare possunt, et quomodo.*
27 *Tempus ordinandi olim erat mensis Decembris.*
28 *Qua gratia per ordines conferatur.*
29 *De Charactere, explicatur Innoc. IV.*
30 *An Degradatio tollat characterem.*
31 *Tonsura an sit ordo proprie dictus fuse disputatur more scholastico.*
32 *Psalmistatus idem est ac Tonsura ut ostenditur.*
33 *Nova expositio Textus in can. Psalmista. dist. 23.*
34 *Ostenditur Tonsuram esse Sacramentum.*
35 *Ostenditur Tonsuram imprimere Characterem.*
36 *Quid inferatur si Tonsura est ordo.*
37 *Exponitur Textus difficilis*
38 *Ostiarii quoddam munus non observatur.*
39 *De Lectoratu quadam singularia proponantur.*
40 *Exorcista quoddam munus non observatur.*
41 *De Subdiaconatu.*
42 *De Diaconatu historica dissertatio proponitur, & examinatur.*
43 *Diaconi electi ab Apostolis ad ministrandum mensis, an ea ipsa deputatione receperint Sacramentum Ordinis.*

EX-

EXPLICATIONES.

[*a*) *Tamquam*.

De Sacerdotio Aaron.

HOc dictum Apostoli desumpsimus ex Textu *in cap. qualiter* 17. *de elect. & el. P. ibi*.. Non attendes quod secun- .. dum Apostolum nemo sibi debet honorem .. assumere, sed qui vocatur a Deo, tamquam .. Aaron.

1 Historia Sacra de Aarone, qui adiunctus in societatem fratri suo Moysi postea mandato Divino in Sacerdotem super caput inunctus fuit, & consecratus, narratur Levitici *cap.* 8. ibi .. .. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens; .. tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, .. & Unctionis oleum, vitulum pro peccato, .. duos Arietes, canistrum cum azimis, & con- .. gregabis omnem cœtum, ad ostium Taberna- .. culi: Fecit Moyses ut Dominus imperaverat. .. Congregataque omni turba ante fores taber- .. naculi, ait: iste est sermo, quem jussit Do- .. minus fieri, statimque obtulit Aaron, & fi- .. lios ejus; Cumque lavisset eos, vestivit Pon- .. tificem subucula linea, accingens eum bal- .. theo, & induens eum tunica hiacynthina, .. & desuper humerale imposuit, quod astrin- .. gens cingulo aptavit rationali, in quo erat .. Doctrina, & veritas. Cidari quoque texit ca- .. put, & super eam contra frontem posuit .. laminam auream consecratam in sanctifica- .. tione sicut præceperat ei Dominus. Tulit .. Unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum .. cum omni supellectile sua, cumque sancti- .. ficans aspersisset Altare septem vicibus unxit .. illud, & omnia Vasa eius, labrumque cum .. basi sua sanctificavit oleo, quod fundens su- .. per caput Aaron unxit eum, & consecravit.

Ac studioso juveni non conspectu posse Sacram hanc historiam inspicere, proficuum arbitror. Nam ipsos Sacrorum ministrorum ordines ex veteri Testamento demonstratos, colligitur ex *Hyeronimo epist.* 85. *ad Evagr.* Sed quantum figuræ veritas præstat, tanto uberiori gratiarum

2 affluentia in novo Sacerdotio Ordines conferuntur; atque ita intelligitur *Textus in can. Ordinationes dist.* 75.

(*b*) *Verbis*.

Ordinum Ritus quomodo sacri sint.

Ait Tertullianus in *Libro de Præscript. advers. hæreticos cap.* 40. quod Diabolus ipsas quo-

3 que res Sacramentorum Divinorum, in Idolorum Mysteriis æmulatur, & sic adhuc initiat Mithræ: signat illic in frontibus milites suos, habet et Virgines, habet et continentes. Cæte- .. rum si Numæ Pompilii superstitiones revol- .. uamus, si Sacerdotalia officia, insignia, & .. Privilegia, & Sacrificalia Mysteria, & in- .. strumenta, & vasa ipsorum Sacrificorum, .. & piaculorum, & Votorum curiositates con- .. sideremus, nonne manifestè Diabolus moro- .. sitatem illam Judaicæ legis imitatus est? Hactenus Tertullianus.

Unde *Audebertus Macereur in annot. ad Tertull. in d. cap.* 40. acriter invehitur in Librum cui tit. *Brevis commentarius de Signis Sacris Sacrificii, & Sacramentis a Deo institutis a creatione mundi*. Quo in opere nostras Ceremonias magna ex parte desumptas a Numa Pompilio, ausus est auctor detestabili proter ia affirmare. Quin potius ut ait *Audebertus*, Diabolus eas mutuavit ex veteri Testamento, & Numæ tradidit, ut per eas ab illo, & suis honoraretur, & adoraretur.

Ergo, etsi ritum impositionis manus Pontificum, etiam apud Gentiles in usu fuisse, constet ex *Livio Lib.* 1. haud tamen arguitur, hunc ritum, signumque externum a Gentilium superstitione in Ecclesiam esse translatum.

Ceterum nulli dubium esse debet, Ecclesiæ Sanctæ Dei licitum fuisse, quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agerentur eadem expiata sacro ritu ad Pietatem transferre, ut maiori Diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur. Sic enim, & Gentilium ferias superstitionibus scatentes, in festa ac Celebritates Martyrum laudabiliter esse conversas, & Idolorum templa in Ecclesias Sanctorum commutata *Theodor. L.* 8. *in fine Evang. Ver.* docet. Quemadmodum & D. Paulus superstitionis aram *ignoto Deo* dicatam Athenis, in Dei veri cultum transtulit; Et olim ex Ægiptiorum auro, & argento Dei mandato Sacra Vasa ad cultum fuere divinum conflata.

Quæ tam alte repetita sunt, ne studiosus Juvenis hac notitia careat, atque perfectius intelligat quomodo ordinationum ritus Sacri sint, atque omni superstitione defecati.

(*c*) *Sacramentum est*.

DISSERTATIO I.

In qua probatur, Ordinem esse Sacramentum.

Ante Lutherum *Ioannes VVicleffus* ordinem non esse Sacramentum sensisse, videtur, errorisque impii semen jactasse, ait enim .. Christus 4

.. ordi-

.. ordinat quamcumque, & quemcumque, .. quandocumque voluerit, ita ut sequens Christum in motibus securè possit, de se ipso .. confidere, quod deficiente Prelato Cæsareo, .. sit a Christo legitime ordinatus.

Vides ordinationem Ecclesiæ, non ad Cæremoniarum institutionem a Christo relictam Ecclesiæ suæ, sed ad Gratiam invisibilem recte vivendi redigere VVicleffum.

Calvinus vero admittit, ordinationem esse Sacramentum *Lib. 4. Inst. cap. 14. §. 20. & cap. 19. §. 31.*

Sed vera, & Catholica Sententia, contra eos, qui ausu temerario se opponunt, hæc est.. Sacram ordinationem esse verum, & proprie .. dictum Novę legis Sacramentum.

Hanc Conclusionem probant Textus Juris Canonici, *in can. ordinationes versiculo quia omnis sanctificatio dist. 75.* juncto *can. multi 1. q. 1. In can. quod die 75. dist. can. petrus 1. q. 1. can. si qui, ead. Caus. & q. can. Dominus ibid. can. quodquidam 1. q. 1. can. didicimus §. si autem 23. q. 1. & cap. 1. & ult. juncta Rubrica de Sacramentis non iterandis Concilium Calcedonense act. 15. can.* ubi damnat eos, qui ordinationes vendunt, eo quod Dei Gratiam vendere censeantur. S. Leo Epistola XI. alias 81. ibi.. Imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta, & dantium, & accipientium .. benedictione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur .. impletum - S. Augustinus *Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.* ibi. Sed si nos male facimus ipsi explicent, quomodò Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti. S. Gregorius *in cap. 10. Lib. 1. Reg.* ibi.. Quia Sacrorum Ordinum Sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus. Concilium Florentinum in Doctrina de Sacramentis, ibi. *Sextum Sacramentum est Ordinis - Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. & can. 1. 23. & 4.* alia congerit *Bellarminus de hoc Sacramento. Pater Natalis Theolog. Dogm. Tomo 5. L. 2. art. 1. P. Canisius de hoc Sacramento Vasquez, & omnes Catholici.*

Sed hæc assertio Catholica, & certissima; tamen prima fronte difficilis redditur sequenti Juris Consideratione. Et I. opponitur Textus *in can. in novo dist. 21.* ibi *post Christum capit Sacerdotium*. Ergo sacer Ordo, si est Sacramentum, quomodo non ex Christi institutione cępit, sed post Christum?

Augetur difficultas *ex cap. presbyter de Sacramentis non iterandis*, ibi: Ordo vocatur ritus ab Apostolis introductus.

II. Quia hæretici Ordines conferunt; sed hęretici Sacramenta Ecclesię non tribunnt *can. si qui Presbyteri 1. q. 7. can. Daibertum, can. per illicitum ib.* Maior verò patet *ex can. pudenda 24. q. 1. ex can. dicimus ib.* ergo sacer Ordo Sacramentum non videtur.

III. Quia Subdiaconatus incæpit esse ordo Sacer post Tempora Urbani II. *cap. a multis de atat. & qual.* ergo non ex institutiòne Christi, adeoque Sacramentum non est.

Quibus difficultatibus in nihilum refragantibus vera est Catholica sententia, quam fides docet scil. Ordinationem Ecclesiæ esse Sacramentum novę Legis. Pro cujus expositione sciendum est, Sacrificium, & Sacerdotium, ita Dei ordinatione esse coniuncta, ut utrumque in omni lege extiterit; Ac proinde cum Sanctum Eucharistię Sacrificium visibile ex Domini Jesu 5 institutione receperit Ecclesia catholica, fateamur, necesse est, in ea similiter esse visibile externumque Sacerdotium.

Verùm quò dignius, & cum veneratione majore tam excelsum Sacerdotii munus obiri posset, consentaneum fuit, ordinatissima dispositione plures, & diversos esse ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut a minoribus ad majores gradus esset ascensus.

Eorum verò collatio Sacramentum est, nam et signis exterioribus perficitur, & gratiam confert, inquit enim Apostolus: *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per manuum impositionem mearum*. Ut arguit *Trident. sess. 23. cap. 3.*

Rursus cum in Sacramento Ordinis imprimatur character *Eugen. IV. in decreto union. Armen. §. 4. Trid. sess. 7. de Sacram. can. 9. & sess. 23. cap. 4.* qui character procul dubio, neque tolli, neque deleri potest; patet quam turpi errore labantur hæretici, qui semel rite ordinatos, laicos affirmant effici posse, quique omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse censent Ecclesiasticam hierarchiam intolerabili protervia sic confundentes.

Unde Arsdechin. *Tom. 1. Tract. 2. cap. 14.* strenuè confutat Anglicanę Ecclesiæ Protestantes, qui censent Episcopos, & Ministros in vera Christi Ecclesia esse necessarios; negant tamen Ordinem esse Sacramentum. Porrò postquàm Ecclesia Anglica a Romana defecit, neminem fuisse legitimè ordinatum, constat, et ultimus, qui in Anglia ordinem suscepit Episcopalem, fuit solus Archiepiscopus Cantuariensis, ut idem *Arsdechin. ubi supra* demonstrat, neque umquam deinde per longissimum annorum intervallum legitimę ordinationis argumentum, ac testimonium ullum exhibuerunt. Ministrorum itaque hujusmodi apud hæreticos, est mera disputatio extrinseca, merenturque Tertulliani objurgationem *L. de præscriptione cap. 41.* ibi.. Hodie .. Presbyter qui cras laicus: Nam Laicis sacerdotalia munera iniungunt, *& Tomo 5. .. L. de Exhort. ad Castit.* ibi.. Differentiam .. inter Ordines, & plebem constituit Ecclesiæ .. auctoritas, & honor per Ordinis consessum .. sanctificatus a Deo.

Ex quibus Ratio Nostræ, & Catholicæ assertionis, ut arbitror, facile cognoscitur.

Nam

Nam cum sacra Ordinatio, signum externum præseferat manus impositionis, vel certorum instrumentorum contactus, addita solemni forma verborum; conferaturque invisibilis gratia qua fit, ut ordinatus spirituali sibi tradita potestate recte fungi possit, infertur sacram Ordinationem esse Sacramentum, *can. Sacrificium, de Consecr. dist. 2. can. multi 1. q. 1.*

Nec prima difficultas supra adducta quidquam adversatur. Nam dum Anacletus *in d. can. in novo*, ait post Christum D. a Petro Sacerdotalem Ordinem cœpisse; solum indicat D. Petrum primò accepisse a D. Pontificatum, primumque accepisse potestatem ligandi, atque solvendi, quæ responsio, ex ipsa litera textus deducitur.

Quod verò attinet ad textum *in cap. Presbyter de Sacramentis non iter.* Et si Gregorius IX.
7 in eo Textu dicere videatur, manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum; attamen ita intelligendus est Gregorius, non manus impositionem esse Ritum ab Apostolis introductum, sed alias solemnitates præter formam, & materiam, et ministrum, quæ singula ex divina pendent institutione. Aliæ solemnitates essent, ut tres adsint Episcopi, ut reliqui suum assensum præbeant; hæc forma sive solemnitas ab Apostolis, & successoribus potuit institui, expresso Textu *in can. porro dist. 66.* & non minus clare, *in can. quod dic dist. 75.*

Hæc vera, & genuina interpetratio est ad illum canonem, in qua invenienda frustra laborarunt *Gonzalez ibid. & Glossa*, & deducitur ex *vers. quod si omissum.*

Ad secundam oppositionem, facile respondetur. Aut enim Ordinatio facta ab hæreticis, facta est in forma Ecclesiæ ab Episcopo habente characterem, adhibita materia, et forma a Christo D. præscripta, & plane indubitatum est hujusmodi ordinationem esse validam quamquàm illicitam, Textus *in can. ab excommunicatis, in can. ordinationes 9. q. 1. can. convenientibus 1. q. 7.* Aut ex adverso deficit in Hæretico volente Ordines administrare character Episcopalis, ut sunt Anglicani Episcopi hisce temporibus; aut observare negligit materiam formamque hujus Sacramenti, ut Catafriges heretici consueverunt, & in hoc casu ordinatio facta ab hæreticis irrita est *Concil. Nicen. 1. cap. 19. can. si qui Presbyteri 1. q. 7. can. Daibertum can. per illicitum ead. C. & Q.* Ex qua distinctione recte considerata, secunda oppositio funditus corruit.

Ad tertiam Obiectionem Respondetur Urbanum II. non instituisse Subdiaconatum; sed tantummodo adiecisse huic Ordini Votum integritatis, idest continentiæ obligationem, unde ex eo tempore Subdiaconatus cœpit esse sacer Ordo. Cæterum primis Ecclesiæ cunabulis gradus Subdiaconatus cognoscebatur, ut patet ex *can. 43. Apost* Imo in Hispania erat Ordo sacer etiam a tempore Concilii Illiberini, ut docet *Mendozza L. 2. in id. Conc. cap. 66.*

Adhuc ad majorem intelligentiam Catholici dogmatis; exponenda est altera difficultas. Nam Christiani omnes dicuntur Sacerdotes, *1. Petr. 2. & in Apocalips. 1. & 5. Et Exod. 19.* Unde et D. Paulus Principes vocat λειτουργους, quasi Sacros Ministros *ad Rom. 13.* & confirmatur ex *Cuccio Inst. Can. lib. 3. Tit. VII.* qui Christianos 9
omnes vocat Sacerdotes. Ergo Clericorum Ordinatio characterem non imprimit.

Respondetur, quodam in sensu Christianos Sacerdotes vocari, quatenus nempe omnes qui Christi Legem per baptismum suscepere, quasi se ipsos offerant, & Deo ministrent. At verò alio modo Sacrorum Ministri, quasi sacra dantes tractantesque specialiter Sacerdotes vocantur, propria appellatione, *can. Cleros dist. 21.* Unde Fabianus Pontifex *Epist. 2.* ad Orientales Episcopos ait, Dominum elegisse sibi Sacerdotes, ut sacrificent ei, & offerant oblationes Quare prædictum fuit *ab Isaia cap. 66.* futurum ut, ex Gentibus assumeret Dominus Sacerdotes, & Levitas, qui offerrent Victimas cum Psalmis in Domo Domini.

[d] *In Calicis.*

DISSERTATIO II.

Pro expositione hujus partis nostri contextus examinanda est talis controversia. An si in Calice, qui porrigitur in Ordinatione Sacerdotis, 10
per incuriam Vinum non reperiatur, character presbyteralis conferatur?

Statuendum, pro conclusione probabiliori, *Characterem minime conferri.*

Quam Conclusionem probant *Concilii Florentini verba in doctrina de Sacram.* ibi: *sicut presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Probat ratio multiplex. Quia manus sola impositio, non confert Sacrificandi potestatem, sed ligandi, atque solvendi *cap. Presbyter de Sacramentis non iter.* Unde non potest omitti ullatenus Calicis cum Vino, & Patenę cum Pane traditio, quibus confertur potestas sacrificandi. Item quia ad essentiam sacrificii Missę, requiritur utraque species, nec potest ullo casu una species sine alia consecrari *Concil. Toletanum can. 2.* Et similiter quia cum oritur ambiguitas, an ad Ordinis attineat substantiam aliquid prætermissum; et in jure expressum invenitur ut fieri id debeat, hoc ipsum de substantia est existimandum; atque ex integro repetenda Ordinatio, *can. Presbyteris, can. corepiscopi dist. 68. can. nihil 7. q. 1. cap. un. de Cler. per saltum prom.* Non enim censetur iteratum quod ambigitur esse factum, *cap. veniens de Presbyt. non baptizat.*

Atque hanc sententiam tuetur, mira copia textuum, validissimisque fundamentis *Prosper Faganus, in cap. cum venisset extra de Sacra Unctione cum auctoribus aliis, ab eo congestis.*

Sed adversus hanc assertionem opponi potest,

sequenti Juris Consideratione.

I. Quidem obstat Textus dispositio *in can.*
12 *Presbyter dist.* 23. ubi Concilium Cartaginiense manuum solam exigit suspensionem in ordinatione Presbyteri; et cum ratione loquitur in hunc modum Concilium; quia Sacerdotes sunt a Domino ordinati per verba *accipite Spiritum Sanctum* Joan. 20. Spiritus Sanctus autem, per manuum impositionem datur, *can. ex multis* 1. *q.* 3. *ergo &c.*

II. Adversatur textus, *in cap. Presbyter de Sacram. non iter.* ubi si in collatione Presbyteratus manus impositio omittatur; non ordo iterum tradendus est; sed omissioni supplendum. Ergo idem fiat, si vinum Calici infusum non fuerit; caeterum character impressus videtur.

III. Et illud opponitur. Quod Consecratio Sacerdotis fit quadam Unctione §. *ecce sufficienter* 1. *q.* 1. Ergo sicut in Confirmatione, ipsa Unctione character imprimitur *can. manus de Cons. dist.* 5. Eodem pacto absque alia Calicis porrectione character impressus per Unctionem fuerit in Sacerdote.

Verum his difficultatibus non obstantibus, nostra sententia adhuc inconcussa remanet. Pro cujus expositione, sciendum est, In Sacerdote duplicem esse Potestatem, unam ad offerendum Sacrificium Deo, missasque celebrandas, aliam ad remittenda peccata, idest ad ligandum, atque solvendum. Potestatem conficiendi Corpus suum tradidit piissimus Redemptor, ante Passionem, dum dixit, *accipite, & comedite, hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem cap.* 1. *de Relliquiis, & Vener. Sanct. in Clem. Tridens. de Sacrificio missae can.* 2. *sess.* 22. Altera verò potestas ligandi tradita fuit a Christo post resurrectionem cum dixit *Ioann.* 20. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Quo circa materia qua exprimitur utriusque potestatis collatio neutiquam est omittenda; Eaque si omittatur character impressus dici non potest.

Atque hanc doctrinam rationemque assertionis qui probè conceperit, illicò exigui momenti difficultates oppositas agnoscet.

Nam quod Concilium Cartaginiense solam
13 exigat manus impositionem; Quodque Sacerdotes sint a D. ordinati per verba *accipite Spiritum Sanctum*; Id quomodo accipiatur ex ratione decidendi adducta jàm palam est, evidenterque constat.

Quod verò II. Oppositione contendebatur, omissa manus impositione, solùm supplendum, non verò ex integro repetendum Sacramentum. Respondemus, jam ex interpetratione su... N. 7. a nobis tradita novam lucem huic constitutioni esse illatam, verumque sensum detectum; quod nempe ibi tractetur, non de substantialibus Sacramenti omissis, ut in nostro casu; sed de his ritibus, qui fuerint ab Ecclesia instituti, de quibus *in can. Presbyter dist.* 23. Et evidenter, non de manus impositione Pontificem loqui, sed de ritibus ab substantiam non attinent bus, patet ex versiculo, *quod si omissum fuerit;* Cur enim potius, si de manus impositione Pontifex disserebat, non dixit, *qua si omissa fuerit*. Ergo reliquos ritus voluit hoc genere disserendi complecti, eorumque omissioni suppiendum esse, declarare.

Ad III. Difficultatem respondetur. Verissimum esse, quod ungitur Chrysmate Presbyter in manibus, sicut Episcopus in capite *cap. un. de Sacra Unct.* Talis vero unctio Presbyteris adhibita ad Sacramenti substantiam non pertinet, quemadmodum, & quae Episcopis adhibetur *Laym. L.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12. *n.* 4. sed antiquissima caeremonia est, neque praetermittenda.

(e) *Materia signumque &c.*

De materia cujusque Ordinis fusè loquutus sum in *Lib.* 1. *Tit.* 21. *n.* . . . *in Expos.*

(f) *Forma &c.*

De forma pariter omnium Ordinum uberrimè tractatum est *eod. Lib.* 1. *Tit.* 21. *n.* . . . *in Expos.*

(g) *Ea Graeci.*

DISSERTATIO III.

Ad Graecas Ordinationes. 14

Jam tempus de Graecis Ordinationibus disserendi. Proderit haec notitia plurimum. Quia Graecos ritus canones interdùm supponunt, veluti textus in *can. Diaconus, & in can. praeterea dist.* 23 atque ego comparare soleo notitiam historicam viridario floribus elegantissimis consito; sed eos flores si quis non olfecerit, non audeat se sacri Juris peritum appellare.

Incipiamus a numero Ordinum quos Graeci conferunt. Graeci Tonsuram Clericalem cum Lectoratu coniungunt, quemadmodum ex eo, 15
quod accidit S. Euthichio inferre licet. Nam cum celebraretur Concilium generale V. Euthichii capilli, dùm Constantinopoli in Ecclesia Dei Genitricis ordinaretur lector, invito tonsore, in baptisterium ceciderunt, ita scribit *Methaphrastes apud Surium in Vita S. Euthichii*.

Hoc idem infertur ex *Balsamon. in can.* 14. *Concil.* 7. qui ita loquitur: *aperte enim ostenditur, quod quando quis tonsura manuum impositionem susceperit ab Antistite, is erat protinus Clericus ut cui etiam in suggestu legere sit permissum.*

Infertur etiam ex *can.* 6. *Concil. Calcedonensis;* Nam dicit etiàm Lectores esse Clericos, & habere Antistitis manuũ impositionem, & hunc Canonem transtulit in suam collectionem Gratianus in *can. neminem dist.* 70. Quia à Graecis Lectoratus per impositionẽ manus conferebatur, ut infra ostendemus.

Quod

Quod attinet ad alios minores Ordines; Ego puto per omnem Graeciam minores Ordines
16 viguisse, Hyppodiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, Ostiariorum, seu janitorum; Martyr enim Ignatius in *Epistola ad Antiochenos* hos ordines recenset. Rursus Lodicenum Concilium habitum Laodiceae Phrygiae *can.* 24. ait non oportere, Subdiaconos, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Ascetas in cauponam ingredi; ergo hoc Concilium in Graecia celebratum, ante Concilium Nicaenum teste *Baronio* mentionem faciens de aliis minoribus ordinibus aperte docet, non fuisse apud Graecos solum lectoratum. Denique etiam Iustinianus *Novella* 3. *cap.* 1. & 2. testatur, fuisse in Constantinopolitana Ecclesia alios minores Ordines ultra Lectoratum.

Cum ergo magnae existimationis auctores negant, esse nunc ullos Graecorum Ordines Minores praeter Lectoratum; Si hoc ita sit, nuperum est. Et licet Morinus *P.* 3. *de Sacris Ordinationibus Exercit.* 14. contrarium persuadere nitatur; attamen ipse praemittit, ante exercitationes suas, ea, quae scribit, non scribere ad aliquid decidendum, sed solius exercitationis causa. Nec verò umquam Graeci ministeria quatuor minoribus Ordinibus tributa in Liturgiis, & officiis Ecclesiasticis omiserunt; sed ea partim Lectori, partim Subdiacono diviserunt.

Utcumque tamen se res habuerit; inveniò Bullam Innocentii IV. *Sub Catholica*, quae in §. *ad hac* ita loquitur.. Ad haec volumus, &
.. expressè praecipimus, quod Episcopi Graeci
.. septem Ordines secundùm morem Ecclesiae Ro-
.. manae de caetero conferant; Cum huc usque
.. tres de minoribus circa ordinandos neglexis-
.. se, vel praetermisisse dicant; Illi autem, qui
.. jam sunt taliter ordinati, per eos propter
.. nimiam ipsorum multitudinem, in sic sus-
.. ceptis ordinibus tolerentur.

Datum Lateran. 2. *Non. Mart. Anno XI. idest* 1252.

Quam intepetrationem haec Bulla recipiat, ego non ausim diiudicare. Solùm propono, quod ibi agebatur de Dissensione, inter Archiepiscopum Nicosiensem, & ejus Suffraganeos Latinos ex una parte, & inter Episcopos Graecos Regni Cypri ex alia; Illud etiam propono, quod ait Lauria in *Epitom. Can.* Verbo *Ordines*, nempe: *Ordines Ecclesiastici septem dandi etiā a Graecis*. Propono insuper hac super re fusè disserere Pignattellum *Tomo* 5. *Consf. Can. consf.* 62. *per tot.*

Post haec de Ministro Graecae Ordinationis videamus. In partibus Graeciae, Ordinationes ab Episcopo Graeco celebrantur; neque Latinos
17 ordinare potest, & si juxtà Graecos ritus, Latini a Graecis Episcopis ordinentur, suspenduntur ab exercitio gradus accepti, Textus clarus *in cap. cum secundum de temporibus Ordin.*

In partibus vero Latinarum Regionum, quid servandum sit variae Pontificum Bullae expressè declaraverunt. Et distinguendum est; aut agitur de conferendis Ordinibus Minoribus; et quidem Latini Episcopi Graecoitalos sibi subiectos, modo ritu Latino utantur, valent ordinare; solumque prohibitum est, ut Latini Episcopi conferant majores gradus Graecis, ex Bulla Clem. VIII. quam refert Leo Allatius *in opuscul. de at. & intest. in coll. ord. Grae. fol.* 5. 8. & 10. Cognoscitur autem, an sint ordinati Graeci, seu Latini, ex adscriptione Ecclesiae, cui deserviunt. Aut agitur de promovendo Graecoitalos ad Sacros Ordines: et in hoc casu, solus Episcopus Graecus idoneus est.

Sciendum namque, a tempore *Clem. VIII.* assignatam esse Graecoitalis Romae Ecclesiam S. 18
Athanasii, ubi omnes Ordines juxta Euchologii Graeci titus, a Graeco Episcopo conferentur, & Bullam refert *Morinus de Sacris Ord. p.* 1. *cap.* 4.

Imò Urbanus VIII de Ordinationibus in Ecclesia S. Athanasii faciendis ita disposuit, in *Bulla* quam refert *Morinus d. cap.* 4. ibi.. Jn-
.. rent Italograeci statum Ecclesiasticum, & Sa-
.. cros Ordines usque ad Presbyteratum ritu
.. Graeco suscepturos, quandòque, & ubi supe-
.. rioribus visum fuerit, qui tales non fuerint
.. sine literis dimissorialibus suorum Ordinario-
.. rum; sed ad Titulum Collegii, ac missionis
.. ordinari possint, & debeant, dummodo Graeco
.. ritu, ab Episcopo Graeco, ad id a Sede Apo-
.. stolica deputato ordinentur.

Et novissime non esse Graecos italos ordinandos sine beneficio, declaravit Sacra Congregatio Concilii, in una Siciliae *die* 17. *Novemb.* 1650. 19
ad cap. 2. *sess.* 21. *Concil. Trid. de Refor.*

Remanet, ut ritus Graecarum Ordinationum breviter indicemus. In Ordinatione Episcopi solent Graeci describere tres fluvios, supra fluvios Urbem, supra Urbem Aquilam. Fluvii 20
Doctrinae donum indicant, ad quod Episcopus est vocatus. Urbs ejus Episcopatum significat, Aquila puritatem, & Theologiae altitudinem; *Simeon Thessalon. cap.* 4. *apud Morinum in Adnot. ad Graecos Ordines*.

Majores Gradus absque ulla manuum unctione administrant *cap.* 1. *de Tempore Ord. ex Tertia collect. Gonz. in cap.* 8. *ib. n.* 5. 21

Imò in Euchologiis Graecis de Calicis porrectione in Praesbyteratus Ordine nulla fit mentio, ut videre est apud Arcudium *de hoc Sacramento*; At dum celebrat Episcopus tradit ordinato Presbytero particulam abscissam, ex majore particula, quae est in patena super altare, his verbis: *accipe depositum hoc et serva illud usque ad Adventum D. N. Iesu Christi, quandò debet abs te illud repetere*.

Solumque peractis orationibus Consecratoriis, Pontifex Lectori porrigit Librum Epistolarum, Subdiacono Vasa Urceolum, Lebete, & Mantile; Diacono Flabellum.

De quibus Ordinationibus quid dicendum sit, videatur Fagnanus in *cap. un. de Sacra Unctione n.* & 96.

T 2 Non

Non observare Grecos interstitia, & omni tempore Ordines conferre, narrat *Cironius Lib.* 4. *Observ. cap.* 1. Et hæc satis.

(*b*) *Originis &c.*

Minister Ordinis.

Idoneus Episcopus quis olim esset, quis nunc sit, jam exponam breviter.

22 Olim Episcopus proprius erat etiam illius loci, ubi quis foret baptizatus *can. omnes* 98. *dist.* Quamquam hoc non semper fuit observatum; unde Origenes fuit ordinatus a Theoctisco, & Alexandro Cæsareæ, & Hierosolimorum Episcopis. Martinus Sabariæ, in Urbe Ambianensi baptizatus, fuit ordinatus ab Hilario. Et aliud exemplum est *in can.* 9. *Concilii Arausicani.*

Olim insuper poterat ordinari Clericus, ab Episcopo Ecclesiæ, ubi Clerici olim intitulabantur *Concil. Nican. can.* 16. *& Sardic. can.* 15.

23 Sublata intitulatione, ex consuetudine trifacta sunt solùm Episcopi proprii genera. Originis, Beneficii, Domicilii, *cap. nullus de tempore Ord. in* 6. fusè *Gonz. in cap.* 11. *de temp. Ord. n.* 4. *& seq. & nos Lib.* 1.

24 Sciendum verò, esse in arbitrio Ordinandi quem velit ex his Episcopis eligere; Imò licitum est variare, accipiendo ab uno Acolythatum, ab alio Subdiaconatum cessante fraude, ut respondit Sacra Congregatio tempore Cardinalis Alciati, & 20. Maii 1594. & in una Fundana die 27. Febr. 1656. & in una Venetiarum 28. Nov. 1633. *apud Pignattellum Tom.* 9. *Cons.* 489. *Gonzal. ib. n.* 8.

25 Ultra hæc ex Privilegio Primas Carthaginis ex tota Affrica Clericos potest ordinare inconsulto proprio Episcopo; et Pontifex universos Clericos; Patriarchæ item Antiochenus Constantinopol. Alexandrinus, ex Provinciis subiectis omnes Clericos sine proprii Episcopi licentia ordinare possunt *Cironius L.* 1. *Observat. cap.* 12.

26 Denique Episcopi suos familiares rectè ordinant etiam proprio Episcopo inconsulto *Concil. Arausic. cap.* 8. *sub Leon.* 1. iuxta moderationem *Tridentini sess.* 23. *cap.* 9. quæ extenditur etiam ad Officiales Papæ, & familiares Cardinalium *Pignattellus ubi supra n.* 34.

[*i*] *Veluti olim.*

Ordines Mense Decembri conferebantur.

27 Olim Pontifex alio mense, quam Decembri non ordinabat. Postea Simplicius I. & Felix III. mense Februario, Leo III. mense Martio ordinationes celebrare cæperunt refert *Dartis in Decret. Grat. dist.* 75. Tandem statuta fuerunt Tempora Quatuor jejuniorum *can. Ordinationes dist.* 75.

Cæterùm Pontifex, utpote qui in iis, quæ sunt Ecclesiastici Iuris dispensare potest, rectè ordines conferre valet, extra tempora a Jure constituta, *cap. Subdiaconos de temp. Ordin. cap. de eo eod. Tit.*

[*k*) *Gratiam confert.*

Ordo Gratiam confert.

Eugenius IV. in Decreto, ibi: *Effectus est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.*

Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 3. ibi: *Scriptura testimonio, Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuum est, per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur gratiam conferri.*

Quos Canones intellige, ut non prima sanctificans Gratia conferatur, verùm incrementum gratię. 28

(*l*) *Imprimitque.*

Ordo characterem imprimit.

De Charactere, qui ab Ordine imprimitur est Textus in *can. de homine, in can. de his, in can. dictum de Consecr. dist.* 5.

Neque illud silentio omittendum; quod Ecclesia nempe declaret, quandò nam in aliquo dubio character impressus censeatur, exemplo Textus *in cap. Præsbyter de Sacramentis non iterandis.* 29

[*m*] *Neque.*

Character non deletur degradatione.

Quamvis in *cap. degradatio de pænis in* 6. dicatur per degradationem auferri omnem ordinem, ibi: *in §. fin. degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine &c.* Attamen Textus non intelligitur de Charactere, qui auferri non potest, ad tradita *per Gonzalez cap. ult. ad Tit. de Schism. n.* 7. Quare nihil amplius continet depositio ab ordine, quam suspensio ab executione ordinis: *Suarez de Censur. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 7. 30

Hinc fit, quod Episcopus degradatus servata debita forma, & materia, Ordines validè confert, quamquam illicite; nam cum ab ordine depositio fit: nec privatur suo ordine ita depositus, neque privari valet, *Textus in can. quod quidam* 1. *q.* 1. *in can. ostenditur* 32. *de Cons. dist.* 4. *in can.* 2. 32. *q.* 7. Quo circà Ecclesia non potest actus ordinis, a Clerico gestos invalidare; quemadmodum reddit inanem actum Jurisdictionis, ab eo celebratum *cap.* 2. *de clerico excom. Minist.*

(*n*) *Scilicet Tonsuram.*

DISSERTATIO IV.

In qua probatur Tonsurã esse ordinẽ, & Sacramentũ.

Plurima, de Tonsura dicta sunt *Lib.* 1. *Tit.* 21. ubi nacti occasionem opportunam, Canonista- 31

rum

rum sententiam, quæ Ordinem vult esse Tonsuram demonstravimus. Nunc vero majore conatu quoniam agimus de Sacramentis, id ipsum defendendum est.

Sententiam hanc recipiunt *Rota Romana P. 5. Recent. decis. 50. & part. 1. decis. 731 n. 5. & 6. Covar. in cap. quia n. 4. de Testamentis*, *Fagnanus probat latissimè*, *& eruditissime in cap. cum contingat de atat. & qual. Silvester in verbo ordo 1. n 1.*

Ut clarè procedamus, præmitto, Psalmistatum idem esse, ac Tonsuram; quod etsi constanter neget *Vasquez. Tom. 2. de hoc Sacramento*;
32 tamen non differre re ipsa, demonstrat Degradationis forma, quæ adhibetur in actu ultimum ordinem, nempe tonsuram amovendi: ita enim dicitur, ut est in Pontificali: *quod ore cantasti corde non credidisti, nec opere implevisti, ideò cantandi officium in Ecclesia Dei a te amovemus*: & alia videantur *in cap. degradatio in fine* de *Pan. in 6.* Sed et idem ostenditur *ex can. de Persona in fin 11. q. 3.* ubi, *cantores dicendi sunt Clerici*; Non ergo est Psalmistatus officium simplex: Et si constituit Clericus, ejus collatio erit ipsa tonsura, quę Clericum constituit *cap. cum contingat de atat.* Ulterius videantur Canones Concilii Carthaginiensis IV. non erit qui possit dubitare quod Psalmistatus idem non sit cum Tonsura: nam gradatim Ordines numerantur, & modi eos conferendi, *in can. 2.* de Episcopatu sermo instituitur, *in can.* 3. de Presbyteratu, *in can.* 4. de Diaconatu, *in can.* 5. de Subdiaconatu, *in can.* 6. de Acolythatu, *in can.* 7. de Exorcistatu, *in can.* 8. de Lectoratu, *in can.* 9. de Ostiariatu, *& in can. 10. de Psalmistatu*; nullaque fit mentio de Tonsura. Si ergo Concilium sibi proposuit rationem constituendi Episcopum, & Clericum in omni Ordine demonstrare, et in Psalmistatu desinit post Ostiariatum; tutissima coniectura duci potest, Psalmistatum ex mente hujus Concilii intelligi Tonsuram ipsam. Huic Concilio concinit Textus *in can. Cleros sub §. presbyter dist. 21. in can. perlectis dist. 25.*

Quod si opponas idem Concilium relatum *in can. Psalmista 23. dist.* Ubi decernitur, Psal-
33 mistatum a Presbytero conferri, adeoque non esse Tonsuram, quę a solo Episcopo confertur.

Respondebo verbis alterius Canonis, nempe in *can. perlectis in §. ad Episcopum 25. dist.* ubi post enumeratos Ordines, & Psalmistatum Isidorus hæc habet: *Ipse* (idest Episcopus) *prædicta officia, & Ordines Ecclesiasticos distribuit.*

Cum ergo Concilium Cartaginiense ait, *Psalmistam, sola iussione Presbyteri officium suscipere cantandi*; Id quem sensum habeat, intelligi non potest, nisi antiquitatis notitia lumen intulerit. Sciendum igitur ex veteri Ecclesiæ disciplinę in Monasteriis, aut Domibus Presbyterorum scholas erectas fuisse, quæ internæ dicebantur teste *Gibalino de Clausura Reg. disquis. 1. cap. 2. §. 1. n. 22.* in quibus, qui Clericali officio destinati essent a Præposito scholæ erudiebantur ad cantum Ecclesiæ, & alia officia usque ad annum 17. *Concil. Tolet. 2. cap. 1. Concilium Parisiense 1. can. 30. Vasense 2. can. 1.* Qui verò scholis vacabant, scholares dicebantur *cap. 1. de Celebr. Miss.* Adolescentuli etiam, ut *in can. cantantes dist. 92.* & de his mentio est, *in cap. ut quisque de Vita, & honest. Cler. Conc. Aquisgr. can. 136.*

Iam vero ad canendum hos Cclericos scholares deputabant Præpositi scholarum ipsarum, ut patet ex *Concil. Emerit. can. 18.* ibi: *instituit hac Sancta Synodus ut omnes Parochiani Presbyteri juxta, ut in rebus sibi a Deo creditis sentiunt habere virtutem de Ecclesia sua familia Clericos sibi faciant*: Non quidem ordinent ad Psalmistatum sed videntes jam scholares idoneos, ad executionem Psalmistatus, eosdem deputent qui jampridem ab Episcopo Tonsuram idest Psalmistatum acceperint; Consonat idem confirmans Textus *in cap. ut quisque de Vita, & honest. Cler. D. Isidorus lib. 1. de Inst. Cler. cap. 12.*

Ex qua notitia patet oppositi Textus vera intelligentia; nimirum non ordinari Psalmistas a Presbytero, sed deputari ad executionem ordinis quem sciunt jam posse commode, propter scientiam comparatam in psallendo administrari.

Cæterum id comprobatur evidentius ex ipso Pontificali Romano in *Rubrica de officio Psalmistatus*: Nam non præscribuntur ea verba, quæ ponuntur *in can. Psalmista dist. 23.* pro forma Tonsuræ: sed solum dicitur, *Et si Episcopus Clericum ordinans hac faciat bene facit*: Unde indicat *Pontificale*, quod verba *dicti Canonis*, non attinent ad necessitatē Ordinis, sed cōgruitatis sunt. Et ratio est, quia in *Titulo de Clerico faciendo* ejusdem Pontificalis, nulla ejus præscripti ritus seu formę fit mentio. Ergo Presbyter non tradit Psalmistatū; sed executioni Psalmistatus jā ab Episc. recepti adscribit, juxta prędictū Canonem.

Et nisi huic interpretationi acquieveris, alia etiam in promptu est. Nimirum quod ille *can. Psalmista* supponit non repugnare, quin Cantoris officium expleat Lector, aut alter Clericus; demandari autem Lectori, aut alteri Clerico munus Psalmistæ non erat ex pertinentibus omninò ad Episcopum, sed ad Primicerium *can. perlectis §. ad Primicerium 25. dist.* Et ideo ait prædictus *can. Psalmista*, sine jussione Episcopi, sola jussione Presbyteri officium cantandi suscipi, a Psalmista videlicet non suscipi ordinem a Presbytero, sed officium expleri mandato Primiceri. Quod autem Psalmistæ officium posset demandari etiam alteri Clerico, ostendit *Gibalinus de Clauf. Reg. disq. 1. cap. 9. §. 1.* & est Textus Clarus *in can. Sancta vers. Psalmos dist. 92.*

Tandem, ut revertamur ad ea quę initio proposuimus, Psalmistatum esse Tonsuram; Probat Concil. Carthaginiense III. *cap. 2.* ibi: *Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Psalmistæ, & Ostiarii retinent*. Probat *can. 69. Apost.* ibi:

Episcopus Presbyter, *Diaconus*, *Lector*, *& Cantor*, *ob non servatum jejunium Quadragesimæ deponuntur* : *Laici verò segregantur*. Depositio autem propria erat Clericorum. Quibus auctoritatibus apparet quàm perperam dixerit *Vasquez ubi supra* Psalmistam esse Laicum potuisse. Tonsura constituit Clericum : ergo si Psalmista est Clericus, minus quam Tonsura, Psalmistatus esse non potest.

His explanatis, jacta sunt fundamenta nostræ Conclusionis. Iamque facili sine offensione cursu, progrediemur ad probationes.

Probatur I. Quia Tonsura est Sacramentum, ergo est propriè Ordo : Nam si est Sacramentum, ad aliud genus Sacramenti redigi non potest,
34 quam ordinis. Esse autem Sacramentum, ostenditur. Nam in Tonsura materiam invenias, formam, effectum characteris, & gratiæ. Materia quidem non in ipsa Tonsuratione est, quia per hunc actum crines resecantur, neque ullius rei traditio interponitur : Sed materia Tonsuræ est *superpelliceum*, res proportionata, ad ministerium divinas laudes psallendi significandum. Unde cum psallendum est, superpelliceum adhibendum esse, passim Concilia præscribunt, *Concil. Colon. 2. p. 3. cap. 11. Concil. Mediolan. 1. p. 2. Tit. de musica. Concil. Basiliense relatum à Magr. in Vocab. Verbo superpelliceum*. Forma sunt verba, quę profert Episcopus : *induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus es, in Justitia, & Sanctitate veritatis* ut est in *Pontificali* - Characterem vero per Tonsuram imprimi nemo inficiabitur, nisi velit se opponere *motui proprio* Sixti V. edito anno 1588.
35 *non Ian.* Ubi pręter alia hęc leguntur : *rem quidem sacram, & divinum munus affectantes ad suscipiendum clericalem characterem, aliosque ordines minus rite, vel etiam temere se ingerant?* Et Sacra Congregatio *apud Fagnanum in cap. cum contingat, de ætat.* die 12. Maii 1610. & 16. Nou. 1621. falsum declaravit Decretum Caccensis Episcopi, qui statuerat, Clericum fori Privilegio destitui *eo quod Tonsura non imprimeret characterem*. Ac propterea cum character distinguat *cap. majores §. fin. de Bapt. S. Chrysostom. homilia 2. in Epist. ad Ephes.* Plane per Tonsuram in alio statu fideles collocantur *can. duo sunt 12. q. 1. can. Cleros dist. 21.* Unde refellitur *Vasquez Tomo 3. disp. 236. n. 32. cap. 8.* qui partes Theologorum strenuè defensurus, vocem *Characterem* in motu proprio Sixti V. expressam, solam destinationem ad ordines significare contendit. Quid hoc est nisi literam ipsius motus proprii absque ulla necessitate pervertere. Nonne Sixtus ait, *& alios Ordines*, quæ dictio *alios* est repetitiva similium? *Clem. 2. de celebr. Miss.* quasi dixerit Tonsuram ad instar aliorum Ordinum characterem imprimere. Standum ergo literę, *cap. super specula, ne Cler. vel Mon.* Neque in sensus alienos detorquenda est. Postremo, si quæras, quo pacto demonstretur, Tonsuram conferre gratiam, libeat inspicere *Pontificale Roman. Tit. de Cler. fac.* ibi : *Oremus D. N. Jesum Christum, pro his famulis tuis, qui ad deponendam comam capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum S.* - Nec dicas Tonsuram non fuisse à Christo institutam, adeòque non esse Sacramentum, quod solius Chisti institutione dependet. - Nam etsi *in can. duo 12. q. 1.* Tonsura adscribi Romanę Ecclesiæ institutioni videatur, Attamen ille Textus de abrasione capillorum loquitur, nõ de Psalmistatu : Et Psalmistatum, seu Tonsuram divina institutione provenire, vel ex hoc liquet, quia lædens Tonsuratum divinas leges violat, cum sint Dei Ordinatione Clerici privilegiati *Trid. sess. 25. cap. 20. de Refor.*

Ex hoc quoque constat, quia forma Tonsurę Ecclesiæ data fuit ait Textus *in cap. cum contingat de ætat. & qual.* Non ergo eam Ecclesia invenit adeoque Tonsura ipsa Christo Domino accepto referenda est. Ex quo argumento non sine necessitate tam multis verbis dilatato, duo confecimus : Nam et pervicimus Tonsuram esse Ordinem, & Sacramentum.

II. Quia Tonsura non potest sola ad Ordines dispositio vocari. Id ut convincam, casum proponam qui interdum forsitan eveniet. Si quis Ordines suscipiat absque Tonsura, per saltumque promoveatur, equidem Tonsuram debet nihilominus recipere, quam omisit, ut de ceteris minoribus gradibus omissis, deciditur *in cap. 1. de Cler. per salt. prom. in can. sollicitudo dist. 59. can. un. 52. dist.* probat *Fagnanus ubi supra*. Ergo Tonsura non est dispositio ad Ordines, quia cessat dispositio ad habitum, cum fuerit habitus impertatus *L. 1. ff. de Interr. Act. L. ad Legatum ff. de Procur.* & pluribus aliis rebus exornat *Fagnanus ib.* Augetur vis hujus argumenti, ex Textu in *cap. cum contingat de ætat. & qual.* Interrogatus enim in hoc Textu Pontifex an Tonsura esset ordo, respondet esse Ordinem, idest esse verum Ordinem: Nam alio sensu respondere non potuit, ut serię interrogationi seria congrueret responsio, *cap. inter dilectos de Fide instrum.* Ergo non est Tonsura dispositio ad Ordines ; nam dispositio seu pręparatio ad finem, non est ipse finis, argumento Textus in *L. si nondum 3. C. de Furt. in L. fundi §. labeo ff. de Act. Empt. in L. librorum §. unde ff. de Leg. 3. in L. si id quod ff. pro socio.*

III. loco congeri possunt plurimi canones, unde nostræ assertionis veritas magis effulget, eosque etiam attusimus *L. 1.* Nempe probant hanc sententiam Textus *in can. Cleros dist. 21. in can. perlectis dist. 25. in cap. 1. de Apostb. in cap. 1. de vita, & honest. Cler. in 6. in cap. cum inter de re Iud. in cap. eo libentius de servis non ord. cap. 1. de sent. excom.*

IV. Quia in Ecclesia novem sunt Ordines ad instar novem ordinum Angelorum, *can. principium §. omnis lapis de Pan. dist. 2. can. ad hoc dist. 90.* & si quis dixerit in Ecclesia non esse hierarchiam divina ordinatione institutam quæ constat ex Episcopis Presbyteris, & ministris

ana-

anathema fit, ait *Trid. sess. 23. can. 6.* Nec verò Ordinibus Angelorum, qui sunt in Ecclesia Ordines respondebunt, nisi Tonsura etiam constituatur Ordo.

V. Quia sunt nonnihil similia officia Psalmistatus, & Lectoratus *can. Cleros dist. 21.*

Nam Psalmistæ munus est recitare Psalmos: Lectoris legere ea, quæ predicat, & lectiones cantare. Cur ergo Lectoratus ordo fit, non Psalmistatus? Cum et deputatio ad Psalmos recitandos, & Psalmistæ ministerium cooperativum fit ad Eucharistiam, si non in actu consecrationis, saltem ad præparandos suscipientes, quemadmodum lectoratus ad Eucharistiam cooperatur. Si ergo ordo est signaculum quoddam, quo traditur exteriori signo spiritualis potestas, cum in Tonsura, & signum exterius fit, & potestas, meritò inter ordines Tonsura est connumeranda.

VI. Quia sæpissimè Psalmistatus Ordo vocatur *can. non oportet 44. dist. can. si quis Episcopus 6. 26. q. 1. can. 1. 35. dist. can. Psalmista 23. dist. can. Clericum dist. 72. de persona 11. q. 1.* Atqui idem est Psalmistatus, ac Tonsura, ut supra ostendimus *n.* 23. ergo non tantum defendi potest hæc sententia tamquam probabilis, sed utique verissimam censeo.

36 Hinc infertur. Quod si Tonsuratus est re vera in Ordine constitutus, & filius familias fit, bona ab eo acquisita post Tonsuram censentur Castrensia, & locum habet Textus *in Auth. Presbyteros C. de Episcop. & Cler.* ut infert *Covarr. in cap. quia nos de Testamentis n.* 3. - Infertur degradationis pœnam locum habere etiam in Tonsuratis, si aliquid admiserint, per quod pęna hæc iniungatur *cap. degradatio de Pæn. in 6.* Infertur Privilegiis universis ordinatorum frui etiam Tonsuratum, ut Privilegio fori *cap. 2. de Foro Comp. cap. 1. de Cler. coniung. in 6.* quamvis Tridentinum postea adiecerit alia requisita *sess. 23. cap. 6.* alioque privilegio item gaudebit Tonsuratus, nempe privilegio canonis *cap. 1. de sent. Excom.* Infertur, quod Irregularis nequit accipere Tonsuram, nam irregularis est incapax Ordines suscipiendi.

Obiicitur I. Plurimi sunt Canones, in quibus ubi Ordinum feriatim mentio habetur, de Tonsura tamen sive mavis Psalmistatu altum silentium est: En exempla. Agit de gradibus Clericorum Tonsuram tacens Leo IX. *in can. feriatim 32. dist.* & Synodus Romana *in can. a Subdiacono dist.* 33. similiter de Tonsura nullatenus aliquod verbum pronunciat. Ergo ipsi Canones a numero Ordinū excludunt Tonsuram.

Sed respondetur, novum non esse, ut Textus aliquid silentio pętermittat, quod fuerit in aliis constitutionibus expressum. Si placeat observare Textum *in can. Cleros dist. 21. in can. in singulis in fine 77. dist. in can non oportet dist. 44. in can. si quis Episcopus 26. q. 1.* constabit evidenter Psalmistatum inter Ordines censeri, atque his constitutionibus exprimi, quod alibi fit prætermissum. Quod ut dicebam persępè accidit. Ita & tacetur Lectoratus in *can. si officia dist.* 59. An igitur rectè argues, si dicas Lectoratum non esse Ordinem?

Obiicitur II. Textus difficilis *in can. illud dist.* 77. Ubi deciditur ita ascendendum ad Ordines: nempè *sit primum Ostiarius* Clericus esse cupiens. Ergo non incipit Clericatus ordo a Tonsura, quare Tonsura Ordo non est.

Resp. Parùm probare hoc argumentum; nàm cum evidens fit statum Clericalem a Tonsura incipere, non opus est, ut exactè Canones inculcent, ut qui cupit esse Clericus, prius ordinetur ad Tonsuram. Alioquin si contendas opus esse, ut gradatim Ordines semper canones describant, quid igitur responderi potest ad Textum *in can. si officia dist.* 59. ubi dicitur, primus gradus esse *lectoratus*?

Sed dicam ulterius, quid significet, *sit primum ostiarius, sit primum lector*: Ita loquentur canones, quando jam alios Ordines susceptos fuisse supponunt, tunc verum est, post Tonsuram primum esse Ostiarium, post Ostiariatū primum esse Lectoratum, quę numeri appositio nova non est, ut patet *ex L. si finita §. Iulius ff. de Damno infecto, Auth. de hæred. ab intest. § inordinatum.*

Obiicitur III. Distinguuntur ordines a Tonsura, *in cap. cum inter de Re Iud. in cap. 6. de vita, & hon. Cler. in sess. 24. de Reform. cap. 2. apud Concil. Trid.* ergo quia Tonsura non habet rationem Ordinis. Sed jam suprà ostendimus, in multis locis Tonsuram vocari Ordinem, quos in III. Argumento pleno calamo congessimus. Unde credibile non est Textus oppositos a numero Ordinum exclusam velle Tonsuram: et ideo dictio, *aut* apud Concil. Tridentinum aliosque Canones vim habet dictionis coniunctivę, & exempla sunt *in cap. ex institutione de Fil. Presb. in cap. inter cæteras de rescript.*

Obiicitur IV. Psalmistatus non est primus Ordo judicio Isidori *in can. Cleros §. Presbyter dist.* 21. Nam post Lectorem enumeratur Psalmista idest cantor.

Resp. ex Textu *in can. non oportet dist.* 44. ubi primus ordo Psalmistatus constituitur: Unde sensus Isidori, ex hoc alio Canone elucidandus est.

Obiicitur V. Falsum est Tonsuram imprimere characterem; quia repeti posse videtur: ex Textu *in cap. Clericus 6. de vit. & hon. Cler.* ergo nullatenus ordo vocari potest. 37

Plane hujus Textus magna est difficultas, quia congruum sensum recipere non posse creditur a *Genz. ib. sub n.* 1.

Sed quia non unicam continet sententiam: quę ad nos attinet *de Tonsura* sic accipienda est illa decretalis, ut scilicet non repetatur collatio Tonsuræ cujus materia est superpelliceum [ut diximus) et forma *induat te Deus novum hominem &c.* Quasi, & iterum materia, & forma fit adhibenda; sed Textus hoc unum ait, Clericum iterum esse tondendum, quia agebatur de

Cle-

Clerico, qui a parentibus cum in tenera ætate Monasterio esset oblatus verus evaserat Clericus; postea uxorem duxerat, & comam nutriebat. Meritò autem rursus tondetur, quia licet duret vinculum Matrimonii, neque quoad vinculum dimittere possit uxorem, tamen ab ea separatur, quoad thorum, & iterum tondetur, ut in Monasterio permaneat. Quare de sola abrasione capillorum Textus intelligitur, non de Tonsura tamquam gradu, & ordine. Et hanc interpretationem deduco, ex Concilio Triburiense, *can.* 27. ibi: *Quod si in hac indisciplinatione perdurat ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur*. Vides solum hunc Clericum iterum detonderi, quia nutriebat comam.

Obiicitur VI. Psalmos canere spectat ad populum *can. non mediocriter de cons. dist.* 5. *Extravagant. Docta de Præb. & dign.*

Resp. Multa specialiter ad Tonsuratum pertinere ut dicitur *in can. perlectis dist.* 25. §. *ad Psalmistam*, quæ ad populum non spectant. Ideoque officium Psalmistatus Clerici propriũ est.

Alias difficultates enodare supersedemus, quia exigui momenti sunt, & fere iisdem responsionibus facili negotio superantur.

[*o*] *Ostiariatum*.

Ad Ostiarium ultra alia, hoc pertinet, nempe pulsare Cymbalum, & Campanam, & Librum
38 aperire ei, qui prædicat, ut est *in Pontificali* Notetur tamen hoc posterius in usu non esse. *Vasquez Tomo III. disp.* 236. *cap.* 2.

(*p*) *Lectoratum*.

De Lectoratu.

Ad Lectorem spectat lectiones cantare (in divinis officiis) juxta *Vasquez* interpetr. *d. loco*, &
39 legere ea quæ prædicat *can. Cleros* 21. *dist.*

Sed obstat, quod etiam Diaconi est prædicare Evangelium, *d. can. Cleros*, & *can. perlectis dist.* 25.

Respondetur ad Diaconum, pertinere prædicare Evangelium majore cum solemnitate: Ad Lectorem autèm alias scripturæ lectiones minus solemniter populo explicare, ita *Vasquez ubi sup.*

Imò hoc genus prædicationis, de quo *in d. can. perlectis* in lectoribus solùm est instructionis cujusdam, & veluti catechismi circa cathecumenos baptizandos, *Sotus in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2.

Putat autem *Lindanus* quod attinet ad cantum Lectorum vices nunc in choro explere musicos *L.* 5. *Panopl. Evang. cap.* 78.

(*q*) *Exorcistatum*.

De Exorcistatu.

Ultra officium adjurandi Demonis Pontificale assignat Exorcistæ *Munus effundendi aquam in Ministerio*. 40

Verum hoc intellige de ministerio baptizandi, ita ut illi conveniat post exorcismos implere fontem aqua pro baptismo. Quare *fundere aquam*, est fundere non super Cathecumenum, sed in fontem baptismi, ut baptizetur.

Sed hoc jã ab usu discessit testè *Vasquez ubi sup.*

Neque etiam in usu est admonere populum, ut det locum.

[*r*] *Subdiaconatu*.

De Subdiaconatu.

Subdiaconus hyppodiaconus dicitur, quasi subminister, seu inferior Diacono. 41

Necessaria materia, & essentialis Subdiaconatus est solus Calix vacuus, cum Patena, & hanc solus tradit Episcopus: Cætera Archidiaconus, Librum Epistolarum nempe, Pallas, Urceolos, scyphum cum manutergio *Vasq. Tomo* 3. *cap.* 236 *cap.* 3. Ceterum ad materiæ integritatem Librum Epistolarum etiam pertinere nemo negaverit, ut notat *P. Natalis Theol. L.* 2. *de hoc Sacramento*

[*s*] *Diaconatum*.

DISSERTATIO V. 42

De Diaconis.

Electis occasione murmuris Græcorum ab Apostolis

Quia tam multa de Diaconis dicta sunt *L.* 1. *Tit.* . . . *n.* . . . Nos hic solùm examinabimus quæstionem ad notitiam historicam spectantem. An videlicet in ipso actu electionis ad ministrandum mensis communibus, Diaconi susceperint etiam Sacramentum Ordinis, vi cujus certo scimus Diaconos ad Ministerium Sacræ Mensæ deputari.

Status Quæstionis ut promptè facileque percipiatur, supponendum est, non quæri, an Diaconatus sit sacer Ordo, & Sacramentum: Nam hoc de fide est, & citra omnem ambiguitatem. Sed 43
cardo difficultatis in hoc versatur. An Diaconi electi ad Ministerium Mensarum ab Apostolis eo ipso tempore fuerint etiam ab Apostolis Ordine Diaconatus qui Sacramentum est, decorati, vel potius Diaconatus Ordinem, ante illam deputationem mensis communibus vel post illam susceperint?

Solum referam rationes utriusque partis, negantium scilicet, & affirmantium.

Negat imprimis *Vasquez Tom.* 3. *de Diaconatu tractans*. Quod in ea electione, *qua actuum* 6. narratur septem illi viri Sacramentum Ordinis actu illo susceperint: Quamquam vel antea, vel posterius certe fuerint hujus Sacramẽti participes.

Probatur hæc negativa sententia ex *can.* 26. *Sexta Synodi generalis in Trullo*: ait enim Concilium hos Diaconos *non fuisse de viris qui ministrant*

nistrant mysteriis scilicet missa, sed de iis, qui ad ministerium mensarum adhibebantur.

Roboratur hæc sententia. Quia Concilium, *in d. can. 16.* utitur verbis D. Joan. Chrysostomi, qui ita ait: *Quoniam autem habebant hi auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem, scire necessarium est, numquid Diaconorum?* (respondet autem Joan. Chrys.) *atqui hoc non est in Ecclesiis idest præsidendi mensis, & habendi curam Pauperum non fit in Ecclesiis, in quibus ministerium Sacrorum Diaconorum exhibetur.*

Affirmantè contrario *Beda lib. 2. Hist. cap. 1. Baronius Tom. 1. Ann. an. 34. n. 286.* qui canonem illum Sextæ Synodi vocat Apocryphum, aliique plures adstipulantur.

Probatur hęc sententia ex *can. Diaconi 11. dist. 93.* ubi: Diaconos septem esse debere *in, nuat regula actuum Apostolorum*. Idque deducitur ex *can. Diaconi 11. dist. 93.* Unde patet quod cum hi canones loquantur de Diaconis Sacro Ordine insignitis: juxta regulam actuum Apostolorum, actu illo deputationis ad mensas communes Sacrum Ordinem recepere electi ab Apostolis.

Porrò mensæ communes, quibus Diaconi deputati fuerunt, Sacræ erant. Nam sicut Dominus in ultima cęna, utramque mensam unà coniunxit, communem, in qua agnum comedit, & sacram, in qua Sacratissimum suum Corpus propinavit: Ita etiam temporibus Apostolorum eadem in Ecclesia consuetudo servata est. Quare *Lucas ait Act. 2.* Fideles perseverasse quotidiè in communicatione fractionis Panis. Et, ut ait *D. Paulus 1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus nonnè participatio est Corporis D.*

Has mensas communes durasse usque ad Origenis tempora idem *Origenes* testatur *Tract. 15. cap. 21. Math. post. Med.*

Imò, & usque ad Tempora Gregor. Magni ut patet ex *L. 11. Epist. Ind. 4. Epist. 4.*

Ceterùm utramque destinationem, & mensis communibus, & Sacris Mysteriis coniunctam fuisse, infertur ex *Leone Magno Serm. de Beat. Laur.* ibi: *Non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensationi Ecclesiastica substantiæ præeminebat.* Et loquitur de B. Laurentio, cui Sixtus utrumque munus commisit.

DE SACRAMENTO:

MATRIMONII.

TITULUS IX.



Atrimonium & contractus est, & Sacramentum. Ut contractus est coniunctio Maris, & Fæminæ individuam Vitæ consuetudinem continens; Atque hic contractus etiam inter [*a*] Infideles celebratur. At non est legitima coniunctio Concubinatus; Quin potius frequens, (*b*] & consueta fornicatio cum eadem persona, quæ ad instar uxoris detineatur. Leges sęculi malum hoc tolerarunt, ut maius evitaretur. Cum in sacris eloquiis concubinæ Patriarcharum enumerantur, ibi non accipitur hæc vox *Concubina* pro soluta, & inhonesta contubernali, sed pro vxore secundaria, quæ esset administratione familiæ destituta; Sicuti apud Canones vxores, concubinæ dicuntur, quando non fuerint solemniter ductæ, & absque dotalibus instrumentis. Sed illud Genus concubinatus, qui extra Nuptias fit, nec continet individuam Vitæ consuetudine, nec ea juramento firmari potest, & Juri divino, & naturali aduersatur.

Contractus hic, qui & Nuptiæ, Coniugium, & consortium, & connubium vocatur, fuit a Christo Redemptore dignitate Sacramenti (*c*) decoratus, dum *Math. 19.* illud commendavit, eiusque inseparabilita-

tem præcepit, dicens: *quos Deus coniunxit homo non separet*. Huius nexus tanta firmitas signum imprimis est sanctissimi illius vinculi, quo Christus D. cum Ecclesia coniungitur; Simulque gratiæ promissionem coniunctam habuit. Nam valdè grave fuisset hoc Jugum in nova lege, persistendi cum coniuge, etiam sterili, etiam leprosa, nisi Gratiæ promissio accessisset, ad sustinenda onera Matrimoni, ad mutuum amorem fovendum, ad concupiscentiæ fomitem extinguendum, ad liberos in culto Dei educandos. Meritò igitur Apostolus *ad Ephes.* 5. De Matrimonio inquit; *hoc Sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Huius Sacramenti Materia est (*d*) coniugum consensus; Forma sunt verba illum exprimentia. Jam verò ad validitatem Matrimonii Paterna [*e*) approbatio necessaria non est.

Cognita Natura Matrimonii; Sequuntur divisiones quædam. Vtque sileantur illa Matrimonii genera apud Romanos contrahi solita, per coemptionem, Farreationem, & Vsum; Illa apud Canones divisio frequens Matrimonii, in legitimum, ratum, & consumatum. Legitimum id, quod legitimo consensu contrahitur; quale esse potest apud Æthnicos; Ratum a Christianis more fidelium contrahitur, estque Sacramentum. Consumatum dicitur, quod Carnali commixtione firmatum est. In Putativum (*f*] denique Matrimonium distinguitur; Quod bona fide contrahitur, saltem ab uno ex coniugibus impedimenti dirimentis ignaro, & servato decreto Concilii *Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. Effectus est, ut filii nascantur legitimi, utque Dos data sua, conservet Privilegia.

SUMMARIUM.

1 *Conclusio proponitur, quod qui non est baptizatus, non contrahit Matrimonium, ut Sacramentum.*
2 *Probatur Conclusio multiplici argumentorũ serie.*
3 *Inter Iudæum, & Iudæam est verum Matrimonium non contubernium.*
4 *Iudæi cur servi vocentur.*
5 *Explicatur textus difficilis.*
6 *Tres differentia inter baptismum fluminis, & flaminis.*
7 *Matrimonium apud omnes gentes hodie esse debet indissolubile.*
8 *Filii nati ex Matrimonio, ut contractus est sunt legitimi.*
9 *De Matrimonis, quę hodiè apud Brasileenses contrahuntur.*
10 *Intentio perpetuò manendi cum coniuge an requiratur.*
11 *Elegans dissertatio de Concubinatu.*
12 *Quæ sint Concubinæ, in S. Scriptura memorata.*
13 *Apud Canones aliquando Concubina, vera uxor est.*
14 *Explicatur Textus in can. aliter 30. q. 5.*
15 *Item apud Ius Civile aliquando Concubina vera uxor est.*
16 *Homeri locus adducitur ad intellectum L. si uxor ff. ad L. Iul. de Ad. 16.*
17 *Concubina, Pellex, Focaria, an idem sint.*
18 *Iure Divino prohibitus Concubinatus.*
19 *Item Iure Naturali.*
20 *Triplex Ius Naturale.*
21 *Jus Canonicum vetat Concubinatum.*
22 *Similiter & Ius Civile Concubinatum prohibet.*
23 *Explicatur can. Christiano 34. dist.*
24 *Cur in necessitate furari liceat, non fornicari.*
25 *Explicatur can. proposuisti 32. q. 3.*
26 *Dissertatio altera proponitur de Matrimonio elevato ad naturam Sacramenti.*
27 *Quomodonam, & quando Christus elevaverit Matrimonium ad naturam Sacramenti.*
28 *Solvuntur varia obiecta.*
29 *Explicatur canon difficilis.*
30 *Matrimonium contractum per Procuratores Sacramentum est.*
31 *Mutus Matrimonium contrahit, ut Sacramentum.*

32 *Ma-*

EXPLICATIONES.

[*a*] *Etiam.*

DISSERTATIO I.

De Contractu Matrimonii inter Infideles.

INfidelis quidem eft etiam hereticus, *cap.* 1. *de heret.* Sed impræfentia fermo eft de Infidelibus illis, quibus numquam Chriftianæ Relligionis fulgor illuxit, nempe undis falutaribus Baptifmi non funt regenerati.

Horum igitur Matrimonium non Sacramentum, fed contractus tantummodò eft.

1 Probatur I. Quia ante fufceptionem Baptifmi non fufcipitur alind Sacramentum, *cap. ve-*
2 *niens §. eumque de Prefbit. non bapt. can. praterea dift.* 32. *can. eum Paulus* 1. *q.* 1. ergo erit inter non baptizatos Matrimonium, fimplex contractus Juris gentium.

Probatur II. Quia Matrimonium inter Infideles ante converfionem contractum, non eft poft Baptifmi lavacrum feparandum; ergo inter non baptizatos viget Matrimonium, ut contractus, quod argumentum integrè conficitur ab Innocentio *in cap. de Infidelibus a verf. fuper de Conf. & aff.*

Probatur III. Ex *can. jam nunc* 28. *q.* 1. qui canon ait, inter Infedeles effe vinculum coniugale.

Probatur IV. Quia Infideles dicuntur coninges *in can fic enim verf. jam funt* 28. *q.* 1. Ergo inter eos non eft contubernium, fed verus Matrimonii contractus.

Probatur V. Quia Coniugii fœderatio inter Infideles effe dicitur *in can. Acutius* 28. *q.* 3.

Probatur VI. Ex *cap. ex literis de Converf. Inf.* Ubi inter Infideles, eft legitima Maris, & feminæ coniunctio.

Quæ Conclufio procedit etiam, in Matrimonio inter Judæum & Judæam.

Qui-

3 Quidam tamen dubitandi locus esset. Quia Judæi Servi Christianorum in Jure Canonico vocantur, ut in *cap. & si Iudæos de Iudæis*, ibi: *Et si Iudæos, quos propria culpa submisit perpetuæ servituti &c. in cap. Iudæi 21. de Testib. & att. can. dispar 13. q. ult. cap. cum sit de Iudic. can. nulla d. ft. 53. can. constituit 17. q. 4*

Cum autem inter servos non cōtractus Matrimonii existat sed contubernium, *L. quod attinet* L. 33. *ff. de Reg. Iur.* Contubernium proindè erit inter Judæos. Etenim *Contubernium* est generale nomen referens, non specialis ullius vinculi, sed convictus, & societatis solius modum quemdam. Hinc & decem militum tentorium apud *Vegetium 1. de Re Mil.* vocatur contubernium; & Columella 1. *de Re Rust.* suadet Dominis dare servo vill co contubernalem mulierem.

4 Cæterum, illud tenendum est, non propriè servos vocari Iudæos, ut exponit novissimè *Pignattellus Tomo 8. Consult. Can. Consult.* 130. & deducitur *ex cap. & si Iudæos de Iudæis vers. tamquam*, quod verbum nota est improprietatis. Et ea ratione tamquàm servi censentur Judæi, quia in quibusdam cum servis conveniunt; Nam si Judæus ad honores, & dignitates irrepserit, habetur conditionis extremæ, idest servilis, ut loquitur Textus *in L. fin §. illud C. de Iud.* Quare quoad munera publica, quorum est incapax ad servilem conditionem proximè accedit, argumento Textus *in L. in servorum* 10. *ff. de Panis*.

Ex quibus palam est, quid de Judæorum Matrimonis dicendum sit; Hoc scilicet Matrimonium esse verum contractum, & filios in eorum reperiri potestate. Nam, quamvis qui in aliena potestate est, alios in sua potestate non possit retinere; Attamen hoc procedit, ubi potestates sunt ejusdem qualitatis *L. si evenies ff. ad L. Iul. de Adult.* Quod ad casum hunc nullatenus pertinet, & mirè facit *Textus in can. deinde dist.* 26.

Sed in hanc assertionem pugnare videntur nonnulli Canones, quorū sententia ad examen revocanda est.

5 I. Obstat Textus, *in cap. veniens de Presbytero nond. bapt.* ibi: *Quoniam, & Sacramentum coniugii, & Eucharistia a non baptizatis recipi potest*.

Pro responsione. Certe Innocentius in hac decretali quædam proponit per modum dubitandi, quædam per modum decidendi. Primo modo pronunciat illa verba, *Quoniam, & Sacramentum coniugii, & Eucharistia a non baptizatis recipi potest*.

Et observetur, quod, quando Pontifex ait, Sacramentum coniugii a non baptizatis recipi; supponit, enim, quem putat recipere Sacramentum coniugi, jam esse baptizatum Baptismo flaminis, quamquàm non sit baptizatus Baptismo fluminis.

Cæterum multum differt Baptismus flaminis a Baptismo fluminis.

6 I. Quia Baptismo flaminis baptizatus fit membrum Christi, quantum ad adhæsionem interiorē cum Christo: Non autem quantum ad adhæsionem cum Christo exteriorem, & in ordine ad totum Corpus Ecclesiæ, cujus membra omnia signo sacro exteriori in unum Corpus, veluti tessera aliqua junguntur, & per illud signum animæ impressum jus ad reliqua Sacramenta sortiuntur.

II. Differunt quià Baptismus flaminis non imprimit Characterem, ut Baptismus aquę imprimit; *Hurtado de vero martyrio Tract.* 7. *Ref.* 40.

III. Differunt, quià nec martyrium, nec contritio sunt janua Sacramentorum; Imò est adhuc necessarium recipere Baptismum aquæ si haberi potest *can. cathecumenum* 37. *de Conf. dist.* 4.

Ex quibus jam jam obvia oppositi Canonis interpretratio est. Nimirùm, eam opinionem narratam, non posse recipi, si baptizatum Baptismo flaminis Sacramenti etiam, & non solius Contractus legitimi, Matrimonii capacem esse contendat.

Verum est baptizatum Baptismo flaminis justificari; Et ideo si Cathecumenus, dum in Cathechesi erat, dum lacrymis, jejuniis, geniculationibus dolorem de commissis culpis prodidit, occubuitque, salvatur, *can. Baptismi* 24. *can. non dubites* 49. *de Consecr. dist.* 4. *can. firmissime* 15. *q.* 1. *can. nullus de Panit. dist.* 7. *cap.* 2. *de Presb. non bapt.*

Non tamen inferas. Ergo sicut salvatur, ita Sacramentorum capax est, repugnante *Concil. Florentino in Decreto Un. & Trid. sess.* 14. *cap.* 2.

Quocirca solum Aquæ Baptismum capacitatem parit ad alia Sacramenta suscipienda, ex certa jam atque indubitata sententia; Quæ Innocentio sola opinio visa fuit. *Notat Hallerius de Sacris El. cap.* 3.

II. Obstat Textus ęquè difficilis *in cap. ex parte de Transact.* ibi.. Usque coniugii Sacramentum, quod jam non solum apud Latinos, & Græcos; Sed etiam apud Fideles, & Infideles existit ergo &c.

Duplici Responsione occurritur huic difficultati.

I. Quia Textus eadem oratione loquitur de Fidelibus, & de Infidelibus. Cum Pontifex Matrimonium vocat *Sacramentum*, hęc vox ad Fideles refertur; Cum verò loquitur de Infidelibus, Matrimonium, non ut Sacramentum; Sed ut Contractus intelligitur.

II. Quia vox hæc *Sacramentum* interdum, cum tractatur de Matrimonio a Sacris Canonibus pro indissolubilitate accipitur largeq. & impropriè Sacramentum vocatur: ità *Sanchez L.* 2. *disp.* 8. *n.* 1. *de Matr.* Exemplum est *in cap. gaudemus de divort. In can. omne* 27. *q.* 2.

Et propriè vox Sacramentum accipitur in *can. cum Societas* 27. *q.* 2. Qui textus negat, ante adventum Christi, ejusque Institutionem, Matrimonium fuisse Sacramentum. Unde legitimum

timum tantummodo vocatur *in cap. quanto de Divortiis in ean. deinde dist. 26.*

III. Obiicitur; post Legem Evangelicam nec Hæbreis, neque Gentilibus licitum est vinculum Matrimonii dissolvere, *cap. gaudemus verf. qui vero de Divort.*

Ergò ficut apud Fideles Matrimonium indissolubile Sacramentum est; Ita eadem ratio Sacramenti spectat ad connubia inter Infideles contracta.

Respondetur Legis Evangelicæ præceptum repudia interdicens, Non solum esse divinum; Sed etiam naturale, cessavitque dispensatio in lege veteri Moysi data.

7 Ergò hodie vinculum Matrimonii juxta ejus naturam indissolubile est apud omnes gentes.

Non tamen hinc rectè infertur, apud non baptizatos Matrimonium esse Sacramentum: Cum Baptismus ianua fit Sacramentorum, idque certa fide credamus, & profiteamur.

Illud unum verum est, Matrimonium inter non baptizatos esse verum, esse legitimum contractum: non tamen esse ratum, quia non fuit ab Ecclesia ratificatum.

8 IV. Obiicitur, Filii nati ex Matrimonio Parentum, qui non fint baptizati funt legitimi, ficut nati ex Matrimonio, quod Sacramentum fit: Textus in *cap. deinde verf. numquid dist. 26.*

Resp. Illud plane admitti; Sed, quamvis legitimi filii nascantur ab Infidelibus, non infertur, eorum Nuptias esse Sacramentum; Sed solum infertur, esse legitimas, justasque nuptias *Gonz. in cae. de Infidelibus de Conf. & aff. n. 8.* qui multos congerit.

V. Obiicitur. Brasileenses Indi, apud quos plures non baptizati reperiuntur, suas Uxores frequenter deserunt; Ergò, cum contrahant animo deserendi Coniugem, non viget inter non baptizatos Matrimonium, ut contractus, *can. solet quæri 32. q. 2.*

Sed Respondendum, Brasileenses in nova Hispania, qui non fint per lavacrum Baptismi regenerati, Matrimonium, ut contractum celebrare, ut post rationes hinc inde discussas concludit *Fragosus de Regim. Ecc. P. 3 L. 10. disp. 22. per tot.*

Utuntur autem Brasilienses his ritibus. Parentes enim tradunt filias adolescentibus, fine
9 ulla Dote, qui Soceris serviunt per aliquod tempus, donec Uxorem domum traducant, atque hunc morem in nuptiis servant. Quemadmodum in Scriptura audimus, quod Jacob servivit Laban, pro Rachele, & Lia.

Quod autem detur verus Contractus Matrimonii in hac natione, patet. Nam ad Contractum hunc tria exiguntur I. necessaria est intentio celebrandi Nuptias. II. debet adesse bonum indissolubilitatis hujus Contractus. III. Bonum Fidei, & Prolis in re, & essentia Matrimonii. Atqui, dum Brasileenses contrahunt, hæc requisita concurrunt. Nam primo distingunt Concubinas ab Uxoribus, & pro Uxoribus acrius pugnant, quam pro Concubinis; Deindè Concubinas privatim detinent, Uxores fine ulla verecundia detinent, & cum his palam cohabitant Secundo bonum indissolubilitatis non deest; Neque enim dum actu Matrimonium contrahunt habent deserendi suam Uxorem intentionem. Tertio bonum fidei, vel prolis non desideratur; Quia adulterium agnoscunt, & detestantur, & Prolem, quæ certa est, & ab Uxore procreata diligunt singulari benevolentiæ significatione.

Quare his præmissis facile oppositum argumentum diluitur. Etsi enim Brasileenses frequenter suas deserant Uxores, & violent Jus naturæ; tamen sufficit ab initio, dum contrahebatur Matrimonium actu, eos non habuisse intentionē, voluntatemq; abiiciendi suas Uxores.

Alioquin dici posset Judæos vera Matrimonia non contraxisse, qui poterant dimittere suas Uxores. Imò Ægyptii, & Romani, qui omnium pietatis erant colentissimi, poterant Uxores abiicere, ut infra ostendemus. Addo, quod & inter Fideles licet intra bimestre, nondum consumato Matrimonio ingredi Religionem, solviturque Matrimonium *cap. ex publico de Converf. con. cap. ommissum de sponf.*

Summa igitur hæc esto. Quod inseparabilitas est quidèm essentialis Matrimonio, at, dum contrahitur, non requiritur *actu* animus perpetuò cum Uxore manēdi ut nuper explicavimus. 10

(*b*) *Frequens*.

DISSERTATIO II.

De Concubinatu, tam spectato Iure Civili, quam etiam Jure Canonico.

Nil commune habet Matrimonii contractus cum Concubinatu. Hoc mihi propositum est in 11 hac dissertatione demonstrare eademque opera, quæ in Titulo hoc, de Concubinatu dicuntur, satis illustrata remanebunt.

Sed ne qua fit difficultas, nomen ipsum Concubinæ quid significet, explicandum.

Vox *Concubina*, non semper in malam partem accipitur. Nonnunquàm Uxores ipsæ Concubinæ vocantur, tam in Scriptura, quam apud Canones; addo etiam apud Jus Civile.

In Scriptura *Concubina* erat Uxor gratia concubitus accepta, sed fine scripto, vel annuli subarrhatione, cujus filii non succedebant Patri 12 in hereditatem, sed datis muneribus ablegabantur. Ita Agar ancilla dicitur Uxor Abrahæ *Genes. 16.* Cethura quoque Uxor ejusdem, mortua legitima Sara *Genes. cap. 25.* Eædemque postea Concubinæ vocantur, dum dicitur, quod Isaaco filio ex Uxore legitima, scilicet Sara Abraham dedit omnia, quæ possidebat *Gen. 25.* filiis verò Concubinarum largitus est munera.

Neque dissimili ratione junctæ sunt coniugio Ancillæ Jacobo, Bala, & Zelpha *Gen. 30.* Cum

tamen

tamen Uxores legitimę essent illi Lya, & Rachel. Atque observat D. *August. L. 1. q. super Gen. q. 90.* istas Concubinas in domo Viri subditas fuisse matrisfamilias.

Apud Canones item *Concubina* qnandoque vera Uxor est. Sed *Concubina* vocatur, eo quod
13 Vir quidem eam consensit pro Uxore accipere affectu, & destinatione, atque ita vicissim contractum est Matrimonium: sed tamen idem istud Matrimonium Ecclesiasticis precibus, sanctisque cæremoniis initiatum non fuit, adeoque factum clandestinè in iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, apud quam non constat esse contractum, & ideò Uxorem non appellat mulierem ita ductam; Sed quia ante Tridentinam Synodum Clandestinæ nuptiæ irritæ non sunt; Non desinit idcircò reipsa mulier hæc esse Uxor. Uxor est: Sed Uxor non vocatur, utpotè inju-
14 sta, & illegitima. Tribuitur igitur ei nomen Concubinæ. Quę omnis explicatio eruitur ex *can. aliter* 30. *q.* 5. ibi ,, Aliter præsumptæ, ,, non coniugia esse, sed contubernia, nisi pro- ,, pria voluntas suffragaverit, & vota succur- ,, rerint legitima.

Affectus ergò votum, voluntas, & destinatio mulierem, ut Uxorem accipiendi, operatur, ut coniugium, non contubernium sit, eleganter etiam Demosthenes apud *Gonz. cap. 6. de Cohab. Cler.* ,, Amicas voluptatis causa habemus, pel- ,, lices autem ad quotidianum corporis obse- ,, quium; Uxores verò ad justæ sobolis pro- ,, creationem, & fidelem rerum domesticarum ,, custodiam.

Apud Jus Civile similiter quoddam genus erat Concubinarum, quæ Uxores erant; sed tamen, quià iniustæ Uxores, vocabantur Concubinæ. Una ad id probandum pro multis sufficiat Ulpiani lex; Textus est *in L. si Uxor non fuerit ff. ad L. Jul. de Ad.* cum enim dixisset Jurisconf. Concubinam Jure mariti de adulterio accusari non posse, sed Jure extranei; ità subiungit ,, plane sive justa uxor fuerit, sive iniu- ,, sta accusationem instituere vir potest: nam et ,, servus Cæcilius ait: hæc Lex ad omnia ma- ,, trimonia pertinet, & illud Homericum affert.
,, Nec enim soli Atrides uxores suas amant.
16 Quod Carmen ex *L. 9. Iliad.* desumptum est, & Achilles loquitur. Nam cum Briseidem in Concubinam haberet, eamque sustulisset Agamennon (ut patet *L. 1. Il.*) pro Chryseide, quam Sacerdoti remiserat Achilles: Unde inter utrumque Regem implacabile odium excitatum erat: tandem Agamennon calamitate pressus, propter Trojanorum victorias auxilium ab Achille implorat, mittitque legatos qui Briseides spondent restitutionem.

,, Has quidèm tibi dabit, inter eas autem erit quam tunc abstulit.
,, Filiam Brisei, & insuper magno jurando jurabit,
,, Nunquam cubile se ejus ascendisse, neque rem habuisse cum ea.

Vides ergò, vocatam Uxorem Briseidem, quæ erat Achillis Concubina, nec temere utitur eo carmine Cecilius, quia Concubinæ quædam erant etiam Uxores.

Itaque juxta hanc significationem aliquid commune habet Matrimonium cum Concubinatu.

At nostra assertio supra posita intelligitur de Concubinis, quæ parum a Meretricibus distant. Utrumque enim mulierum genus inhonestum est, impudicum, turpe, illicitum, detestabile.

Quare Concubinatus fornicatio dicitur a Concilio *Basiliensi sess.* 20. ibi ,, Et cum omne for- ,, nicationis vitium lege Divina prohibitum sit, ,, & sub peccati mortalis pœna necessariò evi- ,, tandum, monet omnes laicos, tam uxoratos, ,, quam solutos ut similiter a concubinatu ab- ,, stineant.

Concubina in hoc solum a Meretrice distat,
quod Meretrix multorum libibini patet; 17
Concubinatus est accessus unius ad unam. Quę si consuetudinem habeat cum coniugato, *Pellex* dicitur quasi pellat a viro uxorem *L. Massurius* 143. *ff. de V. S.* Si vero consuetudinem habeat, vivatque in alicujus domo citra nuptias *focaria* appellatur, quasi eodem lecto, focoque utatur *L. quæsitum §. Trebatrius L. si ita ff. de Fundo instructo.*

Jam verò Concubinatus in hoc sensu acceptus prohibitus est omni Jure.

Jure Divino. Quia ex *can. Meretrices* 32. *q.*
4. habes per verbum *non mechaberis*, quod præ- 18
ceptum divinum est, omnem illicitum concubitum continere. Rursus, cum Christus Redemptor Matrimonium ad primęvam originem revocaverit, ut sit indissolubilis coniunctio *Math.* 19. sequitur, eodem tempore eas improbasse coniunctiones, quæ perpetuæ sua natura non sunt, veluti concubinatus, qui nec per Juramentum reddi potest indissolubilis per se *D. Thom in 4. dist. 26.*

Juri naturali similiter Concubinatus adver- 19
fatur; atque ideo, ut intrinsecè malus ex circumstantiis non redditur licitus, veluti ratione prolis Textus est *in can. sicut* 32. *q.* 4.

Et quidem triplex Jus naturale, I. quod in Lege, & Evangelio continetur *§. humanum dist. 1.*
20 quo Jure naturali procul dubio vetitus est concubinatus: Hinc *Thobia 4. attende tibi ab omni fornicatione, præter uxorem tuam, numquā patiaris crimen scire*; Dictio *crimen* grave denotat peccatum *can. prædicandum* 22. *q.* 1. & constat nomine fornicationis intelligi etiam concubinatum II. Jus naturale dicitur, quod ex ratione provenit, de quo *in can. sicut dist. 47. in can. Jus naturale & ibi glossa dist. 1.* Hujus vero rationalis Juris finis est prolis procreatio, & educatio *d. can. Jus naturale*. Cum tamèn hic finis longè absit a concubinatu, nam qui habet concubinam solam quærit turpem delectationem, & ea expleta fuga quæritur, & verecundia nascitur, & tali commixtione sobolem germinasse, & sępe negatur a concubinario ob pudorem, hunc,

vel

vel illum suum esse filium. III. Jus naturę dicitur quidam stimulus, seu instinctus naturaliter proveniens ad procreandum aut educandum *can. horrendus 37. q. 5. L. 1. §. Jus naturale ff. de Ventre inspiciendo.*

Jure Canonico, tametsi non omnis prorsus *Concubina* appellatio qua utuntur canones, eam significet mulierem tali turpitudine fędatam sed uxorem iniustam, ut patet ex *can. 1. 55. dist. ex*
21 *can 3. Synodi constant. 9. in Trullo, & extat Tomo. 3. Concil. vers. qui vero*, tamen frequentius turpem contubernalem appellant Canones concubinam, & concubinatum *adulterium*, ut *in can. dicat 32. q. 4. can. ancillam can. non omnis 32. q. 2.* Et aliæ prohibitiones sparsæ apparent per universum Jus can. *ut in can. audite 32. dist. in can. Presbyteri dist. 27. can. Presbyter dist. 28. can. cum multa 15. q. 8.* Et cum simplex Fornicatio ità prohibeatur *in Clem. ad nostram debaret.* ut hereticus contrarium putans existimetur, infertur eadem prohibito ad Concubinatum, nam cum hic sit consuetum commercium; consuetudine peccata non excusantur *can. deniquè 4. dist.*

Jure tandem Civili contendo prohibitum Concubinatum, quamquam toleratum. neq. tantum mihi tribuo, ut, novum quiddam, & inauditum
22 ante hoc tempus ad excitandam admirationem effatum, existimari velim. Non Ego hoc solum sentio; sed mihi præluxere jamdiù *Panormitanus in cap. cum venissent de Instit. Ioan. Faber, Inst. si quadr. pauper, Antonius Faber Papinianea Tit 9. Principio 2. Basilius Pontius L. 7. de matr. cap. 54. n. 4.* Ad quod adduco Textum ab aliis omissum *in cap. 1. Tit. 19. de Filiis natis ex Matrimonio ad morganaticam L. 2. Feud.* Adduco rationem, nam si civilia Jura permisissent concubinatum, plane hęc permissio in id quoque tendisset, ut repleretur civitas filiis, qui monstrorum instar essent; Et tamen potius Jus civile in fillios hujus generis est infensissimum, cum ne liberos quidem talem prolem appellet, imo nec liberos naturales vocat, *novella 89. in Princip.* Pręterquam quod nullam aliam Iuri naturali consonam coniunctionem esse, Romani voluerunt, quam Matrimonium *L. 1. §. Jus naturale ff. de Just. & Jur.* Hinc eam contubernalem impudicā, de qua loquimur, spuriāq. prolem, multis verbis detestatur *L. si qua illustris V. C. ad Sen. Con. Orphit.* Et Leo Imperator *Nov. 89* ibi: *nihil enim inter Calibatum, & Matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias.* Insuper testatur *Hermanopulus in Epitom. Juris L. 4. cap 7.* Constantinum *Porphyrogenetam* interdixisse Concubinas, quia inter scortationem, & Concubinatum nihil distat. Tandèm omnem adimit dubitationem Justinianus *in Auth. de Triente, & semisse Coll. 3. Tit. 5. §. consideremus.* Ubi illicitæ Concubinæ, a licitis distinguuntur. Licitæ comparantur Uxoribus, & filii ex his suscepti excludunt Fiscum, & succedunt in sexta parte paternæ substantiæ, cum matre partienda: Alias verò Concubinas odibiles declarat Justinianus, & fornicantes, neque Filios ad successionem admitit: Addo *Textum in L. un. C. de Concub.* Ergò omnis jurisprudentia, Concubinatum illicitum esse, declaravit, quamquàm olim toleraretur, cum in omne bene constituta Republica multa tolerentur ad majora mala vitanda *can. hac ratione 31. q. 1. L. culpa ff. de Reg. Jur*

Sed I. Obiicies Textum *in can. Christiano*
34. *dist.* 1. ibi .. Christiano non dicam plurimas, 23
.. sed nec duas simul habere, licitum est, nisi .. unam tantum, aut Uxorem, aut certè loco .. Uxoris, si coniux deest, concubinam.

Nisi arriserit Responsio quam tradimus *in L. 1. Tit. 1. n. 36.* En aliam imprǽsentia. Concubinæ olim duplicis generis fuerunt, ut suprà innuebamus, quædam ad tempus adhibitæ, quarum procul dubio turpis erat concubinatus etiam ad Sobolem procreandam, & de his est Textus in *can. audite, in can. concubina 32. q. 2.* Aliæ insuper fuere Concubinæ nomine, re tamen ipsa Uxores, quæ nimirum sine dotalium Tabularum solemnitate ductæ fuerant; de quibus sensit *Justin. in Nov. 18.* - In his autem Concubinis tria fuerunt necessaria. Primò, ut uterque esset solutus; Deindè fidem mutuam spondere, oportebat, quod alteri non jungeretur, neque abhorreret Concubina a Prole: Tertium, ut usque ad mortem data fides, & coniunctio perseveraret. Atque hic dicitur affectus maritalis, & in hoc sensu intelligitur Canon oppositus, & similiter ita explicatur Textus in *can. is qui dist. 34.* Atque hoc ipsum tradit Gratianus *in cap. omnibus 34 dist.*

II. Obiicitur in necessitate extrema furari li-
cet *cap. si quis de Furtis can. discipulos de Conf.* 24
dist. 5. ergo potest inferri, ex circumstantia quoque reddi licitum Concubinatum.

Sed facile respondetur. Nam in extremà necessitate, quod capitur, furtum non est cum, hac urgente causa, res ad statum Juris gentium redigatur, in quo omnia communia erant: Nam cum furtum sit injuriosum proximo, ex hac circumstantia desinit esse iniuriosum. Ità et cum moderamine inculpatæ Tutelæ occisio est irreprehensibilis ad vim vi repellendam *cap. significasti de homicidio*; ex hac enim circumstantia definit homicidium esse injuriosum proximo; Et imputatur potius ad culpam occisi qui iniustè occisorem coegit se defendere, qui aliter noluisset occidere; At Fornicatio semper est mala semper debito fini adversatur, neque est ulla circumstantia, per quā cohonestetur.

III. Obiicitur Textus in *can. quod proposuisti 32. q. 7.* & consonat Textus alter in *can. si quid 33. q. 2.* ubi dum uxor vivit, altera duci potest; Hæc verò nonnisi pellex, aut meretrix erit appellanda, ergo inferri posse, videtur, non reprobari Concubinatum.

Sed tollitur hæc oppositio duplici respon-

sione

sione. Vel enim ibi tractatur de Faemina impotenti ad officium connubii explendum, ut suspicatur Glossa, quo casu cum sit impedimentum dirimens impotentiae detectū, equidē ad secunda Vota migrare licet. Vel etiam dici potest, hos Canones effictos fuisse, & apocryphos ideoque incertos, ut sentire videtur Antonius Augustinus L. 2. *Dial.* 6. *de Emend. Grat. pag.* 45.

Alias oppositiones videbit studiosus nostri Juris apud *Gonz. in cap. 6. de Cohab. Cler.* quas omittimus, ne aliena in hanc dissertationem transferamus.

[c] *Dignitate.*

DISSERTATIO III.

De Contractu Matrimonii elevato ad Naturam Sacramenti.

Nostrę Dissertationes inter se cohaerent, connexeque sunt. Hactenus sermo fuit de Matri-
26 monio, ut Contractu. Nunc ostendemus, hunc Contractum dignitate Sacramenti auctum fuisse a Christo Redemptore.

Negant sectarii, contendentes, Matrimonium adhuc esse merum Contractum civilem; Et cavendum a Glossa in *can quicquid* 1. *q.* 1. *verbo consolatione* quae docet, Matrimonium non esse de his Sacramentis, quae consolationem caelestis gratiae tribuunt, & idem habet Glossa *in cap. alma mater in principio verbo Sacramentis de sent. excom in 6.*

Vera igitur, & Catholica sententia Illa est, quae Matrimonium, ut Sacramentum inter fideles cognoscit, ac recipit.

Probatur I. Ratione posita *in Textu Tituli nostri*: Omnium consensione receptum est, & persuasissimum, tria ad Sacramentum requiri, signum externum sensibile, institutionem, & gratiam sanctificantem annexam; Porrò nihil
27 horum in Matrimonio desideratur. Signum si queritur, an non Matrimonium significat unionem Christi cum Ecclesia, ut nos D. Paulus erudivit infallibili testimonio *ad Eph.* 5. ad quem locum D. Ambrosius, haec habet: *Mysterii Sacramentum grande, in unitate Viri, & Faemina esse significat?* Deinde si quaeritur institutio, ea se prodit apud *Math.* 19. Dum Christus Matrimonium commendavit, ejusque inseparabilitatem praecepit dicens: *quem Deus coniunxit homo non separet;* Unde, *in cap. quanto de Divort.* ibi.. inter Fideles autem verum quidem, .. & ratum existit, quia Sacramentum fidei, .. quod semel admissum, nunquam amittitur; .. ratum efficitur coniugii Sacramentum, ut .. ipsum in coniugibus illo durante perduret. Postremò si de annexa gratiae promissione quisquam dubitat, vehementer errat. Nam Deus in necessariis non deficit; esset autèm intolerabile vinculum, quod nulla dispensatione, nulloque eventu potest dirimi, si gratiae auxilium praesto non esset, ad onera Matrimonii sustinenda, ad mutuum amorem fovendum, ad persistendum cum coniuge, etiam sterili, etiam leprosa, ad concupiscentiae fomitem extinguendum, ad liberos in cultu Dei educandos. Cum ergo Matrimonium jam signum sit coniunctionis Jesu Christi, cum sua sponsa Ecclesia, hoc ipsum signum Christianis coniugibus, quandò Matrimonium ritè auspicantur, ad gratiam Dei prodest accipiendam, & Sacramentum est.

II. Probatur auctoritatibus Juris Canonici conglobatis, neque enim otium est omnes singillatim expendere. Sunt igitur de hoc Sacramento Testimonia haud obscura, *in can. omne* 27. *q.* 2. *in can. cum Societas* 27. *q.* 2. *in cap.* 1. *de Sponf. duor. cap. debitum de Bigam. cap. cum haberet, de eo qui duxit, cap. meminimus, quì filii sint legit, cap. Deus de Divort. cap. quanto ib.* cum pluribus aliis.

III. Probatur ex locis SS. PP. D. Augustinus *in libro de Fide, & operibus cap.* 7. haec habet: .. In monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia, .. ubi nuptiarum non solum vinculum, verum .. etiam Sacramentum ita commendatur, ut non .. liceat viro uxorem suam alteri tradere - Idemque Sanctus *libro* 1. *de Nupt. & concupiscentia cap.* 21. ibi: respondebit etiam connubii Sacra-.. mentum, de me ante peccatum dictum est .. in Paradiso, relinquet homo Patrem, & Ma-.. trem, & adhaerebit Uxori suae, & erunt duo .. in carne una. Quod magnum Sacramentum .. dicit Apostolus in Christo, & in Ecclesia.

Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7 Cogno-.. scimus velut praesulem, custodemque coniu-.. gii esse Deum, qui non patiatur alienum .. thorum pollui, &, si quis fecerit, peccare .. eum in Deum, cuius legem violet, gratiam .. solvat. Plures alias auctoritates SS. Patrum congerit eruditissimus *Bellarminus de Sacram. Matrim.*

IV. Probatur, ex Statutis Pontificum Romanorum, & Decretis Conciliorum. Nam ultra adductos Textus, Sacramentum dicitur a Lucio III. *in cap. ad abolendam* 9. *de haeret.* Itemque Ecclesiae Sacramentum vocatur coniugium *a Leone Magno Epist.* 92. *ad Inquisitiones Rustici cap.* 4. Ex Conciliis verò eadem catholica assertio deducitur; Nam id patet, ex *Concil. Lateran.* 3. in appendice *Tit. de Sponf. cap.* 31. Ex Constantiensi *sess.* 15. ubi inter Sacramenta Matrimonium connumeratur: Ex Florentino, ubi: *Septimum est Sacramentum Matrimonii quod est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiae. Ex Tridentino sess. 7. de Sacram. can.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 1.

Atque his argumentis contenti simus: excrescerer enim in immensum haec dissertatio, si ab aliis collectas rationes, & auctoritates huc transferre deliberasem. Nunc ad exercitationem discentium Canones, audiemus solidiores oppositiones adversariorum.

Obiicitur 1. Sacramenta invicem non pugnant,

& ta-

28 & tamen Sacramento Ordinis Matrimonium adversatur, cum præcepto integritatis Clerici sacris initiati teneantur.

Resp. Annexum Ordinibus esse Votum continentiæ etiam coniugalis, non quia pugnet Matrimonium, ut Sacramentum cum Ordinibus, sed propter impedimenta, & sæculares curas, quæ necessariò Matrimonium consequerentur.

Obiicitur II. Commixtio carnalis ad partem
29 Matrimonii pertinet, ut apertè deducitur, ex *can. non est dubium 27. q. 2* ex *can. cum societas ib.* cum tamen, quo tempore coniugales actus geruntur, præsentia S. Spiritus non detur, ait Textus in *can. Concubina 32 q. 2.* ergo &c.

Sed obvia responsio est. Propterea quod Matrimonii Sacramentum, quantum ad partes essentiæ suæ, totum in contractu per verba de præsenti invenitur, *can. Matrimonium 27. q. 2. can. sufficiat*, *can. Beata ib.*

Nam etsi per copulam significetur coniunctio Christi, cum Ecclesia per naturæ conformitatem; non tamen illa sola significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, vel cum qua vis anima, per amorem spiritualem. Quo circa si desit copula, significatio quædam deerit, non tamen omnis significatio, & ideò coniugium illud erit Sacramentum, sed ex aliqua parte imperfectum, & non consummatum.

Præterquamquod in dicto canone *cum societas 27. q. 2.* perperàm addit Gratianus particulam negativam *non: prater commixtionem sexuum (non) habeant in se nuptiæ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ Sacramentum.* Quia in Codicibus Epistolarum Leonis, qui auctor est hujus Canonis, particula illa negativa non reperitur, est enim Epistola 90. *ad Rusticum cap. 40.* quare Gratianus manifestè utitur loco depravato.

Obiicitur III. Matrimonium inter absentes celebrari potest *cap. procurator, de procurat. in 6.*
30 sed nemo dixerit, inter absentes Sacramenta confici *can. quem panitet de Panit. dist. 1. can. qualis 30. q. 5.* ergo &c.

Interrogarem ità arguentes, unde nam inferant Matrimonium per Procuratorem celebrari non posse tamquam Sacramentum? Equidem si speciale mandatum datum fuerit, si illud non fuerit revocatum, si adsit Parochus, duoque Testes, etsi non videant mandatum *Sanchez. L. 5. disp. 9. n. 24.* nulla ratio est, cur & Matrimonium ritè, validèque contractum non censeatur, & Sacramentum non sit. Nam per Procuratores verum, ratum legitimumque Matrimonium contrahitur *cap. fin. de Procur. in 6.* ergò hoc Sacramentum est, *cap. quanto de Divort. cap. fin. 28. q. 1.* Nam Procuratores alieno consensu contrahunt, alienus tamen consensus non deficit, & contractus non Procuratoris est re ipsa; sed Sponsorum; Jura autem clamant, in Lege Evangelica Matrimonium non esse solum contractum, sed Sacramentum, ut supra ostendimus, & latè *Sanchez. L. 2. de Matr. Disp. 11. per tot.* In aliis Sacramentis actio suscipientis est omninò personalis, neque per substitutum adimpletur, sed Matrimonium sequitur cæterorum contractuum naturam. Matrimonium confert Gratiam moraliter. Et sponsi moraliter præsentes sunt, dum suum consensum repræsentat missi ad eum finem Procuratores. Ergò nulla ratio est inficiandi, Matrimonium contractum per Procuratores esse Sacramentum.

Obiicitur IV. Sacramenta debent rebus, verbisque constare *can. detrahe 1. quest. 1. cap. cum Martha de Celebr. Miss. Concil. Florent. sess. ult.* 31
in Decreto Eugen. IV. §. quinto Atqui Matrimonium a Muto etiam contrahitur *cap. cum apud sedem de sponf. & M. cap. tua 25. ib.* ergò verbis non constat, neque Sacramentum dici poterit.

Pauca verba hujus generis difficultates, pro responsione requirunt. Observetur Christum D. qui Matrimonium ad naturam Sacramenti elevavit, non mutasse naturam contractus. Jam vero natura hujus contractus est, ut consensu contrahentium, per verba, aut legitima signa perficiatur *cap. fin. de Con. serv. L. Paulus ff. rem ratam haberi L. reprehendenda C. de Iniust. stip.* Hinc est, quod etiam si contrahentes muti non sint, & tamen solum signis consensum suum exprimant; contractum eo ipso fuerit Matrimonium, *cap. fin. de Coniug. serv. cap. veniens cap. is qui de sponf.*

Obiicitur V. Matrimonii Sacramentum haberet pro materia consensum utriusque sponsi; 32
sed hæc materia sæpè ab Ecclesia mutata fuit, nam cum olim consensus in certo gradu consanguinitatis sufficeret, hoc mutatum fuit *in cap. non debet de Consf.* Cumque olim clandestinus consensus verum redderet Matrimonium, aliter *a Concil. Trid. sess. 24. cap. 1.* decretum est; Quomodonã Matrimonium sit Sacramentum; si materiã Sacramentorũ ne Ecclesia quidẽ ipsa mutare potest? *Trid. sess. 21. cap. 2. can. sunt quidam 25. q. 1.*

Spondanus in *continuat. Bar. an. 1563. n. 39.* narrat, hanc difficultatem adeò gravem visam esse Patribus quibusdam, qui in Concilio Tridentino congregati erant; Ut putaverint, dum res disceptaretur, Ecclesiam non posse irritare Matrimonia clandestinè recepta.

Quare dicendum est, ordinationẽ eam Ecclesiæ esse de necessitate hujus Sacramenti. Non quià Ecclesiæ facultas sit essentialia hujus Sacramenti mutandi; sed quià potest mutare fundamentum prærequisitum ad hoc Sacramentum: Materia enim hujus Sacramenti non est coniunctio viri, & mulieris cujuscumque, sed coniunctio legitimarum personarum, alioquin etiam inter Patrem, & Filiam posset hoc Sacramentum consistere. Quæ sint autèm legitimæ personæ, Christus non definivit, sed præsupposito contractu humano, eum coniunctionem evexit ad gratiam Sacramenti. Ecclesia igitur determinat, quæ sint habendæ legitimæ personæ, & eo modo fundamentum præparat Sacramenti Matrimonii.

(d) Materia.

DISSERTATIO IV.

De Materia, & Forma hujus Sacramenti; ubi agitur de Fatuis, & Amentibus, de Mutis, & Surdis.

Si Matrimonium fuit a Christo Redemptore
33 evectum ad Sacramenti dignitatem, nunc de Materia, & Forma hujus Sacramenti disputandum est, ad expositionem hujus nostri tituli, quando, & hanc methodum ad hunc titulum elucidandum suscepimus, & nos eo ratio Ordinis deduxit.

Primò referam varias sententias; tum nostram de consensu, qui materia est, de verbis illum
34 exprimentia, quæ Forma sunt tueri; Canonum auctoritatibus, contendemus, de Mutis, & Surdis aliquid etiam dicturi.

Non potest imprimis ullo modo defendi sententia *Melchiorcani L. 8. de Locis Theol. cap. 5. & Estii in 4. dub. 26. §. 10. & 11.* qu scripsere, hujus Sacramenti ministrum esse Sacerdotem, ejusque verba esse *Formam*: Contrahentium verò verba, aliaque signa consensus, esse Materiam. Falsum quod Sacerdos intersit Matrimonio, tamquàm minister necessarius ad Sacramenti essentiam: Interest, ut testis ad hoc necessarius. Ministri sunt ipsi contrahentes. Idque est, quod verbis Tertulliani significatur, dicentis *L. 2. ad Uxorem in fin. Matrimonia Fidelium conciliari ab Ecclesia*. Idipsum denotant Carthaginiense Concilium IV. *can.* 13. præcipiens Coniugatos benedici a Sacerdote, eisque propter hujus benedictionis venerationem præcipit insequentis noctis continentiam. Quod autem Euaristus Papa *in can. aliter* 30. *q.* 5. vult, censeri pro stupris matrimonia, in quibus neque Dos, neque cognati, neque *Sacerdotis benedictio* intervenerit. Nihil aliud exprimere voluit, nisi ita suspecta esse matrimonia sine hisce solemnitatibus, ut eorum præsumenda sit nullitas, donec nuptialis utrinque consensus probationibus omni exceptione majoribus elucescat.

Reiicienda pariter est Sententia Catherini, *in opuscul. de Matr. q.* 1. §. *nos ergo*. Ubi asserit, verba, atque actus contrahentium esse Materiam; At verò Formam esse Verbum Dei sanctificantis Matrimonium, cum dixit *Genes. 2. Math. 19. Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem*. Hæc opinio communi sensu refutatur, utpotè quæ nullo nitatur fundamento, eamque fusè impugnat *Vasquez disp. 3. de Matr. cap. 1*,

Displicet etiam Viguerius *in inst. Theolog. can.* 16. §. 7. *vers.* 4. Cujus opinio est, Formam esse consensum exterius expressum, Materiam verò actus legitimarū personarum præcedentes consensum; sed non video, qui sint isti actus præcedentes, nisi fortè sponsalia. Quę autem probabilitas esse potest in hac opinione, cum constet, sine sponsalibus Matrimonium unquè celebrari?

Recipitur frequentius Sententia *Sanchez L. 2. de Matr. disp.* 5. qui statuit ipsa verba contrahentium mutuo sibi esse Materiam, & Formam; Nam in ipsis considerari potest ratio expressionis trahentis consensus, & ratio expressionis consensus acceptantis, & invicem sunt traditio, & acceptatio: traditio loco materiæ, acceptatio loco formæ -- Fateor hunc modum distinguendi Materiam, & Formam ratione tantùm nunquam mihi satisfecisse. Præterea adversari videtur hic explicandi modus Eugenio IV. in Decreto Unionis, qui definit, Sacramēta cōstare rebus, ut Materia, verbis, ut Forma.

Nostra autem sententia videtur menti Sacrorum Canonum magis consona. 35

Probatur I. *ex cap. tuæ nos verf. nos tamen de Sponf.* ibi.. Nos tamen, quid Juris sit rescribentes, hoc dicimus, quod, si res ità se 36 habuerit, videlicet, quod ille, nec proposuit eam ducere in uxorem, nec umquàm consensit inter dictas personas, non deberet ex illo facto coniugium judicari: cum sine eo nec substantia coniugalis contractus, nec etiam Forma contrahendi Coniugii valeat inveniri. Vides in consensu substantiam, Formamque Coniugii inveniri; In hoc textu latè differitur de verbis, quæ congrua non erant, & hæc idcircò deficiebant; Et propterea verba illa: *nec etiam Forma*, ad verba referuntur, quæ Forma sunt; Consensus verò matēria, quæ itidem substantia est Coniugalis contractus, ut in *Textu*.

Probatur II. *Ex cap. si inter 31. de Sponf. & Matr.* ibi.. Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ità quod unus alterum mutuo consensu, verbis consueris expresso, recipiat, utroque dicente ego te accipio in meam &c. non licet alteri ad alia vota transire. Cur non licet? Quia primum matrimonium verum est, & Sacramentum: sed primum matrimonium consensu, & verbis perfici dicitur in hoc Textu; ergò Consensus Materia est, verba sunt Forma.

Probatur III. ex *cap. licet de Sponsa duorum* .. ibi: Consulationi tuæ taliter respondemus, quod, si inter virum, & mulierem, legitimus consensus interveniat de præsenti, ità quidem, quod unus alterum in suum mutuo consensu, verbis consuetis expressis, recipiat, utroque dicente &c non licet mulieri alteri nubere. En quod etiam in hoc Textu Pontifex Alexander III. solo consensu contentus non est, sed et verba efflagitat illum exprimentia. Materia igitur pars una est, Consensus nimirum; altera, verba; quę Forma sunt.

Probatur IV. Quod enim corpora ut quidam vellent ad Materiam non spectent Matrimonii, dum contrahitur patet *ex can. sufficiat 27. q. 2. ex cap. cum locum, ex cap. cum inter hoc T. ex cap. un. §. fin. de Desponf. impuberum in 6. ex cap. fin. de Coniug. servorum ex Trid. sess. 24.*

cap. 1.

cap. 1. Quæ omnes auctoritates in consensu constituunt substantiam Matrimonii; Sed quià consensus occultus parùm prodesset; externa etiam indicatione, signoque opus esse, nemo non videt, in quo Formam constitutam esse, defendimus: Eleganter Innocentius IV. explicans Textum *in cap. tua fraternitat* 25. *de Sponf.* ubi sic „ loquitur: Et si contrarium diceretur, sequeretur absurditas, scilicet, quod, si Vir, & „ mulier eundo per viam sibi invicem placerent, & in corde suo desiderarent, quod esse sent coniuges, sequeretur, quod inter eos „ esset Matrimonium, quo nihil esset periculosius. Verba autèm instituta sunt, per quæ quisque in alterius notitiam cogitationem suas proferat *can. is autem* 22. *q.* 2.

Probatur V. Ex resolutione celeberrimæ Quæstionis, an consensus extrinsece solum expressus sufficiat? Planè si substantiale aliquid huic
37 Sacramento desit, nempè animi, voluntatisque sincera, & certa deliberatio, nec Matrimonium erit, nec Sacramentum, expresso Textu in *cap. tuas de Sponsa duorum*, ibi: *solus consensus sufficit*, *secundum canonicas Sanctiones*, & , *si solus defuerit*, *cateræ omnia irrita sunt*, consonat *cap. un. de procur. in* 6. & *cap. tua nos de Sponf. Alexander III. in appendice Lateranensis Concilii part.* 6. *cap.* 26. Inde Stephanus de Gaeta in *can. ad Limina* 30. *q.* 1. *q.* 46. testatur, separasse filiam D. Joannis S. Severini, quià uterque coniux motu proprio confitebantur, dedisse sibi absque animo Matrimonii simulatam fidem, non ex iniusta causa extorquendi copulam, sed ex causa justa, ne illa interficeretur a parentibus, ob causam Fornicationis commissæ. Etsi verò acrius disputetur, an fictè contrahens iterum obligetur contrahere verè, & ex animo, ut videre est apud *Pontium de Matrim. L.* 2. *cap.* 5. *per tot.* ubi de more impugnat *Sanchez.* Hæc interim omittimus, & ex superiori resolutione constat, consensum non sufficere si internus sit, verba externa similiter parum prodesse sine consensu; Quare et consensus, & verba simul copulata Materia, & Forma sunt Matrimonii.

Sed celebre est Protagoræ dictum, de omni re in utramque partem posse disputari; Id verò etsi de rebus philosophicis tantùm intellexerit: Attamen sunt etiam in Jurequædam sententiæ, in quibus catervæ sunt contradicentium, & quilibet opinionem suam pugnacissimè tuetur.

Tuentur ergò opinionem suam, qui negant Materiam esse consensum, verba autem esse Formam, & proponunt hæc argumenta.

Primò quia percipi non potest, quonàm
38 pacto verba esse queant *Forma*. Si enim Muti, & Surdi contrahunt, ut sæpè Canones statuunt *cap. tua* 25. *de Sponf. cap. cum apud ib. cum simil.* Ergò in Mutis, & Surdis Forma non erunt verba, ergò erunt signa, ac proindè vel non una, eademque Forma est: vel hæc mutationi obnoxia, juxta contrahentium necessitatem:

quocumque te vertas, ubique angustiæ.

Sed respondetur ex Decreto *Eugenii IV. in Concil. Flor. vers. septimum Sacramentum*, ubi docet causam efficientem Matrimonii regulariter esse mutuum consensum, per verba de præsenti expressum, ergò (ut infert *Gonzal. in cap. cum apud de Sponf. n.* 9.) regulariter, non semper verba in Matrimonio adhibere necesse est.

Quare, dum dicimus, *verba esse Formã* hujusce Sacramenti, non tam presso, & rigoroso sensu verba accipimus, ut omninò sonus vocis literis expressus esse debeant hęc verba.

Ut probo ex observatione Cuiacii ad Textum *in cap. tua fraternitatis de Sponsal.* In quo Textu Innocentius III. interrogabatur, an verba sint penitus necessaria; Utque adæquatæ interrogationi satisfaceret, presso, & rigoroso sensu verba accepta, respondit; necessaria non esse; Cum externa consensus expressio, per signa non minus haberi possit verbis ęquivalentia, ut infert Cuiacius.

Hinc sequitur per literas exprimi posse consensum, & Matrimonium per literas contractũ esse Sacramentum *Sanchez L.* 2. *de Matr disp.* 12. *n.* 3. & 4. si per Epistolam sequatur mutua 39
acceptatio, & traditio coram Parocho, & Testibus; prout evenire posse exponit idem Sanchez variis casibus, & colligitur *ex cap. fin. de Procur. in* 6.

Sequitur, Patre exprimente consensum Puellæ præsentis, & tacentis nomine, esse verum Matrimonium *cap. un. de Desponf. Impub. in* 6. nam sufficiens signum extrinsecè, se prodens est, 40
dum puella non contradicit. Quæ constitutio Bonifacii VIII. locum habet etiam post Concilium Tridentinũ, dummodò Parochus, & Testes adsint; nam quoad modum significandi consensum nihil immutavit Concilium. Immò probabilissimum est, Matrimonium quoque contrahi validè, si pro sponso alter consentiat, ut *ex cap.* 1. *de Matrim. contract. contr. inter Eccl.* & *cap. ad id de sponf.* & *cap. ex parte de rest. spol.* infert *Joan. Imola*, & *Gemin. in repet. cap. un. de Desp. imp.* fuseque probat *Pontius L.* 2. *cap.* 14. *de Matr. a n.* 5. & *seq.*

Sequitur è contrario, quod Furiosus, Insanusque (vel signis, vel aliter exprimant consensu) cum re ipsa consentire nequeant, Matrimonium validè non contrahit, *cap. dilectus* 41
de sponsal. cap. neque furiosus 32. *q.* 7. Quia dormienti, & ignoranti æquiparatur *L.* 1. *ff. de Bonor. Poss. Fur. L. si a Furioso* 12. *in d. ff. de reb. cred.* Imò comparatur infanti *L. infans C. ad L. Com. de sic.* Quin & brutis *L. sed* & *si* §. & *ideò ff. ad L. Aq* Nec scit furiosus, quid agat *L. illud* 3. §. *fin. ff. de Iniur.* Ergo deficit in tali Matrimonio Forma debita. Nec exemplum, aut paritas Furiosi, qui ante dementiam votum habuit recipiendi Baptismum, quique validè in furore baptizatur *cap. majores* §. *item quæritur de Baptismo*, transferri potest ad Matrimonium, cuius contrahendi Furiosus ante fu-

X 2 rorem

rorem Votum habuerit; Quasi verò eodem pacto debeat esse validũ, sicut est validus Baptismus.

Nam contrahentes Matrimonium ipsi sunt ministri. Jam ministri Sacramenti eo tempore, quo Sacramentum administrant intelligere debent, quid agant, qui actus vocatur humanus, atque
42 intentione actuali præditi esse debent. At, cum Sacramenta recipiuntur, intentio virtualis sufficit, quia susceptio non est actus humanus, quare solùm exigitur, ne suscipiens ponat obicẽ. Hæc vera, solida, & genuina interpetratio est, ratioque disparitatis, quamvis obnitatur contrà, *Pontius L. 4. cap. 1. n. 14. de Matr.*

Nec similiter oberit Textus *in can. neque furiosus 32. q. 7 Fabiani Pontif.* ibi: *sed, si contractum fuerit, non separetur.*

Nam rejectis variis interpetrationibus; illa plausibilior, veriorque censenda, quod nempè, si
43 duo coniuges mente sana contraxerint, tum verò supervenerit furor: non solvitur Matrimonium contractum, *can. is qui 35. can. neque 32. q. 7.* Tametsi Jure Orientali Græcorum aliter receptum esset, ut notat *Harmenopolus L. 4. T. 11.* & *Nicephorus Botoniata L. 1. Iuss. Orient.*

Obiicitur II. Matrimonium spirituale, quod inter Episcopum, & Ecclesiam esse intelligitur, verba non requirit, *cap. licet extra de Transl.* neque aliter ratum dicitur, quam per ratificationem Superioris. Ergò neque in Matrimonio Carnali verba, aut consensus contrahentis ad rati Matrimonii substantiam attinent.

Sed licet argumento a simili aliquid conficiatur, non tamen omninò cum re principali congruit *L. Lucius §. quæsitum ff. de Leg. 3.* Præsertim verò Matrimonium spirituale non parum a carnali differt, nam unus vir, unaque uxor in carnali Matrimonio esse debet *cap. gaudemus de Div.* At Ecclesia sponsa ex dispensatione potest habere plures sponsos, & Clericus plures Ecclesias, *cap. de Multa de Præb.* Carnale, nec transactionem, neque aliam compositio-
44 nem admittit, *cap. fin. de Trans.* secus in spirituali *cap. nisi de Præb.* Carnale ratum est expresso consensu, non ita spirituale *cap. fin. de Transl.* Carnale uno momento perficitur: Sed spirituale exigit tractum temporis *cap. quia propter de Elect.* Item ad carnale tempus non est præfixum, sicut ad spirituale, *cap. cum in cunctis de elect.* & *cap. ne pro defectu de concess. præb.* Insuper carnale fuit institutum, ad prolem, & ad Fornicationem vitandam *can. is ita 27. q. 2.* Spirituale ad regimen, curamque animarum.

Cæterum addo, convenire spirituale connubium cum carnali, quoad extrinsecam consensus expressionem. Et licet Matrimonium spirituale verba non exigat; Exigit tamen consensum electi, extrinsece expressum; Et nonnunquam expressum literis sufficit *can. vidua 20. q. 1. can. institutum 27. q. 2.* unde falsum est, quod in obiectione dicitur, verba non requirere Matrimonium spirituale, quod ex consensu eligentium, & electi contrahitur; Nam ut plurimùm consensus ab electo verbis manifestatur. Et, quando non potest constare de consensu, nisi per verba; verba ad Formam pertinent, ut eleganter *Anton. Rossellus Patavinus in repetitione Tex. in cap. tuæ fraternitatis de spons. n. 60.*

Obiicitur III. verba sunt necessaria, quantum ad Ecclesiam, ait Alexander Pont. *in cap. tuæ fraternitatis de spons.* Ergò ad solam Probationem verba adhibentur in Matrimonio; non ergò unquam eveniet, verba esse Formam. Ità scri- 45
ptura non dicitur de substantia legis, quià adhibetur ad solam probationem, *L. humanum C. de Legibus, & L. leges sacratissimæ C. eod. L. contrahitur 4. ff. de Pignor. L. 4. ff. de Fid. Instr.*

Sed perexigui momenti est difficultas hujusmodi. Admitto, verba ad probationem deservire. Illud tamen non concedo, verba non esse de substantia Matrimonii, si per ea dumtaxat exprimatur consensus. Utrumque operari possunt verba, & esse de substantia actus, & probationi actus deservire. Exemplo sit contractus emptionis, in quo interdùm scriptura necessaria est *§. emptio Inst. de Empt. & vend. L. contractus 17. C. de. Fid. Instr.* Quis autem dixerit, Instrumentum, in quo appareat subscriptio contrahentium, non probare in Judicio emptionem, venditionemque secutam cum hac de Re sit Textus expressus, in *cap. cum Joannes de Fide Instr.* Preterea sententia in scriptis edenda *cap. ult. de Re Jud. in 6.* alias nullius momenti est; An igitur victor in causa sententia uti non poterit, ubi tulerit necessitas? Quis dixerit non posse produci in Judicio sententiam ad vim probationis faciendam, cum pariter, hoc esse licitum Textus expressè decernat in *cap. cum inter 13. vers. tribus de sent. & Re Iud.*

Nec verò silentio prætereundum est, posse in-
telligi *Textum in d. cap. tuæ fraternitatis*, dum ait: 46
sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba, videlicet, verba, vel equipollentia verbis esse necessaria, ut constet Ecclesiæ de Matrimonio, quod etiam proponit *Covar. 2. parte cap. 4. n. 2.* Aut dici posset impropriè in eo textu verba dici *necessaria*, idest *quasi* necessaria, ut consensus exprimatur; Quià Ecclesia nulla habet præfinita verba, quibus Matrimonium contrahatur, & quæ necessariò proferenda præscribantur, ut Sacramentum valeat, quæ interpetratio est Lelii Mancinii *tripl. Iur. diff. 10. cap. 8. §. nunc ad contraria n. 19.* Aut exponi potest Textus ibi: *verba necessaria*: idest signa exprimentia consensum, inter quæ verba obtinent Principatum: Ita *Covar. Matr. 2. cap. 4. n. 2.* Aut dici posset, verba esse *necessaria*, quotiescumque non aliter volunt contrahentes extrinsecus apparere consensum, Ita *Anton. Rossellus in cap. tuæ fraternitatis n. 48.* Archidiaconi vero Interpetratio nimis divinatoria est. Dum ait: *Aut præcesserunt tractatus, & tunc sufficit solus consensus; Aut non præcesserunt tractatus tunc verba sunt necessaria:* præterea reiicitur, Quia, & si præcesserint tractatus sufficiunt

tamen

tamen etiam signa *cap. cum locum de sponſ. can. ſufficiat* 30. *q.* 2. *cap.* 2. *de Deſp. impub. in* 6. *cap. is qui de ſponſ. can. honoratur* 32. *q.* 2.

Obiicitur IV. Si verba ſunt interdùm Forma
47 hujus Sacramenti, ergò per æquipollens non adimplentur *cap. licet* 47. *de Teſt.*

Sed Respondetur ſignis quoque Matrimonium perfici ut Sacramentum eſt, quia Chriſtus in connubiali contractu nihil innovavit *ut ſic;* ſed gratiam Sacramenti fecit. At contractui ſat eſt, ut mutua paciſcentium voluntas ſignis innoteſcat; Eccleſia verò de hac re nihil immutavit. Quià ratum divino Jure Matrimonium illud eſt, quod ſignis contrahitur, aut hæc ſint verba, aut verbis æquivalentia. Cæterum regulariter verba ſunt Forma, ut ait *Concil. Florent. in Decr. Eug.* Ex qua Doctrina, ſic diſtinguendum eſt: verba ſunt Forma, *præciſe* ità ut et alia quæ juxta ſubiectam Materiam vicem adimplent
48 verborum non ſufficiant, negamus. Verba ſunt Forma *regulariter*, concedimus prout fert natura contractus Matrimonii, quam Chriſtus Redemptor non immutavit. Et licet *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matr.* verba tantum exigere videatur, dum ait: *ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum conſenſu intellecto &c.* Tamen non ait Concilium neceſſarium, ut interrogatio fiat per verba, cum ſurdi, & muti, Parochi verba percipere non poſſint; ſed ſolum exigit Concilium, ut Parochus intelligat contrahentium conſenſum. *Pont. L.* 2. *cap.* 7.

An autem ſaltèm in valentibus loqui verba
49 ex præcepto ſint neceſſaria? Thomas Sanchez aſſerit, ea omittere, culpam eſſe venialem *L.* 2. *de Matr. diſp.* 31. *n.* 9. ſed *Pontius* ne venialem quidem culpam admittit reperiri. Quià in nullo Juris Canonici loco continetur præceptum, verba adhibendi: *ubi non eſt lex, non eſt prævaricatio ut ait Apoſt.* ita *Pont. L.* 2. *cap.* 7. *n.* 14.

(*e*) *Paterna.*

DISSERTATIO V.

De conſenſu Parentum in Matrimonio.

Non diſputabitur impræſentia, an his temporibus conſenſus Parentum ad validitatem Ma-
50 trimonii exigatur. Nam id definitum eſt a Sacro Trident. Concil. *ſeſſ.* 24. *cap. de Reform.* Dum ait: *& proinde vere damnandi ſunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant: quique falſo affirmant, Matrimonia a filiis familias ſine conſenſu Parentum contracta irrita eſſe, & Parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Nibilominus S. Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atquè prohibuit.*

Sed quoniàm Concilium Tridentinum ait, nuptias contractas ſine conſenſu Parentum Eccleſiam ſemper eſſe *deteſtatam*, atque *prohibuiſſe*. Quærendum ad exercitationem tantummodò diſcentium Canones veteres, ac recentiores; quid fuerit per antiquos Canones conſtitutum, præſcriptumque?

Sed cum accuratiſſimè conſcriptum, & ſine ulla ſuſpicione lapſus, omnia nos doceat Concilium Tridentinum, Divino Spiritu inſtruente celebratum. Nos item omni obſequio, quale decet filios S. Romanæ Eccleſiæ, pro qua omnes ſanguinem profundere parati eſſe debemus, defendemus, ſemper Eccleſiam, ſacroſque Canones deteſtatos eſſe, & prohibuiſſe conjugia inconſultis Parentibus inira; veruntamen antiquitus etiàm valida fuiſſe, quamquàm illicita, & inhoneſta, ſentiendum eſt. Iamque evidentiſſimè demonſtrabimus.

Valida olim fuiſſe Matrimonia filiorum non petita Patris permiſſione, atque conſenſu, Probatur I. ex copia Canonum ingenti, tum ex Reſponſionibus id magis conſtabit. 51

Id igitur expreſſe deducitur, *ex c. ſuper eo de cōdit. Appoſit. ex can. ſufficiat* 27. *q.* 2. *ex cap. cum apud, & cap. tua fraternitati* 25. *de ſponſ. ex cap. virum* 12. *in fin. de Regul. ex cap. requiſivit, ex cap. gemma* 29. *de ſponſ. ex cap. cum cauſa de Raptor. ex cap. veniens* 13. *de ſponſ. ex cap. per tuas de condit. appont. cumſimilibus ſub Tit. de Matr. contr. interd. Eccl.*

Non obſtat Textus Evariſti editus circa *ann.* 100. *in can. aliter* 30. *q.* 5. ibi: *aliter legitimum ſicut a Patribus accepimus, & SS. Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum invenimus non fit coniugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur uxor petatur &c. aliter præſumpta non coniugia, ſed adulteria, vel contubernia, aut ſtupra, aut fornicationes potiùs, quàm legitimà coniugia eſſe, non dubitatur.* 52

Sed miror Mandozzam virum doctiſſimum in *can.* 32. *L.* 3. *de confirm. Concil. Illeber.* ex quo penè ipſa verba deſumpſit *Pontius L.* 2. *cap.* 1. *§.* 1. Non dubitaſſe, per hunc textum aſſerere, perſuaſiſſimum eſſe debere unicuique, quod Jure Canonum veteri, Matrimonia viribus deſtituta ſine conſenſu Parentum degenerarent in Fornicationes, & ſtupra.

Quod vero Harprectus in *§. juſtas Inſt. de Nupt. n.* 99. more hæreticorum petulantiſſimè Bellarminum virum omni exceptione majorem inſectetur, & putet, ex hoc Textu errorem Catholicorum, qui nituntur Decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 24 *cap.* 1. eſſe inexcuſabilem; non miror, nam meras nugas loquitur in hac controverſia de Parentum conſenſu in nuptiis filiorum.

Interrogo an non in fine oppoſiti Textus hæc habentur? *Niſi voluntas propria ſuffragaverit.* Ergò ſi voluntas propria filii acceſſerit, quotieſcumquè repugnet, reclametque Pater, Matrimonium ſine voluntate Patris validiſſimum eſt.

Inſtabit Mendozza, ex vetuſto Codice *Antonium Contium* ad marginem legere *etiam ſi* loco verbi *niſi*.

Sed

Sed pergat Mandozza, & Pontius legere; videbit emendationem *Contii* nimis pervertere sensum Textus. Prosequitur enim Evaristus: *et vota succurrerint legitima* ergo appellabit etiā legitima vota, & voluntatem filiorum legitimam, inconsulto patre, quod pugnat cum præcedentibus verbis. Finge jam loco verbi illius *nisi* reponendum esse *etiam si*; Textus hunc haberet sensum sibi ipsi contrarium: *Matrimonia sine consensu Parentum sunt illegitima etiam si sint legitima*. Vides emendationi Contii standum non esse.

Jam verum sensum Evaristi, meo judicio reperire facillimum est. Notentur verba Textus non cursim, atque obiter, sed consideratius, majorique diligentia. An non ait Evaristus, non esse hæc Matrimonia *legitima*, sed *Præsumpta* adulteria, vel contubernia? Ergò agitur in eo Textu de foro externo, in quo locum habent præsumptiones. Ergo validum est ex mente Evaristi Matrimonium sine consensu Parentum, sed illegitimum in foro exrerno. Quià hoc in foro externo, præsumitur Concubitus extra Matrimonium. Non omne quod illegitimum est invalidum est. Ne recedamus ab exemplo Matrimonii, nonne sine denunciationibus illegitimum, & clandestinum est Matrimonium? Et tamen validum est. *Cap. cum in tua in fine de spons. cap. quoad nobis de Clandestina despons. & toto Til. ib.*

At instat Pontius *ubi supra n.* 7. Evaristus ait, sine consensu Parentum nuptias filiorum esse adulteria, & fornicationis; Ergo loquitur Evaristus etiam in foro Animæ.

Sed Pontius silet in tali obiectione verbum illud *præsumpta* quod est in Textu. Ait ergò Evaristus tales nuptias, a filiis contractas inconsulto Patre, esse *præsumpta* adulteria, esse *præsumptas* fornicationes. Quid hinc infertur? Nisi tales nuptias inconsulto Patre contractas esse validas, & solum in foro externo reputari, censerique invalidas, quoad Pænas, quas æquè subeunt filii hoc modo contrahentes, perindè ac si stupra perpetrassent? En exemplum, quo res quæque elucidatur facillimè. Notum est Simoniam Juris Ecclesiastici inductam esse ab eo duobus modis. Primo quia res aliqua sola Ecclesiæ institutione sacra fit ac proinde Materia Simoniæ. Secundo quia etsi Ecclesia non constituat rem aliquam sacram sua prohibitione, illius tamen venditionem prohibet intuitu Religionis. Primo modo committitur vera, & proprie dicta Simonia. Secundo modo non committitur vera Simonia. Et nihilominus propter irreligiositatem, perinde Simoniacus punitur, ac si commisisset veram Simoniam - hæc omnia eruditè, ut cętera *Gibalinus de Simonia q. 4. Conject. 4. per tot.*

Eodem pacto. Quamvis invalidum non sit Matrimonium contra voluntatem Patris initum; Tamen Evaristus decernit, puniri perindè ac si invalidum esset.

Sed urgeri potest adhuc contra hanc nostram interpetrationem, ex verbis Concilii Coloniensis sub Paulo III. *part. 7. cap. 43. Optandum, ut Canon Evaristi a Generali Concilio renovetur, tollanturque illa Clandestina Matrimonia, quæ invitis Parentibus, & Propinquis timoris potius, quam Dei causa contrahuntur: Intereà verò dum Ecclesia de hoc prospicit (si non irrita) prohibita saltèm sint*. Ergò renovando Evaristi Decretum erant hæ nuptiæ irritę, ibi: *si non irrita:* ex Decreto Evaristi.

Sed responsioni eidem insistimus, Evaristus ità puniri voluit Matrimonia filiorum celebrata, Patre inconsulto, quamvis in foro interno valerent, perindè ac si in foro externo *irrita* essent. Undè non fuit prohibitio Evaristi simplex, & pæna carens. Imo fuit prohibitio pænalis, prohibitio vehementer extimescenda. Multa prohibentur simpliciter. Multa etiam prohibentur adiecta ultione, & severitate pænarum. Patres ergò Concilii Coloniensis, ad compescendam Filiorum temeritatem, qui ducebant passim uxores, nulla habita Parentum ratione, omissisque debitę venerationis, atque obsequii significationibus; eamque ob causam utebantur tanta securitate, quia pænas fori exterioris non extimescebant: optant renovari Decretum Evaristi, quo magis filii compescebantur; imò vi cujus sublata ferè erant matrimonia contracta Parentibus invitis; Eo quod nemo filius audebat amplius in hunc modum Genitorem suum contemnere. Sed interim, dum generali Ecclesię Decreto Pęnæ ab Evaristo inductæ non renovantur. Concilium Coloniense monet filios, ut caveant. Quià talia Matrimonia illicita sunt, nec sine gravi culpa contrahuntur. Hic est verus Concilii Coloniensis sensus.

Quid si dicam, incertæ fidei videri totam illam Epistolam Evaristi ad Affricanos? Quæ etiam ex subscriptione mendacii redarguitur, nempe: *Nono Kal. April. Valentè, & Vetrio VV. Coss.* Isti enim Consules fuerunt, teste Baronio an. 98. hoc est annis 14. ante Evaristi Pontificatum, qui sedere cæpit anno 112. Chrispo, & Orphito *Coss. Baron. an. 98.*

Ex prędictis reliqua alia obiecta levi ictu concidunt; intelligitur enim, cur dixerit Tertullianus *L. 2. ad uxorem cap. 5. Nam neque in terris sine consensu Parentum Filii rectè, & jure nubunt*.

Intelligitur, cur scripserit Basilius *can. 42. ad Amphil. Quæ sine his, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt Fornicationes*

Intelligitur, quò spectent verba Theodori Balsamonis *in Commentario Epistola Basilii ad can. 30.* ibi: *Matrimonium ejus, quæ est in Potestate, non posse consistere sine Paterna voluntate*. Intelligitur pari ratione, quid sibi velit Hormisda Papa in *can. tua sanctitas 31. q. 2.* dum Patrem nempè, ait, pro Filio rectè nuptias contrahere, et consentire, *& postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino observare*,

& ad-

& adimplere debere factum Patris.

Intelligitur constitutio quędam antiquissima Patriarchę Constantinopolitani de Hypothesi proposita nuptiarum initarum, cum Mitza filio Bombylæ, conquerente ab Antymo filio cujusdam Leonis, nullo præcedente, vel secuto consensu Bombylæ Patris, statuiturque, eas nuptias non valere, utpotè factas sine consensu Paterno.

Hæc omnia nunquàm veram Matrimonii nullitatem, atque invaliditatem significant; sed prohibitionem pænalem, atque gravissimam, vi cujus ita filius puniebatur, perinde ac si clandestinè contraxisset. Hinc ait Balsamon, explicans Canonem 38. hunc filium non admitti ad Communionem. Ibi: *sed ea non est statim ad Communionem accipienda, sed post triennium*. Et meritò; nam talia Matrimonia Clandestina existimabantur, ut deduco etiam ex Joanne Groppero in *Institutione Coloniensi*, ibi: *Evaristi Canonem planè sanctissimum, cuperemus, in Ecclesiam Concilio generali revocari ob Clandestina illa Matrimonia tollenda: quæ nunc passim non palàm, sed furtim inter Pueros, & Puellas, citrà Parentum consensum, per lenones, & lenas compulantur: vel inter stultos, & temulentos, sola causa libidinis, non Dei respectu, sed Diaboli instinctu coniunguntur*.

Sed etsi hæc Matrimonia essent clandestina, utpotè contracta sine debita solemnitate; Non tamen inferas, eo ipso invalida fuisse, valida
53 quidèm erant, sed illegitima. Variè enim ante Concilium Tridentinum Matrimonia Clandestina erant, ut eruditè explicat *Gonzal. in cap. 1. de Despons. impub. n. 11.*

Postremò hæc nostra sententia non pugnat, cum Apostolico mandato *Coloss. 3. filii obedite parentibus per omnia*. Nam sicut hoc mandatum illicita, & inhonesta non comprehendit: Ità neque ea continet, quibus leges Naturę Divina, & Ecclesiastica, filios suæ potestati relinquendos esse, sanxerunt.

(f) *In putativum.*

DISSERTATIO VI.

De Matrimonio putativo; ubi & de aliis speciebus Matrimonii.

Plurimæ quidèm Matrimonii divisiones.

Nam, ut posuimus in nostro *Titulo*, olim
54 apud Romanos uxores quæri solitæ, Coemptione, Farre, usu, *Boet. in 2. Topicor Cicer.* Namque eo loci M. Tullius duas tradit uxorum Formas, unam Matrum familias, quæ in manum convenerat: alteram uxorum tantùm, quæ in manum non convenissent, ait enim: *Si ita Fabia pecunia legata est a Viro, si ei viro mater fa-*
55 *milias esset, si ea in manum non convenerit nihil debetur*: Scilicet per Coemptionem Matrimonium inibatur juxta veteres illos ritus, quoties coemendo invicèm interrogabant: vir ita, an sibi mulier mater familias esse vellet? Illa respondebat, velle. Mulier, an sibi vir Paterfamilias; esse vellet? Ille velle respondebat. Itaquè Mulier viri conveniebat in manum, & erat Mater familias viro, loco filiæ: & ità mulier illa, postea erat in manu, mancipioque, idest potestate Mariti. *Gellius L. 4. Noct. cap. 3.* Manus namquè arbitrium potestatemque denotat *L. 2. ff. de Orig. Iur.* sicut indè, & manumissio, & emancipatio dicuntur liberationes a Potesta- 56
te Dominica, Paternavè. Coemptio porrò isthæc simulata quædam erat potestatis distractio, qua mulier obstringebatur ante nuptias, & ex qua in aliam videlicet mariti recidebat potestatem; sciendum namquè, olìm fæminam sui Juris nunquam extitisse, sed semper in alicujus Tutela, unde *T. Livius L. 4.* inducit M. Portium Catonem pro L. Oppia sic differentem: Majores voluisse, nullam, ne minimam quidèm rem sine auctoritate fæminas agere, sed in Parentum, Fratrum aut Liberorum esse potestate. Unde, & Cicero pro A. Cecinna ait, Mulieres non potuisse absque tutore obligari nisi vestales essent, nam tunc ex Lege Numæ exemptę erant a Potestate *Plutarchus in Numa*.

Carolus autèm Sigonius *de Antiq. Rom. cap. 9.* rationem coemptionis ex Varrone assignat, ut scilicet nupturæ tres asses ad virùm deferrent, unum, quem in manu tenebant, tamquàm emendi causa; Alium, quem in pede habebant tamquam in foco larium familiarium ponerent: Tertium in facciperio, cum condidissent, compito vicinali resignabant.

Primo, autèm loco de Coemptione disservimus, quia postea ritus farreationis in coemptionem fuit translatus. Cæterum farre nuptiæ sacrę erant, per coemptionem solam prophanę: 57
Farre celebrabantur testibus decem, solemni sacrificio facto in quo Panis quoque Farreus adhibebatur, undèhas nuptias, farracia prisci Romani vocabant: quià coniuges vescebantur eodem Farre, quod Gręci *Zeam* dicunt. Hinc Sacri Cibi communio, communionem quoque fortunæ faciebat, vinculumque indissolubile *Dionis. Halic. L. 2. Histor. Rom.* atquè ut confarreatione jungebantur; Ita etiam dirimebantur Coniugia *Sext. Pomp. L. 4.* Penitus tandem intermissam confarreandi assuetudinem suo jam tempore testatur Tiberius apud *Tacitum L. 4.* quamquam vero frequentatas has nuptias fuisse tantùm apud Pontifices Gentilium ducentes uxores, quidam putent; Attamen & omnibus volentibus has adhibere communes fuisse, probabilius est, ut colligitur ex *Plinio lib. 18. cap. 3.* Quod antèm cursu temporis ritus farreationis in coemptiones fuerit commutatus, probat *P. Gregor. P. 2. L. 11. in Syntag. cap. 5. n. 32.*

Tandem usu quoque celebrabatur Matrimonium apud Romanos: Nam cum feliciter cessisset raptus Sabinarum tam notus, de quo *Ovid* 58
in Fastis L. 3. vers. 188. dum incipit.

Jam-

Iamque loco majus nomen Romanus habebat,
Nec conjux illi, nec socer ullus erat &c.

Romulus instituit, ut simulato quodam raptu Nuptiæ contraherentur: Instituto successit effectus. Sponsus enim vi Sponsam corripiebat, & usu sibi in legitimam uxorem reddebat *Revard. ad L. 12. Tab. cap. 21.* Cumque ex LL. 12. Tab. perpetuum trinoctium usum solidaret connubii, ac proindè, quemadmodum Jure Quiritum res mobiles anno possessæ. Possessoris evadebant, ità quæ nec farre nec coemptione in manus convenisset, sed in domum dumtaxat deducta fuisset, perfecta uxor nulla trinoctii absentia interposita, existimabatur.

Aliæ itèm divisiones sunt Matrimonii. In-
59 legitimum, quod legitimo, probatoque a Legibus consensu firmatur, unde & Matrimonium infidelium legitimum est.

Ratum dicitur, quod est signatum Sacramento fidei nostræ, sive quod est in baptizato, &
60 habet significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia dicitur que *ratum* non ratione Fidei alias Matrimonium Cathecumenorum ratum esset, & amissa fide desineret esse ratum in hæreticis, cujus oppositum definitur ab Innocentio *III. in cap. quanto de Divortiis*; sed ratum dicitur reali susceptione Baptismi, tamquam causa, & ea significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, tamquàm signo vel effectu, quià scilicet semel suscepto Sacramento Baptismi, & ea significatione cessat ille casus, in quo dissolvi poterat in favorem baptizati.

Consummatum Copula perfectum est. Quæ omnia explicat *Concilium Colon. Tit. de Matr. cap. verum, & cap. sed & dices, ut probatur in cap. fin. 28. quæst. 1. can. cum initiatur 27. quæst. 2.*

Item & aliæ divisiones numerari solent; vel ex institutione, vel ex fine. Ut nempe quod-
61 dam Matrimonium dicatur institutum in *officium Naturæ*, quibus vocibus, studiose Juris, quod significetur, jam discas. Nos enim censemus, terminos a Theologis usurpatos, non proinde Materiam Sacramentorum solis Theologiæ professoribus constituisse reservatam; cum nostri Canones potius fontes sint, unde Theologi lumen exuberans ad illustrandas res suas derivare debeant. Matrimonium ergò *in officium naturæ institutum* nihil aliud indicat, quàm ad Conservationem humanæ creaturæ fuisse institutum *Covar. 2. P. de Matr. §. un. cap. 1. n. 6.* dixit enim Deus *Gen. 1. crescite, & multiplicamini*, ad idem optimus Textus *in can. Ius Naturale 1. dist. §. 1. Inst. de Iure Nat. 9. &c.* & ex Platone plura eruditè congerit *Cælius Rodhig. L. 25. cap. 13.*

Tum verò cum primus homo mandati Divini oblitus peccasset, Matrimonium fuit institutum *in remedium concupiscentiæ*. Et hæc quoque alia divisio est, *can. nuptiarum 27. quæst. 1.*

Caterùm mea opinio est, primos Parentes, non bis, sed semel contraxisse Matrimonium, & post peccatum, in Matrimonio semel celebrato permanere voluisse; Sed res ita se habuit. Quod illud idem, quod antea, quando nullo inordinato motu turbabantur primi Parentes, deserviebat Matrimonium in officium Naturæ, postea deservivit etiam in remedium concupiscentiæ. Audi *Concilium Coloniense P. 7. cap. 41. Ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum, quià dixit illis: crescite, & multiplicamini, replete terram: peculiariter autem homini: erunt duo in carne una, propter hanc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ. Nec enim ratio conjunctionis, seu benedictio post lapsum defecit. Sed tamen quod sanis potuit esse officium, id ægrotis etiam sanctum sit remedium* - eademque fere referuntur *in Concilio Moguntino sub Paulo III. cap. 36.* Quod autem postea fuerit a Christo institutum ut Sacramentum jam supradiximus *Diss. 3.* 62

Plurimæ igitur, ut jam constat sunt Matrimonii divisiones; de quibus aliquid fusius proferre necessarium duxi, cum una, eademque opera, quæ leviter in Titulo nostro attigimus explicata remaneant.

Sed illa quoque Matrimonii species est, de qua in Praxi sæpè oriuntur controversiæ; Nempè Matrimonii *Putativi*.

Matrimonium *Putativum* est, cum bona fide saltem ab uno ex conjugibus, qui impedimenti dirimentis notitia careat, contractum 63
fuerit *cap. ex tenore 14. extra qui filii sint legitimi cap. cum in Apostolica 18. de sponsal. cap. cum inhibitio §. 1. de cland. Dispens. cap. dedebitum de Bigam. cap. sponsam, cap. cum in Apostolica 18. de sponsal. cap. 1. de eo, qui duxit in matrim. cap. literis, cap. accessit de Despons. Impub.* - Imò nec bonam fidem excludit, si exorta sit de validitate Matrimonii in mentibus 64
conjugum aliqua dirimentis impedimenti suspicio tempore conceptionis *Sperellus decis. 175. n.32.* Nam & si non possit sine culpa, in hac ambiguitate peti debitum, ad tradita *per Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 41. q. 4. per tot.* tamen ex levi credulitate suspicio exorta id non impedit, consilio Pastoris proprii interposito *cap. inquisitioni de sent. excom. ubi glossa in verbo levi*. Et præterea aliud est quærere, an in tali ambiguitate licitum sit reddere debitum, aut petere, aliud est quærere, an filii ex tali Matrimonio nati non obstante ambiguitate sint legitimi, perindè ac si ex verò Matrimonio essent exorti. Et re ipsa cum filii legitimi censeantur, eo tempore procreati, in quo lis pendebat de nullitate Matrimonii, ex Textu quem in casu similiter putativi Matrimonii expendit *Canisius in cap. cum inter 2. qui filii sint legitimi*, sufficit enim, liberos esse susceptos ante sententiam Divortii; Et tamen non censetur

inducta

inducta mala fides per hanc litis contestationem, ut alias videbatur ex *L. sed & si lege* 28. §. *si ante litem de Pet. her.* sequitur non obstare filius dubitationem Parentum, quin legitimi nascantur, quia tam dubitatur lite contestata, quam etiam, si per se ipsos coniuges incipiant subvereri, quod leviter attigit *Canisius ubi supra n.* 4. *in fine*.

Ratio est. Quià in dubio potior est conditio possidentis *regul. in pari de Reg. jur. in 6.* undè favendum est filiis procreatis, quo tempore separati invicem coniuges non erant, adeoque usus Matrimonii a foro externo permittebatur. Ne filii evidenter esse in duplici statu contrario, *cap. cum inhibitio* §. 1. *de Cland. Despons.*

65 Sed, ut bona fides suffragetur, necessarium est, Matrimonium in facie Ecclesiæ fuisse contractum; Quippe si clàm Nuptiæ sint factę, Matrimonium per dolum contractum præsumitur ad occultandum forsitan impedimentum dirimens L. *ult. ff. de ritu nupt.* T. 1. C. *de interd. Matr.*

Effectus Matrimonii putativi plures sunt.

I. Dos assignata pro tali Matrimonio perfruitur consuetis Privilegiis, quę iura veræ Doti
66 indulserunt. Ecce, Privilegium Dotis est, ut sicut bona uxoris pro Dotis præstatione tacitè obligata censentur L. *un.* §. *& ut plenius C. de rei uxora Act.* sic, & bona viri sint uxori obligata pro restitutione *d. L.* 1. Privilegium Dotis est, ut uxor pro Marito non teneatur, *toto Tit. C. ne uxor pro Marito*, Ut Dotis naturaliter sit inalienabilis L. *Iulianus ff. de Fundo Dot.*
67 Hinc rem suam semper, non Mariti retinere videtur Mulier, & pro victu, & alimentis. Ut præterea suppleatur omissio stipulationis de Dote restituenda L. *un. C. de rei uxor. act.* Ut insuper præsto sit actio bonæ fidei, quod contra naturam stipulationis est §. *in bona fidei*, & §. *fuerat de act.* Ut item summariè fit in causa Dotis procedendum circumcisis dilationibus L. 1. *ff. de Feriis*. Ut etiam Dos incerta arbitrio tertii possit certa reddi L. *cum post* §. *gener ff. de Iure Dot.* Ut pariter Mulier Dotem promittens, non restituatur Vellejano L. *fin. C. ad Vell.* Ut similiter causa Dotis possint alienari res alioquin inalienabiles subiectæ restitutioni *Auth. res, quæ C. comm. de Leg.* Ut ulterius dotare filias Pater cogatur officio Judicis L. *quod liberos ff. de Ritu Nupt.* Ut neque compensatio obiici possit Mulieri repetenti, vel rerum amotarum, vel aliorum debitorum L. *un.* §. *taceat C. de rei ux. act.* Neque impediatur Filia familias in Dote adventitia sine Patre stare in Judicio, ut Interpetres in L. 2. §. *quod si in Patris ff. solut. Matr.* Neque Dos præsumatur communicata in societate generali, sed excepta *l. actione* § *stieum*, L. *seq. ff. pro socio*: Neque laudemia debeantur si res Emphytheuticaria sine æstimatione in Dotem detur, *ut Iason. ait in l.* 3. *q.* 9. *C. de Iure Emphyt.* Tandèm Justiniano placuit, Mulieres, quæ Dotes tradiderunt Maritis, sive res illorum extent, sive dissipatæ sint, habere Jus repetitionis, & hypotecam potiorem in bonis Mariti supra omnes Mariti creditores L. *assiduis C. qui potiores in pignore habeantur*.

Jam vero his Privilegiis Dos Matrimonii putativi non vacat L. *ult. ff. de Privil. Cred.* L. 3. C. *soluto Matr.* L. *si sponsa* 74. *ff. de Iur. Dot. Arias de Mesa* L. 3. *Var. cap.* 21.

II. Effectus, ut filii inde procreati legitimi sint *cap. pervenerit extra qui filii sint legit.* Si legi- 68
timi sunt, ergò Jus habent succedendi *L. in Provincia* §. 1. *ff. de ritu Nuptiarum*, quem Textum ad hoc expendit *Roxas de Incompat. in* 69
Jure Can. P. 8 *cap.* 2. *n.* 72. *pag.* 343. Hinc si solus Pater fuerit in bona fide, mater verò conscia fuerit dirimentis obstaculi, & ipse Pater 70
condat testamentum, putans, se instituere filios ex vero Matrimonio natos, is error Testatoris institutioni filiorum non oberit, ut in terminis scripsit Baldus in *L. eam, quam n.* 25. *vers. deinde quæro C. de Fideicom.* quem sequitur Emanuel Costa *in Rep. cap. si pater. de Testam. in* 6. *n.* 3. *Tom* 5. *repet. Canon.* Imò etsi Pater, qui condit Testamentum, impedimentum novisset, satis est Mulieris bona fides habita in 71
contrahendo, *ut idem Eman. Costa n.* 4.

Si Filii sunt legitimi, quamquam nati ex Matrimonio putativo, illa quoque sequitur conclusio.

„ Quodnempe Pater habet Jus substituen- 72
„ di pupillariter filiis impuberibus.

Probatur conclusio. Siquidem Filii, cum sint huic Patri in omnibus, & per omnia legitimi, consequenter sunt sui hæredes, & in potestate. Igitur si sunt sui hæredes, & in potestate; illud etiam sequitur, ut eisdem Pater, (etiam si, dum contraheret Matrimonium, ipsi impedimentum in comperto fuisset, excepta coniuge, quam omne latebat obstaculum) potuerit substituere pupillariter, L. 2. *ff. de Vulg. & pup.*

Neque, hanc sententiam tuendo, quæ in contrarium assertores oppositę opinionis excogitarunt, quidquam obstant.

Non obstat, quod Pater habere non debeat Jura legitimi Patris in hos filios, arg. *Textus in cap.* 1. *de eo, qui duxit in Matr.* Nam Pater in mala fide est, fructus ergò Matrimonii consistentes in filiis legitimis percipere non debet, arg. *Textus, in cap. gravis de Restit. spol.* L. *& ex diverso ff. de rei vind.* L. *certum ff. eod.* L. *bona fidei ff. de Acq. rerum Dom.* L. *sequitur* §. *lana ff. de usu cap.* Utcumque etiam augeatur difficultas, dicendo, quòd Pater dolosus est, ergò in dolo contrahens puniendus L. *qui contra C. de incestis Nupt.* Vel quod Jura se exhibuerunt favorabilia liberis *d. cap. ex tenore extra qui filii sint legit.* Unde non debet favoris ejusdem particeps fieri dolosus Pater L. *fin. ff. de leg.* 1. Cum ex ipso dolo diversitatis ratio se prodat evidenter. Sic etiam si culpa Mariti sævientis in uxorem Matrimonium Judicio

Ecclesiæ separatum fuerit quoad Thorum, successio ab intestato non erit mutua, Vir enim uxori ab intestato minimè succedet L. 1. *ff. unde vir. & uxor*. Utcumque hęc addantur; tamen nihil obstat oppositio.

Respondetur enim. Quod, si quid est in pa-
73 tria potestate, quod ipsius legitimi filii favorem exprimat, id ipsi filio nequaquam detrahendum. Proindè absurdum non est, hunc filium esse in potestate, ut per hoc suus hæres sit vivo Patri doloso, atque eidem mortuo suus hæres existat, L. *in suis ff. de Lib. & Posth.* L. *Cornelia in fin. ff. de Test.* Similiter absurdum non est, filium hunc esse in Patris potestate, ut per hoc Pater eidem filio impuberi consulere possit, faciendo pupillarem substitutionem, quæ liberorum commodum, favorem, atque utilitatem continere videtur L. *si adrogator* §. 1. *ff. de Adopt.* L. *Papinianus* §. *si quis impuberi ff. de Inoff. Testamento*, L. *ex tribus C. eod.* Atque ad hoc comprobandum induci potest elegans Textus, in *Auth. constitutio, qua de dignitate* § *illud quoque coll.* 5. Ibi Justinianus decernit, filium, qui liberatur propter impetratam dignitatem a patria potestate, retinere tamen omnia Jura legitimorum; Ergò etiam censetur, sub Patris potestate talis filius reperiri, quoad effectum pupillaris substitutionis, quæ est filio favorabilis; Qua igitur ratione volumus, non posse substitui filiis Matrimonii putativi pupillariter?

III. Effectus. Ut filius hujusmodi alimenta debeantur non minus, quàm debentur filiis ex
74 vero Matrimonio susceptis, *Giurba ad consuet. Messana cap. 7. Gloss. 13. n. 4.*

IV. Effectus. Quod coniux putativus, ha-
75 bens bonam fidem in Matrimonio, acquirit quidquid sibi alter malæ fidei coniux dederit, sive in testamento, sive etiam inter vivos, ex quolibet contractu, ex causa Dotis, donationis propter Nuptias, vel alio simili. Ratio est, quia valet argumentum de contractibus ad ultimas voluntates, & è converso L. *servum filii* §. *eum qui chirographum ff. de leg.* 1. *Principio Inst. T. de lege Tusca can. toll.* Atqui in L. *finali ff. de Legat.* 1. traditur, quod si coniux bonę fidei capere potest, Fiscus non habet Jus auferendi, consonat Text. *in L. præfectus ff. de ritu nupt. in L.* 2. §. *per contrarium ff. de his, quib. ut ind.* Ergò eodem pacto valebunt acquisitiones factæ a coniuge bonæ fidei, qui Matrimonium putativum contraxerit, etiam si extra ultimę voluntatis casum provenerit. Etenim non intelligitur justa differentię ratio inter ultimas voluntates, & contractus in hoc casu; Nam solita ratio discriminis, quod nempè testantis voluntas plenius, quam in contractibus interpetretur, L. *in testamentis ff. de Reg. Iur.* L. *in conditionibus*, L. *Pater severinam ff. de cond. & demonstr.* L. *verbis Civilibus ff. de vulg. & pupil. l. haredes mei* §. *cum ita ff. ad sen. conf. Trebell.* Non satisfacit. Siquidem in culpa, ut supponimus testator est, & nemini culpa suffragatur.

Neque hanc sententiam amplectendo obstat 76
Textus difficilis, in L. *cum hic status* 32. §. *oratio ff. de don. inter vir. & uxor.*

Cui respondet Gonzales in *cap.* 2. *extra qui filii sint legitimi n.* 10. Confirmari donationem factam inter virum, & uxorem, constante Matrimonio, per mortem; quando Matrimonium verum fuit; quià protrahi ad mortem voluntas donantis videtur; At quià in Matrimonio putativo error adest, non creditur in errore voluntas; Ergò ad mortem usque non protrahitur voluntas, quæ defuit.

Sed nos huic responsioni acquiescere non possumus; quia pugnat cum his, quę antea docuerat ipse Gonzales *sub n.* 6. his verbis .. & filii ità legitimi succedunt parentibus, & .. consanguineis, ad feudaque, & fideicommissa, & primogenia admittuntur, quamvis .. expresse filii legitimi, & de legitimo Matri-.. monio fuerint vocati. Qui vocavit filios ex legitimo Matrimonio natos, non creditur, velle hæreditatem devolui ad natos ex Matrimonio putativo, quia non creditur in errore voluntas. Et tamen ipse Gonzales admittit, ad filios ex Matrimonio putativo procreatos devolvi hæreditatem. Ergò ad defectum voluntatis referri non debet Textus in L. *cum hic status &c.*

Vera igitur interpetratio hæc est: quod species in *d. l. cum hic status* longissimo intervallo differt ab ea, de qua sermo a nobis est institutus; nam loquimur de illo coniuge, qui justo errore ductus, habet in Matrimonio bonam fidem, & ideo validè acquirit. Cęterùm in *d.* L. *cum hic status* vir, & uxor sciebat Matrimonii impedimentum. Nec enim pupilla si nubat tutori, aut libertina Senatori, aut in Provincia officium gerenti, justè contendere potest, sibi bonam fidem fuisse; nam quamquam Mulier frequenter soleat excusari ex Juris ignorantia, ut nihil perdat è proprio Patrimonio, nunquam tamen juvari potest ex ea ignorantia, ad lucrum captandum L. *qui contra C. de Incest. Nupt.* Undè meritò Fiscus auferet donationes, seu quæsita ex alio contractu. Nam è contrario, si Mulier bonam fidem habuisset, Fiscus auferre non posset, L. *uxori Maritus ff. de usufructu legato.* Et hæc de Matrimonio Putativo sufficiant.



DE

DE SPONSALIBVS.

TITULUS X.



Ponsalia quidem (1) Matrimonium (*a*) præcedunt. Hanc tamen inspectionem postponendam, duximus, ne Matrimonium a cęteris Sacramentis, hoc titulo interposito, segregaremus. (2] Age iam tractemus hoc argumentum, quantum oportet.

Sponsalia; si definitionem quæras, nil sunt aliud, quam futuri [*b*) Matrimonii promissio mutua.

Si ea rite celebrandi rationem postulas. Celebrantur in ea ætate, quę septennium ad minus (3] excesserit. Sed non ita definitum Jure septennium est, ut si antea malitia (*c*) suppleat ætatem, [4) careant Sponsalia roboris firmitate. Imò & generatim annorum hęc immaturitas minimè obstiterit, si denuò post septennium ratificentur. [5) Celebrantur sive per se, sive per (9) alium, sive etiam per (7) epistolam, neque enim iam solliciti sumus de veterum [*d*) solemnitatibus, quę potius quamdam superstitionem redolebant. Celebrantur sive interposito Juramento, (8) sive arrhis (9) datis, & ferè semper arrhæ nomine tribuitur annulus. Quę amittitur si per eum steterit, qui eam dedit, (10] ut Matrimonium non sequatur, atq. arrhæ constitutio optimo jure permittitur, quamvis (*e*) promissio pęnę inutiliter Sponsalibus adiiciatur. Verum arrhæ constitutio differt a Sponsalitia largitate, cum largitas hæc, sit donatio, arrha sit veluti pignus, differt (*f*] etiam a donatione propter nuptias; nam donatio propter nuptias fit in Dotis quamdam compensationem, hodiè hæc donatio exolevit, & eius loco successit donatio, quę causa vel contemplatione Matrimonii appellatur, & dicitur *Doarium*, vel *Dotarium*, aliasque etiam habet appellationes. Ultra hæc celebrantur Sponsalia, ut plurimùm scriptura, Dotem constituendo, neque enim Maritus cogitur onera subire Matrimonii [11) propriis impensis, ex quo principio infertur, Maritum (*g*) sine usura percipere fructus [12) ex pignore dato a Socero. Celebrantur tandem sive pure, sive [13] sub conditione, modò nulla conditio sit vel turpis, vel repugnans Naturę contractus huiusce, vel factu impossibilis, & similiter certa (14) dies adiici potest.

Tractandum deinceps de Sponsaliorum effectis. Et quidem Jus civile non tribuit Sponsalibus effectum tam relligiosę observantię, ut non liceat impunè renunciare Sponsalibus *L. 1. C. de Spons.* Jus Sacrum, cum grave sit fidem fallere, præscribit Judici Ecclesiastico, ut Sponsos cogat [15]

 adim-

adimplere, non tamen penitus cogat, cum soleant coactiones infausto (16) exitu terminare frequenter. Viderit tamen Judex, an (*h*] ficte aliquis Matrimonii fidem dederit; Viderit, (*i*) an maximè dispar sit Sponsorum conditio. Atque, ut alios effectus perscrutemur; olim Sponsalia per copulam transibant benigna Canonum interpretatione in Matrimonium. Verum ex quo Tridentina Synodus sustulit clandestina coniugia, tali [17) carent effectu Sponsalia. An vero si Matrimonium fuerit absque Parocho, testibusque contractum, sustineatur saltem tamquam Sponsalia, olim pugnatibus hinc, inde Scriptorum Sententiis disputatum acriter; Negativè tamen a Sacra (18) Congregatione declaratum est. Sed illud efficiunt Sponsalia, ut ex (*l*) his oriatur dirimens publicæ honestatis [19] impedimentum.

Age, ad integram, perfectamque cognitionem, eorundem quoque dissolutionem spectemus.

Dissolvuntur Sponsalia aut ipso Jure, aut facto hominis. Ipso jure, cum nulla habita ratione voluntatis, consensusque partium, ex certa supervenïente causa distrahuntur. Ergo ipso jure soluta sunt Sponsalia etiam (20] jurata, cum tua Sponsa ab alio fuerit matrimonio sibi copulata; Item si sacros Ordines Sponsus [21] recipiat, aut (22) Religionē ingrediatur, aut oriatur inter (23) Sponsos affinitas, aut si innotuerit impedimentum (24) aliquod dirimens. Vides, causam non consensum spectari in hac dissolutione.

Facto hominis hoc Vinculum frangitur, cum facto Sponsi frangitur. Hoc verò permissum, si Sponsi invicem declarent, dissolutioni Sponsaliorum assentiri. Vnum quoque dissentire sufficiet, quoties alter ex his in hæresim (25) aut Idololatriam delabatur, aut lepra, paralysi afficiatur, aliove morbo [26) incurabili: Aut quoties Dotem (27) promissam Virgo afferre non possit: Aut si implementum conditionis [28] aduenerit, aut capitalis (29] inimicitia, aut morum (30] asperitas innotuerit, aut quoties unus ex his ad remotas regiones se (31] conferat. Atque ex his casibus observare datur. Quod cum ipso Jure Sponsalia sunt dissoluta, et si velit quidem Sponsus ad Sponsalia reverti haud poterit. Cum vero facto hominis perimuntur, Sponsus pristinam ad obligationē redire valet. Illud in utroque casu obtinuit, donationem ante Nuptias ad donatorem pertinere jure suo, cùm promissionis nulli erunt effectus consecuti.

SUMMARIUM.

1 *SPonsalia præcedunt Matrimonium.*
2 *Ante septennium non contrahuntur.*
3 *Malitia ætatem supplet.*
4 *Post septennium Sponsalia ante contracta ratificantur.*
5 *Peralium Sponsalia contrahuntur.*
6 *Per Epistolam contrahuntur,*
7 *Iuramento firmantur.*
8 *Arrhæ in Sponsalibus interveniunt.*
9 *Dos constituitur pro futuris nuptiis.*

10 *Spon-*



EX-

EXPLICATIONES.

Seu Auctoritates, quibus Principia tradita confirmantur.

[1]

Cap. nostrates caus. 30. *q.* 5. *cap. si inter vi-*
rum de Sponf. L. 1. *ff. de Sponf. cap. un. de Sponf.*
1 *in* 6. *Gellius L.* 4. *noct. att. cap.* 4. *Varro L.* 5.
de Lingua Lat.

(2)

Hanc rationem continuationis tradit *Cuerus Inst. Can. L.* 3. *T.* 11. *§. admonet.*

(3)

Septemnii excessum requiri, tradunt auctori-
tates hujusmodi: *cap. literas de Desponf. impub.*
2 *cap. continuebatur ib. cap. a nobis ib. cap. un. de*
Despons. impub. in 6. *Concil. Lateran.* 3. *T. de*
Sponf. cap. 7. *can.* 1. *&* 2. 30. *q.* 2. *L. in Spon-*
salibus 14. *ff. de Spons.*

[4]

Malitiam supplere ætatis impedimentum, pro-
bat Textus in *L.* 3. *C. si minor se major. arg.*
3 *cap. pueris de Delict. puer. §. in sum. inst. de*
obl. qua ex delict. L. sed etsi §. 1. *ff. ad L. Aq.*
L. 2. *C. de his, qui veniam at. can. monachus*
72. *dist. Auth. Sacramenta puberum C. si advers.*
vend.

(5]

Post septemnium ratificari posse sponsalia
ante contracta, constat ex *cap. duo pueri* 12. *de*
4 *Spons. cap. literas. cap. accessit de Despons. impub.*
cap. un. in Princip. §. porrò eod. Tit. in 6. quo-
modo etiam potest intelligi Textus *in L. in*
Sponsalibus contrahendis ff. de Sponsal. Addo
Textum *in cap. cum apud* 23. *& cap. tua* 15.
hoc T.

(6)

Per alium contrahi recte Sponsalia, planum fa-
cit Textus *in cap. fin. de Procur. in* 6. de Pro-
curatore verba faciente *in cap.* 1. *de Desponf.*
5 *impuber.* de Patre contrahente, pro filio differente,
& cap. sicut de Spons. c. p. un. §. fin. de Desponf.
impub. in 6.

(7)

Per Epistolam, nemo negabit celebrari legiti-
mè Sponsalia, cum id decisum fuerit à *L. in* 6
Sponsalibus ult. ff. de Spons. L. sufficit 4. *L. in*
Sponsalibus 7. *ff. eod. L. quid ergo* 13. *§.* 1. *ff.*
de his qui notantur infamia.

(8]

Juramentum quoque adiici posse Sponsalibus,
innotescit ex *cap. præterea de Sponf. cap. sicut ex* 7
literis de Sponf. cap. commissum ib. cap. si vero
de Jur. cap. si quis uxorem ibid. can. si quis des-
ponsaverit 27. *q.* 2. *cap. veniens eod. Tit.*

(9)

Arrhis quoque solere fidem Sponsalium con-
firmari, expediti juris est, ut patet ex *cap. il-*
lud cap. 22. *de Præsumpt. can. si quis uxorem,* 8
cum can. sequenti 25. *q.* 12. *can. nostrates, can.*
famina 30. *q.* 5. *L.* 3. *& L. fin. C. de Sponsal.*
& arrhis L. si legibus 16. *C. de Episcop. aud. L.*
exempto §. is, qui viria ff. de Act. empt.

(10)

Artham amittit, qui dedit, si per eum steterit, quominus Matrimonium sequatur; ita statuit *L. fin. C. de arrhis.*

(11)

Dos necessaria in nuptiis pangendis, ut colli-
gitur ex *can. Lotharius* 31. *q.* 2. *ex cap. per ve-*
stras de Donat. inter vir. & uxor. L. pro oneri- 9
bus L. 20. *C. de Iure Dot. L. Dotis fructus L.* 8.
ff. eod. L. fin Maritus L. 47. *ff. famil. ercifcunda*
L. 3. *ff. de Iure Dot. L. Dotis promissio L. incerta*
ff. de ritu nuptiar. L. 3. *ff. de Privil. cred.*
cum simil.

(12)

Maritum cui Dos non sit persoluta, & pignus fructiferum acceperit, interim titulo onerum Matrimonii rectè, justeque fructus lucrari, expediti Juris est, ex *celebri cap. salubriter de usuris.*

[13]

Sub conditione celebrari Sponsalia, planum
facit Textus in *cap. de illis in cap. super eo de* 10
cond. appositis.

Certa

[14]

11 Certa dies adiicitur nonnunquam Sponsalibus *cap. sicut ex literis 22. hoc T. cap. de illis ib.*

[15)

12 Sponsi cogendi sunt adimplere *cap. praeterea de Spons. cap. ex literis ib.*

[16]

Non tamen Sponsi sunt omninò cogendi *dicto cap. praeterea.*

(17 [

13 Sponsalia nunc in Matrimonium non transeunt per commixtionem carnalem Sponsi cum Sponsa, Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. ut olim contingebat, ut videre est *in cap. veniens, in cap. consultationi 28. de Spons. in cap. per tuas, in cap. de illis de cond. app.*

[18 [

14 Matrimonium non contractum in facie Ecclesiæ non resolvi in simplicia Sponsalia, decidit Sacra Congregatio Cardinalium Interpetrum S. Concilii Tridentini, relata a *Diana Parte* 3. *Tract.* 4. *resol.* 258. *& a Sabello in summa Tract. verbo matrimonium n.* 6.

[19)

15 Ex Sponsalibus oritur publicę honestatis justitię impedimentum *cap. Sponsam, cap. juvenis cap. ad audientiam de Sponsal cap. si quis desponsaverit 11 cap. desponsatam 12. cap. si quis desponsaverit 15. cap. si quis uxorem cap. cum aliis 27. q. 2 cap. literas, cap. accessit, cap. duo pueri de despons. impub. cap. unito eod. Tit. in 6. cap. 1. de Matrim. contracto L. semper ff. de ritu nuptiar. L. non omne L. semper 197. ff. de reg. jur. §. si uxor instit. de nupt. Trid. sess. 19. de refor. cap. 13. cap. 1. hoc Tit.*

(20 [

16 Etiam si fuerint Sponsalia jurata; attamen per Matrimonium subsequens, contractum cum alia, recessum ipso jure creditur a Sponsalibus, eaque sunt dissoluta *cap. si inter, cap. veniens, cap. is, qui fidem 30. hoc Tit. cap. 1. de Spons. duorum.*

[21)

17 Sacer Ordo susceptus post Sponsalia contracta, ea dissolvit ipso jure; *cap. ex parte 2. de convers. coniug. cap. 1. de voto, & voti redempt. in 6. Extrav. Ioan. qua incipit altercationis antiqua* qui Textus ad hoc citantur a Lancellotto *in Inst. Can. de Spons. ad §. inter.*

(22)

Si Sponsus, vel Sponsa Religionem ingrediatur, ipso Jure vinculum Sponsaliorum est dissolutum *cap. commissum de Spons. cap. veniens, cap. rursus, qui clerici, vel vovent. cap. ex publico de convers. coniug. & cap. 2. de convers. coniug. in 6.*

(23]

Si oriatur inter Sponsos affinitas, ipso Jure concidunt Sponsalia *cap. super eo de cons. & aff. cap. veniens 1. & 2. cap. ex literis, de eo, qui cognovit, consang. uxor. cap. praeterea eod.* 19

(24 [

Cognitum dirimens impedimentum Sponsalia disrumpit. *cap. cum in tua 27. de Spons. cap. super de Textibus.* 20

[25 [

Hæresis, atque Idolatria causam præbent, ut Sponsus inculpatus a fide data queat resilire, *cap. non solum, cap. jam nunc 28. q. 1. cap. quemadmodum 25. de Iure jurando, cap. cum 17. hoc T.* 21

[26 [

Morbus incurabilis causam justam offert, ob quam Sponsus promissionem non exequatur. *cap. fin. de coniug. lepros. cap. si uxorem cap. omnes, cap. hi, qui 32. q. 7. cap. ex parte de convers. coniug.* 22

[27 [

Si Sponsa facultatibus adversitate Fortunæ destituereiur, ut Dotem afferre non posset, Sponsus eam ducere non obligatur, ut deducitur *ex cap. quemadmodum juncta glossa de Iur. jur.* 23

[28 [

Si conditio accessit Sponsalibus, ea non impleta, nulla ratio est, cur recedere a Sponsalibus non liceat, ob expressum Textum *in cap. de illis de cond. apposi. & cap. super eo V. eod. T. de cond. app. & cap. per tuas ib. §. ex conditionali Inst. de V. O.* 24

(29)

Si abalienato animo Sponsus appareat, adeo ut inimicus detegatur, non est alia causa dissolvendi Sponsalia requirenda, cum hæc sufficientissima sit ex *cap. 2. & ex cap requisivit 17. q. 11. cap. literas de rest. Spoliat.* 25

(30)

Morum asperitas Sponsalia dissolvit, si ita 26

visum

visum fuerit sponso, qui hanc agnoverit *cap. veniens 5. extra qui clerici, vel voventes cap. requisivit 17. q. 11.*

(31)

. Sponsus si recedat ex regione illa, ubi sponsa
27 moratur imprudente sponsa, videtur ex parte sua renunciasse Sponsalibus *cap. de illis 5. de Sponf. L. 2. C. de Sponf. L. 2. C. de Repud.*

(32)

Donata ante nuptias revertuntur ad Donatorem, Sponsalibus dissolutis ex Textu *in L. ve-* 28
terum C. de Don. ante nuptias, quem sic intelligunt *Salicetus, Aretinus in §. pen. n. 5. Instit. de Donat. Seraphinus decis. 914. n. 1. Menoch. L. 3. praesumpt. 29.*

EXPLICATIONES.

ALIÆ.

(*a*) *Sponsalia.*

DISSERTATIO I.

29 *Utrum Sponsalia necessario Matrimonium praecedant?*

TAmetsi nec fingi, nec re vera sequi ullum Matrimonium valeat, si prius de eo contrahendo conventum non sit, cum necessariò Nuptias per tempus aliquod Sponsalia praecedant *L. quaesitum 9. ff. de Spons. L. eum hic status 32. §. pen. ff. de Donat. inter virum, & uxor. can. institutum est 27. q. 2. Deuteronom. cap. 20. vers. 7. Matth. 1. vers. 18.* Nunc praesertim, cùm denunciationes sunt necessariae ex *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1.*

Ratio tamen dubitationis, ob quam libet ad exercitationem discentium Jus Canonicum, majoremque explicationem nostri Tituli, hanc quaestionem ad trutinam revocare, haec est, Numquid si Sponsus declaret animum suum Puellae, futurum nimirum, ut eam ducat in uxorem: Illa vero tacuerit, nec Sponsae fidem dederit, declaraveritque quid sentiat, Sponsalia contracta censeantur; & si sequatur Matrimonium, nunquid dici possit, Sponsalia Matrimonium praecessisse?

Statuendum est. Quod, si in Sponsalibus unus promittat, alter verò, neque tacite, neque expresse repromittat, nec verè Sponsalia fiunt, & neuter obligetur, adeòque ex hoc genere promissionis non mutuae, effectus Matrimonii conse-
30 quens non erit, cum liber sit, qui ita spondet, a contrahendis nuptiis.

Quae Conclusio est contra *Sanchez L. 1. disput. 5. dub. 2. contra Enriquez. L. 11. de Matr. cap. 13. n. 2. Ludov. Lopez. tom. 2. Instrut. materia de Mat. cap. 36. §. perdendum est, aliosque.*

Probatur I. Quia Sponsalia, de quorum consensu mutuo non constat, Sacri Canones Sponsalia non existimant, neque ut talia recipiunt *cap. un. de Sponsal. in 6. Trid. sess. 29. de Ref. cap. 13.* ergo, cum neque tacite, neque expresse repromissum est, deficit obligatio Sponsalium propria, nam non entis nullae sunt qualitates.

Probatur II. Ex *L. hae ita ff. de Sponf.* Ubi Pomponius haud improbat quidem pro absentibus Sponsalia celebrari; sed ita demum id rite, & cum effectu fieri, decernit, si (ut loquitur Textus] *scientibus iis, qui absunt, Sponsalia fiant, aut si postea ratum haberint.* Quaeso, quid hoc sibi vult, nisi repromissionem hanc, de qua in *L. 1. ff. eod.* esse penitus necessariam?

Probatur III. Ex origine antiquissima, unde Sponsalia fluxerunt. Nam ad conficienda Sponsalia mutuae stipulationes interponebantur, & 31
ex his agebatur in id, quod interesset, si Nuptiae secutae non fuissent. Hinc Sponsi, & Sponsae vetus appellatio; & licet hodie sine stipulatione, ex nudo consensu celebrentur Sponsalia *L. 4. ff. de Sponf.* retinent tamen veterem appellationem, sicuti emancipationes, licet nulla intervenerit emancipatio, idest imaginaria nulla venditio, ut perdoctè observat *Cujacius ad L. 1. ff. de Sponf.*

Haec vero formula stipulationis habetur apud *Varronem L. 5. de lingua lat. Spondere tuam natam uxorem iri? Spondeo.* Hinc, ut exemplo vetustissimo utar, *Xenophon. L. 4. Rer. Graecar.* narrat, quod Agesilaus cum Otyde Rege Paphlagonum junctis dexteris pactus est de nuptiis filiae Otydis, *ille*, inquit, *ut filiam daret, alter ut duceret, spoponderunt*; ac propterea jure optimo suspicabatur Franciscus Connanus in *Comm. Iuris Civilis L. 8. cap. 2. n. 1.* Sponsum, & Sponsam dixisse veteres, quod a propriis parentibus alter alteri sponderetur, neque enim Sponsalia, aut Matrimonia valuisse, nisi de Parentum consensu. Nonnunquam de tali mutua pactione conficiebatur instrumentum, unde Juvenalis *Sat. VI.*

„ Si tibi legitimis pactam, junctamque
„ tabellis
„ Non es amaturus

Omnia haec aperte demonstrant, quam necessaria foret in Nuptiis repromissio, unde, cum & pactum fit duorum in idem placitum consensus, pacta saepe dicitur Sponsa Juven. *Sat. 6.*

ut fu-

ut supra, Ovidius *in Epistol. Hygripices*
- - - nec pacta Marito
Intravi Thalamos Matre Parente novos.
Cicero *V. ad Atticum: nec dubitat, cujus filio pacta est Arthabaldis filia, & Arnobius L. 4. adversus gent. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationis Sponsas*.

Imò adhibebantur ad Sponsalia concilianda Proxenetæ, &. Auspices, qui & pronubi, & Paranymphi dicti sunt, Juven.
- - - Veniet cum signatoribus auspex
Ovid. *Epist. 6.*
Non ego sum furtim tibi cognita, pronuba Juno.
Adfuit

De quibus Paranymphis mentio fit *in can. aliter 30. q. 5.*

Convivium post eam conventionem mutuam adhibebatur, ut colligitur ex Cicerone *Epist. 2. ad Quint. Fratr. Ad 8. Idus April. Sponsalia Crassipedi prabui: huic convivio puer optimus, Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus erat, defuit*. In hoc Convivio unus Auspicum, quod conventum erat, aut proferebat, aut recitabat, *Martian. Capella L. 2. sub fin. tunc exurgens Virginis Mater sojeit de Jove, Superisque cunctis, uti sub affectu quicquid Sponsalium nomine praparaverat, Majugens traderetur, ac demum Dos a Virgine non desjet, tuncque tabulas, ac Papiam Poppaam Legem ferent recitari*.

Nunc, ut paucis tam multa complectar, quamquàm similes diligentiæ his temporibus exoleverint, discimus tamen ex ritibus hisce antiquorum, parum fuisse, Sponsum voluntatem suam contrahendi nuptias ostendisse, nisi etiàm de Sponsæ consensu, & acceptatione constitisset, ex quo licet inferre, unius promissionem non constituere Sponsalia, sed utriusque assensum præcedere Matrimonium, oportere.

Probatur IV. Quia Sponsalia sunt Contra-
32 ctus correspectivus (ut dicunt) cui tacita conditio inest, ut vel utrinque par obligatio contrahatur, vel neutra ex parte: Quæ Propositio facilè demonstratur.

Quod Sponsalia sint correspectivus contractus, patet; habent enim correspectivuam pactionem. *Facio, ut facias*, & contrariam conditionem includunt; *Si non feceris, nec facio*, patet ex *cap. tua de Desponf. impub.* ibi: *consensu mutuo accedente*; patet, quià si Sponsus non adimpleat, exequaturque, quod fuerit pollicitus, alter ab eo recedere, potest impunè *cap. de illis de Sponf. L. 2. C. de Sponf.*

Quod est maximum, potissimumque indicium, an contractus sit correspectivus, cum nimirùm, una obligatio corruit, altera deficiente; quod et forensium rerum magistri sæpè inculcant, *Gratian. discept. forens. cap. 273. n. 15. & cap. 692. n. 37. & cap. 717. n. 14. & cap. 759. n. 10 & cap. 786. n. 19. Rota Romana P. 2. divers. decis. 278. n. 3. & post Urceol. de Transf. decis. 93. per tot.* aliique passim Doctores.

Atqui hoc posito, intelligi non potest, quomodo repromissio in Sponsalibus necessaria non sit. Videmus enim, in contractibus correspectivis unius obligationem non sufficere, expresso Textu *in L. celsus 2. ff. de Rescind. Vend. vers. nam quod Aristo*, quem expendit *Oinotomus ad Inst. L. 2. Tit. 21. n. 4.*

Ergò, si promissio in Sponsalibus mutua non sit, ne ille quidèm, qui promiserit, obligatus remanet.

Probatur V. Quià Sponsalia sunt prævia ad Matrimonium contrahendum; idem igitur Juris in Sponsalibus, atque in Matrimonio statui, 33
oportet, argumento Textus *in L. 11, qui cum telo C. ad L. corn. de Sic. -- L. si quis necandi infantis C. eod. Tit. -- L. quoniam C. ad L. Juliam de vi cap. mulieres in fine de sent. excom. L. Ordinarii C. de Rei Vend.*

At Matrimonium constat claudicare nequaquam posse, sed vel utrinque, vel nulla omninò ratione valere, oportere. Hinc quià metus tollit eum consensum, qui exigitur, Matrimonium vi, metuque initum frustrà initum, dicitur *in cap. ad id de Sponf.* & consensum idcircò mutuum exigi, habetur *in cap. tua de Sponf.*

Probatur VI. *Ex cap. tua nos 26. de Sponf.* ibi: *diximus, quod si res ita se habuerit, videlicet, quod ille eam non propofuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in pradictam personam, non debet ex illo facto Conjugium judicari.*

Probatur VII. Quià promissio futurarum Nup- 34
tiarum est onerosus contractus. *Facio, ut facias*: ergò habet implicitam tacitam conditionem; si alter similiter se obliget; nam, qui Sponsalia côtrahit nil aliud profitetur, nisi hoc, *volo contrahere Matrimonium*. Cum autèm verbum *volo* adjungitur actui, qui pendet ex duorum voluntate, minimè disponit, ponitue in esse (ut dicunt) ut argumentatur glossa in *L. in vendentis vers. in vendentis in fine C. de Contr. empt.* quià verba ad contractum spectantia juxta ipsius naturam intelligenda sunt, *L. si uno ff. locati L. si stipulatus ff. de usur.* ergò unus tantummodò Sponsus, si promittat, se velle nuptias contrahere, sese non obligat.

Probatur denique; quià tollit omnem dubitationem hæc consideratio. Post Concilium Tridentinum, a quo clandestina conjugia sublata fuerunt, non amplius contingit, ut, si quis rem habeat cum Puella, Matrimonium contractum censeatur, *sess. 24. cap. 1.* Nihilominus ante hanc Sanctam Synodum Matrimonium hoc præsumptum admittebatur. Et tamen etiam hoc Matrimonium Sponsalia præcedentia exigebat cum Puellæ, Virique consensu, ut patebit expendenti Textum in *cap. 11, qui fidem, in cap. veniens, in cap. consultationi hoc Tit. in cap. per tuas in cap. de illis de Cond. app.* ergò ex tam multis argumentis, non videtur, ulius dubitandi locus relinqui, utriusque obligationem ante

Nuptias esse necessariam, unumque Sponsum non esse obligatum.

Imò vix concipi potest, etiam si daretur unum esse obligatum, quomodo si deducenda est in Domum Sponsa, si in facie Ecclesiæ contrahendum, si de Dote agendum præcedenti tempore, contracta Sponsalia non sint.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicitur I. Textus difficilis *in cap. veniens* 15. *de Sponf.* in cujus specie planè Sponsalia Matrimonium non præcesserunt. Casus hic est: Quidam pernoctavit apud domum vicini sui; ejus vicini filia nocte illa cum hospite concubuit: Pater hospitem filiamque simul inveniens in lecto, ipsum per verba de præsenti eam desponsare coegit. Pontifex decernit, si metus gravis non fuerit, tale Matrimonium esse validum. In hoc casu, nulla (ut apparet) præcesserunt Sponsalia, ergo corruit sententia, quam defendimus.

Respondetur, quod, si Pontifex factum Patris approbavit, non temere, sed summa ratione

35 approbavit, & constanter asserimus, juxta seriem hujus Textus Sponsalia ante Matrimonium fuisse contracta. Nam Pater, ut suo honori prospiceret, agnoscens futurum, ut maculas abstergeret ignominiæ per subsequens Matrimonium, vim aliquam intulit Juveni, ut ab eo primum Sponsalia extorqueret, tum ad verba, *ego te accipio in meam*, deventum est; nam facilè intelligitur, quomodo minùs perterritus adolescens, licet non gravibus, injuriæ quoque illatæ conscientia stimulante, adhæserit protinus petitioni Parentis, ut eam acciperet, & se declaraverit, eam *velle accipere*; In qua voluntate Sponsalia continentur; posteà verò effectus Matrimonii per verba de præsenti est consecutus. Ergò in hoc textu Sponsalia præcessisse, omninò statuendum est.

Objicitur II. Si taceat Sponsa, dum Pater pro ea contrahit, Sponsalia juxta textum *in cap. 1. §. ult. de Desp. impub. in 6.* contracta censentur valide; Et tamen re vera filia se ipsam ob hanc taciturnitatem non obligavit; ergò si Matrimonium deindè contrahat, carebit hoc Matrimonium præcedentibus Sponsalibus ex parte filiæ. Minor Propositio probatur.

Quia tacens censetur consentire in sui favorem, non in sui præjudicium, ex *regula, qui tacet de Reg. jur. in 6.* quam sic expendit *Covarr. L. 3. Var. cap. 15.* Quare ut Sponsus Sponsæ tacenti se obliget, id quidem silentium operabitur; non tamen ex adverso, ut Sponsa tacens se obliget Sponso.

Et adeò verum est, ex silentio Sponsæ non posse ad ejusdem obligationem argui, ut si alter etiàm consanguineus, præter Patrem, pro Puella tacente velit contrahere Sponsalia; nequidquam id agatur: est enim hoc solus Parentis Privilegium ex Textu eleganti in *cap. ex parte de Restit. Spoliatorum*, quem ad hoc considerat vir immortalis memoriæ *Gonzalez in cap. ult. de Rest. Spoliat. n. 5.* Quis ergò poterit inficiari, nonnunquam Matrimonium carere Sponsalibus præcedentibus, illis nempe, ex quibus uterque sit obligatus vicissim?

Pro resolutione gravissimæ hujus difficultatis, planè fatemur, in re tam gravi, ut 36 sunt Sponsalia, silentium Puellæ minus inducere obligationem, de qua quærimus; & asserimus, obligatam censeri filiam, si Pater pro ea contrahat; ratione speciali, quod nempè Parentes plus filios, quàm se ipsos diligunt *L. isti quidem 8. ff. de eo, quod met. Cauf.* quare præsumitur, eosdem rectè, & salutariter Filiæ utilitati prospicere; nec propterea quidquam refert, an filia præsens sit, & taceat. Quare hoc idem ad Matrem extendi, docuit Sanchez *L. 1. disp. 23. q. 2. n. 9.*

At verò si alii velint contrahere Sponsalia, dum tacet Puella, desiderabitur aliud signum exprimens internum consensum, ut valeant Sponsalia ut eleganter distinguit Sanchez *ubi supra num. 7.*

Ex quo argumentum quiescit; nam sive Pater, sive alter contrahat pro Puella tacente, modis nuper explicatis, ex utroque latere vera consurget obligatio, ac proindè falsum est adversariorum assumptum, quo contendebant, futurum Matrimoniū carere præcedentibus Sponsalibus.

Objicitur III. Sponsus quotiescumque tacenti Puellæ declaraverit animum suum eam ducendi, etiam absque acceptatione remanet obligatus; ergò, si matrimonium sequatur, Sponsalia ex parte Sponsæ defuerint.

Antecedens hoc modo demonstratur: simul ac aliquis ait, *volo te ducere*, remanet obligatus, quia verbum *volo* inducit obligationem, ac disponit, *§ verba autem inst. de sing. rebus per fideicom. Rel. L. 1. ff. Mandati* - ergò etsi Sponsa assensum nondùm præstiterit adhuc tamen obligatus est Sponsus, & tamen cum hæc integra, ac perfecta Sponsalia non sint, Sponsus suæ obligationi satisfaciet, ducendo Puellam, neque vera Sponsalia Nuptias præcesserint.

Respondetur, hanc Sponsalium obligationem esse mutuam, & correspectivam, & pactionè hac, illa conditio clauditur: *Si non feceris, nec faceo*. Qui igitur promittit, non vult alia quapiam conditione semetipsum obligare, quàm si alter quoque, cui promittit, obligetur.

Objicitur IV. Nuptiæ inter legitimam ætatem contractæ Sponsaliorum jure sustinentur *cap. 1. 1. §. 1. de Desponf. impub. in 6. cap. a nobis 8. cap. ult. eod. Tit.* Ergò tales Nuptias Sponsalia non præcesserant, undè infertur etiam, quod, si ætas illegitima non obstitisset, valuisset sine Sponsalibus Matrimonium.

Respondetur perperàm inferri, eò quod Nuptiæ invalidæ in vim Sponsalium sustineantur, ante Nuptias Sponsalia non esse necessaria. In quo observandum insigne discrimen inter

Jus

Jus Civile, & Canonicum, Jure Civili attento Nuptiæ inutiliter contractæ, nec Jure Sponsalium sustinentur; Jure Pontificio inspecto tamquàm Sponsalia consistunt.

Sed observandum insuper Textus oppositos de impuberibus inutiliter Matrimonio se jungentibus, verba facere; jam vero in ea etate, quæ consilii, perfectæque cognitionis, utplurimum, est expers, impuberes nihil de Sponsalibus cogitarunt, ut supponimus, præsumitur autèm eò quod se invicem tam mutuo affectu pertractaverint, facilè contracturos fuisse Sponsalia, si ipsi agnovissent Nuptias inutiles esse; ideò inutiles Nuptiæ resolvuntur in Sponsalia, quod tamen Jus Civile non admittit L. *quæsitum 9. ff. de Spons.* Verum quòd in opposita difficultate deducitur in consequentiam, nimirum, si ætas illegitima non obstitisset, valituras Nuptias fine Sponsalibus, non magna contentione opus est, ut huic illationi occurratur. Nam ex hypothesi impossibili nihil sequitur.

Objicitur V. Acceptatio Sponsæ, non est necessaria, ut probatur ex *cap. veniens extra qui Clerici, vel voventes*, ubi promissio Matrimonii absenti facta ponitur tamquàm valida, & constat ex litera Textus, nullum absentis nomine acceptasse, *bis mulier cuidam viro absenti fide data, se nupturam promisit*. Ergò Sponsus tantummodo obligationis vinculo adstrictus remanet, nec propterea opus est, ut verè mutuus consensus accedat.

Sed Resp. est, nullo Jure probari posse, quin in contractibus correspectivis, cujusmodi Sponsalia sunt, acceptatio exigatur, ut ostendit *Sanchez disp. 6. de Matr per tot.* Textus verò oppositus optimè a Glossa *ibid.* explicatur, ad quam recurrendum monemus *verbo promisit*.

(*b*) *Futuri.*

DISSERTATIO II.

Utrum recte, etiàm Matrimonium, Sponsalia de præsenti vocetur?

37 Jus Canonicum Sponsalia de præsenti vocat Nuptias; Id an jure fiat, fortassis dubitabitur. Haud iniucundam, nec prorsus inutilem hanc inspectionem existimavi. Quo circa hac de re sermonem habere, & in hoc argumento versari, constitui.

Et licet prima specie hæc Quęstio non rei, sed nominis videatur; attamen secus est, si diligentius recogites. Nam finge, statutum aliquod disponere, ut pręmortua uxore vir Dotem lucretur, si Sponsa de præsenti erit uxor (ut planè est) locus erit acquisitioni Dotis. Et alia hujus generis deduci possunt, atque inferri, quæ continent plurimas utilitates, ut mox apparebit.

Primo igitur statuendum est, Sacros Cano-
38 nes Matrimonium ratum frequenter Sponsalia de præsenti appellare.

Hoc vero manifestum redditur, *ex cap. sicut 21. ex cap. penult. de Spons. ex cap. tertio loco 13. de Probat, ex cap. 2. §. ult. de Sponsa duor. ex can. desponsatum, ex can. coniuges 27. q. 2. Grattianus in can. sic quippe 45. §. ex his 27. q. 2. Clem nt. un. de Cons. cap. ult. de Frig. & Malef. cap. per tuas extra qui filii sint legitimi, cap. 1. et 2. de Matr. contr. contra interd. Eccl. can. si quis desponsatn 27. q. 2. can. ge- nuit ead Caus & quæst.*

Rationem autem talis appellationis sivè eam primò introduxerit Jus Canonicum, ut quidam putant, sive antiquior sit, utpotè profluens ex auctoritate irrefragabili Divinæ Scripturæ, undè Beda super Leviticum (*si quis Sponsam alterius violaverit &c.*) Sponsam uxorem dixit, & habetur *in can. juxta 27. q. 2.* sivè etiam dimanet a Jure Civili, ut vir ille summus Anton. Faber *in Jurisprudentia Papinianea Tit. de Nupt. Princ. 5. illat. 1.* docuit, quamquàm dissentiant *Harprect. ad Rubr. de Nupt. 2. 5.*

Hanc, inquam, rationem esse, existimo. Quia cum Sponsalia a spondendo dicantur, quippè a spondendis uxoribus dicta sunt *L. 1. & 2. ff. de Sponsal. L. Sponsio ff. de V. leg. can. nostrates 30. q. 5.* plane simul ac, de præsenti convenit inter utrumque, quæ conventio Matrimonium ratum dicitur, futura traditio corporum, promittitur. Quidni igitur hæc promissio nomine Sponsalium enuntiat? -- haud immerito illa uxor, vocatur, ad quam post nuptialem benedictionem, & solemnitatem vir accesserit, antea vero Sponsa appellatur, *cap. ex publico de conversion. coniug.* notat *Covarr. in cap. 1. de Spons. n. 4.* & deducitur ex Textu in *L. eum in se 6. C. de Don. ante nuptias.*

Quo circà rectissimè, summoque jure Nuptiæ Sponsalia de pręsenti vocantur. Hinc multa deciduntur, et ex hoc veluti principio quodam, pendent, ac proficiscuntur hujusmodi illationes, quæ variis quæstionibus decidendis ad usum quoque forensem asservire possunt.

Primo infertur, *Clementinam unicam T. de Cons. & affinitate*, dum profert excommunicationem adversus Affines, ac Religiosos contrahentes Matrimonium, extendi adversus eos, qui in hoc statu celebrant Sponsalia de præsenti. 39

II Infertur Decretalem Pontificis in *cap. 3. de Sent. excommunicationis ad finem vers. hec illa*, Dum excusari decernitur, maritum percutientem Clericum inventum cum uxore, extendi ad percutientem Clericum inventum cum sua Sponsa de pręsenti -- Nam vere cum illa committitur adulterium, & Marito conceditur accusatio *L. si uxor in principio ff. ad L. Jul. de de Adult.* eleganter *Cujac. L. 6. Observat. cap. 16.* explicans hanc legem, & Textum in *L. propter C. ad Leg. Jul. de Ad.*

III. Infertur, Inquisitores hæreticę pravitatis, qui procedunt contra celebrantes binas Nuptias, 40
eodem pacto posse procedere contra celebrantes

 semel

semel, atque iterum Sponsalia de præsenti, vivente adhuc prima Sponsa. *Transmiera L. 1. de Polyg. q. 3. in fin.*

41 IV. Infertur, legatum, sub nubendi conditione relictum, deberi, utprimum contractum Matrimonium fuerit, licet necdum fuerit consumatum L. *eum fuerit ff. de cond. & demonstr. Mancinus in Differt. tripl. dist. 10. cap. 5. n. 78.*

42 V. Infertur ad statutum, de quo initio cæpimus pertractare: Infertur, inquam, nihil prohibere, quo minus contractis Sponsalibus de præsenti, si mortua uxor fuerit prius quam traducta, aut cognita, lucrum Dotis viro deferatur. Nec ratio deficit, quia Nuptias non concubitus, sed consensus facit L. *Nuptias ff. de Re. Jur.*

Quare juxta Concilium Trid. *sess. 24. cap. 1.* illa verba: *ego vos in matrimonium coniungo*, quæ profert Parochus, ita accipimus, ut Parochus non tam coniungat, quàm coniunctos declaret.

Sed, si accuratius mentem statuti placeat introspicere. Cur, obsecro, statutum de lucranda Dote introductum? Nisi, ut facilius homines ad procreandam sobolem, replendamque Civitatem alliciantur? L. 1. *ff. soluto Matr.* Ergò, si statutum favorabile est, meretur extensionem, expresso Textu in L. *hoc modo ff. de cond. & Dem.*

Neque adversatur I. quod statuta in propria significatione sint accipienda L. 3. §. *hac verba ff. de Neg. g. st.* Jam verò nomine propriæ uxoris cognita uxor intelligitur, *cap. ex publico de convers. coniug.*

Resp. ratum quoque Matrimonium Sacramentum esse. Nec verò potentior Statuti significatus, ex minori, majorique perfectione inducitur, sed ex verbi ipsius potestate. En exemplum. Si Statutum de homine quiddam disponat, an non continebitur, qui claudus, qui gibbosus, qui distortis, divaricatisque cruribus aliquam præseferat imperfectionem? Jam verò cum tàm ratum, quàm consumatum Matrimonium verum sit, propriumque Matrimonium, facile percipitur, cur Statutum ad Sponsam de præsenti benigna interpetratione debeat extendi, ac protrahi.

Obiicitur II. Textus in *cap. debitum de Bigam.* ibi: *cum non pertineat ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium est contractum &c.*

Hinc sola copula Matrimonium facere videtur, *cap. significavit de eo, qui duxit in Matr.* L. *uxores* L. *liberorum ff. de his, qui not. inf.*

Resp. planè deficiente copula Matrimonium, hoc est integra Matrimonii significatio, non est. Nam Sacramentum Matrimonii triplicem habet

43 significationem. I. significat gratiam invisibilem, sive coniunctionem Christi cum anima, II. coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem, III. coniunctionem Christi cum Ecclesia per Naturę conformitatem. Ex quibus Matrimonium ratum habet solam primam significationem; sed hęc sufficit ad constituendum verum Sacramentum; at ea non facit Matrimonium insolubile, nam illa coniunctio Christi cum Anima non est insolubilis, hæc omnia. *Bellarmius de Sacramento Matrim. L. 2. de Monach. cap. 38.*

Obiicitur III. Ulpian. in L. *si quæ mibi uxor* §. *inter ff. de ritu Nupt. & Iust. in* §. *sed si uxor inst. de Nupt.* ubi nec Sponsa Patris noverca proprie est; nec Sponsa filii proprie nurus est.

Resp. Jure Civili, utplurimum non solere nomine Sponsæ intelligi uxorē; et ideo distinguit nuptam ab uxore, quod nupta ea dicatur, cum qua sunt Nuptiæ quidem celebratæ, sed nondùm consumatum Matrimonium est. L. *cum fuerit ff. de Cond & Demonstr.* Cæterum hac super re notandi sunt Textus in L. *nuptias 40. ff. de Reg. Jur. in L. Deo Nobis 56. C. de Episcop. & Cleric. in L. unnica* §. *igitur C. de Rei uxor act.*

Aliæ quidèm difficultates non desunt; sed perexigui momenti sunt, & ex responsionibus traditis per se concidunt. Aliter tamen sentit Cancerius P. 3. *Var. Resol. n. 118. fol. 231.* a quo tamen recedit Harprect. *ad* §. *Nuptia inst. de Patr. Pot. n. 25. aliique plures ab eo enunciati.*

[c) Malitia.

DISSERTATIO III.

An in Sponsalibus contrahendis malitia suppleat ætatem? 44

Ad explicationem hujus partis Tituli nostri, e re esse existimo, id quoque in controversiam revocare, nulla enim facilior ratio in Legum disciplina tradenda, quàm in utramque partem disputando, quid veriu sit, indagare. Nec sim reprehendendus, si variam explicandi rationem tenuisse, videbor; nam, & varietas 45
tedium minuit, et satietati succurrit, neque ego mihi proposui certam in his explicationibus methodum servare.

Nam solas explicationes si quis recusat legere, non propterea principiorum Juris Canonici cognitione vacabit; potissimum enim consilium nostrum fuit, rudimenta Legum Ecclesiasticarum proponere. Si quid verò obscurum, indictumque videbitur, poterit ex his quęstionibus luminis tantum mutuari, ut eo, quo cupit, facile valeat pervenire: addo etiam, expletam, perfectamque cognitionem potiri.

Aggrediamur igitur ad ea, quæ proposita initio fuerunt: Quærimus utrum Infans, qui propter nimiam ingenii maturitatem, quod ætatem prætervolare videatur, ante septemnium eadem vi utitur intelligendi, quam datur observare, in aliis qui superarunt septemnium, Sponsalia recte contrahere possit, quod vulgò dicunt, *malitiam supplere ætatem.*

Affirmativa sententia, quæ ad mentem Canonum est, defendenda: 46

Quam-

Quamquàm ad partes negantium accesserit *Fachineus L. 3. contr. cap. 26. Panormitanus in*
47 *cap. juvenis 3. de Sponſ. Harprectus in rubr. ad Tit. de Nupt. Narbona de ætate anno 7. q. 10.*

Probatur I. Ex *L. in Sponſalibus 14. ff. de Sponſal.* ubi Modeſtinus ait; a primordio ętatis Sponſalia effici poſſe, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligitur.

Nec ſatis occurrit huic auctoritati *Harprectus loco citato, & Germonius L. 2. animad. cap. 6.* dum conſidetat, Juriſconſultum addete hæc verba: *ſi modò non ſint minores, quam ſeptem annis*. Nam verba hęc referenda ſunt ad ea, quæ frequentius accidunt; ſępe ſępius namque infantes, ante illam ætatem perfectum judicium, & rationis uſum non habent *L. Fulcinius §. planè ff. ex quibus Cauſ. in Poſſ.* At ſi prudentia ætatem prævenerit, a primordio ætatis Sponſalia effici poſſunt, & hic eſt genuinus Modeſtini ſenſus.

Probatur II. Quia cum Sponſalia ſint via, & diſpoſitio ad Matrimonium, eo ipſo, quòd Jus diſpoſuit, in Matrimonio malitiam ſupplere ætatem *cap. de illis de deſponſat. imp.* cenſetur idem in Sponſalibus diſpoſitum, *L. Oratio ff. de Sponſ.*

Nec ſatis reſpondet Harprectus, dum conatur diſcriminis rationem aſſignare; quod nempè per Sponſalia non fiat ſobolis procreatio; at verò, dum aliquis idoneus repetitur, etiam ante legitimam ætatem ad generandum, a Matrimonio non eſt repellendus *L. 1. ff. ſ. ſol. Mart.*

Id, inquam, non adjuvat ſententiam Harprecti; Nam procederet reſponſio, ſi quod in
48 Matrimonio dicitur, *Malitiam ſupplere ætatem* reſpiceret generandi poteſtatem tantummodò; At verò ſecus eſt, quià in *cap. fin. de Deſponſ. impuber.* hæc malitia nuncupatur *prudentia*, neque injuria id quidèm ad ſignificandum, quod, ut impuberes rectè contrahant, neceſſarium eſt, in eis ſitam eſſe prudentiam, diſcretionem requiſitam ad conſenſum conjugalem *cap. continebatur de Deſponſ. impub.* Cęterùm etiam ſine copula Matrimonium conſiſtit, et eſt vere Sacramentum. Quocirca ſicut conſenſus ſufficiens exiſtimatur in Matrimonio, dum prudentia præcurrit ætatem, ità etiàm in Sponſalibus; Imo multo magis in Sponſalibus id admitti poteſt, quàm in Matrimonio; Nam Sponſalia facilè diſſolvuntur propter modos tam multos a Jure præſcriptos; At Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile.

Probatur III. Hac ratione: Ubicumque enim deficit ratio prohibitionis, ibi quoque deficit ipſa prohibitio; ſed in eo, quem conſtat, ante ætatem præditum eſſe uſu rationis, ratio deficit, ob quam infantibus Sponſalia interdicuntur, ergò in eo, in quo malitia ætatem ſuppleat, deficit quoque ratio prohibitionis.

Probatur IV. quia *Eugenius III. in cap. juvenis 2. de Sponſ.* ait ex Sponſalibus cum Puella nondùm ſeptemni a Juvene contractis oriri impedimentum publicæ honeſtatis, conſonat, *cap. un. de Deſp. impub. in 6.* Quod impedimentum ideò natum fuit quia Sponſalia valida fuerunt, ut ex ejuſdem Eugenii verbis colligitur, ibi: *Quia ipſa conjux ipſi eſſe dicitur*. Atqui nulla excogitari poteſt cauſa, cur infra ſeptemnium valida fuerint Sponſalia, niſi quia Malitia ſuppleverit ętatem; ergò veriſſima Concluſio eſt, quam tuemur.

Probatur V. quià veriſſimum quidem eſt, quod Jura conſtituuntur de illis caſibus, qui frequenter accidunt, & ut plurimum ità ſe habent, *L. 3. 4. 5. 6. ff. de Legibus*. At hoc animadvertendum, an Leges, quæ ſeptemnium præſcribunt, excludant caſum, in quo aliquis ante egreſſum ab infantia ſatis intelligat. In hoc ſitum eſt præcipuum fundamentum noſtræ aſſertionis, ut arbitremur, Leges, Canoneſque caſum hunc comprehendere. Nam non tàm lex, quàm mens Legis inſpicienda *L. non poſſunt 11. ff. de Leg.* mens Legis illa fuit, nec quiſquam inficiati poterit, dum præſcripſit ſeptemnium, ut contrahentes habiles eſſent, atque idonei, ad exhibendum conſenſum. Cur ergò, ſi malitia ſuppleat ætatem, non arbitremur menti legis eſſe ſatisfactum? Et adeò verum eſt, mentem Legis introſpiciendam, ut quamvis Lex ſeptemnio contenta ſit; quia tamen ejus mens eſt habilitas ad conſentiendum: ſi forte major ſeptemnio, adhuc pleno judicio careat, Sponſalia ab eo contracta non valeant. *Gonz. in cap. acceſſit de Deſponſ. imp. ſub n. 3.*

Hinc ſequitur, quòd cum Pater Sponſalia poſſit pro infante contrahere filio ſuo, ex Textu, quem ad hoc expendit *Fagnanus in cap. tua de Deſponſ. impub. ib. n. 5. & 6.* dummodò poſtea filius ratificet; poterit ratificare ille infans, cujus ętatem malitia ſuppleverit.

Sequitur cognitionem malitię ad Epiſcopum pertinere, prout de Matrimonii caſu firmat 49
Fagnanus *ibid.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

I. *Obſtat*, quod hæc præſumptio, in infante non reperiri habilitatem ad conſentiendum, eſt preſumptio Juris, & de Jure; quia ſuper hac preſumptione Jus aliquid ſtatuit, & quandò ſuper preſumptione Jus ſtatuit, præſumptio vocatur *Juris, & de Jure*. Statuit autem Jus, Sponſalia ab infantibus irrita eſſe. Atqui præſumptio Juris, & de Jure non admittit probationem in contrarium, L. *antiqua C. ad S.C. Vell. L. fin. C. arbitr. Tut.* Ergò ſi quis nondùm expleto ſeptemnio Sponſalia contraxerit, & pro validitate litigare velit, non audietur in Judicio.

Reſpondetur, tantummodò eſſe preſumptionē Juris, & de Jure, ſi quis infra ſeptemnium eo caſu contraxerit, in quo non appareat de habilitate ad conſentiendū. At verò ſicuti argumentum oppoſitū, quicquam non urget in caſum, in quo ultra ſeptemnium Sponſalia contracta fue-

rint,

rint, pari ratione quicquam non urget, si casum attendamus, in quo aliquis ante tempus, idonei intellectus reperiatur. Leges enim, Canonesque præsumunt inhabilem ad contrahenda Sponsalia infantem destitutum sufficienti voluntate, non eum, qui naturæ beneficio, jam vivido ingenio sit, habilisque ad contrahendum

II. *Obstat* Quod admissa nostra Conclusione, vitari non potest manifestum inconveniens. Sequitur enim, quod cum Sponsalia firmentur utplurimum Juramento, infans jurare valide poterit; cum tamen ridiculum sit id asserere. Alioquin, quid responderi potest ad Textum in *can. parvuli*, *in can pueri* 22. *q.* 5. qui Canones, a Juramento excludunt infantes?

Sed hoc argumentum facile dissolvitur. Nam neque octo, neque novem anni sufficiunt ad Juramentum; sed cum maximo vinculo jurantes obstringantur; summa ratione Leges, & Canones aetatem majorē in juramento exposcunt *can. honestum* 22 *q.* 5. *Auth. Sacramenta puberum C. si adversus vend. L. fin. ff. de Liber. caus. cap.* 1. *de Delict. puer. L. jus jurandum* §. *pupillo ff. de Jurejur.*

Neque obstat Textus *in L. qui jurasse* 26. *ff. de Iur. jur.* ibi *qui jurasse dicitur, nihil refert, cujus sexus, ætatisque sit*; Nam, cum ibi tractetur de Juramento in Judicio delato, non de ea ætate intelligendus est Jurisconsultus, ut aliquis gressus movere nondum sciat, possitque, propter immaturitatem, atque infantiam; sed de ea ętate, per quam aliquis standi in Judicio personam substinere legitimam valeat; atque ita Jurisconsultus intelligendus, rejecta interpretatione Narbonę, quam, si serio considereres, difficultatem non removet, *in tract. de atat. Anno* 10. *q.* 11. *n.* 2. Quare argumentum oppositum, dum nimis probat, nihil probat, & ratio discriminis patet.

III. *Obiicitur*. Si præcox ingenium ad Sponsaliorum contractum admitteretur, adeoque, si a præscripto Legum foret recedendum, quę ratio afferri potest, cur non etiàm liceat ante quatuordecim annos testari? Cum tamen id diserte neget Ulpianus *in L. qua ætate* 5. *ff. qui testamentum facere poss.* etiam si tutoris intervenerit auctoritas L. 1. §. 1. *ff. de Tutel & Rat. distr.* Imò licet malitia suppleat ætatem; attamen prematura discretio non sufficit L. *nemo potest ff. de Leg.* 1. L. *neque ex pratorio ff. de Reg. Jur.* L. *qui per salutem ff. de Jur.* Cur ergò diversa judicia sint in Sponsalibus?

Equidem exigui laboris est hujus generis argumenta enodare. Sunt quidam actus, qui multùm exigunt prudentiæ, multumque judicii, quos expedit, ab omni procul esse ambiguitate; tale est testamentum, quod testatio mentis est supremum, ultimumque mentis judicium L. *mater ff. de Inoff. Test.* L. *vel negare ff. Testamenta quemadm. aper.* L. *un. in Princ. ff. de Bon. Poss ex Test. mil.* in eoque agitur de dispositione in perpetuum valitura, quamobrem judicium stabile, solidumque exigitur L. *ult. C. de Test. mil.* Non mirum propterea, si tam sollicitę sint Leges, ne Testamenti valor in ambiguo sit, quippè quo nihil est in Jure favorabilius L. *in testamentis ff. de Reg. jur.*

Quamquàm; non adeo rigorose hęc accipienda sunt, ut nullo casu malitia ętatem supplere possit. Quin imo contrarium firmissimè probat Benedictus Pinellus L. 2. *select. cap.* 10. *n.* 50. nec tamen negaverim, communem sententiam docere, quod malitia ętatem supplere nequeat requisitam ad condendum rite, & valide testamentum, prout pleno calamo firmat Narbona *ubi supra*.

(*d*) *De veterum.*

DISSERTATIO IV.

An, & quomodo veterum solemnitates in Sponsalibus adhibita superstitionem redolerent? 50

Quoniam in Titulo nostro, quem propositis hisce Quæstionibus, cœpimus explicare, in eum sermonem incidimus, ut assereremus, veterum solemnitates adhiberi solitas in Sponsalibus, nonnihil etiam superstitionis involuisse, videamus, an sibi constet assertio nostra?

Nec verò difficile factu est id demostrare: si namque monumenta veterum scriptorum evoluantur, inveniemus, quod, ubi virgo futuro viro spondebatur, ipso Sponsaliorum die, signatoribus, & auspicibus duobus Nuptias castas, & legitimas auspicabantur noctu, atque id cavebatur, ne Cęli motus, aut terræ fieret, neve cęlo nubibus tecto, inquietoque die fœdus iniretur. Auspicatissimum autem signum arbitrabantur esse cornicem, tamquam fidei conjugalis indicium. Qui pro Marito auspicabatur, auspex, idest Paranymphus, quę pro uxore, pronuba dicebatur. His peractis, qui Sponsam ducturus erat, Sponsam non proprio, sed benè fausto, atque ominato appellabat nomine, & vicissim Sponsa suum Sponsum; quemadmodum, & Virgines Vestæ consecrandas Pontifex Maximus cum caperet non suo nomine, sed *Amatas* vocare solebat. Vir ergò *Cajus*; Virgo verò *Caja* dicebatur. Quod maxime in actu Nuptiarum servabatur; Sponsa enim ad Sponsum deducta, sic profari jubebatur, *ubi tu Cajus, ego Caja*, ità scilicet paciscendo fortunarum, facultatumque omnium communionem: quasi diceret, *ubi tu dominus, ego domina: ubi tu gaudebis, ego itèm gaudebo*. Quam paritatem conjugii duobus semicirculis signarunt antiquitus, uti dexter Maritum, sinister uxorem ræpræhesentet. Hinc ortum est, ut antiqui prænomen *Cajus* C & *Caja* litera eadem inversa sic Ɔ notarint; quæ circulum junctę constituunt, eodemque mundus, conjugium, generatio, & æternitas hyeroglyphyce significabatur. Atque hanc fortasse ob causam

sam Jurisconsulti in suis scriptis quoscumque ferè viros, vel Cajos, vel Titios appellarunt. Quod & constat a Sacris usurpari interdùm constitutionibus, non tamen eo fine, quo movebantur Jurisconsulti; ne dicamus, quod absurdissimum censeretur, Sacros Canones his veterum observationibus ligari.

Nam fortè origo, cur Sponsa diceretur *Caja*, eo etiā referenda, quod ità vocaretur Tarquinii prisci Regis uxor, & ideò institutum, ut novæ nuptę ante januam Mariti interrogatæ, quænam vocarentur, *Cajam* esse se, dicerent, ut colligo ex *C. Tit. Probo in Lib. de nominum Rat.*

Ultra hæc Sponsa senis crinibus ornari solebat: sivè quòd is ornatus vetustissimus esset, seu quòd eo Virgines Vestales ornabantur, quarum castitatem viris suis nubentes spondebant, *ut Sext. Pompejus tradit* apud Rosinium L. 5. *ant. cap.* 37.

Præterea celibari hasta, quę in corpore gladiatoris stetisset, nubentis caput comebatur; ut quemadmodum illa gladiatoris corpori adhæserat, sic ipsa cum viro esset, Plutarcus *in Quæst. Rom. q.* 87. hujus moris meminit *Ovid.* L. 2. *Fastorum*.

Comat virgineas hasta recurva comas.

Epulis etiām instructis, porcum mactabant Sponsaliorum die, deducto, ex Etruria more, utque Sponso bulbi, cum nucleis pineis, erucæ succo, & pipere in nuptiali cæna dentur obsonia, servatum est, ut narrat *Alex. ab Alex.* L. 2. *Gen. dier cap.* 5. In his epulis exurgens Virginis Mater poscebat de Jove, Superisque cunctis, uti sub aspectu omnium quicquid Sponsalium nomine preparatum erat, Majugenæ tradetetur, ac demùm Dos a Virgine non deesset, tumque tabulas, ac Papiam legem Poppæam finerent recitari: ita *Martianus Capella* L. 2. *sub fin.*

His adde, nonnunquàm Sponsalia iniri solita fuisse per sortes, ut narrat *Alexander ab Alex.* L. 2. *cap.* 5.

Frequentius stipulatio intercedebat, qua secura, igné, & aquam in limine apposità uterq. tangere jubebatur, hæc enim elementa sunt primae naturae, quibus vitaconstat, victusq. cōmunis.

Apud Græcos, & Macedones panem gladio divisum Sponsi ineuntes Sponsalia gustare solebant. Item moris erat profundere per illorum capita palmaceos fructus, Collybos, legumina, caricas, nives, & id genus plura, de quibus Cęlius *Rhodig.* L. 26. *Lect. cap.* 6. ad omen quoddam fęcunditatis.

Dies denique Nuptiis celebrandis dicebatur, non sine aliqua superstitione, ut ex Macrobio constat L. 1. *Saturn. cap.* 7. *&* 16. Erant verò tres hi dies: I. visitabat Sponsus Sponsam apud ejus Parentem, diceb aturque hic dies *proaulia*: nocte apud socerum morabatur Sponsus: II. dies *apaulia* vocabatur. Luce oriente Sponsa domo Patris egrediebatur, illeque primus nuptiarum dies erat: III. dies *epaulia* vocabatur, quia vir Maritus factus, atque hic postridie nuptiarum dicebatur.

Ut ergò omnis hæc paucis complectar; si olim hæc in Sponsalibus observabantur, ne Cęlo nubibus turbato Sponsalium fædus iniretur, ne proprio nomine Sponsi vocarentur, ne crinibus inornati abirent, sed comam senis capiti aptarent, tum cælibari hasta pecterentur Sponsę. Si Epulæ relligiose instruebantur. Si per sortes, si pane gladio diviso Sponsalia celebrabantur, & capite Sponsi ad indicandam fęcunditatem rebus quibusdam perfuso. Si tandem certus mensis, ac dies Sponsalibus erat præfinitus, an non hæc omnia superstitionem redolebant?

Hoc erat a nobis explicandum; hoc executi sumus; & sanè opus in immensum excrevisset, si quæ eam in rem colligit Titaquellus, Carolus Sigonius, Brissonius, aliique peritissimi viri, in medium afferre libuisset.

Et quoniam diximus in nostro Titulo jam posse celebrari Sponsalia etiam per epistolam, quia scrupolositates illę veterum jam exoleverunt, quæ superstitioni accedebant, jam paucis explicandum, cur non liceret olim nisi inter præsentes Sponsalia contrahere? Nam & hoc præsentis Questionis est.

Optimè rem explicat Aulus Gellius L. 4. *Noct. Att. cap.* 4. his verbis: *Qui Uxorem ducturus erat, ab eo, undè ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri*; imò, ne quid in hac stipulatione error is inesset, adhibebantur Jurisperiti, qui solemnia verba conciperent, quià Spnusalia certis, ac statis verborum formulis celebrabantur, undè Concius apud *Ovid.* ibi:

Dictatis ab eo feci Sponsalia verbis,
Consultoque fui juris amore vafer.

Et a forma stipulantis, Sponsalia nomen sortita sunt L. 2. *&* 3. *ff. de Spons.*

Sed his scrupolositatibus veterum abrogatis, majori libertati consultum est, neque jam prohibetur quisquam in absentia, per nuncium; per Procuratorem, per Epistolam Sponsalia celebrare L. *sufficit* L. *in Sponsalibus* L. *ult. ff. de Spons.* L. *quid ergò* §. *de his ff. de his, qui notantur infamia.*

Apparet promoè, quòd cum olim, ne latum quidem unguem, a certis verbis discedere liceret, omninò inter præsentes erant Sponsalia celebranda. Et hæc satis de veteribus Sponsaliorum ritibus.

[*e*] *Quamvis.*

DISSERTATIO V.

Cur, si arrha permittuntur in Sponsalibus, pæna adiectio improbetur? 51

Vocat explicationis ordo jam nos ad arduam, subtilem, & nondùm satis decisam controversiam,

ſtam, cur, ſi arrhæ in Sponſalibus permittuntur, pæna adiici Sponſalibus non poſſit?

Quæſtio hæc excitari ſolet a noſtris ad explicationem celeberrimi Textus *in cap. gemma de Sponſalibus*, ubi inter alia, ita summum Pontificem ſcribere apparet: *Cum itaque libera Matrimonia eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter pænę interpoſitionem eſt meritò improbanda &c.*

Simulque explicandi ſunt eadem opera Textus illi, qui arrharum admittunt conſtitutionem, nempè Textus *in cap. illud de Præſumpt. in can. ſi quis uxorem cum can. ſequenti 25. q. 2. in can. noſtrates in can. fœmina 30. q. 5.* nec non & Juris Civilis *decreta in L. fin. C. de Sponſ. in L. ſi legibus 6. C. de Epiſcop. aud. in L. ſi exempto § 11, qui vina ff. de Act. Empt.*

Cur igitur, ſi arrhæ permittuntur, Sponſalibus item pæna adiici non poterit?

Ratio dubitandi eſt, quia metus eſt perdendi arrham, ſicuti perdendi id, quod in pęnam ſolvendum eſt, ab eo, qui fidem datam non ſervat: Nulla ergò major ratio arrhas permittendi, pænam prohibendi.

Neſcio equidem, an hic locus ſit opportunus repetendi, quod eſt in L. *non omnium 19. ff. de Legib. Non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt*. Nam & pœna eſt arrha ipſa, ut eam diſertè vocat Leo Imperator in *Novella* 8. ubi agens de arrha, ita loquitur *ut propter pæna levitatem ad pactorum reſciſſionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur &c.*

Deinde magis aditum precludit inveniendę differentiæ Textus *in L. Mulier 5. C. de Sponſ. & Arrh.* ubi poſt arrhæ traditionem, in conventionem deduci poteſt duplum, vel quadruplum arrhæ. Ex quo ſic argumentari licet. Aut illud duplum, & quadruplum, eſt arrha, aut eſt pęna. Si arrha, ergò arrha in conventionem deducitur. Cur ergò non poterit in conventionem deduci etiam pæna? Si illud duplum, vel quadruplum eſt pæna, ergo adiici poteſt pœna Sponſalibus. Quod ſi pœna dupli, vel quadrupli non cenſetur officere libertati contrahendi nuptias, cur officiet pęna altera in ſtipulationem deducta?

52 Ut vera fatear diù, multumque cogitavi, an potior omnibus eſſet ſententia Gibalini, qui in L. 4. *de uſur. cap. 5. art. 3.* non veretur pronunciare, ſic eſſe diſtinguendum. Nam, ſi agatur de pęna adiicienda Sponſalibus, dum hęc celebrantur, hęc planè Sponſalibus addi non poteſt, ſi vero tractetur de pæna addenda ex intervallo, nulla ratio eſt, cur addi non poſſit. Nam poſtquam Sponſalia ſu rint celebrata adeo firma ſunt, adeoque inviolabilia, ut grave peccatum ſit ab his recedere. Quoniam ergo tam ſolido vinculo jam Sponſus obſtrictus remanſit; cur & vinculum pænæ ſuperaddi non poſſit? An quià tolleret libertatem Matrimonii contrahendi cum quolibet alio? At hæc libertas in eo, qui contraxit Sponſalia, ſi nolit ſubiicere ſe cenſuris, non amplius reperitur.

Et qui vellet hanc Gibalini ſententiam defendere, ſe facile expediret ab omni difficultate.

Non obſtaret amplius, quod arrha addatur Sponſalibus; nam in hac ſententia additur etiam pęna.

Non obſtaret Textus *in cap. gemma de Sponſalibus;* nam dum Pontifex verba ſupra relata pronunciat, pro ſubiecta materia loquitur. Loquitur de Sponſalibus contractis ante ſeptennium, quibus pœna adiecta fuerat. Sponſus pœnam exigere cęperat ob fractam fidem. Sed quæ pœna ait Pontifex ſolvenda? Forſitan Sponſalia unquam contracta ſunt? An ergo pęna inutiliter adiecta debet eripere libertatem vera Sponſalia aliquando contrahendi? Poſſetque in ſententia Gibalini contendi, hunc eſſe Pontificis ſenſum, ac mentem.

Non obſtarent tam multę leges Civiles, ut L. *Titia ff de V. Ob. L. 2. C. de Inut. ſtipulat. &c.* Nam cum repudia olim permitterentur; prohibere pœnarum ſtipulationibus repudia, quę ex juſta cauſa concedebantur, ut propter adulterium, graveſque contentiones coortas inter conjuges; inhoneſtum videbatur: cum cogeretur conjux cum adultera ex. gr. perſeverare, dum potius expediret eam deſerere, nuptiaſque cum alia honeſta fæmina celebrare, quę obſtacula naſcebantur ex pænarum ſtipulatione: ideoque non tam prohibitæ fuerunt hujuſcemodi ſtipulationes, quaſi impedirent libertatem Matrimonii, quam quod a divortio faciendo abſterrerent.

Ingenioſa hanc Gibalini ſententiam exponere conſtitui, neque enim vacat ſua probabilitate.

Quoniam vero communis opinio reclamat Gibalino, ex qua prohibitio pœnę adiiciendæ Sponſalibus refertur ad metum, qui inſurgit in animo illius, qui, ſi recedat a Sponſalibus, videt inevitabilem pœnę ſolutionem. Cumque hic metus retrahat a contrahendis nuptiis, cum alio quolibet, ut non obſcurè Pontifex ait in *d. cap. gemma*.

CONCLUSIONEM HANC DEFENDEMUS.

Quod nempè metus, qui provenit ex pœna conventionali, juſtè conſideratur a Legibus, tamquam reiiciendus a Sponſalibus: metum verò, ſi quis incutiatur ob arrhę amiſſionem, Sponſalibus non obſtare juſtiſſimè decretum eſt. 53

En aſſertionem noſtram: in qua vides, nos haud inficiari, quin ex arrhæ quoque traditione naſcatur metus, ſed vix conſiderandum hunc metum, contendimus:

Probatur I. Ratione. Experientia conſtat ita homines eſſe comparatos, *ut facilius promittant, quam dent*. Homines ad promittendum proclives ſunt, ad dandum vero refractarii ſunt, tenaces, atque difficiles, quod non abſolutè accipias, ſed in concurſu promittendi, & comparativè accipias. Quod conſiderat Textus in L. *ſed*

ſi ego

Lege 4. ff. ad Sen. Conf. Vell, ibi: *hoc ideo, quia facilius se obligat Mulier, quam alicui donet*. Veluti (nisi exemplum hoc reprehenditur) si duo ad creditum ludant, plus nummorum ludunt, quam si pecunia de manu ad manum tradita luderent.

Hoc probè constituto, prosequamur argumentum. Sciendum est, arrham dari, non promitti; Arrham dicebant olim arrhabonem; unde ita scripsit *A. Gellius L. 17. Noct. cap. 2. Cum tantum, inquit, arrhabo penes Samnites Pop. Rom. esset: arrhabonem dixit* D. C. *obsides*, *& id maluit, quàm pignus dicere &c. Sed nunc arrhabo in sordidis verbis haberi captus; & nunc vestius videtur arrha*. Iam verò arrhabo tradebatur, & accipiebatur; quare *Plaut. in Milite Glorioso actu 4. scena 4.*

Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe

Optimè item Varro *L. 4 de Lingua Lat* vocat arrham, *reliquum ex eo, quod debitum reliquit*; quod paraphrastice sonat, pecuniam sic datam, ut reliquum reddatur, ut notat *Pichard. ad Tit de Empt. Princip. Tit n. 43.*

Et sanè, arrhas dari, patet ex *L. de Lege 6. ff. de Lege Com. ex l. contractus 17. C. de Fid. instr.* Idemque judicium esto in Sponsalibus *l. si quis officium 38. ff. de ritu nupt. L. si legibus 16. C. de Episcop. aud. l. un. C. si rector Provinciæ l. 3. & ult. C. de Sponsf.* Sive dentur pro arrhis nummi, sive aliæ res; ut aurum; anulus; monile; aut quid aliud *l. 2. C. quando liceat ab empt l. ex empto §. is, qui vina ff. de act. empt. l. cuicumque §. item si institor 25. ff. de instit. act.*

Arrhæ igitur dantur. Pæna verò in conventionem deducitur. Faciliores sumus ad promittendum, quam ad dandum. Quid ergò potius Legislator prohibere debuit? promissionem re, vel pænam? Legislator id prohibere debuit, quod frequentius accidit. Nam Leges de his, quæ frequenter accidunt constituuntur *L. Iura 3. ff. de Legibus L. ex his, L. nam ad ea ff. eod.* Si ergò frequenter accidit, homines in promissiones delabi: rarius accidit, homines dare; eum protinus agnoscant, se re tradita orbatos, & protinus paupertatis periculum agnoscant; meritò arrhas tradi conniventibus oculis Legislatores permiserunt; quasi arrharum traditio non tam facile contigisset, veluti pænarum promissio.

Et rursus quoniàm facile promittimus, & multa promittimus; Finge sponsum maximam pænam promisisse. An non ad evitandam pænæ solutionem cavebit quisquis ne ullo casu cum alia fæmina contrahat Nuptias? Ergò ex promissione pænæ timor oritur retrahens a Nuptiis, & cogens ad certas nuptias. Hic igitur metus justè à Legislatoribus perpenditur tanquam noxius, & reiiciendus a Sponsalibus. Contra, cum raro sit eventurum, arrhas dari; ipsa hominum natura ad dandum tenax, & refractaria, propemodum loco Legis est, & hac ne re quidquam vix fuit statuendum, ut homines arrhas dare prohiberentur. Dent arrhas; id permittatur: rarò tamen contigerit; fit ex arrhis metus, rarò tamen hic metus animum Sponsi incutiet. En igitur demonstratum, quod in nostra assertione positum est, quod nempe metus, qui oritur ex pæna conventionali meritò, tanquam præjudicialis libertati Nuptiarum, improbatur, exploditurque cum sua causa.

Eoque justius arrhæ permissæ fuerunt, quod nomen arrhæ odiosum non est, veluti pæna. Pæna signum est Matrimonii distrahendi, & puniendi dissentientem, & fit per verba negativa sic scil. *si non contraxeris, dabis mihi* 100. Sed arrha est signum Matrimonii contrahendi, & remunerandi consentientem: quo pertinet Textus *in princ. inst. de empt.* neque enim hæc arrha aliud est, quàm signum fæderis, & connubii promissi *L. si quis officium in princ. ff. de ritu nupt.* & ea intentione principaliter datur. Pœna verò ea intentione, ut quis velit, nolit promissum observet.

Nec quidquam interest, modicam pænam in conventionem deduci: quasi verò modicus, exiguusque metus inde incutiatur. Non hoc observandum; an re ipsa modicus metus incutiatur. Leges enim, & Canones omnem metum ex pæna promanantem gravem præsumunt; præsumptio innititur huic considerationi; quod connubia conciliare debet affectio, amor, benevolentia, dilectio, spontanea propensio, ad quam allicit, arrha; Quare in hoc casu Matrimonium præsumitur liberum *L. Titia 134. ff. de V. Ob.* Exhortatio namque vi præmii favorabilis est, honique remunerantur. Sed pæne comminatio odiosa est; induceit ergo Sponsum odiose concutiendo, & terrendo *L. pen C. quod met. caus. L. Titio §. 1. ff. de Cond & dem.* Semper ergò gravis hic metus præsumitur, ac projndè rejiciendus a Sponsalibus.

Probatur II. alia ratione, quam suggerit *August. Barbosa in d. cap. gemma*. Minor est metus amittendi, quod non retinetur, quam quod retinetur. Rei, quæ amplius in nostro dominio, potestate, aut possessione non reperitur, minor cura, minorque dilectio *can. præsens vers. quod enim 20. q. 3.* Quia non videtur propemodum diminui de facultatibus; nec de suo amplius putat proficisci, qui rem traditam alteri, ipsi relinquit; argumento Textus *in L. si sponsus §. si quis rogatus ff. de Don. inter V. & Ux.* ergò magis considerandos metus provenientes ex pæna conventionali, quam ex traditione arrhæ.

Probatur III. Ex ratione Gonzalez *in d. cap. gemma n. 7* Nam rem omnem in utramque partem expendendo, tam arrhis nempè, quam pœnis inspectis; nonnè illa quæ tradit arrhas, videtur, omnimodum consensum præstitisse in futuras Nuptias; Planè consensum suum certius exprimere non poterat, quàm arrhis tradiris, quæ sunt pignus, & veluti fidejussio futurarum Nuptiarum. At, qui pœnam stipula-

tur, non indicat extrinsecus animum suum certum, ac deliberatum consentiendi in vinculum Nuptiarum; sed primò, & directe videtur, se obligare alternativè, ut vel Nuptiæ contrahantur, vel pœna solvatur. Finge nunc, oriri metum amittendi arrhas: Ille timebit hanc amissionem, si recedat a Nuptiis, qui iam certum, ac deliberatum animum demonstravit non recedendi a Nuptiis. Exiguus ergo hic metus, exigua formido; at in casu pœnæ conventionalis, cum a principio vinculum non fuerit firmum, si postea vi pœnarum consentiatur, vis illata videtur, & pœnæ metu præstitus consensu. Ergo apparet, metum ex arrhis provenientem vix esse considerandum, at è contra explodenda pœna, quæ metus causa est nimis præjudicialia.

Quibus argumentis seriò consideratis, facilis ratio ostenditur omnem difficultatem superandi.

Non obstat I. quod arrha promittatur, ut
54 pœna, quemadmodum probatur ex Textus *in cap. accedens de Proc.* in quo, utrumque sponsum, invicem arrhas promisisse, arbitratur Glossa *in cap. accedens de Procur. vers. libera*, & *ex l. 5. C. de Spons.* Ergo par metus ex arrhis, & ex pœnis.

Nam Resp. quod si forte arrha promittatur, jam non arrha erit nisi nomine tenus. Quippe re ipsa erit pœna, & quamvis, arrham promitti, doceat *Amaia in* L. 10. *Cod. Tit* 30. *de Discussor. n.* 17. & 18. attamen, id fortè reperias in auctoribus Hispanis, apud quos viget lex Tauri permittens arrharum promissionem, quanvis contradicat Bossius in *Tract. de Matr.* ubi de arrhis differit.

Instabis contra responsionem per Textum in *L. fin. C. de Sponsalibus, & arrhis*, ubi du-
55 plum, vel quadruplum arrhæ promitti potest. Ergo, si hoc non impedit libertatem Matrimonii, cur pœna conventionalis impedire debet?

Resp. ideò Legislatores permisisse duplum, vel quadruplum, quia neque duplum, neque quadruplum officit libertati Nuptiarum. Atque ita, hoc demonstrari potest. Nonne ex fundamentis nostræ Conclusionis certò constat, ideò Legislatores permisisse arrhas, quia, quod arrhæ dantur, raro eveniet arrhas tradi: & ideò raro eveniet metum oriri. Ergo eandem ob rationem, cum duplum, vel quadruplum arrhis accedat, rarò admodùm duplum, vel quadruplum in conventionem deducetur; ac proindè metus amittendi duplum, vel quadruplum, vix erit in consideratione ponendus.

Obiicitur II. Qui Sponsalia contraxit, tali vinculo obstrictus est, ut sine culpa gravi ab eo non possit se se extricare; Et, si id tentet, Judex Ecclesiasticus censuris proterviam, audaciamque compescet. Omnes hæ propositiones, luce meridiana clariores sunt. Nam in hoc dissentit Ius Civile a Canonico; quod Ius Civile dissolutionem Sponsaliorum inculpatam existimabat. *L.* 1. *C. de Spons.* a quo recedit Ius Canonicum *in cap.* 1. *de Spons. duor. in cap. ex Liter.* 2. *de Spons. in cap. sicut*, *in cap. si inter ib. in cap. quemadmodum de Jure iur.* quo probè constituto, venit in mentem interrogandi, quidnam operari possit pœna? Pœna erit vinculum infirmius, fragilius, debilius. Imò quis metuat a pœna? Si recedere a Sponsalibus non potest; si nulla amplius libertas est contrahendi Nuptias cum alia Sponsa.

Sed Resp. Iudicem Ecclesiasticum posse quidem cogere sponsum sub censuris. Oportet nihilominus, ut hæc sit moderata coactio. Quare, si Iudex agnoscat in Sponsa obstinationem; potius monitione, uti debet, quam exactissima coactione *cap. requisivit de Sponsal.* quo in sensu accipitur Textus a Covarruvia, *in cap.* 4. *par. n.* 4. & 5. *de Spons.* cujus opinionem, uti in judicando tutiorem Sacra Congregatio Concilii censuit *super cap.* 1. *de Refor. Matr. Sess.* 24. *teste Leone in Thes. P.* 2. *cap.* 9. *n.* 23.

Finge igitur aliquem Sponsum peccare peccatum hujus generis, ut velit recedere a fœdere Nuptiarum; iam vides, Libertatē adhuc Matrimonii contrahendi non deficere, adeoque pœna obstringens plus aliquid operaretur.

Sed, & cum tam multi sint modi recedendi licitè a Sponsalibus; pœna conventionalis id operaretus, ut his modis Sponsus uti non posset. Quia finis ejus, qui stipulatus est pœnam, non ita limitibus exiguis fuit circumscriptus, ut solum casum respiceret, in quo Sponsus fidem frangere vellet cum peccato; sed multò magis voluit pœnam sibi solvi in casibus, in quibus jura licitè recedendi tribuunt facultatem. Nec quidquam refert, eum, qui justam habet causam, posse in Iudicio suam justam causam aperire ad eludendam intentionem ejus, qui peterat pœnam. Nam interdum difficilis est probatio justæ causæ; unde semper ex pœna conventionali oriretur metus impediens libertatem Matrimonii. Contra statuit *Anacletus de Spons. lib.* 4. *tit.* 1 §. 6 *n.* 107 nisi hæc arrideant, videndus.

Obiicitur III. Permittuntur conditiones pœnales, amittendi videlicet rem aliquam, si quis nupserit; ergò pœna retrahens a Nuptiis concessa est. Antecedens probatur, ex *Auth. de Nupt.* §. *qua vero Coll.* 4. *ex auth. cui relictum C. de Ind. Vid. toll.* per quas Authenticas aliquæ Digestorum Leges corriguntur. Sed non omnes; nam in *L. sed si hoc* §. *fin. ff. de Cond. & dem.* habetur, valere conditionem, ut mulier non nubat. Idemque habetur in *L. cum ita* 63. *ff. de Cond. & dem.*

Resp. distinguendum esse; quando hæc con- 56
ditio respicit Virginem pro non adiecta habetur. Nam quæ conditio a Iure improbatur, vocatur impossibilis *L. conditiones ff. de Cond. instit.* Unde conditio abstinendi a Nuptiis reiicitur ab hæreditate, & legato, *L. quoties* 22. *L. cum tale* §. *Mevia L. Titia si non nupserit ff. de Cond. & dem.* At verò, quandò hæc conditio

respi-

respicit viduam; tunc inutiliter non apponitur. Ratio est, quia viduam non transire ad secunda vota inhonestum minimè censetur *L. sed si hoc §. fin. ff. de Cond. & dem.* Qui textus rem magis declarat. *Canisius in cap. gemma de spon. n. 9.* Neque enim hoc absolutè accipiendum: sed ità demùm conditio inducens viduitatem attenditur; si non in omne tempus inducat, sed vel respectu certe personæ, vel certi loci, vel temporis. Sed, quæ ad hanc oppositionem cumulatè refellendam pertinent, consultò omittimus. quia iampridem de hac conditione non nubendi verissimas, certissimasque regulas tradidit; & Textum difficilem in *L. non dubium ff. de Legat. 3. in Tract. de* Legatis, mira facilitate doctrina, & subtilitate exposuit Vir ille celebris, & Pisani Gymnasii decus eximium; Vir ille, qui gloriam excellentiorum Iurisconsultorum adæquat, abundans innumeris aliis laudibus Prudentiæ, Humanitatis, Nobilitatis, Dexteritatis in negotiis forensibus expediendis cum summa laude, quem utinam Cælites ad Reip. literariæ utilitatem diù conservent *Illustrissimus D. DIDACUS LOPEZ de Ulboa e Roboredo Iur. C. Lusitanus Domus Regiæ Principis Portugalliæ primi Ordinis familiaris Fidalgus Cavalier Prior Eques D. Stephani, & Iuris Civilis Professor Ordinarius in Celebri Pisana Universitate*

57 Obiicitur IV. Hæc conditio: *contraham tecum si mihi tantum donaveris, valet, rat. de illa de Cond. appos.* Cur ergò non valeat pœna conventionalis?

Resp. hunc Textum antinomiam facere, cum *L. si ita stipulatus 97. §. si tibi nupsero ff. de Verb. Obl.* ubi conditio hæc: *dabo certam quantitatem, si contraxeris Matrimonium*, turpis existimatur.

Quare, sic distinguendum, puto: Aut enim huiuscemodi promissio fit a muliere, aut a viro. Si a muliere, permittitur: quià resolvitur in speciem Dotis; Si a viro, improbatur, ne venale reddatur matrimonium: de primo casu loquitur Textus *in cap. de illis*; de secundo casu loquitur Textus in *L. si ita* Quam conclusionem fuse videre potes apud Sanchez. *L. 1. de Matr. disput. 35. n. 4. & per tot.*

Alias obiectiones, quià claré, & dilucidè afferuntur à Gonzales, & Canisio in *d. cap. gemma*, ne leges moderationis excedamus, dedita opera omittimus; ad quos Interpretes Lectorem remittimus, cum nihil eorum interpretationibus fieri possit ornatius. Observande etiam *Novella 18. de spons.* qua pœna sponsalibus permittitur & vetus Ius Civile corrigitur: ut probat Bosco *in Theol. Sacra in. disc. XI. de matr. Sect. 1. Concl. XI*

[*f*] *Differt*

58 DISSERTATIO VI.

De arrha differentii, in quo nempè differat a sponsalitia largitate, & donatione propter Nuptias?

Non ad usum disputationis, sed, ut ea, quæ subobscurè tradita sunt in Titulo nostro, lucem accipiant, hæc Quæstio jam excitatur, Res igitur ita se habet.

Sponsalitia largitas propriè, & impropriè sumitur,

Propriè sponsalitia largitas his casibus appellatur, Si invicem Sponsi ad actum liberalitatis ad actum donationis venerint; hæc donatio sponsalitia largitas est *L. si a sponso, 16. C. de donat. ante Nupt.*

Si munera spontè donentur, & mittantur triduo antequam Sponsa prodeat in publicum, ab ejus amicis; hæc quoque propria sponsalitia largitas est L. 1. C. *si Nupt. ex rescript. pet.*

Impropriè largitas sponsalitia ea dicitur, quæ est donatio, propter, vel ante Nuptias *Iust. in Const. 119. §. 1.* & hæc contractus est, ut ex dicendis apparebit.

Differt propria, ab impropria, quia donatio antè, vel propter Nuptias, fit propter æqualitatem Dotis acceptæ a marito, uxori *d. §. 1. ut Spon. Larg. in Nov. Const. 119.* Propria autem sponsalitia largitas, non propter Dotem, sed affectionem Sponsi, vel Sponsæ, fit ante nuptias.

Donatio illa ante Nuptias temporibus priscis Jurisconsultorum omninò fuit incognita *§ est & aliud Inst. de don.* Verum Iustiniano placuit, tempore quoque Matrimonii fieri posse hanc largitionem contra Veterum rationes. Nam adeò in usu non erant tales donationes, quià semper ad Matrimonium referebantur: quo constante tales donationes exploduntur L. 1. 2. & 3. *ff. de donat. inter V. & Ux.* Hodie igitur tales donationes propter Nuptias dicuntur, exemptæque sunt a legibus improbatarum donationum, utpote quæ remunerationes potius videntur, & ideò approbatæ *L. Attilius ff. de don.* Voluerunt enim Cæsares æqualitatem inter coniunges conservare, ut pro modo Dotis, vir quoque donationem propter Nuptias contribueret, sicque cautionem conservandæ Dotis admovenerunt per hanc sponsalitiam æqualitatem; voluertuntque soluto Matrimonio extra pactionem lucri, eam capi ab uxore pro Dotis solutione & in Dotem redigi ab ea, quæ Dotem dedit *L. generaliter C. de secun. Nupt.* Cum tamen ea donatio, quæ propriè dicitur sponsalitia largitas, non augeat Dotem; sed si præmoriatur, Maritus, ea ab uxore donatio facta Marito, preter Dotem repetitur; ut eleganter infert Petrus Greg. *L. 8. in Syntagm. cap. 7. n. 23.*

His positis, Si, ut jam noscitur, sponsalitia largitas est contractus, est donatio; nil commune habet cum arrha. Nam arrha est pignus, ut supra in præcedenti Quæstione ostendimus & a Sponso arrha Sponsæ datur, non è contra *L. arrhis L. 3. §. fin. C. de Spons. Piechar. ad Tit. de don. §. 3. n. 11.* Quamquam in Hispania loco donationis propter Nuptias successerit *ut ibi Pichard.* arrha: Et hæc donatio propter Nuptias vocata est etiam *Doarium, Dotarium, assecuratio Dotis. Fragosus de Regimine Reip. p.*

3. *L. 2. disp.* 4. Tametsi illa donatio, de qua in *L. ult. C. de don. ante Nuptias*, & de qua sermo habitus est; in recompensationem Dotis facta, eo saltem modo, quo olim peragebatur;
59 abierit in desuetudinem, & eius loco successit donatio causa, vel contemplatione Matrimonii *Antunez de donat. L. 1. Prælud. 2. §. 6. n. 1. Urceol. Conf. cap. 85. per tot. vol. 2. Barbosa in L. si cum Dotem §. transgrediuntur n. 30 ff. sol. Matr.* quæ in tota Hispania arrha vocatur, *Valascus Cons. 2. n. 31.*

[g] *Maritum*

DISSERTATIO VII.

60 *An licitè Maritus lucretur fructus ex pignore dotis nondum soluta? & plura de dote traduntur.*

Principio sic statuendum, dotem a puella esse viro persolvendam. Dos illud propriè dicitur, quod Nuptiarum causa datur. Acron interpres Horatii Dotem definit, esse donum puellarum nubentium: & hinc natum vocabulum, transfertur ad alia. Sic Plinius ulmum vite dotatam dixit: & Cicero artem *indotatam* ver-
61 borum arte locupletare. Constat porrò dotem a Græcis nunc dici *prica*, nunc vero *phernem*: ab Æolibus etiam *Pherena*; notat Rodhiginus *L. 28. Var. Lect. cap. 15. pag. 527.*

Solon qui Atheniensibus Leges tulit dotem sustulit *Rodbiginus L. 37. cap. 17.* Græci item alii; Spartani; atque Indi, indotatas uxores emebant *Aristot. L. 2. Polit. cap. 6.*

Nec verò Lex Solonis ratione destituta erat; quod idem etiam Spartanis jussit Lycurgus, *Plutarcus in Apoph. Lacon. verbo Lycurgus*, qui
62 ait, hanc fuisse id statuendi potissimam causam, his verbis: *Præterea interrogatus Lycurgus: cur Virgines sine Dote nuptum dari jussisset? respondit: ne vel ob inopiam aliquæ manerent innuptæ, vel propter opes expeterentur.* Alia ratio elucet ex Horatii carminibus *L. 3. Ode 24.* ibi:

Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultera,
Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certò fædere castitas.

Eleganter in Plauti Asinaria Artemonæ Maritus Demenætus illum versum protulit:

Argentum accepi, dote imperium perdidi.

tum alibi Megadorus:

Nam quæ indotata est, in potestate est Viri;
Dotatæ mactant, & malo, & damno Viros.

Quare illud Horatii *regit virum* significat, amplam dotem, fere constituere uxorem mariti dominam:

Verùm Iure Canonico *in can. nullum 6. 30. q. 5.* sicuti, & Jure Civili dotes approbatæ sunt. Indè dotium causa præcipua est, atque mulieres facilius nubant accepta *L. 1. ff. soluto Matrimonii L. hoc modo ff. de cond. & dem. L. cum ratio §. si plures ff. soluto Matr.* Imò olim ignominiosum erat indotatam uxorem ducere; ut ait Interpres *ad Terent. in Andria act. 5. scena 4. n. 47.* Apud Romanos priscos dos æs grave fuit idest expensum, rude, & informe, deinde signatum pecudis nota. Initio autem decem millia æris, dotes non excedebant. Sed deinde corruptis moribus etiam 40000. sunt prætergressæ: adeo ut Megulia, quod quingenta æris millia doti haberet, dotatæ nomen tulerit. Et si quis strenuus in bello fuisset, eius filia ex publico dotem obtinebat. Bello Punico, quod P. Scipionis virtute gestum est, & auspiciis; filia ejus de publico dotata est, æris millibus 40. referente *Val. Max.*

Finis verò præcipuus, ac potissimus constituendæ dotis est; ut deserviat Matrimonii oneribus sustentandis *L. dotem ff. de castr. pecul. L. actione 65 in fine ff. pro socio L. si is, qui ff. de iure dot.* Quare constante Matrimonio ad maritum spectat; nec propterea mulieri fas est, vivente marito, eam repetere *L. dotis C. de coll. L. 1. §. Celsus ff. de Dote præl.* alioquin maritus, eam restituens, videtur donare *L. un. C. si dos constante Matr.* Nisi dos apertè periclitetur, marito ad inopiam vergente *L. si constante 24. in princ. ff. soluto Matr.*

Et quod dos deserviat oneribus Matrimonii, confirmat Textus in *L. pro oneribus C. de Iure Dot.* & ibi Dos esse debet, ubi sint onera Matrimonii *L. si Maritus ff. familiæ erciscundæ L. actione §. fin. ff. pro socio L. si is quis §. ibi dos ff. de Iure dot.*

I. Onus matrimonii est alere uxorem ad tex- 63
tum in *can. omnino dist. 31.*

II. Item vestes uxori præstare *L. vestis §. muliebria ff. de auro, & arg. leg.*

III. Onus est reddere debitum *cap. si vir. de cogn. spir. cap. 2. de Con. lepros.* quamquàm sit continendi tempus definitum a Iure, *can. fæmina 30. q. 5.*

IV. Onus infirmam curare, atque adeo quæ ad curandam uxorem vir impendit, sibi impendit, & affectioni, & pietati; nec repetit *L. quod in uxorem C. de negot. gestis*; alioquin dos ei avelleretur *L. si cum Dotem §. fin. autem ff. solut. matr.*

V. Onus, ut si mulier absit, impendere teneatur maritus pro itinere *L. si quis pro uxore 22. ff. de donat. inter Vir. & Ux.*

VI. Onus est alendi liberos, ex Matrimonio susceptos *L. fin. §. ipsius C. de bon. quæ lib. L. un. §. sileat C. de R. Uxor. act. L. 1. 3. & 4. C. de al. lib. L. si quis à liberis ff. de Lib. agnosc.*

VII. Onus, erudire, educare, & impendia in institutionem facere; nam, & hæc alimentorum nomine veniunt *l. Legatis 6. ff. de alim. & cib. leg.*

VIII. Onus, dotare filias *L. cum Pater ff. de pact. dot. L. fin. C. de Dot promiss.*

IX.

IX. Onus, ut post mortem Virorum, bona adhuc sint obligata viduis uxoribus, intra annum luctus; quamquam id procedat nonnullis in locis. At de Iure communi hæredes tantum tenentur præstare alimenta viduæ quandiu Dos est apud eos, si uxor non habeat alia bona, undè se alat. *L. un. §. exactio, & ibi Accursius* C. *de Rei Vxor. act.*

Finge nunc, post sponsalia iá cōtracta in quibus de dote conventum sit, reipsa patrem puellę dotē, contracto matrimonio, non erogasse; sed loco dotis dedisse pignus fructiferum, veluti silvam, prędium, domum; occurrit difficilis controversia an licitè maritus possit lucrari fructus pignoris?

Ratio dubitationis est; quia lucrari fructus pignoris, citra usuram non licet: ut decernitur *in cap. significante de Pignor. in cap. cum contra 7. ib. cap. 2. cap. constitutus* 8. *de Usur. cap. ad nostram de empt. & vend.*

Sit nihilominus Conclusio nostra; quod maritus in hac specie licite lucratur fructus pignoris.

Probatur ex hactenus traditis. Nam constat, quæ sint onera matrimonii. Maritus, dum dos non solvitur, non cogitur ex proprio patrimonio oneribus matrimonii succumbere *L. si is qui 56. §. 1. ff. de Iure Dot. L. si filia* 20. §. 2. *L. si maritus 46. ff. fam. ercifcunda.* Sed & alere uxorem, & vestire, ex fructibus Dotis tenetur. Quod si pignus marito traditur; quis non intelligit, fructus pignoris advenire marito, non ex ullo mutuo simulato; & abdito, sed ex titulo onerum matrimonii? Quare jure meritò lucratur maritus tales fructus, ut possit recuperare damnum quod patitur interim, dum sibi dos non fuerit soluta: & probari ulterius posset.

Sed quid opus aliis argumentis? si hac ipsa ratione fretus Pontifex id decrevit his verbis in *cap. salubriter de Usuris: Salubriter, & infra: Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi sunt a socero pro numerata Dote pignori obligata computandos in sortem, non credimus compellendum, cum frequenter Dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.*

Neque obstat I. falsum esse fructus lucrari maritum, eo quod in nostra specie dos sibi numerata non fuerit. Nam in *d. cap. salubriter*
64 supponitur dos numerata; ait enim; *pro numerata dote*; Ergo falsum eriam id, quod defenditur: quod scilicet maritus lucretur fructus pignoris, eo quod cedant loco fructuum dotis.

Sed Resp. eo ipso, quod Pontifex agit de pignore dotis, intelligitur, dotem solutam nondùm fuisse; Nam pignus datur in securitatem crediti; pignus est contractus, quo res creditori obligatur *L. 1. §. fin. ff. de Pact.* Vnde vel Pontifex ita accipiendus est in illis verbis: *pro numerata dote*, pro dote videlicet numeranda, ut arbitratur *Grauan. in cap. ad nostram de Iure iur. n.* 3. vel significant ea verba, pro dote in pecunia numerata promissa, & constituta: non in prædiis, silvis, domo, aliave re simili.

Non obstat secundo; quod antichresis prohibeatur de Iure Canonico, idest pactum illud, quod intercedit inter creditorem, & debitorem dantem pignus, ut donec recipiat creditor suum creditum, ex pignore, quod possidet, lucretur fructus. Hoc pactum antichreticum prohibetur *cap.* 1. *cap. conquestus de Usur.* ergo quamvis gener sit creditor dotis, non videtur lucrari posse fructus pignoris.

Resp. contractum antichreticum, utique esse usurarium; at contractus antichreticus in id tendit, ut creditor tantum ex vi mutui lucrari velit. Sed gener lucratur fructus pignoris ex vi, ex titulo onerum Matrimonii. Quià promissio dotis ex sua natura tacitam quandam obligationem continet alendi mulierem, & subeundi onera Matrimonii, quandiu dos non solvatur *L. 60. §. si inter ff. mandati*; & proindè censetur debitor dotis tradendo pignus, consensisse, ut vir ex fructibus pignoris uxorem alat, donec dos tradatur; quod probatur ex L. 8. *ff. in quibus caus. pignus tacitè contr.*

Non obstat III. quod ex dilatione temporis lucrari aliquid, usura sit, *l. lecta ff. de Reb. cred: L. qui Roma ff. de V. Ob.* adeoque propter dilatam dotis solutionem, absque usura, gener lucrari non possit.

Resp. quod hæc annua quantitas non præstatur ex solo tempore tardæ solutionis; neque est præmium dilationis; sed dependitur pro oneribus Matrimonii, quæ vir sustinet: ad quæ tamen propriis sumptibus sustinenda non obligatur *L. 60. ff. de Iure Dot. L. in insulam §. usuras ff. solut. Matr. L. si quis* 21. §. *ult. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

Non obstat IV. quod, cum hæc assertio tam generaliter concepta sit, ex alio capite corruat. Quia videlicet specialis ratio est in socero, de quo noster Textus in *cap salubriter* sermonem habet. Quià socer filiæ obligatur dotem assignare *L. profectitia ff. de iure dot. L. ult. C. de de dot. promiss.* quam ob causam etiam filiam alere tenetur *L. si quis §. 1. ff. de lib. agnosc.* ubi Ulpianus ait; hoc *ex caritate sanguinis descendere*; Ergo si dos ab extraneo constituatur, & nondùm soluta fuerit, haud poterit maritus fructus pignoris lucrari.

Resp. idem in extraneo obtinere: tum quia de natura intrinseca dotis est, ut deserviat, pro oneribus Matrimonii *L. si Pater 76. in fin. ff. de Iure dot.* tum etiam, quia quicumque extraneus dotandi mulierem munus suscepit, paternum munus suscepit, induitque personam patris; est enim paternum munus dotare *L. ult. C. de Dot. promiss.* Unde eleganter Seneca ad *Helviam cap.* 12. referens factum Populi Romani, qui filias Scipionis dotavit ex ære publico, Viros earum felices appellat, quibus Populus Romanus loco soceri fuisset.

Non

Non obstat V. quod, si maritus dilatam videat solutionem dotis, possit domo uxorem
65 expellere *cap. per vestras de donat. inter Vir. & Uxor.* ibi: *a se repulerat*. Cum hoc remediũ suppetat; quid opus est velle lucrari fructus pignoris?

Resp. quod domo uxorem non licet expellere, ad Teatum *in L. ult. C. ad S C. Vell.* quidquid deduci possit in contrarium ex *L. donaturus 9. §. fin. ff. de cond. caus. d. caus. non seq.* Quod si non licet domo uxorem expellere, cum cohabitatio ad prolem suscipiendam, educandamque coniugi incumbat; & è contrario, si non tenetur maritus oneribus Matrimonii tam mulris propria impẽsa succumbere, eademque sustinere; eo ipsó, quo talia onera suscrpit, æquissimũ est, fructibus accepti pignoris ea compensari.

Non obstas VI quod uxor etiam non soluta dote prestet marito obsequia; suamque operam, quæ quiddam pretio est æstimabile: ut patet ex toto Titulo *ff. de Operis libertorum*; adeòque maritus in compensationem alere obligetur uxorem; quamquàm nondùm Dotem promissam, attulerit: ut fusè probat *Surd. q. 17. n. 38. de alim.*

Resp. Maritum non cogi alere uxorem propter obsequia, sed propter dotem *L. si quis §. si uxor. ff. de Don. inter vir. & uxor. L. pro oneribus C. de Iure Dot.* Hæc enim se invicem respiciunt, & fructus comitantur onera matrimonii; nisi velimus in absurdum delabi, & asserere, quod maritus percipiendo fructus plus percipiat, quasi verò percipiat etiam obsequia, contra Textum in *L. 57. ff. de Reg. Iur.* Obsequia enim ex primo contractu nuptiarum proveniunt: quæ sunt, ut ait Modestinus in *L. 1. ff. de Ritu Nupt.* consortium, & societas vitæ. Onera vero matrimonii sequuntur dotem. Præterquam quod etiam mulier mariti corpore fungitur; unde aliqua ratio eius rei habenda non est, quoties de fructibus assignandis ad compensanda onera matrimonii peragitur.

(h) An ficte.

66 DISSERTATIO VIII.

An ficta Sponsaliorum promissio obligationem inducat?

Hæc quidem Quæstio pertinere videbitur ad Theologos. Ego tamen existimo, frequenter in foro externo posse evenire, ut Judici Ecclesiastico se offerat sponsus contendens, promisisse quidem sponsæ futuras Nuptias; sed ore tenus; non animo, atque intentione promittendi, verba significantia conventionem sponsaliorum protulisse. Quid igitur consilii capiet Iudex Ecclesiasticus? quid statuendum putabit? quam viam insistet? Experiamur nunc, an aliquid luminis ex Constitutionibus Ecclesiasticis, Legibusque Civilibus mutuari possimus. At ne quis arbitretur in re obvia, quæque faciles habeat explicatus nos versari, hoc unum dicam, Molinam in suo *Tract. de Contr.* asserere, quod Sanchez, qui in suo Opere de *Matrimonio*, verè tractavit hujusmodi argumentum perfecte maximaque ubertate doctrinæ, in hac unica controversia defecit, quam suscepit examinandam *L. 1. disp. 9. de matrim.*

Nec verò de foro conscientiæ sermo habetur impræsentia. Nam talia sponsalia, in foro interno, carebunt effectu: ut latè ostendit Bossius *in tract. de Matr. cap. 2. §. 9.* Quia ficta promissio non obligat *Less. de Iust. L. 2. cap. 18.* qui sic loquitur in terminis Nuptiarum *n. 58. quod si (alle., qui ficte promisit) a Iudice rogetur, an promiserit; poterit etiam negare Iuramento. Quod si per sententiam Judicis jubeatur parere, si non parendo timeretur scandalum, debet parere.* De quo Iuramento, *Nos lib. 3. Tit. 10. dise. 7.*

Sit nostra Conclusio; qui promisit futuras nuptias, absque intentione, animoque se obligandi, valide sponsalia contraxit.

Probatur I. Quia Legislatores respiciunt, quid extrinsecus constet reveleturque; Aristoteles 1. 67
Periermen. cap. 7. ea, quæ in voce dicuntur, signa sunt eorum effectuum, qui sunt in animo; Si quis ergò voce expressit, se ducturum in uxorem puellam aliquam; huic voci, promissionique standum est. Nec solum hoc ad Iudices sæculares spectat, sed ad ipsos Iudices Ecclesiasticos; & tritum est vesultate dictum illud, atque axioma: *Ecclesia non judicat de internis. cap. sicut. 32. de Simon. cap. 1. 15. q. 6. can. erubescant dist. 32. cap. tua nos de sim. cap. un. ut Eccl. benefic. sine dimin. confer.*

Probatur II. quia, si aures præbendæ essent cuicunque asserenti promissionem suam fuisse intentione, animoque se obligandi destitutam; nulla propemodum reperietur obligatio stabilis: cum semper posset promissor resilire dicendo, se contrahendi animum non habuisse; cum tamen contrarium observandum, a Iudice, sæpè Leges moneant, & ex communi usu nomina exaudiri; quare Celsus in *L. Labeo §. idem Tubero ff. de supellect. legata: nam quorsum sunt nomina, inquit, nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis, & quidem non arbitror quemquam dicere, quod non sentiret; & infra cæterum nemo æstimandus est, dixisse quod non mente agitaverit.* Ergò, cum extrinsecè de promissione constat; Id satis est. Nascitur enim ea præsumptio, quæ regula Iudicis est; quo pacto se gerere debeat; docet Menochius *de Præsumpt. L. 3. Præsumpt. 1. n. 36. & seq.* Et ideò a verbis contractus non esse recedendum sæpè Legislatores inculcant, *L. fidejussores §. pro Aurelio ff. de Fidejus. L. non aliter ff. de Leg. 3. leg. generaliter C. de non. num. pecun. cap. per tuas de Prob.*

Probatur III. ex *cap. tua nos de Sponf.* ubi

pro-

proponitur: quemdam fictè se appellasse *Ioannem*, cum vere alio nomine vocaretur; proponitur etiam, Ioannem hunc non habuisse propositum contrahendi, & tamen Pontifex ita rescripsit: *videtur forte pro coniugio præsumendum*. Nec verbum illud *forte*, extat dubitative, sed assertivè, sicut alia occasione exponit Glossa in *cap. 2. de Testamentis*; *in cap. super literis de Rescript.* & uberius hic Textus expendetur inferius in solutione difficultatum. Interim constat fictam promissionem matrimonii inducere obligationem; adest enim in specie illius Textus voluntas præsumpta, & significata per copulam. Quocirca cum etiam voluntas satis appareat significata per verba indicantia promissionem, ex iisdem oritur præsumptio. Argumentum optimam continet inductionem. Nam etsi differentia præsumptionis sit, quoad modum, quo causata est; attamen tam in uno, quàm in alio casu de facto extrinseco constat, ut argumentatus Menochius L. 3. *Præsumpt. ubi supra n. 30.* De altera decisione *in § nos autem* mox loquemur.

Probatur IV. Quia quandò quis asserit se aliud verbo significasse, aliud animo sensisse, dum Sponsalia celebraret; ad summum hæc sua assertio dat ansam dubitandi, an verè contrariam habuerit voluntatem. At in dubio semper pro matrimonio judicandum, *cap. licet ex quadam de Testib.* *cap. fin. de eo qui dux. cap. tua de Cons. & aff.*

Probatur V. quia ante Concilium Tridentinū benigna canonum interpretatione, qui rem habuisset cum sponsa, contraxisse Matrimonium, præsumebatur *cap. is, qui fidem de Spons. cap. adolescens ib.* De Iure Civili deductio Sponsæ in domum, inducebat similem Matrimonii præsumptionem *L. mulierem ff. de ritu Nupt.* Et aliquem alium modum dari, quo Sponsalia præsumantur contracta, tradit expressè Textus in *cap. si infantes § idem de Despons. impub. in 6.* Quorsum hæc? dicat fortasse quispiam. Ex his omnibus infero; Quod factum exterius attenditur, ut Iudex decernat, contracta esse Sponsalia, vel de præsenti, vel de futuro. Cum igitur verba indicent promissionem, hæc attendenda; declarant enim hominis voluntatem, *L. amplius ff. rem ratam haberi*. Mens quippe est radix verborum, & ejus substantia prima, nam cor imperantis est lingua, & habet aliā loquentem sicut mancipiū sub iurisdictiōe sua, & per verba enunciativa datur voluntatē perfectè intelligi, *L. Pamphilo § propositum ff. de Leg. 3. L. cum quid ff. si certum petatur L. si repetendi C. de cond. ob caus.* Et Iuris Theorema vulgatissimum est, quod in omni sermone verba sic sunt accipienda, ne sint ociosa, sed aliquid operentur *L. si quando 100 ff. de Leg. 1. L. hæc stipulatio 14. in fin. ff. ut legatar. seu fid. servand. cap. causam 18. de Rescript. L. Gallus 20. § 1. ff. de lib. & Posth. L. Prætor 20. ff. de Nov. oper. Nunc.* Quare optimè infertur, affectionem contrariam verbis olim prolatis a sponso, dum promitteret, non esse a Iudice attendendam.

Probatur VI. quia nimis indignum est, ut qui semel promisit, quærat promissum suo infirmare testimonio; cum nemo in causa propria testis esse queat. *L. nullus 10. ff. de testib. L. Parentes 6. C. eod. Tit.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

Obiicitur I. Textus *in cap. tua nos de Spons. vers. nos autem ibi; nos autem quid iuris sit rescribentes, hoc dicimus; quod si res ita se habuerit videlicet, quod ille nec proposuit eam ducere in uxorem, nec unquam consensit, inter prædictam personam non debet ex illo facto coniugium judicari*; Ergo 68
factum exterius non sufficit, dum Sponsus non consensisse contendit.

Omnem moverunt lapidem Interpretes, ut veram explicationem huius Textus assignarent. Aliter Canisius *ib.* aliter Gonz. senserunt, aliter Gomez *in Regula de non judicando juxta formam supplicantis q. 14.*

Idque planè nobis etiam magnum negotium facessit. Si liberet cum Covarruvia asserere, tam in prima parte hujus contextus, nempe in *vers. super quo*; quàm in altera, nempe in *vers. nos tamen*, matrimonium hoc, utpote consensu destitutum, esse nullum, nec quicquam referre, quod in primo casu intelligat Pontifex de foro interno, in secundo de foro externo; Cum in vinculo discrimen sit nullum inter forum conscientiæ, & forum exterius, ut tradit Covarruvias in *2. parte de Spons. cap. 2. n. 1, 2, & 3.* Quomodo sibi constaret hæc nostra Dissertatio, si hoc eodem Textu usi sumus ad id probandum quod volumus in *III. Probatione*? Si libeat affirmare matrimonium, quod præcessit ficta promissio, fuisse validum: an non repugnant verba, quæ posita sunt in obiectione? Quocumque igitur me vertam; ubique angustiæ.

Omissis propterea aliorum explicationibus, animadverto, Pontificem, rem prius ad regulā quandam revocare; deinde expensis circumstantiis, ipsum a regula discedere. Ostendamus jam, quomodo Innocentius prius proponat regulam. Regula hæc est. Videtur significare Pontifex, quod, si propria persona non desit, si hæc fingat simpliciter aliud nomen, si copula carnalis subsequatur; nihil deest, ad præsumendum jam contractum coniugium. Ostendamus deinceps, Pontificem propter circumstantias a regula discessisse. Innocentius qualiter fictum fuerit hoc nomen, dubium se dicit, & perplexum: & propterea fatetur, sibi nondum constare, quomodo Episcopus Gebennensis, qui ad Oraculum Apostolicum confugerat, quærens hac super re edoceri, atque instrui, cognoverit, talem fictionem nominis argumento esse consensus non præstiti. Mox supponens, Episcopum tam certum de carentia consensus esse redditum, ut nihil hujuscemodi cognitioni desit, decidit *quod si res ita se habuerit, videlicet, quod ille, nec proposuit eam ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam non debet ex illo facto*

lo facto

in facto conjugium judicari. At quomodo nam ex hac fictione nominis, inferri potest aliquando carentia consensus? Videndum, an per iocum cum risu admissum, aliove signo se prodentem, fictio nominis intervenerit; ut dicendo: *te Ioannes desponsat*; tunc circumstantia joci directi ad nuptias, satis probat consensus carentiam: ad Textum expressum in L. *obligationum* 3. §. *verborum ff. de Ob. & Act.* Quamsimulationem jocosam suppon. in opposito Textu, refert Praepositus *in d. cap. tuanos*, videndus *Sanazzarus de Sponf. cap.* 2. *art.* 4. *num.* 33. Et quamvis nullum vel minimum verbum in contractibus debeat putari iocosè appositum *L. si stipulatus* 4. *in princ. ff. de Usur. L. si quando* 109. *in princ. ff. de Leg.* 1. *cap. si papa* 10. *de privil in* 6. Attamen id non procedit, ubi tractatur de Judice, qui certus ex documentis reddatur. Ex quibus apparet vera interpretatio oppositi Textus. Non mirum quippè, si decernat Innocentius III. quod fictio excludat consensum. Non enim sola fictio supponebatur ab Episcopo Gebennensi; sed talis supponebatur quæ probaret carentiam consensus. Et ratio hujus interpretationis est; quia in hac fictione nominis, in fraude constat; item constat expressè de alio fine, quam contrahendi matrimonium. Constat, fingentem nomen non seriò voluisse rem agere; sed solùm libidinem explere. An enim, si serio rem voluisset, agere, qui amore incensus, ad actum hunc impudicitatis prosiluit, primum hoc propositum habuisset decipiendi puellam? An proprii nominis ignorationem obtrudere poterat, contra Textum in *L. fin. C. de her. inst.* Ergò indubitatum, est, in specie illius Textus ultra fictionem, talem intervenisse circumstantiam, ex qua meritò consensus carentia argueretur.

69 Obiicitur II. in contractibus rei veritas potiùs, quam scriptura perspici debet *L. in contractibus C. plus valere*. Acta simulata, veritatis substantiam non mutant *L. acta C. eod.* Ergò, si verè aliquis caruit intentione promittendi, promissioni standum non est.

Resp. eos Textus non de veritate, quæ occulta sit, sed de veritate, quæ extrinsecè se prodat, esse accipiendos. Finge; maritus in contractu dicit, non se, sed uxorem aliquid comparare. Hæc quidem simulatio est. Tamen si veritas aliunde constabit, plus valet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur: quæ intelligentia ex Rubrica ipsa deducitur. Sequitur proinde, semper attendendum esse, quod extrinsecè Iudici constat.

Obiicitur III. nemo consensisse præsumitur, propterea quod consensus facti est, neque præsumitur *L. in bello §. facti ff. de capt. & post. reverf.* Quippè medium est quoddam inter consentire; & dissentire *L. qui tacet.* 142. *ff de Reg. iur. cap. is qui tacet* 44. *eod Tit. in* 6. & incertitudini standum non est *L. duo sunt Titii* 30. *ff. de Testam. Tut. L. item apud* 25. §. *cui in fine ff. de Iniur. L. si servitus ff. de serv. Urb. prad.* ergò, cum quis testatur, se non consensisse; ex verbis non est præsumendum se consensisse.

Resp. quod consensus per se quidem non præsumitur, sed probatio incumbit eum alleganti, & sufficiens probatio consensus, est promissio verbis consensum declarantibus concepta. Quin immò consensus, & voluntas ex actu quoque nullo, & invalido probatur *L. fin. ff. de Reb. eorum &c. L. fin. C. familiæ erciscunda*. Ut omittam, quæ tam fusè de verborum conceptione voluntatem exprimente in fundamentis hujus Conclusionis superius adducta fuerunt.

Neque obstat, quod dicebatur, inter *negare*, & *consentire*, dari medium quoddam. Explico, quòd hoc sit. Si verbum *consentire* simpliciter accipiatur, non est idem ac *fateri*, vel *negare*: Nam consensus est voluntatis complacentia circa media volita, ut dicunt, juxta Textum in *L.* 1. *ff. de pactis*, *in cap. cum super* 23. *in fine de off. delegati*, *in L.* 3. *in fine ff. de Reg. Iur.* At *fateri*, vel *inficiari* versatur circa verum, vel falsum. Plane qui tacet, solum hanc voluntatis habet complacentiam circa media volita: atqui fatetur, vel inficiatur, verum quoque, vel falsum pronunciare potest. Unde inter *fateri*, & *negare* quidam medium datur.

Neque alius difficultatis augmentum refragatur; quod nempè in incerto versemur. Nego, nos in incerto versari. Imo summo in rebus per proprium testimonium obfirmatis; adeoque dubitandi locus nullus *L. quoties §. si duo* 13. *ff. de her. inst. L. eam hoc iure* 4. §. *fin. ff. de Vulg L. ille* 25. *in pr. ff. de Leg.* 3. *L. continuus* 137. §. *cum ita ff. V. Ob.*

Obiicitur IV. Textus in *L. simulata ff. de ritu Nupt.* ibi *simulata Nuptiæ nullius momenti sunt*, ergo &c.

Resp. hoc procedere, cum extrinsecè de simulatione constat; ut in prima difficultatis solutione abundanter expositum est.

Hanc igitur ob causam in Titulo nostro monuimus, Iudici esse expendendum, *an fictè aliquis matrimonii fidem dederit*; significantes, quod si extrinsecè de fictione constet; ex qua consensus defecisse, videatur, sponsalia carere effectu, sit judicandum.

(i) *Viderit*

DISSERTATIO IX.

Utrum notabilis contrahentium sponsalia disparitas, causam prabeat ea irritandi. 70

Statuendum est, notabilè inter Sponsos disparitatem præbere justam causam sponsalia irritandi. Quæ assertio ita intelligenda est. Non enim

que-

quælibet disparitas sufficit; sed ea maxima intercedere debet. Judex ergò Ecclesiasticus aures præbere debet parenti, aut etiam propinquis reclamantibus ob dedecus, aut ignominiam, aut discordias secuturas, aliaque scandala, atque ad Judicis officium pertinet cavere, ne tale Matrimonium sequatur. Quæ assertio ità accepta, apud *Layman. de Sponf. n. 3. Abbat. in cap. requisivit de Sponf. Capeavil. de mod. ministr. Sacr. cap. 6. q. 18. Molin. Tomo 2. de Iust. Tract. 2. disp. 271. Sanchez L. 1. de Sponf. disp. 14. Menoch. conf. 1. n. 44. vol. 1. Dian. Tract. 7. Resol. 71. aliosque.*

Probatur I. ex *cap. cum in tua 27. de Sponf.* undè Interpetres hoc inferre solent; Nam ex hoc Textu, cum timentur scandala, qui sic contrahere nituntur, monitis inducendi, & compellendi etiam, ut a Matrimonio desistant. Atqui imminet scandali periculum ob notabilē disparitatem. Eventus plurimi in historiarum monumentis. Joanna II. Neapolitanorum Regina deperiit Joannem Gatazolum Roseum ignobilem, illumque duxit, & tandem eum contempsit, & adeò gravi odio habuit, ut trucidari jusserit *Fulgos. L. 6. cap. 11. Ausonius eleganter*

Par pari jugato coniux,
Quod impar est, dissidet.

Ovid. in Epist. Deianira ad Herculem

Si qua voles apertè nubere,
Nube pari

Et alibi

Quàm malè inæquales veniunt
ad aratra juvenci,
Tam premitur magno coniuge
nupta viro

Inter dispares non coirur amicitia, *can. laicos, can. laici 2. q. 7. cap. Clericis de Imm. in 6.* Amicitiæ enim sunt inter pares *Ovid. L. 3. Trist. el. 4.*

Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias, & tibi junge pares.

Pater verò quo pacto id ferre possit? imo privabit filium suum legitima, ut volunt nonpauci DD. *in L. Nuptias ff. de Reg. Iur.* & *deducitur ex Auth. sed si potest C. de inoff.* et *L. 3. §. si emancipatus ff. de Bon. Poss. cont. tab. Testamento, de Luca ad Trid. disc. 26. n. 38.* Consanguinei forte ad deteriora procedent, adnecem quoque, & ad alia, quæ maximo scandalo sint. Ergò juste poterit hisce Nuptiis obsistere Judex Ecclesiasticus.

Probatur II. Quis enim mihi causam reddat, cur Matrimonium inter pares præsumatur, inter dispari conditione Sponsos non præsumatur? *L. imperialis §. immo C. de Nuptiis? L. in libere ff. de Ritu Nupt. Auth. qui mo. Nat. effic. legit. §. adhuc.* Quis etiàm rationem assignare poterit, cur vilem fœminam ducere Leges prohiberent *L. oratione L. lege julia L. a D. Pio ff. de Ritu Nupt. L. filiam ff. de Senat. L. si rogatus 20. §. Matrimonii ff. de Man. vind. L. si libertam 28. ff. de Nupt. L. humilem C. de incest. Nupt.* Quamquàm id a Justiniano fuerit emendatum *in auth. sed novo C. de Nupt.* Moti fuerunt Legislatores ad id statuendum, quia tales Nuptię tumultus, ac dissidia, non pacem, & concordiam peperissent. Et quamvis Jure Canonico quoad validitatem Matrimonii non inspiciatur, an etiam aliquis sit servilis conditionis *cap. 1. de Con. Servor.* attamen futuras Nuptias inter coæquales, illegitimas propemodùm declarari, statuit; sumpto exemplo a Romanis, ut optime probat Textus notabilis, *in can. non omnis 32. q. 2.* ibi: *Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter coæquales, multo prius hoc ipsum D. constituente, quam initium Rom. Iuris existeret.* Explico Textum. Multò quidem prius Deus hoc constituisse, videtur, ut Nuptiæ inter dispares non celebrarentur; Nam *Geneseos 24.* ex dispositione divina Abraham, jam provectæ ætatis factus, seniorem servum suum adjurat, ne de filiabus Chananæorum filio suo Isaac uxorem det, & pariter Isaac idem filio suo Jacob præcepit *Gen. 28.* idque ob disparitatem conditionis, ut notat Surdus *Vol. 1. Conf. 69. per tot.* unde adductus Textus, cum non possit intelligi, ut velit, inter conditione dispares esse Nuptias invalidas, planè referendus est ad prohibitionem, ne contrahantur, perindè, ac si essent illegitimæ ob merum scandali; nam et Lex Romanorum, has ob causas, fieri connubia, interdixit *Boetius in Top. Cicer.* & colligitur *ex L. si Donationum 22. C. de Nupt. ex L. si major in fine C. de Leg. her.*

Probatur III. quia occurrendum est nimiæ, atque exuberanti dilectioni, a qua Sponsi feruntur, impelluntürque, absque provida in futurum cogitatione: Sic Ammon exarsit amore Thamar, cumque ea cubavit, cum tamen postea eamdem odio habuerit, *L. 2. Reg. cap. 13.*

Probatur IV. ex *regula 69. in 6.* ibi: *in malis promissis fidem non expedit servari, consonat L. filius 15. ff. de Cond. inst.* Atqui hæc promissio circa rem illicitā versatur, ob scandala, ergo &c.

Probatur V. quià voluntas Patris repugnantis Matrimonio contrahendo dicitur interdùm justum afferre impedimentum: nimirum, si quis contraxerit Sponsalia cum conditione, si pater ejus, suum præstaret assensum, Patris voluntate non existente, concidunt Sponsalia, *cap. super eo 5. de Cond. app cap. per tuas eod. Tit.* Cur igitur justa existente causa, non possit Pater reclamare? Cum disparem ducere injuria sit, qua Pater afficitur *L. un. C. de Rapt. Virg.* ut expendit *Hostiensis in summa de Clandest. Matr. n. 5.*

Et semper justa est causa vitandę discordiæ *cap. requisivit de Sponf. Glossa in cap. si quis 27. q. 2.* Deus enim odio habet illum, qui discordiam disseminat, *Proverb. cap. 6.* & scriptum est *Matthæi cap. 5. si ergo offers &c.*

Probatur VI. quia aliud est, quod Nuptię filiorum validæ sint sine consensu Patris, aliud

est,

est, quod Patris consilium perquirere filii non debeant. Primum ultrò concedimus Secundum negamus. Consilium Patris negligere non potest, neque debet Filius, *can. honorantur* 72. *q.* 2. Atqui præcipua causa ejus consilium explorandi, est, quia quemadmodum sub Patris potestate sunt filii, ut eum ducem habeant factorum omnium, atque institutorem, id consilium tantò magis exquirendum a filio in re gravi, a qua totum vitę institutum pendet, scilicet in Matrimonio cum perpetuitatis ratio non patiatur, ut ita deliberent, ut posteà sit pœnitendum. *can. qualis* 30. *q.* 5. Quam rationem expendisse Patres *Concilii Trid.* dum de firmando decreto *cap.* 1. *sess.* 24. in consultatione essent, narrat *Soto in* 4. *sent. dist.* 28. *P.* 1. Esto igitur inconsulto Patre Nuptię sint validę; tamen cum ad licitè contrahendum debeat filius de consensu Patris laborare; idque non modo neglexerit, verùm etiàm dispari conditione fœminam ducere voluerit, & sic cumulare peccata, nempe contemptum consilii Paterni, & scandalum; meritò poterit Judex Ecclesiasticus impedire tales Nuptias, cum ratione peccati adipiscatur potestatem, *cap. novit de Judiciis*.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Obiicitur I. Concilium Vernense sub Stephano III. *cap.* 15. ibi .. Omnes homines laici .. publicas Nuptias faciant, tam nobiles, quam .. ignobiles. Ergò non prohibetur quisquam etiam licitè ducere ignobilem.

Resp. Textum intelligi juxta innovationem, quam Concilium facere intendebat; nam, publicè Matrimonium esse celebrandum Concilium statuere, voluit; & sensus est, neminem imposterum occultas Nuptias posse celebrare; sive hic sit ignobilis, sive claris majoribus progeneratus. Non verò Concilium, de coniunctione ipsa loquitur, an coniungendus sit Nobilis cum ignobili, nec ne; Quæ interpetratio deducitur, ex *can. nullus* 30. *q.* 5.

Obiicitur II. *Concil. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. *vers. quod si*, ibi .. Quod si aliquando proba- .. bilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè .. impediri posse, si tot præcesserint denuncia- .. tiones, tunc vel una tantum denunciatio fiat; .. vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus .. testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Ecce, Concilium monet, posse Episcopum dispensare, quando aliquis vult impedire Matrimonium, veluti in casu nostro, quando dispar sit Sponsorum conditio, ergò &c.

Resp. a Guttierez in *L.* 1. *q.* 20. *can. qq.* Textum Concilii clarè loqui; exigit enim, ut Matrimonium malitiosè impediatur ad hoc, ut omittantur denunciationes. At, si Pater opponeret maximam disparitatem, hoc non esset malitiosè impedire; & ideò posteà subiungit Concilium in *vers. deinde* .. nisi Ordinarius ipse .. expedire judicaverit, ut prædictę denuncia- .. tiones omittantur, quod illius prudentię, & .. Judicio Sancta Synodus reliquit.

Obiicitur III Textus in *cap.* 1. *de Coniugio servorum*, ubi etiam invitis, & reclamantibus dominis, volens ducere ancillam impediri non potest, & tamen inter liberum, & ancillam est maxima omnium disparitas, cum nec personam habeant, L. 4. *ff. de Cap. Dimin.* L. *nullo* 7. *ad* L. *Corn. de Falf.* L. *servitutem* 209. *ff. de Cond. & Dem.* 73

Resp. impediri quidem non posse validitatem hujus Matrimonii; at, si Pater rescIverit, velle filium in tantam delabi humilitatem, juste reclamare poterit, ante quam Nuptiæ contrahantur, atque ita fortè intelligitur alter Textus in *can. ancillam* 32. *q.* 2. dum ait, professum esse honestatis a thoro abiicere ancillam. Nempè hic Textus significat futuras esse Nuptias, a quibus abstinere professus sit honestatis, quasi sensus Textus sit, a thoro destinato abiiciendam esse Ancillam, cum qua Sponsalia fuerunt contracta. Alioquin hic Textus nimis pugnaret cum *can.* 1. cum *can. si quis liber*, cum *can. si quis ancillam*, cum *can si fœmina*, cum *can. si quis ingenuus* 29. *q.* 2.

Obiicitur IV. Textus *in cap. Literæ* 1. *de Matr. contr. interd. Ecc.* ubi non obstante prohibitione Ecclesiæ, Matrimonium rectè contrahitur, ergò frustra impeditur. 74

Resp. hoc idem statui in *cap. ex literis eod. T.* Sed neuter Textus attingit casum controversiæ nostræ; sed solum Pontifex statuit, interdictũ Ecclesiæ esse impedimentum impediens; non tamen dirimens Matrimonium.

De hac disparitate, videndus Cabassutius *in scientia can. L.* 3. *cap.* 23. *n.* 9. & 10.

(l) Ex his oritur.

DISSERTATIO X.

An ex Sponsalibus validis, & posteà mutuo consensu dissolutis, oriatur impedimentum publicæ honestatis? 75

Oriri ex Sponsalibus impedimentum publicæ honestatis, principium est irrefragabile, ut constat ex *cap. ad audientiam* 3. *de Sponf. ex can. si quis despensaverit*, & *passim ex aliis Text. sub cap.* 27. *q.* 1. *cap. un hoc T. in* 6. &c.

Illud controversum, an si Sponsalia cessent propter mutuum dissensum, nascatur tale impedimentum?

Negat Gonzalez *in cap. ad audientiam* 3. *n.* 7. *de Sponf.* & alii, quos citat. Quamquàm verò Sanchez affirmativam sententiam adstruat, & multa proferat, & scite omnia.

Nos tamen, ut aliquid novi addamus ultra ea, quæ veram Sanchez sententiam comprobant, & ne lucidus ordo desideretur; Primo sententiam nostram proponemus, deinceps eam quibusdam novis declarationibus Sacræ Congregationis confirmabimus; contraria demum argumenta

gumenta dissolventes.

SIT ERGO NOSTA CONCLUSIO.

Ex Sponsalibus mutuo dissensu dissolutis, oritur impedimentum publicæ honestatis.

76 Probatur Conclusio I. quia jam pro certo tenendum est, id operari dissolutionem, ad quam mutuò Sponsi dissenserint. Nam jubente Alexandro VII. in Sacra Congregatione Concilii, propositum fuit, an Sponsalibus validè contractis, ab initio, deindè mutuo consensu dissolutis, esset sublatum impedimentū justitiæ publicæ honestatis. Et sub *die 6. Iul.* 16. 58. facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua id approbavit sub die 10. *ejusdem mensis*, ut scilicet optimè declaratum esset a Cardinalibus, oriri impedimentum publicæ honestatis, de qua declaratione Pignattellus *Tom.* 5. *Cons.* 50.

Probatur II. ex alia declaratione Sacræ Congregationis in *una Vicentina* 13. *Iun.* 1674. Nam propositum fuerat hoc dubium:

.. Petrus Collata, & Hieronyma Sanctoria
.. contraxerunt inter se Sponsalia per verba de
.. futuro; His autem mutuo consensu dissolu-
.. tis, Hieronyma transit ad alia vota: Cum-
.. que Petrus hodie velit contrahere Matrimo-
.. nium cum sorore germana ejusdem Hiero-
.. nymæ, quæritur, an obstet impedimentum
.. publicæ honestatis, ex dictis Sponsalibus cum
.. Hieronyma mutuo consensu posteà dissolutis

Sacra Congreg. &c. censuit, obstare.

Probatur III ex Textu, meo judicio, clarissimo, in *cap. accessit* 5. *vers. sane extra de Despons. impub.* Sponsa consentire non vult, Sponsus item dissentit, petit enim in Judicio, ut, quoniam Sponsa dissensit, ipse quoque liberetur ab obligatione. Quid ex hoc mutuo dissensu infert Pontifex? En verba: *Inhonestum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.* Ergò ex Sponsalibus mutuo dissensu dissolutis oritur impedimentum publicę honestatis. Qui rectè hunc Textum expendet, vim protinus argumenti percipiet.

Probatur IV. quià Sponsalia post mortem dissoluta pariunt hoc impedimentum *can. si quis uxorem*, *can. si quis desponsaverit* 27. *q.* 2. Mors enim quamvis omnia dissolvat, hoc tamen haud tollit impedimentum. Et tamen nulla major, apertiorque Sponsalium dissolutio. Cur igitur id non debet operari mutuus dissensus?

En rationem, ait Gonzalez, qui contrariam sententiam tuetur, quia nimirum is, qui moritur, si antea non revocavit voluntatem, in eadem perseverasse, creditur *L.* 4. *in P. ff. de Min. vindicta* ideò durat hoc impedimentum. 77

Sed, pace dixerim tam eximii Magistri scientię nostræ, nescio, an hæc propositio vera sit; quod impedimenta regulentur ex voluntate contrahentium. Crederem, impedimenta oriri vel ex Jure Divino, vel ex naturali, vel Ecclesiastico; & quoties Ecclesia introducit aliquod impedimentum, credo, & certissime credo, aliqua speciali ratione permoveri. Videamus jam, quæ sit ratio hujus impedimenti. Ab Ecclesia hoc impedimentum est institutum ad vitandum scandalum, & propter publicam honestatem, ut idem *Gonzales docet sub n.* 7. *ubi supra*. Quid igitur refert, an aliquis moriatur, vel dissentiat? An non semper verificatur, contracta fuisse Sponsalia. An non semper inhonestū est ducere consanguineā Sponsæ? In Nuptiis enim non solum, quod licet, verum, et quod honestum est, attenditur. *L. semper ff. de Rit. Nupt.*

Obstare I. videtur Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 3. ubi disertè statuitur, ex Sponsalibus irritis aliqua ratione, non oriri hoc impedimentum; Ergo neque si irrita sint ex dissensu.

Resp. ex litera Textus protinus intelligi sensum Concilii: Ut videlicet hoc cesset impedimentum, quoties Sponsalia sint irrita ex Juris dispositione; veluti ob fornicationem Sponsæ, ob heresim, ob susceptionem Ordinum &c. Quare non loquitur Concilium in terminis nostræ Quęstionis.


Obstare II. videtur Textus *in cap. un. de Spons. in* 6. ubi, si in Sponsis deficiat consensus, non oritur publicæ honestatis Justitia. Ergò falsum defenditur. 78

Respondetur, Bonifacium expresse loqui de Sponsalibus, quæ nulla sunt ex defectu consensus. Et planè, cum desunt Sponsalia, frustrà quæritur, an oriatur impedimentum publicæ honestatis.



DE IMPEDIMENTIS
MATRIMONII IN GENERE, ET DE DISPENSATIONIBUS.

TITULUS XI.



Dictum (*a*) Matrimonii prohibitorium est, ut omnes illi Matrimonium contrahere possint, qui non prohibentur, *cap. cum apud sedem de Sponſ.* Prohibitiones hujusmodi, atque impedimenta, partim (*b*) ex jure Divino, aut naturali, partim ex jure Ecclesiastico descendunt. Quidam verò ità impediuntur contrahere, ut ultra peccatum sit quoque irritum Matrimonium, si fortè illud contrahere nihilominus voluerint; & hujùs generis impedimenta vocantur dirimentia: Quidam ità impediuntur celebrare Nuptias, ut, si, prohibitione neglecta, se Matrimonio junxerint, illicitè quidèm contraxerint, non tamèn invalidè; & hujus generis impedimenta, impedientia solùm vocantur. Jam ab impedimentis dirimentibus exordiamur. Hæc verò percommodè illis comprehenduntur carminibus

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit Mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia; facta retractant.

Ex quibus impedimentis quędam sunt, in quibus Apostolica [*c*) Sedes dispensare potest. Qui contrahit cum impedimento gradus prohibiti, olim quidem etsi alia pœna præscriberetur, nunc tamen (*d*) est ipso Jure excomunicatus. Si tamen bona fide contraxerit, quamquàm Pontifex postea dispensaverit, novo tamen consensu opus esse, declaravit (*e*) Pius V. & ità quoque censuit Sacra Congregatio Cardinalium. Extat (*f*) Romę major Pęnitentiarius, qui dispensationes Matrimoniales dumtaxat in impedimentis occultis largitur, ut mox explicabimus.

SUM-

SUMMARIUM.

1 Edictum prohibitorium quid sit, late a sua origine exponitur.
2 Quadam Impedimenta a Jure Divino inducta sunt.
3 Quadam alia a Jure Naturali.
4 Quadam alia a Jure Ecclesiastico.
5 Nova explicatio can. 27. Concilii 6.
6 Consuetudo potest nova introducere impedimẽta.
7 Episcopus nova impedimenta introducere non potest.
8 Hoc Jus sibi reservavit S. Pontifex.
9 Ratio traditur hujus reservationis.
10 Princeps saecularis hac impedimenta nequit introducere.
11 De causis Matrimonialibus.
12 Ecclesia privativè cognoscit de causis Matrimonialibus.
13 Quanam leges circa Matrimonium sint abrogata.
14 Magistratus, seu Princeps interdùm in Matrimoniis se ingerunt.
15 Dispensatio quid sit.
16 Species dispensationis.
17 Pontifex dispensat in omni Impedimento inducto a Jure Ecclesiastico.
18 Dispensationem pracedere debet justa causa.
19 Enumerantur justa causa dispensationis.
20 Neque Nuncii, neque Collectores dispensare possunt.
21 Enumerantur casus singulares, in quibus Episcopus dispensare potest.
22 Historica exempla secuta dispensationis recensetur.
23 Verba dispensationis cum Henrico VIII. referuntur.
24 Pana contrahentium cum impedimento, dirimenti.
25 Contrahens bona fide cum impedimento auꝺ dispensatione obtenta rursus contrahereꝺ teneatur.
26 Declarationes Cardinalium adducuntur.
27 Impedimenta publica dispensantur in Dataria.
28 Impedimenta occulta in M. Panitentiaria.
29 Quid Pœnitentiaria sit.
30 De Dignitate Majoris Pœnitentiarii; pluraꝺ ad notitiam traduntur.
31 De Jurisdictione Majoris Pœnitentiarii.
32 Jurisdictio Majoris Pœnitentiarii circa quanam versetur.
33 De Stylo Majoris Pœnitentiariè.
34 Forma Diplomatis in dispensationibus circaꝺ Matrimonium.
35 Cuinam committat dispensationem major Pœnitentiarius.
36 Persona, cui committitur, debet esse vel magister Theologia, vel Decretorum Doctor.
37 Diplomatis verba ponuntur.
38 Panitens habens diploma eligit, quem velit, ut dispenset.
39 Habens diploma debet prius confiteri.
40 Confessor post Sacramentũ Pœnitentia dispensat.
41 Dispensatio non debet fieri in scriptis, nequeꝺ coram aliis.
42 Triplex forum.
43 Aliud Diploma transcribitur ad majoremꝺ intelligentiam.
44 Dissimulatio Pontificis an vim habeat dispensationis.
45 Nova Instructio ad Parochos volentes Sacra Pœnitentiaria scribere.

EXPLICATIONES.

[a] Edictum.

De Edicto Prohibitorio.

1 PRohibitorium esse edictum de Matrimonio contrahendo, docet Pontifex in *cap. cum apud sedem* 15. *de Spons.* ibi: *Ad quod taliter respondemus, quod cum prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo*, & deducitur etiam *ex can. qui spirituale* 30. *q.* 4.

Edictum idem est, ac decretum, & qualibet Lex edictum vocari potest ab *edicendo*, idest statuendo, vel, ut *Theophilo* placet, ab *edicendo* idest *pradicendo*, quasi *edicere*, obviam sit ireꝺ rebus, quæ, si contingant, damno, aut dolori subditis futura sint §. *sed & quod Principi inst. de Jure Nat. L. Iurisgentium* §. *sed si fraudandi ff. de Pactis L. si familia ff. de Iur. omn. Iud. L.* 3. §. *hac verba ff. de neg. gest. L.* 1. §. *prator ff. de Minor, L. ab honestib.* §. *sed quod simpliciter ff. ex quib. Caus. major. Rebuff. de V. S. ad L.* 16. *Alciat. L.* 3. *Parerg. cap.* 15.

Cum verò lex pro majori parte prohibet, edictum prohibitoriũ, censetur *can. consuluisti* 2. *q.* 5. *cap. inter corporalia de Transl. L.* 3. *ff. de Coll. L. Prator* §. *hoc interdictum ff. de Nov. oper. nunc. juncta L.* 1. §. *hoc autem edictum* ib. *L. si pupillus* §. *servus ff. de Arb.*

Sic prohibitorium est edictum ad Ordines *cap. dudum de prascript.* Prohibitorium est Edictum de Procuratoribus *cap.* 1. *de Proc. in* 6. *L. Mutus* 43. *ff. de Procur.*

Quare Florianus in L. 2. *de Prob. & Ioan. Andr. in Tomo* 16. *repet. pag.* 57. *n.* 187. affirmant, tale edictum esse prohibitorium casuum, & permissorium regulæ; quasi regula fit ex-

ceptis

ceptis casibus prohibitis, generaliter aliquid permitti.

[b) Partim ex Jure Divino.

DISSERTATIO I.

De origine cujuscumque Impedimenti.

2 Jus Divinum prohibet, ne quis constante Matrimonio aliam ducat uxorem *cap. 2. Genes. vers.* 24. ibi .. relinquet homo Patrem suum, & Ma- .. trem, & adhęrebit uxori suæ, & erunt duo .. in carne una, *& cap.* 19. *Matthai*, ibi .. non .. legistis; quia, qui fecit hominem ab initio, .. masculum, & fæminam fecit eos, & dixit, .. propter hoc dimittet homo Patrem, & Ma- .. trem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo .. in carne una.

Nicolaus I. *ad Consult. Bulgar. cap.* 51. ibi: .. duas tempore uno habere uxores, nec ipsa .. Origo humanæ conditionis admittit, nec lex .. Christianorum ulla permittit.

Et plura dicemus de Poligamia *in Explicationibus Tit. . . . . hujus Lib.*

Interim constat, Poligamię impedimentum Jure Divino inductum fuisse.

3 Error autem, in quo naturalis consensus deficit; Votum, quo quis se Deo obstringit, cujus cultum, ac venerationem natura ipsa docet, (& est votum Juris Divini naturalis) Cognatio, ex qua natura ipsa refugit, cum eodem sanguine coniunctis commixtionem carnalem; Vis, ac metus, itemque publicæ honestatis Justitia; Impedimentum naturale, quo prohibeatur quis reddere debitum: Omnia hæc induxit impedimenta Jus ipsum naturale, ut suis locis fusè explicabimus.

4 Quod verò attinet ad Jus Ecclesiasticum; audiendum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *can.* 4. ibi .. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse .. constituere impedimenta Matrimonium diri- .. mentia, vel in iis constituendis errasse: ana- .. thema sit.

Sic olim potuit Ecclesia dirimere Matrimonium intra *septimum* consanguinitatis gradum *cap. ad sedem* 35 *q.* 5. donec gradus restricti sunt, *cap. non debet de Conf. & aff.*

Et eadem Ecclesia potest prohibere Matrimonium cum clausula irritanti, quo casu Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contractum erit irritum *cap. ad dissolvendum de Desponf. impub. cap. tua in fine de Sponf. duorum can. contradicimus in fine* 35. *q.* 2. *cap.* 1. *de Matr. contra interd. Eccl.*

5 Hinc aditus datur ad intelligendum Canonem difficilem Concilii Oecumenici 6. *Constant.* 3. *in can.* 27. ubi ita PP. accedente Pontificis Confirmatione, decreverunt .. Non licere virum Or- .. thodoxum cum muliere hęretica, nec Or- .. thodoxam cum viro hæretico copulari; sed, .. si quid hujusmodi ab ullo ex omnibus factū .. apparverit, irritas Nuptias existimari, & se- .. parium coniugium dissolvi.

Ego puto, hunc Canonem induxisse ad tempus prohibitionem Matrimonii cum clausula irritanti, neque vim habuisse, nisi in Græciæ regionibus; nam in Occidenti ratum fuisse semper Matrimonium hæretici, cum Catholica, dubitandum non est. Imò fæmina, quę erroris viri conscia, hęretico nubit, Dotis pœna mulctatur *in cap. decrevit de har. in* 6.

Ex quo patet, posse Ecclesiam constituere Impedimenta dirimentia. Et confirmatur, quia Impedimenta dirimentia potest introducere ipsa consuetudo ad Textum expressum, & ibi *Gonz. in cap. super eo* 3. *de Cogn. Spirituali*; Cum 6 ergò consuetudo accedente Pontificis consensu vim habeat, si non expresso, saltem tacito *cap. quod dilectio de Conf. & aff. cap. super de Cog. Spirituali. Hosl. in Summa de Cogn. Spir. sub n.* 5. protinus sequitur, a Pontifice, qui sedet ad gubernacula Ecclesiæ universalis, Impedimenta hujusmodi posse innovari.

Atque illud quęri posset, an, cum & Ecclesiam administrent Episcopi; inducere possint dirimens impedimentum? 7

Dicendum est S. Pontificem id Jus jam sibi reservatum exequi posse, non verò Episcopos, 8 neque Principes sæculares posse novum introducere impedimentum.

Quod si quæras ex me canonem, undè probetur, Pontifiem sibi hoc Jus reservasse. Credo, non id quidem ullo Canone probari expresse valere; at hęc reservatio ex generali Ecclesiæ consuetudine promanavit: Ita *Sanchez de Matr. L.* 7. *Disp.* 1. *& Disput.* 3. *n.* 3.

Unde Episcopi his temporibus non possunt impedimentum dirimens inducere propter hanc reservationem. *Covar.* 2. *P. cap.* 6. §. 10. *Antonius in cap. tua fraternitas de Sponf. duorum n.* 5.

Ratio est, quià licet Episcopus in sua Dięcesi potestatem habeat non vulgarem; attamen causæ, quibus Matrimonii valor vertitur, sunt 9 de majoribus causis; & non obscure Canones sæpè declarant, majores causas Pontifici esse reservatas. *Text. in cap. cum ex illo de El. & el. pot. Textus in can.* 18. *Concil. Nicani*, ibi .. .. Apostolicæ Sedis dispositioni omnes majores .. causas, & Episcoporum Judicia, Apostolo- .. rum, eorumque successorum, atque cano- .. num auctoritas reservavit.

Et ad hanc consuetudinem referri potest Textus *in can. multis* 17. *dist.* ibi .. majores, & dif- .. ficiles Quæstiones, ut S. Synodus statuit, .. & vetus consuetudo exigit, ad Sedem Apo- .. stolicam referri.

Multo minus Princeps sęcularis, hac potestate se præditum esse, contendere jure poterit, 10 cum repugnent expressi Textus in *cap. tuum de Ord. Cognit. can. multorum* 45. *q.* 6. *cap. accedentibus de Excess. Pral. cap.* 2. *Sponf. can. Euphemium* 1. *q.* 3.

Nam

Nam, ut disserit Bellarminus *de Matr. cap.* 32. Quæ ad Matrimonium causę pertinent, ad
11 tria genera rediguntur. Primi generis causę sunt *Politica*, quæ de Dote, de successione, de hæreditate pertractant: secundi generis causę sunt omninò *Spirituales*, ut de partibus Sacramenti, de benedictionibus &c. Quædam *mixta* sunt partim politicæ, partim spirituales, ut de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis, & aliis.

I. Generis causę ad politicum magistratum pertinent.

II. Generis causę ad solam Ecclesiam.

III. Generis causæ, ad politicum quidem magistratum spectabunt, sed cum subordinatione ad Ecclesiam; simpliciter autem ad Ecclesiam pertinent.

Ratio est. Tum quia Matrimonium jam non est contractus simplex; sed contractus elevatus ad dignitatem Sacramenti. Tum etiam quia, etsi per impossibile, fingeremus, non esse Sacramentum, tamen res est conscientię, & ideò ad Ecclesiam pertinet *cap. novit de Iud.* Tandem (ut, idem Bellarminus inculcat) hæc est totius Ecclesiæ *praxis*.

Et de hac praxi Ecclesię testatur etiam Oleat *de Foro Eccl. P. 3. q. 37. n. 2.*

Et ideò privative Ecclesia cognoscit de causis Matrimonialibus ex Textu *in cap. decernimus de Iud. in cap. causam extra qui filii sint legit.*
12 *ex d. cap. tuam de Ord. cogn.*

Et ideò Juri Canonico in hac materia standum est *cap. fin. de secundis Nupt.*

Et ideò abrogatæ censentur Leges Civiles contra Matrimonium disponentes, veluti quę con-
13 sensum Parentum ad validitatem pertinere statuunt §. 1. *Inst. de Nupt. L. Orat. ff. de Ritu Nupt. cum simil.* Veluti Leges, quæ infamiam inurunt Viduis intra annum luctus nubentibus, *can. quadam lex* 35. *q.* 2. Veluti *Authentica sed si post C. de Inof. Test. & Auth. ut cum de App. cognoscit.* §. *si vero quis col.* 8. quamquam de his postremis auctoritatibus contrarium doceat Pereirus *a Castro de manu Reg. L.* 4. *cap.* 70. *n.* 4. & quamquam Mastrillus de quadam lege Feudali contrarium sentiat *intract. de Mag. L.* 5. *cap. 6.*

Animadvertit tamen *Card. de Luca in discursu* 1. *in miscell. n.* 110. quiddam valdè notandum, ideòque ejus verba transcribam. „ Quamvis in „ istis quoque pro diversis Regionum, seu Prin-
14 „ cipatum Legibus, vel stylis, in iis, quæ me- „ ram temporalitatem continent, circa puræ „ spiritualitatis cognitionem, sęcularis potestas „ manus saltèm provisionales quandoque ap- „ ponere soleat

Et discursu 26. *n.* 37. 38. & 39. adducit hanc distinctionem: An scilicet simpliciter, & indefinitè, seu irrationabiliter, & indiscretè libertatem in Matrimonii politica potestas, impediat, vel restringat, seu potius alium habeat finem, qui compatibilis sit, cum libertate, ut si adiiciatur laudabilis finis virginitatis, vitæque Spiritualis, aut aliter, ita ut nihilominus exerceri possit libertas intra eamdem restrictionem; atque in isto sensu censet intelligi Concilium *Trid. sess.* 24. *cap.* 9.

Ex quibus omnibus patet, solum impedimenta dirimentia constituti posse a Pontifice, exclusis Episcopis, exclusis Magistratibus politicis, & quomodo in causa spectante ad Matrimonium politica potestas se gerere debeat, interim incomperto est.

(c] *Apostolica Sedes*.

DISSERTATIO II.

De Potestate Pontificis in dispensando Impedimenta.

Dispensatio definitur, ut supra quoque monuimus *L.* 1. *T.* 4. *n.* 4. rigoris juris per eum, 15
ad quem spectat, misericors canonicè facta relaxatio. *can. requisitis* §. *nisi rigor* 1. *q.* 7.

Species dispensationis sunt tres. Prima est *debita* dispensatio, hoc est ex causa necessitatis.
Secunda est dispensatio *permissa* ex causa utili- 16
tatis *can. etsi illa* 1. *q.* 7. Tertia, est dispensatio prohibita ubicumque decoloratur status Ecclesię, quo casu dispensari non potest, ut contra Evangelium, vel præceptum Apostoli *can. sunt qui dicunt* 27. *q.* 2.

Pontifex in omni casu, & impedimento a Jure humano inducto dispensare potest, quià
est successor. S. Petri *can. quoniam vetus* 24. 17
q. 5. & Vicarius Christi *cap.* 1. *de Transl. Episcopi.*

Et potest etiam ex causa Jus Divinum interpretari, & limitare, quamquam illud tollere nequeat, *Clem. ne Romani de Elect.*

Nunc, quod attinet ad impedimenta dispensanda, planè si quæras de Impedimentis a Jure Divino, aut Naturali inductis, in hæc non cadit Dispensatio, ut esset impedimentum ligaminis, impotentię, consanguinitatis in primo gradu *cap. cum inferior* 21. *dist cap. cum inferior de major Clem. Romani de elect.* nec satis est, ut necessitas urgeat *cap. sunt quidam* 25. *q.* 2. *cap. proposuit de Concess. prab. cap. ita quorundam de Iud.*

Si verò quæras de aliis impedimentis inductis tantum a Jure Ecclesiastico, Pontifex in his ex justis causis dispensare potest, *can. statuta, can. omnia* 25. *q.* 1.

Causæ autem, ex quibus in Romana Curia
petitur dispensatio, ex consueto sunt magnæ 18
litis compositio, gravis scandali evitatio, inęqualitas Matrimonii, defectus Dotis competentis, ut si uxor non potest invenire sponsum
sibi dignum, nisi ex ipsa consanguinitate; con- 19
servatio illustris familię, servitia in obsequium Ecclesiæ facta, copula habita cum consanguinea bona fide, idest ignorando esse talem, magna

pecu-

pecuniæ quantitas erogata ad expeditionem contra Infideles Gonz. qui has causas refert in *cap. quia de conf. & aff.*

De aliis verò, qui sunt in dignitate sublimiori constituti, quid dicendum? Regula est Episcopum dispensare non posse, quia non possunt inferiores dispensare in Lege superioris *clem. ne Romani de el.*

20 Imò neque Nuncios, neque Collectores in gradibus prohibitis dispensare posse, est expressum in Bulla Urbani VIII. *Const. Sanctissimus cap.* 14.

Est tamen casus aliquis, in quo hujusmodi dispensatio Episcopo videtur permissa.

21 Primus casus est, quandò Matrimonium est publicum, impedimentum autem occultum, & scandalum in separatione contingeret, neque datur facultas adeundi Pontificem ob inopiam, aut ex alia justa causa. His circumstantiis concurrentibus Episcopus poterit dispensare.

Ratio hujus primi casus hæc est: quia eatenus Pontifex, & non Episcopi in impedimentis Matrimonii dispensare queunt, quatenus Pontifex dispensationem hanc sibi reservavit; sed casu tantæ necessitatis non est credibile, reservationem vigere; ergo &.

Secundus casus est, quandò urget gravis necessitas, ut si quis morti proximus vellet ducere fœminam, quam violavit, aut ex qua filios susceperat, & jam deliberat, eos legitimare per subsequens Matrimonium, vel si jam parata sunt omnia ad Nuptias, & fœmina manè fatetur impedimentum, ex quo timeri valeat vitę periculum, aut honoris, ita Gonzalez *ubi supra*, qui multos citat.

Ut verò exempla aliqua ex historiis referamus dispẽsationũ, quas Apostolica Sedes indulsit.

22 Innocentius III. ut est in *cap. fin. de Divort.* dispensavit cum Livonibus, ut conversi ad fidem, manerent cum uxoribus Fratrum in infidelitate acceptis.

Alexander III. dispensavit cum Emannele Rege Portugalliæ, ut successivè duas Sorores acciperet.

Julius II. dispensavit cum Henrico VIII. ut Catharinam filiam Ferdinandi uxorem fratris absque liberis defuncti duceret.

Nicolaus Mysticus Patriarcha Constantinopolitanus anno 901. Leonem Imperatorem quartam uxorem ducere prędefunctis tribus antea ductis interdicebat, quod forte ita prohibendum censebat, ob Textum in *can. de his* 31. *q.* 1. *& ob Leonis ipsius Const.* 90. Ergò Imperator misit Romam legationem, ad Romanum Pontificem, qui super ejusmodi Matrimonio dispensaret; Pontifex Joan. IX. missis in eam remlegatis Constantinopolim ipsum quartò contractũ Matrimonium ratum haberi voluit; nec enim dispensatione, quam petierat Imperator, opus erat. Satisfecit tamen Imperatoris voluntati Pontifex, *Spondan. an.* 901. *n.* 3.

Martinus V. dispensasse in primo gradu lineæ transversalis consanguinitatis, narrat Gaietanus *in Opusculo de Matr. Reg. Angliæ*.

Cælestinus III. dispensavit cum filia Gulielmi Regis Siciliæ, ut recederet a Monasterio Monialium Panormi S. Claræ, & se Henrico IV. Matrimonio jungeret *Simoneta L.* 5. *cap.* 80.

Joannes 22. dispensavit cum Alberto 2. Austriæ Duce Alberti primi Imperatoris, quinti in ordine filii, cum namque Fratres decessissent, ipse, licet Pataviensis Canonicus, habita dispensatione Sedis Apostolicæ, Joannam Udulrici Comitis filiam duxit *Lazius L.* 3. *Rer. Vien.*

Dispensatum quoque cum Bernardo Hildeshemiensi Episcopo Duce Brunsuicensi, ut dimisso Episcopatu, successionem per legitimas Nuptias haberet, *Grant. L.* 2. *Metrop. cap.* 45. & 49.

Paschalis II. dispensavit cum Boleslao Poloniæ Rege, qui Michaelis Kiovensis Principis Filiam conjugio sibi copulavit, cum qua tamen nexus cognationis erat.

Alexander VI. dispensavit cum Aragonio Rege Neapolitano, ut Joannam duceret, quam prohibiti gradus ratio, sibi Matrimonio copulare, non patiebatur, *Bemb. L.* 3. *Hist.*

Martinus V. dispensavit cum Joanne duce Magnopolensi anno 1416. ut Catharinam sibi tertio cognationis gradu conjunctam acciperet *Grant. L.* 10. *Vandalia cap.* 25.

Arturus Frater Henrici VIII. anno 1500. duxerat in uxorem Catharinam filiam Ferdinandi, & Elisabethæ Regum Hispanię; post quinque menses Henricus VIII. ætate 12. annorum prævia dispensatione Pontificis eamdem Catharinã duxit in uxorem, & Julius II. dispensationem misit his verbis.. Romani Pontificis præcellens .. auctoritas &c. Nos igitur, qui inter singulos Christi fideles, & præsertim Catholicos .. Reges, & Principes pacis, & concordię ame- 23
.. nitatem vigere in terris, desideriis affectamus, vos, & quemlibet vestrum a quibuscũ- .. que excommunicationibus, & infra. Vobis &c. .. ut impedimento affinitatis hujusmodi ex præ- .. missis proveniente, ac constitutionibus, & .. ordinationibus Apostolicis, cæterisque con- .. trariis nequaquam obstantibus, Matrimonĩũ .. per verba legitima de præsenti, inter vos .. contrahere, & in eo, postquam contractum .. fuerit, & infra, licitè remanere valeatis, .. authoritate Apostolica tenore præsentium de .. spirituali dono gratiæ dispensamus &c.

Et de dispensatione Pontificia, qua permissum fuit Rainiro, & Nicolao Sacris Ordinibus insignitis ad statum coniugalem transire, plures contendunt, de quibus *Gonz. in Concil. Illib. ad can.* 13.

(*d*] *Nunc*.

Contrahens cum impedimento est excommunicatus.

Contrahentes Matrimonium in gradu prohibito, removebantur olim ab interventu Divinorum Officiorum, sicut Cathecumeni, Hereti- 24

ci, &

ci, & similes *can. de incestis* 35. *q.* 2. *&* 3.

His verò temporibus sunt excomunicati ipso jure, qui scienter ita contrahunt, *Clem. unica. de consang. & affinitate*, his verbis: eos, qui
,, divino timore postposito in snarum pericu-
,, culum animarum scienter in gradibus con-
,, sanguinitatis, & affinitatis constitutione Ca-
,, nonica interdictis, aut cum Monialibus con-
,, trahere matrimonialiter non verentur, nec
,, non Religiosos, & Moniales, ac Clericos in
,, sacris Ordinibus constitutos Matrimonia con-
,, trahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmo-
,, di eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos
,, excomunicationis sententiæ ipso facto, de-
,, cernimus, subiacere.

Et ideo, M. Pœnitent. in subdeleganda eorum absolutione utitur hujusmodi generalibus verbis, *a quibuscumque sententiis, censuris. Leon. in praxi ad literas M. Pœnitent. P. 2. cap. 4. n. 1.*

[*e*] *Declaravit Pius V.*

Obtenta dispensatione novo consensu opus est.

Quæstio illa, an si quis bona fide contraxerit cum impedimento dirimente, obtenta licentia a Pontifice, an iterum debeat contrahere, si fuerit Matrimonium factum cum solemnitatibus, diu, multumq. fuit inter Cannonistas exagitata.

Nunc tamen sublata, videtur, tam dissidens opinionum varietas propter varias declarationes: nempè novum consensum inter partes exi-
25 gi ad vitanda scandala, certum est *ex Trid. sess.* 24. *cap.* 1. Sed, si celebratum fuerit Matrimonium cum solemnitatibus, novo consensu opus non est; & ita declaravit Pius V. teste
26 *Navarro in Man. cap.* 22. *n.* 7.

Si res est publica, scilicet impedimentum adfuisse, debet rursus cum trina denunciatione, & omnibus aliis solemnitatibus contrahi; ita Sacra Congregatio Concilii rescripsit Henrico Cardinali Legato Portugalliæ anno 1579.

Et ità quoque censuit Sacra Congregatio die 25. *Maii* 1657. ibi Sacra Congregatio Emin.
,, S. R. E Card. Conc. Trid. interpretum cen-
,, suit, hujusmodi Matrimonia esse nulla, sed
,, prævia dispensatione Sedis Apostolicæ reno-
,, vanda, servata Concil. Trid. forma, dum-
,, modo impedimenta sint publica.

(*f*) *Extat quoque Romæ.*

DISSERTATIO III.

De Majoris Pænitentiarii dispensationibus juxta nostrorum temporum praxim.

Ubi de publicis impedimentis tractetur, eorumque dispensationibus, ad DATARIAM,
27 de his agere pertinet. Ubi verò de impedimentis occultis ad Sacram PÆNITENTIARIAM.
28 *de Luca discurs.* 27. *ad Trid. n.* 3. *in miscell.*
Et in gradibus prohibitis, ubi sit dispensandum, non agitur in Tribunalibus contentiosis; sed in *Dataria* forma extrajudiciali: idem *De Luca ubi supra n.* 13. Et de dissolutione ob impotentiam agitur in foro contentioso, idem *n.* 17.

Pœnitentiariæ dignitas instituta primò fuit a Benedicto Papa II. ac postmodum aucta ab Eu- 29
genio, & Sixto, tum a Pio V. ejusque successoribus confirmata.

Confertur hæc dignitas alicui ex Romanæ Ec- 30
clesię Eminentiss. Cardinalibus.

Jurisdictio majoris Pænitentiarii, olim longè, lateque diffundebatur. Pius V. eam moderatus est. Urbanus VIII. ejusdem M. P. auctoritatem declaravit, suosque limites præscripsit, *per literas in forma Brevis die* 27. *Sept. an.* 1634.

Si Pontifex è vita excesserit, non tamen majoris Pœnitentiarii potestas expirat, *Clem.* 2. *S. eo tamen de El.*

Major Pœnitentiarius pluribus adiuvatur Ministris.

Infra se habet Regentem, qui eligitur ex primariis Romanæ Curiæ Prælatis.

Regens vices gerit majoris Pœnitentiarii, supplices libellos Sacræ Pœnitentiariæ porrectos recipit, subsignat, & decreta desuper opportuna apponit, concedendo in eis petita, si legitimæ adsint causę, sin minus denegando. Supplicationes a Procuratoribus secundum prædicta decreta confectas subscribit in hanc formam

Fiat de speciali. N. Regens.

Si verò consulto prius Pontifice gratia adveniat, in hanc formulam subscribit

Fiat de expresso. N. Regens.

Est & alter Minister sub majore Pœnitentiario, nempe *Datarius*. Hic in calce supplicationum scribit datam diei, mensis, anni Pontificatus, ita:

Datum Romæ apud S. Petrum.

quibus verbis postremis indicatur, Pontificem in Palatio Vaticano commorari. Si verò Pontifex moretur in monte Quirinali, ponitur:

Apud S. Mariam Majorem - Non. Oct. an. 20.

Datarius est ex primis Romanæ Curiæ Prælatis.

Ultra hos Prælatos est *Corrector, seu Revisor*, qui supplicationes a Procuratoribus ejusdem Officii confectas, perlegit, & ubi viderit necessarium, emendat, & in signum adimpleti sui muneris notam quamdam in extremo paginę supplicationum imprimit. Demum literas in forma Brevis, ac Bullas juxta supplicationum formam expediendas, expeditasque subscribit nomen, & cognomen apponens, *N. N.*

Præterea major Pœnitentiariius duos habet *Consultores*.

Habet, & *Sigillatorem*, qui Sacræ Pœnitentiariæ sigillum, apud se retinet. Hic subscribit intus, & extrà literas expediendas nomine majoris Pœnitentiarii; Bullas verò intus solum subscribit post correctionem in hunc modum

Gratis ubique. N. sigillatur.

Tandèm sex alii Ministri sunt; videlicet tres Procuratores, seu Secretarii, & totidem Sriptores.

Prædicti omnes Officiales, & Ministri debent sacris esse Ordinibus initiati, spondentque Juramento his verbis:

Secreta Sacræ Pænitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra officium revelabo, & ita juro ad Sacrosancta Dei Evangelia, sic me Deus adjuvet.

31 Ut ad jurisdictionis M. Pœnitentiarii exercitium, sermonem convertamus, hic semel in singulos menses, & sæpius etiam, si opus sit, suos convocat Officiales, quæ convocatio dicitur signatura Pœnitentiariæ. Nam spectantibus majori Pœnitentiario, prædictisque Officialibus, memorialia signantur a D. Regente, & is casus discutit propositos, & gratiæ conceduntur, vel negantur.

Idemque in majori hebdomada publicè se exponit in primariis Urbis Basilicis, ad Pœnitentium commodum, qui eo confluant ex omnibus mundi partibus, auditosque pro eorum casuum absolutione, & dispensatione, mittit cum opportuna facultate ad minores Pœnitentiarios, qui sunt in singulis Basilicis.

Pro casibus occultis, & pro simplicibus absolutionibus, quę ad Ordinarios locorum diriguntur circa publicos casus, diplomata tradit ad formam literarum familiarium sigillo munita.

Pro casibus verò publicis ad Regularium favorem literæ patentes sunt cum pendenti per cordulam rubeam sigillo, ex cera coloris ejusdem. Idemque observatur, pro viris laicis, quando absoluti ad Ordinarium suum remittuntur.

32 Versatur autem auctoritas majoris Pœnitentiarii, circa dilationes, & commutationes votorum simplicium, & simplicis obligationis recitandi horas canonicas; versatur circa absolutionem a casibus, & censuris reservatis; versatur circa dispensationes super impedimentis occultis Matrimonii; versatur circa dispensationes in irregularitatibus, convalidationes Titulorum: rehabilitationes ad beneficia, nec non ad officia, & dignitates, ac dispensationes pro Regularibus eligentibus strictiorem vitę statum; versatur circa condonationes, & remissiones pecuniarium, & fructuum malè exactorum, & perceptorum, modo prejudicium domini certi non adsit.

Observatur autem certus in Pœnitentiaria stylus in structura diplomatum, & literarum
33 in forma Brevis, quę Pœnitentiaria Pœnitentibus absentibus, prout indigent, solet concedere, dum nequeunt ad Urbem ipsi per se accedere; præsentibus autèm in Curia non dantur; sed ipsi mittuntur absolvendi, dispensandive cum memoriali subscripto ad aliquem ex minoribus Pœnitentiariis.

Nos jam Diplomatis formam circa dispensationes in Matrimoniis ob oculos ponamus.

Diplomata autem hæc, ut ex litera constabit,
34 nomen majoris Pœnitentiarii initio præseferunt, in quibus major Pœnitentiariius gerens vices S. Pontificis, demandat suam commissionem 35
personæ in dignitate constitutæ, ut exequatur commissionem; & hęc eligitur arbitrio Pœnitentis. Persona, ad quam commissio dirigitur, vel in Theologia magister, vel Decretorum Doctor esse debet. En igitur exemplum dispensationis. 36

„ Scipio Caffarellus Sanctę Romanæ Ecclesię
„ Cardinalis &c. Discreto Viro Confessori Ma-
„ gistro in Theologia, vel Decretorum Docto- 37
„ ri per latorem præsentium, ad infrascripta
„ specialiter eligendo, salutem in Domino.
„ Ex parte latoris præsentium nobis oblata pe-
„ titio continebat: Quod ipse alias duas soro-
„ res germanas carnaliter cognovit, & deindè
„ bona fide tractavit de Matrimonio, contra-
„ hendo cum alterutra earum. Cum autem,
„ sicut eadem petitio subjungebat, impedimen-
„ tum, ex præmissis proveniens, sit occultum,
„ tractatus verò Matrimonii hujusmodi publi-
„ cus, & nisi ad effectum perducatur, scandala
„ indè exoritura sint; ad ea vitanda, ac pro
„ suæ conscientiæ quiete, cupit lator præfatus
„ de præmissis, de quibus plurimum dolet,
„ per Sedem Apostolicam absolvi, secumque
„ desuper dispensari: Quare supplicavit humi-
„ liter, ut sibi super his de opportuno remedio
„ providere dignaremur.

„ Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ cu-
„ ram gerimus hujusmodi supplicationibus in-
„ clinati authoritate Apostolica specialiter no-
„ bis concessa, discretioni tuę committimus,
„ quatenus, si ita est, dictum latorem, audi-
„ ta prius ejus Sacramentali Confessione, ab in-
„ cestu hujusmodi absolvas hac vice in forma
„ Ecclesiæ consueta injuncta indè ei pro tam
„ enormis libidinis excessu gravi Pœnitentia sa-
„ lutari; & aliis, quę fuerint de Jure injun-
„ genda. Demùm, dummodò impedimentum ex
„ præmissis proveniens sit occultum, &, nisi
„ Matrimonium hujusmodi contrahatur, peri-
„ cula imminerent revelationis hujusmodi im-
„ pedimenti, & scandalorum, aliudque Cano-
„ nicum non obest, cum eodem latore, quod
„ præmissis non obstantibus Matrimonium cum
„ dicta sorore, & uterque inter se publicè, ser-
„ vata forma Concilii Tridentini contrahere, &
„ in eo postmodum remanere licitè valeant,
„ misericorditer dispenses, prolem ex indè sus-
„ cipiendam legitimam nunciando in foro con-
„ scientię, & in ipso actu Sacramentalis Con-
„ fessionis tantùm, & non aliter neque ullo
„ modo; ita quod hujusmodi absolutio, & dis-
„ pensatio in foro judiciario nullatenus suffra-
„ gentur; nullis super his adhibitis testibus,
„ aut literis dàtis, seu processibus confectis, sed
„ præsentibus laniatis, quas sub pœna exco-
„ municationis latæ sententiæ laniare tenearis,
„ ità ut nullum illarum exemplum extet, ne-
„ que eas latori restituas, quod si restitueris,
„ nihil ipsi præsentes literę suffragentur. Da-
„ tum Romę apud S. Petrum sub Sigillo offi-

.. cii Pœnitentiariæ id. Sept. - Pontificatus Sanct.
.. D. N. Urbani VIII. ann. 6.

Nunc ad integram, perfectamque cognitionem rei propositæ, opus est parumper de Executore hujusmodi Diplomatum differere.

Est in arbitrio pœnitentis elige e, quem vo-
38 let ex magistris in Theologia, aut ex Doctoribus Decretorum.

Electus debet Confessionem penitentis prius audire, nec sufficit ad satisfaciendum obligationi in Diplomate præscriptæ, alias dicto Confessori
39 confessum fuisse, *Leon. in Praxi major. Pen. P. 1. cap. 3. n. 85.*

Audita Sacramentali Confessione Confessor post eam dispensat, neque enim, quamvis in Diplomate sint hęc verba: *in actu Sacramentalis Confessionis &c.* Physicè hoc intelligendum est, quià hæc dispensatio non est pars, neque Forma Sacramenti Pænitentiæ, & Sacramenrum Pœnitentię, non est quid permanens, sed quid tran-
40 fiens; sed intelligitur moraliter peragi immediatè post Confessionem peractam ita *Leon. ubi supra n. 150.*

Talis autèm dispensatio debet fieri coram Confessario tantùm; non debet fieri in scriptis, ut
41 notatur *in cap. omnis 12. de Pan. Leon. P. 3. cap. 2. n. 81. & 82.* & deducitur ex tenore præmissi Diplomatis, dum ait: *nullis super his adhibitis testibus, aut literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis &c.*

Notetur tamen, quod, si quid de sui natura non sit occultum, illud suis absolutionibus, dispensationibus &c. occultare non intendit *M. Pen.* Et ideò non ita verba illa *in foro conscientia*, quæ hæc Diplomata continent, strictè sunt accipienda, ut sub Sigillo remaneant penitus exclusa ab hominum notitia, nisi aliter exprimatur: *Leon. P. 1. cap. 3. n. 140.*

Triplex autem est forum, videlicet forum Pænitentiale, forum Conscientię, & fo-
42 rum fori: forum autem Conscientiæ, est quid medium inter forum Pœnitentiale, & forum fori *Abb. in cap. de his 6. n. 3. De Act. cum altir citatis a Leone, ubi supra.*

Habes igitur studiose Adolescens & formam Diplomatis, & modum exequendi commissionē.

Easdem formulas, & clausulas cętera Diplomata continent; solumque variatur Diploma in re ipsa, quæ dispensanda occurrit, ut hoc alio exemplo cognoscitur.

Scipio Caffarellus &c. Quatenus, si ita est,
.. dictos latores, audita prius eorum Sacramen-
43 .. tali Confessione, a quibusvis sententiis, &
.. Censuris, & pęnis Ecclesiasticis, quas prop-
.. ter præmissa quomodolibet incurrerunt, in-
.. cestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac
.. vice &c. iniuncta indè eis pro tam enormis
.. libidinis excessu gravi, & diuturna pœniten-
.. tia salutari, ac Sacramentali Confessione &c.
.. Demùm dummodò impedimentum præfatum
.. occultum sit, & separatio &c cum eisdem
.. latoribus de nullitate prioris consensus cer-
.. tioratis &c.

Quod Diploma concessum est a M. Pœnitentiario in casu coniugum, qui ante Matrimoniū noverant impedimentum; quoad hanc rem dispensandam variatur Diploma. Cęterum rȩliquȩ clausulæ in omnibus ęędem sunt. Hæc proindè exempla sint satis.

Non possum tamen, antequam hanc de dispen- 44
sationibus tractationem absolvamus, omittere Quæstionem elegantem, an dissimulatio Romani Pontificis vim, & effectum habeat dispensationis. Ut si quis Pontifici fateatur, se in gradu prohibito contraxisse, ipse verò nihil pronunciet, sed gestu aliquo significet dissimulationem, an, inquam, hæc dissimulatio vim habeat dispensationis?

Resolvitur Quæstio per Textum in *cap. quià circa de Consang. & affin.* ibi: *dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta*, & Glossa hunc Textum vocat singularem.

Ex quo patet, dissimulationem vim habere dispensationis, & consonat Textus in *cap. cum jamdudùm de Preb.*

Post hęc studiosè a me elaborata, vidi instructionem Parochorum, & aliorum Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, vel dispensatio ad sacram spectat Pœnitentiariam, seu ad Sedem Apostolicam, in qua præscribitur quomodo Confessarii debeant casus exponere. Exemplar igitur tale est.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

.. N. Sacerdos contraxit irregularitatem ex ho-
.. micidio occulto, ab ipso ob talem, vel ta- 45
.. lem causam clam tali modo patrato, vel pro-
.. curato in personam hominis laici, ab illo
.. tamen tempore non abstinuit, ab exercitio
.. suorum Ordinum, ne se proderet, vel alios
.. scandalizaret (si vero abstinuerit) dicat, se
.. abstinuit, sed cum diu, absque scandalo ob-
.. tinere non valeat, humillimè supplicat pro
.. remedio.
.. N. N. Vir contraxit Matrimonium cum N.
.. Muliere, cujus Matrem, vel sororem, anteà
.. carnaliter cognoverat, conscius, vel nescius
.. impedimenti, quod occultum erit. Quare cum
.. absque scandalo separari non possit, humili-
.. ter supplicat pro remedio.
.. N. Mulier emisit votum perpetuæ castitatis,
.. sed cum adsit, vel futurum esse, prævideat
.. incontinentię periculum, humilimè suppli-
.. cat pro dispensatione ad effectum nubendi -
.. Item quoniàm innumeri sunt casus, pro qui-
.. bus supplicari contingit, varia quoque effe
.. poterunt supplicationum exempla, pro quo-
.. rum intelligentia hęc adnotasse sufficiat.
.. Denique si in illa Civitate, seu Oppido,
.. undè Eminentissimo Pęnitentiario scribitur,
.. non fuerint Confessores in Jure Canonico
.. Doctiores, vel Sacrę Theologiæ Magistri,
.. vel, si quando etiam adessent non de facili
.. Pœnitens induceretur, vel nequiret eis pro-
.. priam aperire conscientiam, vel quià alio

 Con-

.. Confessario non graduato jam manifestaverint, ideò advertant hoc idem ipsi magno Pœnitentiario significare. Quod similiter faciant, quando Confessarius Gothicum characterem legere nesciat, quoniam de opportuno remedio providebitur.

.. Quod si forte responsio ipsius Em. tardare videbitur, eo casu prudens Confessarius, vel Pœnitẽs dignetur rescribere, ut si forte fuisset deperdita, alia ad manus dicti Em. P. perveniat, quibus præmissis (adiuvante D.) omnibus incommodis prospicietur; animasque fratrum nostrorum, suo favore, & piorum Confessariorum solertia lucrabitur.

.. Hortantur tandem *Parochi*, & alii, ad quos præsentes pervenerint, ipsas per affixionem, vel typis mandando, vel transcribendo eorũ notitiam pro animarum salute cunctis, quibus poterunt, communicare. Venetiis M. D. C. L. XXVIII. Super. permis.

DE ERRORE, CONDITIONE, AC VOTO.

TITULUS XII.



AGE jam impedimenta singula, quæ dirimunt Matrimonium, exponamus. Error primùm occurrit. Si quæritur, de errore quid jura disponant, error (*a*) sanè inter contrahendum Matrimonium inhibet, ne hoc efficax sit, quippè error excludit consensum. At est hic error personæ absentis, quoties una pro alia ducitur. Sed, si quis prẹsentem Sponsam videat, & quam credit divitem, honestam, [*b*] incolumem, postea se se in hac deceptum agnoscat, erroris emendandi sublata facultas; cum et cum (*c*) Meretrice coniugium validum sit, quin potius hanc ducere in remissionem proficit peccatorum. Olim tamen error in Virginitate jure quoque (*d*) Divino solvebat Matrimonium, *Deut. cap.* 22. quẹ tamen lex vetus cessavit. Imò neque illud receptum, ut si (*e*) Parochus doli conscius tali interfuit coniugio, triennii incurrat suspensionem.

Conditio deinceps se se offert. Hoc impedimentum versatur quidem circa errorem qualitatis. Sed est talis error, ut per illum dirimatur Matrimonium, adversatur enim bonis Matrimonii. Erratur in conditione, cum quis credit liberam ducere, tum invenit fẹminam (*f*) conditionis servilis. Non tamen dirimit hic error Matrimonium, si servitus vera non sit, sed adscriptitia, (*g*) vel originaria.

Votum duplex, simplex, & solemne. Solemne Votum est, duobus tantùm in casibus, Votum Professionis, & Votum sacro Ordini annexum, de hoc infra tractabitur. Jam quod attinet ad Votum Professionis, Matrimonium (*i*) dirimit. Nam per hujusmodi Votum amittit Religiosus sui Corporis potestatem, illamque Relligioni ad continentiam servandam elargitur. Ideòque Relligiosus contrahens est (*k*) excomunicatus; & olim variis pẹnis subiiciebatur.

SUM-

SUMMARIUM.

EXPLICATIONES.

[a] Error.

Quotuplex sit error.

Error duplex; unus in qualitate personæ, alter in persona ipsa.

Error in qualitate non irritat Matrimonium, *can. un. vers. error fortunæ 29. q. 1. cap. cum in apostolica 18. de Spons. cap. tua nos 26. ad fi-*
1 *nem, ibique glossa in verbo forma de Spons. cap. quemadmodum de jurejurando L. Nuptias 30. ff. de Reg. Jur.*

Error verò in persona ipsa Matrimonium dirimit, *L. si per errorem 15. ff. de Jurisd. d. L.*
2 *Nuptias 30. ff. de Reg Jur.* Veteres, si tali dolo Pater uxoris detegeretur, ut loco unius filiæ aliam traderet, Patrem aliquando sepultura privabant. Amasis Egypti Regis cadaver refossum fuit a Gambyse Persarum Rege, eo quod sibi petenti filiam in Matrimonium, ejus loco Nitecim filiam Apriis Regis, a se interfecti misisset, *Herodot L. 3.*

Neque obstat adversus principium supra traditum id quod est in *cap. 29. Geneseos*, ibi enim Jacob dicitur deceptus in persona, vespere enim Lia sibi fuit supposita pro Rachel, qui fuit error in persona, tamen Matrimonium valuit.

Nam respondetur, in hanc postea consensisse Jacob. Quare, licet ab initio nullum cum Lia coniugium fuisset, subsequens tamen consensus validum, verumque reddidit Matrimonium.

(b) Et quam.

DISSERTATIO I.

De errore in qualitate honestatis, ac Virginatis.

Principium est Juris Canonici, errorem in qualitate personæ incidentem Nuptiis non officere.

Sed an, quandò error inest circa qualitatem

Vir-

Virginitatis, ut si quis compressam, & defloratam pro virgine ignorans duxerit, hæc saltem causa justa sit dissolvendi conjugium, perplexi, ancipitesque in deliberando fuerunt Jurisperiti nonnulli.

Sed inhærentes veræ, receptæque sententiæ Conclusionem hanc statuemus. Quòd, qui ignorans pro Virgine defloratam ducit, validum, atque inseparabile Matrimonium contraxit.
3

I. Probant Conclusionem Textus *in can. un. vers. error 29. q. 1. cap. cum in Apostolica 18. de Sponsal. cap. tua nos 26. de Sponsal. cap. quemadmodum de Jur. jur. L. Nuptias 30. ff. de Reg. Jur.* ubi, ex errore solum in substantia, non ex errore in qualitate personæ Matrimonium irritum esse, sancitur.
4

II. Probatur ratione; quia post Nuptias initas res non est integra, & pater, vel alius vix de virginitate vadem se præstare potest; & ob penuriam probationum periculo mariti, non virgo, virgo fingitur, quam rationem considerat *Petrus Gregorius P. 2. L. 9. cap 12. n. 4. in Synt.*

III. Probatur quia, qui cum alio contrahit, non debet esse conditionis ejus ignarus, *L. qui cum alio 19. ff. de Reg. Iur.* Quocirca sibi imputare debet, qui contrahit Matrimonium, nisi rem ita exploraverit, ut honestam duceret *cap. damnum 86. de R. Iur. in 6.*

IV. Probatur ex Textu Vlpiani in *L. alioquin 11. §. 1. ff. de Contrahen. Empt.* ubi docet Iurisconf. si quis, virginem se emere, putet, cum jam sit mulier, emptionem valere, cum non in sexu, sed in qualitate erratum sit.

V. Probatur, quia falsa causa actum, vel contractum non vitiat *L. demonst. 17. L. falsa 23. ff. de cond. L. 2. C. de falsa causa adiecta Legato.*

VI. Probatur, non enim, qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo, sed, qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus, non Prophetam Oseam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat: quæ sunt verba Textus *in can. non est 32. q. 1.* Ex quibus sequitur, neque ex hoc capite mali exempli, aut peccati, fuisse ab Ecclesia irritandum hujusmodi Matrimonium, cum potius laudabile sit peccatricem ducere.

VII. Probatur exemplis, quę tradit Gratianus *in can. un. caus. 29. q. 1.* Nil officit emptioni, quod quis emat agrum sterilem, quem putabat, esse fertilem: nihil officit Matrimonio, quod quis ducat pauperem, quam, putabat, esse divitem, ducat ignobilem, quam putabat, esse nobilem. Nec audiendus Leo Imperator in *Nov. 93.* his verbis: *quomodo vera Sponsalia sunt, in quibus nihil verum, neque genuinum conspicitur, ubi meretricium se offert scelus?* In Sponsalibus ultro admittimus, Novellam Leonis obtinere; at in Matrimonio per errorem contracto longe aliter se res habet. Nam omnia delicta tegit dilectio, *Proverb. 10.* nec protinus ob labes, & vitia animi dilectio conjugalis cessat, cum nec repudiari uxor possit, ob omnia delicta, sed cautè procedatur *cap. 2. de Divort. L. ult. § inter culpas C. de Rep.* & perperam Harprectus *in §. sunt alia inst. de Nupt. n. 70.* affirmat, hunc errorem impingere in ipsam Matrimonii substantiam. Nam ultrò concedimus, si Sponsa inhonesta detegatur, dissolvi posse Sponsalia; non tamen Matrimonium tali errore celebratum, quoniàm leviori occasione quid prohibetur, ne fiat, quàm ut factum dirimatur *can. ult. 15. q. 1. cap. quemadmodum 25. de Iurejur.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

Obiicitur Textus in *L. ex empto §. si quis Virginem ff. de act. empt.* ubi, emptionem rescindi, constat, si mulierem corruptam pro virgine aliquis emerit, ergo par ratio in errore circa contractum Matrimonii. 5

Sed respondetur, ab emptione ad Matrimonium non rectè argui, nam cum Matrimonium quiddam spirituale sit, illud quoque certum est in causis spiritualibus, eas non retractari, cum semel perfectæ fuerint, *arg. §. semel Inst. Tit. quib. ex Caus. manum. non l.*

II. Obiicitur, quia Matrimonium cum sit bonæ fidei contractus, dolus malus, instar aliorum contractuum bonæ fidei, illud vitiare debet *L. & eleganter ff. de Dolo malo L. 3. ff. pro socio* ergò vitiabit Matrimonium dolus ejus fœminæ, quę sciens, ab altero se corruptam, Nuptias tamen cum alio contrahere præsumit.

Resp. in nostra specie hunc dolum esse incidentem, qui contractus vitiare non solet, *d. L. & eleganter ff. de dolo malo L. si quis cum aliter, & ibi Cujacius ff. de V. Ob.* Dat causam contractui dolus, cum qui aliter non contracturus dolosa persuasione ad contrahendū inducitur *L. in causa ff. de minor.* Incidit dolus in contractum, cum quis dolo non inducitur ad contrahendum, sed decipitur in eo, quod contrahit *arg. L. si id quod aurum 22. & L. 36. ff. de V. Ob.* Ut accidit in specie nostræ controversiæ.

III. Obiicitur, tristes exitus imminere, si maritus compellatur cum impudica, & inhonesta uxore cohabitare *cap. propterea cap. cum locum, cap. requisivit de Sponsal.* Ergò nullum tale Matrimonium est existimandum.

Resp. hoc argumento nimis probari. Nam similiter tristes exitus imminere videntur, si quis ducat feminam, quę sit inquies, turbulenta, dominandi avida, rei domesticæ nullam curam gerens, aut aliis vitiis scatens; Et tamen nemo dixerit, si maritus longè aliam uxorem ducere existimans, erraverit, ob hunc errorem dirimi posse Matrimonium. Etenim non ex eventu, sed ex Jure causas decidi, oportet, propterea quod nemo ob metum tristium eventuum compelleretur in Matrimonio semel con-

tracto

tracto persistere. Quo nil dici potest absurdius.

IV. Obiicitur. Deficiente conditione aliqua Matrimonii generaliter subintellecta, deficit quoque Conjugii promissio *cap. quemadmodum 25. ubi glossa ad verbum conditio de Iur. jur.* Atqui subintelligitur, dum Maritus Nuptias contrahere putat cum honesta fœmina, conditio *Si vere sit honesta*. Et, si ulla conditio est subintelligenda, plunè ea, quæ ad Castitatem, honestatemque pertinet, subintelligenda videtur, *can. cave 28. q. 1. can. famina 30. q. 1.*

Respondetur, nullo Jure probari in contrahendis Matrimoniis subintelligi conditionem, quæ versatur circa meram qualitatem, quasi ea qualitate deficiente Nuptiæ in irritum abirent; conditio, quæ si non purificetur, reddit irritas Nuptias, illa est, quæ circa substantiam versatur; ut si quis ea conditione se putet contrahere, ut Titia sit ejus uxor, & re ipsa se deceptum, invenerit. Qua in re ulterius non insistam, cum omnia, quæ opponi possunt, ex principiis supra traditis, per se corruant.

(c) Cum &c.

Cum Meretrice validum Matrimonium.

Inter opera Charitatis connumeratur, publicas mulieres de lupanaribus extrahere, & ad legi-
6 timum fori consortium deducere, *cap. inter opera 20. de Sponf. can. non est culpandus 32. q. 2. can. tria 45. dist.*

Et hęc intentio est Pontificis in *d. cap. inter opera*, tantam pœnam indulgeri accipienti Meretricem in uxorem, quantam, convenit, ei distribui ex Thesauro Ecclesiæ propter illud misericordiæ opus applicata satisfactione ab ipso summo hujus Thesauri dispensatione: ita solida interpetratione accipit, atque intelligit Textum in *cap. inter opera Cov. de Sponf. P. 3. cap. 8. §. 11. n. 3. pag. 248.*

Quocircà correctus videtur per hunc Textum *in cap. inter opera* celebris *Textus in L. 3. §. si*
7 *emancipatus ff. de Bonor. Poss. contr. Tab.* ubi Ulpianus, si quis filius ignominiosam uxorem duxerit, quæ dedecori sit tàm ipsi, quàm Patri, decidit, statuitque, posse Patrem exhæredare filium. Hodie nequaquam hæc justa exhæredationis causa; cum inter opera charitatis Meretricem ducere connumeretur. Et quamquàm nos supra ad *Tit. . . . q. . . .* ostenderimus probari posse, adhuc Patrem exhæredare posse filium ob hanc causam. Interim tamen hanc correctio-
8 nem insinuat *Petrus Gregorius P. 2. L. 9. cap. 3. n. 18.* & verius est, justam non esse exhæredationis causam ducere Meretricem. Est tamen justa exhæredationis causa, si filia in hanc flagitiosam turpitudinem prolabatur, & ideò Pater juste poterit eamdem exhæredare *L. si filiam C. de Inoff. Test. §. si vero auth. ut cum de Appell. cogn.*

Neque obsistit hactenus explicatis constitutionibus quod est in *can. 1. 23. q. 1.* ubi Joan. Chrisost. sicut, inquit, crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est, & injustus, qui retinet Meretricem, & consonat Textus in *can. Dixit Dominus 32. q. 1.*

Nam respondetur, eos Canones non de Meretrice a lupanaribus extrahenda verba facere, sed de uxore, quæ se aliorum libidini prostituit. Hæc si retineatur, nec potius per sententiam divortii demittatur; patronus turpitudinis Maritus videbitur, celando crimen uxoris. Quo circa quidquam in his constitutionibus non statuitur adversus Textum *in cap. inter opera &c.*

Ubi enim de Meretrice extrahenda a lupanaribus legitimo Nuptiarum consortio, tractatur, ex impudica pudica redditur, ex mala redditur bona. Hinc Juda, Hinc Osea Prophetæ, publicas Meretrices ducendo, rem Deo acceptam, gratamque præstiterunt, ut animadvertit Textus in *can. pen. & ult. 32. q. 1.*

Neque etiàm adversatur Textus in *can. Maritus dist. 33. in cap. curandum dist. 34.* per quos 9
Canones, si quis mortua uxore, quæ jam Meretrix fuerit, ad Ordines ascendere præsumat, repellitur. Ergò si ducens Meretricem opus charitatis exercet; cur ab Ordinibus posteà excluditur?

Resp. excludi, eo quod, qui duxit Meretricem, non quidèm irregularis est, ob bigamiam, sed est irregularis, ob canonicam infamiam, eo quod cum personis, quæ fuerint incontinentes, & probrosæ, non sine nota turpitudinis, Matrimonium ineatur, quamquam sit opus charitatis ex eo capite, quod Meretrix a sua turpitudine, & flagitiis avocetur, ut ostendit Gibalinus *de Irregularitate cap. 3 pag. 83. & seq.* Et in eumdem sensum accipitur Textus in *can. si quis viduam dist. 34.*

Neque ulterius refragatur Textus *in can. Maritum dist. 33.*

Nam, haud inficiari potest, antiquos Canones fœminæ publicæ fornicariæ Matrimonium improbasse; non quia irritum esset, si tamen fuisset contractum; sed quià optabat Ecclesia, ut tales fœminæ innuptæ permanerent; nam 10
cum Pœnitentia solemnis Meretricibus imponeretur; solemniter pœnitentes inire coniugium non poterant *Concil. Arelatense 2. can. 21. Tolet. 6 can. 7. can. in adolescentia 33. q. 2. can. de his vero eod. C. & q.* Quinimmò, Pœnitentia quoque peracta, impedimentum impediens Nuptias exoriebatur, ut ex præcitatis Canonibus liquet.

[d] Jure.

Agitur de Errore ducentis Meretricem.

Hoc habetur in Sacris paginis *Deut. cap. 22.* his verbis. *Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus* 11
dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit: uxorem hanc accepi, & ingressus ad eā non inveni virginem, tollent eam Pater, & Ma-

ter

ter ejus, & ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores Urbis, qui in porta sunt: & dicet Pater: Filiam meam dedi huic uxorem: quam quià odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, non inveni filiam tuam virginem: & ecce hae sunt signa virginitatis Filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus Civitatis: apprehendentque senes Urbis illius Virum, & verberabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit Patri puellæ: quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel; habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. - Quod, si verè est quod obiicit, & non est in Puella inventa virginitas; eiicient eam extra fores domus Patris sui, & lapidibus obruent viri Civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel &c.

Quin & apud Romanos hęc videtur fuisse
12 causa repudii, si maritus inhonestam, corruptamque uxorem invenisset, quam virginem, illibatamque accepisse arbitrabatur *Plaut. in Persa act. 3. Scena 1.*

Verum videte, me, ubi voles, nuptum dare,
Ne hęc fama faciat repudiosas Nuptias.

Pamphylus apud Terentium in *Hecyra act. 2. Scena 3.* Philumenam recipere recusat, quam ex alio gravidam putabat, & Suetonius *in Augusto*, duplex hoc Augusti facinus, tamquàm Romanis insusitatum, refert: quod videlicet Liviam a Tiberio Nerone Marito, & quidem prægnantem abduxerit.

(e] Ut si.

De Parocho præsente prædicto Matrimonio.

Parochus doli conscius, si præsens huic Matrimonio fuerit, in quo Sponsus decipiatur,
13 non incurrit triennii suspensionem, in quam incideret, si interesset Matrimonio Clandestino, atque interdicto ex Textu *in cap. fin. §. fanc. de Cland. Despons.* ibi: *Sane si parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur.*

Nescio, quo pacto queat subsistere illatio ex hoc Textu, quam *Majolus L. 3. de Irreg.*
14 *cap. 25. n. 14.* facit, infert enim, quòd ubi Sponsus ità decipiatur, eamque fallaciam probè noverit Parochus; suspensionē ad triennium vitare non possit. Quid hoc est, nisi impedire Matrimonium contra canonum permissionem? Neque enim agit Pontifex in eo Textu, nisi de præsentia Parochi interposita illis Nuptiis, quæ ab Ecclesia prohibeantur.

[f) Invenit.

De impedimento servilis conditionis.

Explicandum nunc impedimentum servilis conditionis.

Cumque in re latissimè a nostris pertractata versemur: tantummodo selectiora quædam breviter colligemus.

Apud Hæbreos lex fuit, ne liberi ancillas ducerent, ut Narrat *Joseph L. 4. antiq. Judaic. cap. 6.*

Antiqua Francorum lex Salcia *Tit. 14. de ingenuis hominibus, qui Mulieres ingenuas acceipiunt §. 11.* ità statuebat: *si quis ingenuus ancillam alienam sibi in coniugium sociaverit, malbergo nemo, cum ea in servitium inclinetur.*

T. Flavius Vespasianus (ut narrat his verbis, *Suet. L. 8. in Tit.*) *auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancillæ haberetur.* Atqui multò ante a Claudio factum narrat Tacitus *L. 12. ann.* Mulier ergò libera, quæ servo alieno, ignorante Domino, se miscuisset, serva efficiebatur. Sic enim S. Consultum Claudianum exponunt *Jurisc. Ulpian. Inst. Tit. 2. Paul. recept. sentent. L. 4. Tit. 10. & Inst. L. 3. Inst. Tit. 13.*

Et si quis per errorem ancillam traderet, nullum erat connubium, ut probat elegans locus Senecæ *cap. 35. Benef. L. 4. ibi: Promisi tibi filiam in Matrimonium, posteà peregrinus apparvisti; non est mihi cum extraneo connubium.* 15

At, cur de Jure Civili id procederet, facilè intelligitur, cum erraretur in ea re, quæ legibus erat interdicta; Nam legibus Matrimonia inter servos prohibentur, & sunt contubernia, non Nuptię servorum coniunctiones *L. 14. ff. de ritu Nupt. L. partum C. de Rei Vind. L. 16. C. de Postol. & passim alibi.* Est namque contubernium generale nomen, nullius specialis vinculi, quàm societatis referens modum, & convictus, ut apud *Vegetium L. 1. de Re Mil.* - Et Columella *L. 1. de re rustica* suadet Dominis dare servo villico contubernalem mulierem.

Difficilius est rationem protinus assequi, cur de Jure Canonico errans in conditione servili, quæ tandèm ad qualitatem personæ spectat, irritum debeat reddere Matrimonium. Nam, cum etiam servi Sacramentorum Sanctæ Ecclesiæ sint participes, ità benignissimo Redemptore concedente, apud quem non est distinctio personarum, sed æquè servus, & liber sui oculis acceptus est, *Apost. ad Coloss. 3. can. dictum est nobis 29. q. 2.* Cur igitur hoc modo errans, jure nullum contraxisse Matrimonium, poterit contendere?

Tamen Jure contendit, qui sic errat, nullas contraxisse Nuptias; ità enim disponitur in *cap. ad nostram de Coniug.* servorum ibi: *ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod dilectus filius F. N. G. S. Mariæ trans Tiberim Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectum filium nobilem virum R. Militem a Muliere quadam propter conditionis separavit errorem* (& infra) *contrahendi cum alia concedas authoritate Apostolica facultatem*, idemque traditur *in cap. proposuit in cap. licet ib. in can. si quis liber 29 quæst. 2.* 16

Olim tamen, qui sic errassent, cumre debebant, ut, si possent, ancillā, in qua erraverant, manumitterent, ita infertur ex Concilio Vormatiensi 17

in can.

in can. si quis ingenuus 29. *q.* 2. ibi: *si ipsa*
fæmina fuerit postea in servitute dejecta, si eam
a servitute redimere potest, faciat.

Ratio autem, cur hujus qualitatis error Matri-
moniū dirimat, ex Ecclesiasticis Constitutionibus
ità decernentibus, hac est; quia nemo sine
18 sua culpa prægravari debet. Jam verò cum tali
errore contrahens, nimis absque sua culpa præ-
gravaretur, quod cogeretur sine uxore sua ma-
nere, eo quod Dominus in remotas quoque
partes mittere ancillam posset, ibiq; vendere, ut
omittā, eamdē ancillā cogi Domino suo assiduè in-
servire, domūq. assiduè inhabitare. Quāobrē bonis
Matrimonii talis error advertaretur, bono scilicet
Sacramenti, & individuæ cohabitationi: bono
etiam fidei, quia reddere ad libitum debitum
non posset, bono tandem prolis, quia prolem
alere, atque educare non posset, non alere,
cum quicquid acquirit servus, acquirat Do-
mino L. *acquiritur* L. *etiam invitis ff. de acq*
rer. Dom L. *Servus ff. de V. Ob.*

Et quoniàm ex Jure Ecclesiastico tantummo-
dò promanat hoc impedimentum, quià servi-
19 tus non pręstat naturale impedimentum *Matri-*
monio ineundo, quin potius validum est inter
Servos coniugium *cap.* 2. *de Con. serv. cap si*
quis ingenuus 29. *q.* 2. sequitur, valere Matri-
monium inter infideles initum, nisi aliqua
20 speciali lege prohibeatur Sanchez L. 7. *de Mat.*
disp. 19. *n.* 17.

Illudque animadvertendum; quod si Domi-
nus suam ancillam collocet in Matrimonium
personę ingenuæ, quæ tamen errore decepta
21 fuerit; ancilla libertatem consequitur, expresso
Textu *in authent. ad hoc C. de Latina liber-*
tate, ibi: *Qui suam ancillam credenti tradidit*
in Matrimonium tamquam liberam, sive con-
fecerit dotale instrumentum, sive non, aut sciens,
eam duci, tacuit ex studio, dominium ejus amit-
tit, atque ad ingenuitatem rapitur, consonat
Textus *in auth. de Nuptiis §. si vero decretum*
vers. hoc autem decernimus.

Verum tamen est in hoc casu, Matrimonium
cum servo contractum ab ignorante minimè va-
lere, etiam si ex hoc contractu servus efficiatur
22 liber, ut eos Textus interpetratur *Covarr. de*
Matr. 2. *part. cap.* 3. *sub n.* 1.

(g] *Sed adscriptitia &c.*

DISSERTATIO II.

De ascriptitiis, & Originariis.

Miror interdùm, dum quosdam audio, in hæc
verba erumpentes: Ecquod studium exposcit Jus
23 Canonicum? Leve hoc studium, facile, promptū,
expositum, obvium. Sacri Juris scientia animi
gratia discitur; uno ictu oculi percurris omnia.
Gratulor ex animo, gratulor. Interim igitur,
qui tantum sibi promittunt, respondeant quid
sibi velit Gregorius *in cap. multorum de Iudæis*,
dum ait, Judęos non posse Christianos habere
servos, adhęrentes tamen terris, utpote condi-
tionem loci debentes, posse habere; Responde-
ant quid sibi velit Leo Papa *in can. admittun-*
tur dist. 54. dum statuit, non esse ad Ordines
admittendos originarios, & qui alicui conditioni
obligati sunt. Maximè vereor, an qui sibi tan-
tum arrogant, meis interrogationibus cumulate
possint satisfacere, nisi historiæ antiquitatem,
prophanosque auctores perlegerint. Explicandum
enim ad intelligentiam hujusmodi Canonum,
qui sint servi ascriptitii, qui Originarii. Sed
meum propositum non exequerer unquā, si eorū
responsionem liberet expectare. Nunc ostenden-
dum, servos non esse adsciptitios, & Origina-
rios, & ita adducti Textus intelligantur, &
partem Tituli explicabimus.

Res ità se habet. Romani devictis Latini nomi- 24
nis populis, longèque finibus imperii propagatis
fundorum latitudinem tueri, & colere per se
non poterant, ideo servi glebis proscindendis ad
fructum, addicti sunt, Rem rusticam olim per
se ipsi Romani Cives tractabant, tum servos ab
ergastulis in agros transtulerunt, quod Lucanus
irridet L. 1. . . *& quondam duro sulcata Camilli,*
Vomere, & antiquot Curiorum passa ligones,
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Hunc morem attigit Horatius
. . . . . . *ocius hinc te*
Ni rapis accedes opera agro nona Sabino. 25

Suetonius in Augusto *cap.* 23 - *Rapti per agros*
viatores sine discrimine liberi servique ergastulis
possessorum supprimebantur - Seneca de Beneficiis
O miserum, si quem delectat sui Patrimonii li-
ber magnus, & spatia terrarum colenda per
vinctos. Idem Seneca *in Lib. de Breu. Vit. Quia*
in Ceromate spectator puerorum rixantium sedet,
qui vinctorum suorum greges metatur, & colono-
rum paria deducit. Ovidius -
Spes etiàm duram solatur compede vinctum
Crura sonant ferro, sed canit inter opus

Florus eos eleganter appellat *catenatos cul-*
tores - Plautus in *Mostellaria*; *genus ferratile*
vocat hos servos
Augebis rure numero genus ferratile.

Idem Florus *de Sicilia ut supra: Terra frugum*
ferax, & quodammodo suburbana Provincia,
latifundiis Civium Latinorum tenebantur. Hic ad
cultum agri frequentia ergastula, catenatique
cultores uberiorem bello præbuere D. Ambrosius:
Plerique divitum amandare consueverunt manci-
pia sua, & in agellulos relegare, atque hac pæ-
na gravior existimatur.

Jam vero servi hujuscemodi glebis adscripti
veri servi erant *L. si quis inquilinos* 112. *ff. de*
L. 1. *L. cum de Lanionis* 18. *§. cum de Villico*
L. Seja 20. *§.* 1. *ff. de Instr. fund.* L. 3. *L. que-*
madmodum 7. *C. de Agr.* L. 10. De his vero non
loquimur neq. Textus Canonici Juris ad hos per-
tinent.

Alii erant adscripti glebæ, quibus Lex, seu 26
conditio a majoribus constituta, ut eas perpe-
tuo æternitatis Jure colonos retineat ità, ut il-

 lis

lis non liceat ex his locis, quorum fructu relevantur abscedere, nec ea deserere, quæ sem-
27 per colenda susceperunt. Hi non verè erant servi, sed certis conditionibus glebæ adstricti, & ideo penè servi, seu servi conditionales L. *defensiones C. de Except.* dicebantur, iidemque vocabantur censiti, quod inter alias conditiones pensionem, censu nuc Domino quotannis deberent, seu censiti dicebantur, quòd in censûs libro, pro terra, & ejus ratione, quam possidebant, essent descripti L. *forma ff. de*
28 *Cens.* Nonnunquàm, & colonarii dicebantur; nam apud Ciceronem *pro Cecinna* colonus est, qui fundum pensione colendum accipit; exemplo colonorum Reip., qui plerumque ad capros b... Civitatis, & agros incolendos, cum
29 pensionis præstatione annua, mittebantur. Hinc optimè explicatur *can. 25. Concilii Aurelianens. III.* ibi .. Ut nullus servilibus, colonariisque .. conditionibus juxta statuta Sedis Apostolicæ .. ad honores Ecclesiasticos admittatur, nisi prius .. aut testimonio, aut per tabulas fuerit absolutus. Hinc intelligitur Concilium Martini Papæ, cujus pars est in *can. si quis obligatus dist. 54.* ibi .. si quis obligatus est tributo servili, vel aliqua conditione &c. non est ordinandus Clericus. Hinc quoque percipitur, quid sibi velit Pontifex *in cap. veniens 10. de Præscript.* ibi .. Episcopus conditionales homines, qui certa ei servitia exhibent, eximit a .. præstatione integra decimarum. Constat quoque, quid significet Concilium Toletanum IV. *can. 72* ibi .. si quis obligatus est tributo sensibili, vel aliqua conditione, vel patrocinio .. cujuslibet domus. Nec minus prompta est expositio Textus *in cap. indicatum 3. de Immunitate* ibi .. Dictum est nobis, quod rustici possessionis ejusdem Caralitanæ Ecclesiæ jura .. propria deserentes in privatorum possessionibus culturam laboris exhibeant. In eundem sensum loquitur Textus *in cap. de familiis de servis non ordinandis* ibi .. De familiis Ecclesiæ .. constituere Presbyteros, & Diaconos per Parochias liceat. Nec mirum, si de his adscriptitiis servis tam sæpe loquantur Canones. Ecclesia enim complures habebat in suo patrimonio, aut ex donatione Fidelium, cum ipsi fundum donabant Ecclesiæ, cum quo transibant coloni adscriptitii; aut emptione, si Ecclesia de novo prædia acquirebat, colonosque comparabat. His temporibus forte reperiuntur adscriptitii, in nonnullis Galliæ Provinciis, & in Arvernia, Burgundia, Campania, & in agro Rebæsio Meldensis Diœcesis, *Cenanus L. 2. Comm. cap. 10.* tales erant coloni Palestini L. 1. *C. de colonis Palestinis L. 11.* tales erant Thracenses L. 1. *C. de colon. Thracens.* L. 2. tales Illyricani L. *un. C. de colon. Illiriecanis* L. 11.

Jam si quæras, quid sint servi originarii.
30 Originarii ab adscriptitiis non re, sed nomine solum distinguuntur L. 1. C. *de col. Illyricens.* L. 2. L. *originariis C. de agric. & Cens.* sunt enim Originarii illi, qui ex servis adscriptitiis nascuntur L. *colonos C. de Agr.* L. 11. debentque & illi terræ inhærere semper, quam Patres eorum colendam susceperunt L. *eum satis §. cum autem C. de Agricolis* L. 11.

Quoniàm ergò adscriptitii verè servi non sunt,
prout supra distinximus, inter adscriptitios sim- 31
plices, & ergastularios; patet, errorem in conditione adscriptitia Matrimonium non dirimere. Ratio est, quam tradit Lancellottus noster *in Tit. quæ Matrim. impedire possunt in Glossa* - *Quia invito Domino potest stare in possessione*, ut L. *Iubemus, & Auth. adscriptitias C. de Episc. & Cler. & Glossa in can. secunda verbo secunda in fine*. Libere enim potest exigi, & reddi debitum, *Cuccus* L. 5. *Inst. Major. Tit. 12. n. 45.* Sanchez L. 7. *disp. 10. de M. n. 9.*

Atque hæc, de errore in conditione adscriptitia, sint satis.

[b] Votum.

De Voto quatenus dirimat.

Votum omne aut simplex est, aut solemne. 32
Nam valdè differt simplex Votum a solemni. Et omissis variis opinionibus, in ratione discriminis, inter unum, aliudque votum.

Auctoritatibus Sacrorum Canonum res hæc decidenda, in quo nimirum posita sit differen-
tia, inter simplex Votum, ac solemne; Quæ 33
via tenenda etiam a Theologis. Nam Sacri Canones instar lucis clarissimæ mentem illustrant, neque sinunt in incertum vagari.

Hæc autem sententia videtur ad mentem Ca- 34
nonum; Quod scilicet Votum simplex a solemni non differat, ex ipsius Voti intima natura; sed potius vi Legum Ecclesiasticarum.

Probatur hoc ex multiplici Canonum serie. Ecce in *cap. unico de Voto in 6.* scriptum est: *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa*. In *can. ut Lex 27. q. 1.* Innoc. II. ita scribit: *Ut Lex continentiæ, & Deo placens munditia, in Ecclesiasticis personis, & sacris Ordinibus dilatetur*. Nec temere his verbis utitur Pontifex: ut *Lex continentiæ*; nam Votum, ut Ordini annexum est ex Lege (quod patet, quia Græca Ecclesia votum Ordini non habet annexū, quià hęc Lex, quoad Græcos lata non fuit) ita etiam ex Lege, ea solemnitas quę in Professionis emissione cognoscitur, adinventa fuit, & nos *hac de re supra L. 1. Tit. 20. In expl. sub n. 20. §. primo obiicit.* - *In cap. rursus extra quē Clerici, vel voventes* scriptum est: *cum simplex votum apud Deum non minus obliget, quam solemne*; undè infertur, tam Votum simplex, quàm Votum solemne, esse ejusdem ordinis, consonat in eundem sensum Textus *in can. viduas 27. q. 1.* - Et ulterius id demonstratur, quoniàm evolventi Sacri Juris volumina constabit, ante Cęlestini tempora inauditam, atque
inusitatam fuisse distinctam simplicis ac solem- 35
nis Voti appellationem. Unus, qui Voti simpli-

cis

cis mentionem habeat Canon, est Textus in *can. si vir dist. 27.* ibi „ si vir simplex Votum „ virginitatis habens adiungitur uxori &c. At re ipsa abest vox ista *simplex* in M. S. & fine hac voce repetitur in *can. si quis Votum 27. q. 1.* Quare D. Augustinus de Votis plenè differens in *Psalm. 75. pag. 276.* Voti simplicis, aut solemnis distinctione non utitur, ait enim „ sunt „ etiam Vota propria singulorum, alius vovet
36 „ Deo Castitatem coniugalem, ut præter uxo„ rem suam non noverit aliam, sic, & fœmi„ na præter virum suum non noverit alium. „ Alii etiam vovent, & sic experti tale con u„ gium, ultra nihil tale concupiscere, sustine„ re, & ipsi voverunt aliquid majus, quam illi; „ alii Virginitatem ipsam ab ineunte ætate „ vovent, ut nihil tale, vel experiantur, quale „ illi experti sunt, & reliquerunt, & isti vo„ vent plurimum; alii vovent domum suam „ esse hospitalem omnibus sanctis advenienti„ bus; Magnum Votum voveut. Alius vovet „ relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, „ & ire in communem vitam, in societatem „ sanctorum; Magnum Votum vovit. Vides, S. Patrem unum Votum ab alio distinguere, non simplicis, aut solemnis Voti appellatione; sed nunc de Voto ait, *aliquid majus*: nunc *vovent plurimum*, nunc *magnum Votum*. Undè infertur, meram Ecclesiæ legem id discriminis instituisse.

Ulterius antiquitus non erat ea Professionis forma, de qua est Textus *in cap. super eo & extra de Reg.* Quę his verbis concipitur „ In no-
37 „ mine Domini, promitto me N. in sacro Mo„ nasterio B. Martini, sive Confessoris N. se„ cundum instituta B. Benedicti coram Deo, „ & Angelis ejus, præsente etiam Abbati no„ stro N. omnibus diebus me s, in hoc S. Mo-
38 „ nasterio amodò, & deinceps perseveraturum, „ & in omni obedientia, quodcumque mihi „ præceptum fuerit, obediturum. Ego enim „ hanc promissionem a me factam manu pro„ pria coram testibus scripsi, & roboravi.

Ultra hæc si coniux absque alterius coniugis licentia profiteatur, non ligatur Professione solemni; valet tamen Votum illud, ut Votum
39 simplex, *cap. quidam cap. placet de Concept. coniug.* quos Textus ità accipit Sanches *de Matr. L. 7. disp. 25. sub n. 2.* Quę sufficiant ad Voti simplicis, & solemnis distinctionem intelligendam, in quo recedimus a *Gonz. in cap. 7. n. 10.* qui aliter ratiocinatur, *x. qui Clerici vel vov.*

(i) *Matrimonium.*

De Professione relligiosa, qua dirimit Matrimonii.

Ergo, ex nostro Titulo, & Pauli Lancellotti doctrina, quo duce utimur, dirimitur Matrimonium ob Professionem Relligiosam. Sic definitur in *Concilio Toletano 1. cap. 16. & To-*
40 *letano IV. can. 51. Tolet. VIII. can. 6. Chalcedonensi can. 16. Turonensi 2. can. 16. Triburiensi cap. 23. a Siricio Pontifice Epist. 1. cap. 6.* Alexandro III. *in cap. meminimus extra qui Clerici vel voventes, can. Presbyteris dist. 27. cap. de his dist. 28. can. 1. 20. q. 3. cap. impudicus II. cap. si qua, cap. Virginē, cap. Monachus, cap. quotquot, cap. ut Lex 27. q. 1. cap. nullus Missam, cap. præter hoc dist. 32. cap. un. de Voto in 6. Trid. sess. 24. can. 9. de Matr.*

Magni fuerunt circa Virginitatis Votum, & Professionem hæreticorum errores. Vigilantius pudicitiam dixit hæresim commentitiam, teste D. 41 Hyeron. *adv. Vigil. cap. 1.* - Jovinianus Monachus docuit, virginitatem non esse apud Deum majoris meriti, quàm coniugium, D. *Aug. hær. 82.* - Faustus Manicheus reprehendit Catholicos, quòd ad virginitatis professionem certatim invitarent, D. August. *contra Faust. L. 30. cap. 4.* Atque his similes ineptias docuit Lutherus, M. Bucerus, & alii, quos refellit *Bellarminus*.

Et quidem sciendum est, haud improbabilem esse sententiam, Votum hoc solemne irritare Matrimonium a tempore Innocentii II. Ipse enim in Synodo generali Romæ celebrata anno 1130. cujus verba refert Gratianus *in can. ut Lex 27. q. 2.* coniugia hæc irritavit.

Antea verò licet legamus hujusmodi coniuges separari, attamen ea separatio fuit, quoad 43 thorum, non verò quoad vinculum. Ut deducitur ex *can. quidam 27. dist.* ubi S. Doctor Augustinus reprehendit eos, qui censebant Nuptias esse nullas, & dirimendas, quasi adulteria, & illi Canoni addenda verba ex ipso D. August. *L. de Bono Viduitatis cap. 11.* ibi „ quapropter „ non possum quidem dicere a proposito me„ liore lapsas, si nupserint, fœminas, adulte„ ria esse coniugia. Multa excogitarunt scriptores ad dissolvendum hunc implicatum D. Augustini nodum, quem adversus Relligionis Catholicæ instituta Brentius hæreticus, Petrus Martyr adeò exultantes proponunt perindè, ac si de universa Ecclesia triumphassent. Undè Hosius *in Catholica fidei professione cap. 56. de Matrim. Imped.* de Voto simplici, non de Voto solemni D. Augustinum intelligendum, putarunt, adhæsitque huic interpretationi Bellarm. *L. 2. cap. 35.* Sed re vera facilius se se expediunt ab hac difficultate, qui asserunt, prioribus sęculis, coniugia a Relligiosis Viris, sacratisque Virginibus contracta valida fuisse, licet prohibita.

Neque obstat locus Ammiani Marcellini *L. 18. in fine*, qui loquens de direptione Castellorum, Remam, & Busam, quę circa Romam erant per Persię Regem, hęc habet „ Tempore Con„ stantii inventas tamen alias Virgines Chri„ stiano ritu cultui divino sacratas custodiri in„ tactas, & Relligioni solito more servire nul„ lo vetante pręcipit; Non, inq am, id obstat. Nam semper Nuptias his prohibitas, ultrò cócedendum; si tamen, quod perrarò eveniebat, Virgines contraxissent Nuptias, eæ irritæ non erant.

[*k*] *Excommunicatus &c.*

Contrahentes obstricti voto, sunt excommunicati.

Non solùm Votum solemne irritat Matrimo-
45 nium postea contractum, verùm, & illud contrahentes majorem excommunicationem incurrunt, expresso Textu in *Clem. un. de consj. & affin.* Imò ut suspecti de Fide puniuntur per Inquisitores hæreticæ pravitatis, & imposita abjuratione de levi ad triremes damnantur, Carena *de Off. Inquis. P. 2. Tit. 17.*

Olim variis insuper pęnis temeritas nubentium coercebatur; nam inter bigamos reputabantur *can. quotquot 17 q. 1.* Communione usque ad exitum vitę privabantur *Concil. Tribur. cap 23.* vel donec emendarentur *Synod. Aurel. 5 cap. 19.* ibi .. si culpam sequestratione .. sanaverint, ad communionis gratiam revo .. centur - eas etiàm in ergastula retrudendas esse, ut ibi purificatorio pęnitudinis igne decoquantur, statuitur *in Concil. Tribur. can. 23.*

Et meritò tot pęnis Virgines, quæ Votum virginitatis contemnentes ad Nuptias convolarunt, subjiciuntur. Virgines Vestales, quę falsis Numinibus se devovebant, si libidini inservissent, virgis cædebantur, ac vivæ in terram defodiebantur *Juv. Sat. 4.*

Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura Sacerdos.

Quantò magis punienda Virgo, quæ vero Deo omnipotenti jam pridèm se te dicaverat. Quo argumento utitur Concilium Turonense 2. *can. 21.* ibi .. cum etiam in Chronicis habeatur de .. Virginibus Gentilium tempore, quo se Deæ .. sacra erant, postmisso proposito, & corru .. pta virginali gratia, legali sententia vivas .. fuisse in terram defossas. Si fana colentes tali .. sunt sententiæ condemnatæ; quantò magis, .. quæ in honorem Redemptoris sui se vestes .. mutaverunt, & perseverare noluerint, gra .. vem debent expectare sententiam.

DE TRIPLICI COGNATIONE.

TITULUS XIII.

Nuptiæ per se bonę sunt. Sileant (*a*) Marcionistę, Eucratitæ, Origenii, aliique protervia minimè ferenda, qui Nuptias damnabant, ipsi merito decretis Canonum damnati, & censurarum mucrone transfixi. Impię tamen, improbæque Nuptiæ, cum quibus Lex, aut Natura abhorrent, respuuntque conjunctionem. Tales sunt, qui nobiscum vinculo cognationis junguntur.

Cognatio triplex, Naturalis, Spiritualis, Legalis. Naturalis, necessitudo sanguinis est, ac propinquitas ab uno initium habens, naturalemque causam. Strictam, pressamque significationem si quęris; Cognatio (*b*) descendentes tantum ex fœminis comprehendit: At nil prohibet, quin Cognatio comprehendat descendentes etiam ex Masculis. Quemadmodum, licet fratres ab eodem Patre progeniti propriè sint consanguinei, latius tamen, qui sanguine inter se junguntur, consanguinei sunt. Dicam brevius; In tractatione de Nuptiis latè sumitur Cognationis nomen. Qui est agnatus, & cognatus est: Omnesque (*c*) demùm consanguinei sunt.

Omnis autem series consanguineorum duarum [*d*] linearum ductu facilè distinguitur, quarum una recta sit, altera transversa. In recta superior, inferiorque pars secernatur. Contineat superior ascendentes: Inferior descendentes. Inter unam, aliamque personam spatium interjaceat. Mensura distantium personarum gradus (*e*] est. Stipes, cum sit ge-

nerans

nerans, generatio non est, neque pars lineæ; sed velut punctum, a quo ducitur linea, neque linea gradus est, nisi cum producta fuerit. Hinc sequitur, stipitem non esse gradum. Ascendentium nomina sunt, Pater, Avus, Proavus, Abavus, Atavus, Tritavus. Ulteriores ascendentes speciali nomine carent, [*f*] Maioresque appellantur. Itèm descendentes sunt, Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos, Atnepos, Trinepos: ultra hos descendentes, posteriores (*g*] vocantur.

Ex latere veniunt, qui, neque nos genuere, neque a nobis gignuntur; habent tamèn nobiscum stirpé, radicemque comunem. Qui ex latere veniunt, aut agnati sunt, aut cognati. Agnati per virilem sexum nobis junguntur, nempe Patruus, qui frater Patris est; nempè Amita, quæ Patris Soror est, eorumque filii Patruelis, & Amitina. Patruus magnus est frater Avi, & Amita magna, Avi Soror. Propatruus Proavi frater est. Cognati per fæminam nos contingunt. Talis est Avunculus, qui frater Matris est, talis Matertera, quæ Soror Matris est, eorumque filii, qui Consobrini dicuntur. Hinc distinguitur linea Paterna, ac Materna ad successiones inueniendas, ac lineæ Paternæ caput est Pater; Maternæ verò est Mater.

Nunc sequitur graduum supputatio. Simul ac inter duas Personas dubitatur, an invicem Nuptias celebrare queant; proximior eorum radix indaganda, & quià primus gradus confici non potest, nisi ex duabus personis, quarum una fuerit alterius origo; ideò, quæ proximè descendit a stipite, primus gradus est. De stipite ratio nulla est habenda, quià de eius cognatione non quæritur, nec propterea ipse gradus est, sed principium gradus. Ergò dum ambigitur, an inter duas personas Matrimonium sit ineundum, tertia adiungenda est, nempè stipes, quo detracto graduum numerus perspicitur; quot enim Personæ post stipitem inveniuntur, tot gradus erunt.

Sed quià linea duplex est cognationis, recta una, altera transversa; distinctius rem exponam. In linea tot sunt gradus, quot sunt Personæ; atque hæc regula utroque Jure servatur, stipite tamen sublato. In linea Collateralium Jus Canonicum discrepat a computatione Juris Civilis. Nam Jus Civile totidem computat gradus, quot sunt ex utroque latere Personæ, & ideò frater, ac soror, cum duæ sint Personę, collocantur eo Jure in secundo gradu, deindè Patrueles in 4. quia Patrueles, eorumque Parentes ab uno stipite prodeuntes constituunt quatuor simul Personas. Deinde in linea inæquali transversa, nepotem, & pronepotem constituit in quinto gradu. Cum tamen Jus Canonicum tantum connumeret unius lateris generationes à communi stipite deductas, ideoque Fratres, & Sorores in primo gradu, Patrueles in secundo gradu collocat. Servat enim hanc regulam [*h*) Jus Civile in linea transversa, ut in supputatione fa-

cienda

cienda sursùm ascendatur ad stipitem, quo reperto deorsum descenditur ad personam, de qua ex transverso quęritur; ideoque plures juxta hunc supputationis modum gradus sunt, quàm de Jure Canonico. Nam Jus Canonicum non ascendit, descenditque, sed unam dumtaxàt lineā considerat; Si utrinque [*i*] lineæ collateralium æquales sunt, in qualibet liberum est supputationem facere; Si verò inæquales hinc [*k*) inde lineæ sint, gradus a remotiore dinumerandi, itàut hæc regula sit Jure Pontificio, ut quoto gradu quis in linea, in qua fit supputatio, distat a stipite, eodem gradu distet ab alio alterius lineę. Porrò Alexander II. in *can. ad sedem* 35. *q.* 5. monet omnes Episcopos, ut qui Nuptias secundum Civilem supputationem contrahunt anathemate [*l*) feriantur. Cum nāquè duo gradus legales, unum gradum canonicum constituant, & qui numerantur juxta leges in 6. ut nepotes ex gr. juxta Canones numerentur in 3. & qui legibus scribuntur in 8. & 10. in Canonibus definiantur in 4. & 5.; evidènter apparet quod si nuptialia Jura juxta leges metiremur, illi ad carnalem commixtionem admitterentur, inter quos viget (*m*) adhuc memoria, & vinculum consanguinitatis.

Nunc graduum supputatione perspecta, magnum lumen rebus dicendis illatum videtur. Dicendū namquè, statuendumq. ad quem usq. gradum ob carnalem cognationem protrahatur prohibitio Nuptiarum. Et verò Jus Canonicum omne impedimentum cognationis intra quartum gradum conclusit in *cap. non debet de Conf. & affin.* Nec refert, (*n*] Jus Civile impedimentum hoc in recta linea in infinitum statuisse, nam solius Juris Canonici est, inter Fideles hæc impedimenta decernere. Olìm tamèn usque ad septimum consanguinitatis gradum Nuptiæ prohibitæ fuerunt, *can. ad sedem* 15. *q.* 5. Quare constat, neque Jure naturæ Nuptias in neutra linea in infinitum prohiberi, & quibusdam in gradibus Apostolicam (*o*] Sedem posse dispensare; Et quià Levitici *cap.* 18 pluribus in gradibus Matrimonium prohibetur, undè falsę prodierunt opiniones; hanc omnem prohibitionem inviolabilitèr observandam esse Concilium Tridentinum hæreticum esse, declaravit, asserere Pontificem non posse dispensare in aliquot gradibus, ex prohibitis in Levitico.

Iam de alia specie cognationis tractandum, quæ spiritualis dicitur. Cognationem hanc Ecclesia introduxit. Hæc ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis oritur, non [*q*) ex aliis Sacramentis, *cap. fin. de cognat. Spirit. in 6.* Ut enìm per carnalem generationem naturalis cognatio contrahitur; in puero vero est duplex nativitas, prior cum adhuc in utero formatur; posterior, cum editur in lucem, iam ad vitam tuendam roboratus. Sic in homine duplex est nativitas, spiritualis altera in Baptismo, altera in Confirmatione, per quam regeneratus in Baptismo, roboratus prodit in lucem, ut periculis exponatur. Par (*r*) est igitùr, ex his quo-

que

que Sacramentis cognationem hanc proficisci, ut mentibus hominum altius insideat Spiritualis isthæc nativitas, cum videbunt ęque, ac nativitatem veram, cognationem indè provenire. Ergò cum in his Sacramentis minister sit quasi Pater generans, susceptor sit quasi Mater, quæ nomine Ecclesiæ baptizatum in suo gremio, confirmatumque suscipit; minister, susceptorque contrahent cognationem spiritualem cum filio spirituali, & hæc Paternitas vocatur. Hi Patres verè Spirituales quasi eiusdem generis, ordinisque, cum Patre, & Matre vera filii eiusdem, contrahent similitèr cognationem spiritualem, & hæc Compaternitas vocatur. Inter ipsos vero Patrinos non contrahitur hæc cognatio *can. quod autem* 30. *q.* 4. Olìm [*s*) apud Græcos ità diffundebatur hæc cognatio ad gradus, sicut cognatio Carnalis *L.* 5. *Jur. Orient.* Nunc [*t*] prohibentur Nuptiæ solùm vel ratione Paternitatis, vel ratione Compaternitatis, *Trid. Sess.* 24. *de Reform. Matr. cap.* 2.

Itèm (*u*] cognatio legalis dirimit Matrimonium, quæ ex adoptione descendit, ac permanet, quousque durat adoptio, eaque soluta adoptatus efficitur extraneus. Non est dubium, impedimentum hoc fuisse Legibus sęculi introductum. At inter fideles vim habet, quòd Canonum accessere approbationes, ut *can. ita diligere* 30. *q.* 3. *can. per adoptionem* 30. *q.* 3. Apud Bulgaros is error invaluerat, ut crederent fraternitatem ex sola adoptione quoad Nuptias impediendas, nullam esse; contra statuit Nicolaus *in cap. si qua de cognat. Leg.* - Est verò triplex cognationis legalis species. I. est in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes. II. est lateralis inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. III. rationem habet cuiusdam legalis affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & contra, inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Atque hæc omnis cognatio Matrimonium dirimit.

SUMMARIUM.

1 *QUinam improbarint Nuptias?*
2 *Brevis dissertatio de lege Julia Papia Poppea.*
3 *Lex Julia Papia Nuptias, ut bonas, utilesque Reipublicæ, ab omnibus jubet celebrari.*
4 *Nuptiæ bonæ sunt.*
5 *Qui cognati, qui agnati, qui consanguinei.*
6 *In tractatu de Nuptiis pari appellatione hi omnes consanguineorum donantur.*
7 *Spurii agnati esse nequeunt.*
8 *Remotiores quoque dicuntur consanguinei.*
9 *In Jure Patronatus quinam consanguinei dicantur*
10 *Linea quid sit? Elegans explicatio.*
11 *Gradus quid sit.*
12 *Ultra Tritavum, ascendentes dicuntur Majores.*
13 *Ultra Trinepotem, descendentes dicuntur posteriores.*
14 *Dissertatio, in qua probatur, potiorem esse computationem graduum secundum Jus Canonicum, quàm secundum Jus Civile.*
15 *Regula gradus computandi de Jure Civili.*
16 *Regula gradus computandi de Jure Canonico.*
17 *Probatur, præferendam esse computationem Canonum.*
18 *Satisfit oppositionibus.*
19 *Secundum Canones cur sufficiat unam lineā excurrere.*
20 *Cur, si inequales sint lineæ a remotiore linea incipiat numeratio.*
21 *Alia dissertatio; an qui est in linea breviori constituat gradum mixtum.*
22 *Gradus mixtus non coalescit.*

23 *Pro-*

23 *Probatur latè.*
24 *Dissolvuntur contraria.*
25 *Adducitur Bulla Pii V.*
26 *Explicatur Bulla Urbani VIII.*
27 *Excipitur tamen proximitas primi gradus.*
28 *Volens computare gradus secundum Ius Civile excommunicatur.*
29 *Si nuptialia iura metiremur secundum leges; mixtio carnalis esset inter eos, inter quos viget memoria consanguinitatis.*
30 *Usque ad quartum gradum non ultra pretorea, in qualibet linea viget prohibitio Nuptiarum.*
31 *Dispensatio quibusnam in gradibus denegetur.*
32 *Explicatur Textus in can. inebriaverunt 13. quæst. 1.*
33 *Dissertatio de gradibus Levitici.*
34 *Quid contineat prohibitio Levitici.*
35 *Pontifex dispensat in aliquot gradibus Levitici.*
36 *Duplex Ius Naturæ quoad nuptialia Iura.*
37 *Conclusio proponitur, & probatur multis rationibus.*
38 *Explicatur Textus difficilis.*
39 *De Spirituali cognatione.*
40 *Antynomia quædam dissolvitur.*
41 *Ex Pænitentia numquid spiritualis cognatio oriatur.*
42 *De obligatione Patrinorum.*
43 *An hodiè Patrini sint obligati, ut olim.*
44 *Cognatio spiritualis ex susceptione a quibus negaretur?*
45 *Olim Diaconi, & Diaconissæ susceptores erant.*
46 *Monachi an possint esse Patrini.*
47 *Qua ætate debeat esse Patrinus.*
48 *Cognatio spiritualis apud Græcos gradibus plurimis constabat.*
49 *Dissertatio luculentissima de cognatione spirituali.*
50 *Patrino mortuo durat cognatio.*
51 *Declaratio Congregationis.*
52 *Intelligentia Textus.*
63 *Si coniux proprium filium de fonte susceperit non potest petere debitum.*
54 *Explicatur Textus difficilis.*
55 *Explicatur alter Textus nova interpetratione.*
56 *De compaternitate.*
57 *Hac etiam indirectà.*
58 *De fraternitate.*
59 *Quid de Iure novo.*
60 *Adducuntur plurima Cardinalium declarationes.*
61 *Dissertatio alia de cognatione legali.*
62 *Alumnus differt a filio adoptivo.*
63 *Quid Bulgari de hac cognatione sentiant.*
64 *Triplex cognatio legalis.*
65 *Ratio elegans hujus cognationis.*
66 *An Presbyter possit adoptare.*
67 *An Procurator possit adoptare.*
68 *An ex adoptione imperfecta oriatur legalis cognatio, latè discutitur.*
68 *Ad quot gradus extendatur cognatio legalis.*
70 *Quandonam hæc finiatur.*

EXPLICATIONES.

(*a*) *Sileat.*

Quinam Nuptias reprobarint?

Nuptiæ bonæ sunt; damnabiles tamen sunt, quoties prohibitis in gradibus contrahantur.

Si quis Nuptias vituperat, anathema sit, ait Textus *in can. si quis* 31. *dist.* consonat *Textus in can. quicumque ib.*

Marcion tamen Matrimonium, ut malum, atque impudicitiæ negotium, accusavit, *Tertullian. L.* 4. *cap.* 11. *adversi. Marc.* ibi: *Nup-*
3 *tias non coniungit, coniunctas non admittit, neminem tinguit, nisi calibem, aut spadonem; morti, aut repudio Baptisma servat.*

B. Paulus Apostolus 1. *ad Timoth.* 1. præmonuit, ultra eos, qui emersissent suo tempore, hæreticos, alios quoque venturos, qui prohiberent nubere. Hi quinam fuerint, innuit Chrysostomus 12. *in* 1. *Thimot.* Nempe Euchratitas, Marcionitas, & Manichæos fuisse; verùm ante hos fuisse Saturninum, ejusque gregales, Ireneus docet *L.* 1. *cap.* 22. His addendi Origenii, qui, & turpes dicti, omnis libidinis mancipia, reiicientes Nuptias, Epiph. *L.* 2. *Tomo* 2. *hær.* 67. In eorum quoque numero Albigenses,

At In *can.* 51. *Apostolor.* inhibita Nuptiarum *bdelia* idest execratio, seu odium.

Quid quod, & Romani censores habebant, quibus incumbebat cura summa, ne quis Civis cælebs maneret? Ut Ciceronis locus ostendit *de Legibus*. Nam censoria officia describens, *Populi* (inquit) *ævitates, soboles familias, pecuniasque censento, cælibes esse prohibento.*

An non & lata est Lex Papia, Poppæa, M. Papio Mutilo, Quin. Poppæo Secundo Coss. ab utroque cognominata, ut sæpe fit, in qua
proponebantur cælibum, atque orbatum pænæ, 2
& uxores ducentium præmia?

Præcesserat quidèm hanc legem Papiam lex Julia de adulteriis, qua stupra, omnisque propterea impudicitia severius puniebatur, ut eo proclivior esset animus ad Nuptias.

Utramque, & Juliam, & Papiam sub Augusto latam esse, constat; undè Horatius L. 4. Od. 5.

Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos, & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simplici prole puerpera,
Culpam pæna premit comes.

& in carmine sæculari:

Diva producas sobolem, patrumque

Pros-

Prosperes decreta, super jugandis
Faminis, prolisque nova feraci
lege marita.

Ut ergò nova sobole Roma efflorescceret, has
3 leges Augustus tulit. Cælibes, quoad has leges attinet, vocantur, qui, quæve annorum 25. aut 20. nec mariti sunt, nec Jure, aut Principis beneficio pro Maritis habentur. Orbi verò, qui contracto Matrimonio liberos non susceperunt. Cautum igitur, ut qui uxorem non haberet, æs populo daret, quod *uxorium* vocabant, auctore Festo in fine operis. Orbi verò hæredes instituti, priusquam adirent vigesimam pratem Fisco pendebant. Insuper *eorum, qui fæcundi essent, hæredes esse non poterant*, teste *Eusebio L. 4. de Vita Constant.* & patet ex loco *Dionis. Lib.* 59. ubi constat, Cajum Caligulam constituisse, ut, quamquàm Tiberius liberos non haberet, posset tamen hæreditates, & legata accipere, neque id impediret. Juven. *Satyr.* 9.

Jura Parentis habes, propter me scriberis hæres
Legatum omne capis

Ultra hęc Augustus, Teste Dione *L.* 56. publice Nuptias laudavit, quod multitudinem au-
4 gerent, quod eam perennitatem, quam possumus, mutuò nobis tradamus. Nuptiæ igitur bonæ sunt.

(*b*] *Cognatio.*

De Cognatis, & Agnatis.

Cognati, Consanguinei, Agnati, si pressum, ac rigorosum sensum volumus usurpare, suas invicem habent differentias.

5 Cognati sunt, qui ex fæminis descendunt. Quare cognata est soror eadem Matre tantum progenita, ac liberi ejus *L. Jurisconsultus ff. de Gradib.* - Nam propriè Lex Civilis descendentes ex maribus agnatos appellat *L. non facile* §. 1. *ff. de Grad.*

Consanguinei sunt fratres ab eodem Patre progeniti *L. 4. ff. undè Cognati L.* 2. §. *agnati ff. de suis, & legit.* L. 1. *ff de Legit. Tut.* §. *caterum inst. de legitima agnat. succeff.*, quos, constat, græcè dictos *onamus*. Hinc Sophocles in Ajace Teucium Ajacis fratrem *sunemon*, idest consanguineum dixit; & apud Claudianum L. 1. *de raptu Prosep.* Pluto sic Jovem alloquitur.

Te consanguineo recipit post vulnera fessum
Juno sinu.

Agnati Fratres sunt ex eodem Patre nati, &si non ex eadem Matre sint L. 1. §. *post suos ff. de suis & legit. hæred. L. ult.* §. *cognationis ff. de Grad.*

Neque solum vivo Patre nati agnati sunt, sed posthumi etiam §. 1. *Inst. Tit. de Legit. agnat. successf.*

(*c*) *Omnesque.*

De Consanguineis.

In hoc tractatu de Nuptiis nomen Consangui-
nei latius accipitur scilicet pro omnibus, qui 6
Sanguine inter se juguntur. Quare consanguinei sunt agnati, & cognati. Hinc consanguinei dicuntur *proximi*, quod generale nomen est *L. si spurius ff. unde Cognati, L. dudum ff. de Contr. Empt.*

Et consanguinei, cognative illi etiam sunt, qui ex illicito, damnatoque coitu sunt procreati; Etsi enim hæc cognatio Jure Civili non recipiatur; tamèn ejus jura sanguinis, nullo Jure Civili dirimi possunt. *L. Jura sanguinis ff. de Reg. Jur. L. agnationis ff. de Pact.* - Agnati quidem filii spurii esse non possunt;
Agnatio enim a Patre descendit, Cognatio a Ma- 7
tre § *vulgo quæsitos Inst. de Succesf. cogn. L. spurius L. 4. ff. unde cogn.* - Spurii verò nullum habere Patrem intelliguntur, & tantùm cognati sunt sibi, & Matri, non consanguinei *L. vulgo concepti ff. de Statu hom. Petrus Greg. Syntagm. L.* 9. *cap.* 8. *n.* 5.

Ultra hæc, remotiores quoqne dicuntur con-
sanguinei, Cicero *ad Attic. L.* 2. *sed Boopides* 8
noster consanguineus non mediocres terrores jacit, atque denunciat.

Tacitus *L.* 3. *eum super Agrippinam, & Drusum, & Claudium, ceteri quoque Consanguinei nominatim prascripti sunt.*

In tractatu verò successionum rigorosè quo-
ad nomina superius enumerata proceditur; Et 9
in terminis Juris Patronatus, cum fuit dispositum, quod Jus Patronatus sit penes agnatos, qui solum cognati sunt excluduntur, arg. Textus *in can. cum ad sedem* 35. *q.* 5. latè *de Luca de Jure Patr. discursu* 28. *per tot.*

[*d*] *Duarum.*

Quid hic linea significent.

Linea pro filo quoque accipitur ex lino, alia- 10
ve re simili. Hinc linea margaritarum apud Jurisconsultos in *L. lineam ff ad L. falcidiam in L. si servus servum* §. 1. *eum Maritum ff. ad L. Aquil.*

Sed et linea quoque longurium dicitur *Quintilian.* L. 11. idest lignum, quod ad divisionem interponitur. Quare Ovidius L. 1. *de Arte* amcircensia attingens spectacula currentium equorum:

Et benè te cogit, si nolit linea jungi
Qua tibi tangenda est lege puella loci

Ad lineam quoque spectat illud Hyeronimi in Luciferiani, & Orthodoxi dialogo prolatum *in gradum cursus, & lineas regredere.*

Linea quoque accipitur pro funiculo, cui alligatur hamus a Piscatoribus Plinius L. 9. *cap.* 42.

Vt igitur menti faciliùs repręsentetur cursus sanguinis, grados in linea quadam designantur. Et linea seriem, atque ordinem cognationis egregie declarat, *L. Jurisconsultus ff. de Gradibus.*

Ubi ergò de cognatione tractatur, *flemmata directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior est, ex su-*

periore verò, *& inferiore gradu transuersa linea pendent*, ità loquitur Juriscons. Paulus in L. *stemmata ff. de Gradib. & similes Textus in can.* 2. *& 6. 25. q. 5.*

(*e*) *Gradus.*

Quid sit Gradus.

Sed quanam ratione gradus dicitur mensura distantium personarum?

Metaphorice nimirùm gradus hoc loco di-
11 cuntur, ducta similitudine a scalis, vel locis proclivibus, quos per gradus ita ingredimur, ut a proximo in proximum, idest in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus *L. ult. §. gradus ff. de Grad.* Nihilque aliud est, quàm generatio Personæ, sive intervallum cujusque generationis cognationum *§. hactenus Inst. de Gradibus cogn.* Etenim, cum quæritur quoto gradu hic distet ab illo hoc quæritur, quota generatione illum contingat? eleganter *Ovid. L. 3. Metamorph. ibi*:

- - - Totidemque gradus distamus ab illo.

& L. 2. *Faster.*

- - - generis dinumerare gradus.

Hi quoque gradus *ramusculi* dicuntur in Jure, ut *in can. series* 25. *q.* 5. & arbor, seu truncus ipsa itemum series; nec displicet ratio, qua utitur Gonzales, quod nempe cum olim primi homines nati, seu prodeuntes ex arboribus apparerent, optimè proles Arborum similitudine distinguitur. Olìm namquè Arbores pro domibus erant, ibique fæminæ parturiebant, elegantèr Virgilius L. 8. *Æneid. ibi*:

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq. tenebāt,
Gensque virum truncis & duro robore nata.

& Statius L. 4. *Thebaid.*

- - Nondum arva, domusque, nec urbes,
Connubiisque domus quercus, lauriq. ferebāt.
Cruda puerperia, ac populos umbrosa tenebat.
Fraxinus, & fæta viridis puer excidit orno.

Optimè id notavit Interpres Homeri his verbis,
.. Parientes fæminæ versabantur in montibus,
.. sub cavis rupium, & quercuum, qui verò
.. invenerunt, putabant inde genitam sobolem.

[*f*) *Maioresque.*

Quæ sit appellatio existentium ultra Tritavum.

Sic est; Ultra Tritavum nomina in Jure non reperiuntur. Undè supra Tritavum, qui existunt omnes *maiores* communi appellatione vo-
12 cantur; nec mirùm si de aliis nominibus Legislatores solliciti non fuerunt; nam vita tantum non propagatur, ut ultra Tritavum alii reperiantur, ità observat Textus *in can. primo gradu 35. q. 5. in fine*

Et *Maiores* dici reliquos supra Tritavum, asserit Jurisconsultus *in L. Jurisconsultus §. Parentes ff. de Gradib. L. cuique §. fin. ff. de. Jus vocand.*

(*g*) *Posteriores vocantur.*

Sic est Ultra; trinepotem qui sequuntur, quia proprio vacant nomine *posteriores* vocantur L. 5. *§ parentes ff. de Gradib.* Etsi, & aliquandò 3
quoque *liberi* nuncupentur L. *liberorum* 220. *ff. de V Sign.* Sicut, & aliquandò filii nomine, omnes liberos intelligimus L. *filii* 84. *ff. de V. Sign.*

Descendentes enim *liberi* dicuntur, quasi liberalitate Deorum dati, vel quod libera conditione, & natura liberi è nobis nascantur, notat Tiraquellus ad L. *si unquam verbo suscepit n.* 16. *C. de Revoc. Don.*

(*h*) *Servat.*

DISSERTATIO I.

In qua probatur potiorem esse computationem graduum in linea transuersa secundum Jus Canonicum, quam secundum Jus Civile. 4

Premitto, ad clariorum hujus Dissertationis intelligentiam, modum, quo gradus Jure Civili in linea transuersa connumerantur, differre plurimum a modo, quo utitur Jus Ecclesiasticum.

Jus Civile (*ut asserimus in nostro Titulo*) servat hanc regulam, ut sursum ascendatur ad sti- 5
pitem, quo reperto descendatur ad Hypotheticum, eum nempè, de cujus cognatione quæritur. Cumque ità ascenditur, descenditurue, omnes, quæ inveniuntur in tali (ut ita dixerim) itinere generationes numerandæ sunt, eæque generationes gradus appellandi, *omnes Institutista in §. hactenus 7. Instit de grad. & Hotomannus Tract. de Grad.*

Eademque regulà servatur sive lineæ ex transverso sint æquales, idest totidem appareant generationes in una, quàm in alterà linea; sive sint inequales, idest in una maior sit Personarum numerus, ut deducitur, *ex L. final. §. ad quoties ff de Grad. Anton.* Pichardus in Rubricam de gradib. *cognat. Inst* L. 3. *Inst. 6. n.* 10. *aliique Institutiste.*

Contra, Jus Canonicum ex duabus lineis 6
quæ ex centrica persona, nempè Stipite hinc, inde protenduntur, unius tantummodo gradus præcipit numerari, totidemque gradibus distare decernit hypotheticum ab altero oppositæ lineæ, quantum ipse distat a Stipite. Observando tamèn, ut, si lineæ hinc, indè sint æquales, possit a qualibet linea numeratio graduum fieri, si verò linea ex duabus sit remotior, a remotiore graduum incipiat numeratio.

Hanc quidèm veram, uniceque observandam in Legibus connubialibus rationem gradus numerandi, nemo est ex Catholicis, qui vituperet propter expressam Sedis Apostolicæ, quam omni obsequio, tanquam veritatis Magistram, veneratur, declarationem, ut infra apparebit.

Sed quidem reperiuntur de catholica Fide malè sentientes qui odium inclusum in S. R. Eccl. profundere gestientes, omnem abripiunt occasio-

casionem, eamque opportunè sibi, putant, oblatam, in hac ratione qua Canones utuntur ad gradus Supputandos. Satis est Othomannum percurrere *in tractatu de gradibus*, qui proprio quodam opere suscepto, & Canonum auctoribus, & eam doctrinam amplectentibus anxux indicere bellum videtur, triumphumque reportare gloriosissimum sibi persuadet, & quod animadverti, circuitus verborum adhibet, Styloque subobscurum, ut rerum pondus immensum intus latere, vimque rationum inexpugnabilem, qui versutiam inter legendum, altumque non perspicit, arbitretur.

Dico igitur Canonicam numerandi gradus rationem in Jure connubiali potiorem esse, unicèque observandam, rejecta ratione, qua utitur Jus Civile.

Si aduersarii auctoritatibus aures praberent, tam clarè suppetunt, ut, his prolatis, omni alio labore supersedendum foret, veluti Textus *in can. ad sedem 35. q. can. Parentela ib. cap. vir qui de Conjang & aff. cum similibus*.

Sed quoniam pluris apud illos sunt Jurisconsultorum placita, quam sacræ constitutiones; quasi vero Matrimoniales causæ secularis Jurisdictionis postulent decisionem; in quo, quàm turpiter errent, plusquam manifestum est, rationibus agendum erit.

Probatur ergò I. Quià servata regula, quam Leges sæculi præscribunt, ut nempè ad centricam personam ascendatur, & indè ad Hypo-
17 theticum descendatur constat, eo in itinere repertum iri maiorem numerum graduum, quam si regula Canonum facilior, & magis obvia teneatur, patet hoc ex *toto Titulo ff. de gradibus & affinib.* - Atque adeò ascendendo a Filio hypothetico ad Patrem stipitè & ab eo ad Filium alterum, qui fratrer est, descendendo, dicetur juxta Leges frater in gradu secundo: a Filio fratris ad fratrem suum parentem, ab hoc item ad stipitem, & indè ad alium fratrem, & ulteriùs ad filium fratris, invenientur quatuor generationes; ergò juxta Leges sæculi Filii fratrum erunt in quarto gradu; Nepotes, Neptesue eorundem fratrum erunt in 6. - Hæc perbrevis computatio deserviat exempli loco. Ut constet sextum gradum jam inventum esse, Vide nunc, quam minor sit numerus graduum juxta Canonicam computationem. Quippè, si ex regula supra tradita sufficit ex una linea transversali ad centricam personam ascendere; finge Patrem a quo duo Fratres profluxerint veluti ex origine sua: a Fratre ascende ad Patrem, quo dempto (est enim stipes) agnoscis unum gradum. Jus Civile agnoscit protinùs secundum gradum: A filio fratris ascende ad eundem stipitem, quo dempto, agnoscis duos gradus; Jus Civile agnoscit in filiis Fratrum quatuor gradus; rursus experire, ac tenta rursus ascensum juxta computationem canonicam. a nepote, ad filium fratris, ab hoc ad fratres, tandem ad stipitem ascende, invenis tres gradus, & in tertio neputem existere affirmas; At de Jure Civili hoc affirmare non potes, quià hi nepotes sunt in 6. gradu. Nonnè igitur major numerus graduum de Jure Civili quàm de Jure Canonico?

Audi nunc quid sequatur; Sicut ex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur, ità propinquitas generis, & vis illa sanguinis, quæ a primo stipite trahitur, languescit, atque etiam deficit. Ut eleganter disserit Textus in *can. consanguinitas 35. q. 4.* Imò ultra septimum gradum generationis vix est recordatio, vix cognitio, aut memoria retinetur, ut ait Textus *in can. in copulatione 34. q. 2.* Ergò cum de Jure Civili filius nepotis existentis in linea transversa, cum filia alterius nepotis in opposita linea, sit in octavo gradu; poterit secum matrimonio copulari; Quippè in octavo gradu, vi sanguinis consumpta propinquitas, esse desierit. At obsecro, an in possibile est, ut aliquis quartam generationem videat? An non filii nepotū sunt quarta generatio? Ergò in hoc octavo gradu vigebit adhuc primæ originis recordatio ejus cognitio, ac memoria vigebit. Cumque computatio graduum in asserenda sanguinis reverentia, primas sibi vindicet, hoc non obtinetur per computationem Civilem, seu potius per computationem Canonicam, juxta quam nepotes prædicti non in octavo gradu, seu in 4. sunt atque adeò jure optimo Sacræ constitutiones inter hujusmodi nepotes Nuptias interdicunt, ut colligitur ex *cap. non debet de Conf. & aff.* &c. quod si reverentiæ atque honestat magis prospicitur per computationem Canonicam, - sequitur, hanc esse potiorem computatione Civili.

Probat. II. ad ostendendum illum ascensum, descensumque, quo utitur in graduum numeratione Jus Civile, non esse necessarium, ubi de Nuptiis agitur.

Etenim, qui sunt in uno latere non habent reipsa *habitudinem* (utar enim hoc verbo ad meum sensum exprimendum) ad eos, qui sunt in altero, nisi ratione stipitis, in quo uniuntur, & ideò per accidens est, ut inter se distent, vel non distent, quantum ad habitudinem ad personas alterius lateris. Satis proindè erit unū limitem excurrere; atque in eo gradus inventi distantiam a quovis alio alterius lineæ demonstrabunt. Nam cognatio constans ex generante, ac generato, suapte natura semper deorsum vergit, ac propterea gradus in originem, auctoremque generis intuendi, ut constet, an ab origine, quæ profluxit, virtus consanguinitatis eo usque descenderit, ut sit debilitata. *can. consanguinitas 35. q. 4.*

Probat. III. Quià Canonica ratio computandi gradus in linea transversa, cum primum gradum ponat, melior, potiorque Civili est; videtur namque, nescio quod absurdum præseferre, ut detur secundus gradus in fratribus sine primo; Et quamuis aduersarii respondere possint, non posse dari primum gradum juxta Civilem computationem; Tamen quis

neget,

neget, rectè feciſſe Canoniſtas, qui aliam rationem excogitatantes huic etiam incommodo proſpexerunt?

Probat. IV. Nam illa regula, ut fororis proneptem, non poſſit frater ducere, quoniam ipſe frater eſt pronepti loco Parentis L. *fororis ff. de ritu nuptiarum*, omnem graduum numerationem tollere videtur; quid enim opus eſt, utramque lineam tranſverſalem excurrere? ſatis erit cernere, an aliquis provectior ætate ſit, ex agnatis, aut conſanguineis; eo ipſo contendi poterit, hunc loco Parentis haberi. Nec proindè opus erit tantam graduum copiam comminiſci, aſcendendo ab uno latere ad ſtipitem, & indè ad appoſitum limitem deſcendendo.

Probatur V. Nam quomodo indiſtinctè numeratio Juris Civilis adhibenda eſt etiam in Matrimoniis, ſi neque Jus Civile rationem Juris Sanguinis in graduum numeratione ſemper reſpicit? Ecce, ideo vult Jus Civile, agnationis jure admitti aliquem ad hæreditatem etiam ultra decimum gradum §. *hoc loco* 5. *Inſt. de ſucceſſione cognat.* quià in agnatis non jus ſanguinis, ſed ratio familiæ, & ratio Civilis ſpectatur ità *Harpreſtus ad eum* §. *n.* 2. Contrà ideò cognati ſuccedũt uſque ad ſextum gradum quià in cognatione Jus Sanguinis ſive natura ſpectatur *d.* §. *hoc loco verbo Proximitatis*.

Ex quo etiam urgetur anguſtiùs. Nam, computatis gradibus ſecundum Jus Civile, optimè procedit, quod cognati ultra ſextum gradum non ſuccedant, quià in ſexto gradu eſt conſanguinitas terminata, ut conſentiunt Leges. At, cur, ſi hec vera ſunt, *Juſtinianus in* §. *haſtenus* 7. *de Grad.* ita loquitur: *haſtenus oſtendiſſe ſufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur, namque ex his palam eſt intelligere, quemadmodum ulterius quoque gradus numerare debeamus.* Ecce in his verbis apertè oſtenditur, ultra ſextum quoque, cognationem numerari. Ergò ultra ſextum, & ſeptimum, etiam, erit conſanguinitas. Cum igitur eius ratio non habeatur in computatione Civili, & potius ad uſum ſucceſſionum ea inventa videatur; & hinc ſequatur abſurdum, ut agnati, qui & conſanguinei demum ſunt, debeant ratione agnationis obtinere hæreditatem uſque ad gradum 10. cognati ultra ſextum non debeant, manifeſtum eſt, ſuſpectam jure optimo habitam eſſe a Legiſlatoribus Eccleſiaſticis cõputationé Civilem, atque ſumma ratione reformatam, ut etiã apparet *ex can. ad ſedem* 35. *q.* 5.

Neque obſtat Textus in *can. de affinitate* 35. *q.* 2. ubi: placuit uſque ad ſeptimam generationem gradus cognationis obſervare; nam & hæreditas uſque ad ſeptimum gradum protenditur. Ecce, rationem computandi gradus, ſecundum Canones conſonam computationi ſecundum Leges.

Reſp. hunc quidem Canonem ab Hothomanno expeudi ad Canoniſtas confundendos, ſi Diis placet. At, ut vim faceret hic Textus, probandum eſſet, voluiſſe Gregorium, computationem Canonicam in hoc Textu proponere. Dicendum potius, Pontificem eſſe locutum juxta ſupputationem, numerationemque Civilem, ut facilius intelligeretur ab omnibus, non quia de Jure Canonico ante ipſum quoque Gregorium alia non fuerit numeratio graduum, quàm quæ a Jure Civili preponitur. Nam Alexander II. in fine ſui Canonis nempè *can. ad ſedem* 35. *q.* 5. ita loquitur: *ut omnibus ſic ſeriem Genealogiæ computandam eſſe intimetis, quemadmodum SS. PP numerandam eſſe, ſanxerunt, & antiquus mos ſanſta, & univerſalis Eccleſia per longa tempora olim computaſſe, monſtratur.* Ergò Gregorius unum dixit, aliud non excluſit. Una computatione uſus eſt, aliam propterea non eſt inficiatus. Ut omittam ad ornatum quemdam poſitum fuiſſe Legum exemplum, non verò, ut illud comprobaret ità, ut melior modus hic eſſet computandi gradus. Nec novum eſt, ut exemplis alienis quoque ad ornatum utamur *cap. non debet de Conſ. & aff. L. eo quod* 10. *C. ſi certum pet..tur*, L. *pecunia* 178. *ff. de V. l. L. ſi Titius* 48. *in P. ff de Fid.*

Obiicitur II. Non intelligitur, cur nam Alexander II. *in can. ad Sedem* 35. *q.* 5. hæc pronunciet; *Namque duo gradus Legales unum gradum canonicum conſtituunt*; propterea quòd in computatione tranſverſali unica perſona gradatim numeratur. Ergò nullatenus computatio Canonica recipienda.

Reſp. hoc neceſſario evenire; ſi namque ſecundum ſæculares Leges fratres dicantur in 2. gradu, juxta Canones numerantur in primo; Si de Jure Civili filii fratrum numerantur in 4. de Jure Canonico computantur in 2. Nepotes verò, qui ſecundum Leges ſunt in 6. de Jure Canonico numerantur in 3. &c.

Ratio eſt, quia de Jure Canonico in ſtipite; intelliguntur omnes qui ſunt in altero latere, qui non numerantur; & ideò tantum diſtat perſona ſeu gradus, qui computatur a ſtipite, quantum ab omnibus alterius lateris, qui non computantur. Ratio eſt, quia cum tota, & adæquata coniunctionis horum ratio ſit unio cum ſtipite Jure optimo computantur gradus penes diſtantiam ab illo, nec magis, aut minus poſſunt inter ſe diſtare, quam a ſtipite.

Obiicitur III. Filius patri propinquior eſt, quàm fratri; at filius a Patre uno gradu diſtat, ergò a fratre plus, quàm uno gradu diſtabit.

Sed facilè reſpondetur; nam Filius coniunctior eſt parentibus intenſiva perfectione propinquitatis (ut ita loquar); perfectior enim eſt propinquitas filii ad parentes (proptereà quod effectus ad cauſam perfectionem habet majorem, quàm effectus ad effectum alium) quàm ſit perfecta propinquitas, quam habet frater cum fratre; frater enim cum fratre eſt effectus cum effectu. At verò filius non eſt propinquior Patri extenſivè. Hęc enim propinquitas extenſiva ſolum conſideratur penes diſtantiam ab eodem

Sti-

Stipite; at non magis distant fratres inter se, quàm a Parentibus.

Obiicitur IV. Juxta Computationem Canonicam, arbor picta est valdè circumcisa; nam omnes in obliquum a centrica persona fluunt; liberos verò nunquam directo descendere videmus, nullumque locum his relinqui.

Adde quod, cum a Patre descendentes occurrant fratres, ubi quæso poterit eo ordine Patruus inveniri? Cum tamen in cognatione describenda, non inferiores tantum generationes, sed etiam superiores demonstrare oporteat. Quare *Ovidius* Romulum ità de sua cognatione quærentem inducit.

Principiumque sui generis (ait) revolutaque querens.
Sæcula cognatos venit ad usque Deos.

Quod & Julius Capitulinus apertissimè demonstrat in Antonino Philosopho: *cujus* (inquiens) *familia in originem recurrens a Numa probatur sanguinem trahere &c.*

Vereor, an Othomannus, qui hæc obiicit, se nescire dissimulet, quæ ego existimo, sibi esse compertissima. At non mirum. Causam adversariorum non sincere tuetur; sed hęc scribens virus evomit inclusum diù, in auctores Sacrorum Canonum, & ex modo scribendi facilè cognoscitur.

Dico igitur. Non mirum, si juxta computationem, de qua loquimur, liberos directo descendere non videamus. Non enim loquimur, de computatione graduum in lineis obliquis; non in linea recta ascendentium, & descendentium. Cum autèm distantiam fratris a fratre scire volumus; non transitur a fratre ad fratrem per patrem, cum nulla sit processio fratris ad fratrem, sed frater uterque in patre conjungitur. Ergò si quis distantiam inter fratres cupit agnoscere, debet id solum attendere, quantum distet alter ab eorum patre, tantundèm namque inter se distabunt.

Quod verò attinet ad Patruum, non video, quid repugnet, simili linea obliqua patruum quoque in arbore designare, cujus centrica persona avus sit! Imò etiam de Jure Civili id facilius fiet, & necessariò; cum a patre ascendendum sit ad avum, tamquam stipitem, & inde ad patruum descendendum.

Obiicitur V. Stemmata ad usum Canonistarum fabricata ineptissima videntur ad usum, quem sibi proponunt, agnoscendi videlicet sanguinis propinquitatem; utpotè quæ mutuas duntaxat generationes continent, inter quas nullæ Nuptię possunt contrahi.

Sed respondetur, futilem esse hanc aliam Othomanni oppositionem; etsi enim plerumque inter eas personas, quæ in arbore designantur, contrahere Nuptias jus sanguinis interdicat, utile tamen est, quoto gradu quis ab alio distet, intelligentia comprehendere, ut noscamus, an ultra 4. gradum sit, vel potius ejus sit naturæ propinquitas, ut dispensationi sit locus.

Obiicitur IV. Ius Canonicum duas confingit transversales lineas; Et si una sit inęqualis, utpotè proximior stipiti, hipotheticus lineæ hujus non attenditur, sed ultimus lineæ remotioris, & quot inter eum, & stipitem personæ interiacent, tot gradibus distat hic remotior ab hypothetico lineæ brevioris. Ecce absurdum patens. Etenim quid opus est in linea illa breviori, alios quoque gradus designare? Arbor igitur juxtà Canones depicta inutilis est.

Resp. omnis hinc indè designari personas, ut ad omnem opportunitatem inveniendi gradus deservire possit. Cum verò inspiciendum erit, an Titius proximior stipiti possit ducere Cajam in linea remotiori, Titius, & Caja, quoto gradu distent, tantummodo inspicimus. Nescio quid hoc repugnet; videant alii. Mihi otium non est his Othomanni ineptiis ulterius insistere. Ejusdemque generis sunt quæ obiicit *Hunnius L. 1. variar. Resol. Iur. Civil. Tract. 3. quæst. 20. pag. 177. & seq. Quirin. Kubach. centur 3. Quæst. Illustr. Politico Jur. quæst. 4. pag. 613.* - notetur, hypotheticum dici eum, de cujus cognatione quæritur *Gypban. in inst. pag. 338.*

[i] Si utrinque linea collateralium.

Ubi lineæ sint hinc, indè æquales, sufficit in alterutra computationem facere: nam quot gradibus ille, qui positus in una linea distat a stipite, totidem distabit ab alio alterius lineæ.

Ratio autèm cur sufficiat secundum Canones unicam lineam excurrere: hæc est, quià cum tota, & adæquata conjunctionis ratio sit unio cum stipite, jure optimo computantur gradus penes distantiam ab illo, nec magis, aut minus possunt inter se distare, quàm a stipite, & ideò hæc regula traditur *in cap. ad sedem 35. q. 5. in can. Parentela ib.* 19

[k) Si vero.

De computatione Graduum ex transverso.

Ubi lineę sint hinc indè inæquales, gradus a remotiore linea numerandi.

Ratio est, quia hoc veluti principium servatur in computatione Canonica; ut ideò unica linea percurratur, quia cæteri alterius lineæ omnes veluti in centrica persona collecti, junctique simul existimantur. Finge nunc, quod, quando lineę sunt inæquales, non observaretur hęc regula, ut incipiat graduum supputatio a remotiore linea, sed potius incipiat a linea breviore; sequitur, omnes personas remotioris lateris fore in centro collectas. Ergò cum proximior a centrica persona distet unico gradu, nempè primo: similiter a remotioribus distabit 1. gradu. Ergò quivis, qui reperitur in remotiore, seu longiore latere, erit proximior proximiori de quo locuti sumus, quam stipiti, quod est 20

mani-

manii irum absurdum; ac proinde, ut hoc effugiatur inconveniens, optime Canones decernunt, a remotiore linea graduum incipere supputationem, *cap. fin. de Conf. & aff.*

Sed, ut subtilissimum hunc de gradibus tractatum diligenter excutiamus, est enim non modò utile dantibus operam Juri Canonico; verum etiam Theologis, qui nisi ad Canones confugiant, nunquam casus arduos in Matrimonii contractu incidentes decidere poterunt; placet adhuc aliam examinare controversiam.

DISSERTATIO II.

In qua examinatur, an qui est in linea breviori, constituat gradum mixtum ex remotiori, & propinquiori centrica persona, ad Explicationem Textus in cap. quod dilectio de Consang. & Aff.

21 Duo præmittenda sunt. I. Explicandus Controversiæ status, II. Ostendenda utilitas, & finis hujus disputationis.

Status igitur Controversiæ, ut innotescat, suppono, casum intervenire, ut aliquis reperiatur in linea breviore, qui velit ducere Cajam, quæ reperitur in linea longiore, adeòque remotiore a Stipite. Quæritur itaquè, ex gradu lineæ proximioris, & ex gradu lineæ remotioris, an consistit gradus mixtus, ex gr. ex 4. in linea proximiori, & ex 5. in linea remotiore; in qua controversia dirimenda magno Scriptorum conflictu certatur.

Utilitas, & finis hujus disputationis non exigui momenti est, ad impetrandas dispensationes a Sede Apostolica. Si enim gradus mixtus consurgit, ergo si quis narraverit in precibus, se cum Caja, que in linea remotiori reperitur vinculum propinquitatis habere in 4. gradu; Et ideo in 4. solùm gradu emanarit dispensatio: parùm hæc dispensatio proderit, quià non solum remotior gradus erat exprimendus, sed etiam gradus proximior, quippè mixtum sub simplici non comprehenditur. Et pariter si Legato concessa fuerit potestas ad dispensandum, in certo gradu, non extendetur ad eum gradum, quando alter contrahentium in propinquiori distat a Stipite.

Quid ergò decidendum est?

22 Nostra Conclusio hæc sit. Gradum mixtum non coalescere ex duobus, quorum unus in linea proximiore stipiti sit, alter in linea remotiori, sed solum gradum remotiorem considerari &c.

Probatur I. Quià cum *in can. ad sedem 35. q. 5. Alexander II.* tam expressè declaraverit,

23 non esse de Jure Canonico ascendendum in una linea transversali ad Stipitem & indè ad Hypothe... alterius lineæ non esse descendendum, ut gradus hinc, indè numerentur. Planè si esset considerandus, & gradus proximior stipiti in una linea, & remotior in altera linea, menti Pontificis Alex. II. satisfactum non esset; imò tertia regula, quæ proponitur *in cap. fin. de Consanguin.* prorsus inutilis redderetur, imò sublata videretur. Ergò non consideratur gradus proximior, sed solum remotior in linea opposita breviori.

Probatur II. Quià nimia graduum sequeretur confusio, si non contento numeratione graduum in una linea, aliam quoque ad inveniendum gradum mixtum spectare nos oporteret; ac docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in gradibus prohibitis contrahi *Trid. sess. 24. cap. 2. de Ref.*

Probatur III. Quià collaterales non habent inter se consanguinitatem, aut affinitatem, nisi eam, quam habent ratione primi stipitis; implicat proindè, conjunctiores esse inter se, quàm sint cum stipite. Ergò satis erit agnoscere distantiam unius nempe remotioris, a stipite.

Probatur IV. Quià virtus Consanguinitatis quantò magis descendit eò magis debilitatur, languescitque, ac demum extinguitur, *can. consanguinitatem 35. q. 4.* Cum ergò persona, quæ magis distat a Stipite, minorem habeat virtutem, nexumque consanguinitatis idcircò ab eo gradum consanguinitatis metiri oportet: Alias, si a proximiore ipsimet stipiti esset mensuranda propinquitas inter transversales, accidere posset, ut collateralis existens in secundo, aut tertio gradu quoad stipitem, esset conjunctior cum alio collaterali distante a stipite solum in primo gradu, quàm cum ipso stipite, a quo reipsa abest per tres gradus.

Probatur V. An non etenim de eorum, qui sunt in linea transversali, gradu tractamus? Atqui is solus est, qui impedimentum præbet is verò solus est remotior a stipite, *cap. fin. de Conf. et aff.* ergo unus tantùm simplex gradus est, non mixtus.

24 At si hæc vera sunt; quomodo intelligendus est Textus Cælestini III. *in cap. quod dilectio de Consang. & aff.* his verbis: *Si vero alter sexto, vel septimo gradu distet a Stipite; Alter verò secundo, vel tertio gradu, conjungi non debent.* Ecce vides, non attendi dumtaxat remotiorem gradum; sed etiàm proximiorem: ergò ex utroque coalescit gradus mixtus.

Hic quidèm Textus prima specie nostram assertionem evertere videtur. Sed ex litera ipsa protinus responsio fit obvia. Statim enim hæc addit Cælestinus: *Undè in hac parte consultius duximus multitudini, & observatæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissentionem, & scandalum populi, novitate quadam abbita, statuendum.*

Quæ verba luculentissimè Authoris mentem patefactam, atque illustrem reddunt. Non enim, hanc esse Juris communis regulam, Pontifex enarrat; sed considerare se idcircò affirmat proximiorem gradum junctum remotiori, ut consuetudini deferret: scire vis, cui consuetudini? Illi nimirùm, quæ in Norvegia invaluerat. Jamdiù ille populus, illam imbiberat opi-

nionem

sionem, ex gradu proximiore, & remotiore, mixtum gradum coalescere. Animadvertit ergo prudentissimus ille Legislator ex tali innovatione, si recederetur, videlicet ab inveterata consuetudine, multitudini imperitę id potius scandalo futurum; ergo ad scandalum vitandum, aptius, consultiusque esse, duxit, consuetudini deferre, secutus in hoc regulam prædecessorum, *can. conquestus 9. q. 3. & alia jura, quæ Glossa adducit in cap. quod dilectio uerbo observata*.

Ità etiàm hunc Textum accipit Cujacius *ib. Ledesma q. 54. Vot. 2. ad finem*. Quare subsistit assertio nostra; quod sublato per dispensationem remotioris gradus impedimento, propinquioris etiàm sit sublatum.

Objicitur Bulla Pii IV. relata ab *Altogrado Tomo 2. Conf. 47 n. 20.* ubi deciditur, gradum quoque proximiorem in precibus Sedi Apostolicæ oblatis esse exprimendum. Ergo, quia ex
25 remotiori, & proximiori coalescit gradus, neque enim in dispensationibus, quæ odiosæ sunt, mixtum in simplici continetur.

Respondet Choninchius *de Sacramento Matrimonii disput. 23. dub. 6. n. 74.* Pium IV. similiter spexisse consuetudinem localem, juxtà quam vulgus communiter existimabat, eos, qui in linea breviori sunt gradum mixtum cum illis, qui in remotiori sunt, constituere.

Cæterùm aliter quoque responderi poterit nempè Pium V. revocasse hunc Pii IV. motum proprium *anno 1566. die 16. August.* in Bulla, quę incipit Sanctissimus; remque ad Jus commune reduxisse.

Video tamen ad hanc Pii V. Bullam, *Covarruviam secunda Part. de Matr. cap. 6. n. 12. Sanchez L. 8. disp. 27. n. 25.* omnes hoc addere; *obtentis tamen postea literis declaratoriis super propinquioris*, his verbis enim scribuntur. *Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus etiam si literis præfatis jam tibi præsentatis, ad illarum executionem propter hoc procedere distuleris, seu recusaveris, nihilominus negotium ejusmodi reassumens, ipsasque literas valere dicta auctoritate decernens, ad earundem literarum executionem (servata alias earum forma) procedas, ac ejusdem N. & & N. super impedimento tertii consanguinitatis gradus ejusmodi eadem auctoritate dispenses. Distantiam verè secundi gradus præfati eis non obstare, declares in omnibus, ac per omnia perindè, ac si in literis ipsos secundo, & tertio consanguinitatis gradibus a communi Stipite provenientibus invicèm esse conjunctos, expressum fuisset*.

Sed animadvertatur, has literas declaratorias non esse necessarias ad validitatem dispensationis; sed pro foro solum externo, ut scandalum evitetur, cum ut sæpius diximus, imperita multitudo vix percipiat, quo pacto major non sit propinquitas existentis in linea breviori: ita *Altogradus in Consilio citato*.

Objicitur præterea Bulla Urbani VIII. incipiens *Urbanus sub dato Non. Kal. Novembr. anno 1624. post tertium Votum Barbosæ*: in qua videtur decisum, gradum mixtum, de quo loquimur, consurgere. 26

Resp. hanc quoque Bullam ad casum accedere Textus in *cap. quod dilectio de consanguin. & affin.*

In specie ejus Bullæ tenor casus hic fuit. In Toletana Diœcesi duo propinquitate se contingebant, unus in 2. alter in 3 gradu linearum ex transverso Auditor Cameræ summo exposuit Pontifici, eos, qui in Toletana Diœcesi dispensationem flagitabant, esse cum stipite conjunctos in 3. gradu; ideoque rogabatur Sanctissimus votis precantium annuere. Annuit Pontifex, facultatem impertiens Toletano Officiali dispensandi, si preces invenisset veritati consonas. Contractum itaque, secuta dispensatione, fuit Matrimonium; sed ipsi Conjuges, subverentes adhuc se tutos non esse, propter gradum mixtum qui in precibus minimè fuit enarratus, rursus ad Apostolicam Sedem convolarunt, suas rectius exprimentes cogitationes, rationesque dubitandi de propria securitate. Pontifex declaravit nullam primam dispensationem, prolemque exortam illegitimam.

Sed cur id declaravit? Non. quia esset opus in dispensatione simili, gradum mixtum recensere, sed potius, quià in Diœcesi Toletana talis erat consuetudo, qualis in Norvegia, & sine scandalo tale Matrimonium celebrari, ac sustineri non potuisset: ergò hæc Bulla accedit ad casum Textus *in d. cap. quod dilectio*.

Pro Coronide hujus dissertationis notetur, verissimum quidem esse, quod in ejusmodi dispensari me sufficiat mentionem facere gradus remotioris: quià reipsa ab eo solùm consanguinitatem metimur: attamen excipiendus est 27 unicus ille casus, nimirùm, si unus ex contrahere volentibus stipiti sit in primo gradu, utpote filius, alter vero sit ei in tert o, aut 4. gradu: quia Pius V. voluit, inter hos Matrimonium non posse consistere; ut patet ex verbis hisce: *Dummodo primum quoquo modo non attingant: cum in eo Sanctitas sua nunquàm dispensare intendat*: nec vero arbitreris, id statuisse Pium V. quasi qui stipiti conjunctus est in primo gradu, sit proximor, quàm alter qui stipiti junctus foret in 3. aut 4. gradu: sed id statuit ex quadam honestate, quod filius, qui stipiti est in primo gradu, una eademque persona cum stipite videtur, & ideò perindè esset, ac si cum ipso stipite contraheretur.

(l) *Anathemate feriantur*.

Verùm asserimus in nostro contextu, quòd si qui contraxerint ità nuptias, ut se ad numerationem graduum secundum Civilem computationem conformarint, anathemate feriantur.

En

28 En Canonem ejusque verba in fine Textus in *can. ad sedem 35. q. 5. Nam si quis perversa, & obstinata mente a recto tramite Apostolicæ Sedis deviare voluerit, & aliter, quàm nos in Nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit: primum pro sua temeritate cælesti pœna plectetur: postmodùm verò gladio perpetui anathematis se, noverit, jugulandum, data Romæ &c.*

[m) Inter.

Absurdum, quod sequitur admissa computatione secundum Jus Civile.

Non est valde laborandum, ut hoc explicetur; quod nempe si Nuptialia Jura juxta Leges metiremur, admitterentur ad mixtionem carnalem illi, inter quos viget memoria consanguinitatis.

Ecce, in 4. gradu sunt duorum fratrum, aut fratris, & sororis liberi, qui patrueles; & liberi duarum sororum, qui consobrini appellantur. Quis vetet juxta hanc supputationem,
29 quę Civilis est, Nuptias celebrare? Imo exp esse permittit Textus *in L. celebrandis C. de Nupt. & in §. duorum Inst. eod.* Sunt enim in quarto gradu.

At de Iure Canonico hi sunt in secundo gradu, neque in secundo gradu potuit evanescere cognationis memoria.

Imo neque in quinto gradu jure affirmari potest, amisisam esse consanguinitatis recordationem: et in quinto gradu ex transverso sunt fratris, & sororis pronepos, proneptis: & convenienter propatruus, & proamita idest proavi frater, & soror Item fratris patruelis, idest sororis patruelis filius, filia: propior sobrinus, propior sobrina, *L. 1. §. quinto gradu ff. de Gradib.* & licet admittam, Ius Civile regulam hanc tenere ut qui sunt loco parentum, & filiorum in linea transversa, a Nuptiis invicem contrahendis arceantur *§. fratris vero §. item amitam Inst. de Nupt L. per Adoptionem ff. de Ritu Nupt. L. nemini C. de Nuptiis.* Tamen quocumque in gradu sint de Iure Civili inter se pronepotes fratris illius, & sororis, quos relatos ad propatruos diximus in 5. gradu; fieri non potest, quin inter eos cognationis memoria non vigeat: Imo quemadmodum honestatis ratio habetur inter propatruum, & proneptem, quià hic loco Patris, hæc loco filiæ habetur: cur etiàm inter pronepotes ratio consanguinitatis habenda non est? Si enim cognoscitur, quinam sint loco filiorum cur etiam qui non sint loco filiorum? Ergò vigebit memoria consanguinitatis, quamquàm hi pronepotes secundum Ius Civile sint in octavo gradu. Cumque de Iure eodem Civili inter hos Nuptiæ permittantur: nonne, si Nuptialia Iura juxta Leges metiremur, admitterentur ad mixtionem carnalem illi, inter quos viget memoria consanguinitatis?

(n] Nec refert Jus Civile.

Equidem Ius Civile Nuptias in infinitum prohibet in linea recta ascendentium, & descen- 30
tium. *L. Nuptiæ 53. ff. de Ritu Nupt. L. nemini 17. C. de Nuptiis §. ergo non omnes Inst. de Nuptiis. Novella 12. de Incest. Nup.*

At indistinctè Concilium Lateranense *in cap. non debet de consang. & aff.* ultra quartum gradum Matrimonium non impedit: Indistinctè iniquam. Ergo correctum videtur Ius Civile.

Quare nullo fundamento nititur, quod ait *Glossa 35. q. 5. in expositione Arboris*, quod, si Adam generis humani Parens resurgeret, nullam ducere posset uxorem.

Concilium Lateranense summa ratione quartum præscribit gradum. Ut enim fons per longas peregrinationes in mare descendens, elongatus a capite, eo minus retinet substantiæ primæ originis, quo longius ab ea descendit, terrarum, quas alluit, immutatus naturis: ità consanguinitas longo limite se subtrahit, atque inter ascendentes nimium distantes evanescit.

Hanc ergo sententiam tuemur cum *Gonz. in cap. quod super de Cons. & aff. sub n. 10.* cum *Sanchez L. 7. de Matr. disput. 51. n. 12. qui eam vocat probabiliorem.*

(o] Et quibusdam.

Quibus in gradibus dispensetur.

In linea ascendentium, & descendentium qui dã 31
sunt gradus, in quibus Pontifex dispensare potest.

Contrariorum eadem est disciplina. Dico, non posse dispensari in primo, & secundo gradu lineæ rectæ. In primo gradu est filius, & filia, in secundo est nepos, neptisque cum Avo: In his gradibus dispensatio non conceditur. Ergo in omnibus reliquis justa ex causa dispensationi locus erit.

Non conceditur in gradibus enumeratis dispensatio, quià Ius Naturę repugnat.

Repugnat inter Patrem, ac filiam Nuptias contrahi, reclamatque rationis dictamen.

Barbari, efferatique solum inventi sunt quà hęc connubia inirent, & tamquam barbari notantur a D. Ioan. Chrysostomo *homil. de Pentec. in fine* a Tertulliano *in Apologetico cap. 9.*

Unde Catullus *in Gellium* impia, ac nefanda conjugia hęc vocat:

> *Nam Magus ex Matre, & nato gignatur, oportet,*
> *Si vera est Persarum impia Relligio.*

Et *Ovidius L. 7. Metamorph.* ferina vocat hæc connubia.

> *Dextera Syllene est, in qua cum Matre Menophron*
> *Concubiturus erat savarum more ferarum.*

Accidit tam scelestè facinus inter priscos. Thebis Jocasta Laij uxor Oedipodi filio nupsit, non tamen, sed sponte per ignorantiam: Explicat id Homerus *Odyss. L. vers. 263.*

Matrem

Matremque Oedipodis vidi pulchram Epicastā,
Quæ ingens facinus cōmisit insipientia mentis
Nupta suo filio: ille, suo patre perempto,
Uxorem duxit.

Nec nisi repugnans Juri Naturali lex fuit Zenonis Stoicæ sectæ Præfecti, qua decrevit, commodum esse cum matribus, & sororibus misceri, ut refert D. Joann. Chrysostomus *in Lib. uno adversus gentes*.

Hæc vero potius ferinis moribus tribuenda sunt, quam humani judicii decretis; ut concludit Covarruvias, id referens, *in tract. de Matr. secund. Part. cap. 6. §. 10. n. 4.*

Nec mirum videri debet, plerumque apud gentes pilā permitti vitia, quę Juri Naturę adversentur; id enim contingit ex errore in particulari; Non in universali: Nam licet in aliquo homine dictamen Naturalis legis extinctum, ac sopitum sit in sua specie; non tamen indè sequitur, in eo prorsus extinctam esse legem Naturæ communem. Ergò quæ gentes tales Nuptias admiserunt, prava consuetudine Naturę quidem Jus violarunt; non tamen immutarunt.

Ratio autem, cur Jus Naturale repugnet in Nuptiis hujusmodi, est pudor Naturalis, qui in contrahendis Matrimoniis præcipuè inspiciendus est L. *adoptivus* 14. §. *serviles ff. de ritu Nupt. can. quadam* Lex 35. *q.* 3. Hinc preclarè Socrates apud Xenophontem *in L. 3. apomnimo neumaton* ait, hanc legem in natura divinitus latam, ac positam esse, neque parentes liberis misceri, neque liberos parentibus. Hinc Justinianus in *Novella* 12. *cap* 1. astruit, irrationabilia quędam animalia nefandum illum coitum refugere, & aversari, ac multa exempla profert *Tiraquellus in 7. Lege Connubiali n. 47.* omninò videndus, par'am enim calamo, ne ejus eruditiones transcribam.

Accedit, quod hæc conjunctio adversatur propemodum substantię ipsius Matrimonii; cum enim hoc sit quidam contractus, & coniugalis amicitia, desiderat duo extrema distincta, quorum unum non sit alterius pars, juxta Genes. 2. *& erunt duo in carne una*; at filii sunt quædam parentum pars. Quare Adam *ib.* Sancto Spiritu afflatus parentes a liberorum coniugiis exclusit ibi: *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Ergo cum in hoc primo gradu reclamet Lex Naturæ, manifestum est, dispensationem non posse concedi, arg. Textus in *can. sunt quidam* 25 *q.* 1.

Sed finge id, quod nunquam eveniet, eo paucitatis homines esse in orbe terrarum redactos, ut solus pater, ac filia superfuerint. Hic planè casus est extremæ necessitatis. Er in hoc casu ad conservandam speciem humanam, licebit in primo gradu contrahere. Nam D. Joannes Chrysostomus *homilia* 44. *in Genesim* 19. excusat filias Loth a culpa, dum cum patre concubuere, ait enim: *vide scopum diligenter, & omni eas liberabis crimine. Putaverunt generalem totius orbis factum interitum, nullumque amplius superstitem, deindè, & patris viderunt senectutem. Ut igitur, inquit, non aboleatur genus, & pereat nomen.* Idemque asserit S. Ambrosius L. 2. *de Abraham cap.* 6.

Et ratio est, quia malum irreverentiæ paternæ malum privatum est. Bonum verò conservandi speciem humanam commune est; ergò tale malum ex hac circumstantia ità cohonestatur, ut expediat publico bono consulere. Atque ità explicatus remanet obiter Textus *in can. inebriaverunt* 15. *q.* 1. ubi casus filiarum Loth enarratur. 32

Quod pertinet ad secundum gradum, in quo avus, neptisque recensetur, in hoc quoque gradu dispensatio non indulgetur: ut sentit Gonzales *in cap. quod super sub n.* 20. *de Sponf. cum iis, quos citat.*

Nam inter has quoque personas rationes expensæ nuper, vigent; neque enim hi vocari possunt adeò remoti, cum & in potestate avorum nepotes sint, et verè filiorum personam sustineant, & avis exhibere debeant reverentiam, sicuti parentibus, ut animadvertit *Valentia 4. parte d sp.* 10. *q.* 5. *part.* 3.

Ergò in cæteris gradibus dispensatio permittitur. Justam tamen causam esse, oportet, dispensationis. Etsi enim ultra primum, & secundum gradum lineę rectę non prohibeatur Matrimonium Jure Naturali irritante; tamen negari non potest, quin aliquo modo contra Ius Naturæ sit, quando non occurrat aliqua causa. Ita Sanchez L. 7. *d sp.* 51. *de Matr. n.* 20.

[*p*] *In aliquot.*

DISSERTATIO III.

In qua de gradibus in cap. 18. Levitici praescriptis tractatur, ad cognoscendum, an obligent in Lege Evangelica.
Ad explicationem Textus in cap. literas de Rest. Spol. 33

Bellarminus vir doctissimus in *Tractatu de Sacramento Matrimonii cap.* 27. *&* Sanchez L. 7. *disp.* 52. *eandem controversiam examinant,* aliique plures gravissimi Auctores.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,

Ità nos elegantem hanc disquisitionem intractatam, intactamque non omittemus, ex his Auctoribus jucundiora, atque utiliora colligentes, ut partem nostri Tituli explicemus. En igitur verba Sacrę Scripturæ in *cap.* 18. *Levitici*:
„ Omnis homo ad proximam sanguinis sui non
„ accedet, ut reveler turpitudinem ejus. Ego
„ Dominus. Turpitudinem patris tui, & tu-
„ rpitudinem matris tuæ non discooperies. Ma-
„ ter tua est, non revelabis turpitudinem ejus.
„ Turpitudinem uxoris patris tui non discoope-
„ ries: Turpitudo enim patris tui est. Tur-
„ pitudinem sororis tuę ex patre, sive ex ma-
„ tre, quæ domi, vel foris genita est, non re-

„ vela-

velabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis, ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filię uxoris patris tui, quæ peperit patri tuo, & est soror tua non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis eo, quod caro sit matris tuę. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuę, & filii ejus non revelabis. Filia filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.

Ut brevius prohibitionem Levitici perstrin-
34 gamus: In ea prohibitione designatur linea recta, & transversa consanguinitatis, & affinitatis. In linea recta consanguineorum, prohibentur Nuptiæ parentum cum filiis, avorum cum neptibus, & aviarum cum nepotibus. Item in linea transversa consanguineorum prohibentur Nuptię fratrum cum sororibus, sive ex utroque parente, & Nuptię nepotis cum amita, aut matertera. In linea recta affinium prohibentur Nuptię soceri cum nuru, vitrici cum privigna, & è contra privigni cum noverca, & vitrici cum filia privignę. In transversa affinium linea prohibetur conjugium cum uxore fratris, & cum sorore uxoris, & cum uxore patrui.

Non differemus de gradibus affinium, sed contenti erimus tractare de gradibus cognationis.

Difficultatis cardo in hoc versatur. Numquid hi gradus obligent in lege Evangelica, quasi Juris quoque Naturalis sint?

Pro conclusione proponam infallibilem Sacri
35 Concilii Tridentini doctrinam. Nam *ses. 24. de Matrimonio can. 3.* pronunciat, hæreticum esse affirmare, quod Pontifex in aliquot gradibus ex prohibitis in Levitico dispensare non possit. Quare ex mente Concilii, non omnes gradus Levitici, quibus Nuptiæ prohibentur, Juris Naturalis sunt. Et hoc defendimus impræsentia.

Sed conclusio hæc, ita est explicanda. Distinguendum namque duplex Ius Naturę, quo-
36 ad Nuptialia Jura. Primum Ius Naturę primævum est, & irritans; aliud Ius Naturæ secundarium est, quatenus in quibusdam gradibus contrahere, indecentiam Naturalem redolet; Natura quippè reverentiam quamdam dictit, ex qua sine peculiaribus circumstantiis cohonestantibus Nuptias, hæ in gradibus quibusdam contrahi, celebrarique non debent. Primi generis Ius Naturæ prohibet Nuptias in primo, & secundo gradu lineæ rectæ consanguinitatis; secundi generis Ius Naturæ ad quartum usque gradum protenditur, in utraque linea;

Probatur I. Quia si Levitici enumeratæ prohibitiones, attinent ad Ius Naturę primævum,
& irritans, sequitur, has prohibitiones ipsas esse 37
præcepta moralia. Hoc nemo inficiabitur. Nam præcepta Legis Mosaicæ, aut erant moralia, aut cæremonialia, aut judicialia: Neque ex his alia ulla ad Ius Naturę primævum spectabant, nisi moralia.

Atqui, qui gradus prohibentur in Levitico, non sunt omnes ex primo genere præceptorum. Etenim cum pręcepta moralia, sint immutabilia; Sacra ipsa Scriptura docet, prohibitiones nonnullas ex enumeratis in Levitico mutationem habuisse. Nam *Levitici cap.* 18. prohibitum est, ne quis sororem uxoris in conjugem accipiat, & tamen Iacob duas sorores in uxores accepit, Liam scilicet, & Rachel *Genes. cap.* 29. Item, & prohibetur Levitici Matrimonium nepotis cum amita, ac matertera, idest prohibetur conjugium in secundo gradu lineæ transversæ inęqualis. At Nachor duxit Melcham filiam Aram fratris sui *Genes.* 11. & Abraham duxit Saram filiam sui fratris Aram, ut ait D. Augustinus in *can. ult.* 22. *q.* 2. Quamquam alii contendant, Saram verè fuisse Abrahæ sororem, ex quo magis comprobatur, non omnes prohibitiones Levitici spectasse ad Ius primævum naturæ irritans; Nam Levitici *cap.* 18. ita scriptum est: *Sororis tuæ nuditatem, sive illa ex utroque parente tuo, sive ex uno, ne detegito.*

Et ut obiter de affinitate loquamur, Levitici *cap.* 18. ita scriptum est: *Nuditatem uxoris patris tui ne detegito, nuditas patris tui est.* Et tamen I. 3. *Regum cap.* 2. habetur, quod Adonias filius David petiit in uxorem Abisac, quę antea fuerat uxor patris sui David, ut constat ex *eodem libro cap.* 1.

Ergò Sacra ipsa Scriptura docet, non omnes gradus Levitici ità esse præscriptos, ut prohibitio ad Ius primævum Naturale irritans pertineat.

Probatur II. Quià, si Naturali Lege illicitum foret, relictam a fratre accipere uxorem, ut *Levitici cap.* 18. illicitum esse, decernitur, non probasset Romanus Pontifex conjugia contra dictam prohibitionem contracta *in cap. fin. de Divort.* Nam contracta fuissent contra Ius Naturę; ergò, cum ea Pontifex approbaverit, infertur, non omnes gradus prohibitione Levitici comprehensos ad Ius Naturale pertinere.

Probatur III. Quia primus gradus lineæ transversalis, *Levitici cap.* 18. prohibetur; tamen hoc absolutè Ius illud primævum naturæ irritans vocari non potest. Si ipso Iure Naturæ Nuptiæ essent exosæ, Deus Omnipotens in ipso Mundi initio plures masculos, ac fæminas procreasset, ne cogerentur fratres cum sororibus contrahere. Et rursus, si ipso Iure naturæ Nuptiæ in hoc gradu prohiberentur, cur *Lib. 2. Regum cap.* 13. Thamar cum suæ pudicitiam sororis attentaret, audiit a sorore hæc verba: *Noli frater mi opprimere me, loquere potius ad Re-*

gem,

gem, qui non negabit me tibi. Si ergò Rex fratri sororem non negabit juxta hunc Textum, non erit in hoc gradu de Iure naturæ coniugium interdictum. Et Pontificis veniam in hoc coniugio posse intervenire, testis est Synodus Agathensis in *can. de incestis* 35. *q.* 3. ait enim, coniugium fratrum, sororisque *se non dissolvere, utpotè præcedente Pontificis venia*, & Martinum V. & alios Romanę Ecclesiæ Præsules in hoc Matrimonio dispensasse, refert Cajetanus in *opuscul. de Matrim Regis Angliæ*. Et sane ratio, cur Nuptię inter fratrem, & sororem prohibeantur, non est tam Naturalis, ut ea, quæ militat in primo, & secundo gradu lineæ rectæ, *arg. Leg. ult. ff. de ritu Nupt.* L. *si adulterium* 38. §. 2. *ff. ad Leg. Iul. de Al.* Hinc apud multas nationes Lacedemonios, Ægiptios, Parthos, Athenienses, Persas justa inter fratrem, & sororem connubia fuerunt *Cujacius L. 16. observ. cap. 37. Muretus L. 7. Variar. cap. 1.*

Sed esto vera sint hactenus prolata; quam ergo interpetrationem recipiet Textus Innocentii III. *in cap. literas de Rest. spoliator.* Verba Textus hæc sunt: *Opinioni autem ultimæ, videtur, non incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis Divina Lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione intere-*
38 *dictis humana, restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit*. Ecce vides, in gradibus Levitici dispensari non potest, & de his Textus intelligit, ut notat *ibi glossa*.

Sed, ut omnis detegatur ex hoc Textu difficultas; probabile non est, separaram a viro fuisse uxorem, quasi esset in primo, aut 2. gradu lineę rectæ: quasi contraxisset neptis cum avo, aut filia cum patre. Cum que hi solum gradus consanguinitatis ex prohibitis in Levitico ad præcepta moralia Legis Mosaycę pertinerent, quę Iuris naturalis sunt. Ergo, si Pontifex in eo Textu pronunciat, non posse restitui viro uxorem, quià in gradibus Lege Divina prohibitis dispensari non potest, manifestè sentit, omnes alios gradus in Levitico pręscriptos ad præcepta moralia pertinere.

Imò, quod non tractetur in eo Textu de primo, aut secundo gradu consanguinitatis, in quo, neminem tam dementem, tam ignarum esse, præsumitur, ut Matrimonium consistere non posse, compertissimum et non sit; ut deducitur ex principio Textus, in quo differitur de 4 gradu.

Torquet ergo hic Textus Interpetrum ingenia, & Gonzales *in cap. 5. de consanguin. sub n. 14.* fatetur, suam responsionem non esse omninò sibi acceptam.

Petrus Gregorius in Syntagm. L. 9. *cap. 9. sub n. 23.* per hunc Textum probat, in secundo gradu lineæ transversæ Pontificem non posse dispensare.

Sed verè Textus non aliter explicari potest, quàm interpetrando verbum *possit*, quod verbum idem significat eo loci, quod *debeat*. Et sensus est, denegandam esse dispensationem, illis in gradibus, hoc est non oportere in illis gradibus dispensationem indulgere, neque expedire. Et re ipsa, cum verba Textus, in quibus difficultas omnis sita est, referantur ad ultimam opinionem quorundam, qui in eo Textu existimabant restitutionem uxoris, quę divertit a viro propter detectam consanguinitatem *esse penitus denegandam*, ut loquitur Textus; idest non debere concedi: manifestè infertur, dum postea ait Pontifex, dispensationem non posse concedi, significare, quod non debeat concedi; & verbum *potest* nonnunquam significare, *expedit, debet*, patet ex *can. si Paulus* 32. *q.* 5. & ex *Glossa in cap. literas verbo non potest de Rest. Spol.*

Obiicitur ulterius. Sacra ipsa Scriptura in *cap. 18. Levitici*, contrahentium in his gradibus vocat abominationes: *Non faciatis ex omnibus abominationibus istis, omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ &c.*

Resp. Bellarminus *L. 1. cap. 27.* multa alia gentium peccata enumerasse Dominum in illis locis, ut Idolatriam, adulteria, sodomias, bestialitates, & ad hæc, verba illa sunt referenda.

Obiicitur præterea D. August. *L. 3. q. in Lev. q. 53. alias 63.* qui videtur prohibitionem Levit ad Decalogum redigere; atqui pręcepta Decalogi moralia sunt; ergò & prohibitiones Levitici.

Resp. Cum Cajetano 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *circa solut. ad* 3. Precepta illa Levitici certos gradus in Matrimoniis prohibentia, aliqua ex parte moralia extitisse, quatenus decentiam aliquam naturalem præseferebant. Nam decet eos, qui in hisce gradibus coniuncti sunt a Nuptiis abstinere; at non omnes gradus ita prohibentur, ut vetiti sint ipso Jure primævo Naturali irritante.

Obiicitur insuper Textus Zachariæ Pontificis *in can. Pitacium* 30. *q.* 3. in illis verbis: *Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod D. præceperit per Moysen dicens: turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis*. Ex quo *Glossa ibi verbo sororis*; infert, Pontificem ob hanc prohibitionem non posse dispensare.

Respondetur, non afferri a Zaccharia illud Levitici testimonium, quasi nunc obliget, sed ut inde argumentum construeret; si namque Deus prohibebat Matrimonium cum cognata carnali, eo quod id dedecebat, æquum est, ut, ob indecentiam prohibeatur ab Ecclesia Matrimonium cum cognata spirituali. Lege literam Textus; videbis quàm recta sit, & congrua talis responsio.

Obiicitur ultra hæc Textus in *cap. Deus de divortiis*. Livonienses temporibus Urbani III. ad fidem Catholicam, abiecto paganismo, converti cęperant opera Sancti Meynardi Canonici Segeburgensis, necnon Bertoldi Abbatis Lubecensis,

de qua conversione mentio est in cap. dilecti de purgat. vulgari. Consultus fuit Pontifex in *d. cap. Deus* super variis quaestionibus in ea regione emergentibus. Ac praecipuè, an, si quis ex Livoniensibus ducat in uxorem eam, quam frater suus duxerat, possit id in patientia tolerari.

Respondet Pontifex, dispensare se, ut Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur, juxta legem Mosaycam, si id evenerit ante Baptismum.

Ergò censet Pontifex, Livonienses infideles gradibus Legis veteris arctari, alioquin quid opus fuisset dispensatione?

Resp. Gregorium in praesenti, non ità dispensasse, quasi fratris relictam ducere Ius primaevum Naturae irritans intervicat, quippè nec Naturae lege, nec lege gratiae id Matrimonium prohibetur, & si prohibitum fuisset, non potuisset Gregorius dispensare. Prohibetur tale Matrimonium de Jure Ecclesiastico, & justa ex causa, prohibitionem in Livoniensibus Gregorius sustulit ad tempus, donec Livonienses in fide plenius solidarentur, interim verò dispensandum censuit, ne (ut ait Textus) *propter hoc a bono proposito retrahantur*.

Obiicitur & illud, quod est in *can. quadam Lex 35 q. 3.* ibi: *experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare*; Sentit ergò vim habere Legem Levitici.

Sed paucis verbis satisfit. Accipitur enim haec auctoritas de quadam honestate naturali; juxta quam non conceditur inter consanguineos Nuptias celebrare, & ita etiam intelligendus est Textus *in cap. penult. de Praesumpt. in cap. penult. de robabit. cler. & Concilium Toletanum 4. cap.* 14. & Textus *in L. eum, qui 10. C. de Episc. & Cler.* quem obiicit *Pichardus L. 3. Tit. 6. Inst. n.* 20. & Textus in *cap. cum in Juventute 15. de Praesumpt.*

Solidiores adversariorum oppositiones examinatae sunt, aliis adducendis supersedemus.

Illud hinc sequitur, quod, si praeter primum, & secundum gradum lineae rectae, alii gradus consanguinitatis in Levitico, non spectant ad Jus Naturae primaevum irritans, dispensari queat in secundo gradu lineae transversalis.

Atque eò spectat Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap. 5. de Reform.* his verbis: *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.*

De gradibus affinitatis prohibitis in Levitico vix disseruimus, quia nullus ex his gradibus est Jure naturae prohibitus Sanchez L. 7. *disp.* 52. *n.* 13. Ac si ostendimus, praeter primum, & secundum gradum lineae rectae, ceteros omnes dispensari posse; multò magis cadet dispensatio in gradibus illis, in quibus *d. cap.* 18. *Levitici* ratione affinitatis prohibetur Matrimonium. Difficilior namque est dispensatio super impedimento consanguinitatis, quam super impedimento affinitatis; major enim est coniunctio inter consanguineos, quàm inter affines, neque obstat Textus *in can. aequaliter 35. q. 3. & cap. 1. de Cons.* ubi habetur: *aequè abstinendam esse, a consanguineis uxoris, sicut a propriis*; id enim non de aequalitate omnimoda; sed similitudinaria debet intelligi, quià similiter prohibitum est, se cõmiscere cum consanguineis, sicuti cum affinibus.

[q) Non.

De spirituali cognatione.

Principii loco sit, spiritualem cognationem dunitaxat ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis oriri. 39

Ratio est, quia reliqua Sacramenta conferunt quidem esse spirituale; sed non per modum generationis: at Baptismus, & Confirmatio Sacramenta sunt, ex quibus homo spirituali regeneratiõne, ac nativitate vitam adipiscitur spiritualem. Quemadmodum igitur accipiens vitam Naturalem illis venerationem quamdam exhibere debet, qui talis vitae causa fuerunt; non dispari ratione ad vitam editus spiritualem illis exhibere debet venerationem, a quibus hanc vitam acceptam esse, cognoscit. Quae veneratio debita, a Nuptiis, & carnali commixtione vehementer abhorret ob proximitatem illam, quae inter parentem vitae, & inter filium inesse perspicitur.

Hoc principium non in dictis solùm Interpretum fundatum est; sed auctoritate nititur. En Textum *in cap. quamvis de cognat. spirit. in 6.* ibi: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur &c.*

Non ergò oritur haec cognatio ex Sacramento Poenitentiae.

Antinomia tamen excitatur, ex quibusdam auctoritatibus, quae contrariae videntur.

I. est in *cap. omnes 30. q. 1.* ibi: *omnes, quos in poenitentia suscepimus ità nostros esse spirituales filios, sicut eos, quos nobis suscipientibus, vel baptizantibus unda sacri Baptismatis regeneravit*: 40
ergò, sicut ex Baptismo oritur cognatio spiritualis, ità etiam ex Poenitentia.

II. est in *can. si quis Sacerdos 9. 30. q. 1.* ibi: *si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se grave adulterium commisisse*. Ergò ex Sacramento Penitentiae, Penitens filius spiritualis efficitur; &, sicut cognatio spiritualis per Baptismum proveniens dicitur paternitas: pariter cognatio ex Poenitentia proveniet.

III. est in *can. non debet ibid.* ubi eadem sententia, quae in praecedenti Textu.

Antinomia haec tollitur facili negotio. Nam pater spiritualis plerumque quis dicitur lato modo. Nam & qui monialem habitum virgini imposuit, pater dicitur. Optatus *Milevitanus L. 2. de Schismate Donatistarum*: ibi: *Memoratus Felix inter crimina, & farinorosa sua nefanda ab eo comprehensa, puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulò ante pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitavit*.

Et

Et lato modo pater dicitur Confessarius. Qui;
41 si rem habeat cum Pœnitente, adulterium idcirò
dicitur perpetrare, quia Presbyter per Ordinum
susceptionem quasi spirituale coniugium cum
Ecclesia contrahit, *can. canomanensem* 56. *dist.*
can. Christo 27. *q.* 1. Hoc ergò non est verum,
& proprium adulterium. Sed circumstantia notabiliter aggravans, & explicanda in confessione
Bonaccina de Sacram. disp. 5. *q.* 5. *Puncto* 2. §. 3. *n.* 9.

(r) *Par est igitur.*

Probatur oriri cognationem spiritualem.

Repeto, quod ait noster contextus: par est, ex his Sacramentis cognationem hanc proficisci.

Par est, quia patrum vice fungentes in spirituali regeneratione venerationem a filiis spiritualibus, obsequiumque exigere, convenit;

Par est, quià a Nuptiis, & commixtione carnali eos, qui regenerarunt, convenit abstinere cùm suis filiabus spiritualibus.

Par est, ut sit, qui suscepit, patris instar obli-
42 gatus: Sed ad quid obligatus? Audi Augustinum sermone 163. de tempor: *admoneo fratres carissimi quicumque viri, quaecumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, agnoscant se pro ipsis fide jussores apud Deum extitisse, & ideò semper illis sollicitudinem verae charitatis impendant.* Audi Canonem *vos ante omnia* 105. *de Cons. dist.* 4. qui Canon obligationem clarius exponit: *Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant*, & paulò post: *Ante omnia symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Hunc tamen Textum, atque hanc obligationem ita intellige, ut si puer sit
inter Catholicos natus, & enutritus, & a pa-
43 rentibus, vel tutoribus, aliisque Christianis, sub
quorum cura sit, sufficienter institui credatur, facilè possint susceptores ab hujusmodi obligatione excusari. Quo fit, ut inter Catholicos rarò urgeat haec obligatio: *ità Basiaus in Theolog. in verbo B. in suppl. n.* 12. *pag.* 104. *explicans ità illum Textum. Laym. de Baptis. cap.* 0. *n.* 1. *Coninch verb. Baptismus n.* 5 *&c.* & ex Canonistis *Domi. in cap.* 1 *de cognat. spirituali in* 6. *Gaeta in can. ad limina* 30. *q.* 1. *n.* 372.

Sunt tamen quidam de Religione nostra tam prave sentientes, ut cognationem hanc imaginariam ausi sint appellare, & sine causa inductam, ut *Molineus Consil.* 502. *Duarenus L.* 1. *de Nuptiis cap.* 3. *Hotoman. Cons.* 16.

Sed falso, ut solent. Nam causa cognationis est susceptio ipsa; susceptio infantium jam à temporibus Apostolorum inolaluit, mote accepto ab illo Evangelii, *& adduxit eum ad Jesum.*
44 unde Cartusianus L. 1. *de vita Christi cap.* 14. ibi:
& adduxit ad Jesum; Ex hoc accepit Ecclesia, quod in Sacramento Baptismi, & Confirmationis utitur inducentibus, qui praesentem suscipientes patrini solent vocari. Tertullianus *Libro de Baptismo cap.* 18. ibi: *Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malae indolis falli.*

De susceptoribus, ab antiquissimis Canonibus frequens sermo. *in can. pietatium* 30. *q.* 3. *in can. si quis* 3. *q.* 4. *in can. non plures* 101. *cum duob. sequent. de Cons. dist.* 4. *in can. vos ante* 105. *de Cons. dist.* 4. *in can. in Baptismate* 102. *de Cons. dist.* 4. *in can. fin.* 30. *q.* 3. *Concilium Nicaenum* 1. *cap.* 22. *Concilium Arelatense can.* 19. *Trullana Synodus can* 53.

Sed in specie, ipsam cognationem ex susceptione promanare, probat Textus in *can.* 1. 30. *q.* 1. *in can. fin.* 30. *q.* 3. *&* 30. *q.* 4. *per tot. & toto Titulo de cognat. spirituali, & cap.* 1. *&* 2. *eodem in* 6. *& cap.* 1. *qui Matrimonia accusare, & cap. veniens de Sponsal.*

Nisi quod, olim, ipsi Diaconi, & Diaconissae 45
susceptoris explebant officium, ut probo ex D. Clemente *L.* 3. *Const. cap.* 16. ibi: *Baptizabis eos in aqua; ac virum suscipiat Diaconus, mulierem Diaconissa &c.*

Et hoc forte respexit Synodus Nicaena *can.* 46
22. dum ait: *viri non teneant Baptismo puellas, aut mulieres: Nec mulieres teneant masculos; sed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant masculos.*

Et mos erat olim in actu suscipiendi baptizandum, illi osculum dare. Quam ob causam suscipere è lavacro baptizandum Monachis vetitum est, Concilium Altissiodorense *can.* 20. ibi: *Non licet Abbati filios de Baptismo suscipere, nec Monachis commatres habere, ne osculentur foeminas. S. Gregorius Epist.* 40 *L.* 3. *ad Valentinum Abbatem & Lib. capit. addit.* 1. *cap* 16. ibi: *Monachi sibi compatres, commatresque non faciant; ne osculentur foeminas*, & vide Textum ipsum in *can. Monachi* 104. *de Cons. dist.* 4.

Et quemadmodum, septennium explevisse, sufficit, ut quis contrahat Sponsalia, ex quibus publicae honestatis justitia consurgit, impedimentum dirimens.

Ità septem annorum aetas sufficit, ut quis
obire queat patrini munus, ut censuit Sacra 47
Congregatio, dum solùm id prohiberi statuit, si quis infra septennium reperiatur, teste Narbona de aetate *anno* 7. *n.* 7. *q.* 15. Qui hanc sententiam tuetur, rejecto Abbate in *cap. debitum* 3. *n.* 3. *de Baptismo*.

Non mihi videtur necessarium respondere argumentis Anabaptistarum, & Magdeburgensiū, qui negarunt hanc cognationem, cùm merae nugae sint, quibus ad abundantiam, & more suo doctissimè, ne quid intactum relinquat, ad confundendos magis eorum errores, satisfacit mirifice Bellarminus *de Matrim. L.* 1. *cap.* 39.

(ſ) *Olim apud Graecos.*

Apud Graecos cognatio spiritualis ad gradus
ità diffundebatur, sicut cognatio carnalis, ut 48
patet ex Libro 28. *Basilici Tit.* 5. *cap.* 27. &

ex Li-

ex *Libro 5. Juris Orientalis*, ubi in Synodo celebrata sub Nicolao Patriarcha Constantinopolitano, hanc cognationem gradibus plurimis, ut in arbore consanguinitatis, videmus constare. Hinc Demetrius Chomatenus *L. 3. Juris Orientalis Tit. de gradibus cognat.* Archiepiscopus „ Bulgariæ, unum fieri hominem, dixit, patrem „ Naturalem, & eum, qui filium suum ex Bap„ tismo suscepit, indeque compatres dici, & eo„ rum liberos fratres: indeque natos Naturalem „ sortiri cognitionis appellationem, quia S. Spi„ ritus uniendi potestas omnes conciliavit in ve„ ram propinquitatem.

[1] *Nunc prohibentur.*

DISSERTATIO IV.

De qualibet cognatione spirituali.

Quod attinet jam ad impedimentum dirimens 49 ex hac cognatione spirituali consurgens; distinguendum Jus vetus, a Jure novo.

Jus vetus, hoc continebat, ut cognatio spiritualis esset, paternitas, compaternitas, & fraternitas.

Fraternitas refertur ad filium spiritualem; ergò cognatio paternitatis est inter baptizantem, & baptizatum, inter confirmantem, & confirmatum, inter patrinum, et ipsum filium spiritualem, *can. de eo 30. q. 1. can. ita diligere 30. q. 3.* Et hæc quidem directa cognatio paternitatis vocabatur; sed eadem hæc nonnunquam erat indirecta, videlicet quæ attingebat uxorem patrini, ante susceptionem carnaliter cognitam, ab eodem patrino *cap. nedum de cognation. spirit. in 6.* quia per illam unionem carnis, sequitur quoque unio eorum, quæ ad spi-

50 ritum attinent *can. si quis 30. q. 4.* ut est cognatio spiritualis *can. qui spiritualem 30. q. 4. cap. Martinus de Cognat. spirit.* Quocirca patrinus si moriatur, non potest uxor patrini relicta vidua ducere filium, a suo marito defuncto susceptum. Quia eo ipso, quo fuit patrinus maritus, uxor quoque licet absens censetur fuisse patrina. Ambo ergò compatres efficiuntur *can. si quis 30. q. 4. can. suscitatur 30. q. 4.* Si quæris rationem, cur in hoc casu cognatio, quæ ad spiritum attinet communicetur uxori, hæc est. Quia uxor carnaliter cognita, una caro cum viro effecta est. Cognatio autem spiritualis perficitur per tactum baptizandi corporalem. Hinc cum in Episcopatu Abulensi sit consuetudo, quod commater non tangat puerum, donec puer sit jam baptizatus; Sacra Congregatio Concilii decrevit, talem commatrem, quia defecit tactus corporeus non contrahere cognatio-

51 nem spiritualem, quæ declaratio est apud *Gallemart ad Trid. sess. 24. cap. 2.* Ergò non mirum, si cognatio spiritualis contracta a marito communicetur propriæ uxori, quæ pars sui corporis censetur.

Ex qua ratione, quam non attigit *Glossa in cap. nedum de cogn. spirit. in 6.* Explicatur facillime, cur ex adverso spiritualis hæc cognatio indirecta, non contrahatur a marito in altero hoc casu. Finge Titium Cajam habere uxorem; Finge duos alios coniuges Bertam, & Martinum, & finge rursus, Martinum, antequā duceret Bertam, habuisse aliam uxorem, quæ ob partus dolores occubuerit. Titius tenuit filium Martini ex prima uxore. Certè contraxit cognationem spiritualem cum Martino. At non contraxit hanc cognationem, cum Berta, quam non multo post Martinus sibi Matrimonio copulavit, quia, quo tempore Titius susceptor fuit, non erat Martinus una, eademque caro cum Berta.

Libuit hanc facti speciem dilucidè proponere. Nam juxta hanc speciem intelligitur Textus in 52
can. spiritualem 4. 30. q. 4. in can. post uxoris eadi C. & q. qui Textus antinomiam facere videbantur cum *d. cap. ne dum de Cogn. spirit. tuali in 6. & cap. Martinus de Cogn. spirit.*

Ex eadem hac ratione colligitur, quod si co- 53
niux proprium filium de fonte susceperit, non potest exigere a suo marito debitum; cum inter eos orta sit spiritualis cognatio, *cap. si vir de cognat. spirituali*; reddere tamen debet, nisi ad continentiam servandam possint induci coniuges *cap. 2. de cogn. spirit.* Neque enim sunt coniuges propter hoc separandi *d. cap. 2.*

Nec tunc obstat Textus difficilis *in can. 1. 30,* 54
q. 1. ubi, separandos in tali casu coniuges, decernitur; imo crescit difficultas ex verbis, quæ subsequuntur Textum hunc, quæ quidem omissa a Gratiano fuerunt, reperiuntur tamen in bibliotheca vaticana, & hæc sunt: *Mulieres verò, cum separatæ fuerint pro hac illicita re a proprii viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post explatum annum recipiant alium virum, & similiter vir uxorem.*

Ecce Textum decernentem non modo separationem; sed etiam dissolutionem Matrimonii. Quod quidem satis durum videtur, cum tam multis in casibus contingere possit, ut coniux proprium filium suscipiat. Etenim ex historia facilitas casus deprehenditur, quam ponit *Hymonius L. 3. cap. 6.* Androvera Chilperico marito suo absente filiam peperit; Eam vero de sacro fonte levavit. Rediens Chilpericus repudiavit Andoveram: *non potero*, inquiens, *habere te coniugem, cum commatris adepta sis nomen*. Casus quoque alios ostendunt aliæ historiæ. Nam in Ecclesiis Isauriæ, Ephesiorum, simulque Hierosolimæ sæpe contigit, quod quidam viri, & mulieres sabbato Paschali die, in quo olim baptizabatur, præ magno populorum incursu nescientes matres proprios filios suscipiebant, *Anselmus L. 10. cap. 29. Burcard L. 17. cap. 47.*

Respondetur, quod olim per annum coniuges, qui proprium filium suscepissent, separabantur, quoad solam cohabitationem *Concil.*

Mo-

Mogantinum sub Carolo can. 55. *Concil. Vormatiense in can.* 2. 30. *q.* 1.

At instabis ex *d. can.* 1. 30 *q.* 1. ibi: *post expletum annum recipiant alium.* Ergo quia dissolutum fuit Matrimonium. Basilius l. 7. *de Matrimonio cap.* 40. *n.* 10. loco verbi *alium* legit *illum*: Ex quo cessat omnis difficultas, si repetas integra verba: *& post expletum annum recipiant illum, & similiter vir uxorem.* Opus erat, si in eo Textu legendum est *alium*, repetere idem verbum *alii* etiam, quando de uxore agebatur. Quod cum sit omissum, patet emendationis necessitas.

55 Neque iterum obstat Textus *in cap. quod super* §. *quamvis de conf. & affin.* juxta literam Gonzales. Nam & si in Textu Raymundi is §. desit, respsa tamen, juxta literam a Gonzales restitutam, ità legitur: *Quamvis vir, & uxor alienum puerum teneant in Baptismo, nulla tamen inter eosdem virum, & uxorem contrahitur compaternitas, cum una caro sint per copulam conjugalem: & ideò reddere sibi debitum minimè prohibentur.* Vides hinc difficultatem, contra ea, quæ hucusque dicta sunt.

Respondetur, juxta Jus antiquum utique si maritus sit patrinus censetur patrina quoque uxor fuisse; at notetur quid dicamus, patrina inquam. Ergo paternitatis cognatio sola contrahebatur. Ergo non contrahebatur compaternitatis cognatio; sed solùm ea cognatio, quæ contrahebatur, relationem habebat ad filium spiritualem, & ideo paternitatis cognatio dicebatur. Nulla igitur ratio erat, cur inter maritum, & uxorem oriretur cognatio compaternitatis, cum verè compatres distincti non fuerint, vir, & uxor. Et hic est genuinus sensus prædicti Canonis. Et hactenus de paternitate.

56 Compaternitas est altera hujus consanguinitatis linea. Quid ea sit, vel olim esset, ex nomine ipso compaternitatis in aspectum venit. Compatres, sunt simul multi patres. Hæc cognatio ad solam paternitatem relationem habet, ut inter eos oriatur, qui patres utcumque vocari possunt. Parentes, qui genuerunt patres sunt; item, & qui spiritualem vitam dederunt, baptizans, confirmans, suscipiens, sive vir, sive uxor. Omnes hi sunt patres, & ut patres vinculum inter se proximitatis habent. Hoc vinculum spirituale est, & propterea cognatio spiritualis inter se ipsos orta est, *can. pervenit* 30. *q.* 1. *can.* 1. *can.* 3. *cum seq.* 30. *q.* 3.

57 Multiplicabantur olim hi parentes propter uxores eorum, qui susceptores fuissent; & erat hæc compaternitas indirecta, quæ si relationem habebat ad filium dicebatur Paternitas; si ad ipsos comparentes diceb tur compaternitas. Huc conferunt omnia supra exposita de indirecta paternitate, quæ non repetam.

58 Jam de fraternitate videamus. Rem, ut est secundum Ius verus paucis accipe. Si susceptor habebat filios, filiasve, item si susceptus filius spiritualis viveret, filios susceptoris tamquam fratres debuit agnoscere. Nam inter ipsos erat confraternitas, ob Sacramentum, quo vita spiritualis adepta est, *can. ita diligere, can. pictatum can. non oportet, can. super quibus, can. post, can. illud* 30. *q.* 3. *cap.* 1. *cap. super, cap. tua, cap. fin. de cogn. spirit. cap.* 1. *ibidem, in* 6.

Et hoc quidem Ius antiquum - Ius novum, hoc continet, ut sublata sit paternitas, & compaternitas indirecta, item, & confraternitas. 59
Nam Concilium Tridentinum omnem hanc cognationem ad solam paternitatem, & compaternitatem redegit. En verba Concilii *sess.* 24. *cap.* 2. *Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimenti incipiens statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum* (En paternitas) *& illius patrem, ac matrem* (En compaternitas) *Necnon inter baptizantem, & baptizatum* (En alia paternitas) *baptizatique Patrem, & matrem* (En alia compaternitas) *tantum spiritualis cognatio contrahatur.* Et idem in fine Text. de Sacramento confirmationis pronunciatur.

Audi nunc declarationes hujus Capituli.

I. die 10. *Aprilis* 1598. *Congregatio Concilii censuit, speciem cognationis spiritualis inter susceptum de sacro fonte Baptismatis, & filium, filiamque suscipientis esse sublatam decreto Concil. cap.* 2. *sess.* 24. 60

II. Terraconens. 30. *Septemb.* 1593. *Congregatio Concilii censuit, cognationem ex confirmatione ortam, quæ dirimat Matrimonium postea contractum, contrahi solummodo int. r confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, & tenentes.*

III. Talis est, apud Gallemart. ibi: *Inter maritum, & uxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati, in Concilio Trid. nominatim non expressas Matrimonium non dirimitur, nec etiam usus, saltem ex hoc Capitulo, impeditur. Ea quoque cognatio, quæ erat inter levatum, & filium levantis, nullum est impedimentum. Idem in filio baptizantis, vel confirmantis.*

Dices, hæ quidem declarationes loquuntur de cognatione spirituali, quæ oritur ex Baptismo, & Confirmatione; an ergo nihil est declaratum a Cardinalibus, an & sublata sit cognatio spiritualis, quæ item oriebatur ex Cathechismo? Ut patet ex *cap. per catbechismum de cogn. spirit. in* 6. *cap. contracto de cogn. spirit. can.* 1. 31. *q.* 1.

Sed respondetur cum Gonzales *in d. cap. contracto in Com. in fine*, id quoque jam declarasse Sacram Congregationem. Cujus declarationis verba sunt hæc: *Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi verè fuit baptizatus; si deinde in Ecclesia fuerunt servata solemnitates, nullam spe-*

specialem cognationem contraxit.

Ego tamen addo aliam declarationem, quam ponit *Gallemart. ad hoc decretum* his verbis: *Nulla cognatio spiritualis contrahitur, nisi inter personas, quæ nominantur hoc decreto*. Adde, Pium V. qui motu proprio edito anno 1566. Kal. Decemb. declarans prædictum Trident. Decretum, ait, non esse recedendum a præcisis illis verbis, refert *Sanchez L. 7. Disp. 4. n. 12. de Matr.* Ergo cum Tridentinum de patrinis, cathechismi non differat; sublata censenda illa cognatio, de qua antiqui canones loquebantur.

Et hæc satis de lineis hujusce cognationis.

Hæc igitur cognatio spiritualis dirimens est impedimentum *can. omnes 30. q. 1. cap. fin. de cogn. spir. L. si quis alumnam 26. C. de Nupt. cap. 1. & tot. Tit. de cogn. spirit. in 6. can. pi. Batum & per tot. 30. q. 3.* Observant, & hanc prohibitionem alioquin barbaræ nationes Ruthenorum, seu Moscovitarum, ut ait Sigismundus *in Commentariis de reb. eor.* Nicephorus Phocas Imperator creatus, cum Theophania Romani junioris vidua Nuptias celebraturus, quod ferebatur compater fuisse in Sancto lavacro liberorum Theophaniæ a Polieucto Patriarcha æde sacra tamdiu prohibitus est, donec juramentum interpositum est, Nicephorum nunquam compatrem fuisse, *Zonaras ita refert in suis histor.*

Et licet Cronueel *L. 18.* narret, quod Uladislaus Iagello Polonorum Rex uxorem duxit Pilevam Othonis Palatini sendomiriensis filiam, sororemque suam spiritualem; tamen dispensationem præcessisse; credendum est.

An vero hæc cognatio morte finiatur putatilii spiritualis, disputatum, video.

Sed, cum non inveniatur Textus dicens, morte finiri, durare ultra mortem censendum est, ita Sanchez L. 7. *disp. 54. n. 8. de Matr.*

[*n*] *Item.*

DISSERTATIO V.

De cognatione legali.

Cognatio legalis nascitur ex adoptione, quæ est electio alicuius in filium.

61 Nescio tamen, an omnibus in regionibus adoptio in usu sit, adeoque, an ubique hæc cognatio legalis contrahatur.

Certè in Gallia adoptiones in usu non sunt eum in modum, quem Jura præscribunt. Asciscunt quidem aliqui certum puerum pupillamve, in alumnum, alumnamve. Teste *Groto 1. manud. 6. Gudelin. t. de Jure Nov. 15. Christin. Vol. decis. 185. Mansuer. de Prob. n. 34. Tiraq. de Retr. Gloss. 8. §. 1.* qui fusè de consuetudine Galliæ loquitur. At hic filius adoptivus verè non est.

Distinguitur alumnus a filio adoptivo, quoad hunc effectum potissime prohibendi Nuptias in-

62 vicem, nam inter patrem, & alumnam Nuptiæ consistunt. Textus Iuris Can. *in can. si quis alumnam 29. q. 2. & Textus in L. si quis 26. C. de Nupt.* Alumnus enim propriè est, qui ab aliquo alitur, sive victu, sive moribus, sive doctrina, Cicero Dolabellæ: *Mihi gloriosum est, te juvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplina mea.*

Sed quia multis in regionibus antiquæ adoptiones adhuc in usu sunt, non erit abs re, explicare, quonam pacto ex adoptione legalis exoriatur cognatio.

Apud Bulgaros quidem hæc credulitas erat, quod fraternitas ex sola adoptione nulla sit, 63 authoritatemque suo errori adstruebant *ex L. nec apud 7. C. de hered. inst.* Errorem hunc carpit Nicolaus Pontifex *in cap. si qua, de cogn. Leg.*

Ergò vere ex adoptione, triplex contrahitur cognationis species. Prima est in linea recta 64 inter adoptantem, & adoptatum *Inst. de Nupt. §. ergò non omnes. L. quin etiam ff. de ritu Nupt.* Secunda est lateralis, seu in linea transversa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis *§. inter eas Inst. de Nupt. L. per adoptionem 17. ff. de ritu Nupt. cap. si qua de cogn. leg.* Tertia est per modum cujusdam legalis affinitatis, quæ est inter adoptantem, & uxorem adoptati, & è contra inter adoptatum, & uxorem adoptantis *L. adoptivus 14. ff. de Rit. Nupt.*

Ratio talis cognationis hæc est, quia adoptio naturam imitatur *L. adoptio 16. ff. de adopt. L.* 65 *si Pater familias 11. L. adrogato 40. § 1. ff. eod.* Undè Ausonius.

Nulla vitro soboles: imitatur adoptio prolem,
Quam legisse juvet, quam genuisse velit.

Atque ad majorem naturæ similitudinem ritus quidam adhibebatur; ut qui alterius filium adoptare desiderabat, puerpetam genibus fulciret, & recens natum adhuc a matre rubentem infantulam, super genua sua collocaret. Hinc *Genesi cap. 30.* ita legitur: *ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex ea filios*, quem locum de adoptione intelligit *Pererius, & Abulensis, & Fonseca:* Et idem est *in cap. 48. Genes. vers. 5.* ibi: *duo ergo filii tui mei erunt:* Ubi Hæbraica lectio est: *Cumque tulisset eos de inter crura patris*, notat *Gonz. in cap. un. de cogn. leg.*

Et ideò quemadmodum olim apud Romanos observatum diù novimus, ut simul ac alicui filius nascebatur, id contestaretur apud acta, sive ærarii Saturni Præfectos, *Julius capitol. in Gordiano*, ibi: *Filium Gordianum nomine Antonini, & signo illustravit, eum apud Præfectum ærarii more Romano professus filium publicis actis ejus nomen insereret*. Huc pertinet Textus *in L. 2. §. 1. ff. de excus. Tut. L. non nudis C. de Prob. L. nec omissa, L. nec darentes, L. interrogatum C. de liber. caus.*

Ità filiorum adoptiones apud Præsidem, vel Prætorem intimari debere, Imperatores rescripserunt *L. impuberem 2. ad fin. C. de adopt.* Est enim adoptio nativitas quædam civilis *L. 1. ff. eod.*

Et

Et ideò qui natura liberos procreare non potest, idem quoque adoptare nequit §. *sed & illud Inst. de adopt.*

Et sicut natura, ad tempus filius esse non potest, ità nec adoptione L. *quæsitum* 34. *ff. de ad.* Et veluti filii naturales patri omnia acquirunt, ità & adoptivi, §. 1. *Inst. per quas personas cuique acquiritur;* utque naturales vel instituendi nominatim, vel exheredandi sunt, ità, & adoptivi §. *adoptivi Inst. de exhær. lib.*

Si igitur tanta est inter adoptionem, & Nuptias similitudo; si effectus quoque veri filii deprehendimus in adoptivis, an non conveniens erat, adoptione consurgere quamdam cognationem, quæ inter eos Nuptias prohiberet, quibus veneratio quædam debetur, quæ à commixtione corporum abhorret?

Et licet omnis hæc ratio nitatur auctoritatibus Legum; assero tamen, Leges hac de re tractantes a Iure Canonico approbatas; ad quod adduco Textum *in can. post susceptum* 30. *q.* 3. ibi: *quià Leges sæculi, non emancipatos adoptivis, prohibent, copulari*, & idem in *can. ita* 30. *quæst.* 3.

66 Dices tamen: Hæc ratio dubia redditur ex eo, quod Presbyterum adoptare posse, probat *Hostiensis, Ant. de Butrio in cap.* 1. *de Cognatione legali;* et tamen Presbyter a Nuptiis abstinere debet, ergò adoptio Naturam non imitatur.

Distinguit pro solutione hujus difficultatis Stephanus de Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. *n.* 402. *pag.* 151. quod cum Presbyter vult adoptare quoad patrimonialia, ut videlicet adoptatum tamquam filium hæredem habeat, utique id possit, quia saltem de facto generare potest; at quoad alia filium adoptare non potest.

Ego tamen non approbo hanc doctrinam, Nequo absolutè, Presbyterum adoptare posse, quia persona sacra filios habere non potest, quod persona sacra est, & hoc inhonestum, & impossibile censendum, si velit ut persona sacra vivere. Quod observat Pichardus *ad Tit. de adopt.* §. 5. *n.* 7. *Gregor. in L.* 1. *Par.* & expresè in Legibus Hispaniæ id prohibetur L. 3. *d. Tit.* 21. *L.* 4. *Fori*.

67 Dices insuper, hæc ratio patitur aliam difficultatem; quià non videtur, Naturam adoptio imitari, cum celebretur per Procuratorem; arg. Textus *in cap. quis per alium de Reg. Jur. in* 6.

Resp. imò adoptionem non posse fieri per Procuratorem L. *neque* 24 L. *post mortem* 25. §. *fin. ff. de adopt.*

Dices, & illud in hanc rationem; quod filii adoptati non transeunt in potestatem adoptantis L. *qui in adoptione* 23. *ff. de adoptionibus;* ergo adoptio non imitatur Naturam.

68 Hæc difficultas opposita monet, ut examinetur Quæstio percelebris, an ex adoptione imperfecta oriatur cognatio legalis? Quid dicendum?

Res paulò altius explicanda. Adoptio duplex; adoptio imperio Magistratus facta, & adoptio auctoritate Principis facta: I. *specialis*, II. *arrogatio* vocatur. Differt una adoptio ab alia. Specialis Jure novo in L. *cum in adoptivis* 10. C. *de adopt.* id operatur, non ut adoptatus transeat in potestate adoptantis extranei; sed, ut maneat in potestate patris Naturalis, reservato hoc jure succedendi ab intestato patri adoptivo; quod si non extraneus, sed avus maternus, paternusve recipiat in adoptionem filium ejus nepotis, qui jam in potestate amplius non est, tum filius in talis avi potestatem transit. Arrogatio verò diversi generis est. Arrogatur, qui sui juris est, & pater familias L. *nec ei* 17. §. 1. *ff. adopt.* sive hic sit pubes, sive impubes. Arrogatur hic præcedente causæ cognitione, exquirendo nimirùm, quæ causa impellat arrogantem, honesta ne, ut paterna affectio, an vel avaritia, vel etiam turpior causa: item an arrogandus sit dives, nec ne; an arrogator ejus sit ætatis, ut procreare liberos possit L. *si paterfamilias* 15. §. 2. L. *nec ei* 17. §. 1. *ff. de ad.* quamquam in puberibus non tam exacta causæ cognitio exigatur. Causæ cognitione facta, eademque approbata, arrogans cavere debet, se bona arrogati intra pubertatis annos defuncti, relicturum esse illis, ad quos perventura alias fuissent, si in statu suo arrogatus permansisset L. *non aliter* 18. *ff. de ad.*

Quare distinctius audi omnes differentias. I. adoptantur filii familias, arrogantur patres familias. II. adoptio fit apud Magistratum, arrogatio hodie apud Principem. III. arrogatione transit in potestatem patris adoptivi non is tantùm, qui adoptatur, sed ejus quoque liberi, omnisque ejus fortunę §. *illud inst. de adopt.* L. *si paterfam.* 15. & L. *arrogat.* 40. *ff. arrog.* L. *pen.* §. 2. *ff. de bon. pos. secun. tab.* In adoptione is dumtaxat transit, qui adoptatur, non verò ejus liberi L. *arrogato* 40. *ff. de ad.* quia in adoptione simplici, adoptandus, nec bona habet, nec liberos in potestate, cum ipse in potestate patris sit. At in arrogatione, qui arrogatur est pater familias, atque ideò, si ipse principalis in alienam transit potestatem, meritò ejus quoque liberi, & bona transeunt, ut accessiones L. *pen.* §. 2. *ff. de Bon. pos. sec. Tab.* L. 17. *ff. de Reg. Jur. cap.* 42. *eod. in* 6. Hinc Augustus Cæsar adoptato Tiberio etiam Germanicum adoptivum Tiberii filium hàbuit. Augustus enim Germanicum sororis nepotem, rei Romanę imponere decrẽverat, sed precibus uxoris Liviæ Tiberium sibi ascivit *Suet. in Tib.*

Quidam igitur, ut jam scopum attingat sermo noster, arbitrantur solum ex arrogatione oriri legalem cognationem.

Placet tamen contraria sententia, quam probo. Nam cum legalis cognatiò tota Juris Civilis decreto nitatur, si Jus Civile ex utraque adoptione, hanc legalem proximitatem oriri statuet; in tuto res posita erit; Canones non dissentiunt. Atqui Jus Civile id, quod volumus, statuit, quippe nullum inter patrem arrogantem,

tem, & adoptantem discrimen est L. *cum in adoptivis* §. *ubi autem* C. *de ad.* Et Cajus Jurisc. in L. *per adoptionem* 17. *ff. de ritu Nupt.* ibi: *per adoptionem quæsita fraternitas eo usque impedit Nuptias, donec manet adoptio.* Ecce, loquitur Cajus de adoptione simplici, & statuit, eam inducere cognationem impedientem Nuptias. Quare in L. *si qua* 12. *ff. eod.* & ex arrogatione, & ex adoptione oriri cognationem, si Textum illum rectè perpendas, manifeste d cernitur. - Cumque adoptionis nomen generale sit, & utramque speciem comprehendat, cum generaliter in Jure proferatur L. *filio familias* 1. *ff. de adopt.* non video, cur legalis cognatio ex adoptione, & arrogatione oriri, sit inficiandum, cum Textus in *cap. unic. de cogn.* L. *adoptionem &c.* in genere, id operati, doceat, cur ad solam arrogationem restringemus?

Ulterius in L. *qui in adoptionem* 23. *ff. de ad.* expressè ità Jurisconf. statuit: *Qui in adoptionem datur, iis, quibus adnascitur, cognatus fit*, & in fine Textus: *Nuptiis tamen etiam eorum prohibitis*, Et ità intelligit Textum glossa, ibi: sed hodiè hoc habet locum tantum in arrogatione, non in adoptione, nisi detur non extraneo L. *cum in adoptivis* C. *de ad.* §. *sed si quidem, & inst. eod.* §. *sed hodiè*; ergò ille Textus de adoptato ab extraneo juxta Leges ff. intelligitur, & juxta Jus novum, in adoptato a non extraneo rectè procedit.

Quid quod eadem ratio viget in adoptione, & arrogatione, cur cognatio legalis exoriatur? Nam inducta est legalis cognatio, ob venerationem debitam adoptanti, tamquam patri, ejusque filiis, ad quorum numerum adoptivi filii aggregantur. Jam verò tamquam pater consideratur adoptans quocumque modo, ut patet, ex L. *adrogato* 40. *ff. de ad.* ibi: *non tantùm cum quis adoptat, sed & cum adrogat, major esse debet eo, quem sibi per arrogationem, vel per adoptionem filium facit*; nam pro monstro esset, ut major inveniretur filius, quàm pater, §. *minorem Inst. de ad.* Hinc Cicero *in Orat. pro domo sua* hac ratione probat, Clodium a Fontejo adoptari nequaquàm potuisse.

At inquit *Sanchez*, ideo per solam arrogationem oriri tale impedimentum, quià arrogatus transit in domum arrogantis; at id non sequitur in adoptione simplici, id non accidit. Cognatio autem fuit introducta ad impediendam fornicationem, quæ facilè esse potest inter personas, eamdem incolentes domum.

Resp. hoc argumentum cessare, si perpendatur Textus in L. *adoptivus filius* 14. *ff. de ritu Nupt.* ibi: *quoniam in contrahendis Matrimoniis Naturale Jus, & pudor est inspiciendus*; Et non multò ante locutus fuit Jurisconf. Paulus de adoptione impediente Nuptias. Ideòquoque emancipatione secuta publicæ honestatis ratio Nuptias inter adoptivos impedit L. *semper ff. de ritu Nuptiarum*. Quare cum hoc unico argumento utatur Sanchez contrariæ sententię defensor, idque infirmissimum sit, de veritate nostrę sententiæ ambigendum minimè videtur.

Duo adhuc remanent ad complendam, perficiendamque hanc dissertationem, exponenda, I. quousque hæc cognatio protrahatur, II. quandonam finiatur?

Si quæritur ergò, quousque prohibitio protrahatur? Ita distinguendum. Cognatio legalis 69
inter adoptantem, & adoptati descendentes protrahitur in infinitum; quare omnis ex ascendentibus adoptantis in infinitum cum adoptata Nuptias contrahere prohibetur, idemque dicendum de descendentibus adoptati; at si exorti fuissent filii arrogato ante arrogationem, cum his Nuptię non prohiberentur, dummodo tempore arrogationis extra arrogati potestatem invenirentur, argumento Textus in L. *si pater familias* 15. *in princ. ff. de adopt.* Quià & qui sunt sub potestate arrogati, adoptati censentur. Quocirca inter patrem adoptantem, & filiam filiæ adoptivæ, Nuptiæ consistunt; quia mulier neminem habet in sua potestate §. *fœmina, Inst. de adopt.*

Si quæritur deinceps, quandocognatio isthæc finiatur? Hæc in re constat, primam speciem rectæ lineę, de qua in Textu nostro (hunc ea m ita vocare libet, quam is paulò audacius ad 70
distinctionem explicationum) & tertiam affinitatis legalis impedire Matrimonium, soluta etiam adoptione L. *quin etiam* 55. *ff. de ritu Nupt.* §. *ergò non omnes Inst. de ad* L. *adoptivus* 14. *ff. de ritu Nupt.* At verò secunda species cognationis legalis in linea vid. transversa inter filios carnales adoptantis, & filios ejusdem adoptivos non impedit in perpetuum; sed quamdiù durat adoptio, quæ solvitur per emancipationem, quod omne habetur *in cap. per adoptionem* 30. *q.* 3. *L. per adoptionem ff. de ritu. Nupt.* Idemque dicendum, si solvatur adoptio per patris obitum, *Sanchez* L. 7. *disp.* 63. *n.* 27. §. 1. *Inst. quibus mod. cur patr. pot.* 1. *C. si pater ff. eod.* aut si solvatur per dignitatem aliquam *L. fin. C. de decur. L.* 10. *Sebast. Med. in tract. mors omnia solvit P.* 1. *Concl.* 4.

DE

DE CRIMINE,

CULTUS DISPARITATE, VI, ORDINE, LIGAMINE, HONESTATE.

TITULUS XIV.



Uptiæ quidèm bonæ ſunt: Et ſuperiore Titulo id affirmavi, & nunc iterùm affirmo. Contrahat igitur Nuptias, qui grave putat expertem coniugii vitam tranſigere. Deus ter optimus, cujuſque imbecillitati ſe attemperans, ne noſtra hęc periclitaretur infirmitas, Matrimonium inſtituit. At nemo alienis Nuptiis audeat inſidiari. Utinam verò id non (*a*) contingeret! Nullum tantùm ſcelus, aut tam magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non impellat libido voluptatis. Ne igitur impunitate creſcat peccandi licentia, ſeveritate Canones armantur, atque in hunc modum ſtruentes inſidias Matrimoniis compeſcunt. Sive [*b*) enim aliquis coniugė interfecerit, eo conſilio, fineque ſibi propoſito, ut cum ſuperſtite coniuge contraheret, cum qua adulterium jam perpetraverat, quamquam uxor particeps homicidii non fuerit; ſive abſque adulterio viri occiſio, utroque machinante amaſio, & uxore, ſecuta ſit, eodem fine ſuperſtitem ducendi; ſive adulterium cum fide data futurarum Nuptiarum poſt obitum mariti patratum ſit; ſive tandèm tam projectæ audaciæ quis fuerit, ut cum aliena uxore vivente adhuc marito, non erubuerit Matrimonium, & contrahere, & conſumare; Per [*c*) quæ peccavit, per hæc & punitur, ſubſequens cum tali muliere Matrimonium irritum eſt; tale crimen tam deteſtabile, è numero eſt impedimentorum dirimentium. Imo ad deteſtationem talis connubii utuntur Canones verbo *anathematizandi*, ut in *can. relatum* 31. *q.* 1. *tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus*. Publica olim imponebatur Pęnitentia illis, qui se tanto ſcelere contaminaſſent; omni (*d*) ſpe coniugii, dum vita maneret, inſuper ſublata.

Quod verò atinet ad diſpenſationem; ubi coniugis occiſio quocumque modo ſecuta ſit, numquam diſpenſatur (*e*) in foro externo, & in foro interno. Neutro verò machinante ad indulgentiam Apoſtolicæ Sedis confugiendi aditus aliquandò datur, ut in explicationibus conſtabit.

Sed quemadmodum ob hęc crimina dirimitur Matrimonium, quòd tanto Sacramento audens inſultare non debet impunitus abire; haud diſpari ratione ejuſdem Sacramenti venerationi conſultum, voluere Ca-

 nones;

nones; qui dum vetant, baptizatum ducere cathecumenam, *can. cave* 28. *q.* 1: multò magis Infidelem. In fuga enim salus, in aversione præsidium, in execratione refugium est. Non [*f*] ergò fidelis, cum infideli sociandus. Si quis vult nubere, nubat in Domino. Egregiè Balsamon ad *can.* 72. *VI. Synodi : Hinc ergò consequenter SS. PP. decernunt, jure Matrimonii non esse coniungendum virum fidelem mulieri infideli, vel infidelem mulierem viro fideli: sed, & si quid ejusmodi factum fuerit, divellendum, ac separandum esse Matrimonium, ut quod consistere non possit*. Hinc Concilium Toletanum *IV. can.* 62. Nullam vocat hanc communionem. Hinc pariter adulterii vicem obtinere tale connubium, decernunt Valentinianus, Theodosius, & Arcadius *L.* 1. *C. Theod. ad L. Jul. de adult.* Possunt tamen sponsalia contrahi cum infideli cum hac conditione, si infidelis (*g*) convertatur, *can. non oportet* 28. *q.* 2. ita explicato a Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. *q.* 169. Inter hæreticum verò, & catholicam irritum non est Matrimonium; non carent enim Baptismo, & ideò, utpotè nihilominus illicitum, Matrimonium pęna privationis Dotis punitur, *cap. decrevit de haeret. in 6.* non tamen separatur. (*h*) Cum Anabaptista verò Matrimonium nullum esse, existimo, si nondum Baptismum suscepit.

Crimina hæc omnia homicidii, adulterii, infidelitatis, quo pacto diriment, jam constat. At, ne jam contractum Matrimonium adulteriis contaminetur, tristissimęque calamitates subsequantur, prospectum est per aliud impedimentum, vis nimirum, & metus. Etenim mutuus amor esse nequit, inter eos, qui inviti contraxerunt, nec locum habet consensus, ubi metus, & coactio intercedit; consensu verò Nuptiæ contrahuntur. Quid hinc sequitur, nisi irritas (*i*) esse Nuptias, quas libera voluntas non conciliaverit? Quod si contractus initi metu subsistunt, [*l*) tametsi actione, *quod metus causa* rescindantur; id ex eo provenit, quod contractus quidam non liberam prorsus voluntatem exposcunt, sed quià in voluntate coacta datur consensus, substantia contractus jam non desideratur. Contra, quia ex libera voluntate votum fieri (*m*] debet, & Professio Relligiosa, & electio (*n*) Canonica, & renunciatio (*o*) Beneficii, & absolutio. [*p*] & Jurisdictionis (*q*) prorogatio, & donatio, & lucrativa promissio; hæc ipso jure per metum nulla sunt, instar Matrimonii. Et ideò propter metus suspicionem tutor (*r*) pupillam ducere prohibebatur; & qui olim [*f*) Provincias administrabant, quippe quod poterant nolentes cogere, jus Matrimonii contrahendi, pendente potestate, non habebant. *L. etsi contra C. de Nupt.* Et temporales D. D. ac Magistratus excommunicationem incurrunt, si subditos directè, vel indirectè cogant, quominus liberè Matrimonia contrahantur, *Trid. sess.* 24. *de Refor. M. cap.* 9. quamquàm Gregorius XIII. declaraverit, hanc excommunicationem ad privatas personas non extendi.

Nec

Nec verò ſit, qui indè arguat, nimiſ hoc pacto coarctari facultatem contrahendi Matrimonii; Propterea quòd ſæpe accidat, metu reverentiali ſubditos, filios, fratres ad contrahendum induci, itemque Nuptias a Judice pręcipi cum ſtuprata metu carceris iniecto, cruciatuſque corporis. Illud enim in univerſum tenendum eſt, metum irritantem Matrimonium eſſe oportere gravem; inferendum eſſe, a cauſa extrinſeca, & injuſtè inferendum, ut ſi non ſolum quis inducatur ob venerationem, ſed & minæ, [*t*) & verbera inſuper accedant. Judex verò ob ſtuprum cogens, non cogit [*u*] iniuſtè. Quid ſi per ſeptemnium cum viro mulier, quæ invitò contraxit, permanſerit, filioſque [*x*) ſuſceperit? Adhuc invalidum eſſe Matrimonium, & reſcindendum, S. Congregatio declaravit *die* 15. *Septemb.* 1629. *in una Romana*.

Una res aliam poſtulat, una cognitio gradus eſt ad aliam. Nuptiæ quidèm tam honorabiles ſunt, quam conſtat ex iis Canonum decretis; at ſacro Ordini, at pudicitiæ, & continentiæ ſacrę minus conueniunt. Matrimonium Sacramentum eſt, & Ordo quoque Sacramentum eſt. At ſacratis Miniſtris Matrimonium non prohibetur, quia ſanctum non ſit; ſed propter ea, quæ annexa ſunt, [*y*) quibus ità mens deprimitur, ut à Cęleſtium meditatione rerum avocetur. Et primis (*z*) quidèm Eccleſię temporibus, æqualem temperantiæ Legem Latini, Græcique ſervabant, ut non modo poſt Ordines uxorem nemo duceret, ſed ea ante accepta non uteretur. Tum regulam hanc Græci faciles ad diſſentiendum tenere cæperunt, ut Diaconi tempore Ordinationis ſuæ interrogati, an vellent continenter vivere, ſi, non poſſe, ſincerè faſſi fuiſſent, inire connubia (*aa*) non prohiberentur, aut etiam antea contractis uti. Et celebre eſt Pafnutii factum, [*bb*) qui in medio Concilio Nicęno aſſurgens pervicit, ne Epiſcopi legem novam introducerent, qua mariti ſacris initiati ab uxoribus antea ductis abſtraherentur. In Eccleſia verò Occidentali ſemper Temperantiæ lex conſtanti tenore ſervata eſt. Quod ſi primis ſęculis, ob penuriam eligendorum ad ſacra Miniſteria, uxorati quoque ordinabantur; abſtinebant tamen, a coniugibus, eaſque ſororum inſtar (*cc*) tractabant, *Innoc. I. ad Exuper. cap.* 9.

Ergo Lege Eccleſiaſtica ſacer Ordo eſt impedimentum dirimens. (*dd*] Et ſi quis carnis vitio devictus ausus ſit Nuptias contrahere, non Nuptias, ſed contubernia jure has nuncupat Alexander III. *in cap. ſanè de Cler. con.* Hoc verò delictum his pęnis coercetur: Irregularitate nimirum [*ee*] *can. quotquot* 27. *q.* 1. Excommunicatione, *Clem. un. de conſ.* Abiurationes obligatione (*ff*] cum de hæreſi talis Clericus ſuſpectus ſit *de vehementi*, quod ab hæreticis Clericorum continentia improbetur, *Carena in direct. P.* 2. *T.* 17. §. 3. Cujus erroris primus auctor fuit VViclefus, illumque avidè ſecuti ſunt impius Lutherus, & Calvinus, quos ſtrenuè

ma-

magnus refellit Bellarminus. Id unum toleratur, ne status Ecclesiasticus dedecoretur, ut, quoniam nullum est nihilominus Matrimonium ità contractum, hic Clericus Beneficium retineat *cap. pen. de Cleric. con. in prima collect.* Res quidem hæc prima specie videbitur ardua; nam Clerici in minoribus gradibus constituti Matrimonium contrahere validè possunt, privantur tamen Ecclesiasticis Beneficiis, *cap. 1. 2. 3. de Cler. conjug.* An igitur deterioris conditionis erit, qui usus est jure suo? Verùm cesset omnis admiratio. Cum enim Clericus in minoribus statum amplectitur coniugalem, jam statum Ecclesiasticum deserere videtur, quem statum Beneficium requirit; ideò tacitè videtur Beneficio renunciasse. Sed etsi Matrimonium Ordini supervenire non possit; Matrimonio tamen Ordo potest supervenire. (*gg*) At, inquies, quo pacto? Si coniugatus ordinetur consentiente uxore, suscipit Ordinem, & executionem, *can. seriatim dist.* 32. ipsa verò continentiam profiteri debet. Si verò vel ignoret, vel dissentiat uxor, caracterem quidem maritus recipit, non executionem.

Satis hæc de impedimento Ordinis. Impedit quoque ligamen. Vivente uxore alias attentare Nuptias immane facinus est, adulterium est, stuprum est, abusus Sacramenti est, suspicionem hæresis (*hh*] involuens; ideò Inquisitorum Judicio polygami plectuntur. Neque ad sæculares Judices talis cognitio (*ii*) pertinet. Caveant proindè uxores, dum eorum viri longinquas in regiones se transtulerunt, ne prius ad secundas Nuptias transeant, donec certum nuncium de morte viri receperint, *cap. Dominus de sec. Nup. cap. impræsentia de Sponf.* Ex quorum Textuum dispositione manavit Curiarum Ecclesiasticarum praxis, ut non prius uxori concedatur aliud inire Matrimonium, quam si viri mors per unum testem de visu probetur, aliique insuper examinentur, qui de publica voce, & fama, & de luctu coniugis deponant: *Riccius in praxi for. Eccles. resol.* 231. Quod si verè morte viri Matrimonium sit dissolutum, intra annum quoque luctus liberum erit superstiti uxori secundas [*ll*] Nuptias contrahere, neque ulla incurretur infamia. Quoniam tamen in secundis Nuptiis deficit plena significatio Sacramenti, benedicendæ (*mm*) non sunt.

Exurgit quoque ex Sponsalibus dirimens impedimentum publicæ honestatis. Olim hoc impedimentum ad quartum gradum extendebatur, *cap. ad audientiam de Sponf.* jam ex *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 3. solùm in primo gradu dirimitur. Sponsus cum consanguineis Sponsæ Nuptias inire in primo gradu prohibetur. Idemque judicium esto de Sponsi consanguineis. Olim insuper quæcumque Sponsalia etiam invalidè contracta, ut a Sacris initiato, a frigido, a Religioso, impediebant sic contrahentium consanguineos, eam fœminam ducere, *cap. un. de Sponf. in 6.* Iam verò *ex eodem Concilio ibid.* ut oriatur hoc impedimentum, priùs valida

esse

esse debent Sponsalia, tùm reddita irrita in casibus *supra Tit. de Sponf.* expressis. Atque hoc impedimentum perpetuum est, nec morte alterius Sponsi extinguitur, *can. si quis desponsaverit* 27. *q.* 2. Multoque magis ex decreto (*nn*) Pii V. *ad Romanum*, anni 1568. Imo, etsi Matrimonium ratum Clandestinum fuerit, impedimentum hoc exurgit, ut censuit (*oo*) Sacra Congregatio apud Gallemart in *d. sess.* 24. *cap.* 3. Nec verò impedimentum ex Matrimonio rato est affinitatis, sed solius publicæ honestatis justitiæ, ut, re maturè discussa, [*pp*] censuit S. Congregatio apud *Corradum L.* 8. *cap.* 7. *n.* 15. & rursus idem statuit *die* 27. *Aprilis* 1568. Et licet (*qq*) Dataria id impedimentum vocet affinitatis, non tamen ita appellat, quia tale sit, sed potius ad retrahendos Oratores a petitione similium dispensationum. Causa (*rr*) autèm obtinendi similes dispensationes esset Oratricis infamia, ob copulam subsecutam. Et de his impedimentis satis, superque.

SUMMARIUM.

1 *Plura exempla historica criminum dirimentium Matrimonium.*
2 *Casus quatuor criminum dirimentium suis roborantur auctoritatibus.*
3 *Ratio, cur crimina hac dirimant.*
4 *Pænitentia qualis esset hæc crimina committentium.*
5 *Uxor insidiatrix sine ulla spe coniugii manebat.*
6 *Episcopus cum illa dispensabat.*
7 *Restituitur litera Textus difficilis.*
8 *Ob adulterium, alioquin non dirimens Matrimonium, pænitentia quinquennii imponebatur, ad se purgandum.*
9 *Post necem viri solùm dispensatur occultè.*
10 *Historia notatur.*
11 *In utroque foro nunquam dispensatur.*
12 *Alia historia hac super re notatur.*
13 *Elegantes rationes, cur non concedatur dispensatio.*
14 *Historia Sacra de cultus disparitate.*
15 *Cum cessabat periculum perversionis, Jure Divino cultus disparitas non impediebat.*
16 *Imò neque olim cultus disparitas in lege gratiæ irritabat Nuptias.*
17 *Sponsalia sub conditione conversionis concepta celebrantur licite.*
18 *Matrimonium inter Catholicum, & Anabaptistam nullum est.*
19 *Qua ratione.*
20 *Historia de Anabaptistis.*
21 *Cum aliis hæreticis valet Matrimonium.*
22 *Aliquando etiam licitum.*
23 *Explicantur varii Textus difficiles de VI. Synodo in Trullo.*
24 *Quæstio, an contractus metu initi ipso jure valeant.*
25 *Quid sit voluntas omnino libera.*
26 *Lex in quibusdam negotiis poscit voluntatem omnino liberam.*
27 *Probatur conclusio.*
28 *Optima ratio, cur voluntarium qualecumque ad actus validitatem sufficiat.*
29 *Bonam fidem, sufficit aliquandò, in contractibus esse saltèm ex post facto.*
30 *De contractu in carcere celebrato.*
31 *Duplex dolus, unus cum metu, alter sine metu.*
32 *Dos metu promissa non danda.*
33 *In contractibus metu celebratis an Dominium transferatur.*
34 *Itemque fructus.*
35 *Aditio hæreditatis metu facta an nulla sit.*
36 *Verbum irritum idem sonat, ac irritandum.*
37 *Votum liberam poscit voluntatem; sed notetur diversitas quoad ætatem in voto simplici, & solemni.*
38 *Electio Canonica liberam poscit voluntatem.*
39 *Renunciatio Beneficii liberam flagitat voluntatem.*
40 *Absolutio a Censuris liberam requirit voluntatem.*
41 *Item Jurisdictionis prorogatio, & liberales promissiones.*
42 *Ob metus præsumptionem tutor pupillam ducere, prohibetur.*
43 *Jus Civile quoad hanc præsumptionem Jure Canonico correctum.*
44 *Elegans ratio, cur hunc metum Jus Civile præsumeret.*
45 *Rectores Provinciarum cum subditis non contrahunt.*
46 *Metus reverentialis una cum minis irritat Matrimonium.*
47 *Imo & Professionem relligiosam.*

In

48 *In dubio, an pro Professione?*
49 *Judex cogendo stupratorem ducere stupratam, non incutit metum injustum.*
50 *Quandonam stuprator, & ducere, & dotare stupratam debeat*
51 *An, si post metum uxor cohabitet, ratificetur Matrimonium.*
52 *Quæ sint annexa Matrimonio, ob quæ Clericis prohibetur.*
53 *Olim æquè Græci, & Latini abstinebant post Ordines a commercio uxoris anteà ductæ.*
54 *Olim districtio abusu quodam apud Græcos cæpit servari, ut Diaconi, si in actu ordinationis faterentur, fragilitate nimia non posse castè vivere, ducerent uxores.*
55 *Nunc Græci post Ordines ducentes uxorem invalide contrahunt.*
56 *Imò olim Clericos Græci ad Nuptias cogebant.*
57 *Phauutis historia prolixius expenditur.*
58 *Latinorum gloria, qui semper ab uxoribus abstinuerunt post Ordines.*
59 *Sacer Ordo est dirimens impedimentum.*
60 *Refellitur Gratiani error.*
61 *Narratur lex pessima.*
62 *Cleri us in sacris Nuptias contrahens evadit irregularis.*
63 *Imo ut suspectus de hæresi abjurat de vehementi.*
64 *Dissertatio de Ordine superveniente Matrimonio.*
65 *Uxor consentire potest virum, suum ordinari.*
66 *Vir, si velit etiam ad Tonsuram promoveri, cum uxoris consensu debet spondere castitatem.*
67 *Vir invita, aut ignorante uxore ordinatus, ab uxore revocari potest.*
68 *Quo casu vir tenetur reddere debitum, non tamen petere potest.*
69 *Vir, qui ordinetur ante Matrimonium consumatum, monetur ab Episcopo, ut ingrediatur Religionem.*
70 *Sed hoc ex consilio procedit.*
71 *Uxor permittens, virum suum ordinari, an cogatur Monasterium ingredi, elegans quæstio fusè examinata.*
72 *Non cogi, defenditur.*
73 *Explicatur Textus antinomiam faciens.*
74 *Ultra uxoris consensum, ut vir promoveri possit ad Ordines, requiritur licentia Episcopi.*
75 *Olim tales uxores, mortuo viro ordinato, non poterant ad secundas Nuptias transire.*
76 *De Polygamia fusè differitur.*
77 *Pœna antiqua in Polygamum.*
78 *Quid esset Carena.*
79 *Dissertatio alia proponitur, an Polygamia sit crimen mixti fori.*
80 *Conclusio, quod Polygamia spectet ad Judices fidei.*
81 *Respondetur contrariis.*
82 *Pœna juris Civilis in Polygamos.*
83 *Pœna juris Canonici in eosdem.*
84 *Dissertatio alia de secundis Nuptiis.*
85 *Per annum lunarem uxor maritum lugere debebat.*
86 *Ratio luctus.*
87 *Posteà annus luctus 12. mensium.*
88 *Quæ olim pœna uxoris intra secundo nubentis.*
89 *Pœna infamiæ jam sublata.*
90 *An etiàm de Iure Canonico sublatæ sint aliæ Civiles pœnæ, disputatur.*
91 *Solvuntur contraria.*
92 *Exponitur Textus* in can. infames 3. q. 7.
93 *An sit correcta* Authentica, cui relictum C. de indicta vid. toll.
94 *An sit correcta* Authentica de Rest. & ea, quæ par. §. fin.
95 *Mulier secundo nubens adhuc de Iure Canonico non gaudet privilegiis mariti.*
96 *De benedictione Nuptiarum secundis* Nuptiis *non tribuenda.*
97 *Et qua ratione.*
98 *Benedictio Nuptiarum in quo sit posita.*
99 *An sit præceptum benedici Nuptias.*
100 *Parochus benedicens secundas Nuptias est suspensus.*
101 *An, quando vir nunquam alias nupsit, & viduam ducit, secundæ Nuptiæ sint benedicenda.*
102 *Extravagans cum Textus litera adducitur circa hoc dubium.*
103 *Quinam hæretici, ob denegatam jure optimo benedictionem secundis* Nuptiis, *eas illicitas dixerint?*
104 *Explicatur Textus prima specie difficilis.*
105 *De publicæ honestatis Iustitia.*
106 *Publica honestas oritur ex Matrimonio rato juxta Bullam Pii V.*
107 *Exurgit publica honestas etiam ex Matrimonio rato nullo.*
108 *Publica honestas non est affinitas.*
109 *Adducitur ad hoc probandum declaratio.*
110 *Fusè de Dataria Apostolica.*
111 *Dataria hoc impedimentum vocat affinitatis, & cur.*
112 *De dispensationibus publicæ honestatis.*
113 *Exemplum hujus dispensationis.*
114 *Declaratio Congregationis circa hanc dispensationem.*





EXPLICATIONES.

(a) *Id.*

Exempla uxorum, quæ vitæ mariti insidiatæ sunt.

UXores ipsas in necem viri machinatas non-
nunquam fuisse, passim historiæ custo-
des temporum, memorant. Plutarchus
in Parall. narrat, Fabricianum uxoris adulteræ
1 machinatione fuisse trucidatum. Exempla, apud
Gallos, earum uxorum, quæ maritos interfe-
cerunt. narrat *Cæsar* L. 2. *Comment.* Danaus
Beli filius 50. habuit filias, quæ totidem Ægy-
pti filiis nupserunt; factaque simul conjuratio-
ne omnes maritos nocte una occiderunt, præter
Hypermnestram, quæ Lynceo viro pepercit; quò
alludit Horatius L. 2. *Carmin. ode* 38.

Impiæ, nam quid potuere majus?
Impiæ sponsos potuere duro perdere ferro.

Redeuntem ab expeditione Agamemnonem,
Clytemnestra uxor interfecit, auxiliante Ægis-
tho, quocum stupri consuetudinem habebat.
Alexander Pheræus Thessaliæ Tyrannus ab uxo-
re Thebe item interfectus; quò alludens *Ovi-
dius in Ibin*, sic cecinit.

Inque tuo thalamo jugularis more Pheræi,
Qui datus est letho coniugis ense suæ.

Fabia Fabium Fabricianum necavit, quò li-
berius posset cum Petronio Valentiniano lasci-
vire, *Plutarchus in Paral.* Helminges ille, qui
Alboinum Regem Longobardorum somno mer-
sum necaverat, Rosimundam in Matrimonium
asciverat; Longinus Exarcha Rosimundæ sua-
sit, ut spe Matrimonii sui Helmingem mari-
tum extingueret. Hæc verò Helmingi e balneo
exeunti pestiferum poculum pro salutari por-
rexit, & vi veneni absumptus est, *Sigonius* L. 1.
de Regn. Ital. Sed me contineo; & horret ani-
mus alia exempla subtexere.

(b) *Sive.*

Casus quatuor, criminis dirimentis Matrimonium.

Hi quatuor casus criminis dirimentis Matri-
2 monium, jam suis auctoritatibus confirmabuntur.

I. Homicidium post adulterium dirimere, pa-
tet *ex cap. significasti de eo, qui duxit in Matr.
ex cap. 1. de convers. infid. ex cap. tanta, qui
filii sint legit.*

II. Homicidium etiam absque adulterio, utro-
que machinante, secutum, uxore, & amasio,
dirimere, constat *ex cap. 1. & 6. de eo, qui duxit
ex cap. 1. de convers. infid.*

III. Adulterium cum fide data futuri matri-
monii dirimere, elucet *ex cap. relatum 31. q. 1.
ex cap. veniens, ex cap. fin. de eo, qui duxit in
Matr. ex cap. ex tenore de testib.*

IV. Matrimonium contractum cum uxore,
vivente adhuc ejus marito, dirimere, non du-
bium est, *ex cap. significasti, ex cap. literarum,
ex cap. cum haberet eod. Tit. de eo, qui duxit.*

[c] *Per quæ.*

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, 3
*can. si quis 1. q. 1. cap. provida 44. de elect.
in 6. cap. fin de temporibus ord. in 6. cap. ult.
de Immun. cap. nullus de foro comp. can. interfec-
tores, can. admonere 33. q. 2. L. illud ff. ad L. Aq.*

[d] *Omni.*

Olim sic delinquentes, sine spe Matrimonii vivebant.

Ultra pœnitentiam quinque annorum, quam
peragere uxores in necem viri conspirantes jux-
ta veteres Canones debebant, *can. si qua fuerit* 4
31 *q. 1.* quamquam, & nonnunquam per VII.
annos duraret, *can. hoc ipsum 33. q. 2.* insidia-
trices uxores sine ulla spe coniugii perpetuò ma-
nebant, *can. si quis 31. q. 1.* ibi: *sine ulla spe
coniugii maneant perpetuò cum pœnitentia*, con- 5
sonat *can. si qua 31. q. 1.* Poterat tamen Epis-
copus, si graviorem crederet amoveri offensam,
concedere, ut coniugium iteraretur, *can. si au-* 6
tem in fin. 36. q. 2.

Sed obstat vehementer Textus in *can. denique
31 q. 1.* ubi tantum abest, ut juxta veteres Ca-
nones spes coniugii sublata esset, quin potius
Textus ità loquitur: *denique mortuo viro, cum
quo verum connubium fuit, fieri potest coniugium,
cum quo processit adulterium.*

Præsensit difficultatem Cujacius in *cap. 1. de
eo, qui duxit in Matrimonium*. Et respondet, in
eo Textu restituendam esse *negationem*, quæ incu- 7
ria typographi relicta est; & in Vaticano Codice
legitur, ibi: *fieri verum connubium non potest.*

At instabis, in dicto *can. si quis 31 q. 1.* as-
seritur, publicam pœnitentiam fore perpetuam.

Resp. nonnunquam ad quinquennium, ali-
quandò ad septennium, itemque perpetuam
fuisse olim pœnitentiam insidiatricis uxoris.
Addo, quòd interdum pœnitentia erat quinquen- 8
nii ad purgandum vitium adulterii, quod & con-
silio in necem viri, & fide data de futuro Ma-
trimonio destituebatur: quo casu cum Matrimo-
nium olim etiam validum esset cum adultero;
tamen antequam celebraretur, luendum erat sce-
lus adulterii, expiandumque pœnitentia quin-
quennii, ut notavit Cironius in Parat. *ad Titul.
de eo, qui duxit in Matr. & Gonzales* explicant
can. 72. Concil. Illib.

Et hæc quidem a studioso Iuris Canonici no-
tanda sunt, ad Canonum antiquorum intelli-
gentiam.

(e) *Nunquàm.*

Cum ità delinquente non dispensatur.

Ubi coniugis occisio secuta sit, nunquàm dis-

pensatur. Hoc in contextu asserimus; Hoc jam explicabitur. Nunquam dispensatur; non quia Pontifex non possit. Imò M. Pœnitentiarius id
9 concedit, ut quando impedimentum est occultum, Confessarius eligendus dispenset cum eo, qui fuerit in necem conjugis machinatus. Et dum esset major Pœnitentiarius Julius Antonius
10 Cardinalis Sanctæ Severinæ, facto verbo cum S. Pontifice, quid faciendum in Pœnitentiaria, quando supplicatur pro dispensatione in foro conscientiæ cum his, qui machinati fint: ipse Pontifex respondit, quod re examinata in Signatura, sibi visum fuerit in foro conscientiæ concedi. Atque hanc facultatem postmodum Paulus V. concessit Cardinali Burghesio, & majori Pœnitentiario, negotio non communicato in Signatura: narrat Corradus L. 8. *cap.* 6. *n.* 6. Hinc apud Leonium *in Praxi ad Literas M. Panit. cap.* 12. *cap.* 13. *cap.* 14. sunt formulæ dispensationum pro occulta hac dispensatione vid. in foro conscientiæ.

In utroque autem foro nunquam apparet, dispensatum esse per Datariam, quæ ad unguem
11 servat dispositionem Textus in *can. si quis vivente* 31. *q.* 1. ut notat Corradus *ubi supra*.

Imò tempore Pontificatus Clementis VIII.
12 quidam potentissimi Oratores preces porrexerunt Clementi pro tali dispensatione: & cum fuisset sibi prorsus dispensatio denegata, fuit per Oratorem præsentem in Romana Curia allegatum exemplum veteris Testamenti, nempe quòd David machinatus fuerit in mortem Uriæ, & Bethsabeæ uxoris ejus, & tamen, cum qua prius adulteratus fuerat, duxit in uxorem. At idem Clemens, ut nulli scientia Canonum secundus erat, cum haberet in promptu glossam *in can. si qua mulier* 31. *q.* 1. undè id exemplum petitum fuerat, illico respondit cum eadem glossa, quod olim quidem multa permittebantur in veteri Testamento causa infirmitatis, quæ hodiè non permittuntur, ut Polygamia: ut libellus repudii; sic, quod hodiè circa viri necem prohibetur, tunc non erat impedimentum, dirimens; ergò his, alisque fundamentis permotus Clemens, recusavit dispensationem imper-
13 tire. Ac præsertim ne ex concessione similis dispensationis occasio captandæ mortis præbeatur: ut eleganter loquitur Textus *in cap. ne captanda de Præb. in* 6. ibi *ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ tribuatur*. Habes hic studiose Juris, quod nullus Institutista notavit.

(f) Non.

De cultus disparitate.

Quod attinet ad cultus disparitatem; prohibuit quidem Deus Israelitis Matrimonio sibi jungere infideles ob perversionis periculum; *neque*
14 *sociabis* (inquit Deut. 7.) *cum eis conjugia*. Eamque ob causam Esdras reversum ab Ægypto populum compulit ad repudia uxorum alienigenarum 1. *Esdræ* 10. & 2. *Esdræ cap. ult.* sed tamen, quibus haud erat periculum perversionis, id permissum fuit, ut patet in Salomone, qui filiam duxit Pharaonis, & in S. Fœmina Esther, quæ Assuero nupsit. Samson Israelitarum Judex ex Tribu Dan, cum Thamnatham descendisset puellam Palestinam idolatram uxorem duxit; 15
quamquam divino instinctu hanc duxit, ut occasionem haberet adversus Palestinos, qui jam 40. annis Israelitas oppresserant *Jud. cap.* 14. Joram verò Judæorum Rex a Josaphat Patris sui moribus Regis justissimi degeneravit, cum Athaliam. Achab Israelitarum Regis filiam uxorem haberet 4. *Reg.* 8. & 2. *Paral.* 21. Jacob se junxit cum filiabus Laban Æthnici *Genes.* 20. Joseph cum Ægyptia Putipharis filia *Genes.* 41.

Ex quibus inferre licet, Iure Divino fuisse quidèm ob disparitatem cultus prohibita Matrimonia; at non invalida.

Imo in lege gratiæ, ea Matrimonia frequentissima fuisse suo tempore, testes sunt *D. Hieronymus L.* 1. *in Iovin. D. Augustinus Lib. de Fide, & operibus cap.* 19. nec irritabantur, quamquam culpa non vacarent. Et S. Monica pagano nupsit, teste D. Augustino L. 9. *Confess. cap.* 9. S. etiam Clotildis, Christiana cum esset, nuptiis juncta est Clodoveo Francorum Regi tunc idolatræ, & S. Anastasia Publio Idolorum cultori, & S. Cæcilia Valeriano nondum Christiano. 16

Quare progressu temporis ex receptissimo Ecclesiæ usu hoc impedimentum dirimens summa ratione, ob periculum nempe perversionis, introductum est.

[g] Cum.

Sponsalibus cultus disparitas non officit.

Sponsalia cum infideli rectè contrahuntur, sub conditione conversionis. Historiis id quoque possumus confirmare. Clotildis, de qua 17
nuper locuti fumus, anno 404. Clodoveo regnanti in Galliis fædare nuptiarum jungi consensit, Legato hæc dicens: non est fas Christianæ mulieri Paganum sortiri maritum: sed, si hoc cunctorum præordinavit conditor Deus, ut ille per me Creatorem agnoscat suum; petita non abnuo; Legatum respondentem: Regem per omnia assensum præbiturum: rogat, ut secretum apud se hoc verbum teneat *Aimon. de gest. Franc.* L. 1. *cap.* 13. *Gregor. Turon.* L. 2. *cap.* 28. & 29.

Gisela soror Henrici II. Imperatoris Stephano Regi Hungarorum nubere renuit, nisi Christi Fidem susciperet *Cusp. & Sigeb.*

Heduinus Northumbrorum Rex non prius Edelbergam filiam Edelberti Regis Cantiorum duxit, quàm Cristianorum Fidei se addiceret, *Beda* L. 2. *Eccles. hist. cap.* 9.

Quare exempla quoque declarant, hæc Sponsalia, sub conditione conversionis concepta, esse licita.

(h) Cum

(b) Cum Anabaptista &c.

DISSERTATIO I.

De Matrimonio cum Hæreticis.

Cum Anabaptista, si nondum Baptisma sus-
18 ceperit, nullum esse Matrimonium, existimat Arsdechin *Tom. 2. part. 2 Tract. 4. cap. 8. pag. 286.* ejusque ad mentem locuti sumus.

Anabaptistæ enim affirmabant, Baptismum validè non conferri, nisi adultis illis, qui 30.
19 annum attigissent, qua ætate Redemptor baptizatus fuisse, fertur, quos refellit Bellarminus *L. 1. de Baptismo cap. 8.*

Et repugnant cum hac impia hominum colluvione Canones innumeri, quos adducit Gonzales *in cap. majores de Baptismo pag. 908.*

Ac ne historiam hanc de Anabaptistis sicco pede transeamus; sciendum, anno circiter 1522.
20 ortam esse hanc fanaticam sectam auctore *Nicolao Storkio Pelargo* dicto Silesio: Vittemberga pulsus, incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit de secretis Mysteriis sibi per Michaelem Arcangelum revelatis. Illis persuasit, ut libertatem Evangelicam profiterentur, & se rebaptizari finerent, eosque, qui tali reclamarent doctrinę, Magistratus, ac Principes Tyrannorum instar internecione delerent. Insuper cum Natura liberos omnes voluerit, omnia singulis esse communia; Episcopos vel trucidarent, vel ejicerent, eorumque bona diriperent. Huic se comitem adjunxit *Thomas Muntzerus*, qui Enthusiastam sci è agens, & vitæ asperrimę speciem ostentans, turbulentissimis excitavit seditiones, donec bellum rusticorum in Germania commovit, quorum 130 millia Principum copiæ trucidarunt anno 1525 Meshovius *L. 1. in hist. Anabapt.* Petrus Cr n t. *rer. German. Tom. 2.* ejusdemque sectæ progressum fusè narrat P. Natalis historiæ sæculi *15. & 16. pag. 572.*

Cum aliis verò hæreticis Matrimonium illi-
21 citum quidem est, non tamen irritum, *cap. decrevit de haret. in 6. can. non oportet 28. q. 1. can. latores dist 32. cap. de illa de divort. can. cave q 28. q. 1. Synod. Laod. can. 31. ibi: non oportet cum omni haretico Matrimonium contrahere.*

Ratio est, quià cum Matrimonium sit Sacramentum; quoad Sacramenti necessitatem, solùm exigit Baptismum in utroque conjuge.

Imò si spes esset certa conversionis, ne illi-
22 citum quidèm est tale Matrimonium, ut patet ex Conciliis, Agathensi, ibi: *si tamen profiteantur, Christianos se futuros*. Laodicensi *can. 31.* ibi: *si tamen profiteantur, Christianos se futuros*. Calched. *can. 14.* ibi: *nisi forte sponderit, se venire ad Orthodoxam Fidem*, Sanchez *L. 7. disp. 72. n. 5. in fin.*

Ulterius, neque illicita sunt Matrimonia cum hæreticis non denunciatis, ut in Germania, Polonia. In iis enim ex consuetudine recepta, & tolerata licita sunt connubia Catholici cum hæretica; dummodò permittatur Catholico absque perversionis periculo in fidè permanere, Layman *de Imped. cap. 14. Tom. 2.*

Neque obstat *can. 72. VI. Synodi*, ibi: *Non licere virum orthodoxum cum muliere haretica, nec orthodoxam cum viro haretico copulari, sed,* 23
si quid hujusmodi ab ullo ex omnibus, factum apparaverit, irritas Nuptias existimari. Ecce irritas Nuptias in hoc Concilio declaratas, si inter hæreticum, & Catholicam fuerint contractę.

Sed non est, cur hujus Concilii Constantinopolitani auctoritate commoveamur; nam sexta Synodus habita in Trullo auctoritate caret, ut fusè probat Mendoza *ad Concil. Illib. cap. 51. L. 2.*

Neque dicatur, Adrianum Pontificem *in can. sextam Synodum dist. 16.* ratum illud Concilium voluisse.

Sed verba illa in *d. can. sextam*, non Adriani Papę, sed Tharasii Archiepiscopi Constantinopolitani sunt. Adrianus enim in Epistola sua, qua rescribit Tharasio, ea retulit, quæ dixerat idem Tharasius in prima Epistola ad Adrianum, nec in Epistola Tharasii verba sunt, quę retulit Gratianus, sed longè diversa, & hæc Epistola extat in secunda actione VII. Synodi. Neque Tharasius retulit in Epistola Canones 102. qui extant nunc, neque eos Adrianus confirmavit. Quoniam de omnibus Canonibus, qui sextæ Synodi nomine feruntur, tunc disputare, nec Tharasii, nec Adriani animus erat, sed de his, quæ ad sacras imagines, picturam præsertim, Agni digito Pręcursoris demonstrati spectabant.

Sed objici potest Textus *in can. habeo 16. dist.* ibi: *habeo librum continentem Canones sancta 6. Synodi &c.* & notetur quod hæc verba prolata sunt in septimi Synodo a quodam Episcopo, & prosequitur Textus: *Quidam scandalizantur per ignorantiam prolationibus istis, dicentes, numquid sexta Synodus Canones fecit? & inf a: idem Sancti P. P. congregati sunt sub Justiniano filio Constantini, & pradictos Canones promulgaverunt*. Ergò Canones sextæ Synodi Trullanæ legitimi sunt.

Resp. in hac actione solum intellexisse Eliam, Sabbam, Petrum, & Tharasium, qui locuti sunt de Canone illo sextę Synodi, qui ad Imaginem picturę Agni digito Pręcursoris insigniti, spectabant, & de illis Canonibus, qui non in Trullo, sed antea in VI. Synodo efformati fuerant, & promulgati postea, aut nova subscriptione roborati in Synodo Trullana - alia per doctè prosequitur Mendoza *ubi supra*.

(i) Irritas.

Metus quomodo dirimat.

Ex metu dirimens oriri impedimentum, declarant hi Textus. *In cap. veniens 15. de Sponsal. in cap. de muliere 6. in cap ad id 21. in cap. consultationi 28. ib. in cap. ex literis de desponsat. impub.*

impub. in cap. 2. de eo, qui duxit, in cap. propterea, in cap. significavit ib. in cap. accedens de Procur. Trid. sess. 24. cap. 9. L. si Patre ff. de ritu Nupt. L. si mulier §. si dos ff. de eo, quod met. C.

Ad quorum Textuum intelligentiam notetur, vim in casu nostro a metu non differre; nisi quod vis habet se per modum agentis, & radicatur in inferente metum; metus verò per modum patientis, quià respicit personam patientem. Unde ex vi correlativorum, cum dicimus metum, vim quoque intelligimus, *Bartolus in L. 1. ff quod met. C.*

Ad constituendum metum cadentem in virum constantem V. desiderantur conditiones.

I. Ut malum, quod timetur, grave sit *L. metum ff. de eo, quod met. C.* ibi: *non quemlibet timorem, sed majoris mali.*

II. Ut æstimatio mali, quod timetur sit fortis *L. metum in 2. Text. ff. de eo, quod met. caus.*

Unde necesse non est, ut malum sit præsens; sed sufficit, ut probabiliter proximè timeatur *L. nec timorem ff. quod met. C. L. 3. ff. de don. caus. mort.*

III. Ut metum inferens queat munus exequi *L. famosi ff. ad L. Jul. maj.*

IV. Ut metum inferens sit solitus minas exequi *L. un. C. si quis insuper L. famosi ff. ad L. Jul. maj. L. metum C. de his quæ vi.* Et solitus dicitur, si duo actus præexistant ad minus, *Archid. in cap. illud in fine dist. 12.*

V. Ne possit minatus facile occurrere malis, quæ timentur; nam si posset se eripere a malis imminentibus, vel implorando amici opem, aut superioris, non esset timor cadens in virum constantem *arg. Textus in cap. fin. de elect.*

Metus verò, aut potest esse mortis, *cap. cum dilectus de his, quæ vi L. nec timorem ff. de eo quod met. C.* aut amissionis filiorum *L. isti quidem ff. de eo quod met. C.* aut armorum, etiam si ea habens ad incutiendum terrorem, his non utatur *L. 3. ff. de vi, & vi arm.*, aut servitutis *L. isti quidem ff. de eo, quod met. C.* aut carceris *L. qui in carcerem ff. eod.* aut jacturæ honoris *L. isti in fin. ff. eod.* aut excomunicationis injustæ *can. nihil 11. q. 3.* aut amissionis omnium bonorum *cap. 1. de his quæ vi.*

Porrò quomodo probetur metus videatur *De Luca de Matr. discurs. 6. Barbosa voto 27. n. 205. Sperellus decis. 5. Burattus decis. 861. Ventriglia Tomo I. annot. 4. §. 3.*

[I] Contractus.

DISSERTATIO II.

An Contractus initi metu subsistant.

24 Celebris est controversia, an contractus vi, metuque extortus, sit ipso jure nullus?

Esse nullum ipso jure, aliqui Interpretes opinantur; Donellus *in L. 1. C. de Resc. V. Gudd. de Contr. & somm. Stip. cap. 3. n. 156. Cujac. in mercat. l. 3. cap. 3.*

Nos in nostro contextu, subsistere contractum metu initum, asserimus; quod latiorem exposcit indaginem.

Verùm certa ab incertis disjungenda sunt. Pri-
mo certum est, voluntatem coactam esse nihi- 25
lominus voluntatem; quod ut percipiatur, sciendum, voluntatis actus, vel esse elicitos, hoc est, qui in ipsa voluntate, non verò extra ipsam producuntur: alios esse imperatos, qui scilicet in aliqua alia potentia naturali voluntatis imperio subiecta recipiuntur. Voluntas in suis actibus elicitis cogi non potest ob innatam sibi libertatem, *S. Gregorius Nissenus L. 5. Philosophiæ cap. 1.* At verò in suis actibus imperatis per alias facultates exercendis, potest voluntas ipsa vim, & coactionem pati ab extrinseco.

Et tamen voluntas est. Nam voluntas eligit ob metum aliquid, ad evitandum gravius malum, ergò voluntarium non deficit. Tametsi id voluntarium involuat conditionem, quà secluso metu voluntas nollet *L. si mulier §. si metu ff. de eo, quod metus C. L. cum proponas C. de bar. inst.* In apprehensione tamen coactum hoc velle, involuntarium est; in quantum apprehensum extra hunc casum, non eligeretur. Quare hoc velle coactum, non est ille verus actus a voluntate elicitus, proprius ipsius, qui nil violentum patitur; violentum enim semper fit ab extrinseco, ad quod vera voluntas omninò repugnat, ut possit cooperari; videatur D. Augustinus *L. de duab. Animab. cap. 11. & Lib. de vera Relig. cap. 14.* & Textus *in can. marito 15. q. 1.*

Non loquimur ergò impræsentiæ, de voluntatis actibus elicitis; sed de voluntatis actibus imperatis, in quibus coactio esse potest, voluntarium tamen non deficiet.

II. Certum est, Legem statuere posse, ut in quibusdam actibus libera omninò voluntas, id est actus voluntatis eliciti reperiantur. Ecce Canones volunt, in renunciatione Beneficii, &
in electione Canonica, liberam omninò inesse 26
voluntatem, *cap. cum terra de elect. cap. Abbas de his, quæ vi &c.* item in Jurisdictionis prorogatione *L. 2. ff. de Jud.* itemque in donatione *L. manumissio ff. de man.*

Quibus præmissis, facilè probatur assertio nostra.

I. Quià in *L. ult. §. 1. ff. quod met. C.* Ul-
pianus hæc habet: *Si justo metu præteritus co-
gnitionem; ad quam ut venditus iret, potens ad-
versarius minabatur, id, quod habere licebat,* 27
*compulsus vendidit, rèi suæ æquitati per Præsidem
Provinciæ restituitur*; ergò venditio metu facta
valet.

II. Ex Ulpiano eodem in *L. 9. §. volenti ff. eod. Tit.* ibi: *volenti autem datur, & in rem actio, & in personam rescissa acceptilatione, vel alia liberatione*; Si rescinditur, ergò valuit; privatio habitum supponit.

III. Ex L. 1. C. *de rescind. Vend. & ex L. non est verisi. C. de his, quæ vi, metuque*, ubi

con-

contractus vi, metuque extorti rescinduntur, adeoque initio substitisse, clare demonstratur.

Constat ex Constantino in L. *pen C. eod Tit.* ibi: *& quod emptum fuit reddatur*. Ergò licet per vim; tamen emptum fuit.

VI. Denique probatur ex *L. si mulier §. si metu ff. de his, quæ vi*, ex L. *si metu ff. de acq. har.* ex L. *interpositas C. de Transf. P. insl. T. de except.* D. Augustinus *de spiritu cap. 31.: Si subtilius advertamus etiam, quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntariè facit. Sed quia mallet aliud, ideò invitus hoc est, n lens facere dicitur.*

Optimè Vinnius *ad §. 1. Inst. de Except.* Utrum
28 quid sit voluntarium ex eo tempore (*ait*) æstimatur, quod geritur. Jam verò illud, quod eligitur, quo tempore metus infertur, respectu majoris mali, quod vitatur, boni rationem habet, & ea consideratione obiectum est voluntatis, nec obiectum deest voluntatis in formidine.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

I. Obiicitur; metus, & vis bonæ fidei contraria sunt *L. 116. ff. de Reg. Jur.* Sed, si quid in eundo contractui bonæ fidei contrarium intervenerit, nullus est ipse contractus, ergò falsum defenditur.

Pro cujus difficultatis resolutione, sciendum est, Cujacium in *d. L. si mulier, & Donellum L. 12. Comm. cap. 7.* eam probasse distinctionem, ut Contractus bonæ fidei metu celebrati, sint ipso jure nulli, Contractus verò stricti juris valeant ipso Jure, sed postea irritentur. Sed jam jacta est alea, nos indistinctè contendimus, metu initos contractus subsistere. Quid ergò respondendum adductæ Oppositioni? Dicimus, quod exempli G. in emptione, ut hæc sat sit, tantum desideratur consensus, res, & pretium *§. 1. inst. de empt.* cæterum naturaliter permittitur contrahenti alium decipere, L. *in causa 16. ff. de Min. cap. cum dilecti de empt. & vend.*
29 illæsa tamen contractus natura, qui consensu, re, & pretio perficitur; nec verò necesse est, ut bona fides insit in actu contrahendi; sed talis est, ut æquitas *expostfacto* observari possit, quam ob causam remedium prodiitum est ab Imperatoribus rescissionis, vel pretii supplementi, in *L. 2. C. de rescind. vend.* atque ita intelliguntur a Grananieto *in cap. cum dilecti de empt. n. 3.* Textus in *L. si dolo*, in *L. dolus C. de rescind. vend.* in *L. contractus ff. de Reg. Jur.* in *L. bonam fidem C. de Act.* in *cap. bona fide de deposito*.

II. Obiicitur Textus in L. *qui in carcerem 22. ff. de eo, quod met. C.* ibi: *qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueat; Quicquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est*; nullius autem momenti, significat nullius vigoris, *cap. ordinarii in fine de off. Ord. in 6.*

Resp. cum Sanchez, ultra metum adesse ibi dolum, & calliditatem pessimam illius, qui injustè detrusit in carcerem: gravius enim crimen
30 committit, quàm alius metum incutiens, sub pretexto enim justitiæ falsò asseveratæ, constituit Judicem, qui jus reddere unicuique tenetur, instrumentum iniquitatis.

III. Obiicitur cum Hunnio L. 3. *Tract. 2. q. 17. var. Res.* contractus bonæ fidei ipso Jure non valent, si dolo malo fuerint extorti, ubi aut venditor deceptus est, ut venderet, aut emptor, ut emeret L. 7. *ff. de dolo*; atqui emptio metu contracta dolo quoque inita intelligitur, quoniam, & metus dolus est, & qui metum intulit, idem & de dolo tenetur, L. 14. §. *cum qui ff. quod met. C. ergo &c.* Et æquiparari dolum, & metum, constat *ex cap. cum contingat de jur. jur. ex cap. 2. de pact. in 6.*

Resp. cum Bartolo *in L. & eleganter ff. de dolo n. 6.* distinguendum esse, an agatur de dolo disjuncto a
31 metu, an de dolo, qui metui insit. Quando quis dolo inducitur ad contrahendum, & propter dolum præstat consensum, errat in causa consensus, quo circa consentit, sub quadam conditione, si verum id fuerit, propter quod inducitur ad contrahendum; quod cum verum non sit, facit, deficere consensum, & hoc in bonæ fidei contractibus, in quibus id, quod æquum est, attenditur, tametsi in pactum deductum non sit §. *actionum inst. de act.* At in contractibus stricti juris, ut esset stipulatio, licet quis inducatur per dolum; verificatur attamen, hunc consensisse, & licet fiat ex causa, in qua erravit, est tamen illa causa extra contractum, & idcircò in contractibus stricti juris, illa causa non attenditur ex rigore Juris.

Diversum quiddam dicendum est de consensu, qui metui inest; nam contrahens metu non errat in causa consensus; sed illam probè novit, quamobrem contractus valet.

IV. Obiicitur, dos metu promissa nullius momenti est *L. 21. §. si dos ff. quod metus caus.* 32
ergò idem in aliis contractibus procedit. Neque satis respondet Accursius, id ità si tutum, quià dos sit maximè favorabilis *L. 1. ff. solut. Matrim.*

Nam Donellus regerit, imò quod dos sit maximè favorabilis, eò magis servari debet, non tamen nulla esse debet.

Resp. tamen, ut supra monuimus, Legem posse decernere, ut aliquo in negotio libera prorsus interveniat voluntas. Ideoque sine hac libera voluntate quidquid gestum sit, irritum, infectumque habeatur. Exemplis res explanatur, atque evoluitur.

Ad renunciationem Beneficii omnimoda libertas præsto sit, necesse est, *cap. Abbas de his, quæ vi*, Jurisdictionis prorogatio idem postulat *L. 2. ff. de Jud.* Donatio, & promissio lucrativa non minus *L. manumissio ff. de manum. L. rem legatam ff. de adim. Leg. L. Donationis C. de his, quæ vi.* Item libertas metu data non subsistit *L. idem L. si privatus 17. ff.*

qui, *& a quib.* L. 3. C. *qui manum.* Nisi ex causa onerosa detur, ut nummis acceptis pro ipsa manumissione L. *si quis ab alio ff. de man.*

Jam verò hujus generis negotium est dotis promissio, juxta *d.* L. *si mulier* 22. §. *si dos*, quem Textum licet aliter explicet Antonius Faber *in rationalibus*, perdocte ita interpretandum potius, nervosè probat Gonzales *in cap.* 8. *de his, quæ vi, metuque n.* 18.

Objicitur *V.* Res metu alienata permanet in dominio ejus, qui alienavit L. *metum.* §. *licet ff. de eo, quod met. caus.* ergò, quià nullus fuit Contractus alienationis.

Resp. permanere dominium in alienante secuta rescissione ex edicto *ff. de eo, quod met. caus.* ut respondet Gonz. Seu verius responderi potest, actionem quod metus causa esse mixtam, quià non tantùm intentatur in inferentem metum, sed etiam adversus rem ipsam, apud quemcumque possessorem existat L. *si cum exceptione* §. *in hac actione ff. de eo, quod met. C.* & quià qui actionem habet ad rem, rem ipsam habere videtur, *regula qui actionem de Reg. Jur.* ideò adhuc fictione Juris, in bonis metus passi reperiri videtur.

Quam ob causam, quià res nunquam tradita videtur, fructus sunt restituendi metum passo *cap.* 2. *in fine de his, quæ vi*, sed hoc procedit propter in integrum restitutionem, non verò quià dominium re-vera translatum non fuisset. Etenim proprium est restitutionis in integrum, ut fructus reddantur *L.* 2. L. 3. *ff. ex quib.* C. *major.* L. *quod si minor* §. *restitutio* L. *Patri* 27. §. *si pecuniam ff. de minor.* L. *nec non* 28 §. *in actione, ff. ex quib.* C. L. *videamus* 38. §. *in Faviana, ff. de usur.* L. *in condemnatione* 173. §. *cum verbum ff. de Reg. Jur.* L. *sed et partus ff. de eo, quod met. C.*

Objicitur *VI.* Aditio hæreditatis metu facta nulla est *L. quisin aliena* §. *Celsus ff. de acq. har.* sed heres adeundo, quasi contrahit, §. *hæres inst. de Obl. qua quasi ex contr. ergo &c.*

Interpretor Textum in majori propositione positum; ibi videlicet supponi ultra metum, quoque fallaciam. Nam qui adivit, simulavit, & proposuit, nullo modo se velle hæreditatem adire; ergò juxta hoc suppositum nulla prorsus intercessit voluntas. Ità accipit hunc Textum Cujacius in *L. velle ff. de Reg. Jur.* & *L.* 28. *Observ cap. ult.*

Cæterum aditio metu facta subsistit L. *si metu* 85. *ff. de acq. har.*

Objicitur *VII.* L. 1. C. *de rescind. vendit.* ibi: *irrita.*

Resp. verbum illud *irrita*, accipi pro irritanda L. 3. C. *eod. tit.* & irritum est, quod ex superveniente causa infirmatur §. *alio quoque modo inst. quib. mod. test. infir.*

(*m*] *Ex libera.*

Qua ætate sit vovendum?

Votum ex libera voluntate fieri debet, *cap. sicut* 5. *de Regul.* ibi: *spontanea voluntate professionem fecit Monachalem*, *cap.* 1. *de Stat. Reg. in* 6. Licet quoad ætatem discrimen sit inter votum solemne, & simplex; nam ad votum solemne exigitur egressus pubertatis *cap.* 1. 20. *q.* 2. & per inductionem probatur *ex* L. 2. *ff. de* 37 *Poll. ex* L. *cum filia* 50. *vers. ego quidem ff. de Leg.* 3.

At ad simplex votum sufficit, septennium explevisse, in qua ætate rationis usus spectatur, imò si contigerit, jam septennem nullius usus rationis esse compotem, non obligatur: & de iis, qui licet in infantia essent constituti, usum tamen rationis necessarium ad vovendum jam erant affecuti, intelligitur Textus perobscurus Siriaci Papæ *in can. quicumque* 3. 77. *dist.* ibi: *Quicumque itaque se Ecclesiæ voverit obsequiis a sua infantia.*

[*n*) *Et electio.*

Libera sit electio Canonica.

Electio Canonica item liberam omnino flagitat voluntatem. Hinc consuetudine introduci non potest, ut electores teneantur duos Princi- 38 pi præsentare, quos etiam dignos, ipse possit rescire, ut erat olim introductum Hyerosolimis, cum Guido habenas Regni teneret, quem postea Saladinus Babiloniæ Rex prælio victum in carcerem detrusit anno 1187. tradit *Baronius anno* 1187. de qua consuetudine est Textus *in cap. cum terra de electi,* ubi reprobatur.

(*o*) *Renunciatio.*

Item et renunciatio libera sit.

Renunciatio Beneficii liberam omnino postu- 39 lat voluntatem; cumque Abbas S. Edmundi in Anglia quemdam Robertum abjurare Beneficium, idest renunciare, compulisset per vim, & metum, nulla dicitur renunciatio, *in cap. Abbas* 2. *de his, quæ vi, metuque.*

(*p*) *Absolutio.*

Item et libera sit absolutio ab Excomunicatione.

Absolutio ab Excommunicatione, interdicto, suspensione, per vim extorta, nulla est; imò sic vim inferentes excommunicantur, ut est in 40 *cap. un. de his, qua vi in* 6.

(*q*) *Jurisdictionis.*

Quemadmodum libera esse debet prorogatio.

Jurisdictionis prorogatio exigit liberam voluntatem L. 2. *in principio ff. de Judiciis*, ibi: *aut si cum restitisset quivis ex litigatoribus, viribus Pratura compulsus nulla est Jurisdictio.* 41

Sed neque donatio, & lucrativa promissio metu facta subsistit, L. *manumissio ff. de man.* L. *rem legatam ff. de adim. leg.*

(*r*] *Tu-*

(r) Tutor.

Tutor pupillam recte ducit.

Tutor pupillam ducere non potest, nec curator, intra vigesimum sextum annum non desponsatam a patre, neque testamento destinatam; neque eam potest filio suo jungere *L. Tutor*, L. *non solum*, L. *præfectus ff. de ritu Nupt. Toto Tit. Cod. de Interd. Matr. inter pupill.* 42
Ergò post ejusmodi ætatem, & redditas rationes licita erit tutoris, aut curatoris, & pupillæ conjunctio, ut Guttierez infert. *de Tut. 2. p. cap. 12. n. 5.*

Cæterum id jam de Jure Canonico non procedit: ut nempe inter has personas matrimonium non consistat. Cum de Iure Canonico edi-
43 ctum sit prohibitorium, ut supra monitum est; neq. de his, ulla prohibitio recenseatur; neque etiam per Tridentinum: ita Narbona *anno 29. Quæst. 2. n. 4. Tract. de Ætat.*

Dicat aliquis; sed quomodo metus incutiebatur, secundum Civile Jus a tutore suæ pupillæ?

Rem explico. Intra 26. annum tutor pupillam, minorve adultam ducere prohibebatur; quia, tutori, & curatori jus est supra eos, quos
44 sub tutela, curaque habent; cumque obligetur tutor, curatorque reddere rationes; fortasse fraus timeri potuit, & ad hanc redditionem rationum vitandam compelli pupillam, adultamque ad nuptias. Ideoque, solum concedunt Leges, ut post elapsa tempora reddendæ rationis, & restitutionis in integrum; quæ post annum 25. erat annus utilis *L. fin. C. de. temp. in integr. rest.* firmatis jam temporis lapsu rationibus, Matrimonium posset celebrari.

(s) Qui olim.

Provincia Gubernator subditam non ducat.

Qui Provincias sibi commissas administrabant, quippe quod poterant nolentes cogere, jus matrimonii contrahendi, pendente potestate,
45 non habebant, L. *Præfectus*, L. *si quis officium*, L. *qui in Provincia ff. de ritu Nupt.* L. 1. C. *si Rector Prov.* L. 3. §. *videamus ff. de don. inter vir. & uxor* L. 1. C. *si quacunque præd. pot.*

[t] Sed et mina.

De metu reverentiali.

Metus quidem reverentialis erga patrem, matrem, fratresque, excludit consensum, L. 2. §. *quæ oneranda ff. quarum rerum actio.* At recepta distinctio est; an cum metu conjunctæ sint mi-
46 næ; quo casu solum metus reverentialis cadens censetur in virum constantem. L. *si Patre 22. ff. de ritu Nupt.*

Alioquin si solus reverentialis metus irritaret matrimonium, etiam quando pater contrahit sponsalia pro filio tacente, & præsente, non valerent; quia taciti, & expressi idem esse debet judicium, L. *cum quid ff. de reb. cred.* & tamen valent *cap. un. §. porro de desp. impub. in 6.* Ventriglia *Tom. 1. annot. 4. §. 1. n. 31. & 32.*

Quod verò dictum est de matrimonio carnali; idem omninò asserendum de spirituali. Puellæ enim, quæ ob reverentiam parentum non audent contradicere parentibus imperantibus Religionis ingressum, sæpissimè profitentur invitæ, 47
ut notat Covar. *2. Part. cap. 3. §. 6. n. 6.* Tamen ad validitatem professionis sufficit, ne minæ, precesve importunæ accesserint; & ità accipitur Textus *in can. puella 20. q. 1. in cap. cum virum de Regul.* An verò in dubio sit judi- 48
candum de nullitate professionis? videatur *Anton. de Luca ad Ventr. ubi supra n. 3.*

[u] Non.

Iudex juste cogit.

Judex stupratorem puellæ, eam ducere, non cogit injustè. Lex enim imponens obligatio- 49
nem puellam ducendi, aut dotandi ipsa per se exterret assiduè; & qui Legem neglexit ipse, sibi hunc metum incussit. Ergò Judex Legis executor non terret injustè, dum cogit stupratorem ad officium suum. Hic ergò metus non tollit voluntatem; cum stuprator ex quo voluit crimen, id, quod consequitur crimen, voluisse videatur. Quod si pater renuat puellam dare, dotari a stupratore debet, ex celebri *cap. 1. de ad. & can. 66. Apost.* ibi: *sed eam detinetor, quam sollicitavit, quamvis paupercula sit.*

Quod si cum stupro contigerit raptus? Stu- 50
prator utrumque præstare obligatur, & ducere, & dotare raptam, Concil. *Trid. sess. 24. cap. 6. de Refor. Matr.*

(x) Filiosque.

De ratificatione Matrimonii.

Quid si mulier permanserit diù cum viro, cui se per metum junxit?

Pyrrus Corradus *in Tomo 1. Praxis dispensat.* 51
L. 7. *cap. 7. n. 42.* adducit declarationem in nostro contextu indicatam, & videatur *Ludovisius decis. 195. per tot.*

Cæterum Sanchez L. 4. *disp. 18.* Matrimonium copula ratificari; probat etiam ad mentem Concilii Tridentini; quando Parochus inscius extitit metus; similiter & Textus huc conferunt in *cap. 2. de eo qui duxit, in cap. consult. de spons. cap. ex literis de despons. impub. cap. ad id de spons. cap. 4. qui Matr. accus.*

Vnde pro vera intelligentia hujus partis nostri Tituli distinguendum, censeo, an ignotum fuerit Parocho impedimentum metus; quo casu ad ratificandum matrimonium non desideratur nova solemnitas Parochi, & testium. Si verò notum id fuerit, ratificatio non proderit *Gonzales in cap. 21. de spons.* ubi contrariis respondet.

(y) Qua.

Cur

Cur Clericis Matrimonium prohibe tur?

Hæretici, quibus nil tam cordi est, quàm petulantèr Catholicam doctrinam infectari, inter alia argumenta, quibus utuntur, ad negandum, Matrimonium esse Sacramentum, contendentes esse solum Contractum; id persuadere student ex eo: quod si Matrimonium esset Sacramentum, non pugnaret cum Ordinis Sacramento, refert *Bellarm. ad Tit. de sacro Ord.*

Nos in nostro contextu, principii loco ponimus, non prohiberi matrimonium ministris Ecclesiæ, quià sanctum non sit; sed potius prop-
52 ter ea, quæ annexa sunt.

Age de his annexis loquamur. I. Matrimonium implicat hominem voluptatibus carnis, quæ maximè mentem avocant a studio orationis; atque, ut ait, D. Augustinus L. 14. *de Civit. Dei cap.* 16. illa voluptas hominem intrinsecus, & extrinsecus sibi vindicat. Unde animus efficitur carnalis. Itaque Apostolus 1. *ad Corinthios* 7. monet abstinere ab usu coniugii, quando orationi vacandum. Refert *Senera*, se novisse ornatum quemdam hominem, qui ne punicto quidem horæ præsentia suæ uxoris carere poterat.

II. Matrimonium implicat hominem sollicitudinibus hujus sæculi, ut nempè alter alteri placeat, ut ipsi cum familia inter suos honestè vivant, ut proles decentèr educetur, ut amplam hæreditatem filiis relinquant, eleganter *D. Basilius Lib. de vera virginitate*. Quidquid sit de Libro *Aureoli Theophrasti de Nup.* in quo contendit, non esse ducendam viro sapienti uxorem, quod studia impediat Philosophiæ. Fortiori igitur ratione, & Deo, & uxori non possumus rectè servire, *can.* 121. *q.* 1. Concludamus ergò cum Apostolo ad *Corinthios* 7. *si est ità, non expedit nubere, & est in can. omnes* 32. *q.* 7.

(z) Et primis.

An olim Clerici Latini, & Græci Nuptias contraherent.

Olim Latini, Græcique eandem temperantiæ legem servabant.

Cum enim necessitas ministrorum, & fidelium suadebat, ad gradum Clericatus promovere etiam coniugatos, matrimonio contracto
53 non utebantur. Cum verò soluti ordinabantur, post Ordines nuptiis abstinebant.

Locupletissimus testis est D. Clemens *Epist.* 2. *Colum.* 1. ibi „ ad Dominica mysteria tales eligantur, qui ante Ordinationem suas coniuges „ suas noverint (*seu non noverint, ut legitur in Concillis Severini*). Quod si post Ordinationem, „ Ministro Altaris contigerit invadere proprium „ cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec „ sacrificii portitor fiat, neque ad Altare contingat, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, neque ad Dominici Corporis portationem accedat, neque aquam Sacerdotibus porrigat ad manus, ostia forinsecus „ claudat, minora gerat officia.

Idem confirmat Concil. *Nicænum can.* 3. ibi: „ interdixit per omnia magna Nicæna Synodus, „ non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, „ non alicui omninò, qui in clero est, licere „ subintroductam habere mulierem &c.

Et Concilium Carthaginense II. *can.* 2. asserit, hanc legem ab Apostolis dimanasse, ibi: „ ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus &c.

Quod verò ob penuriam fidelium coniugati quoque ordinarentur, patet *ex can. ult.* 33. *dist. ex can.* 8. 34. *dist. ex cap.* 1. *de Testam. ex cap.* 5. *de bær. Baronius anno* 58.

(aa) Non.

Quid Græcis usitatum circa Nuptias?

Græci igitur postea cœperunt uti ea distinctione, ut, si Diaconi tempore suæ Ordinationis interrogati, an continentiam servare possent, se non posse, sincerè asseruissent, liceret 54
eis nuptias inire, aut jam contractis uti, Zonaras *in can.* 25 *Apost.* Balsamon *in can.* 5. *Apost. can. Diaconi* 28. *dist. L. eum, qui* 44. *C. Theod. de Episcop. & Cler. cap. eum olim* 8. *de Cler. coniug. Conell. Later. can.* 14. *Clem. III. in cap. quæsitum de pan. & rem.*

Quinetiam, ut magis a Latinis discederent, eò prorupe unt insaniæ, ut omnes, qui ordinabantur ad nuptias cogerent, ut conicitur ex 55
can. consulendum 18. *dist.* ibi: *Valdè reprebensibiles sint*, refert Baronius *Tom.* 1. *Ann. in fine.*

Atque hæc opprobria Græcorum consuetudo gliscere V. sæculo cœpit haud multo post Quini sextam Synodum; notat Cabassutius *ad can.* 3. *Concil. Nicani.*

Sed jam censuit Sacra Congregatio S. Officii, sub anno 1631. 37. 73. 77. Matrimonia Græcorum post Ordines Sacros esse irrita *Pignattellus ut infra.*

Metropolita Chioviæ, cum, ea esse valida, censeret, summus Pontifex mandavit, illi scribi, ut doceret, esse invalida, Pignatellus *Tomo* 8. *Consf.* 81. *n.* 33.

(bb) Paphnutii factum.

DISSERTATIO III.

De Paphnutii Historia.

Paphnutii factum a nobis est commemoratum in *L.* 1. *Tit.* 8 *in Expl. n.* 15. dum diximus, quod in Concilio Nicæno Paphnutius non frustra rem tantam, qualis est cœlibatus, dissuasit.

Jam vero nactos opportunitatem historiam hujus facti evolvere oportet, ad explicationem, & nostri Tituli, & Textus *in can. Nicæna dist.* 31. & confutationem hæreticorum, erroris ansam ex hac historia sumentium, quasi vero cœlibatum Nicæna Synodus ministrorum Ecclesiæ Paphnutii suasionibus improbarit.

Celebrabatur ergo Nicæna Synodus coram ma-

magno Constantino; cumque iã Eustachius Monachus, qui postea Sebastę factus erat Episcopus, Nuptias fieri, prohibuisset, imo, & nonnullos, qui Nuptias contraxerant, a connubio segregasset, & tam nefario in Nuptias irruisset odio, ut in ædibus coniugatorum precationes fieri vetuerit, quem tandem Gangrense Concilium in Paphlagonia, gradu Episcopali, ut hæreticum, dimovit, ut est *in Præfatione ad Episcopos Armeniæ ejusdem Concilii*, & apud Socratem *L. 2. cap. 33.* Cum hoc autem comperisset Phanutius superioris Thebaidæ Episcopus, & confessor; in medio Concilio assurgens, castas Nuptias esse dixit, & castitatem cum propria coniuge concubitum. Utque historiam, factumque Phanutii prosequamur; Placębat quibusdam Episcopis Concilii ejusdem Nicæni novam legem in Ecclesia introducere, quod non oporteat Ministros Ecclesiæ, qui sint in sacro cathalogo dormire cum uxoribus, quas adhuc laici duxerant. His ità dispositis, surgens in medio turbę Episcoporum Phanutius, magna voce clamavit, dicens: ne gravetis jugum Clericorum Sacri Ordinis: honorabile enim connubium in omnibus, & torus immaculatus, ne perfectionis excessu Ecclesiam magis lædatis, neque enim omnes ferre possunt vacuam affectibus exercitationem. Et hoc quidem dixit Phanutius, cum esset omnis coniugii expers, propterea quod in Monasteriis a pueritia fuerat educatus. Quam historiam his penè verbis narrat Alphonsus Pisanus *L. 3. de Actis ejusdem Concil. Nic. ad finem*, quæ ìtidem ferme verbis in Codice vetusto bibliothecæ Vaticanæ continentur.

Duæ sunt difficultates circa hanc historiam.

I. An apocrypha sit?

II. An ex ea quidquam argui possit, contra cælibatum?

Quod attinet ad primum articulum; Equidē Cabassutius *ad Can. 3. Concilii Nicæni*, fictam historiam esse, contendit, & Cabassutio Turrianus præluxit, L. *de sexta, & septima Synod.* aliiq.

Verùm quod ajunt satis suspectam hanc historiam reddi, propterea quod fieri non possit, ut Episcopi Concilii Nicæni, in hoc adhæserint Phanutio suadenti, ne quis Sacerdos cælibatum servaret, contra *can. 3. Nicænæ Synodi*, contra Divi Hieronymi testimonium, qui diù in Oriente versatus, contrarium in Græcia servari asserit, non quod Phanutius suaserat; nam ità scribit *adversus Vigilantium: Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægipti, & Sedis Apostolicæ: Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint mariti esse desistunt?*

Id non magnopere urget, quia Phanutius non consuluit Concilio, ut Sacerdotes cælibes Matrimonium inirent: ut impiè ex eadem historia collegit Calvinus; hoc enim in nulla Ecclesia fuit unquam receptum; sed id tantum, ut Græci omnes, & Orientales mariti ad Sacerdotium promoti, ab uxoribus antea ductis, tali precepto non abstraherentur.

Alio ex capite non esse confictam historiam, vel fabellam, ex eo liquet, quod a Socrate enarratur L. 1. *cap.* 18. a Sozomeno L. 1. *cap.* 22. a Cassiodoro *in Epistola tripartita L. 2. cap.* 14. a Nicephoro L. 8. *cap.* 19. Quinimò cum Gregorius magnus Sozomeni fidem, auctoritatemque elevasset, quod a Theodori partibus stetisset, retulisset profectò quæ errore tanto, de Phanutio impudenter confixerat.

Quid igitur dicendum? Me quidem, ut Cabassutio adhæream, cogit Epiphanius *hæresi 59.* ibi: *Quin eum insuper, qui adhuc in Matrimonio degit, ac liberis procreandis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Subdiaconi Ordinem admittit. Sed cum dumtaxat ab uxoris consuetudine se se continuerit, aut ea sit orbatus, &c.*

Cęterum, si historia Phanutii defendi velit, non video, cur dici non possit, Concilium audisse quidem Phanutium, *nihil tamen ex hac parte sanxisse*, ut loquitur de hac historia Textus *in can. Nicæna 31. dist.* Unde probabile est conniventia Prælatorum eam permissionem contigisse, de qua loquitur Textus *in cap. qualitum de Panit. & Rem. in cap. cum olim de Cler. coniug.* ut suspicatur Covar. *de Sponſ. p. 2. cap. 6. sub n. 2.*

Dum sacris tamen vacabant, ab uxoribus abstinebant *cap. aliter 31. dist.* ut accipit eumdem Textum *in can. Nicæna* Grauanietus *in P. Concil. ad Tit. de Cler. con. n. 3.*

Quod attinet ad secundum articulum. Ex historia plenè Phanutii nihil est, quod argui possit contra cælibatum Clericorum. Ut enim diximus, ne ob heresim Eust chii tunc recenter exortam impingerent Græci in eumdem scopulum erroris, ansam ex Concilio Niceno sinistrè sumentes, ideo Phanutii suasionibus supersederunt Patres continentiæ legi in Gręcia solum, & in Oriente; nam de ejus Sacerdotibus solum nata fuerat disceptatio, cum in reliquis Occidentis Provinciis cęlibatus accuratè servaretur, & illud ad majestatem, sinceramque fidem, & præclara instituta Occidentalis Ecclesię pertinet, atque miris laudibus est efferendum, quod nunquam permiserit, imo continuò interdixerit, aut ducere uxorem, aut si ob penuriam ministrorum necessitas exegisset (ut in primitiva Ecclesia) uxoratos promoveri, uxoribus uti prohibuit.

Cæterum nunquam permissum in Oriente, ut Presbyter uxorem duceret, multo minus Episcopus; solumque toleratum, ut uxoribus anteà ductis uterentur, solis hac libertate exceptis Episcopis *Cabass. ubi supra n. 7.*

Neque tunc obstat Textus *in can. consulendum* 28. *dist.* ubi digni reprehensione dicuntur Presbyteri Gręci, qui utuntur Matrimonio.

Sed respondetur aliter, quam Bellarminus L. 1. *de Cler. cap. 59.* quem tamen semper vene-

tati soleo, ut virum eximium, & admirabilem, quod Clerici illi non erant Græci, sed Latini, & legati Pontificis Nicolai I. ut constat ex vita ejusdem Nicolai I. per Severinum *Tomo III. Concil. P. 2. sect. 2.* Meritò cum Clerici illi non essent subditi legibus Græcorum, cum tantùm more Ecclesiæ Romanæ viverent, justam ob causam erant reprehensione digni. Et hæc satis.

(cc] *Sororum instar tractabant.*

Ordinati uxores ut sorores tractabant.

Quod, si quando necessitas tulisset, Clericum fieri apud Latinos, qui jam uxorem haberet, sequestrato a die suscepti gradus mansionis cubiculo, ab uxore abstineret, eamque ut sororem tractaret, probant innumeri Canones, Concil. Illib. *can. 33 ibi: placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis; D. Clemens Epist. 2. Col. 1. can. Aliquanti 82. dist. can. quicumque 27. dist. can. Maximilianus 81. dist. Concil. Tolet. 2. can. 1. Turon. 1. can. 1. Agathense can. 9. Aurelianense 3. can. 2. Arvern. can. 11. Aurelianense 3 can. 2. Arvern. in 12. Aurelianense 4. can 17. Turonense 2. can. 20. Matiscon. 1. can. 2. Lugdunense 3. can. 1. Toletan. 3. can. 5.*

Urbicus Arvernensis Episcopus uxorem, ut sororem habuit Papianillam, & Fortunatus in Poem. ad Leontium, sic cecinit:

Cogor amore etiam Placidina pauca referre
Quæ mihi tunc coniux, est modo cara soror.

Et historiam Ursicini Episcopi, qui Presbyteram suam, ut sororem diligens, ut hostem cavebat, refert Textus *in can. Presbyter 32. dist.*

(dd] *Et.*

Sacer Ordo dirimit Matrimonium.

Sacer Ordo est impedimentum dirimens, *cap. si quis, can. erubescant 22. dist. can. penult. 27.*
58 *dist.* Errorque patens Gratiani est, qui *in can. Diaconus 27. dist. §. hac auctoritate in fine*, ita loquitur: *tanta est vis Sacramenti conjugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conju-*
59 *gium*. Cauti sitis, o studiosi Juris; hæc adnotatio falsa est. An ergò votum annexum Sacris Ordinibus non dissolvit Matrimonium? Quænam illatio hæc est? Sed ut omittam, quod ait *Covarr. de Spons. 2. Parte cap. 6. §. 3. sub n. 1.* forsitan dici possit, locutum esse Gratianum, ità, ut nil certi statueret; sed solùm, ut enunciaret protestationem illam Græcorum, de qua locuti sumus *n. 54.*

Ultra hæc impedimentum hoc dirimens confirmant Textus, in *can. un. 35. q. 1. in can. quoniam dist. 31. in cap. 1. & 2. qui Clerici, vel voventes, in cap un. de vot. in 6. in can. ut lex 27. q. 1 in can. nullus Missam, in can. præter hoc dist. 32. in can. si quis eorum ib. extravaganti antiqua de voto, Trident. sess. 24. de Matr. can. 9. cap. cum olim de Cler. coniug.*

Imo Jure Divino, & Naturali dirimitur Matrimonium, ob votum annexum Ordinibus, de quo plura diximus L. 1. *Tit. 20. n. 10. in Expl.*

Et pudet ulterius in re compertissima immorari. Sint, ut libet, hæretici Veneris patroni, dum castitatem impugnant. Hanc legem semper agnovit, servavitque Ecclesia, Hæretici, verò gaudeant sordidis voluptatibus. Nos semper, ut loquitur Syricius Pontifex *in Epistola ad Hym. Tarracon.* gaudebimus, in Ecclesia castitatem radiare. Scimus, qua petulantia VVittembergenses Luterani eudiderint scatentem improbitate collectam in laudem Andreæ Carlostadii intimi Lutheri, qui, quamvis esset Archidiaconus, publicè Matrimonium iniit; nec patitur Juris nostri vera, & casta tractatio similes nugas huc transcribere. Eas comparo turpissimæ illi Legi Vitisæ Egytæ filii Regis Hispaniæ, & Gothorum, quæ aliquando indixit Sacerdotibus, ut quot quisque vellet, aut posset alere uxores, haberet, narrat *Tarapha de Regib. Hispania in Vitisa ex Ritio*. Quid dici, vel audiri potest insanius? 60

(ee] *Irregularitate.*

Irregularis est contrahens post Nuptias.

Irregularis est, qui post Ordines Nuptias contrahit, *Extravaganti antiquæ de voto*, ibi: *ordinamus, quod nec Matrimonio soluto, in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum valeat promoveri*: consonat Textus in *cap. felicis §. nulli præterea de Car. in 6. cap. excomunicamus, §. credentes de Par. in 6. Covarruvias 2. Part. de Spons. cap. 6. §. 3. n. 2.* 61

(ff) *Abjurationis.*

De Abjuratione.

Secundum consuetudinem S. Officii Hispaniæ abjurationem esse de levi, narrat Diana *Resol. mor. P. 4. Tract. 7. Res. 2. vers. notandum etiam.* 62

At verò ità loquitur Carena, citatus in contextu: *suspecti quoque sunt de hæresi, & quidem regulariter de vehementi, Religiosi illi professi, Clericique seculares in Sacris tamen Ordinibus constituti, qui Matrimonium contrahere audent &c.*

(gg) *Ordo potest supervenire.*

DISSERTATIO IV.

De Ordine superveniente Matrimonio.

Nunc explicandum, quomodo Ordo Sacer Matrimonio possit supervenire? 63

Res omnis ad hanc distinctionem redigitur. Aut uxor consentit, virum suum ordinari; aut non consentit, vel ignorat.

Quid

Quid contingat, quid disponatur, si quid tale contigerit, audiamus.

Si uxor consentiat, virum suum ordinari, recte vir ordinatur, *cap. coniugatos de converſ.*
64 *coniug.* multò magis rectè ordinatur, si consentiat uxor, dum solum ratum est Matrimonium, *extravag. antiqua de Voto cap. fin. de tempor. Ordin. in 6. capite ſanè de converſ. con.*

Sed rursus distinguendum, aut enim promo-
65 vetur ad majores, aut ad minores Ordines. Si ad majores, jam constat ex ipsa susceptione, se vovere castitatem; at a conjugato volente etiā ad primam tonsuram ascendere, exigendum est votum continentię, *cap. fin. de temporib. Ord. in 6.* ne scilicet contingat, ante Sacrorum Ordinum susceptionem redire ad uxorem, sic glossa *in can. Episcopus verbo ſequeſtrato, diſt.* 77. nullus enim Episcopus debet conjugatum ordinare, nisi promittat is, ad Sacros Ordines ascendere, ut loquitur Bonifacius *in d. cap. fin.* Sanchez *L. 7. de Matr. diſp.* 38. *n.* 8. *& 9.*

Si uxor non consentit, vel ignorat; nemo
66 dubitat, integrum esse uxori maritum ordinatum ad consortium coniugale revocare, quod illi non poterait vir prejudicare, *extravag. antiquæ de voto*: vir quidem tenetur reddere debitum, non tamen petere potest, ne ad Græ-
67 corum delabatur consuetudinem, notat Sanchez *Lib. 7. diſp.* 38. *n.* 21. Quod si ante Matrimonium consumatum Ordines, inconsulta uxore,
68 suscepti sint, audi, quid decernat Joannes XXII. *in d. extravaganti antiqua*: ibi: *ad ingreſſum hujuſmodi ſic ordinatum, ſi Matrimonium conſumatum non fuerit per Diœceſanum inſtanter moneri præcipimus*. Nota tamen, id esse consilium,
69 sed non præceptum, ut vir Religionem ingrediatur. Hinc si vir renuat, uxori est restituendus Sanchez *L. 7. diſp.* 38. *n.* 10.

Ar audiamus, quid requiratur ex parte uxoris, si permittat virum suum ordinari.
70 I Requiritur, ut ipsa quoque castitatem voveat, *cap. ſane de converſ. coniug.* ibi: *prohibemus, ne uxoratum in Epiſcopum præſumatis ordinare, niſi uxor prius profeſſa continentiam, ſacram velamen ſibi imponat*; & hoc velum erat non velum consecrationis, sed velum continentiæ, quod proprium erat viduarum, *cap. vidua de reg. can. ult.* 20. *q.* 1. *can. viduas* 8. *cap. de viduis* 27. *q.* 1.

Et de eodem voto continentię est Textus in *can. volumus* 81. *diſt. in can. Epiſcopus diſt.* 71.

Hinc in Conciliis passim tales uxores dicuntur relictæ Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, *Concil. Aurel. I. can.* 13. *Altiſſiod. can.* 22. *Epaun. can.* 32.

Et quoniam antiquitus Ordo quidam erat, seu certa benedictio Diaconissarum; in earum quoque ordinem, si ipsæ uxores voluissent, adlegebantur, ut patet ex VI. Synodo *can.* 41.

Insuper si voluissent, poterant Monasterium ingredi. Sed hic subsistam parumper. Nam Quæstionis est, an et obligentur tales uxores ingredi monasterium?

Sit noſtra Concluſio: Sufficere, ut uxor pro- 71 mittat castitatem in sæculo.

Probatur I. Ex *cap. ſane de converſ. con.* ibi: *ſequeſtrato manſionis cubiculo*.

Probatur II. Ex *can. volumus* 81. *diſt.* ibi: *ne cum mulieribus converſentur, excepta dumtaxat matre*; indicat ergò uxores non esse in sæculo, si fieri potest, ut instar matris conversentur.

Probatur III. Quia Concilia Turonense II. *can.* 14. *& can.* 20. *& Altiſſiodorenſe can.* 21. *& Textus in can. ſi quis rapuerit* 27. *q.* 1. *& in can. Presbyter* 32. *diſt.* prohibent, in Sacris ordinatis ad relictas uxores accedere. Cur prohibent, si in monasteriis esse debuissent?

Probatur IV Ex *can Epiſcopus, & ibi gloſſa diſt.* 77. *& ex can. quid ſunt diſt.* 28.

Probatur V. Quia dum Clericus ordinatur, tenetur adhuc uxori necessaria alimenta ministrare *cap. omnino* 31. *diſt.* Quæ ratio cessat in viro Religionem profitente, cum bonorum, & liberi arbitrii proprietate careat, *cap. Religioſus de elect. in 6. cap.* 2. *cap. cum ad monaſterium de ſtatu Monachor.*

Probatur VI. Ex *cap. coniugatus* 5. *de converſ. coniug.* ubi ratio discriminis traditur inter virum Ordinibus decorandum, & coniugatum ad Religionem transeuntem circa uxores remanentes. Quod cætus Clericorum longe prę-eminerat cætui Monachorum, quem Textum varie exponit Gonzalez ad *Tit. de conu. coniug. n.* 9.

Cæterum, etsi multæ auctoritates assumptam nostrum comprobent, multis placet distinguendum, an uxor, quæ remanet in sæculo, sit juvenis, an senex; si juvenis, debet ingredi Religionem, sin autem provectæ sit ætatis, votum, putant exigi continentiæ ità Sanchez *diſp.* 39. *n.* 6. quem sequitur *Granantetus*.

Nos tamen adhæremus Gonzales qui *in cap. ſane de converſ. coniugatorum*; indistinctè, quod posuimus in conclusione, sustinet, & ex antiquis Canonistis favet opinioni nostrę *Gaeta in cap. ad limina* 30. *q.* 1. *q.* 195. *Turrecremata in can. Epiſcopus diſt.* 77.

Nec obstat Textus in *can. Epiſcopus diſt.* 77. ibi: *Religione promiſſa*: nam cum aperetur de coniuge promovendo ad Ordines; ulterius, prę-ter sequestrationem cubiculi, exigit Textus Religionis promissionem.

Respondetur, cum Turrecremata, ad illum Textum, verba illa *Religione promiſſa*, accipi 72 pro continentię promissione, quia, quemadmodum, si coniugati citra casum Ordinis, vel Religionis voverent castitatem; ad eam servandam, non esset opus ingredi Religionem; pariter, tametsi Clericus in Sacris debeat ab uxore abstinere, tamen ad servandam castitatem, ingredi Religionem non cogitur Hæc satis.

II. Requiritur licentia Episcopi ita, ut, ea non interveniente, maneat illæsum Matrimo- 73 nium,

74 nium, & possit vir revocari, *can. si vir.* & *uxor* & *cap. gaudemus de divort.* 27. *q.* 2. per quem Textum id statuit *Sanchez L.* 7. *de Matr. disp.* 40. *n.* 7.

Tandem pro coronide hujus dissertationis sciendum est, quod tales uxores etiam defunctis maritis ad secundas Nuptias transire non poterant, Concilium Aurelianense *l. can.* 13. & Altissiodorense *can.* 12. ubi clarius, nam sic loquitur: *non licet relicta Presbyteri, nec relicta Diaconi, vel Subdiaconi post ejus mortem maritum accipere*. Earum tamen Matrimonium erat validum, *Concil. Toletanum* 1. *can.* 16. atque ità senrit Gonzalez *in d. capite sanè, in fine*. Nec propterea urgent, quę pro invaliditate Matrimonii post obitum viri copiose adducit Sanchez L. 7. *disp.* 40. *per tot.* nempe Textus *in can. quid dist.* 28. *in can. si qua vidua ib. in can. tertatim dist.* 32. Sed omnes hi Textus eum habent sensum, si rectè expendantur, ut illicitum sit Matrimonium viro defuncto, non invalidum. Nec unquam votum simplex dici potest impedimentum dirimens, cum non sint nostra interpretatione inducenda impedimenta dirimentia, ut idem ipse Sanchez sibi in hac parte contrarius docet, L 7. *disp.* 50. *sub n.* 4. *pag.* 180. *vers. quarto quid inducere*.

(*bb*) *Suspicionem*.

De Polygamia Impedimento.

Venimus ad Polygamiæ impedimentum. Est
75 Polygamia pluralitas uxorum. Si quis duas uxores habeat, bigamus est; si quis tres, trigamus; quadrigamus deinceps, qui quatuor.

Jam, *si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit*, ait Tridentinum *sess.* 24. *can.* 2.

At quis est, qui in tantam eruperit insaniam, ut hoc asserverit? Lutherus fuit, & Anabaptistæ, quod & spurcissimus Maumethus in nefanda sua lege suis sectatoribus concessit.

Primus, qui inter Christianos adytum fecit ad Polygamiam, videtur fuisse Valentinianus Imperator, alioquin pius, & catholicus. Hic, ut erat captus amore Justinę cujusdam, eamque in Matrimonium ducere volebat, retenta prima conjuge Severa, ex qua Gratianum filium susceperat, ut colore aliquo tegeret intemperantiam suam, legem tulit de Polygamia permittenda.

Heribertus Clotarii filius, qui Childeberto in Franciæ Regno successit, repudiata uxore duas sorores duxit: eoque nomine excommunicatus obiit;

At absonum est, & inimicum fidei Christianæ, duas eodem tempore habere uxores. Quippe, ut est in Evangelio, *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*. Si ergo, uxore dimissa, duci & alia de Jure non potest, fortius etiam ipsa retenta, ut argumentatur Innocentius *in* *cap. gaudemus de divort.*

Nemo debet duas uxores ducere, ait Concilium Nicænum *can.* 24.

Consonant in idem innumeri Textus: *in can. an non* 24. *q.* 3. *in can. de conjugali* 27. *q.* 2. *in can. cum per bellicam* 34. *q.* 1. *in can. videtur* 35 *q.* 6. *Concil. Illib. can.* 8. ibi: *item fœmina, quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteris se copulaverunt, nec in fine accipiant communionem*. Ecce a Concilio vetustissimo plurivatus prohibetur.

Pœna igitur juxta hoc Concilium erat, ut nec in fine daretur communio. Sed et alia pœna est in *cap. accepisti de sponsa duorum*. Ut qui 76 vir sit uxoris, quæ jam virum habet, quadraginta dies in pane, & aqua, quam Carenam vocabant, cum septem sequentibus annis pœniteat.

Sed quidnam hęc *Carena*, dicat aliquis? Carena, prius *Carentena*, voce corrupta, dicebatur a quadragenario jejunio. Hoc imponebant pænitentibus *cap. accusasti de accu.* Et hæc eadem Carena impon.tur, si quis vir fiat uxoris alienæ, ut est *in d. cap accepisti*. 77

At inquies, quomodo si Polygamia tam prohibita est; olim in Scriptura permittebatur? Permittebatur ex dispensatione Divina *cap. gaudemus de divort.* & ideo prisci Patres culpæ erant immunes, quod tamquam notum supponitur Deuteronomii 20. ibi: *si habuerit homo duas uxores* - Cæterum jam in lege Evangelica, sublata est hujusmodi dispensatio a Christo Redemptore, quando *Matthæi* 19. redegit Matrimonium ad primævum statum, in quo unica uxor licebat.

[*ii*] *Cognitio*.

Poligami a quibus puniantur?

Duo ponuntur in Textu, quæ nunc explicationem efflagitant; primo, Inquisitorum judicio Polygamos plectendos esse. Secundo ad sæculares Judices talem cognitionem non pertinere. Utrumque jam explico, sequenti dissertatione.

DISSERTATIO V.

An Polygamia sit delictum mixti fori?

Cum tam immane facinus Polygamiæ ab utroque Jure puniatur, Civili, & Canonico, ut in progressu dissertationis constabit; meritò queritur, an hoc delictum sit mixti fori? Quę sane controversia fusè discutitur a Carena *in directorio p.* 2. *Tit.* 5. §. 3. a Gonzalez *in cap.* 2. *de sponsa duorum* a Campinilio *in divers. Juris Canon. Rubr.* 1. *n.* 45. aliisque plurimis. Mixti fori delictum est, quod punire potest alteruter ex Judicibus diversi fori, aut Ecclesiasticus, aut Secularis. 78

Dicendum est, Polygamię cognitionem spectare ad Judices fidei privativè, quoad quoscumque alios Judices sæculares. 79

Pro-

Probatur I. quia Polygamus videtur male sentire de Sacramento Matrimonii; quippe Matrimonium, si consideretur, ut est legis Evangelicæ Sacramentum, jure Divino cum unica femina, dum ea superstes est, consistit, ut salvetur significatio hujus Sacramenti, nimirum Matrimonii Christi cum Ecclesia, quæ est unica, ob unam fidem, & unum Baptisma, quamvis in ea multi fideles existant. Quocirca erit Polygamus diligenter interrogandus, an bene sentiat de Sacramento Matrimonii. Hoc autem non potest, nisi ad Iudicem Ecclesiasticum, spectare; neque enim de sanctitate Mysteriorum Dei disquirere spectat ad Iudicem sæcularem; quare nec de viribus juramenti cognoscit, sed tantum, an de facto juratum sit, nec de excommunicatione, sed tantum de facto excommunicationis cognoscit, ut patet ex *L. 3. C. de summa Trin. L. 7. C. de Sacros. Eccl. Authent. credentes C. de her. cap decernimus 8. de sent. excom. cap. fin. de foro concept. in 6. cap. examinata de confirm. utili*.

Probatur II. quia merè Ecclesiastica delicta sunt, quæ tangunt res Ecclesiasticas, spiritualesque, ut Simonia, *can. 1. & per tot. 1. q. 1. ut crimen hæresis, cap. ut inquisitionis §. prohibemus de hær. in 6.* Atqui tale est crimen Polygamiæ, cum tangat Matrimonium, quod Sacramentum est, *Trident. in can. 1. sess. 24.* ergo &c.

Probatur III. ex decisione Lucii III. *in cap. ad abolendam §. qui vero, de hæret.* ubi suspecti de hæresi quomodo ab Episcopo puniendi sint, præscribitur, ergò quià punitio ad Episcopum pertinet suspecti de hæresi, qualis est Polygamus.

Probatur IV. ex *can. 11. Concilii Trid. sess. 24. de reform. Matr.* ibi: *si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit*. Quid clarius?

Probatur V. ex *can. multorum 35. q. 6. ex cap. accedentibus de Eccles. Præl. cap. auditis de præscript. ex cap. 1. ut lite non cont. ex cap. literas de rest. spol. ex cap. juvenis, ex cap. Alterius ex cap. ex tenore 35. de Test. ex cap. 4. de prob. ex cap. 1. de consang.* Tam multæ auctoritates evincunt, causas Matrimoniales proprias esse Ecclesiasticæ potestatis. Quare, & Alexius Comnenus, in Novella 1. quæ extat L. 2. *Juris Græco Romani*, statuit, universa, quæ spectant ad animam, ipsaque adeò delicta, quibus ob Sacramentorum abusum anima prægravatur, tam diiudicari, quàm executioni mandari a solis Iudicibus Ecclesiasticis.

Probatur VI. nam Iudex sæcularis, si hujus capax esset cognitionis, disquirendo, an bis aliquis contraxisset, de viribus primi Matrimonii discernere deberet, adeoque saltem incidenter hanc abripere cognitionem. Arqui incidentia spiritualis ad sæcularem non spectat, *cap. tuam de ordine cognit. cap. 1. extra, qui filii sint legit.*

Quare Sousa in Aphorismis Inquisitorum *L. 1. cap. 35. n. 18.* ait; ex declaratione summorum Pontificum ad Inquisitorem Lusitaniæ hoc crimen spectare privative ad S. Officium. Et in Hispania soli Inquisitores adversus Polygamos procedunt.

Nec verò paulò fusius, hac in re moram impendissem, nisi esset Francus, qui in *decisione 36. n. 4.* aliter statuere videtur. Sed is loquitur juxta consuetudinem, vel potius abusum in Regno Neapolitano vigentem, *ut ait Carena, ubi supra n. 23.*

Nec oberit, si dicatur, puniri hoc delictum, etiam per sæculares Leges. Et quoties delictum 80 utroque Iure prohibetur, & punitur, mixti fori est. Quod verò Polygamia etiā Iure Civili puniatur, patet, quia imprimis, Iudæis, & aliis Polygamiā prohibet Textus *in L. nemo C. de Judæis Just. Novella 79. §. affinitatis inst. de Nupt. L. 2. C. de* 81 *inc. Nupt. L. 18. C. de Ad.* Imo, si quis in eodem tempore binas Nuptias contraxisse, inveniretur, notabatur infamia, *L. 1. ff. his qui not. infam. L. 3. C. de incest. Nupt. L. cum, qui C. ad L. Jul. de Ad L. mulier ff. de Jure Dot.* Ultra hæc rerum suarum jactura puniebatur, ex Athalaraci Regis edicto, apud Cassiodorum *L. 9. Epist. 18.* Carolus V. pænam mortis in Germania præfixit *const. crim. art. 121.* Et olim litera P in fronte Polygami ferro candente imprimebatur, juxta Legem Hispaniæ:

Ecclesiasticus verò Judex Polygamum punit 82 publica ignominia *can. de benedicto 32. q. 1.* & infamis dicitur in *cap. nuper, vers. qui duas de bigamis* quare ad testimonium dicendum non admittitur, & ab Ordinibus repellitur; nec deest, qui dicat, bigamum ipso jure esse excommunicatum, quamvis repugnet *text. clem. unica de consang.* En demonstratum, utroque Jure Polygamiam prohiberi, ergo utroque in foro puniri, & præventioni locus est.

Sed Resp. quod Leges sæculi cum nimis sibi arrogant, de his decernentes, quæ suæ Jurisdictionis limites egrediuntur non sunt attendendæ. Quippe multa alii inveniuntur per volumina Pandectarū, & Codicis sparsa, quæ dum decidunt, ea, quæ Jurisdictionis sunt Ecclesiasticæ, nullam vim habere censentur, quoad ea, quæ statuunt. Cum enim sint distinctæ jurisdictiones, sæcularis, & Ecclesiastica, illa curam temporalium gerere debet; hæc verò spiritualium, *can. cum ad verum, can. duo sunt 96. dist.* latiùs dicemus *L. 3. Tit. de foro compet. in Expl.*

[II] Secundas Nuptias

DISSERTATIO VI.

De secundis Nuptiis.

Secundæ Nuptiæ olim intra annum luctus celebrari non poterant impune. Nunc possunt. 83 En duo tempora distinguenda. Utrumque requirit explicationem.

Olim

Olim juxta Leges sæculi uxor vidua relicta maritum lugere per annum debebat, non de
84 aliis Nuptiis cogitare. Annus hic lunaris erat, decē mensium, ne confusio sanguinis, seu seminis daretur; nam, ut cecinit Ovidius in L. 3. Fastor.

Annus erat decimus cum Luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit,
Seu, quià tot digiti, per quos numerare solemus,
Seu quià bis quino fœmina mense parit.

Et paulò post,

Assuetos igitur numeros servavit in anno:
Hos luget spatio fœmina mœsta virum.

Ergò post decem menses cessabat hæc ratio turbationis, cum post eos filius natus prioris
85 mariti non crederetur, L. intestato 13. §. post. decem ff. de suis, & legit. L. gallus ff. de lib. & posth. L. 4. C. eod. Tit.

86 Postea Imperator Theodosius, pro decem mensibus constituit annum integrum L. 1. & 2. C. de secund. Nupt. L. 1. eod. Tit. in Theod.

Si intra hunc annum vidua, secundum Leges sæculi nupsisset, haud impune fecisset. At quæ pœna imminebat? Iam dicam: I. pœna consti-
87 tuta Legibus infamia est, L. 1. ff de his, qui not. inf. II. ex L. 1. C. de secund. Nupt. ut non succedat ab intestato suis consanguineis ultra 3. gradum. III. Ex Testamento mariti, vel alterius nihil capere posset, jure institutionis, legati, sive fideicommissi L. 1. vers. omnium C. de secund. Nupt. & ad legitimos hæredes devolluntur, ut est in eod. Textu. IV. secundo nubens amittit omnia lucra nuptialia, quæ habuit a primo marito jure sponsalium, L. si qua C. de secund. Nupt.

Verùm, cum Apostolus dicat: mulier viro
88 suo mortuo, soluta est a lege viri, & in Domino nubat cui vult ad Corinth. cap. 7. refertur in cap. super de secundis Nuptiis.

Iam Canonum decretis impunè, intra annum luctus viduæ nubere possunt, quia, cum concessa sibi ab Apostolo utantur potestate, quiescant, necesse est, Legislatorum sæculi decreta viduis odiosa.

Ratio est, quia, cum de Sacramentis, cum de rebus spiritualibus, cum de illis, in quibus peccatum vertitur, quidquam decisum est a Iure Sacro, abrogatę censentur Civiles leges, cap. fin. de præscript. cap. cum haberet de eo, qui duxit eam. Euphemium §. 1. 2. q. 3. Idque ipse approbat Iustinianus in Novella ut Clerici apud proprios §. pen.

Ergò ne dicat aliquis, cum sola auctoritas Canonum de Infamia, quæ jam sublata apparet, aliquid præcipui disponat, idem de aliis pœnis dicendum?

Disputat hunc articulum Mancinus Centuria
89 2. Gen. cap. 140, Cujacius cap. ult. de secund. Nupt. Canisius ibid. in decret. Petrus Greg. in Syntagm. L. 9. cap. 26.

Sit nostra Conslusio. Omnes pœnas constitutas a Legibus in viduam nubentem intra annum, esse sublatas.

Probatur I. quià mulier nubendo cui vult auctoritate Apostoli, ideò non incurrit pœnam infamiæ, quia per licentiam Apostoli infamia aboletur, cap. super de secund. Nupt. Cur ergo eadem licentia, non reddet viduam ab omni alia pœna immunem, cum enim suo Iure utatur, pœnæ obnoxia non est, L. Gracchus C. ad L. Jul. de Ad.

Probatur II. quià cum prohibitio cessaverit auctoritate Apostoli nubendi intra annum; cessent et ea, quæ sequebantur prohibitionem, necesse est, cap. accessorium de reg. Iur. in 6. L. cum principalis ff. sod.

Probatur III. quia ex Textibus adductis deducitur, auctoritate D. Pauli, & Sacrorum Canonum auctoritate consultū esse libertati Matrimonii, atque ipsius viduæ honestati ad sedandas carnis illecebras, vitandamq; incontinentiā. Via enim aperiretur, si mulieres cōtinere non valētes, metu jacturæ lucri, aliarumque pœnarum abstinerent a secundis Nuptiis, tacitis, & secretis criminibus in Divinam Majestatem. Quod si metu pœnæ iniquum est avocare a Matrimonio, cap. gemma de sponsal. cur, & adhuc dubitamus, an reliquæ pęnę ultra infamiam abrogatæ censendæ sint?

Probatur IV. ex L. 2. C. de indic. vid. tollenda, ubi sublata Lege Miscella (quæ statuebat, ut, quando vir prohibuisset, uxorem ad secundas Nuptias venire, & nisi veniret, aliquid reliquisset: nihilominus secundò nubendo, uxor jurans, se filiorum causa secundò nubere, ut Legis Misc. l'x. relictū a marito accipere posset) tradit rationem Justinianus *Cum enim ad hoc Natura mulieres procreaverit, ut partus ederent* (& infra), *Lex Julia Miscella sedat* (& infra). *Augeri etenim magis nostrum Rempubl. & multis hominibus legitimè progenitis frequentari, quam impiis periuriis affici, volumus.*

Ex quibus, quid inferendum sit, apertè constat; nam si lex Julia sublata est, ne daretur occasio perjurii, quod facile mulieres ad secundas Nuptias alliciebantur, utque sobole Civitas repleretur, eadem ratio suadet pœnis tam multis impedientibus Matrimonium locum non esse.

Et hæc communis sententia est, tametsi in Italia, quoad alias penas, ultra infamiam, contrarium observari doceat Odofred. in L. 1. C. de secund. Nup. & multa ea de re congerit Sabellus verbo mulier in summa Tract.

Objicitur tamen I. cum Mancino Centuria 2. 90
cap. 140. p. 8. & 9. quod pœna infamiæ solùm correcta censetur, eo quod infamia timorem ingerit; Jactura rei metum non incutit; quod ex secundis Nuptiis tantum utilitatis potest in uxorem promanare, ut hic vere metus non sit circa rei jacturam.

Sed respondetur paucis; satis esse hac de re consulere Sacros Canones. An, & metus rei amittendæ metus non est? Videatur Textus in cap. gemma de Sponsal. Imo pœna adiici non potest Sponsalibus, ne quisquam, metu rei titulo

tulo penæ persoluendę, si non contrahat Matrimonium, ad illud contrahendum adigatur.

91 Obiicitur II. Textus in *can. infames* 2. 3. *q.* 7. ibi in fine: & *mulier* (incidit in infamiam) *qua intra tempus, quo moris est lugere maritum, contrahit Matrimonium.* En Textum Canonicum, qui non negat, pœnam infamiæ incurri a secundò nubente uxore.

Respondetur, quidquid in opposito Canone profertur, id esse ex Codice, & Pandectis deductum. Porrò Leges insertæ in decreto non habent vim Iuris Canonici, nisi a Pontifice aliquo, aut Concilio approbentur.

92 Obiicitur III. Textus in *Authentica cui relictum*, *C. de indicta vid. tollenda*, ubi: legatum ita relictum, ne qua secundò nubat a nubente intra annum non obtinetur. Hęc authentica, quamvis Lex Civilis impugnat assumptũ; nam idem disponit etiam de marito secundò nubente, et tamen maritus lugere uxorem non debet, *L. uxores ff. de his, qui notantur infam.* Ergò, etsi pœnæ alię statutæ a Legibus in uxorem potius nubentem, quàm lugentem abrogatę sunt, hæc tamen abrogata fuisse minimè videtur, quæ est *in d. Auth.* Unde adhuc viget pœna aliqua Civilis in secundò nubentem.

Resp. videri quidem prima specie, conditionem non nubendi intra annum luctus abstrahentem a Matrimonio; re vera tamen finis adiicientis conditionem præcipuus hic fuit; ut consuleret testator memoriæ suæ. Quam memoriam defuncti videtur negligere secundò nubens, *Novella* 22. *de Nupt.* §. *si autem.*

Quare non consideratur, ut conditio in odium Nuptiarum adiecta, ac proinde non est hęc pœna sublata, ita Canisius *ad Tit. de secund. Nupt. cap. pen.* & *ult. n.* 6.

Obiicitur IV. Textus *in authentica de vestit.* & *ea, qua par.* §. *fin.*, ubi; mulier intra annum luctus nubens amittit ante nuptialem donationem. Et quidni amittat etiam secundum

93 Canones, cum ingratam se uxor donatori exhibeat, virum tam celeriter dehonestans? An non & de Iure Canonico, donatio revocatur ob vitium infestissimum ingrati? *cap. propter* o. *de Don. cap. de famulis, cap. nullus, cap. eò libentius de ser. non ord. cap. ult. de post. cap. gravem de excess. Pral. can. quicumque* 54. *dist. can. Episcopus* 15. *q.* 7. *can. liberi, can. octava* 12. *q.* 2.

Sed respondetur, hanc pœnam esse pariter correctam, cum similiter tollat Matrimonii libertatem, & in id specialiter tendat; casus verò in tam multis Canonibus adducti circa revocationem donationis, non attinent ad libertatem Matrimonii ullatenus impediendam; Iuxò non possunt ad sensum nostrę sententiæ detorqueri; nec jure aliquo probitur, eam tacitè conditionem inesse tali donationi absolutè factæ, *ut habeat eam, si non transeat ad secunda vota*; Quasi verò vir id tradat, ut memoriam sui jugiter uxor conservet.

Obiicitur V. mulier secundò nubens non gaudet privilegiis honoris, & dignitatis prioris mariti, L. *mulieres C. de dignit.* L. 10 *Authent.* 94 *de Nupt. coll.* 4. §. *non tamen.* ergò nostra assertio defendi non potest.

Resp. id non propriè pœnam dici posse, sed ex actus natura consurgere, eò quod per secundas Nuptias cesset omninò ratio hujus concessionis. Nam vidua, dum in eo statu permanet, censetur sub præcedenti Matrimonio esse, L. *amitæ C. de bon. Mat. L. fæmina ff. de senat. L. filii ff. ad mun.*

(*mm*) *Benedicenda.*

Cur secunda Nuptiæ non benedicantur.

Sed curnam secundæ Nuptiæ benedicendæ non sunt? 95

Id primò pro certo credas, ob decisiones nostri Juris perspicuas, ob textum *in cap.* 1. *de secun. Nupt. in can. fin.* 23. *dist. in cap. vir autem de secun. Nupt.* Nuptias secundas non esse benedicendas.

Et ratio est, quia in his deficit plena significatio Sacramenti. Ut unus Christus unicæ 96 sponsæ suæ per charitatem junctus est, ità unus vir uni uxori, ut concors sit significans, & significatum, & invicem respondeant. Quam rationem innuit S. Ambrosius *Tomo* 4. *super cap.* 3. *prior. Epist. ad Timoth.* ibi: *homini unam uxorem decrevit Deus, eum qua benedicatur: nemo enim eum secunda benedicitur.*

Omitto notissimum ritum Nuptias benedicendi, 97 Parochus enim Missam, quæ propria est pro Matrimonii celebratione in Missali Romano, celebrat, & post: *ite missa est*, ante quam populo benedicat, conversus ad Sponsum, & Sponsam dicit: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob sit vobiscum, & ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: ut videatis filios filiorum vestrorum, usque ad* 3. *generationem, & postea adiuvante D. N. Jesu Christo, qui cum Patre &c.* Mox aspergit Sponsos aqua benedicta: ut est *in Rituali Romano de Sacramento Matr. pag.* 234. Hoc est quod ait Evaristus, in *can. aliter* 30. *q.* 5. *eum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicitur.*

Olim quoque in benedictione velabatur Sponsa *can.* 3. 30. *q.* 3. & ratio traditur *in can.* 7. 30. *q.* 5.

Addo quod in primis Nuptiis annulus datur, *can. fæmina* 30. *q.* 5.

Et videtur quidem præceptum recipiendæ Nuptialis benedictionis, *cap. nostrates* 38. *q.* 6. 98 *can. Sponsus ib.*

Sed, si Parochus ausus sit secundas Nuptias benedicere, suspensionem incurret, *cap.* 1. *de* 99 *secund. Nupt.* ibi: *ab officio, beneficioque suspensum.* Quamquam hęc suspensio non sit latæ sententiæ. Imò etsi ille Textus, suspensionis absolutionem reservet Sedi Apostolicę; hæc reservatio sublata est per *extravag. eoneertationis Joan.* 22. *quam refert Sanchez* L. 7. *disp.* 76. *n.* 28.

Eadem

Eadem hæc Extravagans videtur decidere dubium gravissimum: an, quando vir non aliàs
100 Matrimonium contraxit, & ducit viduam, Nuptiæ sint benedicendæ? Audi verba Textus: *Concertationi antiquæ finem imponere cupientes præsenti declaramus edicto, quod licet vir, vel mu-*
101 *lier ad secundas Nuptias transiens benedici non debeat, cum alias sit benedictus; contrahens tamen secum benedici debebit; quia, si forsitan alter eorum, vel ambo ad secundas Nuptias transeuntes imprimis benedicti non fuerint, danda erit benedictio in secundis.*

Ergo hic Textus decidit, esse eum benedicendum, qui jam non fuerit benedictus, de quo Interpretes judicium suum ferunt, existimantes, dispositionem Ioannis XXII. procedere, in India, & in Diœcesi Hispalensi, *Sanchez L. 7. disp. 86. n. 23.* Cæterum benedictioni locus non est, sive mulier, sive etiam vir ad secundas Nuptias transeat, secundum Ius commune, & praxim, de qua constat in *Rituali supra citato.*

Tandem quod benedictiones secundis Nuptiis denegantur, cavendum ab erroribus eorum, qui propter denegatas benedictiones, prava, & execrabili illatione arguebant, secundas Nup-
102 tias esse impias, & illicitas. Inter quos Tertullianus *Lib. exhort. ad castitatem, & Libro de Monog.* qui eas, ut stuprum, detestatur, & Montanos, & Cathaphrygæ, & Novatiani, ut constat ex *Concil. Nicæno can. 8.*

Veritas enim catholica firmiter credenda, secundas Nuptias esse licitas.

Quæ etiam illustratur *ex can. aperiant, ex can. Deus masculum, ex can. quod si dormierit 31. q. 1. ex cap. 7. ad Rom. & 1. Corinth. 7 ex Concil. Nicæno can. 88.* ubi petit a Novatianis redeuntibus ad Ecclesiam, ut fateantur, se communicaturos cum his, qui ad secundas Nuptias transierint, *ex can. aperiant 31. q. 1. ex Trid. sess. 24. can. 1.*

Nec obstat Textus *in can. de his 31. q. 1.* ubi ineuntibus secundum Matrimonium imponitur
103 pœnitentia, ergò, quia est illicitum.

Quippè, ut huic difficultati gravissimæ satisfiat, dicendum: non posse negari, quin intemperantiæ signum præbeant secundò nubentes. Hinc et bigami ordinari non possunt *cap. nuper de bigam.* Hoc quidquid est intemperantiæ, publicè apparentis, æquum videbatur purgari pœnitentia, anni videlicet in secundo nubente, triennii in tertiò nubente. At non sequitur, Nuptias illicitas fuisse. Sic, & quæcumque speciem etiam exiguam scandali præbuissent, quamquam licita, veteres Canones purgari injungebant pœnitentia; exemplum elegans in *cap. si quis de furtis.*

(*nn*) Ex.

De Publicæ honestatis impedimento.

Publicæ honestatis impedimentum neque ex affinitate, neque ex consanguinitate procedit, sed ex quadam, quæ in Matrimonio considera- 104
tur, honestate inductum est, & ideò dicitur publicæ honestatis justitiæ, quia in Matrimoniis non solum, quod licet, sed quod honestum est, consideratur. *L. semper ff. de ritu Nuptiarum.*

Jam ultra alia in nostro Titulo tradita, illud diximus; ortum hoc impedimentum ex Matrimonio rato, & extendi ad 4. usque gradum, ex Bulla Pii V. Quænam hæc Bulla? Et quænam ejus verba? En oculis ea obiicio, ut sunt apud Corradum *L. 8. cap. 7. in praxi dispens.* Nam in §. *ideirco*, ita Pius loquitur: *Idcirco, motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & diffinimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio sic (ut præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum, in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri, ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere, mandamus, atque statuimus.*

Ergò, cum ante Concilium Tridentinum impedimentum publicæ honestatis, extenderetur ad eosdem gradus, ad quos consanguinitas, seu affinitas prohibebatur, non quidèm ex speciali ulla constitutione, sed quià, cum id de consanguinitate, & affinitate decisum inveniretur, *in cap. non debet de cons. & aff.* ex paritate rationis idem, consuetudine recepta, obtinebat in impedimento publicæ honestatis *Gonzalez in cap. 4. de Spons. n. 6.* Manifestè Pius V. decernit, vigere nunc ad quartum usque gradum in Matrimonio rato impedimentum publicæ honestatis justitiæ.

(*oo*) *Ut censuit Sacra Congregatio.*

Verba, quæ Gallemart transcribit *in collect. declarat. ad sess. 24 cap. 3.* hæc sunt: *Præsupposita declaratione per constitutionem Pii V. super hoc decreto constituit Congregatio, oriri impedimentum justitia publicæ honestatis ex Sponsalibus, per verba de præsenti etiam nulliter contractis omissa forma decreti Concilii Trid. cap. 1. hujus sess.* 106

Ergò juxta hanc declarationem exurgit publica honestas etiam ex Matrimonio rato, quod clandestinum fuerit.

(*pp*) *Censuit Sacra Congregatio.*

En verba declarationis Eminentiss. Cardina- 107
lium *Sacra C. C. ita censuit.* „ Ex Matrimo-
„ nio contracto, per verba de præsenti, non
„ tamen consumato, non provenisse impedi-
„ mentum affinitatis, sed tantum publicæ ho-
„ nestatis justitiæ: et propterea, non compre- 108
„ hendi decreto dicti Concilii, ubi impedi-
„ mentum, ex hujusmodi Sponsalibus de fu-
„ turo proveniens, non excedit primum gradū.

Qua-

Quare monet Corradus, cum Fagnanus, Congregationis Concili Secretarius, vidisset, circumferri contrariam quamdam declarationem, eum negasse, a Sacra Congregatione unquam emanatam.

(qq) Et.

De Dataria.

Quod sit Dataria, ut percipiatur, sciendum, non aliter, quam per supplicationem
109 impetrari dispensationes, & quasuis alias gratias Apostolicas, quæ transeunt per Datariam; alias tamquam suspectæ de facultate reiiciendæ essent, *Abbas in cap. ex parte 2. de Off. del.* huc confertur *Textus in L. labeo ff. de stat. lib.* Conficitur supplicato latino idiomate, cum hæc lingua propria sit Romanorum, linguaaurem naturalis attendi debet, *L. si quis postbumos, ff. de lib. & postb*

Verumtamen innumeræ gratiæ conceduntur non per viam supplicationis in forma signandi, sed per supplices libellos, quę vulgo *memoralia* dicuntur; Et hæ conceduntur per præfecturam Brevium sub annulo Piscatoris, ad quam S. Pontifex omnia hujusmodi *memorialia* remittit, ut a secretis S. suæ illa referat.

Cum igitur supplicationes in Dataria expediuntur, quęlibet supplicatio fit a viris, qui apprimè illam efformare noverint; ac deinceps porrigitur R. P. D. Datario, & consideratione seriò adhibita, legitur ab Officialibus eum in finem deputatis, a quibus in calce supplicationis apponitur summarium totius supplicationis. Hoc legitur, referturque per Datarium S. Pontifici, qui signat supplicationem, ipsaque signata, iterum seriò legitur ab Officialibus præpositis super compositionibus, & ibi solvitur compositio, si tale quiddam negotium exigat, qua soluta; ipsa supplicatio revertitur ad eundem D. Datarium, ut in ea apponat datam, ac postea traditur Officiali *demissis* nuncupato, qui ab ea tollit parvam datam, & summarium, & supplicatio mittitur ad registrum (ut loquuntur) & postquam ibi est registrata, & auscultata a Magistris ipsius registri, mittitur ad Cancellariam, ubi postea literæ Apostolicę expediuntur.

Datarii Officium olim erat supplicationes *datare* (utar enim ad hanc praxim explicandam, verbis non admodum latinis, sed, ut intelligatur, cogimur ita loqui) & olim huic muneri erat addictus unus ex Prothonotariis Primicerus nuncupatus, ut patet ex Bullis Martini II. in quibus dicitur: *data per manus Stephani Primicerii defensoris S. Sedis Apostolicæ anno Pontificatus D. Martini II.* & in Bullis Stephani II. sic dicitur: *data per manus Stephani Primicerii anno II. D. Stephani*. Postea facultas datandi concessa fuit Bibliothecario Sedis Apostolicæ, *Sarnen. in Proem. Reg. Tit. de orig. & Off. Prothon. n. 6.*

Hodiè Datarius amplissima facultate fruitur, ità ut per singula momenta Pontifici assistat, ac per suas manus omnia gratiam concernentia pertransseant. Et ad ea concedenda moveri solet Pontifex juxta Datarii intentionem, quiquemultoties Pontifici ore tenus multa addit, quæ in supplicationibus non reperiuntur expressa; latè alia de Datario profert Corradus in Praxi *Benef. L. 3. cap. 8.*

Hæc omnia præmisisse inutile non fuerit, ut intelligatur, quod in Titulo nostro positum est.

Quod nempe Dataria in concedenda dispensatione hujus impedimenti, vocat impedimentum affinitatis, quoties publica honestas oritur 110
ex Matrimonio rato. Id verò luculenter testatur Corradus in praxi dispens. *L. 7. cap. 7. n. 20.* Finis autèm est, ut retrahantur magis Oratores a petitione similium dispensationum; cum perindè sit, ac impedimentum primi, vel secundi, vel alterius gradus affinitatis, quoad dispensationes super eo impetrandas.

[rr] Causa.

Quandonam in Impedimento publicæ honestatis dispensetur.

Dispensationes impedimenti publicæ honestatis tunc conceduntur, quando allegantur causæ, quę etiam ad obtinendam dispensationem 111
in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis sufficere, creduntur.

Exemplum huius dispensationis, proponit Covarruvias 4. *Decr. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 7.*
Nempe fuit dispensatum cum Catharina Austriaca, & Henrico VIII. post mortem Arturi eiusdem Henrici Regis Anglię fratris, cum quo illa prius Matrimonium contraxerat; nam cum ille, ob morbum, illud minime consumasset, fuit in dicto impedimento dispensatum, & Matrimonium postea cum ejus fratre germano contractum. 112

Ex declaratione Sacræ Congregationis fuit concessa dispensatio pro Matrimonio, mulieris 113
cum fratre mariti defuncti, quod Matrimonium ratum, & non consumatum fuisset, & quod mulier post mortem viri cognita fuit ab hujusmodi fratre, cum periculo necis, & infamiæ, pregnans reddita, refert Corradus in praxi dispens. *L. 7. cap. 7. n. 24. pag. 369.*





DE AFFINITATE.

TITULUS XV.



Ihil intractatum est relinquendum. Age iam de affinitate sit sermo. Hæc quoque est impedimentum [*a*] dirimens.

Affines sunt viri, & uxoris cognati inter se, qui affines propterea vocantur, quod duæ cognationes, quæ sunt inter se diversæ, per Nuptias copulantur, & altera cognatio ad alterius cognationis finem accedit, & limitem. Causa ergò coniungendæ affinitatis Nuptiæ [*b*) sunt. Ideòque vir, & uxor affines (*c*) non sunt: eo quòd illi juncti sunt, & quod junctum, & confusum est, fines, aut terminos non habet. Sed qui proxime illos sequuntur, quasi ad eorum fines, affines sunt.

Sed, licèt causam affinitatis Nuptias dixerim, quandoque tamèn extra Nuptias affinitas oritur, per coniunctionem (*c*] nempe illicitam. Copula igitùr necessaria est, nec interest, an licita, vel illicita sit.

Illud est, inter affinitatem ex Nuptiis exurgentem, & affinitatem promanantem ex improbato congressu, discrimen; quod affinitas orta ex copula licita dirimit quodlibet aliud Matrimonium usque ad quartum (*d*] inclusivè gradum. Orta verò ex illicita copula dirimit ad secundum inclusivè [*e*] gradum, Trid. Seff. 24. cap. 4. Bulla (*f*)Pii V. *ad Romanum*.

Dicat aliquis, an ergò affinitatis quoque gradus reperiuntur? At, cur Modestinus in *l.* 4. §. *gradus ff. de gradibus*, nullos, ait, esse affinitatis gradus? Jam dicam. Ideo nulli videntur gradus affinitatis, quià quo gradu consanguinitatis quivis ex familia viri spectat ad virum, eodem gradu affinis evadit uxori, & vicissim quo gradu consanguinitatis quivis ex familia uxoris attinet ad uxorem, eodem gradu, affinis evadit viro. Cæterum affinitas, & ipsa tres ordines habet, quemadmodum cognatio, ascendentium, descendentium, collateralium. Ascendentium [*g*) affinium nomina sunt socer, socrus, vitricus, noverca, socer magnus; Aliorum superiorum affinium nomina eadem ferè, quæ consanguineorum, vel sola particulæ hujus *pro* adiectione distinguuntur, ut prosocer, prosocrus *etc.* Descendentium (*h*) affinium nomina sunt gener, nurus, privignus, vel privigna, & ulteriores, quibus præpositio *pro* solet accedere, ut progener - Collaterales (*i*] affines sunt fratria, levir, glos, janitrices, seu inatire, seu synnymphæ, ælii; aliis specialibus nominibus caremus. Sed non modo tres ordines habet affinitas; sed & tria sunt [*k*] affini-

tatis

tatis genera: Et quam rationem habet primum genus affinitatis ad consanguinitatem, eamdem habet secundum affinitatis genus ad primum, & tertium ad secundum; exemplo res elucidabitur. Illa persona, cum qua consanguineus meus carnis copula coniungitur, mihi in primo genere affinitatis est; in eo autèm gradu est affinitatis, in quo gradu consanguinitatis mihi est ille, ex cujus persona affinitatem acquisivi. Quo consanguineo mortuo, si ea mulier alteri nubat, vel cum alio, per carnis coniunctionem immisceatur, is secundus ejus mulieris maritus, vel qui eam absque Nuptiis cognoverit, mihi in secundo genere affinitatis hoc facto ascitus erit. Qua muliere defuncta, si vir vel amicus ejus, quem dixi modò, affinitatis genere secundo mihi esse coniunctum, superstes sit, alteramque vel ducat uxorem, vel sine Matrimonio etiàm per carnis copulam cognoscat, ea mulier mihi ex tertio affinium genere juncta erit, quod exemplum est Cucchi *L. 3. Tit. 14. Inst. Can. §. sed ne.* Ergò primum genus affinitatis contrahitur per unam personam; secundum per duas; tertium per tres. Coniux mei consanguinei dicitur persona addita. Porrò id pro regula tenendum, quòd persona alteri addita genus mutat, non gradum. Genus mutat, quià additur vinculum affinitatis; gradum non mutat, quià coniugi mei consanguinei, sum affinis, quo gradu ratione consanguinitatis specto ad consanguineum, cui accessit persona. Insuper & illud observandum, quòd hæc prima persona addita genus mutat vinculi; huic personæ additæ si aliæ accedant, ipsæ mutant genus affinitatis.

Ecce quot olim genera essent affinitatis. Et hęc quidèm omnia Matrimonium dirimebant. Sed cum hæc multiplex prohibitio difficultatem frequenter induceret, & aliquando periculum pareret animarum; Concilium Lateranense in *cap. non debet de consf. & aff.* secundum (*l*), & tertium genus sustulit affinitatis.

Durat affinitas de Jure Civili, quousque Matrimonium sublatum non sit *§. affinitatis, & §. seq. Inst. de Nupt.* quare Cicero *pro Pub. Sextio: ademit Albino soceri nomen mors filia, charitatem illius necessitudinis, & benevolentiam non ademit.* Sed Jure nostro etiam post solutum (*m*) Matrimonium affinitas manet, *can. fraternitatis 25. q. 10.*

SUMMARIUM.

1 *Affinitas est impedimentum dirimens.*
2 *Ratio traditur.*
3 *Affinitas non est solum inventum Juris Sacri.*
4 *Id probatur multis rationibus.*
5 *Ex copula illicita affinitas orta Juris Naturalis omninò non est.*
6 *Jure Civili an justus sit inter vitricum, & privignam concubinatus.*
7 *Explicatur Textus in* L. cum tabulis ff. de his, qui ut ind. 7.
8 *Cur, si affinitas Juris naturalis est, Pontifex in ea dispensare queat?*
9 *Elegans regula ad cognoscendum, quandonam in impedimentis Juris Naturalis Pontifex dispensare possit.*
10 *Alia solutio.*
11 *Duplex Jus Naturæ; Ius Naturæ primævum*

 stri-

irritans, & Ius Naturæ secundarium.

22 *Proponitur Conclusio, quod in nullo gradu affinitatis Matrimonium Iure Naturæ sit irritum.*
23 *Quinam sint in primo gradu.*
24 *Proposita Conclusio luculentissime probatur.*
25 *Adducuntur Pontificis dispensationes.*
26 *Adducuntur varia historia.*
27 *Explicantur varii Canones.*
28 *Explicatur Textus Iuris Civilis.*
20 *Cur D. Ioannes reprehenderet Herodem.*
20 *Herodis Genealogia.*
21 *Nuptiç sunt causa affinitatis.*
22 *An ex Sponsalibus oriatur affinitas.*
23 *Vir, & uxor affines non sunt.*
24 *Explicantur in hoc articulo varii Textus.*
25 *Ex illicita conjunctione oritur affinitas.*
26 *Refellitur Corrasius, & explicantur variæ Leges.*
27 *Affinitas dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum.*
28 *Olim usque ad septimum.*
29 *Affinitas ex copula illicita nunc dirimit usque ad secundum gradum.*
30 *Olim usque ad tertium gradum.*
31 *Concilium Tridentinum hac super re variis declarationibus elucidatur.*
32 *Adducuntur verba Bullæ Pii V.*
33 *Nomina affinium ascendentium.*
34 *Nomina affinium descendentium.*
35 *Nomina affinium collateralium.*
36 *Quam per abusum affines cognati dicantur, ex Canone ostenditur.*
37 *Quidam affines de Iure Civili parentum, & filiorum loco sunt.*
38 *Triplex affinitatis genus.*
39 *Hæc tria genera non sunt a Iure Civili recepta.*
40 *Explicantur duæ Leges.*
41 *Secundum, & tertium genus affinitatis Iure novo sublatum.*
42 *Interpetratur Textus difficilis.*
43 *De Iure Canonico durat affinitas post mortem.*
44 *Explicatur Textus Iuris Canonici.*
45 *Lancellottus de affinitate Titulum distinctum non habet.*

EXPLICATIONES.

[a] *Impedimentum.*

De affinitatis impedimento.

EXpediti Juris est, ex affinitate proficisci
impedimentum dirimens Matrimonium,
1 *cap. ex literis de consang. & aff. can. si qua*
mulier 35. *q.* 1. *can. nullum* 35. *q.* 2. *can. & hoc*
quoq. 35. *q.* 3. *Trid. sess.* 24. *de Reform. Matr. can.* 3.
- Ratio est, quia vir, & uxor una caro sunt, ac
propterea consanguinei uxoris pertinere ad eam
2 non possunt, quin & ad virum pertineant, *can.*
t. 35. *q.* 10. Hinc est, quod in *can.* 13. 35.
q. 3. exequantur uxoris consanguinei, consanguineis
viri; sicut ergò inter consanguineos Matrimonium
prohibetur, ità inter affines prohiberi,
æquum est. Sed, an hæc prohibitio sit solum
Juris Ecclesiastici, quæstionis est; id duobus
Dissertationibus explicandum est; in prima
agimus de affinitate in genere; in secunda de impedimento ipso.

DISSERTATIO I.

An affinitas sit etiam Iuris Naturalis.

Status quæstionis est, an affinitas sit Iuris Naturalis,
vel potius solius Juris Ecclesiastici?
3 *Sit nostra Conclusio.* Affinitas non est merum
Ecclesiasticorum Canonum inventum, sed quid
naturale est, instar consanguinitatis.
Probatur I. quia quod Naturale est ipsos pertingit
infideles, omnesque gentes *L. hi tamen* §.
4 *in omnibus ff. de accus.* Atqui ex connubio inter
non baptizatos inito, oritur affinitas, ut probat
Textus valdè notabilis, *in cap. fin. de divort.* ibi: decernitur, infideles non posse eas in uxorem ducere, quæ antea fratrum suorum uxores extitissent. Ecce, quod ibi agitur de affinitate; cur, obsecro, duci uxor fratris a fratre superstite non potest, nisi ratione affinitatis? Attingit ergò affinitas ipsos infideles; ac propterea solum Ecclesiastici Juris inventum non est.

Hinc talem conjunctionem Gentiles ipsi incestum duxerunt. Celebre est, quod refert Herodot. *L.* 9. Xerses post fugam è Græcia, dedit filio suo Dario in uxorem Artayntam Masistis fratris sui filiam, ut potiretur uxore Masistis, quam deperibat, ut factum est; atque hic incestus causa fuit, ut Amestris, accitis carnificibus, uxorem Masistæ excarnificarit, mammillas præciderit, nares, aures labra, linguam. Insuper, & id comprobat, Gentiles ab his Nuptiis, propter affinitatem, abhorruisse, quod Cadualdus Rex Cantuariorum Edelberti filius, qui primus Ecclesiæ in Anglia hospitium dederat, novercam suam uxorem duxit; eoeo scelere occasionem dedit subditis ad Gentilium superstitionem redeundi, Beda *Eccl. hist.* L. 2. *cap.* 5. *&* 6. Quare D. Paulus 1. *ad Cor. cap* 5. ibi: *auditur, inquit, inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes; ità ut uxorem patris sui quis habeat.* Romanos verò, quamquam falsorum Deorum cultores, religiose a Nuptiis affinium abstinuisse, tam certum est, ut nihil supra, patet hoc ex toto *T. ff. de grad. & aff.* Undè Iust. *Tit. de Nupt.* §. *affinitatis*, ità loquitur: *affinitatis quoque veneratione a quarundam Nuptiis ab-*

stinere

stinere, necesse est.

Probatur II. Quia eam ob causam fatemur, consanguinitatis vinculum quiddam esse Naturale, quod naturalis cujusdam amicitiæ, & conjunctionis fundamentum est *Arist. VIII. Æth. cap.* 12. nec minus id elucet in affinitate, ex Nuptiis orta; eleganter Cicero L. 5. *de finibus. Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quàm coniunctio inter homines, & quasi quædam societas, & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani: quæ nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio, & stirpe coniungitur, serpit sensim foras cognationibus primùm, tum affinitatibus, deindè amicitiis*. Ergò affinitatis item vinculum quiddam naturale est.

Probatur III. quià coniuges ob connubium unam carnem effici, est de Jure Naturæ, atque hinc Adam solo naturæ ductu dixit *Genes.* 2. *& erunt duo in carne una.*

Ac propterea si vir, & uxor una caro efficiuntur, Jure Naturæ quodammodo consanguinei unius coniugis alteri affines redduntur.

Probatur IV. ex *can. si vir* 35. *q.* 3 ibi: *si vir, & uxor non jam duo, sed una caro sunt; non aliter est nurus deputanda, quàm filia*. Cur ità lòquitur Augustinus in hoc Canone? Planè quià, ut filia juncta patri est naturali vinculo, sic et nurus in affinitate esse conjunctione quadam naturali, censenda est.

Probatur V. nam Matrimonium cum privigna prophanis etiam gentibus impurum habebatur. Quod præter alia ostendunt Charondæ Leges, quæ tale connubium infamia notant, juxta illud in Oratione Lysię: *Maritus erat ille impurissimus hominum matris, ac filiæ*. Et Cicero *pro Cluent.* cum fororum genero nupsisse, narrasset, subdit: *O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam, in omni vita inauditum*. Seleucus Rex, cum uxorem suam Stratonicam Antiocho filio suo nuptui daret, verebatur, narrante Plutarco *in vita Demetrii*, ne ipsa læderetur, ut de re illicita: apud Virgilium legitur.

- - - *Thalamos ausum infestare novercæ.*

Sed obstat I Notum est, oriri affinitatem, etiam ex copula illicita, an ergò hæc quoque
5 naturalis est? At cur igitur Nuptię omni Jure ant apud gentes, ratione hujus affinitatis, prohibitæ non inveniuntur? L. *non facile* §. *affines*, & §. *friendum ff. de grad* nimirum, quià affinitas Juri Naturali minimè innititur.

Resp. tentari posse, Iure Naturali talem quoque affinitatem agnosci *can. nec eam* 35. *q.* 3: ubi adhærere meretrici, expressè dicitur incestuosus coitus, & Deo abominab lis, & cunctis hominibus, si quis ducat aliquam a proprio consanguineo illicitè cognitam.

Sed his omissis; verius respondetur, affinitatem, quę oritur ex copula fornicaria, non esse Naturalem. Ratio est, quià um, ut supra ostendimus *in secundo arg.* ideò Naturalis sit affinitas, utpote quæ fundamentum amicitię est; planè, experientia teste, potius ex illicito coitu inimicitæ, & simultates oriuntur; nec filius propensus est naturaliter ad exhibendam venerationem fæminæ turpiter a patre cognitæ; nec nomina ulla affinibus ex copula fornicaria imposita sunt.

Obiicitur II. si quod Naturale, aut gentium est, omnes pertingit, ac rursus, si affinitas Naturali Juri, quoad ortum suum adscribenda, equidem id de privigna verificari pot ssimè deberet, quæ extat in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, *can. de his* 30. *q.* 1. Ergò vitricus cum privigna jure misceri non posset, atqui hoc falsum est, quià Jure Civili justus est inter vitricum, & privignam concubinatus, L. *eum tabulis* 16. §. *quoniàm ff. de his, quæ ut ind.* ergò falsum defenditur. 6

Hæc quidèm sententia de permisso concubinatu secundum Leges sæculi cum privigna, Cujacii est, L. 5. *Observ. cap.* 6. sed refellitur, ut erronea a *Fabro* L. 3. *coniect. cap.* 14. & *Merillo* L. 7. *Obs. cap.* 7. - At, inquies, quam igitur interpetrationem habet Textus *in d. L. eum tabulis*? Ibi enim Papinianus refert, Cassinum virum clarissimum Ruffinam ingenuam 7
mulierem, pleno honore, idest maritali dilexisse, & post ejus mortem, filiam ejus, idest privignam suam in concubinatum assumpsisse. Respondetur, in specie, quam Papinianus refert, Senatorem dumtaxat in concubinatu habuisse Ruffinam, non verò ejus filiam, quam postea vulgo, quæsitam esse, apparebat, ita *Merillus L.* 7. *Observ. cap.* 17.

Obiicitur III. si affinitas Juris Naturalis est, sequitur, Pontificem in ea dispensare non posse; at hoc falsum est, quià in *can de incestis* 8
35. *q.* 3. deciditur, Matrimonia inter affines primi gradus, ante illam prohibitionem contracta, dissolvenda non esse; ergò affinitas non est Juris Naturalis, quod enim naturale est, immutabile est, §. *sed naturalia Inst. de Jur. Nat. gent.* & *C.*

Resp. hanc regulam esse tenendã. Quædam sunt de Jure Naturali, & Divino, quę dubio procul sunt ejus conditionis, ut nequeat excogita- 9
ri casus, in quo sit ratio dispensandi, veluti fornicationis prohibitio, & concubinatus, veluti, ut filius veneretur patrem, veluti, ut formę, & materiæ Sacramentorum immutabiles permaneant. In his dispensari non potest. Alia quædam sunt, quæ licet in universum expediant, at in aliquo casu speciali possunt non expedire, adeòque admittere dispensationem; nam, etsi ea non implere dedeceat, non tamèn continent omnimodam, perfectamque indecentiam; sed potest ita justa causa occurrere, ut ei indecentiæ imperfectæ præponderet, adeoque justa reddatur dispensatio. Ex quibus per se patet difficultati responsio. Esto affinitas sit Juris Naturalis, non sequitur, Pontificem in ea dispensare non posse.

Quin etiam addo, alio pacto posse satisfieri

dif-

difficultati, dicendo, verum esse, quod ex Nu-
10 ptiis oritur quoddam Naturale amicitiæ vincu-
lum, vi cujus affines illicitè inter se contrahunt;
non tamen sequitur, eos inter se invalidè con
trahere; nam, an impedimentum affinitatis sit
Juris Naturalis, adeò ut Jure Naturali Matrimo-
nium inter affines sit irritum, in proxima dis-
sertatione examinandum est.

DISSERTATIO II.

An impedimentum affinitatis sit Juris Naturalis.

Affinitatem non esse merum Juris Pontificii inventum, superior Dissertatio palam fecit. Nunc, an inter affines irritum Jure Naturæ sit Matrimonium, dispiciendum; utramque Dissertationem ad trutinam revocare necesse est, cum una ab altera pendeat, & una cognitio gradus sit ad aliam, in idemque collimet.

Quæstio hæc, jam supponit duplex esse Jus
11 Naturæ primævum, & irritans, aliud esse Jus
Naturæ secundarium; quatenus nimirùm illi
adversari, indecens sit, ut supra monuimus,
L. 2. *Tit.* 13. *n.* 36. An ergò affinitas sit Juris Naturæ primævi, & irritantis, disputatur impræsentia.

Præcipua difficultas redigitur ad primum gradum in linea transversa.

Sit nostra Conclusio. In nullo gradu affinitatis Matrimonium ità Jure Naturæ prohibetur,
12 ut illud irritum Jus Naturæ reddat.

Quod attinet ad primum gradum lineæ re-
ctæ, in hoc primo gradu sunt privignus, &
13 noverca; vitricus, & privigna; socer, & nu
rus; socrus, & gener *can. porro* 35. *q.* 5. Inter hos, Jus Naturæ non irritare Matrimonium.

Probatur I. Ex *can. de incestis* 35. *q.* 3. ibi:
si quis novercam duxerit: si quis consobrina sua
14 *se sociaverit: si quis relicta, vel filia avunculi*
misceatur, aut patrui filia, aut privigna sua (& infra) *quod ità præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt hactenus constituta, non dissolvamus*. Hæc constitutio est Concilii Agathensis, idemque habetur, in Aralatensi Concilio 2. *cap.* 2. idem in Epaunensi *cap.* 30.

Probatur II. Ex Concilio Aurelianensi *can.* 10. ubi decernitur, Matrimonia hæc, in infidelitate contracta, non esse post Baptismum disjungenda, ac separanda, & reperitur Tomo 2. Concil. *pag.* 505.

Probatur III. Ex historia Sacra, nam in L. 3. *Regum cap.* 2. habetur, quod Adonias filius David petiit in uxorem Abisac, quæ antea fuerat uxor patris sui David.

Probatur IV. quià apud Gentes tale connubium irritum fuisse non invenitur. Valerius Max. L. 5. *cap.* 7. & Plutarcus *in vita Demetrii*, referunt, Seleucum tradidisse filio suo Antiocho in Matrimonium propriam uxorem, & id factum laudat ipse Valerius.

Quod attinet ad primum gradum in linea transversa, in hoc gradu sunt levir, qui est frater mariti; sororius, qui est vir sororis; glos, quæ est soror matris; fratrissa, quæ est uxor fratris. Jam vero in omnibus Academiis Europæ disceptatum est, in causa Henrici VIII. Regis Angliæ, qui duxerat uxorem relictam fratris, an in hoc primo gradu, Jure Naturæ Matrimonium sit irritum? Quod in Conclusione dixi, indictum nolo, non muto dictum, nec retracto. In hoc quoque gradu irritum non est Jure Naturæ Matrimonium.

Probatur I. quià pluries Apostolica Sedes dis-
pensavit. Dispensatio Innocentii III. extat *in*
cap. fin. de Divor. Alexander IV. dispensavit in 15
eodem gradu cum Rege Lusitaniæ - Julius II. cum Henrico VIII. & Chatarina Regibus Angliæ; & postea Clem. VII. consultis totius Orbis illustribus Universitatibus, & re seriò perpensa, decrevit auctoritate Pontificia, legitimam fuisse dispensationem, quod decretum refert Castro *in L.* 1. *de* L. *Pen. cap.* 12.

Probatur II. Auctoritate Sacræ Scripturæ. Jacob vir Sanctissimus duxit Liam, & Rachelem sorores, *Genes.* 29. Judas dedit eidem mulieri duos fratres in viros, *Genes.* 38. Imò postea *cap.* 25 *Deuter.* universim præceptum fuit Israelitis, si fratrum unus sine liberis decessisset, ut alter relictam ejus uxorem acciperet, ex eaque suscitaret semen fratris.

Probatur III. ex *can* 61. *Concil. Illiberini*, ibi: *si quis post obitum uxoris suæ, sororem ejus duxerit; & ipsa sit fidelis, quinquennio a communi ne placuit abstinere: nisi forte velocius dari pacem, necessitas coegerit infirmitatis*. Ergo, si Matrimonium hoc non dissolvitur, sed injungitur pænitentia, quid inferendum nisi in eo fuisse dispensatum?

Probatur IV. ex *can.* 30. *Concil. Altissiodorensis*, ibi: *non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere*. Quid ait hic Textus? ait non licere. At non ait, ita esse irritum Jure Naturæ Matrimonium, ut spes erepta sit dispensationis.

Probatur V. ex usu diversarum gentium; ita
apud Conones tales Nuptiæ celebrabantur, te 16
ste Abulensi *in Lib. Anth. q.* 31. item apud Ægiptios, qui usque ad annum Christi 476. Imperii videlicet Zenonis, utebantur Matrimonio uxoris fratris prædefuncti, donec Zeno id prohibuit, *L. licet C. de inc. Nupt.* Apud Germanos idem usurpatum, constat, referente Serario *Lib. de S. Kilcan. cap.* 16. Apud Athenienses non minus viguit idem mos ex Lege Solonis, Samuel Petit. *ad Jus Attic.* L. 6. *Tit.* 1. *pag.* 441. Apud Laiconienses, & Lituanos licitum fuisse hujusmodi conjugium, constat, ex *cap. ult. de divort.* Imò, & apud Romanos hæc conjugia permissa, liquet ex *L.* 4. *§. hoc itaque ff. de grad. ex L. fratris* 5. C. *de Inst. Nupt.* tametsi postea simile Matrimonium prohibuerint Costans, & Constantius, ut patet ex L. 2. C. *Theod. de incest. Nupt.* plura perdoctè cumulat Gonz. ad hoc ipsum

con-

confirmandum in *cap. Deus de divort. n. 8.*

Quæ in contrarium opponuntur leviora sunt, quàm ut possint sententiam susceptam labefactare.

Non obstat in primam partem Conclusionis, quod jam adducam.

Obicitur I. Æquè abstinendum esse ab affinibus, & a consanguineis, *cap. 1. de conf. can.*
17 *aequaliter, can. de propinquis* 35. *q.* 3.

Resp non negari a nobis, quin æquè sit prohibitum consanguineam, sicut affinem ducere. Nam certum est, & affinitatem, & consanguinitatem esse impedimenta dirimentia; tota difficultas est, an primus affinitatis gradus in linea recta dirimat Jure Naturæ Matrimonium, qua de re altissimum silentium est in adductis constitutionibus. Quæ solum indicant, æquè esse impedimentû dirimens, & abstinendum a Nuptiis cum consanguineis, & cum affinibus.

18 Obicitur II. cum Cabassutio, *in Scientia Can.* L. 3. *cap.* 23. Textus in *L. liberi C. de Nupt.* ibi: *liberi concubinas parentum suorum ducere non possunt - qui, si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt.*

Sed respondetur, in hoc Textu non agi de affinitate ex copula licita; et quamvis ex illicita pariter conjunctione nascatur affinitas; attamen, ut ostendimus in Dissertatione superiori, affinitas solum ex Nuptiis promanans, Juri Naturæ innititur. Pro responsione igitur, huc conferunt supra tradita.

Obicitur III. locus *Genes. cap.* 49. ubi Jacob morti proximus maledixit Ruben primogenito suo, quod paternum thorum maculasset dormiens cum patris uxore. Insuper *Amos* 2. inter alia nefanda, refert, quod pater, & filius cum eadem puella concubarint.

Resp. peccatum Ruben, fuisse gravissimum, propter gravissimam adulterii injuriam illatam, patri, ob quam rationem id peccatum fuit contra Jus Naturæ, quamvis, eo attento, non esset incestus; et eodem pacto accipiendus est locus *Amos d. cap.* 2. dum ait Scriptura Sacra: *filius, ac pater ejus fuerunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum*; & ità etiam accipitur locus Levitici *cap.* 20. dum ait: *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum ejs, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Non est dubium, magis indecens fuisse conjugium in primo gradu affinitatis, quàm in secundo lineæ transversæ, in primo enim gradu pæna mortis imponitur; in secundo gradu pęna levior decernitur.

Neque item obstant in secundam partem, quæ opponi solent.

Obicitur I. Textus *in cap. ad audientiam* 4. *de Sponf.* ibi: *quoniam scriptum est, quod sponsam fratris, frater habere non potest.*

Nam respondetur, verba illa, *quoniam scriptum est*, referenda esse ad pręceptum Legis veteris, relatum *Lev. cap.* 18. ibi: *turpitudinem uxoris tui fratris non revelabis.* At hoc in Lege gratię repetitum non fuit, nec erat præceptum Naturale prioris ordinis, nec, ut præceptum Legis Evangelicæ, obligat.

Obicitur II. *D.* Joannes increpabat Herodem Tetrarcham Galileæ, eo quòd acciperet in uxorem Herodiadem uxorem fratris sui Philippi, *Matth. cap.* 14. *Lucæ cap.* 3.

Respondetur, adhuc superstite Philippo Herodem accepisse ejus uxorem, ut censuerunt *S. Thom. in* 4. *Math.* Beda in *cap.* 6. *D. Marci* 19
Vel, si libeat aliorum sequi sententiam, Philippum antea decessisse; justè tamen S. Joannes Herodem increpavit, eo quòd acciperet uxorem fratris sui defuncti, quia filiam reliquerat, scilicet saltatricem Herodiadem. Ergò frater non decesserat sine liberis. Cur ergò duceret uxorem fratris? Quod Lex Mosaica in hoc casu vetabat. Nec interest, Herodē fuisse IduMęum, 20
adeoque non obligari Legibus Judęorum; Nam Idumei retro per 100. annos credebantur origine, & relligione Judæi, quia Provincia illa spectare cępit ad regnum Judæorum, ut probat Gonzales *in cap. Deus de Divort.* ubi plura alia eruditè, de more, congerit.

(*b* *Nuptiæ.*

Affinitas ex Nuptiis oritur.

Causa conjungendæ affinitatis Nuptię sunt. 21
Hinc affinitas a Theophilo definitur *in T. de Nupt.* propria quędam qualitas personarum, quæ citra cognationem nobis ex Nuptiis conjunguntur consonat Textus *in cap. discretionem* §. *sed nec affinitas*, & *cap. penult. de eo, qui cognov.* Hęc igitur ex Nuptiis oritur, ut loquitur etiam in eundem sensum Modestinus in *L. non facile* §. *affines ff. de grad.* Et quamvis in *L. quod servus* 22
8. *vers. donec ff. de cond. caus. dat. caus. non seq.* asseratur, contrahi affinitatem etiam per Sponsalia; tamen ille Textus de publica honestate intelligitur, quæ impropriè affinitas vocatur. *d. cap. discretionem*, ita Faber *in ration. ad illum Textum.*

(*c*) *Vir.*

Vir, & uxor affines non sunt.

Vir, & uxor affines non sunt, Porcius tamèn & Jason in *L. affinitatis C. communia de success,* contrarium defendunt. Quia id deduci posse videtur ex *L. quod Servius ff. de cond. caus. d.* 23
caus non seq. ibi: *donec maneat inter eos affinitas*, & planè Neratius ibi loquitur de viro, & uxore, & similis Textus in *L. non ideo C. de bar. inst.* ubi non vitiatur institutio si uxor vocetur 24
a testatore affinis. Verumtamèn quidni dici possit conjux affinis, si causa est affinitatis? propter quod unumquodque tale, & illud magis. Dicatur, ut libet affinis. Sed impropriè erit, affinis Impropria talis appellatio est, quæ proderit conjugi in favorabilibus, ut ipse quoque

affi-

affinis appellatione contineatur. Hæc mea sententia est, quæ evidenter ex adductis Legibus deducitur.

(c) *Per coniunctionem.*

Ex illicita coniunctione oritur affinitas.

Ex illicita coniunctione oritur affinitas. Ta-
25 neredus tamèn, & alii, quos refert Archidiaconus *in cap. ult. de Sponf. in 6.* negant, ex copula illicita oriri affinitatem; his accessit Cor-
26 rasius L. 1. *Miscell. cap.* 3.

Ex eo ducuntur in hanc sententiam, quia *in cap. tua, in cap discretionem de eo, qui cognov. conf.* quæ oritur ex illicita copula, vocatur publica honestas. Et quià *in L. non facile verf. affines ff. de grad.* afferitur, causam affinitatis esse Nuptias.

Sed a communi, & receptissima sententia recedendum non est. Ex illicito congressu oritur affinitas.

Textus oppositi Juris Canonici, se ipsos explicant, qui, quam dicunt publicam honestatem vocant similiter affinitatem.

Textus verò Juris Civilis, id significat; quod nimirum ex copula inhonesta non oriantur effectus affinitatis, seu affinitas quoad effectus. Nam constat, bonorum possessionem, *unde vir, & uxor*, cessare, ubi justum non est Matrimonium L. 1. *ff. undè vir et uxor*, atque ita respondet Mynsingerus *ad Tit. de Nupt. §. affinitatis n.* 3.

[d] *Usque.*

Affinitas dirimit usque ad quartum gradum.

Affinita dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè.

Sed distinguenda sunt varia tempora. Olim,
27 quoniam triplex genus erat affinitatis (ut mox explicabitur) Nuptię usque ad septimum gradum in primo genere affinitatis prohibebantur, *cap. 1. de affin. can. si qua mulier* 35. *q.* 2. *can. nulla* 35. *q.* 2. *can. & hoc quoque* 35. *q.* 3. In
28 secundo genere affinitatis Nuptię prohibebantur usque ad quartum gradum, *can. de propinquis* 35. *q.* 3. In tertio verò genere affinitatis prohibebantur Nuptiæ usque ad secundum gradum, *can. porro* 35. *q.* 3. ibi: *Porro duorum consobrinorum coniuges, quamvis diversis temporibus viro uni alteram post alterius obitum nubere, ipsa prater auctoritatem canonicam publica honestatis justitia contradicit.*

Sed post Lateranense Concilium in *cap. non debet de conf. & affinitate*, prohibitio Nuptiarum inter affines causa Nuptiarum ad quartum gradum contracta est. Hinc Innocentius IV. *const.* 14. *qua incipit sub Catholica*; pro quarto gradu dispensationem, ait, esse necessariam.

(e) *Ad secundum.*

Affinitas ex copula illicita dirimit usque ad secundum.

Affinitas orta ex copula illicita dirimit Matrimonium usque ad secundum gradum. 29

Olim quidem, si per illicitum, & vetitum coitum contracta fuisset affinitas, Nuptiæ prohibebantur in tertio gradu; in quarto per mit- 30 tebantur, *cap. discretionem 6. & cap. pen. de eo, qui cognov. conf. suam cap. pen. de conf. & aff. can. quadam* 35. *q.* 7.

Sed Sacrosanctum Concilium Tridentinum, gravissimis impulsum causis, impedimentum hoc 31 ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restrinxit, ità *in sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Audi nunc declarationes Cardinalium super hoc decreto.

I. Dubitatum fuit, an hoc haberet locum etiam in impedimento affinitatis supervenientę Matrimonium? Respondit, ultra secundum gradum non extendi, refert Fagnanus in *cap. non debet de conf. n.* 16.

II. Dubitatum fuit; an hoc decretum extenderetur etiam ad Sponsalia, per verba de futuro contracta?

Respondit Sacra Congregatio extendi etiam ad Sponsalia, Fagnanus *ib.*

III. Dubitatū fuit, an ad cognoscendum hoc impedimentum ex fornicatione, attendendus sit gradus remotior?

Respondit, gradus remotioris habendum rationem, ideoque contrahi potest inter eos, qui simul secundo, & tertio gradibus hujusmodi affinitatis ex fornicatione inducte coniunguntur, quæ declaratio est apud Gallemart *pag.* 280.

IIII. Dubitatum fuit, an per hoc decretum sublatum censeretur impedimentum superveniens affinitatis post contractum Matrimonium?

S. Pont. Greg. XIII. ex sententia Congregationis dixit, sublatum esse, Gallemart. *ib. pag.* 28. & refertur hoc decretum etiam a Corrado *in praxi disp. L.* 7. *cap.* 2. *n.* 29.

[f) *Bulla Pii V.*

Affinitas ex coitu illicito dirimit usque ad secundum gradum.

Cum hæsitaretur, an affinitas ex actu fornicario in ulterioribus gradibus expressis, in Con- 32 cilii Decreto impediret Matrimonium contrahendum, emanavit Bulla Pii V. quæ omnem sustulit ambiguitatem, quæ incipit ad *Romanum*; in §. *& propterea*, hæc vera sunt: *Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac Matrimonii libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè, & licite Matrimonium contrahi possit. &c.*

(g) *Ascendentium.*

Nomina ascendentium affinium.

Nomi-

Nomina affinium ascendentium enumerantur a Modestino in L. 4. §. affines ff. de gradibus.
33 Socer enim est viri pater, uxorisque, ità dictus, quia generum sibi sociavit: mater verò eorum socrus appellatur. Apud Græcos propriè viri pater *echiros*, mater verò *echira*, vitricus autem est præsens maritus matris meæ, a quo tamen ego genitus non sim. Noverca præterea est præsens patris mei uxor, quæ me tamen non genuit. Socer magnus est uxoris meæ avus, qui & dicitur prosocer, & mariti avus socer magnus est, & prosocer ad progenerum, & pronurum refertur, L. 2. §. *ult. ff. de postul.* Aliorum autèm superiorum affinium nomina non recenseo, cum ferè sint eadem, quæ consanguineorum, vel sola particulę hujus *pro* adiectione distinguuntur, ut prosocer, & similia, Coccus *inst. Can. L. 3. Tit. 14. §. affinitas*.

[b] Descendentium.

Appellatio descendentium affinium.

Descendentium affinium nomina hæc sunt. Gener, idest filiæ meæ maritus, ità dictus a ge-
34 nere, quod ad augendum genus adhibeatur maritus filię. Nurus, idest filii uxor, quamquàm Poetæ nurum pro sexu fæminæo tantùm ponant, Ovid. 2. *Metam.*

- - - - - *nuribus mittit gestanda latinis.*

Privignus, vel privigna, idest uxoris, vel mariti filius, filia, ex alio marito, etsi vulgo sit concepta, *L. privignus ff. de grad.* Gręcè privignus *progonos*, idest prenatus, quod, antequam mater secundò nuberet, est progenitus, ulterioribus præpositio *pro* solet accedere, ut *pro gener*, idest maritus neptis, *can. infames §. affinitates 3. q. 7. L. 3. ff. de postul.*

(i) Collaterales.

Nomina collateralium affinium.

Collateralium affinium nomina hæc sunt, fra-
35 tria, idest fratris uxor, levir, idest frater mariti, L. 4. §. *gradus ff. de grad.* Sororius, parùm latina vox, exprimit sororis maritum Isid. *L.* 10. *Æthimol. cap.* 7. Glos est mariti soror. Janitrices, seu janeteres sunt duorum fratrum uxores, *can. quod autem 35. q. 6.* Alciatus L. 2 *disp. cap* 23. improbat vocabulum janitrices; *inativas* verò vocat Dionys. quæ aliter synnymphæ dicuntur hoc est consponsę duobus, vel pluribus fratribus nuptę, sicut ælii dicūtur vel etiā ælii, quibus duę nupserūt sorores Cęl. Rhod. L. 15. *cap.* 24. Porrò hic transcribam verba canonis, quo error,
36 seu abusus in his nominibus, notatur, *can quod autem 35. q. 5.* ibi: *quod autem frater, sororue uxoris tuæ cognati tui dicuntur; æquivocationis jure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius, quàm ulla causa cognationis; uxor enim fratris fratrissa potius, quam cognata vocatur; mariti frater levir dicitur.*

Ex his omnibus enumeratis Jus Civile quosdam parentum, & liberorum, fratrum, & sororum loco ponit, ut est socer, socrus, prosocrus, prosocer; gener, nurus, &c. §. *sororum inst. de* 57
Nupt. L. 12. L. 14. L. 15. L. 22. ff. de ritu Nupt.

(k) Tria.

Quotuplex sit affinitas.

Triplex esse genus affinitatis, constat *ex can. de propinquis, ex can. porrò 35. q. 3. ex can. hoc quoque 35. q. 3. ex can. ter. ib.* 58

Ut ecce, uxoris meæ filius mihi est in primo genere affinitatis: illius uxor in secundo genere: mortuo privigno meo, idest filio meæ uxoris ex alio marito procreato, si illa uxor nubat alteri, hic mihi erit in tertio genere affinitatis.

Quę tria genera, quoad prohibitionem, non videntur a Jure Civili fuisse antiquitùs recepta, Vinnius L. 1. *Tit.* 10. *inst. §. affinitatis 6.* Nec 39
obstat L. 15. *ff. de gradibus*, ubi non potest uxor privigni coniungi cum vitrico: hoc enim 40
non ità intelligitur, quasi hi affines essent; sed potius quod honestas, & pudor Naturalis non patiatur, mecum Matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando loco filii fuit, ob matrem ejus meam uxorem; & ita etiam intelligendus est Textus in L. 14. *ff. eod.*

[l] Secundum.

Quæ affinitas jam sit sublata.

Jure novo secundum, & tertium genus affinitatis sublatum est, ex dispositione Textus in 41
cap. non debet de cons. & affin. ibi: *cum ergo prohibitiones de coniugio, in secundo, & tertio affinitatis genere minimè contrahendo* (& infra) *& difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, cum, cessante prohibitione, cesset effectus: constitutiones super hoc editas Sacri approbatione Concilii revocates&c.*

En expressè veteres constitutiones revocatas, nempe Textum *in can. de propinquis 35. q. 3. & in can. porrò ib.*

Nec obstat, quod Gregorius ait, in *can. fraternitatis 35 q. 10.* ibi: *qui dissolvit hæc genera affinitatis, negit, verbum Dei in æternum* 42

Respondetur, hoc intelligi, si justa causa non obveniat. Insuper hoc intelligitur, quando aliquis, præter successorem Gregorii, hæc genera affinitatis dissolvere voluisset, ita Fagnanus in *cap. non debet de cons. n.* 14.

(m) Etiam.

Quousque duret affinitas.

Durat affinitas etiam post solutum Matrimoniū.

Sed obstat Textus in *can. infames §. affinitates 3. q. 7.* ubi per mortem coniugis affinitas 43
dissoluta censetur. 44

Sed respondetur, verba hujus Textus esse in decretum Gratiani translata ex Digestis, *Tit. de postul.* Nec dubium est, quin de Jure Ci-

vili morte coniugis expiret affinitas, L. *cui* §. *affinitates ff. de poss.* latè Sebast. Medices *in tract.* *mors omnia solvit*, *Concl.* 6. *P.* 2.

Tandem, illud monitum, volo, lectorem
45 quod, etsi de affinitate distinctum Titulum Lancellottus non conscripserit; conscripsit tamen *Cuccus L.* 3. *Tit.* 14. Nobis autèm satis est aliquem ex his antesignanis, cum fieri poterit, imitari.

DE IMPEDIMENTO

IMPOTENTIÆ.

TITULUS XVI.



Inis, fructusque Matrimonii est liberorum procreatio. Ergò, si quis implere, & exequi Matrimonii partes impediatur, frustra Nuptias contraxit. Id verò quemadmodum intelligatur, paucis expendendum.

Quidam Natura, quidam artificio liberis procreandis operam dare non possunt. Natura impediuntur, quibus vigor deficit ad prolem gignendam, ob ætatem immaturam, & sunt (*a*] impuberes. Item Natura impediuntur Eunuchi. (*b*) Natura impediri viderentur, & senes; (*c*] at illis Nuptiæ ad solatium imbecillitatis permissę. Natura impediuntur, qui naturali frigiditate (*d*) confiictantur. Mulieres verò Natura impediuntur, si ità obstructæ sint, ut nequeant (*e*) cognosci.

Artificio similiter, magicis nempè artibus rei Venereæ (*f*) facultas eripitur, & si quis hoc vitio [*g*) ante Nuptias laborabat, irritæ Nuptiæ sunt.

Cęterum multùm interest, an impotentia perpetua sit, vel solùm ad tempus. Ad quam cognoscendam triennium cohabitationis, & experientię statutum a Jure fuit tam Civili *in auth. de Nuptiis* §. *per occasionem Coll* 4. quàm Canonico, *in cap. laudabilem de frig. & mal.* Ac post triennium, impotentia comperta, (*h*] separatio declaratur; ac pars non impotens jus habet novum (*i*) Matrimonium contrahendi. Secus verò censendum (*k*) de parte altera impotente; nisi ejus impotentia respectu coniugis omissi tantùm, non respectu alterius impotentia sit. Ubi verò, qui fuit habitus impotens, probabitur demùm evasisse potens, etiam post judicatam separationęm pristino coniugi erit restituendus, *cap. laudabilem*, *cap. faternitatis*, *de frigidis*, *& mal.*

Multùm quoque interest, an post contractum Matrimonium impotentia superveniat, nam hæc, quamvis perpetua futura esset, [*l*] nullatenùs illud dirimit.

Multùm demùm interest, an, impotentia præcognita, vir nihilominùs,

nus, & uxor de dissolvendo Matrimonio agere nolint; nam si ambo consentiunt simul esse; vir eam, etsi non ut uxorem, sed saltèm ut sororem habeat, (*m*] *cap. laudabilem de frig. & mal.*

SUMMARIUM.

1 *IMpedimentum impotentiæ ex ætate provenit.*
2 *Si imbecillitas post pubertatem detegatur, quid faciendum.*
3 *Ante pubertatem potest contrahi Matrimonium, si malitia suppleat.*
4 *Historica exempla de hac malitia.*
5 *Revelatio quædam S. Brigithæ.*
5 *Ætas 14. annorum completa requiritur, idque probatur.*
6 *Eunuchi sunt impotentes.*
7 *Eunuchorum quot genera? Eruditionibus declaratur.*
8 *Carcamatia quinam eunuchi essent.*
9 *Eunuchi invalidè contrahunt, probatur contra Turrecrematam.*
10 *Adducuntur verba motus proprii Pii V.*
11 *Exceptiones quædam de eunuchis, qui aliquandò validè contrahunt.*
12 *Solvuntur quædam difficultates.*
13 *De senibus.*
14 *Senes admodùm decrepiti invalidè contrahunt.*
15 *In his senibus non est triennium experientiæ expectandum.*
16 *Quidam alii senes rectè contrahunt.*
17 *Historica exempla fæcunditatis in senectute.*
18 *Matrimoniũ senum est in humanitatis solatiũ.*
19 *Non tamen in humanitatis solatium concessum fuit eunuchis.*
20 *De frigidis.*
21 *Frigidorum historica exempla.*
22 *Refellitur Cardinalis vetus Canonista.*
23 *De muliere obstructa.*
24 *Disputatur per Canones, an debeat hæc incisionem pati.*
25 *De frigiditate ex magia.*
26 *Probatur, arte Dæmonis hanc posse contingere.*
27 *Fascinum post Nuptias non irritat Matrimoniũ.*
28 *Olim tamen in Galliis dirimebat.*
29 *Post triennii experientiam qua forma separetur Matrimonium.*
30 *Pars non impotens post hanc separationem potest Nuptias contrahere cum alio, Canonibus probatur.*
31 *Pars alia impotens non potest; sed distinguendum inter respectivam, & absolutam impotentiam.*
32 *Impotentia post Nuptias superveniens, non dirimit illas.*
33 *Explicatur hac super re historia Lotharii Regis.*
24 *Explicatur Textus in cap. majores de Baptismo.*
35 *Elegans Sacramentorum distinctio.*
36 *Præsentatus ad Beneficium, si Patronus Jus patronatus postea amiserit, repelli non potest.*
37 *Dissertatio de conjugibus, qui instar fratrum, & sororum vivere eligunt.*
38 *Ex consuetudine Ecclesiæ hæc permissio dimanavit.*
39 *Quæ differentia sit inter eos conjuges, qui ordinati uxores detinent, tanquam sorores, & inter conjuges in nostra specie.*
40 *Inter hos conjuges viventes fraterno more nullum viget Matrimonium.*
41 *In eodem tamen lecto dormire non possunt.*
42 *Adducitur motus proprius Sixti V.*
43 *An hi conjuges perpetuò in hac societate manere obligentur.*
44 *Non obligantur, sed aliis jungi possunt.*
45 *Talis societas ex consilio est.*
46 *Expenditur ratio, cur Canones hanc permiserint societatem.*
47 *Inter hos conjuges Dos nulla.*
48 *Non obligatur vir hanc mulierem alere.*
49 *Contra si esset uxor, etiam facto divortio, eam alere obligaretur.*
50 *Tutius tamen est hos conjuges separare.*

EXPLICATIONES.

(*a*) *Impuberes.*

Impuberes inepti ad Matrimonium sunt.

1 IMpedimentum impotentiæ, primò respicit impuberes.

Impuberes jungi valide non possunt, & secus faciendo nullum, & irritum esset Matrimonium; ergo expectandum est donec puer 14. annum, puella 12. compleverit.

Quod si contracto post pubertatem completam Matrimonio, imbecillitas adhuc detegatur, 2
& dubitatur, an ex ætate, aut aliundè proficiscatur; pro his quoque triennium a Jure destinatum intelligitur, Cabassutius in aurea illa sua *Sceentia Can. L. 3. cap. 24. n. 15.*

Impuberes jungi validè non possunt. At hoc verum est, nisi malitia suppleverit ætatem, de qua malitia luculenter tractavimus supra *Tit. 10. L. 1. q. 3. in expl.*

 Illu-

Illustria malitiæ supplentis ætatem exempla profert S. Hieronymus *in Epist. ad Vitalem*. 3 Primum Salomonis, qui annum decimum agens Roboamum genuit *Lib. 1. Paralip. cap. 29.* Secundum exemplum est Regis Acab, qui anno ætatis suæ undecimo genuit Ezechiam *L. 4. Reg. cap. 16. & cap. 18.* Tertium exemplum refert pueri, qui decimo anno nutricem suam prægnantem reddidit. Scribitur apud Hæbreos, quod Phares filius Judæ genuit Ezron, cum tantum novem annos haberet, *L. 2. Olam Zuta*.

Quod verò puberes tantum Matrimonium contrahere debeant, ubi malitia non suppleat ætatem, probant innumeri Textus, *cap. continebatur* 4 *de despons. impub. cap. attestationes 10. cap. ex liter. eod.* Sicque, & a Divino Spiritu et revelatum, testatur S. Brigitha L. 8. *suarum revel. cap. 9.* cum refert, ità eam fuisse allocutum: *attende filia, & scias, quod in omni coniugio Christiano tenetur esse ætas, & consensus legitimus*. Ulterius id patet ex *can. cum renunciatur 32. q. 1.*

Illud dubium esse potest, an hæc ætas com-5 pleta desideretur?

Et puto verius, completam requiri, ob textum expressum, *in cap. attestationes 10. de despons. impub.* ibi: *donec compleat puer annum 14.* ob Textum in *auth. de tempore non soluta pecuniæ §. et si quidem Coll. 7.* ob Textum *in L. minorem ff. de ritu Nupt.* ob Textum *in L. falsus 2. §. fin. ff. de falso tutore*, latè Narbona *de ætate anno 14. q. 9. pag. 181.*

[b) Eunuchi.

Eunuchi Nuptiis *minus idonei.*

6 Impedimentum impotentiæ secundò respicit eunuchos.

Eunuchorum tria genera. Primò, Thlibię, qui ab infantia genitales partes amiserunt, eo quod a parentibus illis expressę, & inutiles red-7 ditę sunt. Secundò spadones, qui a nativitate testiculos non habent. Tertio castrati, qui ferro exsecti sunt, & de his differuimus *L. 1. Tit. 23. n. 80. in expl. pag. 167.* de his loquitur Textus *in can. omnes in fine 32. q. 7.*

Atque hi pueri, quibus genitales partes compressæ fuissent aqua calida in balneo, pretiosè venibant *L. si servus §. si puerum ff. ad L. Aq.* Huius turpitudinis inventum Marcell. *L. 14. hist.* tribuit Semiramidi: & Adramythem Lydorum Regem Eunuchos habuisse, scribit Athęne. *L. 12. Dypnos. cap. 12.* Hi verò vocantur proprio nomine Thlibiæ.

Verùm *spadonis* vox omnia illa tria genera comprehendit. Imò ista vox *spadon* apud Suidam significat exsectum, & de hac voce Textus est *in L. spadonum 128. ff. de V. S.*

Addo insuper, quosdam esse, quos Luitprandus *L. 6. de reb. per Europ. gest. cap. 3.* vocat 8 *Carsamatia* Græcos, ait, quibus amputabatur penis, & coles.

Nec minus, & illud moneo, Ulpianum disertè in *L. si servus 39. §. 1. ff. de Jure dotium*, spadonem non castratum quandoque vocare, eum nempe, qui, abscisso altero testiculo, alterum habet.

Ultra hæc, quidam spadones dicuntur, qui membris corporis integris, & incorruptis, propter temporale aliquod vitium, puta ob naturæ frigiditatem, vel quod distortus sit seminis meatus, ut semen rectè non egeratur, procreare liberos nequeunt, tametsi rem veneream gnaviter exerceant, de quibus agitur, *in §. sed et illud inst. Tit. de ad. in L. Pomponius 6. §. fin. & L. seq. ff. de ad. edicto*, *L. si servus 39. §. ult. ff. de Jure dot. L. alumnus 14. in fin. ff. de man. vind.*

His positis, Regula hæc est, quod attinet ad Matrimonii nullitatem; nempe eunuchos invalidè Matrimonium celebrare:

Et licet plures interpretes, ut *Turrecremata 33. q. 1. in Summa. a. 2. n. 2.* olim docuerint, 9
eunuchos validè contrahere; sustulit tamen omnem dubitationem Pius V. in motu proprio edito anno 1587. cujus verba directa sunt ad Nun- 10
cium Apostolicum, ibi: *Committimus Fraternitati tuæ, & mandamus, ut coniugia per dictos, & alios quoscumque eunuchos, & spadones utroque teste carentes; cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive scientibus contrahi, prohibemus; utque ad Matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & etiam locorum Ordinariis, ne hujusmodi coniunctiones de cætero fieri quoque modo permittant, interdicas; quam eos etiam, qui sic de facto contraxerunt, separari cures, & Matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse, decernas.* Quæ Bulla Pii V. regulæ locum est, & consonat Textui *in cap. quod sedem de frig.*

At exceptiones hujus regulæ sunt hujusmodi.

Primò eunuchi, qui altero testiculo non carent, validè contrahunt, atque ita intelligitur, quod est in *L. si servus 40. §. si spadoni ff. de* 11
Jure dot. ibi: *spadoni nupserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, nec ne, ut, in castrato dicas, dotem non esse.*

Secundò eunuchi, quibus testes avulsi non sunt, sed potius intra corpus reconditi, possunt validè contrahere, ita Pontius *L. 7. de Matr. cap. 68.*

Tertiò eunuchi redditi post contractum Matrimonium, illud non dirimunt, ut argumento a contrario sensu deducitur *ex cap. quod sedem de frigid. & ibi Gonzal. n. 2. in Not.*

Accedit; quod nullum impedimentum dirimens, superveniens Matrimonio legitimè contracto, illud dirimit, *can. hi, qui 31. q. 7. can. si quis uxorem 32. q. 5.* præter Religionis ingressum ante copulam, *cap. ex publico de conv. con.*

Quarto eunuchi illi, qui ita impropriè dicuntur, eo quod distortum habeant seminis meatum,

ut semen non egerant; si spes sit, ut egerant post triennii experimentum, recte contraxerunt. Nam hi adoptare possunt, *§. sed & illud Inst. de adopt.* juxta *Harpretti interpetr. ib.* sublato quippè corporis vitio, quo gignendi jus impeditur, liberos suscipere possunt, Pacius *Cent. 1. q. 32.*

12 Neque jam rebus ita adornatis, & explicatis quidquam oberit.

Textus in *Novella 26.* Leonis Imperatoris, quę castratis adoptandi jus largitur; adeoque & Nuptias celebrandi.

Nam respondetur, Novellas Leonis non esse approbatas, aut pro authenticis receptas, Giphanius *disp. 4. n. 20.*

Neque etiam obstat Textus in *can. requisivisti 33. q. 1.* ibi: *iste verò si non potest ea uti, tamquam uxore, habeat eam, quasi sororem.*

Sed respondetur, distinguendum esse; aut enim agitur de impotentia hujusmodi, ut potestas, ac vis generandi non insit; tunc verò nullum est Matrimonium, cum natura incapacitas ad Matrimonium hoc casu agnoscatur. Secus verò accidit, ubi frigiditas ad tempus sit, & radicalis (ut loquuntur) potestas non desit, ut accidit in senibus, de quibus jam differendum.

[c] Et senes.

Senes quomodo impediantur.

Impedimentum impotentiæ reiicere videretur
13 a Nuptiis etiam senes. At Ecclesia in humanitatis, & imbecillitatis solatium eis Matrimonium inire permisit.

Distinguendum tamen. Nam senum duplex genus. Quidam ità confecti sunt ætate, adeo viribus exhausti, ut ad copulam habendam sint impotentes, nec ulla medicorum ars quidquam
14 valeat proficere; hi verò invalidè contrahunt;
15 imo illud monet tamquam singulare, & perpetuo memoria recolendum Sanchez L. 7. *de Matr. disp.* 108. *n.* 21. Non esse in hisce senibus triennium experientiæ expectandum ad hoc, ut postea separatio judicetur; Nam sufficit brevius tempus arbitrio Judicis taxandum, ut observat Narbona de ætate *anno* 50. *q.* 6. Ratio est; quia, cum id triennium concedatur, ad experiendum, an decursu temporis, ac longo usu Natura vires assumat; in senibus potius Natura quotidiè redditur infirmior.

Quidam alii senes, quamquàm propinqua,
16 & expedita facultate generandi destituantur, possunt tamen habere perfectum actum coniugalem; hi Matrimonium validè contrahunt. Neque enim quisquam adeò senex est, quin aliquandò Natura, vel arte medica possit calere. Undè incontinens esse potest senex, ad Textum in *cap. eum in juventute de præs.*

Ideò nihil impedit, quominus senes contrahant, idque etiam Legibus dispositum, *L. sancimus 27. C. de Nupt.* L. *si major 12. C. de legit. hær.*

Neque ex historiis exempla desunt senum, qui prolem habuerunt. Abraham anno ætatis 140. Ceturam duxit, & liberos suscepit, *Genes. cap.* 25. - Cato Censorius octogenarius filiam duxit Solonis Clientis sui, ex qua Catonem, avum Uticensis procreavit, *Plutarch. in Catone* - Masinissa Numidiæ Rex nonagenarius puerum quadrimum Methymnatum reliquit, *Valer. Max. L. 4. cap.* 14. 17

Quocircà Aristoteles 7. *Polit. cap.* 16. ita scribit: *mares plurimi ad sexagesimum generant, quem si excesserint ad septuagesimum usque procedunt.*

Atque adeò conceditur Matrimonium senibus jure optimo. Et licet fortè non generent; tamen erit illorum Matrimonium in humanitatis solatium, *can. Nuptiarum 27. q. 1.* ibi: *Nuptiarum bonum, semper est quidèm bonum: sed in populo Dei fuit aliquando Legis obsequium: nunc est infirmitatis remedium. In quibusdam verò (ut in senibus) humanitatis solatium;* ut eis nempè serviatur in suis necessitatibus *can. omnino 31. dist.* Et ideò in Genesi *cap.* 2. de muliere scriptum est: *faciamus ei adiutorium simile;* Et, ut dicebat Hierocles *in L. Nupt. Nihil tam onerosum, quod vir, & uxor non facillimè ferant concordes &c.* Ideo Jure Civili uxor tenetur, & operas suas præstare marito, & ejus utilitati, *L. sicut ff. de Oper. libert.* 18

Dicat aliquis. Si senibus Nuptię ad imbecillitatis solatium permittuntur, cur non etiam eunuchis. 19

Respondetur discrimen esse, quia non potest contrahi Matrimonium, nisi tria bona Matrimonii accesserint, vel re, vel spe, *can. omne 27. q. 2.* quæ planè in eunuchi coniunctione nec re, nec spe omnia deprehenduntur. Sunt enim tria bona proles, fides, Sacramentum. Ab eunucho proles non speratur.

[d) Frigiditate consistantur.

Frigidi a Nuptiis amoventur.

Frigidi insuper impotentes sunt. En verba Textus *in cap. accepisti de frigid.* ibi: *accepisti mulierem, & per aliquod tempus habuisti, per mensem, aut per tres, aut per annum. Et nunc primum dixisti, te esse frigida Natura, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua alia; et si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat, quia tu dicis, si probari potest per verum indicium, ita esse, ut dicitis separari potestis.* 20

En et alia verba Textus in *cap. litera 7. de frig.* ibi: *dicta mulier proposuit coram vobis, quod cum jam octo annis elapsis dicto A. fuisset matrimonialiter copulata, & diù cohabitasset eidem, nunquam tamen, licet esset viri potens, ab eo cognita fuerit, sed adhuc integra permanebat, eo quod praedictus vir non habebat potentiam coeundi, quare petebat, inter eos divortium celebrari (& in fine) proferatis divortii sententiam inter eos.*

Ecce, claræ constitutiones decidunt, coniugium

gium dissolvi ob frigiditatem in marito compettam.

21 Ceterum hujus impotentiæ exempla historica passim occurrunt. Antonius Caracalla Imperator, ex morbo impotens factus, cum virginem Vestalem Clodiam Lætam stuprasse, diceretur, eaque viva esset de more sepelienda, clamavit idem, se certò scire, hanc Virginem esse, ob suam impotentiam, *Xiphil. in Anton.* - Carolus Crassus Imperator similiter impotens ob frigiditatem, uxorem Ricardam Regis Scotiæ filiam adulterii insimulabat; casta fęmina, quę impotentiam Viri, tot annis cęlaverat, integritatem suam per obstetrices patefecit, & vomeribus candentibus se purgavit, *Cusp.* - Martinus Aragonum Rex, amisso Martino fratre unico Siciliæ Rege, suasu procerum, uxorem duxit Margaritam Petri Comitis Pratensis filiam; at nullo pacto cum ea potuit coniungi.

22 Quare nescio, quo pacto approbari possit, quod Cardinalis vetus Canonista asserit, frigidum nempe naturaliter esse neminem; ità ille in *cap. qui sitit* 33. *q.* 5. Sed perperam.

Nam pręter adductas historias, & auctoritates, & exempla, quę in dies occurrent, convincitur hoc assertum Cardinalis ex aliis auctoritatibus - Gregorius enim Joanni Ravennati Episcopo ità scribit *in can. quod autèm* 33. *q.* 1.. Quod autem interrogasti de his, qui Matrimonio juncti .. sunt, & nubere non possunt: si illa alium, .. & ille aliam ducere possit? (*& in fine*) accipiat alium - D. Joannes Chrysost. *in can. sicut* 32. *q.* 5. ibi.. Illa est gloriosa continentia .. non quam transgredi non potest necessitas debilitati corporis - Item Gregorius in Epistola scripta Ravennati Episcopo relata *in can. requisisti* 33. *q.* 1. ibi .. requisisti de his, qui ob .. causam frigidæ Naturæ dicunt, se non posse .. invicem operam carni dantes commisceri - Præter hæc, D. Hieronymus in *can. qui sitit* 33. *q.* 5. ibi: *alios eun chos Natura facit.* Ergo tam expressi canones patefaciunt, id posse evenire, ut aliquis Natura sit frigidus.

[*e*) *Ut nequeant cognosci.*

De muliere obstructa.

23 De muliere obstructa similiter principiil loco tradimus, cum ea nullum esse Matrimonium.

Quod expressè traditur in *cap. fraternitatis* 6. *de frig. & mal.* ibi .. qui tandem in fide sua .. tibi asseveravere constanter, quod eadem mu- .. lier non poterat esse mater, aut coniux, tam- .. quam cui Naturale deerat instrumentum. Un- .. de inter ipsam, & virum illum divortium .. celebrasti, mulierem ipsam inducens, ut ad .. aliquam Religionem se transferret, perpe- .. tuam continentiam servatura.

Item Alexander III. *in cap. ex literis de frig.* ibi .. Quod si tibi constiterit, quod illud vitium .. a Natura contraxerit, nec ope medicorum po- .. terit juvari, viro aliam accipiendi liberam .. tribuas facultatem.

Sed Quęstionis est, an talis mulier obstructa pati debeat incisionem; alioquin, si renuat, Matrimonium sit invalidum? 24

Conclusio recept or distinctionem continet. Aut enim ex incisione mortis periculum prævidetur, aut periculum nullum imminet. Cum periculo, ab incisione abstinendum; sine ullo periculo mulier pati incisionem obligatur.

Probatur duobus ratiociniis hæc assertio.

I. Quia jam contracto Matrimonio uxor in virum sui corporis potestatem transtulit; ergò ipsa aptam se hujus potestatis executioni reddere obligatur.

II. Quia cavendum est periculo incontinentiæ viri, nisi sua uxore uti possit; ergò prępònderat hoc periculum incommodo incisionis.

III. Adiicitur ratiociniis hisce Juris etiam consideratio. Nam in *cap. fraternitatis de frigid. & mal. vers. nos tamen* ità scriptum est .. quod .. pręter divinum miraculum per opus huma- .. num, absque corporali periculo potuit re- .. moveri sententiam divortii, per errorem licet .. probabilem novimus, esse probatam. Notetur, Judicem Ecclesiasticum in specie hujus Textus separavisse a viro uxorem obstructam, ante quam injungeret incisionem, ut poterat Judex ipse Ecclesiasticus, Sanchez L. 7. *disp.* 93. *q. ult. sub n.* 34. *vers. quod cum Matrimonium*; Quid deciditur ex verbis adductis? Deciditur, per errorem secutam fuisse separationis sententiam: Sed cur per errorem? Quia per opus humanum, absque corporali periculo, potuit obstructio removeri. Usque adeo verum est, teneri mulierem pati incisionem.

IV. Et alia accedat observatio, ex eodem *cap. fraternitatis* §. *per hac*, ubi eadem hęc nostra Quęstio proposita apparet, & ait in fine idem Pontifex: *De talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro.*

Quod nimirum tunc primò declaratur, cum obstructa fuisse Matrimonium; cum obstructa esse definit; exemplo ejus quod est in L. *sicut*, §. *sed si quaritur ff. si servitus vind.* in L. *adeo* §. *cum quis ff. de acq. rer. d. in can. requisivisti* 33. *q.* 1.

V. Quia, cum potest mulier facile pati incisionem, & renuit; videtur habere propositum, debitum denegandi viro suo, atque illud nequaquam exigendi; quod propositum repugnat uni ex bonis Matrimonii. Tria sunt bona Matrimonii, proles, fides, Sacramentum. Repugnat ergò proli, *can. solet* 32. *q.* 2. *can. aliquandò ib. cap. ult. de cond. appos.* & secundum Leges esset in causa redhibitionis L. *quaritur ff. de Ædil. edicto.*

Et de hacipsa Quæstione, quoad validitatem Matrimonii, egregiè Glossa *in cap. ex literis verbo medicorum de frig. & mal.*

[*f*] *Facultas eripitur.*

De Magicis artibus.

Ma-

25 Magicis artibus rei Venereæ facultatem quandòque eripi, iam demonstrandum est.

Id verò accidere posse, negabit nemo, ob Textus Juris Canonici expressos.

I. Audiatur Textus in *can. si per fortiarias*
26 33. *q.* 1 ibi: *si per fortiarias, atque maleficas, occulto, sed numquàm iniusto Dei judicio permittente, & Diabolo praparante, concubitus non sequetur; hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, spiritu humiliato Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatus suis puram confessionem faciant etc.* At hic Textus est Epistola scripta jussu Synodi Tussiasensis, ad Archiepiscopos Aquitaniæ, occasione Nuptiarum Stephani Comitis Arvernorum, & filiæ Regemundis Comitissę Tholosanæ, ut patet *ex notatis a Sirmundo ad Capitularia Caroli pag.* 94.

II. En alium Textum *in can. requisisti* 33. *q.* 1. ibi: *si igitur vir aliam vult uxorem accipere, manifesta patet ratio, quid, suggerente Diabolo odii fomitem, exosam eam habuit &c.*

Scio, aliter hunc Textum accipi a Glossa; sed ipsa fatetur, literam Textus esse valdè obscuram. Ego tamen puto, Textum claré loqui de maleficio; nam artes Dæmonis variæ sunt, ut aliquis impotens ad coniunctionem reddatur; potest tales animi affectus movere, ut vir abhorreat a coniunctione cum sua uxore, quasi ipsa coniunctio sit sibi quiddam odiosum. Huc pertinet, quod Virgilius cecinit de sagæ susurris *L.* 4. *Æneid.*

Hęc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras immittere curas.

Non enim ignorat Dæmon causas impotentię, velnti ex calore imminuto; eumdem igitùr potest imminuere. Non ignorat, ob tristitiæ, timorisque imagines impressas in mente, concupiscentiæ fomitem refrigescere, igitur talem imaginem defigere in mente potest.

III. Jus Canonicum distinguit Naturalem frigiditatem ab ea, quę Naturalis non est *cap. quod sed m de frigid. et mal.* ibi: *Verum, licèt Ecclesia Romana non consueverit, propter Naturalem frigiditatem nec propter alia maleficia legitime coniunctos dividere* - Item *in cap. ex literis, ibid.* ibi: *Quod si sibi constiterit, quod illud vitium a Natura contraxerit* - Item *in cap. laudabilem, ibidem per* ibi: *id tamen in præsenti consultatione sentimus, ut si Naturaliter frigidus non potest illa, quam duxit, uti pro coniuge* - Ergò hi Textus dum frigiditatem aliquam vocant Naturalem, significant, dari aliam frigiditatem, quæ utpotè arte Demonis, & fascinationibus inducta, Naturalis non est - Addo ipsum Rubricam *de frigidis, & maleficiatis,* quæ probat, maleficium dari posse. Atque hic annectam, quę Stephanus de Gaeta scripsit in *can. ad limina* 30 *q.* 1. *q.* 237. *n.* 544. ibi: *& sic Ecclesia permittendo, separari Matrimonium propter maleficium, videtur fateri, quod sit possibile, fieri posse talia maleficia, in quo, & si multa dici possent, tamèn, quià sic est receptum, non expedit instare.*

IV. Plura alia ad confirmationem addi possunt; nam Gregorius Turonensis *de Eulalio L.* 10. *cap.* 8. sic ait: *Eulalius puellam de monasterio Lugdunensi diripuit, eamque accepit: sed concubinæ eius, instigante invidia, maleficiis sensum ejus oppilaverunt.* Tertullianus pariter, timendum fascinum, scripsit ita. *Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant. &c.* Eoque pervenire potest fascini vis, ut etiam interficiat. En verba Concilii Illiberini *can.* 6. ibi .. si quis vero maleficio interficiat al-.. terum, eo quod sine idolatria perficere scelus .. non potuit, nec in fine impartiendam esse il-.. li communionem. Longus sim, si exempla ex historiis persequi liberet. Uno, aut altero contentus ero. Narrat Paulus Æmilius *L.* 3. *historia Franc. in Clotario*, Theodericum Mediomatricum Regem remisisse ad patrem Hermembergam uxorem suam filiam Bertici Regis Hispanię, quod florem virginis delibare non potuit, maleficis artibus prohibitus. De Aurelio idem tradidit Zonaras 2. *Tomo pag.* 223.

V. Remedia ipsa in maleficia, quæ Sancta Dei Ecclesia approbavit, demonstrant pariter, maleficia extimescenda.

Ad maleficii namque vim contundendam prodest S. Eucharistiæ perceptio *D. Aug. L.* 22. *de Civit Dei*, L. 1. vitæ S. Bernardi *cap.* 10.

Aliud remedium esse oleum benedictum, scribit *Beda in Lucam cap.* 8. *fol.* 315. *Surius in vita S. Lannomari* 14. *Jan. Metaphrastes in vita S. Eucheria* 7. *Febr.*

Alterius remedii usus efficax Reliquię Sanctorum, *Sozomen L.* 7. *cap.* 26. *Nicephor.* 10. *cap.* 8. *Gregor. Turonens.* L. 2. *de gloria.*

An non Exorcismorum in Ecclesia institutorum efficaciam docet inveteratus Ecclesiæ usus, ut constat *ex Epistola S. Ignatii ad Antiochum, Surius in vita S. Mauritii cap.* 10. *& in vita S. Oportuna* 22. *Maii.*

Et in sortilegas procedunt Inquisitores hæreticæ pravitatis; & sortilegi sunt etiam qui fascinis opus Nuptiarum impedierunt, Carena *in Direct. P.* 2. *Tit.* 11. §. 2. *n.* 0. *pag.* 163.

(g) Ante Nuptias.

Fascinum ante Nuptias impedit.

Ante Nuptias maleficium, ac defixiones impedivisse coniugem, oportet: Post Nuptias fascinum attentatum dirimens impedimentum 27
non est.

Hac distinctione in contextu sumus usi; sed tota pendet ex Textibus in corpore Juris existentibus.

En verba Textus *in cap. quod sedem de frig. & mal.* ibi .. Verùm, licet Ecclesia Romana .. non consueverit propter Naturalem frigidita-.. tem, nec propter alia maleficia legitimè co-.. niunctos dividere. Quæ litera est apud Gonzales juxta *primam collectionem hoc T. cap.* 2.

Audi Innocentium IV. Pontificem *in cap. litere*

tera vestra de frigid n. 1. *vers. item*, ibi .. Item .. ad hoc, quod maleficium dirimat Matrimonium, necesse est, quod praecesserit. Si autèm .. sequitur, nunquam dirimit.

Ratio est, quia, quod iam contractum est Matrimonium, vinculum tam firmum est, ut ad eius solutionem plus exigatur; quàm si initio impedimentum occurreret. *can. hi, qui* 32 *q.* 7. *cap. discretionem, cap. tua de eo, qui cognovit consf.* Et quod aliquandò validum fuit, sola mors potest dissolvere, & dicam infra n.

Illud tamèn observandum, olim in Gallia consuetudinem fuisse ab Ecclesia toleratam, ut, si
28 impedimentum supervenisset maleficii, dissolveretur Matrimonium. En testimonium Pontificis *in cap. quod sedem juxta litteram Gonz. de frig.* ibi .. si tamèn consuetudo generalis Gallicanae .. Ecclesiae habet, ut hujusmodi Matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus: quod notat Gonzales *ib. addita constitutione ex Lib. 6 Capit. Caroli cap.* 91. *& Fulberti Cornotensis Epist.* 48.

[*h*] *Separatio declaratur.*

De triennio ad noscendam impotentiam.

Post triennium separatio, propter detectam impotentiam declaratur.

Sed quomodo declaratur? Qui ritus, quae so-
29 lemnitas, quae forma adhibetur? Jam dicam. Imprimis haud facile credendum mulieri de viri sui impotentia, sed ad ipsius querelam, seorsim primùm singuli interrogandi sunt, & praemisso juramento eorum responsiones in scriptum redigendae. Deinde seorsim vocandi singulorum coniugum propinqui, qua forma dicitur a Canonibus sic fieri statuentibus *septima manus propinquorum, ita in cap. laudabilem de frig.* ibi: .. At verò si, quod nunquam se invicem cognoverint, ambo fatentur cum septima manu pro .. pinquorum. Ita *in cap. litera ib. in fin.*, ibi: .. ipsis cum septima propinquorum manu jura .. mento firmantibus, se nequivisse carnaliter .. commisceri, proferatis divortii sententiam in .. ter eos. Ita, *in can. requisisti* 33. *q.* 1. ibi: .. & uterque eorum septima manu propinquo .. rum tactis sacrosanctis Reliquiis jurejurando .. dicat, &c.. Haec igitur septima manus deponet, quid hac de re compertum habeat. Si haec ad rei investigationem satis non erunt, denuò interrogantur coniuges, ut deprehendatur, an persistant, an varient, an aliquid superaddere ipsis libeat ultra primas responsiones. His omnibus succedit decretum inspectionis sexuum, foeminae quidèm per obstetrices jurejurando adactas; viri autèm per medicos, & chirurgos similiter juratos. Si nec sic quidem constet, virum esse prorsus impotentem, aut, si aliqua laborat impotentia, non constet, eam esse perpetuam, Jura decernunt experiendi, & explorandi gratia trium annorum cohabitationem. Postremò post temporis legitimi experimentum pars utraque rursus interrogatur: proceditur ad novam sexuum utriusque partis inspectionem iisdem sub formis jam relatis antea: succedit his definitivum judicium, vel perpetuae cohabitationis, vel separationis.

Quam praxim tradit Cabassutius *Scientia Can.* L. 3 *cap.* 24. *n.* 58. *pag.* 463. deductam *ex cap. laudabilem, ex cap. fraternitatis de frig. ex cap. requisisti* 33. *q.* 1. & ex Doctrina Innocentii IV. ad Rubricam de *frigid. n.* 2. ibi .. & nota, quod .. tria argumenta inventa sunt ad probationem .. frigiditatis, scilicet aspectus corporis, jura .. menta septimae manus propinquorum, & .. triennium. Sed discretus Judex providebit, & .. utrum unum solum, vel duo, vel omnia .. tria argumenta faciat praestari. Et, cum in .. sententia separationis Matrimonii periculum .. animae vertatur, melius est, quod superabun .. dent probationes, quàm deficiant.

[*i*) *Novum Matrimonium.*

Non impotens post divortium rursus contrahere Nuptias potest.

Est ne igitur ita, ut dicimus, quod secuta separatione per sententiam, pars non impotens 30
novas queat Nuptias contrahere?

Ita est. En Textus expressos.

I. *In cap. accepisti de frigid. in fine*, ibi .. si .. probari potest per rectum Judicium, separari .. potestis: Et illa, si vult nubat in Domino.

II. In *cap. ex litteris de frig.* ibi .. Respondemus igitur, quod si vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit .. adiuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas .. facultatem.

III. In *can. requisisti* 33. *q.* 1. ibi .. Quod si .. mulier causatur, & dicit, volo esse mater, .. & filios procreare, & uterque eorum septima .. manu propinquorum tactis sacris Reliquiis .. jurejurando dicat, quod nunquam per com .. mixtionem carnis coniuncti una caro effecti .. fuissent, tunc videtur, mulier secundas Nup .. tias contrahere posse.

IV. In *can. quod autèm* 33. *q.* 1. ibi .. si po .. test probare per justum judicium, quod ve .. rum sit, accipiat alium.

Clarissimi hi Textus sunt, & probant, post separationis sententiam rescissum esse Matrimonium. Cur ergò non liceat secundo nubere?

[*k*) *Secus verò.*

Impotens, post divortium abstinebit a Nuptiis.

Pars alia impotens divisa, ab alia, quae potens est ad opus Nuptiarum, contrahere cum 31
alio Matrimonium non potest: quod dum dicimus, supponimus, impotentiam esse absolutam, non respectivam, qualis esset impotentia obstructionis, cui per sectionem, absque vitae periculo occurri non possit, quod & notavit Cabassutius in Scientia *Can. L.* 3. *cap.* 24. *n.* 9.

Imò

Imò ex *cap. fraternitatis de frig. & maleficiatis*, deduco, impotentem modo jam explicato mulierem induci solitam fuisse Monasterium ingredi, ait enim Textus: *Unde inter ipsam, & virum illum, divortium celebrasti, mulierem ipsam inducens, ut ad aliquam Religionem se transferret.*

(*l*) *Nullatenus illud.*

Superveniens impotentia ad dirimendum Matrimonium non sufficit.

Impotentia superveniens dirimere Matrimo-
32 nium jam legitimè contractum non potest. Huc spectat, quod est *in regula 73. de Reg. Jur. in 6. Factum legitimè retractari non debet, licet casus posteà eveniat, a quo non potuit inchoari.*

Hinc Matrimonium ob supervenientem affinitatem non dissolvitur, *cap. discretionem 6. cap. pen. & ult. de eo, qui cognovit consang. cap. 2. de cons. & aff. cap. literis de test. cap. 4. de desp. impub. cap. veniens de reg. cap. qui dormierit can. concubuisti 32. q. 5.*

At quomodò, si hoc verum est, explicabitur historia Lotharii Regis? Qui cum asseveraret,
33 Theutbergam uxorem suam Lothario fratri se commiscuisse, declaratum est a Conciliis Aquisgranensi, & Metensi, Lotharium a vinculo Matrimonii esse solutum. Ergò impedimentum superveniens videtur dissolvere connubium jam celebratum.

Respondetur, Concilium Aquisgranense, & Metense potius Conciliabula fuisse, unde ea condemnavit Nicolaus I. in Concilio Romæ celebrato, teste *Baronio Tomo 8. anno 663. & Coriolano in summa Conciliorum eodem anno.*

Hinc etiam intelligitur, cur, si furor Matrimonium celebratum subsequatur adhuc tamen vinculum perseveret, *can. his qui, cap. neque 32. q. 7.* Cum tamen furor præcedens Matrimonium illud dirimat Natura ipsa, cum furens consensum non habeat, atque ita statuitur in *can. neque furiosus 32. q. 7.*

Neque oberit, si expendatur Textus *in cap. majores §. item quæritur de Baptismo*, ubi, qui ostendit ante furorem voluntatem Baptismi, illum valide etiam furore postea percitus, suscipit. Quidni igitur furore correptus validè contrahat?

Sed facile respondetur, nam aliud est recipe-
34 re Sacramentum, aliud est ejus esse ministrum; ad validitatem Sacramenti, quod recipitur, saltem intentione virtuali recipientis opus est. Ad illud administrandum actualis intentio requiritur cum actu humano. Jam vero sponsi sunt ipsi in Sacramento Matrimonii Ministri; ergo intentio virtualis non sufficit, ita Gonzales *in cap. dilectus de sponsi. n. 4.*

Hinc pariter intelligitur, cur cognatio spiritualis superveniens non dirimat Matrimonium
35 jam legitimè contractum; sed ad summum quoad cohabitationem separetur *can. 2. 30. q. 1.*

Quod si, & alios casus ultra Matrimonium eamdem regulã confirmantes, respiciamus; idem contingit, in præsentatione; nam præsentatus 36
ad Beneficium ab eo, qui in possessione erat Juris Patronatus, non removetur, licet præsentans posteà Jure Patronatus cadat, *cap. consultationibus 19. de Jure Patr. cap. querelam de elect.*

(*m*) *Sororem habeat.*

DISSERTATIO UNICA.

De coniugibus, qui solum fraterno more debent vivere.

Hoc est, quod in similibus coniugibus Sacrosancta Romana Ecclesia consuevit judicare, ut, quæ non possunt haberi tamquam uxores, 37
habeantur tamquam sorores; sunt verba Textus *in cap. consultationi 3. de frigid.* Explicat id Canisius *in summa Tit 15. L. 2. §. 5.* ait enim, quod non prohibentur frigiditate, vel obstructione impediti, ex utriusque consensu simul commorari.

Et meritò consuetudo hæc fuisse dicitur S. R. Ecclesiæ, ut permittatur his coniugibus ad mo- 38
rem fratris, & sororis vivere; nam & id Canones longè antiquiores disponunt, veluti Textus Gregorii *in cap. requisisti 33. q. 1.* ibi: *Iste verè si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem.*

Nolim tamen, studiosum Juris hac in re decipi. Inveniet enim, & ut sorores tractandas uxores, quas Græci post contractum Matrimonium 39
ordinati retinebant, *can. omninò 31. dist.* ibi: .. omninò confitemur non licere Episcopo, Presbytero, Diacono propriam uxorem causa Religionis abiicere a cura sua, scilicet ut ei victum, & vestitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat. Idem ait Innocentius I. *in Epistola ad Exuberium cap. 9.* Concilium Aurelianense I. *can. 15.* Turonense II. *can. 13.* Arvernense *can. 12.*

Jam notetur, quod & si ordinati in Sacris, uxores suas, tamquam sorores tractarent, tamen cum his Matrimonium jam validè contractum erat, & adhuc validum perseverabat.

At verò in nostra specie, ubi impedimentum dirimens detectum est, compertumque; ad morem sororis, & fratris vivunt coniuges, qui vere non sunt coniuges. Cur ita? Quià nimirum cognita impotentia, nullum fuisse Matrimonium, constat. Et hoc haud obscure innuit Pontifex Lucius III. *in cap. consultationi 3. de frigidis*, dum sic loquitur: *ut, quas tamquam uxores habere non possunt, habeant tamquam sorores.* Ergò habere tales fœminas impeditas viri non pos- 40
sunt in uxores, adeoque invalidum est Matrimonium, ut infert Innoc. *in cap. laudabilem ib.*

Attamen quidni possint consentire in quandam societatem intimam, instar fratris, & sororis? Quidni possunt id vitæ institutum suscipere, ut invicem mutuo auxilio sint, seque alant, & neces-

necessitatibus amore quodã inostaminato prospiciant? Ut colligitur ex dicto *canone omninò 31. dist.*

Illud tamen diligenter observandum, neque
14 in eodem lecto dormire, neque incontinenter vivere eos, oportere. Imò, si quis eorum carnis illecebris angitur, noscitque periculum, ne ad amplexus, oscula, aut turpiores actus prorumpat, tenetur reclamare, ut auctoritate Ec-
42 clesiæ separetur ad hoc, ut scandalum vitetur, ut colligitur ex motu proprio Sixti V. apud Sanches, ad cujus mentem hæc docemus, L. 7. *disp.* 96. *n.* 5. Sixtus V. hæc habet .. Eos autem, qui .. jam sic de facto contraxerunt, si appareat, .. eos, non ut castè simul vivant, contraxisse, .. sed actibus carnalibus, & libidinosis operam .. dare; simulque in uno, eodemque lecto cum .. prædictis mulieribus dormire conuincantur, .. omnino similiter separari cures.

Sed, an perpetuò in hac societate manere debent?

Negatur, obligari tales coniuges, qui vere
43 non sunt coniuges, in hac societate perpetuo manere. En verba Gaetæ peritissimi Canonistæ *in can. ad limina 30. q. 1. n. 531* ibi; *sed quod si consentiunt simul commorari, hoc facere possunt, quamdiu eis placebit*.

Imò unus ex his, aut ambo, alias Nuptias inire possunt; neque tamen, si quis eorum tan-
44 tùm contraxerit cum alio coniuge Nuptias, obligatur, ut sororem & tenere, & alere eam, cum qua antea contraxerat licèt inutiliter; quia nullo Jure dispositum id invenitur, ut docent Antonius *de Butrio in cap. laudabilem de frigid. Hostiensis, aliique apud Gaetam, ubi supra*.

Ratio est, quia in Jure Canonico talis societas, veluti fraterna consilio est, non ex
45 præcepto; utuntur quidã canones verbo habeat non tamen hoc verbum indicat præceptum, cum pro subiecta materia verba sint accipienda; versamur autem in Matrimonio, quod est irritum. Vita ergò socialis sub consilio est; imo altero inviro, ab hoc contractu licet resilire.

Sed quanam ratione placuit Sacris Canonibus, ut loco sororis vir, quam in uxorem habere non potest, tractaret?

46 Nemo est, qui hanc rationem tradat. Ego, tamen arbitror, considerasse Canones, quàm multa concurrant in Matrimonio, nempè consensus, nempe amor, nempe fortunarum communicatio, & nobilitatis *L. famina ff. de senat.* L. *in suis ff. de lib. & posth.* L. 1. *ff. de ritu Nupt.* L. *ult. C. de Nupt.* L. *mulieres C. de dignit.* L. 12. nempe prolis desiderium, nempe tam arcta coniunctio, ut non tam uxor, quasi filia sit, & quasi soror, sed una substantia, unum corpus, una caro. Si igitur comperta impotentia, consensus non deficit, nempe amor pristinus in eam, quæ, si coniux fuisset, & filiæ, & sororis instar fuisset, cur hoc saltem non potuit indulgeri incolumi honestate, ut impotentes, conceptum amorem intra fines pudicitiæ custodirent, conservarentque? Si enim Matrimonium, alioquin invalidum, valet in vim sponsalium, *cap. tua 14. de desponf. impub. cap. un. §. idem quoque eodem in 6.* quia Matrimonium virtute includit in se etiam sponsalia; pariter, cum volens ducere aliquam in uxorem, eo quoque amoris sensu afficiatur, qui fraternus judicari solet; jure optimo, si cetera desint, ejus amoris fructum, qui in pura, castaque societate est, se percipere, permittitur.

Non tamen, licet, qui Nuptias contraxerunt, ob impotentiam consentiant fraterno more vi- 47
tam agere; dos, quæ tradita fuit ab uxore, est retinenda. Quippe, cum nullum sit Matrimonium, dos esse non potest. *L. Iulianus 20. ff. de jure dot.* L. *dotis* 3. L. *si ego Seja 9. in P. L. tali* 48. *ff. de jur. dot.* Promissio enim dotis causa facta, semper in se conditionem, *si Nuptiæ sequantur*, continet, L. *promittendo 41. §. 1. ff. de jure dot.* L. *intestamento* L. *Titio centum* 71. *§. Titio genero L. conditionum 91. ff. de cond. & demonstr.* Quo circa nullum titulum habet vir dotem retinendi, præsertim cum non tam firma sit hæc societas, quin si velit uxor, ab ea recedere, Nuptias cum alio contrahere non possit, ut nuper demonstratum est. Ergò expedit huic mulieri, dotem impromptu esse, ut Matrimonium, si velit, cum alio celebrare queat.

Hinc sequitur, non obligari virum hanc mulierem alere. Ratio est, quia, si vir cognoscens suam impotentiam, ac decipiens uxorem, non 48
obligatur hanc alere, ut ex veriori sententia statuunt Gaeta *ubi supra q.* 128. 531. aliique relati a Sanchez L. 7. *disp.* 96. *n.* 10. multò minus, si vir se impotentem non agnoverit ante Matrimonium, obligabitur uxorem hanc, quasi sororem alere. Adeòque neque dos retineri poterit hoc alio titulo ad alimenta præstanda. Nam et in *Novella 2. cap. ult.* scriptum est, iniquum esse, quod uxor alatur a viro non tradita dote sibi promissa, argumento L. *si donaturus 9. §. 1. ff. de condict. causa data causa non seq.* ergò multò minus qui maritus non est, eam, quæ solum tamquam soror detinetur, alere obligabitur.

Hinc & praxis recepta est, quod maritus post separationem thori secutam ob uxorem adulteram, ad ratam dotis receptæ eam alere obligatur, *Rota parte 16. recent. decis. 117. Marescottus variar. resol. cap. 83 n. 66.* L. 2. Cur ita? nam uxor, licet adultera, non definit esse uxor. Quamvis hoc procedat, ut teneatur maritus hanc alere, si vitam ducat inculpatam *Osaseb. decis. 114 Bajard. ad Clarum §. adulterium n. 113.*

Tandem illud nos monet Petrus Barbosa ad 50
L. 1. ff. solut. Matr. prima parte sub n. 93 pag. 132. his verbis: *Et ideo cum manifesto se exponant periculo, tutius est separare*; idemque censet *Gutierez in quæstionibus can. cap. 16. n. 6.*



DE

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE, ET RAPTU.

TITULUS XVII.



Atrimonium publicè est celebrandum: clàm factum, clandestinum est. Semper Ecclesia clandestinas Nuptias [*a*] improbavit. At quid proderat toties improbasse, si vix poterat hominum inconsulta temeritas cõpesci? Heu (*b*] quàm multi transibant ad alias Nuptias, adhuc primo Matrimonio constante, quod tamèn erat occultum Ecclesiæ, ignotumque; idciro huic malo facile succurrere non poterat! Quàm multi blando Nuptiarum nomine pellecti, rem tam arduam absque seria deliberatione aggrediebantur; paulo post pœnitentia facti oriebatur, tum rixæ, atque discordię! Quàm multi privatim contrahebant, latentis impedimenti ignari; quod posteà detectum causam dabat dissolutioni Nuptiarum, non sine scandalo! Lateranense quidèm Concilium tot, tamque magnis insurgentibus malis, ut exactiùs prospiceret, severioribus (*c*) pœnis audaciam sic nubentium reprimere tentaverat in *cap. non dubium de cland. desp.* Nondum tamèn erat ulla constitutio, quæ irritas hasce Nuptias declarasset; & hoc unicum fore remedium, experientia ipsa demonstrabat. Ergò Tridentina Synodus, Divino Spiritu instruente, decreti sanctissimi innovatione pronunciavit, clàm contrahentes, sine Parocho (*d*) ministro, vel sponsi, vel sponsæ, & sine testibus, omninò inhabiles esse ad contrahendum, ipsumque connubium validitate carere, *Sess. 24. cap. 1. de Refor. Mat.* arbitrio (*e*) Episcopi punitione relicta. Et potuit Sancta Dei Ecclesia ita Nuptias irritare. An non, & iam antea irritaverat Matrimonium ob errorem in conditione servili? Matrimonium insidiantium Nuptiis alienis? Ergò tam irritum est, post hoc decretum, Clandestinum Matrimonium, ut neque (*f*] in mortis articulo illud valere possit.

Sed quià ad perfectam Matrimonii publicationem denunciationes quoque ab Ecclesia reposcuntur, clandestinum quoque vocabitur Matrimonium, si denunciationes futuri Matrimonii omissæ fuerint; non tamèn erit irritũ. Imò eas poterit Episcopus (*g*) remittere prout viderit expedire.

Postremò raptus [*h*) est impedimentum dirimens. Quousque rapta est sub raptoris potestate, Matrimonium cosistere nequit *ex decreto Tridetini Sess. 24. cap. 6.* Et Sacra Congregatio *die 23. Ian. anno 1586.* decidit: *raptores ob aliam causam, quàm ut in uxores ducant, non comprehendi a Concilio*; refert *Gallemart ad Trid. Sess. 24. cap. 6.* De pœnis raptus libro IV. tractabitur.

SUMMARIUM.

1 ANTE Tridentinum Conc. clandestinæ Nuptiæ erant validæ.
2 Quidã Doctores tamen, invalidas fuisse, putarunt.
3 Quibus solemnitatibus vellet Ecclesia, contrahi Matrimonium, ne esset clandestinum.
4 Charivarium quid esset.
5 Cur sponsæ velarentur.
6 Ipso Jure Civili clandestinitas reprobata,
7 Quot mala ob clandestinitatem exoriantur.
8 Ecclesia non judicat de occultis.
9 Quibus pœnis olim clandestinitas puniratur.
10 In clandestino Matrimonio locum non habet præcedens restitutio ob spoliationem.
11 Adducitur decretum Concilii Tridentini.
12 Nihil interest, Parochum esse invitum.
13 Ubi non est publicatum Concilium, valet Matrimonium clandestinum.
14 Valet Matrimonium factum coram Parocho non Sacerdote.
15 Parum interest vice ne, an mulieris sit Parochus.
16 Parum interest, Parochum dissentire.
17 Parum interest, Parochum, & testes esse invitos.
18 Nec requiritur, Parochum loqui.
19 Invalidum est Matrimonium, si dedita opera sponsi in regionem abierint, ubi non est promulgatum Concilium.
20 Parum refert actu ipso contrahendi coram Parocho loci, sponsos habere animum inde recedendi.
21 An valeat Matrimonium contractum coram Parocho prima tantum tonsura initiato.
22 Item, an valeat, si erret Episcopus in eo deputando, quem censebat Parochum.
23 An valeat, si Parochus in aliena Parochia intersit Matrimonio.
24 Subrogatus a Parocho an debeat ejus habere licentiam expressam.
25 Valet Matrimonium contractum coram coadjutore Vicarii.
26 Soli testes non sufficiunt.
27 Decretum Concilii non extenditur ad sponsalia de futuro.
28 Decretum Concilii privatam respuit interpretationem, ex Bulla Pii IV.
29 Quomodo intelligatur hæc Bulla.
30 An Decretum Concilii deroget Clement. I. de Privil.
31 Ubi nam Concilium non sit receptum.
32 Refellitur decisio DeckKerii.
33 Ut Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum dicatur, non requiritur, ut sit contractum in ipsa Ecclesia materiali.
34 Requiritur tamen ob reverentiam Sacramenti.
35 Quibusnam Iuribus antiquis derogaverit Concilium.
36 De Matrimonio vagorum decretum aliud Concilii:
37 Variæ declarationes Cardinalium.
38 Instructio Sacræ Congregationis circa Matrimonium vagorum.
39 Pœna arbitraria Episcopo in eos, qui clandestinè contrahunt.
40 Dissertatio, in qua examinatur, an ullus sit casus, in quo validum sit clandestinum connubium.
41 Conclusio proponitur negativa ob clausulam irritantem decreti Conciliaris.
42 De Matrimonio ad morganaticam.
43 Pontifex tamen, licet non soleat, posset dispensare.
44 Quomodo dispenset.
45 Praxis hujusmodi dispensationis, & formula.
46 Quas conditiones exposcat Pontifex dispensaturus.
48 Quandonam ad denuo contrahendum post clandestinas Nuptias Episcopi exigatur permissio.
49 In mortis articulo an clandestine contrahi possit.
50 Negativa sententia proponitur, & ab objectis defenditur.
51 Discrimen, cur omnis baptizare queat in mortis articulo, non omnis suo arbitratu contrahere Nuptias.
52 Alia dissertatio de remittendis denunciationibus.
53 Sine denunciationibus Matrimonium est clandestinum, sed non invalidum.
54 Casus in quo sine præcedenti Episcopi dispensatione contrahere licet.
55 Formula, qua utitur Episcopus ad hanc dispensationem concedendam.
56 Prudentia est regulatum arbitrium.
57 Causæ 12. recensentur dispensandi a denunciationibus.
58 Sacra Pœnitentiaria dispensat ab his denunciationibus.
59 Nonnunquam sine dispensatione Episcopi contrahi potest.
60 Examinatur Quæstio, an sine denunciationibus Matrimonium sit irritum.
61 Prius quàm dispenset Episcopus, conscius reddi debet, an lateat impedimentum.
62 Dissertatio, qua examinatur, quandonam raptus caperit esse impedimentum dirimens.
63 Multi Canones referuntur.
64 An sit correctum Jus antiquum ex cap. accedens de rapt.
65 Intelligentia hujus Textus.
66 Opinio auctoris.
67 Quid ex L. Cotreis deducatur?
68 Jure Attico quid circa captum esset constitutum?
69 Quid ex L. Romuli?
70 Quid ex Lege Moscovitarum, Ruthenorum, &c.
71 Exempla Scripturæ Sacræ elegantissima.
72 Concilium Tridentinum cur decreverit, hoc Matrimonium esse irritum.

73 Ex-

73 *Exornatur id ipsum aliis rationibus, & exemplis historicis.*
74 *Quomodo conciliare decretum intelligatur.*
75 *Adducitur declaratio Sacra Congregationis.*
76 *Adducitur regula Cancellaria.*
77 *Adducitur modus petenda dispensationis.*
78 *Qua species raptus spectent ad hoc impedimentum.*

EXPLICATIONES.

[*a*) *Semper Ecclesia.*

Clandestina Nuptia quid sint, & an eas Ecclesia semper improbarit.

CLandestinas Nuptias Ecclesia semper improbavit, eas tamen pro legitimis,& validis habuisse,declarat Tridentina Synodus *sess.* 24. *de*
1 *Reform. M. cap.* 1. ibi.. Tametsi dubitandum.. non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera.. esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita.. non fecit.

Ante Tridentinum tamen non defuerunt Do-
2 ctores asserentes, Matrimonium clandestinum esse irritum, id enim quosdam coram Paulo IV. disputantes, contendisse, testis *Sanchez L.* 3. *disp.* 3. *de Matr.*

Ceterum, cum ipsa clandestinitas per se in quolibet actu reprobetur, Ecclesia, ne clandesti-
3 nè contraheretur Matrimonium, solemnes ceremonias præscripsit, quænam sint, & supradiximus, & repetere jam locus, & occasio postulat. Soterus Papa *cap.* 5. hæc habet.. Ut sponsus, & sponsa cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicantur. Hormisda Papa *cap. 6. in can. nullus* 30. *q.* 5. ibi.. ut nullus.. fidelis, cujuscumque conditionis sit, occultè Nuptias faciat, sed benedictione a Sacerdote accepta publicè nubat in Domino.

S. Paulinus *ad finem Epithalamii.*

Ille jugum capita amborum sub pace jugali.
Velat eos dextra, quos prece sanctificat.

Imo & ipsi servi sine benedictione inire Matrimonia non poterant *cap.* 1. *de desponf. impub. in* 2. *coll* D. Gregorius *in suo Libro Sacrament.* Missam proponit, quam olim Christiani offerebant cum Nuptiæ celebrabantur.

Refert Sigismundus *in Commentariis rerum Moscovitarum in canonibus* Joannis, canonem quemdam Joannis Metropolitæ Moscoviæ, qui talis est: *Matrimonium nonnisi publice in Ecclesiis contrahatur.*

Quare & convivia usitata erant, quibus Presbyter interesset, *can. de his* 31. *q.* 1. ibi: *Presbyterum convivio secundarum Nuptiarum interesse non debere, &c.*

Imo et usitatum erat *Charivarium*. Quid hæc vox significat? Eam inveniet studiosus Juris in Conciliis antiquis. Audiat quidnam significet.
4 *Charivarium* erat insaltatio, clamor, sonus, & alii tumultus, hi verò usitati erant in secundis Nuptiis in contemptum eas celebrantiū; Quamquam mox Charivarium prohibuerit Concilium Turonense *can.* 13. ut est apud Spondanum *in cont. Bar. anno* 1448.

Evaristus, non aliter censeri, decidit, legitimum coniugium, quam si (ut est in *can. aliter* 30. *q.* 5.) *suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicitur, & a Paranymphis custodita, & sociata a proximis congruo tempore petita legibus detur, ac solemniter accipiatur.*

Oblationes olim sponsos obtulisse Deo per Sacerdotis manum, evidenter declarat Nicolaus *ad consulta Bulgar, in can. nostrates* 30. *q.* 5.

Insuper, & suscepisse sponsas velamen cæleste, patet ex verbis ipsius canonis, ibi: *sicque demum benedictionem, & velamen caleste suscipiunt.* 5

Et ideo velabantur, ut noscerent, semper maritis suis subditas esse, & humiles, *can famina* 30. *q.* 5.

Necnon et vitta invicem, quasi uno vinculo copulabantur, ne compagem coniugalis unitatis disrumperent. Ita in *d. can. famina* §. *item* Quę vitta erat candido, purpureoque colore permixta §. *at verò ib*

Et effectus hujus publicæ coniunctionis erat satis laudabilis, ut nempè prima nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permanerent, ex consilio Concilii Carthaginiensis in *can. sponsus* 30. *q.* 5.

Ergò vides, nunquam canones clandestinas Nuptias approbasse, quippe quæ præ libidine clam fieri soleant, ut innuit Propertius *L.* 1. *El.* 7.

Hac mihi te adducit tenebris, multoque timore
Contingit nostras clam taciturna manus.

Et ipso Jure Civili clandestinitas suspectam 6
reddebat Nuptiarum firmitatem *L. uxorem* 7. *C. de rep.* ibi: *Impares Nuptia, & praterea in villa sine testibus, & patre non consentiente factę, legitima non possunt videri.* In villa ergo sine testibus clandestinæ Nuptiæ dicebantur, est enim villa secessus, & secretum, & ita *L. ego cum in villa ff. de man. vind.* in villa dum dicitur, manumitti posse apud Prætorem, secreta manumissio significatur, *Cujac. L.* 6. *Observ. cap.* 20.

(*b*) *Heu quam multi.*

Quot mala ex clandestinitate?

Quotnam fraudes, & insidiæ, quot Nuptiarum incertitudines essent in clandestinis conventionibus, dum unus asseverare poterat, alter dejerando repugnare, unde rebus non pro- 7

batis

batis, transitus ad posteriora, non coniugia,
sed adulteria facile poterat contingere, plu-
ra Concilia indicant - Senonense sub Clemente
VII. *cap.* 39. *in fine* .. Sed cum ex clandestinis
.. Matrimoniis gravia eveniant in dies scandala,
.. & pericula, volumus, omnes contrahentes &c.
Turonense sub Nicolao V. *cap.* 12. .. Quia per
.. clandestina Matrimonia a SS. Patribus non
.. sine causa, & meritò prohibita multa mala
.. eveniunt, &c. Coloniense celebratum anno
.. 1536. *ubi p.* 7. *cap.* 43. ita ajunt Patres .. Op-
.. tandum, ut Canon Evaristi renovetur, tol-
.. lanturque illa clandestina Matrimonia, quę
.. invitis parentibus, & propinquis amoris po-
.. tius, quàm Dei causa contrahuntur &c. Tri-
dentinum *seß.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matr.* ibi:
.. Verùm, cum Sancta Synodus animadvertat
.. [*& infra*] & gravia peccata perpendat, quæ
.. ex eisdem clandestinis coniugiis ortum
.. habent, pręsertim verò eorum, qui in statu
.. damnationis permanent, dùm priore uxore,
.. cum qua clam contraxerant, relicta, cum
.. alia palam contrahunt & cum ea in perpe-
.. tuo adulterio vivunt.

Quibus rationibus Sancta Synodus Tridenti-
na clandestinum Matrimonium irritum declara-
vit, ut notatur etiam in *P.* 4. *recent. decis.* 431.
Tom. 2. *Rota Romana in annot. n.* 13. Hinc Ma-
trimonium validè contractum, bene probatur ex
fide Parochi testibus munita, extractâ ex Libro
Matrimoniali *Rota P* 15. *Recent. decis.* 15. *n.* 4.
Quia, cum constat de Parochi pręsentia, clan-
destinę Nuptiæ dici non possunt.

Eveniebat etiam non contrahendo in facie Ec-
clesię, ut aliquis infidelis duceret fidelem, ut
exemplum declarat relatum, ab Amphilochio
Episcopo *in vita S. Basilii apud Sur. Tom.* 1.
Jan. 2. In vita enim S. Basilii Magni habetur,
quod Proterii Senatoris filia eum dixit; quem
postea detexit infidelem, quo cognito, summo
dolore perculsa est.

His verò malis occurrere vix poterat Eccle-
sia; quippe non judicat de internis, *can. eru-*
8 *bescat dist* 32. ibi .. de manifestis quidem loqui-
.. mur, secretorum autem cognitor Deus, &
.. Judex est, consonat Textus *in can. Christia-*
ne 32. *q.* 5. *in can. consulvisti* 2. *q.* 5. *in can. si*
omnia 6. *q.* 1. neque Ecclesia, quomodo se res
habuerit, potest divinare, *cap. at nostrum de*
Eccl. ben. sine dim. conf. Et judicat secundum
acta, & probata, *cap. ult. de conf. dist.* 5. *can.*
Presbyter 15. *q.* 5. *can. Deus omnipotens* 2. *q.* 1.
can. judicet 3. *q.* 7. *can. eorum* 11. *q.* 3. *can.*
quamvis ib. & propterea, ubi extrinsecæ pro-
bationes præsto non sint, non potest discordes
coniuges, quorum alter, Matrimonium nullum
fuisse, asseveret, compellere. *cap.* 2. *de clan-*
dest. desp.

(*e*) *Severioribus pęnis.*

Quæ olim pæna in clandestine contrahentes?

Lateranense quidem Concilium tot, tamque
magnis insurgentibus malis, severitate pęnarum 9
sic nubentium audaciam reprimere tentaverat.
En verba Concilii, cujus pars est in *can. cum*
inhibitio 3. *de clandest. desp.* .. Si quis verò hu-
.. jusmodi clandestina, vel interdicta coniugia
.. inire præsumpserit in gradu prohibito; etiam
.. ignoranter, soboles de tali coniunctione susce-
.. pta prorsus illegitima censeatur, de parentum
.. ignorantia nullum habitura subsidium; cum
.. illi taliter contrahendo, non expertes scien-
.. tiæ, vel saltèm affectatores ignorantiæ vide-
.. antur. Pari modo proles illegitima censeatur,
.. si ambo parentes impedimentum scientes le-
.. gitimum, pręter omne interdictum etiam in
.. conspectu Ecclesiæ contrahere pręsumpserunt.
.. Sanè si Parochialis Sacerdos tales coniunctio-
.. nes prohibere contempserit, aut quilibet,
.. etiam Regularis, qui eis præsumpserit inte-
.. resse, per triennium ab officio suspendatur,
.. gravius puniendus, si culpæ qualitas postula-
.. verit, sed his, qui taliter præsumpserint,
.. etiam in gradu concesso copulari, condigna
.. pœnitentia injungatur.

Et ab ipso tempore Apostolorum gravissimum
hoc facinus, & prohibitum, & punitum legi-
mus, *can. aliter*, *can. nullum*, *can. nullus* 30.
q. 5. *can. nostrates ib.* notat Narbona de *Ætat.*
anno 14. *q.* 11.

Et alia pæna clandestinè contrahentium est,
ut, si lis oritur circa validitatem ejusdem Ma-
trimonii, quod fuerit clam, occulteque contra-
ctum; & mulier a viro fuerit possessione ma-
ritali spoliata, non restituitur prius, quàm ea
de re litigetur, *cap. ex transmiss. verbo legitima* 10
de rest. spol. quia petit hic Textus ad hoc, ut
restitutio locum habeat, Matrimonium in facie
Ecclesiæ esse contractum, ut ibi notat *glossa*. Hæc
verò restitutionis denegatio pæna est, nam ex
regula notissima spoliatus, ante omnia est resti-
tuendus *cap. ex conquestione*, *cap. literas de rest.*
spol. Ut eveniret, si uxor jure possessionis hu-
jusce modi spoliata fuisset, constante Matrimo-
nio in facie Ecclesiæ contracto; nam nec si lis
super ejus nullitate moveatur, impeditur exer-
citium Matrimonii, *cap.* 2. *ut lite pend.* *Franc.*
decis. 130. *n.* 4. *Rota P.* 5. *recent. tom.* 2. *decis.*
493. aliæ erant pęnæ de quibus *Host. in summa*
ad hunc Titulum.

(*d*] *Sine Parochi.*

DISSERTATIO I.

Circa decretum Concilii.

Decretum, quo Matrimonium clandestinum
irritum declaratur, præmittam; tum super eo
necessariæ quędam cognitiones depromentur.

En igitur verba decreti in *seß.* 24. *de Refor.*
Matr. cap. 1. .. Qui aliter, quam præsente Pa-
.. rocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, 11
.. seu Ordinarii licentia, duobus, vel tribus

.. te-

.. testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus, irritos, & nullos esse, decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.

Huic decreto statim declarationes quasdam Sacræ Congregationis Cardinalium annectere, opportunum factu duco, ad utilitatem discentium Jus Canonicum.

11 Prima declaratio Cardinalium, *in una Ulixbonensi 19. August. anno 1591.* censuit, Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse, quamvis Parochus invitus interfuerit, & alia de causa, quā ut Matrimonio interesset, a contrahentibus fuerit accersitus, cum tamen ad actum Matrimonii verè, formaliter fuerit adhibitus, quæ declaratio est apud Gallemart. *ad dictam sess. 24. cap. 1. pag. 260.*

13 II. Declaratio hęc est, nam Sacra Congregatio, perpensis consultationibus Episcopi Tricaticensis, circa formam Matrimoniorum, quæ in partibus Hollandię, Zelandiæ, & Frisiæ contrahuntur, ita censuit .. Ubi hoc decretum non .. dum est publicatum in Parochia valet Matrimonium contractum absque observatione formę a Concilio præscriptę; publicatio autem decreti facta præsumitur, ubi decretum ipsum fuit aliquo tempore in Parochia, tamquam decretum Concilii observatum. Hęretici in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, tenentur pręscriptam formam observare. Et propterea ipsorum Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro hęretico, vel magistratu loci contracta, sunt nulla, idem Gallemart, refert per extensum *ubi supra, & Diana Tract. Resol. mor. Resol. 73. pag. 372. n. 2.*

14 III. Declaratio hæc est: in una Abulensi 1. Decemb. 1593. Nam censuit, Matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote, valere.

IV. Declaratio hæc est: in una Eduensi die 21. Jul. 1620., quæ censuit .. Matrimonium rite, .. & rectè in forma Concilii contractum, extra tamen Ecclesiā Parochialem celebratum, validum esse; hæc verò est apud Pignattellum *Tomo 5. cons. 79. n. 18. cons. can. & Tomo 9. cons. 75.*

15 V. Declaratio emanata die 16. Febr. anno 1595. censuit, valere Matrimonium celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi viri, in Parochia mulieris, etiam si in diversis Diœcesibus Parochiæ sint constitutę, Pignattellus refert, *ubi supra.*

16 VI. Declaratio hęc fit, nam si Parochus Matrimonio nolit consentire, quinimmo expresse celebrationi ejusdem repugnet, valet tamen Matrimonium, quia sola ejus præsentia sufficit, non autem ejus consensus, ut pluries etiam censuit Sacra Congregatio apud Seraphinum *decis. 1099. n. 5. & decis. 124. n. 18. P. 7. recent.*

VII. Declaratio hæc fit; nam dum in dubium revocaretur, an, si Parochus, & testes vi, metuque interfuerint Matrimonio, illud sit validum? Sacra Congregatio censuit, validum esse, ità referunt *add. ad Burat. decis. 713. n. 11. & Rota Rom. decis. 431. n. 3. P. 4. Tom. 2. rec.* 17

VIII. Declaratio ea sit, quam Pignattellus refert *Tomo 5. Cons. 70. n. 10.* Qua videlicet statuitur, quod, licet Parochus nihil loquatur, nulloque fungatur ministerio, tamen, dummodo sit præsens, valet Matrimonium. 18

IX. Declarandum erat, an si incolæ tam masculi, quam fæminæ solo animo sine Parocho, & testibus contrahentes se transferant ad locum, ubi Concilium non est publicatum, habitationem non mutantes, vel, eò solo animo habitationem transferentes, validè in d. loco Matrimonium sine Parocho, & testibus contrahant? Sacra Congregatio *in Coloniensi die 5. Sept. anna 1616.* respondit, non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes cum fraude, & nisi domicilium verè transferatur, non esse Matrimonium *Pignatt. ubi supra.* 19

X. Pariter declarandum erat, an, quando contrahentes animum recedendi habent a loco, ubi coram Parocho, & testibus contraxerunt, Matrimonium sit validum? Et *die 6. Oct. an. 1618. in Cameracens.* Sacra Congregatio censuit, nisi aliud obstiterit, Matrimonium esse validum. *Pignattellus, ubi supra* videndus Diana *Tract. 6. de M Ref. 78. n. 1.* 20

XI. In Antuerpiensi die 16. Decemb. ann. 1628. Cum David, & Maria, qui pridem habitaverant, ubi Concilium est publicatum, cum profecti essent ad oppidum distans itinere unius diei, ubi non erat publicatum Concilium, ibi more hæretico contraxerunt, postridie reversi, cum diù inter se cohabitassent, ob dissidium exortum instabat unus Coniux Matrimonium declarari nullum. Sacra Congregatio censuit, Matrimonium, ut supra, fuisse nullum, *Pignatt. ubi supra.*

XII. Dubitatum fuit in Sacra Congregatione, an valeat Matrimonium contractum coram Parocho, prima tantùm tonsura initiato, & intra annum ad Sacerdotium promovendo, & valere, censuit Sacra Congregatio sub die 12. Mart. 1593. & in Marianensi 24. Mart 1653. apud Pignattellum *Tom. 8. Cons. 23. & hac de re etiam Sanches L. 2. disp. 19. n. 3. & seq.* 21

XIII. Dubitatum fuit, an sit nullum Matrimonium, cui intervenit Sacerdos jussu Episcopi, si Episcopus deceptus, est ratus Sacerdotem illum, esse Parochum contrahentium? Cum Episcopus Ariminensis hoc dubium excitasset; Sacra Congregatio censuit, Matrimonium esse validum, refert Fagnanus *in cap. 1. de cland. despons. n. 55.* 22

XIV. Sacra Congregatio declaravit, Parochum alterius, ex contrahentibus posse inter esse celebrationi Matrimonii in aliena Parochia, refert Fagnanus *in cap. 1. de cland. desp. n. 36.* 23

XV. Ac-

XV. Accessit alia declaratio, qua Eminentissimi Cardinales sanxerunt, quando a Parocho,
24 vel Episcopo Sacerdos, ut vices suppleat, deputatur, expressam, non tacitam exposci licentiam eorumdem; narratur hæc declaratio a Fagnano in *cap. 1. n. 31. de cland. despons. et a Rota part. 5. decis. 750. P. 1. divers.*

XVI. Nec illa declaratio ignoranda est, quam refert Diana *Tract. 6. Res. 73. pag. 372. n. 2. de Matr.* qua disponitur, valere in Hollandia, Zelandia, & Frisia, ubi haberi non potest copia Parochi, Matrimonium.

XVII. Valet etiam Matrimonium contractum coram Coadiutore Vicarii constituti ab eo, qui
25 habet curam animarum, ut *in decis. super eod. decr. sub Tit. Dromoren. & §. Vicariis etiam, & §. Matrimonium*, ut declaratum, refert *Leonius in Thesauro P. 2. cap. 9. n.* 44.

XIII. Sciendum est, contrahentes non præ-
26 sente Parocho, sed solis testibus, graviter esse puniendos, & prolem exinde susceptam esse illegitimam, nisi denuò legitimè contraxerint, ut *in declarat.* ib. *sub Titulo Tergest. Aquil. & Viterbien.*

XIX Sciendum insuper, Decretum Concilii non extendi ad sponsalia de futuro, ut decla-
27 ratum est *in decl. sub. Tit. Burgensat apud Leonium, ubi supra n.* 36.

Ceterùm Matrimonia clandestina inter puberem, & impuberem in sponsalia de futuro resolvuntur ex dispositione *cap. 1. de despons. impub. in 6.* ut Sacra Congregatio censuit super dicto *cap. 1. sub Tit. Valent. & alia sub n. 396. ut refert Leonius, ubi supra n.* 37.

XX Non omittenda alia declaratio, qua decisum a Cardinalibus, indistinctè sufficere Parochum sponsi, vel sponsæ, teste N. varro *L. 3. Cons. in prima edit. Tit. de spons. cons. 52. narrat Sanch z L. 3. dist. 16 n. 11. fin.*

En ex tam multis declarationibus, quo pacto Tridentini Concilii decretum accipiatur. Et ve-
28 rò cum Pius IV. interdixerit, ne cui, prout liberet, Sacra œcumenici Concilii decreta liceret exponere, sed, si cui dubium aliquid appareret, ad Sedem Apostolicam accederet, ut ab Eminentissimis Cardinalibus resolveretur, en verba Bullæ .. si cui verò in eis aliquid obscurius di- .. ctum, & statutum fuisse, eamque ab causam .. interpetratione, aut decisione aliqua egere vi- .. sum fuerit, accedat ad locum, quem D. ele- .. git, ad Sedem videlicet Apostolicam. Idcirco utile fuerit post decretum Conciliare eas apposuisse declarationes diligenter a studioso Juris observandas.

Tametsi nec illud silebo, non deesse, qui il-
29 lam tantùm nterpetrationem prohibitam esse, contendant, quæ fit, prout unicuique libet, idest proprio Marte, resol unt *Chassan ad consuet. Burgund. Rub. 1. §. 2. in pr. n. 13. latè Perez in proem. ad leges ord. q. 2.* Hinc de Jure communi non licet interpetrari Leges nisi Imperatori *L. fin. C. de Leg.* & tamèn licet eas declarare secundum verum sensum, & Juri consonum, *Bart. in omnes populi q. 6. vers. tertio loco n. 61. ff. de Just. Valas. cons. 41. n. 7. latè Gallemart. in admonit. ad lect.*

Hæc circa Cardinalium declarationes adnotasse sufficiat.

Ut alias deinceps cognitiones missas non facimus, extat *Clem. 1. de Privil.* quæ ità dispo-
nitur .. Religiosi, qui Clericis, aut laicis Sacra- 30
.. mentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ .. ministrare, Matrimonia ve solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia .. speciali, &c. præsumpserint, excommunicatio- .. nis incurrant sententiam ipso facto, per Se- .. dem Apostolicam dumtaxat absolvendi, &c. Meritò dubitari possit, an sit correcta hæc pæna per Concilium statuens pœnam suspensionis. Verùm certò credendum est, & excommunicationem, & suspensionem incurri a Regulari, *Sanchez L. 3. disp. 493. n. 8. pag. 378.*

Illud quoque supponendū, in aliquibus Christianorum Provinciis decretum Concilii Triden-
tini non fuisse promulgatum, aut receptum, 31
ut in quibusdam Galliæ partibus, & in Polonia ref rt Sanchez *L. 3. disp. 18. in Princip.* & ideò ubi non est promulgatum Concilium, ibi tale Matrimonium erit validum, ut declaravit Sacra Congregatio *in una Carpectoraten. 17. Iun. 1617. & una Bossan. 14. Apr. 1612.*

Locus quoque hic opportunus examinandi decisionem Joannis DechKerii *L. 2. disput. 55. n. 8.* ubi ad explicationem Concilii ità loquitur:
.. Nec longè quærenda est ratio, quæ Chelini 32
.. Matrimonium clandestinitatis convincat. P. .. constat, in facie Ecclesiæ non fuisse contra- .. ctum. Jura, quæ loquuntur de Matrimonio .. in facie Ecclesiæ contr cto, intelligenda sunt .. de Matrimonio contracto in conspectu Ec- .. clesiæ, & collectione Fidelium, ut proindè fa- .. satis non sit, Sacerdotem ad præcavendum .. in verbis contractus adhiberi, quia solus Sa- .. cerdos non est Ecclesia. Pa um vero, aut ni- .. hil ad hæc Sacra faciebant testes illi duo; nam .. cum hæc res in solemnitate Juris versetur, non .. sufficit adhibitio testium ad excusandum vi- .. tium clandestinitatis, tametsi constet de veri- .. tate. Ecclesiæ enim, idest universitati fide- .. lium statim ab initio debet Matrimonium .. innotescere, &c.

Hæc decisio falsa est. Nam, ut Matrimonium dicatur, contrahi in facie Ecclesiæ; non est
opus ut celebretur in ipsa materiali Ecclesia; 33
sed sufficit etiam, ut coram aliqua fidelium multitudine solemnizetur, quæ tamquam Catholicorum Congregatio intelligitur etiam Ecclesia, *cap. Ecclesia de dist. 1. de cons. L. jubemus C. de Episcop. & cl.* Quapropter non potest Ordinarius delegatus contrahentes cogere ad celebrandum Matrimonium in ipsa materiali Ecclesia, & prohibere, ne Matrimonium domi celebretur, quia sufficit, ut coram aliqua Fidelium multitudine fiat, quæ tamquam Catholico-

licorum Congregatio censetur Ecclesia. Nam li-
34 cèt ob reverentiam tanti Sacramenti non deberet Matrimonium contrahi, nisi in ipsa materiali Ecclesia, *Concil. Provinc. Colonien.* 2. *cap.* 33. *Synod. Panorm.* 16. 15. *P.* 2. *n.* 22. Nihilominus ita censuit Sacra Congregatio apud Gorradum *L.* 7. *cap.* 7. *n.* 31 *in praxi disp.* .. Ordinarius non .. potest prohibere, quin Matrimonia domi ce- .. lebrentur, servata forma Concilii; sed cum ma- .. ximè deceat, ut in Ecclesia celebreatur, id hortari debet, non præcipere.

Præterea illud adnotandum est, per hoc decretum Conciliare derogatum fuisse omnibus illis
35 antiquis Juribus, per quæ disponebatur, sponsalia, copula subsecuta, in Matrimonium præsumptum transire, *cap. 21, qui fidem de sponf. cap. consultationi* 28. *cap. per tuas cap. de illis de cond. app. Concil. Lat.* 111. *Tit. de sponf. Rota Romana P. IV. recent. Tomo* 2. *decif.* 258. *n.* 8. *Ciarlinus P.* 2. *cap.* 131. *per tot. Franc. Marc. decif.* 7. *n.* 49. & innumeri, quos citat *Cenedus quaest. can. q.* 3. *p.* 26.

Postremo aliquid de Matrimonio, a vagis contrahendo, dicendum.

Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 7. hæc habet.. Parochis autem præcipit, ne illorum
36 .. Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem .. inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium .. delata, ab eo licentiam id faciendi obtinue- .. rint. Circa hoc decretum sunt nonnullæ declarationes Cardinalium adnotandæ.

I. Declaratio, *quod non dicitur vagans il-*
37 *la mulier, quæ per octo annos in una, eademque Terra habitavit*, refertur a Gallemart ad illud decretum *pag.* 228.

II. Tunc verò, si contrahere debeant, & possint, constito tamèn, quod non sint de comprehensis inter vagabundos, proprius Parochus is est, cujus Parochiam contrahentes habitant eo tempore, quo contrahunt *Gallemart, ubi supra*.

III. S. Ordinarii licentia omittatur, non tamèn Matrimonium erit nullum, ex alia declaratione apud *Gallem. ubi supra*, & *Sanchez. L.* 3. *disp.* 25. *n.* 16.

IV. Sicut vagi, a quolibet Parocho possunt recipere Sacramenta, ità & Matrimonium vagorum celebrari potest, coram quolibet Parocho Diœcesis, sic declaratum a Sacra Congregatione, quam refert *Manuel.* 2. *Tom. Sum.* 2. *ed. cap.* 219. *n.* 3.

Et adest instructio Sacræ Congregationis in
38 quisitionis, in qua præcipit, & Concilio addit, quod, si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi fides sit Ordinariorum, quæ doceat, eos esse liberos, & alias servata forma Concilii, *Pignattel. Tom.* 8. *Conf.* 23.

[e] *Arbitrio Episcopi.*

Pœna innovata in clandestinè contrahentes.

Puniendi sunt contrahentes clandestine, arbitrio etiam Episcopi.

En verba Concilii, *sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. *nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.* 39

Quocircà in Parochos Matrimonio clandestino præsentes triennalis suspensio imminet, de qua *in cap. fin. de cland.* & arbitraria deinceps pœna imponi valet, *Ægidius de Sacr. & censf. Tomo* 2. *L.* 27. *n.* 84. *Ludov. mol. de hisp. prog.* 16. *Bobadilla L.* 3. *fum. Pol. cap.* 18. *n.* 170.

[f] *Ut neque in mortis articulo.*

DISSERTATIO II.

An ullo casu clandestinè Matrimonium contractum sit validum?

En ad uberiorem hujus impedimenti dirimentis cognitionem, versabimur in eleganti quadam disquisitione, an ullus obvenire casus possit, 40 in quo clandestinum Matrimonium, & validum sit, & exemptum a pœnis Concilii?

Vera Conclusio in hac disputatione hæc est. Quod nullo modo valeat Matrimonium fine Parocho, & testibus. Probatur; Quia decretum Concilii habet clausulam irritantem, ibi enim in *sess.* 24. *cap.* 1. hæc habentur: hujusmodi con- .. tractus irritos, & nullos esse, decrevit, pro- 41 .. ut eos præsenti decreto irritos facit, & an- .. nullat. Ubi verò in dispositione est decretum irritans, forma inducitur *L. jubemus C. de Testamentis*, ibi: *Quod si non fuerit observatum* [& infra] *hoc Testamentum stare minime patimur L. hac consultissima C. de Testamentis* §. *per nuncupationem*, *cap. quia propter de elect.* Hinc est, omnino servandum esse quidquid fuerit eum in modum dispositum *cap.* 2. *de pactis in* 6. *Auth. Sacramenta puberum C. si adverf. vend. clem.* 1. *verf. omnino de vita, & hon. Cl.* Concilium iditcò Tridentinum his verbis utitur: *eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*.

Nec dicatur, Matrimonium, quod vocant ad *Morganticam* contractum, esse clandestinum, & 42 tamen valere.

Nam perperam id asseritur. Verùm ne quis error esse possit; notandum est, ex Lege Salica vel Morganica, de qua *Petrus Gregor. in Synt. P.* 1. *L.* 6. *cap* 13. dispositum esse, ut qui filium suscepit, ex nobili coniuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem ducere possit ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris; quam dixerit tempore sponsaliorum, his penè verbis loquitur Textus in *L.* 2. *Feud. Tit.* 29. *de filiis natis ex Matrimonio ad Morganiticam contracto*; eò quoque spectat Textus in *L.* 2. *Tit.* 26. *si feud. def. contr. sit inter.* §. *mulier*, scripsit ex professo de Matrimonio ad Morganicam *Henricus Linckens in tractatu, cui Titulum fecit de Matrimonio, L. Salica, scilicet ad Morganticam*, Henricus a Rosental *cap.* 2. *Concl.* 7. *n.* 9.

Bal-

Balzaranus L. 2. *Tit.* 26. ubi tale Matrimonium Mediolani fuisse usitatum, narrat *n.* 7. *pag.* 230. Martinus de Caratis *L.* 3. *Tit.* 7. *pag.* 560. ubi explicat vocem *Morganatica*, idest, quasi *Morgengattea*, idest donatio propter Nuptias facta sponsæ mane, propter officium nocte præstitum, & quia mortis causa, moritur cautio de his, quę a viro dantur, appellatur *Morganatica*. Aliter Matthæus de Afflictis in L. 2. *Feud. Tit.* 29. qui ait, dici ad *Morganaticam*, idest ad promissionem factam per virum tempore sponsaliorum uxori, de ejus filiis successuris, in aliqua parte feudi.

Jam verò hoc Matrimonium, in iis Regionibus, ubi decretum Concilii receptum observatur, ut sit verum Matrimonium, non potest, nisi coram Parocho, & duobus testibus non esse contractum. Quare perperam asseritur, Matrimonium ad *Morganiticam* contractum, esse clandestinum.

Nihilominus Romanus Pontifex, tametsi sine justa causa, quę gravissima sit, non soleat un-
43 quam, potest tamen in Matrimonio dispensare, ita Vincentius de Justis in *Tract. de Disp.* L. 2. *cap.* 19. *n.* 33. Cænedus in *QQ. Canonicis q.* 30. *n.* 11. deducitur ex *cap. proposuit de Concess. Prab. Cov. in 4. p. cap.* 6. *n.* 6. *Jacob. de Conc.* L. 5. *cap.* 15. & casum attingit hujus dispensationis *Rota P.* 2. *recent. decis.* 687.

Quod verò attinet ad praxim dispensationem
44 hanc impetrandi, quædam ante omnia exprimenda Pontifici, quorum tenorem en subiicio.

Quod ipsi alias scientes, se tertio consanguinitatis gradu invicem esse coniunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso,
45 *hac causa foret, s. suam, & Sedem Ap. ad misericordiam, & gratiam erga ipsos faciliores reddendi; Matrimonium inter se per verba de præsenti clandestinè, & de facto contraxerunt, illudque carnali copula consummarunt; cum autem oratores prædicti in hujusmodi Matrimonio remanere non possint, absque Apostolica Sedis dispensatione, &, si divortium inter eos fieret, gravia exindè scandala possent verosimiliter exoriri, cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari* (& eo casu Papa dispensationem concedendo, committere solet Delegato) *ut a generali excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrerunt, incestus reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro, ac cum eisdem Oratoribus, quod* (impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante (*Matrimonium inter se de novo publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè, & licitè valeant &c. dispenset &c. non obstantibus &c. imposita Oratoribus propter incestum hujusmodi, aliaque præmissa, arbitrio Delegati, gravi pænitentia salutari, & recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habenda dispensationis, &c. incestum non commiserit, & quatenus contra ipsos causa in judicium quoquo modo deducta fuerit parito judicato, & cum decreto, quod Oratorum alter alteri supervivens, perpetuò absque spe coniugii remaneat, prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam nunciando.*

Illud igitur animadvertendum est, Pontificem difficilem admodùm se præbere, in dispensando super clandestino Matrimonio. Cum verò ad dispensandum adducitur, multas reposcit conditiones. I. Ut Oratores absolvat a Censuris,
ad hoc ut gratiam obtinere queant. II. Ut gravis 46
utrique Oratori pęnitentia injungatur. III. Ut jurent Oratores, incestum se minimè admisisse, spe allectos dispensationis obtinendæ. IV Ut pareant judicato, quatenus contra ipsos causa quoquo modo fuerit in judicium deducta. V. Ut superstes Orator uxori suę, perpetuò sine spe coniugii maneat.

Si verò culpa Parochi, causa fuisset ejus criminis, id exprimi in precibus oblatis Pontifici deberet, quo casu in literis clasula esset addenda, *& puncto Parocho arbitrio Ordinarii*.

Undè infertur, ex sola clandestinitatis ratio-
ne, si nullum aliud obsisteret impedimentum, 47
non requiri dispensationem. Si quis denuò vellet ritè, & ad præscriptum decreti Conciliaris in facie Ecclesiæ contrahere, Palma *cons.* 87. *n.* 33. *relatus a Vincentio de Just.* L. 2. *cap.* 19. *n.* 244.

Ceterum, quando Matrimonium hujusmodi clandestinum esset publicum, & scandali peri-
culum immineret, opus esset Episcopi permis- 48
sione ad hoc, ut rursus Matrimonium contraheretur, Vincentius de Just. *d. L.* 2. *cap.* 15. *n.* 245.

Satis hæc de Matrimonio clandestino, nisi accedat Pontificia dispensatio. Ut ad alios casus
gradum faciamus; quidam in eam sententiam du- 49
cuntur, ut existiment in mortis articulo contractum sine Parocho, & testibus Matrimonium haud posse irritum appellari. His ego quominus assensum præbeam, sed ut potius defendam, Matrimonium in mortis articulo nequaquam subsistere, viresque firmitatis habere, hac de causa potissimum moveor.

Quoniam strictè, & ad literam servandum 50
est decretum Concilii, quemadmodum supra probatum est; adeòque, licet in extremis agens ducere vellet Concubinam, idque omninò ad prolem legitimandā videretur necessarium scil. ad legitimam prolem ex ea susceptam, adimplendamque fidem ei datam; nihilominus a decreto Conciliari recedendi jus non est, ut fusè probat Cenedus in *QQ. Canonicis q.* 30. *n.* 16. *Sarment.* L. 1. *Select. cap.* 6. *n.* 7.

Nec obiicias, in mortis articulo nemini ereptam esse facultatem baptizandi, ut luculenter
probavi *supra Tit.* 3. *in expl. n.* 19. adducens 51
Textum *in can. Romanus de consf. dist.* 4. *in can. dictum est* 96. 1. *q.* 1. *Concil. Trid. de Bapt.* Ac similiter in mortis articulo quemlibet Sacerdotem posse e vivis excedentem absolvere, *cap. & si dominici de Pan. in extrav. Concil. Trid. sess.* 14. *cap.* 7.

Nam

Nam occurritur promptè, & facile huic difficultati; notandum scilicet, ea Sacramenta, quæ exemplorum instar proponuntur, esse necessitatis. Jam necessitas etiam extrema non tollit impedimentum Matrimonii, eo quod Matrimonium non est ex his Sacramentis, quæ ad salutem existimantur, ac sunt necessaria; sed est ex his Sacramentis, quę voluntaria dicuntur. Hinc omnes ejus classis Interpretes decipiuntur, notat *Jacobus de Graffis L. 2. decis. cap. 86 n.9. Navar. in Manual. cap. 16. n. 37.* aliique, qui certæ huic sententiæ adhæserunt.

Quod si urgeas adhuc, licere extremam Unctionem simplici Sacerdoti in mortis articulo existentibus conferre, ubi copia Parochi deest.

Resp. esse hoc simplex Ecclesiæ præceptum, jubens, ut extrema Unctio, a proprio Parocho ministretur, & ideo non obligare in casu tantę necessitatis; Matrimonium verò celebrati coram Parocho, & Testibus, continet formam substantialem, & est decretum irritans Matrimonium aliter contractum, ita adamussim *Sanchez L. 3. disp. 17. de Matr. n. 5. pag. 209.*

(g) *Imò eas poterit Episcopus remittere.*

DISSERTATIO III.

De Denunciationum dispensatione ab Episcopo facienda.

Denunciationes poterit Episcopus remittere. En decreti Conciliaris verba *d. sess. 24. de Ref. M. cap. 1.* ibi .. nisi Ordinarius ipse expedire .. judicaverit, ut prædictæ denunciationes re.. mittantur, quod illius prudentiæ, & judicio .. Sancta Synodus reliquit. 52

Notetur ex hoc decreto, fore quidem fine denunciationibus Matrimonium clandestinum, non tamen irritum, nec filii erunt illegitimi, servatis tamen ceteris requisitis, ut decisum est a Sacra Congregatione Cardinalium *ad Concil. Trid. sess. 24 cap. 1. de Refor Matr. in decis. sub Tit. Augustin. Spoletan. & Bonon. & 6. omissio denunc.* refert Leonius *in Thesauro P. 2. cap. 9. n. 45.* 53

Imò si forte non sit Episcopi copia, vel ille petitam dispensationem absque legitima causa negaret, posset, justa causa existente, nihilominus absque denunciationibus contrahi, & sic contractum Matrimonium fuisse validum, censuit Sacra Congregatio Concilii *in una Mediolan. 23. Febr. 1630. relata a Pirrho Corrado in praxi L. 7. cap. 7. n. 26.* 54

Cum verò Episcopus hanc dispensationem impertire voluerit, in hanc formulam negotium expeditur.

.. N. N. Vicarius generalis &c. Justis de causis .. animum nostrum moventibus, his nostris li.. teris facultatem tibi concedimus, ut tribus, .. vel saltem duobus testibus præsentibus N. & .. N. in Matrimonium, cum nullum aliud pręter illud in literis Apostolicę dispensationis .. expressum (si pro eo fuerit impetrata dis.. pensatio ad contrahendum) ex informationibus oretenus sumptis, inter eos legitimum .. detectum fuerit impedimentum, coniungere .. valeas; ita tamen, ut celebrato Matrimonio .. intra dies 15. denunciationes, tribus proxi.. mis continuis festivis diebus, ex præcepto .. Concilii Trident. fiant; & interim sponsi se .. a carnali copula abstineant. In reliquis verò .. forma ab eodem Concilio Tridentino pręscripta .. servetur. In quorum fidem &c. 55

.. N. N. Vicarius generalis.

Sed quia Concilium Tridentinum his utitur verbis in *d. cap. 1. illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus reliquit*, notetur, verbum illud *prudentia* significare arbitrium boni viri, *can. de precariis 10. q. 2. cap. ne innitaris de const.* Arbitrium regulatum, ad normam prudentiæ: ideò, licet Concilium unam tantum causam assignet dispensandi super denunc. videlicet malitiosi impedimenti, attamen plures aliæ causæ esse possunt prudentia Episcopi ponderandæ. 56

I. Esse potest aliqua inter sponsos disparitas, ut si hic sit nobilis, ignobilis illa, hic senex, illa iuvencula, hi valde dives, illa inops, aut si ambo sponsi sint valdè senes, ad vitandam irrisionem, Pirrhus Corr. L. 7. cap. 7. dispens. n. 23. 57

II. Et si contingat, virginem esse sub tutela iniqui curatoris, qui eam viro ignobili, & disparis conditionis tradere molitur, Pyrrh. Corr. ib.

III. Quando Magnates sunt contracturi Matrimonium; hi enim non nisi magna cum deliberatione volent contrahere, dummodo tamen sic contrahentes Ordinariis, aliisque gravibus personis sint noti; quia horum Matrimonia sunt valdè publica, suntque ipsi valdè noti, quare, si aliquod impedimentum inter eos esset, statim sciretur, *Sanchez L. 3. disp. 11. n. 6.*

IV. Causa est, cum aliqui in concubinatu permanentes existimantur tamquam vir, & uxor; quia hæc verecundia sufficit pro causa, Pirrh. Corr. ubi supra.

V. Causa, quando ex causa præmittendarum denunciationum non possent Nuptię benedici ex eo, quod instat tempus, quo illæ prohibentur, dummodo noluerint contrahentes malitiosè differre, Bonac. q. 2. P. 8. n. 7.

VI. Causa est, quando jam fuerit in facie Ecclesiæ contractum Matrimonium, sed ob detectum impedimentum, fuit irritum, *Pirrhus Corradus, ubi supra.*

VII. Causa est, cum repentinus obvenit casus qui contrahendi celeritatem exposcat, nempe si qui in concubinatu deprehensi a Judice plectendi essent, jam contrahendo possunt, se esse coniugatos, asserere, *Pirrhus Corradus ib.*

VIII. Causa est animæ periculum, Finge, virum, & mulierem in concubinatu vixisse, qui tandem ad rationem vitæ inculpatæ se velint transferre per statum coniugalem; jam si immineat periculum, ne, si fiant denunciationes, interim commisceantur, dispensationes poterunt

remit-

remitti; eademque causa justa censetur ad dispensandum, super aliquo impedimento occulto, per quod Oratores forsan contrahere impedirentur; tunc enim per S. Pœnitentiariam dabitur eis dispensatio, quæ Confessario committitur, ut si ita est, periculumque sit, ne ipsi Orato-
58 res perseverent in concubinatu, & inde oriantur scandala, cum illis in foro tantum conscientiæ dispenset, idem *Pirrhus Corr. ib.*

IX. Causa est, cum meretrix invenerit sponsum, sed immineat periculum, ne is ab optima hac voluntate recedat *Sanchez, ubi supra*.

X. Causa est ad scandala vitanda, ob aliquam factionem, quæ vitari possit statim secuto Matrimonio, idem *Sanchez ib.*

XI. Si quis concubinarius jam morti proximus ad salutem animæ, ad prolis legitimationem, velit ducere concubinam, quo casu suf-
59 ficit solùm auctoritas Parochi, ex tacita concessione Episcopi, si Ordinarii copia haberi nequeat; quia ante consumationem Matrimonii poterit, ipse Parochus facere denunciationes, *Pirrus Corradus, ubi supra*.

XII. Causa est, quando vir fœminam defloravit, & damnum amissæ virginitatis reparare intendit, & si Matrimonium differtetur ex causa denunciationum, periculum esset in mora.

Ego quidèm in his institutionibus non solum, quę ab aliis theorice dicuntur, huc, servans ordinem susceptum, transferam; sed curabo, quoties ità feret opportunitas, ut videat studiosus Juris, delibetque aliquid ex praxi. Quare causas illas præmisisse, haud inutile existimandum est.

Sed quamvis jam constet, posse Episcopum
60 remittere denunciationes; quæri solet tamen, an hoc casu dispensationis excepto, sine denunciationibus Matrimonium irritum sit?

Sentiunt Doctores non contemnendæ autoritatis, irritum esse.

Possumus ad exercitationem quandam, hujusmodi Interpetrum fundamenta audire. Absit tamen, ut ego hoc doceam. Imò falsissima est eorum Interpetrum sententia, cum sine denunciationibus Matrimonium quidèm sit clandestinum, non tamen irritum.

Opponunt tamen, quod quando in vim conditionis aliquid præcipitur, id habet vim clausulæ irritantis, *Diana coordinatus Tract. 6. Res. 88. n. 19.* Quippe verba conditionalia formam inducunt, *L. qui hæredi L. Mævius ff. de cond. & dem. docet Baldus in Auth. matri, & avis C. quando mulier tutela, Perez disp. 41. sect. 4. n. 4.* Qua supposita doctrina, attente rimemur verba Concilii Tridentini, *in sess. 24. cap. 1.* hæc habentur.. Quibus denunciationibus factis, .. si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Verba illa, *quibus denunciationibus factis*, sunt conditionalia, quippe ablativus absolutus inducit conditionem, *L. ab emptione 52. ff. de pact. L. creditor 13. in princ. ff. qui pot. in pign. L. evictis agris 18. L. lite contestata 35. ff. de usur. L. fructus §. divortio ff. sol. Matr. L. a testatore ff. de cond. & dem. L. acceptis ff. ad L. falc.*

Resp. tamen, esto ablativus absolutus inducat conditionem, ea tamen conditio versabitur circa formam non substantialem, sed, ut dicunt, *accidentalem* nempè, ut ritè, & rectè celebrentur Matrimonia, non autèm ut validè. In quo notetur, hanc conditionem in Matrimoniis requisitam fuisse, etiam ante Concilium Tridentinum, nempe a Concilio Lateranensi, Concilium verò Tridentinum, quoad hujus conditionis vim, adhæsit Lateranensi, ait enim: *vestigiis Sacri Concilii Lateranensis inhærendo;* Atqui Concilium Lateranense, non adeo requisivit hanc conditionem, ut ea non verificata, in irritum contractus abiret; sed solum pœnis supra enumeratis absterrere fideles voluit, a clandestinis Nuptiis *in cap. cum inhibitio de cland. despons.*

Opponunt ulterius. Nam si ad Matrimonium præsentia Parochi ità requiritur, ut spectet id ad validitatem Matrimonii, Pontius L. 1. cap. 8. n. 8. de Matr. omissis denunciationibus jam Paroches non geret personam Parochi, sed privatę personę, quia a Tridentino conceditur limitata potestas assistendi Matrimonio, nempè præmissis denunciationibus; limitata autem causa limitatum producit effectum, *L. in agro ff. de acq. rer. dom.* nam Parochus excedens fines mandati, denunciationibus omissis, non considerabitur ut Parochus, sed ut privata persona; exemplo Judicis, qui si procedat ultra suæ potestatis limites, non ut Judex, sed ut privatus, actus gerit, ut probat *Menochius de recuperanda poss. rem. 3. n. 23. & 17.*

Resp. limitatam causam gignere limitatum effectum; sed consonum causæ, ità ut tàlis sit effectus, qualis erat causa. Rem explico. Parocho data fuit limitata potestas, quoad extrinsecam solemnitatem, ut nempe ritè, recteque Matrimonium celebretur; talisque debet esse effectus; si enim denunciationes sequantur, habebitur effectus ejus solemnitatis; non tamen effectus validitatis. Aliquid autem diminueretur ex officio Parochi, ut posset dici, se rem non gessisse, ut Parochum, quoties denunciationum usus non ritus, sed forma esset; quemadmodum, si in scriptis ferre sententiam excomunicationis, esset de substantia excomunicationis, deminueretur ex officio Judicis, si ipse scripturam omisisset, & quia non excomunicasset, ut Judex idest ut habens jurisdictionem, excomunicatio nulla fuisset, sed quia in scriptis ferre excomunicationem non ad formam, sed ad ritum pertinet; ideò, scriptura omissa, sententia censuræ valebit, *cap. cum medicinalis de sent. excom. in 6.*

Quod autèm spectent denunciationes ad ritum, jam supra ostendimus, cum Episcopus in his dispenset, quoties justa obvenit causa, quod si essent denunciationes de substantia, utpote a

Con-

Concilio decretę non posset supra Concilium dispensare; et tamen jam diximus, in Matrimoniis Magnatum eas remitti. Et exemplum elegans historicum adducit Hostiensis *in summa Tit. de cland. despons. §. egimus sub n. 2. verso quid igitur, pag. 285.*

Opponunt ultra hæc, imo denunciationes esse partem Matrimonii substantialem, probant, quia in *L. non dubium C. de Legibus* ità scriptum est: *nullum pactum, nullam conventionem, inter eos videri, volumus, subsecutum, qui contrahunt lege prohibente*; atqui lex Conciliaris prohibet, Matrimonium absque denunciationibus contrahi, ergò nullum est. Consonat Textus *in can. imperiali 25 q. 2. in can. vides dist. 10. in reg. 64 de reg. jur. in 6. Canisius ib.*

Sed pro responsione, jam diximus factum contra Legem carere validitatis effectu, quoties Lex ità prohibet, ut sua prohibitione formam induxisse deprehendatur. Nos autèm in casu versamur solemnitatis extrinsecæ, sine qua Matrimonium prohibetur, non tamèn possumus ex tenore decreti Conciliaris unquam deducere, prohibitionem formam inducere. Tunc verò solum actus omissus inducit nullitatem, si hic rei substantiam attingat, *L. cum hi §. prætor ff. de Trans. C. in conventionalibus in fin. ff. de V. Ot.*

Opponunt et illud, quod denunciationes sunt citationes, *Clementina Pastorali, & ibi Joann. Andr. in summa de sent. et re jud. cap. fin. de elect. in 6. L. si eo tempore C. de rem. pign. Auth. si omnes C. ut se bar.* sed actus, in quo citatio necessaria sit, ea non præmissa, validus non est, *cap. fin. elect. in 6. L. nam ità ff. de Ad. L. de uno ff. de re jud. cap. omnia 3. q. 9.* His adducti rationibus, nullum esse Matrimonium caterva Doctorum putavit, *Franc. Monaldus Tomo 2. cons. 15. n. 4. Catheran. cons. 4. loco 53. in p. et n. 11. 16. Stephanus de Gaeta in repet. in can. ad limina 30. q. 1. n. 290. Jacobus Puteus L. 3. decis. 262. n. 3. DechKerus dissert. Juris, & decis. L. 2. dis. 15. n. 8. Menochius Cons. 60. n. 41.*

Sed nos tanta Interpetrum copia non deterremur; fulum movemur legitimè aliquo conclusio. Et fanè non valdè urget difficultas opposita. Non semper citatio prærequiritur ex necessitate actus gerendi. Tunc ejus omissio actus irritat, si ad eum actum ingressus non sit, nisi per citationem, *L. absentem C. de accus. §. fin. inst. de pan. tem. litig. L. de unoquoque 47. in p. ff. de r. jud. L. ea, quæ 5. C. quomodo Jud. Clement. pastoralis, §. dici ne, de sent. & re jud.*

Et regula est, citationem omitti non posse in quolibet actu cognitionem desiderante, quia defendere se volentes sunt citandi, & citatio Juris ideo Naturalis est, nec omittenda, *§ sed naturalia Just. de Jur. Nat* Nos autem sumus extra casum alieni præjudicii ad quod vitandum defensio exigatur, & propterea citatio. Solum denunciationes præmittuntur ad detegenda impedimenta dirimentia, quæ latere possunt. Ceterum videmus, multos esse casus, in quibus omittitur citatio. Absens, si talis sit, ut etiam præsens si foret, actum impedire non posset, citatio omittitur, *L. ergo §. illud L. si eum servum ff. de fid. lib.*

Possessio non citato possessore data confirmatur, Parladurus *L. 2. rer. quot cap. 6.* Prætterquamquod suppletur alia ratione periculo latentis impedimenti per Episcopi prudentiam, nam 61
Episcopus, antequam dispenset, aliquam, mandat, adhiberi diligentiam, an inter contrahentes possit adesse aliquod impedimentum, & conceditur dispensatio cum maxima cautione, prout fusè exponit Pirrhus Corradus *L. 7. cap. 7. n. 25.*

(b) *Raptus est impedimentum dirimens.*

DISSERTATIO IV.

Quando caperit raptus esse dirimens impedimentum.

Hæc Dissertatio, an raptus juxta canones antiquos esset impedimentum dirimens, quia multarum constitutionum investigationi subserire potest, suas habet utilitates, eaque ad explicationem hujus Tituli, non omittenda. 62

Multi multa dicunt, adeò ut Rota *in novissimis decis. 254. n 23. coram Coccino* censeat, olim quoque raptum dirimens impedimentum fuisse.

Et planè multos invenias Canones, ex quibus id conjici posse, videatur. 63

Nam Concilium Cabilonense, cujus est pars in *can. de puellis 36 q. 2.* illegitimas vocat Nuptias raptoris cum rapta, ibi: *ad coniugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possint.*

Nec minus id deducitur ex Concilio Rhemensi *cap. 8.* cujus pars est *in can. placuit 36. q. 2.* ibi: *placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores.* Si non esset impedimentum dirimens, aliquo pacto eas haberent in uxores; atqui Textus ait: *nullatenus*, quę dictio indicat nullitatem, ut probat Mandos. *reg. 5. q. 4. n. 2. fol. 9. & rigul. 25. q. 5. n. 8. Canedus de dest. singul 69.*

Solet etiam adduci Textus in *cap. tria legitima 36. q. 2.* Sed cum D. Hieronymo tribuatur a Gratiano, utcumque ego maximam adhibuerim diligentiam, nunquam eum locum in operibus D. Hieronymi ad invenire potui. Quicumque igitur sit auctor, hic quoque Textus ait, legitima esse coniugia, cum virgo legitimè viro tribuitur. At verò cum rapitur, legitimè accepta non est; ergò vires habere non potest coniugium.

His accedit Synodus Regiaticina seu *Tieinensis, sub Leone IV. can. 10.* ibi. Quæ verò vel viduæ, „ vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque „ ipsarum, & parentum voluntate rapiuntur,

„ tur

„ nihilominus vel parentibus vel propin-
„ quis restituantur, & aliis, si voluerint, nu-
„ bant. nam ipsorum, a quibus raptæ sunt,
„ legitimæ demum uxores nullatenus esse pos-
„ sunt.

Audiatur etiam Concilium Meldense *can.* 66. ibi „ Qui deinceps rapere virgines, vel viduas „ præsumpserint, secundum Synodalem B. Gregorii definitionem ipsi, & complices eorum „ anathematizentur, & raptores sine spe coniugii perpetnò maneant.

His auctoritatibus planè defendentium opinio, quod Matrimonium irritum esset etiam Jure antiquo, aliquid habere probabilitatis videtur. Ceterùm fatentur, Jus antiquum comprehensum in decreto Gratiani fuisse correctum *in cap accedens de rapt.* ibi „ Et rapta puella le-

64 „ gitimè contrahet cum raptore, si prior dis„ sensio transeat postmodum in consensum, & „ quod ante displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitimæ personæ.

Qui Textus intelligitur in hunc modum, ut
65 valeat Matrimonium raptoris cum rapta, etiam si ipsa in potestate raptoris adhuc permaneat, Sanchez L. 7. *de Matr. disp.* 12. *q. ult. n.* 42. Canisius *ad Tit. de rapt. sub n.* 1.

Non video tamen, ut dicam ego, quod sentio, quo pacto ex his auctoritatibus deducatur, Jure antiquo irritum fuisse Matrimonium; ille-
66 gitimum quidem erat, & punitionibus obnoxium, non tamen irritum, ut notat etiam Sanchez, *ubi supra.*

Negari tamen non potest ex Lege Codicis, irritum fuisse Matrimonium inter raptorem, & raptam, cui legi adhæsisse PP Concilii Melden-
67 sis, testatur Gonzales *in cap. accedens de rapt. sub n.* 6. *pag.* 306. qui tamen citat Textum *in L. ult. C. de rapt. virg.* verum ille Textus non planè decidit, irritum esse Matrimonium inter raptorem, & raptam; solumque ait „ Nec sit „ facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere; sed cui parentes voluerint (excepto „ raptore) eam legitimo copulent Matrimonio. Sed clarius meo judicio loquitur Justinianus *in Novella* 143. *Coll.* 9. *Tit. de muliere raptum passa*, ibi: *nam nefarios hujusmodi coitus præmiis corrigi, non præmiis honorari convenit.*

En Matrimonia raptorum cum raptis puellis nefarios coitus dicit.

68 Jure Attico Matrimonium inter raptorem, & raptam permittebatur, his enim verbis Lex erat concepta: *raptor virginem, quam vitiavit ducito*. Pisistratus, Thrasimedi filiam, quam rapuerat, in Matrimonium collocavit, Polianus *L.* 5. Nam cum Thrasimedes Pysistrati Tyranni filiam deperiret, eam in mari sacrificium obeuntem observavit, ac rapuit. Pysistrati filius navim Thrasimedis occupavit, sororem recuperavit, ac Thrasimedem ante ora Pysistrati constituit, quem cum filia rapta, fœdere Nuptiarum sociavit. Lex Solonis erat, ut auctor est Plutarchus in ejus vita: *qui virgini ingenuæ vim intulerit, drachmis centum mulctator*; sed eam is posteà in hanc mutavit: *raptor virginis mille drachmis mulctator.*

Romulus ædificata jam Roma, cum coniugia deessent, ludos simulavit. Invitati Sabini, 69
exceptique domi. *Ubi spectaculi tempus venit* (sic loquitur Livius L. 1.) *deditaque eo mentes cum oculis erant, tunc ex composito orta vis signoque dato juventus Romana ad rapiendas virgines discurrit; magna pars fortè, ut in quem quaque inciderat, rapta.* Inde factum est ut Romulus jusserit, imposterùm rapto simulato Nuptias celebrari.

Moscovitę, Rutheni, Lituari, Laconienses, Curetes maxime plebeę conditionis Matrimonia 70
absque sponsalibus, per raptum virginum contrahunt, *Olaus L.* 14. *cap.* 9.

In Scriptura Sacra exemplum occurrit, quo 71
constat, quàm Deo Omnipotenti raptus virginum displiceret.

Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius (juxta oppidum Salæ Urbis Sichimorum,) quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa vi opprimens virginem; & quamvis inter Hemor, & Jacob convenisset de Matrimonio inter Sichem, & Dinam; tamen fratribus Dinæ abreptis gladiis Hemor, & Sichem interfecerunt tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam, & irruerunt super alios, & urbem depopulati sunt in ultionem stupri, & terror Dei invasit omnes per circuitum Civitates. Quæ historia est in *Gen. cap.* 34. & 35.

Sed est aliud exemplum raptus Matrimonii causa, *Judic. cap.* 21. Præceperunt filii Beniamin, atque dixerunt: ite, & latitate in vineis; cumque videritis, filias Silo ad ducendos Choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite, ex eis singuli uxores singulas, & pergite in terram Beniamin; cumque venerint patres earum, ac fratres, & adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: misereminì eorum, non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum; sed rogantibus, ut acciperent, non dedistis, & a vestra parte peccatum est. Fecerunt filii Beniamin, ut sibi fuerat imperatum, & juxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quæ ducebant choros, uxores singulas, abieruntque in possessionem suam.

Verum Concilium Tridentinum volens prospicere liberati Matrimonii, eique favere quammaximè, & cavere, ne fœmina renitens cogatur 72
illud inire, ut observat Sanchez *L.* 7. *disp.* 13. *de Matr. n.* 13. decernendum, existimavit, non modo illicitum esse puellam rapere ad contrahendas cum ea Nuptias, verùm ipsum quoque Matrimonium fore irritum, carere effectu, nec raptores nomen coniugis posse sortiri. Idque sic Spiritu Sancto instruente decrevit *sess.* 14. *cap.*

6. de

6. *de ref.* .. Decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quandiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excomunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneantur præterea raptor mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

Et meritò sic fuit decretum. Quale enim Matrimonium illud, quod non conciliat mutuus consensus, sed vis? Infaustos exitus habent hæc
73 conjugia; discordiæ, dissensiones, & odia inter ipsos conjuges oriuntur, bellorum incendia, si quid simile inter Principes contigerit Provinciæ conflagrabunt, ut passim ex historiis accidisse colligitur. Utilo Bocariæ Rex Hildrudam filiam Caroli Martelli rapuit, duxitque in uxorem, *Sigebertus Aven. L. 3. Ann. Regione L. 2.* Gisalbertus pariter Caroli Aquitaniæ Regis præfectus, filiam Lotharii Imperatoris rapuit, in Aquitaniamque profectus eam sibi connubio junxit. Quæ res grave incendium inter Lotharium, & Carolum fratres excitavit, *Avent. L. 4. Ann. Bojor.* Udalricus Boemorum Princeps cum Othonis II. Filiam rapuisset Otho injuriam armis persecutus est, *Æneas Silvius cap. 18. hist. Boem.* Gramus Danorum Rex Sigtunii Gothorum Regis filiam rapuerat. At Sibdagerus Norvegiæ Rex ad vindicandam injuriam injuria classe in Ganiam vectus, filiam Re is Grami vicissim in Norvegiam abduxit adductam sibi Matrimonio copulavit, ac diu crudelissimum bellum gestum est, *Joan. Mag. L. 2.* Carolus Calvus Imperator Juditham filiam Edelulfo Anglo Regi nuptui dederat. Eam mortuo marito ad patrem transmittentem in Portu Gessoriaco Balduinus intercepit, sibique thoro junxit. Ad ejus excidium protinus exercitus coactus; ac planè omnia mala erant pertimescenda, nisi precibus mulieris paternus animus, ab ira ad clementiam fuisset revocatus, *Æmil. L. 3. Granz. L. 2. Mer. cap. 14.* Alia exempla supersedemus recensere, quarum in historiis copia non mediocris occurrit.

Ceterùm decretum Conciliare solum pertinet ad raptum secutum causa Matrimonii contrahendi; 74
Spectatur enim in hoc decreto primo, ac potissimè libertas, & spontanea voluntas contrahentium; ita decrevit Sacra Congregatio die 25. *Jan. anno.* 1586. Raptores ob aliam causam, quàm ut in uxores ducant non comprehendi a 75
Concilio, narrat *Pirrhus Corradus L. 7. cap. 5. n. 48.* Ideò in literis dispensationum solet apponi clausula *dummodo mulier rapta non fuerit propter hoc*, nempe ad effectum Matrimonii contrahendi, *Pirrhus Corrad. ubi supra*. Non ergò decreto Conciliari punitur raptus, qui fit species luxuriæ; nihilominùs si quoad verumque finem raptus fiat, & ad libidinem explendam, & ad Matrimonium, servat usus Datariæ, ut quoniam subiiciuntur hisce pœnis, id exprimendum sit in precibus porrectis ad dispensationem, *Pirrhus Corradus, ubi supra*.

Regula Cancellariæ 49. cavetur, ut in literis dispensationum super aliquo consanguinitatis, 76
vel affinitatis gradu, ponatur clausula, *si mulier rapta non fuerit* Quod si forte in literis dispensationis sit omissa, intelligitur nihilominus in eis apposita de Stylo, *Pirrhus Corr ib. n. 53. & 54.*

Petendo dispensationem ab impedimento consanguinitatis, quo obstringitur sponsus cum 77
sponsa, quam rapuit, supplicatur etiam absolutio a generali excomunicationis sententia, quæ propter raptum fuerit incursa & formulam tradit *Pirrhus Corradus, ubi supra n. 58.*

Utrumque Jus, Canonicum, & Civile duas agnoscit species raptus, in fœminam nempè, 78
cui vis infertur, & raptum in parentes puellæ, si ipsi inviti sint, tametsi puella consentiat, *can. de raptoribus 36. q. 1. cap. cum causam de rapt. L. raptores C. de Episcop. & Cl.* ceterùm raptus in solos parentes non subiicitur pœnis Concilii Tridentini, ac confert ratio Textus *in can. suffecerat 27. q. 2.* Hæc satis de raptu. Innumera alia, quæ in quæstionem cadunt, omittimus. Hactenus traditis contenti erimus ad quamdam cognitionem hujus impedimenti.



DE

DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBUS.

TITULUS XVIII.



Am agendum de iis, quę Matrimonio contrahendo obesse quidèm possunt, non tamèn illud contractum divellere. Interdictum, ferię, sponsalia, cathechismus, votum simplex, crimen; hæc sunt, quæ impediunt, non dirimunt. Ac, nisi aliter Episcopo visum fuerit, isque sua dispensatione concedat, ut Nuptiæ contrahantur, gravi se culpa contrahens obstringit. Verùm cum consciis, ac non repugantibus Prælatis, nec cathechismus (*a*) nec crimina (*b*) incestus, uxoricidii, [*c*] raptus (*d*) alienę sponsæ, susceptionis [*e*) proprię sobolis, coniugii (*f*] cum Moniali, occisionis [*g*) Presbyteri, nec aliud delictum, propter quod solemnis iniuncta (*h*) sit pænitentia, avocarent a Nuptiis, nec ampliùs a tempore immemorabili peteretur super his dispensatio, omnesque ferè Canones ea impedimenta inducentes, Conciliorum Provincialium essent, ac præsertim ad usum fori pænitentialis inventi; consuetudine invaluit, ut solum in usu sint, atque observentur impedimenta voti (*i*] simplicis, priorum (*k*] sponsalium, atque interdicti (*l*) Ecclesię. Quod verò attinet ad potestatem in hisce tribus impedimentis dispensandi [*m*) nec in voto, nec in sponsalibus Episcopus dispensare potest, *cap. ex literis Text.* 2. *de sponsal.* In Interdicto Ecclesię distinguendum. Si tempore feriarum absque solemni benedictione agatur de Matrimonio contrahendo, Ecclesiæ consuetudo est, ut id Matrimonium licitè contrhatur, [*n*) nec punantur Parochi, qui interfuerint, nec opus sit Episcopali dispensatione. Si urgeat aliqua necessitas, nec interim recursus ad Pontificem haberi possit, poterit Episcopus dispensare, ut consuetæ solemnitates tempore (*o*) feriarum non omittantur. Si agatur de censura interdicti, cum hoc tempore, quo supposita est Civitas interdicto licitè possint (*p*) iniri Matrimonia *cap. capellanus de feriis*, nulla est opus dispensatione. Si tractetur de interdicto per Iudicis sententiam, atque decretum sit, ne Nuptiæ contrahantur, donec aliqua superveniens difficultas fuerit pleniùs dilucidata, *cap.* 1. 2. & 3. *de Matr. contr. int. Eccl.* poterit Episcopus (*q*) dispensare quando ipse vel inferior Matrimonium interdixit; sin autèm interdixit Superior, hac potestate caret Episcopus, *Clem. ne Romani de Elect.*

SUM-

SUMMARIUM.

EXPLICATIONES.

(*a*] *Catechismus.*

De impedimento Catechismi.

Cathechismus erat olim impedimentum impediens Matrimonium, sed non dirimens. Paucis id explicabo; etenim Sacra Cardinalium Congregatio decidit, hoc impedimentum vi cathechismi jam, jamque cessasse, teste Diana P. 3. *Tract. de Sacram. Res.* 26. teste Cabassutio *in Serentia can. L.* 3. *cap.* 10. *n.* 5. & infertur ex

 ipso

1 ipso Tridentino Concilio *sess. 24. de ref. M. cap. 2.* ibi .. omnibus inter alias personas hujus spiritualis .. cognationis impedimentis omninò sublatis, ut notat ex his verbis Gutierez *de Matr. cap. 84.* notavi ipse, *in hoc Lib. Tit. 3. n. 50. in Expl.*

Sciendum igitur, ad catechismum baptizandi
2 proprios esse oportere patrinos juxta veterum Canonum placita, proprios inquam, videlicet diversos a patrinis Baptismi, *can. ex cathechismo de consecrat. dist.* 4. Variæ enim erant cathecumenorum stationes, ut & diximus *hoc Lib.*
3 *Tit. 3. n. 52. in expl.* & confirmamus nunc auctoritate *Concilii Constant. 6. can. 99.* ibi .. Omnes ex iis, qui ad rectam de fide sententiam .. volunt accedere, ut Græcos recipimus, & primò quidem die eos Christianos facimus: secundo autèm cathecumenos, deindè tertio adiuramus; simul etiam ter in faciem, & aures .. inspirimus, & sic initiamus, & curamus, ut .. longo tempore versentur in Ecclesiis, & audiant scripturas, & tunc ipsos baptizamus.

Cum verò ad januas Ecclesiæ pervenerint, constitutus ad hoc patrinus baptizandum detinebat.
4 Atque hic dicebatur patrinus cathechismi, cujus officium cessabat cathechismo completo; Nam sacro fonti patrinus alter præsto erat. Jam verò a primo sacrati salis pabulo inter patrinum, & eam, quæ foret baptizanda, species cognationis oriebatur impediens Matrimonium. En verba Bonifacii in *cap. per cathechismum de cogn. spir. in 6. Per cathechismum, qui præcedit Baptismum* (& infra) *cognatio spiritualis contrahitur, per quam contrahendum Matrimonium impeditur*; Atque hic Textus memorat Clementis II. prædecessoris constitutionem similem *in cap. contracto de cogn. spirit.* ibi: *in primo sacrati salis pabulo*; nam in os cathecomeni sal inserebatur, *can. sal. can. ex his de cons. dist.*
5 14. Quo significaretur, sale sapientiæ conditum cathecumenum fœtore iniquitatis carere oportere *Ivo Carnot. sermone de Sacram. Neophit.* Clarius adhuc initium, & finem ejus cathechismi, unde oriebatur hæc cognatio, exprimit Textus *in can. pervenit 30. q. 1.* ibi: scitis, quia quo- .. modo sunt septem dona Spiritus S. ità sunt .. septem dona Baptismi a primo pabulo sacrati salis, & ingressu Ecclesiæ usque ad con- .. firmationem Sancti Spiritus per chrisma, Ab .. hoc ergò primo Spiritus S. dono usque ad .. septimum nullus Christianus suam comma-
6 .. trem in coniugium suscipere debet. Et qui .. præsumpserit: tamdiù vinculo anathematis re- .. ligetur, donec pœnitentiam dignè egerit.

Ergò ex hoc Textu constat, quod a ritu salis cæremonia cathechismi, cui intererat patrinus,
7 incipiebat, & in sancta unctione finiebatur, ut etiam, rejecto Sanchez, intelligit hunc Canonem Gonzales *in d. cap. contracto de cogn. spir.*

Ratio autem hujus cognationis impedientis Matrimonium hæc erat. Quia si Baptismi patri-
8 nus hanc contrahit, cur non contrahatur etiam a patrino cathechismi? Uterque infantis personam gerit. Imo sicut per sponsionē futuri coniugii oritur impedimentum, sic par est, oriri impedimentum ex sponsione futuri Baptismi.

[b) Incestus.

De impedimento incestus.

Aliud impedimentum impediens erat incestus;
hic quoque jam explicandus. Casum hujusmo 9
di criminis fingamus. Supponitur *in cap. transmissa de eo, qui cognovit cons. suam*, quemdam, uxore sua mortua, privignam carnali copula cognovisse. En incestum. Quidnam disponitur in hoc Textu? Quod si hic incestuosus uxori supervixerit, *perpetuo sine spe coniugii maneat*.

Quæ decisio pluribus aliis Juris testimoniis confirmatur.

In cap. veniens ib. statuitur, quod incestuosus *poterit ex dispensatione cum alia contrahere*, ergò sine dispensatione non potest.

In can. si quis 34. q. 1. & 2. ibi .. si quis cum .. matre, & filia fornicatus est, ignorante matre .. de filia, & filia de matre, ille nunquam .. accipiat uxorem.

In can. quidam ib. de fornicaria, quæ rem habuit cum patre, & filio, ità statuitur. *Fornicaria autèm sine spe coniugii maneat.*

Consonant alii Textus *in can. concubuisti, in can. quadam, in can. si quis viduam, in can. qui dormierit, in can. si quis cum noverca 32. q. 7. in can. si quis sponsam 27. q. 2. in cap. in lectum, in cap. quis cum duabus, in cap. si quis cum matre, in can. quidam 34. q. 1.*

Ne quis error esse possit, notetur, eum, qui cognoscit consanguineam suæ uxoris jam admisisse incestum cum consanguinea; ex quo in- 10
cestu duo sequuntur effectus. Primus est, ut superveniat impedimentum affinitatis, quoad uxorem suam, vi cujus privatur hic coniux incestuosus facultate petendi debitum, *cap. Jordana de eo, qui cognovit.* Ceterum post Concilium Tridentinum *sess. 24. de refor. Mat. cap. 4.* incestus hic commissus ultra secundum gradum affinitatis non impedit exactionem debiti, ut censet Gon-
zales, & probat in *d. cap. Jordana n. 5.* & ad- 11
ducit Pii V. declarationem. Imo in hoc impedimento, si vigeat, poterit Episcopus dispensare, *Gonz. ubi supra.*

Secundus effectus est, ut hic incestuosus cum nulla fœmina totius orbis possit contrahere. Atque hic effectus pertinet ad Textus supra adductos, ac pertinet ad impedimentum, de quo tractamus.

Verùm hoc quoque impedimentum jam ces- 12
savit. Nam hoc impedimento irretitus contrahit, videntibus Prælatis absque ulla dispensatione, notat *Cabassutius L. 3. Scient. Can. cap. 20. n. 9. Gonzales in d. cap. Jordana n. 5.* & passim alii Interpretes.

(c) Uxoricidi.

De Impedimento uxoricidii.

Aliud

Aliud insuper impedimentum erat uxoricidium.
13 Uxoricidium erat, cum vir uxorem interfecisset. Hastulphus Longobardorum Rex, sedente ad gubernacula Christiani Orbis Stephano V. hoc scelus perpetraverat. Et scripsit Stephanus suadens asperam pœnitentiam, tum ait: *Uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas*. Quæ historia est *in can. admonere* 33. *q.* 2.

Similes Textus *in can. interfectores* 33. *q.* 2.
Quando autem adulteram sibi traditam Judicis
14 auctoritate vir necasset, minime hoc impedimentum incurrebatur, ut indicant verba Textus *in can. quicumque* 33. *q.* 2. ibi: absque lege, absque certa probatione.

Duo sunt animadvertenda circa hoc impedimentum. Primo, quod si uxor è contrario virum interfecerit, non incurritur hoc impedi-
15 mentum; nam, cum nullus sit Textus id disponens, versemurque in materia odiosa, non est dispositio extendenda de casu ad casum, *reg. in odiosis de reg. jur. in* 6. Secundò, quod
16 hoc impedimentum discrepat ab impedimento criminis, de quo supra actum est, nam homicidium coniugis inducens impedimentum dirimens, exigit finem ducendi superstitem, qui finis in specie nostri casus deficit.

Verùm neque hoc impedimentum his temporibus in usu est, ut passim testantur Interpetres;
17 notat Cabassutius in Scientia Canonica *L.* 3. *cap.* 20. *in fine pag.* 338.

[*d*] *Raptus*.

De impedimento raptus alienæ sponsæ.

Raptus alienæ sponsæ similiter impediebat Matrimonium.

Noretur, quid a me dicatur. Raptus alienæ sponsæ impediebat; raptus verò propriæ sponsæ dirimens est impedimentum modo supra expo-
18 sito luculentissimè.

Constat id ex *capite statutum* 27. *q.* 2. ibi: *Si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe coniugii maneat*.

Verùm quæri potest, an si quis rapuerit puellam, non sponsam alterius, neque ad contrahendum Matrimonium, quo casu esset impedimentum dirimens, sed ad finem explendæ libidinis, aut ad finem alium, oriatur impedimentum ex raptu?

Negat Sanchez L. 7. *de Matr. disp.* 12. *q. ult. pag.* 45. *n.* 43.
19 Verùm huic sententiæ negativæ, cui non subscribo, adversatur Textus Concilii Meluensis *in can. si autem* 36. *q.* 2. ubi si unus ex coniugatis, qui rapuerunt, obierit, *superstes iterare coniugium non præsumat*; ergò raptum quovis casu
20 esse impedimentum dirimens, deduci videtur.

Resp. Sanchez, hunc Textum intelligi de raptu alienæ sponsæ L. *VII. disp.* 12. *n.* 43.

Ego verò huic interpetrationi non acquiesco, cum nimis pervertat Literam Textus. Judicet lector ex verbis Concilii, an ibi tractetur de raptu alienæ sponsæ: si autem nec dum eas, quas
.. rapuerant, cum voluntate parentum sub des-
.. ponsionis, vel dotalitii nomine, in coniu-
.. gium duxerunt (& infra prosequitur) quod
.. si unus ex coniugatis obierit, & is, qui pœni-
.. tentiam publicam egerit, superstes extiterit;
.. iterare coniugium non præsumat.

En agit Textus de iis, qui rapuerunt, & raptas duxerunt; non ergo de eo, qui rapuit alienam sponsam. Hinc doctissimus Lauria in Epitome Canonum summat Textum eumdem his
.. verbis: Raptores nubere non possunt cum ra-
.. ptis; ita in Epitome Can. verbo raptores *pag.* 409.

Agitur ergò in eo Textu de Matrimonio, quod raptor cum rapta contraxit. Quid igitur pro interpetratione dicendum?

Res meo judicio nullam involuit difficultatem. Quid veremur afferere, in eo Textu tractari de Matrimonio contracto a raptore, cum rapta? At inquies, Concilium Meluense loquitur de raptore, qui peracta pœnitentia Nuptias contrahit. Quid inde infertur? hoc solum inferri potest, ex indulgentia Episcopi id sibi concessum fuisse; ait enim ibi Textus, id concedi, *si ætas, & incontinentia exegerit* (& infra) *Nam in his non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus*. Ceterum Sententia Concilii Meluensis est, raptorem ad alium finem, quam ad Matrimonium contrahendum, non posse unquam alio tempore nubere.

Confirmo omnem hanc interpetrationem ex eodem Concilio Meluensi *in can.* 66. ibi: Qui
.. deinceps rapere virgines, vel viduas præsum-
.. pserint, secundum Synodalem B. Gregorii
.. definitionem, ipsi, & complices eorum ana-
.. thematizentur, & raptores sine spe coniugii
.. perpetuo maneant. Quid clarius?

Non impendam moram ulteriorem in hoc impedimento explanando. Necessaria protulimus. Iam enim in usu non est, ut notant Interpetres relati a Cabassutio *in Scientia Canonica L.* 3. *cap.* 20 *in fine*.

(*e*) *Susceptio &c.*

De impedimento ex susceptione sobolis.

Susceptio propriæ sobolis impedit, ac non dirimit Matrimonium.

Non protinus precipietur, quid hoc impedimentum significet. Iam explico verbis Concilii
Moguntini *in can. de eo* 30. *q.* 1. Quæ, et casum, 21
& decisionem continent. Si autem coniuges le-
.. gitimi unus, aut ambo, ex industria fecerint,
.. ut filium suum de fonte susciperent (*& infra*)
.. & si prævaricator coniugii supervixerit, acer-
.. rima pœnitentia mulctetur, & sine spe co-
.. niugii maneat.

Adhuc et ex alio Concilio constabit hoc impedimentum, nempe ex Concilio apud Vermarias *in can. si quis* 30. *q.* 1. ibi: Si quis filia-

.. strum, vel filiastram suam ante Episcopum .. tenuerit ad Confirmationem, separetur ab .. uxore sua, & nunquàm aliis accipiat.

Ergò hi duo Canones luculenter, in quo positum sit impedimentum, declarant. I. Ut suscipiatur filius, vel filiastra ab uno coniuge. II. Ut insidiosè, ac per industriam fiat. Sed inquies, quo spectat hæc industria?

Explicat idem Meldense Concilium *in can. de eo jam adducto*, ibi: *hac causa, ut dissidium coniugii fieret*. Tenere infantem filium suum in Baptismo, ut cognitio spiritualis exoriatur, de qua *in cap. 1. & 2. de cogn. spirituali*, ut separentur coniuges juxta Textum *in can. pervenit* 30. *q.* 1. ut reddere debitum non cogantur, nec debeant juxta Textum eumdem *in cap pervenit*; est insidias struere Matrimonio, ut hac via ad divortium aditus pateat; ideo justum est, per ea, per quę quis peccat, per hęc & puniri, justum est, spe coniugii in omni vita privari. Quod si è contrario ex necessitate id contigerit, cessat impedimentum, expresso Textu in *can. ad limina* 30. *q.*

Sed neque hoc impedimentum præsentis temporis observatio recipit, ut de aliis hactenus dictum est.

[f) Cum Moniali.

De impedimento ex coniugio cum Moniali.

Coniugium cum Moniali est aliud impedimentum antiquis Canonibus introductum.

Dicat aliquis, quomodo Matrimonium, cum ea voto castitatis solemni se se obstrinxerit, est solum impedimentum impediens? Imo est impedimentum dirimens

Dedita opera hoc oppono, ne turbentur studentes huic Juri. Matrimonium cum Moniali est quidem impedimento dirimenti ipso iure divulsum. Sed qui non erubuit facinus tam immane patrare, jungendi se cum Moniali, sciens esse Monialem, in pœnam reliquo vitę tempore nullam ducat uxorem.

Quod Monialis non possit duci, imò in monasterium sit reducenda, quodque ipsa exco-
22 municetur, patet ex *can. sicut bonum est* 27. *q.* 1. Apostatæ dicuntur tales Moniales, & carceribus traduntur, *can. viduas* 27. *q.* 1. Obstetricibus inspiciendum, an sint virgines; quod si adulteræ Christi, cui fidem servare debebant, inventæ sint, agent pænitentiam plenam, idest 10. annorum, *can. devotam* 50. *dist. can. quod si* 27. *q.* 1. *can. ha verò ib. can. ut lex ib.*

Quod verò hi, qui Sanctimonialibus scientes Matrimonio ad injuriam Christi copulati sunt,
23 juxta censuram zeli Christiani separentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari; sed in pænitentiæ lamentis se vehementer, dum vivunt, afficere debeant; decernitur, in *can. hi ergo* 27. *q.* 1 & ejusdem verbis locuti sumus in hoc §. Idemque protinus excommunicantur, *can. virginibus* 27. *q.* 1. *can. si quis sacro ib.*

Neque omittam rem observatione dignam, quam notat Basilius L. 7. *de Matr. cap.* 12. P. *Sherlog. Tomo 3. in cant. vero* 28. *sect. un. Gonz. ad Con-*
cil. Illib. can. 13. *pag.* 201. Nempè Matrimonium 24
prisco Jure a Monialibus contractum fuisse validum, quamquam illicitum. Quod tamen irritum fuit declaratum a Synodo generali Romæ celebrata *anno* 1130. cujus verba refert Gratianus *in can.* 7. §. *ut lex* 27. *q.* 1. & ita intelligitur Textus *in can. si qua virgo* 27. *q.* 1. & Textus *in can. quidam* 27. *q.* 1.

Contrarium tamen defendit Mendozza *in Concil. Illib. L.* 2. *can.* 13. *cap.* 38. *pag.* 193. Quod imò si qua virgo pudicitiam semel obtulit Deo, tametsi mutationem propositi honesto Nuptiarum nomine tegere cupiat, libido sit, fornicatio sit, ac stuprum; atque id semper fuisse in Ecclesia observatum. Qui putat idcirco emen-
dandum Textum *in can. quidam nubentes* 27. 25
dist. delendumque verbum illud *post votum*, quod in toto opere D. Augustini, undè canon desumitur, non extet.

Non aliud addam. Nam et hoc impedimentum hactenus explicatum sublatum est contraria consuetudine.

(g) Occisionis Presbyteri.

De impedimento ob occisionem Presbyteri.

Occisio Presbyteri est aliud impedimentum solum impediens.

De quo ità disponitur in *cap. qui Presbyterum* 2. *de pænit. & rem.* ibi.. Qui Presbyterum
.. occidit 12. annorum pœnitentia secundum 26
.. Canones imponatur (*& in fra*) convictus noxa .. usque ad ultimam vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugii maneat. Consonat Textus in *can. qui Presbyteram* 27. *q.* 4. & in *can. qui occiderit* 17. *q.* 4. ubi disponitur, ut in Monasterio is deserviat cunctis vitę suæ diebus.

Qui verò Subdiaconum occiderit 300. *solid.*
componat; qui Diaconum 400. qui Presbyterum 27
6000. qui Episcopum 9000. qui Monacum 400.

Sed ultra hanc pœnam pecuniariam, & excommunicationem, de qua *in can. si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4. oritur ex occisione impedimentum hoc tantùm impediens; dummodò convictus sit delinquens in judicio contentioso ad tradita *per Sanchez. L. 7. disp. 6. n. 9.*

Ratio talis impedimenti hæc est, quia cum 28
interficiatur Sacerdos, cujus est huic Sacramento interesse, æquum est, ut talis interfector hoc Sacramento privetur.

Sed neque hoc impedimentum in usu est.

(h) Pœnitentia.

De impedimento ob pœnitentiam.

Solemnis pœnitentia erat aliud impedimentum impediens.

Pœnitentibus Matrimonium interdictum, Nicolaus

29 colaus Papa ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum docet, *can. interfectores* 33. *q.* 2. *Concilium Arelatense* 2. *can.* 21. *Tolet.* 6. *can.* 7. *Regaticinium can.* 7.

Peracta verò pœnitentia Matrimonium permittebatur, *cap. audiamus*, *cap. si quis cum duobus seq.* 33 *q.* 2.

Quin imò etiam peracta pænitentia, nisi pænitentes juvenes fuissent, quibus ob periculum
30 incontinentiæ concedebatur contrahendi facultas, cū alio non poterat celebrare Nuptias, *can. in adolescentia* 33. *q.* 2. *can. de his ead. cauf.* & *q.*

Adolescentibus autèm non iniungebatur solemnis pœnitentia, nisi fortè in periculo mor-
31 tis, aut navigationis, *can. pænitentes* 63. *in fin.* 50. *dist.*

Plura perdoctè cumulat Gonzalez ad *can.* 14. *Concil. Illib. pag.* 214. ubi novam adducit interpretationem ad Textum, quem nos etiam expendebamus supra *n.* 20. *in can. si autem* 36. *q.* 2.

Si de observantia hujus impedimenti quæras,
32 idem dicimus, quod de aliis huc usque expositis, ne hoc quidèm in usu esse.

(*i*) *Voti simplicis*.

De impedimento ob votum simplex.

Primum ergò impedimentum impediens, cujus observantia viget, est votum simplex castitatis.

33 Si varios casus distinguamus, clare, & perspicuè hoc impedimentum explicabitur.

I. potest aliquis vovere ingressum in Religione approbata; hoc votum impedit subsequens Matrimonium, non autèm dirimit, *can. hq vero* 27. *q.* 1. *cap. meminimus qui Clerici, vel vov.*

II. potest aliquis vovere susceptionem Sacrorum Ordinum; hoc quoque votum impedit, non dirimet, *cap. un.* §. *reliqua de voto in* 6.

III. Voveri potest castitatis observatio in genere; hęc quoque impedit Matrimonium, sed non dirimit, *cap. consuluit*, *cap. rursus qui Clerici, vel voventes*.

IV. Voveri potest castitas aliqua solemnitate, veluti in manu Eremitæ; et in hoc casu, si alia vota non accesserint propria Religionum, non impedit, & dirimit tale votum Nuptias, *cap. veniens*, *cap. consuluit qui Clerici, vel vov.*

Ratio omnium hujusmodi casuum hæc est, quia
34 votum simplex non corporis traditionem, sed solam promissionem inducit, atque adeò verum dominium manet apud voventem. Et licet Ec-
35 clesia potuisset sua constitutione irritare Matrimonia post simplex votum castitatis celebrata, sicuti potest aliqua impedimenta dirimentia statuere, consultissimè tamen id non est executa. Quippe ille, qui simplex votum emittit, non propriè mutat statum, & sæpe absque magna deliberatione, & privatim, & sine testibus id vovent Fideles, nec propterea magis Ecclesię se subiiciunt, quàm anteà essent subiecti, unde ope Judicii ad observantiam compelli non possent, sed per correctionem fraternam, de qua Textus *in can. si peccaverit* 2. *q.* 1. Ceterum quantò manifestius vota sunt emissa, tantò durior 36
pœnitentia transgressoribus debetur, *cap. un.* §. *reliqua de voto in* 6.

[*k*) *Priorum sponsalium*.

De sponsalibus copiosissimè disseruimus *ad Tit. de sponsalibus*, inde igitur petenda sunt, quæ ad hanc partem explicandam exigi posse videntur.

(*l*) *Interdicti Ecclesię*.

DISSERTATIO I.

De interdicto Ecclesia.

Interdicti impedimentum tribus modis inter- 37
cedere potest.

I. Per Legem, II. per Judicem, III. per Parochum. Per Legem quidem. Lex enim certa præscripsit tempora, ne quis Nuptias celebraret. Tempore Quadragesimæ a Nuptiis abstinendum, *can. non oportet* 33. *q.* 4. ibi: *non oportet in Quadragesima aut Nuptias, vel qualibet natalitia celebrare*: consonat Textus *in can.* 38
non licet ib. Tempore Adventus item Matrimonia non sunt celebranda. En verba Concilii Ilerdensis in *can. non oportet* 10. 33. *q.* 4. *Non oportet* (& infra) & *ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam Nuptias celebrare*.

Imo & olim non licebat inire coniugia tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistę. En cannonem expressum: *Non oportet* (& inf. *a*) & *tribus hebdomadibus ante festivitatem* 39
S. Ioannis Baptista, can. non oportet 33. *q.* 4. Atque ex historia Ecclesiastica majorem, Incem canon iste recipit. Sciendum est, olim in aliquibus Provinciis ante Præcursoris solemnem- 40
diem jeiunium celebrari solitum per dies 14. Bruchardus L. 13. *decreti cap.* 21. ibi: Et septem dies ante nativitatem S. Joannis Baptistæ, quatenus adeundi Ecclesiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas; clarius in Concilio *Salesg. can.* 3. ibi: neque in supra notatis quatuordecim diebus ante festi- 41
vitatem S. Joannis Baptistæ. Addo, quod olim erant in Ecclesia quotannis tres Quadragesimæ: una, quę Adventus postea dicta est; alia ante Resurrectionem, cujus adhuc exacta viget observantia. alia tandem ante festum S. Joannis, Burchardus idem L. 19. *decret. cap.* 10. ibi: Ut tres Quadragesimas jejunet, una ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, 3. ante Missam S. Joannis. Deducitur idipsum ex *Iuone p.* 5. *cap.* 162. ex Beda *de remed. peccat. cap.* 8. 9. & 13.

Verumtamen Clemens III. Quæstione ad Curiam Romanam delata, an id tempus antece- 42
dens Festivitatem S. Joannis re vera impediret Nuptias; ita rescripsit *in cap. Capellanus de feriis*, quod cum ea sit Romæ consuetudo a longis retro temporibus observata, ut quo-

cum-

.. cumque Matrimonium contrahatur tempore, ., consensu interveniente de praesenti legitimo; .. quia tamen, a Septuagesima usque ad septem dies post Pentecosten celebrari Nuptiae non .. sinuntur, & postea etiam tribus, vel pluribus .. septimanis ante festivitatem S. Joannis sine .. differentia celebrantur &c. Scribit ergò, hoc tempus jam suo tempore in usu non fuisse.

Aliud quoque tempus erat impediens Legis
43 dispositione Nuptias, videlicet a die Rogationum usque ad Pentecosten. Ita Concilium Ravennatense *cap.* 19. ibi: *& a tribus diebus ante Ascensionem usque ad octavam Pentecostes*. Jam etiam Concilium Salegust. Sub *Benedicto VIII. can.* 31 ibi .. de legitimis autem conjugiis ità .. visum est, quod nullus Christianus uxorem .. ducere debeat ab Adventu Domini usque in .. octavam Epiphaniae; patet etiam *ex cap. Capellanus de fer. ex Concilio Toletano an.* 1473. *tempore Sixti IV. can.* 16.

Verùm Concilium Tridentinum jus antiquum
44 moderatum est *in sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 10 ita .. Ab Adventu Domini N. Jesu Christi us .. que in diem Epiphaniae, & a feria 4. Cinerum, usque in octava Paschatis inclusivè antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones .. diligenter ab omnibus observari, S. Synodus praecepit: In aliis verò temporibus Nuptias solemniter celebrari, permittit.

Ac notetur discrimen inter Jus vetus, & no-
45 vum. Olim in tribus illis Quadragesimis omnis omnino prohibita erat celebratio Nuptiarum, ut probat Pontius L. 6. *de Matr. cap.* 8 *n.* 7. Post Concilium Tridentinum dumtaxat solemnitas Nuptiarum, benedictiones solemnes, & pompae fuerunt interdictae. Ut censuit Sacra Congregatio Cardinalium apud *Gallemart. ad Concil. Trid. ubi supra*, his verbis .. Praeterea ab Adventu D. .. N. Jesu Christi usque ad diem Epiphaniae, .. & a feria 4. Cinerum usque ad octavam Paschatis convivia Nuptiarum, & solemnitates, .. traductiones ad domum, & carnalem copulam .. decreto Conc. Sess. 24. de refor. Matr. prohiberi, sed Matrimonium coram Parocho, & .. testibus eo tempore contrahi posse.

Ratio autem prohibitionis hujusce Nuptiarum partim deducitur *a Concilio Senon. sub Clem. VII. in decret. Mor. cap.* 30. his verbis .. Sane cum .. Matrimonium a Deo omnium rerum conditore in Paradiso, & in statu innocentiae institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, Sacramentum, proinde cum magna reverentia, .. ac devotione suscipiendum, utpote in quo, .. sicut & in reliquis Sacramentis, gratia confertur; cui annectendus est Textus *in can. nostrates* 30. *q.* 5. ubi enarratur, quod Matrimonia celebrari consueverant, convivus, aliisque laetitiae signis. In his verò diebus, quibus fideles jejunio, divinis officiis, vigiliis, stationibus, & cōmunioni Eucharistiae debent incumbere, aequum non est, solemniter Nuptias celebrari.

Satis haec de prohibitione, seu interdicto Legis.

Interdicit deinceps Matrimoniū Judex. Januensi Episcopo, ut interdiceret Matrimonium con- 46 trahendum iis, qui coram se disceptationem moverant de validitate primi Matrimonii, his verbis scripsit Innocent. *in cap. tua fraterni. de de spons. duorum: hoc arbitramur agendum, ut si amodo in tali casu duxerint, appellandum, etsi in Ecclesia debes interdicere, arctius ne ante decisionem causae aliud contrahant Matrimonium;* 47

Casus alter est *in cap. litera de Matrim. contr. interd. Eccl.* Nam incestuosam foeminam Judex Ecclesiasticus, ne cui nubat interdicit, ibi: *Cumq. fraternitas tua ei prohibuisset publice*, ne cui illorum, *vel alicui se copularet*. Casus alter est *in cap. ex literis ibid.* ubi in disceptatione proposita coram Archiepiscopo Cantuariensi, an vere Robertus quidam Nuptias cum puella quadam contraxisset, jussit Apostolica Sedes, Archiepiscopus interdixit sub poena excomunicationis, ne Robertus alicui nuberet. Vides, interdici Nuptias futuras a Judice in dubio Matrimonii rati, an sit validum ad vitandum incestum, ad cognoscendum impedimenta.

Verumtamen omnes causae interdicti solent distingui in hunc ferme modum. Aut enim prohibitioni Judicis causam praebet perpetui im- 48 pedimenti suspicio, aut temporaria fortasse causa, ut fides alteri data, ut delictum, undè affinitas ad impediendum debiti reductionem.

Quae distinctio subservit egregiè ad dissolvendam celebrem controversiam, an, vigente inter- 49 dicto Judicis, si celebretur Matrimonium, illud sit irritum. Nam primo casu, demonstrato per legitimas probationes impedimento, Matrimonium dissolvitur; secundo casu iniungitur poenitentia. Caeterum, etsi haec conciliatio a quibusdam probetur.

Verius dicendum est, ità demum fore irritum hoc Matrimonium; si Judex in decreto prohibitionis clausulam irritantem apposuerit.

Adduco Textum id comprobantem *in cap. tua in fine de sponsa duorum* ibi .. Et si contra in- .. terdictum Ecclesiae ità publicè factum venire 50 .. praesumpserit, Matrimonium tum praesumptuosè contractum poteris irritare.

Consonat Textus *in can. contradicimus* 35. *q.* 2. *can. videtur* 35. *q.* 6. *cap. ad dissolvendum de despons. impub.*

Verùm, ne quis error sit, notetur, Textus adductos procedere ex auctoritate Pontificia; 51 nam Praelatus inferior non reddit irritum sua prohibitione Matrimonium, cum impedimentū dirimens nequeat indicere. Quippe ex generali Ecclesiae consuetudine id Pontifici reservatum est, ut perdocte ait Sanchez L. 7. *de Matr. Disp.* 1 *n.* 9. *& 2. per tot.* & nos etiam supra diximus hoc Libro.

Superest interdictum Parochi. Casus est, ut interdicere debeat Parochus, ut primum ei denunciatur impedimentum post aliquas denun- 52 ciationes factas, aut si probabilis exoritur ejusdem suspicio, *cap. cum inhibitio §. fane de cland. despons.*

desponſ. Imò Eccleſia ex officio tenetur inveſtigare impedimenta, *cap. fin. de cland. desponſ. Sanchez L. 3. diſp. 15. n. 14.* Eoque comperto, debet conſcium reddere Parochus Epiſcopum, Pyrrhus Corradus *L. 7. cap. 6. n. 35. diſp.*

[m) Nec in voto &c.

An Epiſcopus in voto diſpenſet?

Nec in voto ſimplici caſtitatis, nec in ſponſalibus Epiſcopus diſpenſare poteſt.

Hæc aſſertio duas continet partes. Utramque paucis explicemus.

54 Quod attinet ad votum; ſi Jus inſpexeris, equidèm Romano Pontifici reſervatur diſpenſatio, commutatioque voti eundi in ſubſidium expeditionis Hieroſolymitanæ, & caſtitatis, & aliorum de quibus in *Extravaganti etſi dominici de pæn. & remiſſ.* ibi „ & per eos emiſſa pe„ regrinationis ultra marinę, & viſitationis li„ minum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in Cō„ poſtella, & caſtitatis, ac Religionis vota„ (& infra) commutare præſumant. Quod et conſtituitur in *cap. ex multa in fine princ. de voto & V. Red.* Atque adeò eum, qui vovit caſtitatem voto ſimplici, diſpenſationem impetrare debere a ſolo Pontifice, diſponitur in Concilio *Later. in appendic. Tit. de conſug. cap. 10.* Non ergò Epiſcopus habet facultatem diſpen-

55 ſandi, niſi forte votum eſſet caſtitatis ſervandæ ad tempus, alioſque caſus expendit Sanchez *L. 7. diſp. 11. a n. 4. ad ſeq.*

Atque ut praxim quoque impetrandi has diſpenſationes attingamus, ſciendum eſt, quod ſi,

56 votum eſſe emiſſum publicè, conſtet, literę debent in utroque foro expediri, & in hunc modum concipiuntur.

„ Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei.
„ Dilecto filio Vicario ven. Fratris Noſtri Ar„ chiepiſcopo Neap. (ex. gr.) in ſpiritualibus
„ gener. ſal. & Apoſt. bened.

„ Circumſpecta Sedis Apoſtolicæ benignitas
„ Fidelium quorumlibet ſtatui conſulere, & in„ terdum vota ab eis emiſſa in alia pietatis ope„ ra commutare conſuevit, prout in D. con„ ſpicit ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem
„ nobis, pro parte dilecti Filii N.N. Laici Neap.
„ Civit. vel Diœceſis petitio continebat, quod
„ alias dictus N. Deo vovit, ſe caſtitatem ſer„ vaturum.

„ Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiun„ gebat, dictus N. ſtimulis carnis agitetur, ut
„ continentiam ſervare poſſe, non ſperet; ac
„ propterea Matrimonium contrahere deſideret.
„ Quare pro parte ejuſdem N. fuit nobis humi„ liter ſupplicatum, ut ſibi in præmiſſis oppor„ tune providere de benignitate Apoſtolica di„ gnaremur. Nos igitur certam de præmiſſis no„ titiam non habentes, ipſumque a quibuſvis &c.
„ & abſolutum fore cenſentes; hujuſmodi ſup„ plicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per
„ Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, con„ ſtito tibi legitimè de præmiſſis, votum præ„ dictum dicto N. ad hoc, ut Matrimonium ſe„ mel dumtaxat legitime contrahere poſſit, in
„ frequentiam Sacramentalis Confeſſionis pec„ catorum ſuorum, ſingulis ſcil. inenſibus,
„ ſemel, vel quoties tibi videbitur, ac in alia
„ pænitentiæ opera per te injungenda, inter quæ
„ ſint etiam aliqua, quæ quotidie facere te„ neatur ad eum finem, ut ea adimplens me„ miniſſe ſemper poſſit obligationis, qua hu„ juſmodi voto adſtringebatur, prout ſecun„ dum Deum ipſius animæ ſaluti expediſe, ju„ dicaveris, ſecumque deſuper dictum votum
„ diſpenſando dicta auctoritate commutes; non
„ obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, &
„ ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque con„ trariis quibuſcumque. Volumus autem quod,
„ ſi dictus N. mulieri, cum qua contrahet, ſuper„ vixerit, maneat poſtea celebs, & eodem vo„ to, ut prius obligatus. Dat. Romæ &c.

Nil utilius, quam ſub oculos ponere literas Apoſtolicæ Sedis. Ex hoc igitur plura diſcimus.

I. Sedem Apoſtolicam delegare facultatem diſpenſandi in voto. 57

II. Iuſtam cauſam diſpenſandi eſſe oportere, veluti, quod orator ſtimulis carnis agitetur.

III. Pesmitti diſpenſationem ità, ut ſemel voto obſtrictus contrahat; non verò ad ſecundas Nuptias tranſire poſsit.

IV. Imponendam eſſe gravem pænitentiam.

V. Dictum votum eſſe commutandum.

Alios caſus proſequitur *Pyrrhus Corr. L. 7. cap. 6. per tot. de Diſp.*

Cum verò dubitabitur de emiſſi voti validitate, declaratoriæ literæ ſuper hoc peti conſueverunt Confeſſario dirigendę, quibus eidem mandatur, ut, audita confeſſione, ipſum oratorem 58 voto præfato ſatisfeciſſe nunciet, ut, quia poſt votum Religionis, redditur inhabilis ad opera Religionis, & attentius hortetur, ut propenſionem ad Religionem non contemnat, videndus idem Corradus, *ubi ſupra n. 22.* qui rem hanc prolixius explicat.

Quod attinet ad ſponſalia; rurſus affirmo, Epiſcopum in ſponſalibus diſpenſandi facultate carere. 59

Ratio eſt, quia in decretalibus plurimis Romani Pontifices jubent Epiſcopis, ut ſponſos compellant obſervare fidem datam. Ita in *cap. ex literis 26. de ſponſ. ita in cap. ſicut ex literis 9. poſtulationi ib.* modus hic autem præcipiendi Epiſcopis, ut compellant, ſignificat reſervatio- 60 nem, quaſi nimirum indicent Pontifices, quod indulgere, ne cogantur ſponſi obligatam fidem implere, ſit Pontificię Iuriſdictionis, ità obſervat Sanchez *L. 1. de ſponſ. diſp 61. n. 3. in fine.*

(n) Contrahatur.

An Nuptiæ tempore feriarum ſint validæ?

Eccleſiæ conſetudo eſt, ut tempore feriarum abſque ſolemni pompa Matrimonium tamèn coram

61 tam Parocho, & testibus celebrari possit.
Quam consuetudinem esse, testatur Sanchez *L. 7. disp. 7. n. 12 p. 21.* Ideo *in cap. Capellanus de fer.* affirmatur, consuetudine Ecclesiæ id attestante, posse omni tempore Matrimonium celebrari, & *supra n. 45.* adduximus elegantem declarationem. Testatur id et Gonzalez *in cap. Capellanus de fer. n. 8. Fermosinus ib.*

[o] Tempore feriarum.

Vtrum tempore feriarum, dispensante Episcopo, contrahi possit.

Utrum possit Episcopus in hac prohibitione dispensare, non cŏvenit inter canonū Interpetres. Nos tamen asserimus in casu proposito in nostro Titulo accidere posse, ut jure merito Episcopo hęc facultas competat. Iam rem clarius exponam. Episcopus jure ordinario non valet dispensare. Ratio firmissima hæc est, quia pro-
62 hibet Nuptias eo tempore celebrari, Pontifex, & Concilium; Pontifex *in cap. Capellanus de fer.* Concilium *Trid. sess. 24. cap. 10.*
At in casu valde urgenti, de quo disserimus, Episcopo id licebit: potest enim Episcopus in
63 Lege Concilii, & Pontificis, si necessitas urgeat, dispensare (quomodo etiam intelligitur id, quod diximus L. 1. *Tit. 9. n. 39.* qui locus juxta ea, quæ in hoc Titulo diximus, intelligendus est) rarissimè tamen tantę necessitatis casus dabitur,
64 notat *Sanchez L. 7. disp. 7. n. 6.*

(p] Cum hoc tempore.

De Nuptiis tempore censuræ, interdicti contractis.

Tempore interdicti, censuræ nimirum nec illicite contrahitur Matrimonium, neque idcircò opus est dispensatione.
Satis est ostendere, quod illicitè Matrimonium non contrahatur.
65 Licitè contrahitur cum excomunicato, ergò etiam cum interdicto. Atque illud antecedens demonstro auctoritate Textus *in cap. significastis de eo, qui duxit in Matr.* ibi .. Vos in eum .. excomunicationis sententiam protulistis (et .. infra) Matrimonium illud legitimum judices, excomunicato munus absolutionis, si petierit, juxta formam Ecclesię impensurus. Prius quidam fuit excomunicatus; deinde contraxit; et tamen validum dicitur in eo Textu coniugium.
Quod autèm rectè conclusum sit a censura excomunicationis ad interdictum, patet; nam 66
plus est innodari excomunicationis censura, quam interdicti, eo quod subtrahatur excomunicatus ab omni communione. At interdictis plura permittuntur, *cap. alma mater de sent. excom*
Confirmatur assertio nostra ex *cap. Capellanus* ibi: *quod cum ea sit Romæ consuetudo a longis retro temporibus observata, ut quocumque Matrimonium contrahatur tempore*, ergo etiam tempore interdicti.
Comprobatur, ratione quia in odiosis cum restrictione procedendum, *reg. in odiosis de R. Juris n. 6.* Cumque nullibi expressum sit, tempore interdicti illicitum esse Matrimonium, censendum est, esse licitum; quia Matrimonium, tamquam contractus, cui per accidens ratio Sacramenti advenit, sua specialia impedimenta sortitur. Et quod in interdicto, ut vim habeat, debeat expressa inentio fieri, patet ex *cap. si sententia de sent. excom. in 6.*
Quod attinet verò ad benedictiones nuptiales, si submissa voce, januis clausis, excomunicatis, 67
& interdictis exclusis, conferantur, licite conferuntur, *cap. alma mater de sent. excom. in 6.* dummodò ipsa Ecclesia non sit specialiter interdicto supposita, ut per eum Textum notat *Sanchez L. 7. disp. 7. n. 12.*

[q] Dispensare.

Episcopus tempore interdicti Nuptias contrahi permittit.

In interdicto potest Episcopus dispensare; dummodò ipse, vel inferior prohibuerit, sponsos contrahere; inferior enim nequit legem superioris tollere, aut moderari, *cap. inferior, can. denique dist. 21. Clement. ne Romani de el.* Ergò cur Episcopus legem propriam non possit abolere? 68

DE DIVORTIIS.

TITULUS XIX.



Ta videntur commodissimè omnia posse tractari, si prius, quomodo constituatur quodlibet, tùm quomodo dissolvatur, notum fiat. De contrahendis Nuptiis satis multa dicta sunt. Jam ergo exposcitur, ut de Matrimoniis distrhaendis videamus.

Solutio Matrimonii, vel Natura, vel Jure fit. Natura ob (*a*) mortem alterius coniugis, post quā vidua, etiam intra annū luctus, secundò [*b*] nubere potest, nec legalis infamię sustinet jacturam. Jure autem pluribus, diver-

versisque modis Matrimonium dirimebatur [*c*] antiquitus. Successit nostra vera, Sanctaq. Relligio, cujus præceptis sanctissimi hujus vinculi dissolutio (*d*) prohibetur. Extat Illiberini Concilii canon [*e*) *octavus*, quo disponitur, ut, si uxores alios duxerint proprio relicto conjuge, ne in fine quidem accipiant communionem. Olim in Africa [*f*) Gentiles ad Baptismum non admittebantur, qui nuptiale vinculum audacia minimè ferenda fregissent. D. Augustinus *L. un. de fide, & oper. cap.* 1. Qui aliam ducit, (*g*) mechatur ait *Concil. Trid. sess.* 24. *can.* 7. Ergò coniugale fædus dissolvi nefas est.

Deinceps audiatur Canonum Doctrina de divortiis. Ratum Matrimonium dissolvitur quoad vinculum, vel si coniux intra bimestre Religionem (*h*) ingrediatur, vel si, ut aliquando (*i*) accidit, Pontifex justa ex causa dispensaverit. Consumatum verò distrahitur, vel si ex duobus coniugibus infidelibus, alter, repudiatis erroribus, ad Majestatem Dei singularis, & veri colendam convolaverit, alter verò, & adhuc sit infidelis, & cum uxore baptizata, sine contumelia Creatoris cohabitare [*l*] recuset, *cap. gaudemus de div.* vel si impedimenta detegantur, quibus nullum extitisse ab initio Matrimonium, comperiatur; quo casu, quoad factum (*m*] Matrimonium præcessisse videtur, quoad jus, neutiquam id dici potest.

His igitur exceptis, cum Matrimonii perpetuus sit, & indissolubilis nexus, *can. puto*, *can. si uxorem*, *can. præceptum* 32. *q.* 5 ad summum dissociatio, quoad cohabitationem, usumque Matrimonii admittetur. Si quæris, quibusnam in casibus? Jam dicam.

Primo. Vitę coniugalis consortium sublatum censetur, cum assentitur uxor, ut vir in approbata Relligione profiteatur, quod quemadmodum procedat, jam exposuimus antea, *hoc lib.*.. *Tit.* 12. *in expl. n.* 39.

Secundo. Cum uxor permittit, virũ Sacros Ordines assumere, quod pariter, quantum oportuit, supra declaratum fuit hoc *Lib.*.. *Tit.* 14. *in expl.*

Tertio. Inducitur separatio thori inter coniuges, durante adhuc vinculo Matrimonii, propter (*n*) adulterium; dummodò, vel maritus uxorem [*o*] non prostituerit; vel se post delictum hoc uxori (*p*) non reconciliaverit.

Quarto. Aliud quoque crimen causam divortio præbet, ex quo vel animæ, vel corporis periculum impendeat. Exemplis rem planam faciam. Si ad hæresim [*q*) coniux, aut ad paganismum deflexerit; si [*r*) magiis sit deditus, si veneficiis, furtisque, si læno sit, si acriter dissentiat, an non hæc ob intimam familiaritatem, convictumque domesticum in alterius animę perniciem redundabunt? Age, & aliam distinctionis partem declaremus. Si vir uxori mortem intentet veneno, vel gladio, si membrorum mutilatio, ac verbera atrocia timeantur, an non (*s*] id periculum corporis? His ex causis divortio locus erit. Et quia de his causis co-

Pp gnos-

gnoſcendum; ideo ſolum (*t*) eſt judicio Eccleſię divortium faciendum.

Secuto divortio, filii penes innocentem coniugem [*u*] remanebunt ejus expenſis, qui cauſam divortio dederit.

Item ſecuto divortio, dos eſt reſtituenda, (*x*) ut fuſius in explicationibus trademus.

SUMMARIUM.

1 *OB mortem* Naturalem *diſſolvitur Matrimonium.*
2 *Secuta morte uxor 2. nubere poteſt.*
3 *Mors Civilis quanam ſit, & diſputatur paulo fuſius, an mors Civilis dirimat Matrimonium, & negativè decidıtur.*
4 *De Jure Civili ſervitus ſuperveniens dirimit Matrimonium.*
5 *De Jure Can. nec profeſſio ſuperveniens, quæ mors Civilis eſt dirimit Matrimonium.*
6 *In Matrimoniis ſolum Jus Canonicum attenditur.*
7 *Alia adducuntur rationes, & auctoritates ad probandam concluſionem.*
8 *Solvuntur obiectiones.*
9 *Elegans interpetratio Textus in cap. ſi Epiſcopus de ſuppl. negl. Pral. in 6.*
10 *Inter Chriſtianos non datur vera ſervitus.*
11 *His temporibus an lorum habeat Jus poſtliminii?*
12 *Nova interpetratio Textus in can. cum per bellicam 34. q. 1.*
13 *Uxor ſecundò nubere poteſt poſt viri interitum.*
14 *Elegans hiſtoria.*
15 *Perſæ repudiabant uxores.*
16 *Item & Medi, ut patet ex Sacra Scriptura.*
17 *Olim apud Romanos repudia vetita.*
18 *Romani uſurpatione repudiabant uxores.*
20 *Itèm diffarreatione.*
20 *Pariter remancipatione.*
21 *Forma repudii apud Romanos, & verba.*
22 *Teſtes in repudiis adhibiti.*
23 *Res acta a Scribis.*
24 *Hiſtorica exempla repudii.*
25 *Pœna temere repudiantium.*
26 *Ex his hiſtoriis lucem accipit Textus Iuris Canonici.*
27 *De repudiis apud Judæos.*
28 *A quo conſcriberetur libellus repudii.*
29 *Adducitur libellus repudii, quo utebantur Iudæi.*
30 *Hiſtoricum exemplum huius repudii.*
31 *Lege Gratiæ vetitum repudium omnibus etiam Iudæis, & Gentilibus.*
32 *Lapſus Andreæ Alciati.*
33 *An ſemper olim in Eccleſia divortia fuerint vetita.*
34 *Id forſitan ambiguum tempore D. Auguſtini.*
35 *Explicatur hiſtoriis canones difficiles.*
36 *In Affrica Gentiles poſt repudia arcebantur a Baptiſmo.*
37 *Aliam ducentes mœchantur.*
38 *Errores hereticorum confutantur.*
30 *Pœna Canonica in repudiantes ſuas uxores.*
40 *Elegans hiſtoria Eccleſiaſtica.*
41 *Intra bimeſtre, coniux ſi Religionem ingrediatur, diſſolvitur Matrimonium, & quid ſit hoc bimeſtre?*
42 *Exempla hiſtorica.*
43 *Examinatur celebris controverſia, an Pontifex diſpenſet in Matrimonio rato.*
44 *Exempla ex hiſtoriis hujuſcemodi diſpenſationis.*
45 *Quanam praxis Romanæ Curiæ.*
46 *Imò diſpenſat Pontifex in utroque foro.*
47 *Cauſa talis diſpenſationis.*
48 *Diſſolvitur Matrimonium conſumatum cauſa infedelitatis, hiſtoria hac de re.*
49 *Notabilis diſtinctio circa hanc diſſolutionem.*
50 *Ex qua diſtinctione explicatur canon Illiberini Concilii.*
51 *Diſſolvitur Matrimonium conſumatum, quando præceſſit dirimens impedimentum.*
52 *Intellectus ad Textum in cau. quod propoſuiſti 32. q. 7.*
53 *Diſſertatio de Matrimonii diſſolutione ob adulterium.*
54 *Pœna antiqua in viros retinentes uxores adulteras.*
55 *Pœna conniciendi uxorem adulteram domi in carcerem viro juxta canones permiſſa.*
56 *Non tamen viro cum ea cibum ſumere licuit.*
57 *Divortii ob adulterium exempla hiſtorica.*
58 *Examinatur Quæſtio, an viro ob oſculum impudicum divertere liceat ab uxore.*
50 *Affirmativa ſententia probatur.*
60 *Contraria refutantur.*
61 *Quid de oſculo impudico ſenſerint Beguinæ?*
62 *Æqualis facultas dimittendi adulterum coniugem competit viro, & uxori.*
63 *Quid ſecundum Ius Civile?*
64 *Ius Canonicum æqualem hanc facultatem facit.*
65 *Numquid hæc actio præſcribatur quinquennio.*
66 *Exceptio regulæ eſt, niſi vir proſtituerit uxorem.*
67 *Multa traduntur ſcitu digna de maritis lenonibus iuxta veteres canones.*
68 *Lex Gothorum in maritos lenones.*
69 *Pœnitentiale Romanum quid de lenone marito ſtatuat.*
70 *Leno vir non eſt indirecte præbens cauſam adulterio.*
71 *Hiſtoria relata a D. Auguſtino.*
72 *Altera regulæ exceptio, niſi vir ſe reconcilia-*

verit

EXPLICATIONES.

(a] *Ob mortem.*

DISSERTATIO I.

De dissolutione Matrimonii ob mortem.

OB mortem dissolvitur Matrimonium L. *sed si maritus* 14 §. *sive autem*, & §. *seq.*
1 *ff. qui, & a quibus manum. Lib. non fiunt L. 1. ff. de divort. & rep.*

Ceterum ut secundò uxor nubere possit, cum vir absens occubuerit, certa uxor mortis secutæ esse debet; imò mors absentis probanda, *cap. in*
2 *præsentia* 19. *de spons. Mascard. in tractatu de prob. vol. 2. Concl* 1073. *n.* 2. 3. & 4. & hac de re plura diximus *hoc Libro Tit.* . . .

Sed cum mors duplex sit, Naturalis, ac Civilis; Civilis quidem maxima, vel media capitis diminutio, ut si quis ob delictum, deportetur, relegeturve &c. L. *verum est* 63. §. *ult ff. pro socio*, Quæsitum, memini, a nostris, an Matrimonium dirimatur non minus per mortem Civilem, quàm per mortem Naturalem?

In qua controversia, si Canonum Jura inspexerimus, res est magis expedita, quàm sit de Jure Civili, juxta quod pars affirmativa, & negativa egregie defendi potest, ut videre est apud Harprectum *ad* §. *sunt & alia* 11. *Inst. de Nupt. n.* 27. & *apud Petrum Greg. P.* 2. *L.* 9. *cap.* 15. *n.* 6. 7. *et seq.*

Sit nostra conclusio. *Morte Civili non censetur*
3 *nexus Matrimonii sublatus.*

Probatur I. Quia mors Civilis omnium maxima est servitus *L. servitutem* 200. *ff. de reg. Jur.* Atqui si quis in servitutem inciderit, non dirimitur Matrimonium antea contractum, ut patet ex eleganti Canone *Concilii Tribur. in can. pen.* 20. *q.* 2. ibi: *judicatum est, uxorem minime debere dimitti.* Perlatum namque fuerat ad Sanctam Synodum, quod quidam ingenuus ingenuam accepisset uxorem, & post filiorum procreationem occasione divortii, virum se alterius fecisse servum, scilicet passum esse se venundari: et quidem videbatur posse defendi, quod servitus superveniens diremisset Matrimonium, L. 1.
ff. de divort. Auth. de Nuptiis §. *si vero coll.* 4. 4
Imo juxta Senatus consultum Claudianum, libera, si ibat in amplexus servi, serva efficiebatur, quod posteà sublatum fuit ex L. 1. C. *de senat. C. Claud.* Nihilominus decisum fuit a Concilio, prout supra dictum est. Ergò mors Civilis vim non habet Sanctissimum hoc vinculum frangendi.

Probatur II. Quia mors Civilis est professio in approbata Relligione, *can. placuit* 16. *q.* 1. Quare quod Juris est circa dotem, vel donationem propter Nuptias in morte Naturali, idem est in hac morte L. *ult. C. de Episcop.* & *Cl. L. rei uxoris C. de don. inter vir. & uxor.*

Atqui professio superveniens Matrimonio con-
sumato Matrimonium præcedens non dirimit, 5
can. licitè 32. *q.* 7. *cap. cum sis de convers. coniug.* Imo neque votum tenet invita uxore, ut ait Textus *in cap. quidam ib.* ut hic locum habeat

regula Textus in *cap. quod semel de reg. Iur in 6.* & in *L. sicut C. de ob. & act.*

Probatur III. Quia mors Civilis a Jure Civili est constituta, adeoque humana auctoritate, ut patet, ex toto *Tit. inst. de cap. dim. & toto Tit. ff. de cap. minut.* Atqui quod Deus coniunxit humana auctoritas distrahere, dissolvere, dissociare non potest, juxta Evangelicam veritatem, *Matth. cap. 19. can. quos Deus 33. q. 2. cap. 2. de transl. Episcopi.* Jamque adeò cum tale sit Matrimonium, frustra tam multis Legibus ab humana auctoritate promanantibus, contrarium decisum fuerit, quoniam, ubi agitur de Matri-
6 monii Sacramento, Canonica Jura, non Leges sæculi sunt observanda ad tradita per Fachinæum *in Contr. L. 13. cap. 61. prope finem.*

Probatur IV. Quia quę sunt Juris Naturalis post mortem Civilem retinentur; in iis enim,
7 quę sunt Juris Naturalis, servorum quoque ratio ducitur, *§. illud certum 10. Inst. de Nupt. L. adoptivus 14. §. serviles ff. de ritu Nupt.* Atqui Matrimonium quiddam Naturale est; sicut enim ex Divina institutione in Paradiso ante Adami lapsum profluxit, *cap. un. de vot. in 6.* ibi: .. Matrimonii verò vinculum ab ipso Ecclesiæ .. Capite, rerum omnium Conditore, ipsum in .. Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, .. unionem, & indissolubilitatem acceperit; pariter refertur ad Jus Naturale ob consensum, ob appetitum ad sobolem ob auxilium, officiumque Naturæ, & ob remedium fornicationis, ob rationem, quæ honestatem dictat, ut distinguatur ab illa maris, & feminæ coniunctione, quę animantibus ceteris communis est *princip. inst. Tit. de Iure Nat. eleganter* Seneca *epist. 55. L. 8. sequitur autem ratio Naturam. Quid est ergo ratio? Naturæ imitatio*, *Lipsius in Man. ad Stoic. Phil. 3.* Christus autem D. ad primęvam indissolubilitatem redactum Matrimonium, ulterius voluit, esse Sacramentum, *cap. ad abolendam de hær.* ergo morte Civili disrumpi hæc nexus firmitas non potest, *§. sed Naturalia Jura inst. de Jure Nat. gent. & civ.* Christus enim Dominus, *dum Matth. cap. 19.* ad pristinam indissolubilitatem restituit Matrimonium iis verbis: quod Deus coniunxit homo non separet, Legi etiam Naturali concordavit, ut est in glossa interlineari ad *verba Matt. cap. 5.* ibi .. ego autem dico vobis 5, ait; doctrina Christi concordat Legi Naturali, .. quia jam est tempus perfectionis.

Probatur V. Ex ratione Textus *in can. omnibus 29. q. 2.* .. Omnes, cujuscumque conditionis .. sint, unam legem (quantum ad Deum) ha- .. bere, non dubitamus. Nec quidquam refert, an aliquis sit ingenuus, vel servus. Ergò quid Leges sæculi decreverint, non est attendendum.

Probatur VI. Quia verba illa: *quod Deus coniunxit homo non separet*, possunt limitari: *quando Divini amoris intuitu ex consensu utriusque coniugis Matrimonia dissolvuntur*, si nempe uterque coniux continentiæ votum susceperit, ut respondit Nicolaus Papa Carolo Regi, *in can. scripsit 27. q. 2.* aliter autem fieri mutuam separationem prohibet, nisi ob adulterium, aliasque causas in Jure expressas. Verum nunquam canones interpretati sunt verba Redemptoris in casu mortis Civilis, ergò per mortem Civilem non dirimitur Matrimonium.

Probatur VII. Ex Textu expresso in *cap. cum per bellicam 34. q. 1. & 2.* ubi decernitur, per captivitatem non dirimi Matrimonium.

Probatur VIII. Ex alio Textu *in can. cum in captivitate, & ex can. si quis 34. q. 1. & 2.*

Probatur IX. Ex *cap. in præsentia de spons.* ubi idem expresse decernitur.

Nec oberit primo Textus in *L. si quis sic stipuletur 56. ff. sol. Matr.* ubi Paulus Jurisconf. in ea stipulatione ad hunc modum concepta: si quo casu Titia tibi nupta esse desierit, dotem dabis? ait, stipulationem esse commissam, si Titia fuerit deportata; ergò deportatio, quæ mors Civilis est, dirimit Matrimonium contractum, cum videatur, nupta, esse desiisse. 8

Confirmat Textus in *L. 1. ff. de divort.* in *L. uxores ff. eod.* in *§. sed etiam captivitatis de Nupt. Coll. 4. Tit. 1. in Auth.*

Imo et tempore Constantini servus pænæ factus maritus non amplius censebatur maritus, *L. res uxoris 24. C. de don. inter vir. & uxor.* veluti si in metallum fieret condemnatio, vel ad bestias, *§. pæna servus Inst. quib. mod. jus patr. pot solvitur*; quamquam id fit immutatum post Textum in *§. quod autem Inst. de Nuptiis, per Auth sed hodie C. de don. inter vir. & uxor.* Ergò manifestum est, Matrimonium per hanc mutationem status dissolvi etiam juxta decreta, Legesque Christianorum Imperatorum.

Resp. his omnibus ratiocinio, quo utitur Leo Papa, qui scribens Nicetæ Aquilejensi Episcopo *epist. 77. cap. 1. in can. cum per bellicam 34. q. 1. & 2.* hęc habet .. Sed quia novimus .. scriptum, quod a Deo jungitur mulier viro; .. & iterum præceptum agnovimus, ut, quod .. Deus junxit, homo non separet, necesse est, .. ut legitimarum fædera Nuptiarum redintegranda, credamus, & remotis malis, quæ .. hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legi- .. time habuit, reformetur: omnique studio pro- .. curandum est, ut recipiat unusquisque, quod .. proprium est. Loquitur Pontifex de maritis captis ab Attila, & domum reversis, juxta *Sigonium L. 4. Imper. Occid.* Quam Legem innuit esse observandam? Legem Divinam, Legem Naturalem, quæ dictat, ut recipiat unusquisque quod proprium est. Ergò frustra obiiciuntur Leges sæculi; neque ad Imperatores spectabat ob carentiam jurisdictionis decernere, quid Juris sit in hac dubitatione, *can. cum ad verum 96. dist.*

Nec oberit 2. Textus in *cap. si Episcopus de supplend. negl. Prælat. in 6.* ibi .. si Episcopus a 9 .. Paganis, aut Schismaticis capiatur: non Ar- .. chiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per .. mortem vacaret, illius in spiritualibus, & .. temporalibus ministrare debebit, donec eum

.. libe-

.. libertati restitui, &c. En Textum, quo decernitur, per captivitatem Episcopi vacare Ecclesiam; atqui inter Episcopum, & Ecclesiam Matrimonium spirituale contrahitur, *cap. licet de transl.* et tamen Matrimonium spirituale fortius est catnali, *cap. inter corporalia de transl.* ergo multo magis dissolvetur per captivitatem Matrimonium carnale.

Hæc quidem gravissima est difficultas. Verum-
10 tamen, ut ostendimus supra *L. 1. Tit. 7. in expl.* jam inter Christianos vera servitus non reperitur, quod intelligendum est, prout diximus L. 1. *Tit. 22. n. 1. & 2. in expl.* Ergò Episcopus captus a Paganis verus servus non est; sed tantummodo in servitute. Immane quantum hæc differunt inter se, esse servus, & esse in servitute? Dum Textus oppositus ait, Episcopum libertati posse restitui; non significat, amisisse libertatem. Qui est servus libertate caret; qui est in servitute adhuc liber est, quamquam libertas per vim injustam impediatur. Nam et mulier impedita agere, dicitur, libertate carere; tamen libera est *cap. accedens de Procur.* ut dissérit *Covarruvias pag.* 547. Nec probaverim intellectum glossæ in verbo *libertati*, quæ dedu-
11 cit ex Textu Episcopum Jure postlimini omnia recuperare, si revertatur; non enim his temporibus Jura postliminii observantur; quasi vero diminuta censeatur antea per erumnas captivitatis facultas, qua preditus erat Christianus. Quasi verò suspensum fuisset Jus patriæ potestatis, ut olim Jura præscribebant, *L. 12. §. 1. ff. de capt.* & similia. Captus ab hostibus jam servus non redditur: Infidelium aggressiones licitę non sunt, nec itidem defensiones; et ad exprimendum tantummodo effectum aliquem postliminii; hac voce canones interdum utuntur, veluti Textus in *can. prima actione* 13. *q.* 3.

Ex quibus sequitur, falsum esse, quod per captivitatem Episcopi spirituale Matrimonium distractum fuerit; omnis ergò alia illatio per se concidit.

III. Opponitur Textus in *can. cum per bellicam §. & ideo* 34. *q.* 1. *&* 2. ibi .. et ideo si .. viri post longam captivitatem reversi ità in .. dilectione suarum coniugum perseverant, ut .. eas cupiant in suum redire consortium; omit- .. tendum est, & inculpabile judicandum, quod .. necessitas intulit, & restituendum, quod fi- .. des poscit. Ergò cum valeat argumentum a contrario sensu; si vir non perseverant in dilectione suæ uxoris, censetur per captivitatem distractum, dissolutumque conjugium.

Agnovit difficultatem glossa; et ait, quosdam putare, addendam esse huic canoni dictionem *maxime*, quo casu non est locus illationi a contrario sensu, dicto enim maximè alium casum implicite includit, *L. pro harede §. si quid tamen ff. de acq. poss. cap. damnamus de sum. Trin. L. 1. de nov. Cod. Comp. L. qui status, ff. de Test. Mil. fusè Cenedus sing.* 37. a diversis autem non fit illatio, ut vulgo tradunt Logici. Recedunt non-nulli ab hac interpetratione, & putant, id, quod deciditur in Textu, esse intelligendum de illis mulieribus, quæ viros non credebant mortuos, & tamen contraxerunt.

Ego verò omnibus omissis interpetrationibus aliorum, cum in manus codicem epistolarum Leonis Papæ acceperim, ex fonte ipsius contex- 12
tus verum intellectum, sensumque constitutionis percepi; nam hæc non est epistola 77. ut perperam arbitratur Gratianus, *sed epist.* 79. Divisa est hæc epistola in 6. capitula; & ante ipsam epistolam cujusque capituli summaria leguntur. Ex summario igitur *cap.* 3. quod incipit, *& ideo*, petenda est hujus Textus genuina interpetratio. Summarium tale est: Ut si viri de captivitate .. regressi, intemperantia uxoris offensi non fue- .. rint, & voluerint eas in coniugium recipere, .. liberam habeant facultatem. Ex quo summario datur intelligi, posse viros ex captivitate reversos separatim vivere ab uxore, eamque tamquam divortio facto a thoro, & cohabitatione repellere, si ipsa intemperanter, eo apud hostes degente, vixerit; ceterum si intemperanter uxor non vixerit, maritusque voluerit eam ad pristinum Matrimonii usum recipere, ipsa repugnare non potest; nam in uxoris libertate non est primum maritum evitare. Id nullatenus denegare potest marito. Sufficit, ut ipse velit; non quia maritus possit non velle; sed hoc modo loquendi utitur Pontifex, ut ostendat, uxorem repugnare non posse. Et re verà statim in summario cap. 4. quod sequitur, ita deciditur, ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ, Ecclesiæ communione priventur.

Obiicitur IV. Textus in *cap. dominus de secund. Nupt.* ubi Lucius III. universis Christianis in captivitate Saracenorum positis ita scripsit, quod si quis captivus, dum separatus ita vivit a sua coniuge, incertus, an ea mortua sit, aliam ducit, in tali ambiguitate debitum jure reddit uxori secundo loco acceptæ. Ergo per captivitatem primum Matrimonium fuit dissolutum.

Resp. ex verbis Textus *in cap. inquisitioni. de sent. excom.* ibi .. verum cum conscientia pul- .. sat animum ex credulitate probabili, & dis- .. creta, quamvis non evidenti, & manifesta, .. debitum quidèm reddere potest, sed postu- .. lare non debet, quia in dubiis tutior pars est .. eligenda. Consonat Textus *in cap. ad audientiam, cap. significasti de hom.* Ratio autem, cur reddere debitum possit, hæc est; quia cum in possessione Matrimonii reperiatur in tali ambiguitate, satis est, ut debitum non exigat cum periculo adulterii, ut accipitur Textus in *cap. literas de rest. spol.*

(b) Secundo nubere.

De secundis Nuptiis, *cum maritus absens occubuit.*

Secundò nubere uxor, suo marito jam defuncto, non prohibetur. At si maritus absens occubue-

13 cubuerit, ut rursus nubat, debet firma certitudine de morte constare, ut ait Textus in *cap. dominus de secund. Nupt.* Nec potest certo constare, nisi inquisitione facta, *Novell.* 117. *Just. Nov. Eman.* ibi: *si jussu mulierum inquisitio facta fuerit.* Ac Longobardorum mos erat, refe-
14 rente Cironio in *parat. ad Titulum de Nupt.* ut ad hanc inquisitionem faciendam in sepulcris fuis palum erigerent, imposita desuper columba.

Plura de secundis Nuptiis diximus hoc *Libro Tit.* . . *in expl. n.* 1.

(c) *Dirimebatur antiquitus.*

DISSERTATIO II.

Quomodo olim Matrimonia distraherentur.

Pluribus, diversisque modis Matrimonium dirimebatur antiquitus.

Si Nationes, præter Romanam, inspiciamus; apud Persas, uxor contumaciter marito jussa non
15 faciens, repudiari poterat. Quocirca Artaxerses Rex uxorem Vasthim idcircò repudiavit, subrogavitque in ejus locum Hester, *Hest. cap.* 1. narrat Joseph. L. 11. *Antiq. cap.* 6. Cum enim Rex opiparum instruxisset convivium, volens Reginam suam prandentibus ostendere, ad eamque eunuchos misisset invitantes, ipsa verò suum denegasset adventum; Rex ira commotus solvit convivium, & ad se convocans septem Persas, apud quos Legum notitia servabantur, accusavit uxorem, tamquam mandatis non obtemperantem. Placuit ergo, ut Regina V. sthis abjiceretur; his ferme verbis rem narrat Joseph. *pag.* 20.

Apud Medos etiam divortium fuisse usitatum,
16 colligitur ex *cap.* 15. *Judicum*; ubi cum Sampson de filiabus Philistinorum, qui incircumcisi erant duxisset uxorem, cumque descendisset Ascalonem, & percussisset ibi triginta viros, post aliquantulum temporis reversus, ut inviseret uxorem, cumque cubiculum ejus vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: *putavi quod odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo.* En exemplum, undè constat, apud eam nationem divortia fuisse permissa.

Apud Romanos verò, ab urbe condita usque ad vigesimum, & quingentesimum annum nullum intercessit repudium, eleganter Tertullia-
17 nus *Apolog. adv. gentes cap.* 6. ibi.. Ubi est illa .. felicitas Matrimoniorum de moribus utique .. prosperata, qua per annos fermè sexcentos .. ab urbe condita nulla repudium domus scripsit? Idemque narrat. *Valer. Max. L.* 2. *cap.* 1. Primus autem, sicuti etiam adnotavit *Zephyr. in Parap.* uxorem sterilitatis causa dimisit Carbilius spurius, septima supra centesimam, & trigesimam Olimpiade, coactus a censoribus jurare, liberorum causa se conjugem dimittere, ob quod factum infestissimum evasisse, proditum est. Plut. *in compar. Licurg. & Numæ, & in vit. Dionys. Halic. in* 2. *Gellius L.* 4. *cap.* 3. quem Carbilium, alii Corvinum, alii Servilium dicendum putant.

Jam ut Leges quoque veteres Civilis Juris in divortiis attingamus; videndum de modis divortia celebrandi, de forma verborum, de causis.

Tripliciter, quod spectat ad modos, connubia apud Romanos dissoluta fuisse, narrat *Revard. Comm.* 12. *Tab. cap.* 10.

I. Usurpatione. Nam si viri vel trinoctium ab uxoribus abfuissent, a parentibus, aut tu- 18
toribus solemni quodam ritu apprehendebantur, & hac usurpatione è viri potestate liberabantur.

II. Diffarreatione. Nam priscorum religiosa sedulitas, farreo libo adhibito, quod solis Pontificibus conveniebat, Matrimonia inibat, eaque, 19
cum dissolverentur, diffarreatione dissoluta dicebantur, is verò Pontifex Sacerdotio abibat, evadebatque prophanus, *Petrus Herod. Lib.* 4. *Pand. Tit.* 17. *q.* 4. *Cal. Rodhig. Tom.* 4. *L.* 28. *Lect.*

III. Remancipatione. Nam, cum Nuptiæ quasi coemptione celebrarentur, mulierque in ma- 20
num mariti traderetur; eadem mulier in repudio remancipabatur; vir, in cujus manum convenerat, manu ipsa parentibus, aut tutoribus reddebat.

Quæramus jam de forma. Forma hæc erat, 21
prout habetur *in L.* 2. *ff. de divort.* ibi.. in repudiis autem, idest renunciatione comproba.. ta sunt hæc verba: tuas res tibi habeto, item .. hæc tuas res tibi agito. In sponsalibus, quo.. que discutiendis, placuit, renunciationem .. intervenire, oportere, in qua verba probata .. sunt, conditione tua non utor. Quod significat Cicero Ph. L. 2. agens de Mima ab ipso repudiata; ibi: *frugi factus est, Mimam illam suam res suas sibi habere, dixit.* Et Martialis *L.* 10. *ep.* 38.

Mense novo Janiveterem Proculeia maritum
Deserit, atque jubet, res sibi habere suas.

In XII. Tabulis apud Fulvium Ursinum hæc verba divortii leguntur prisco more.

,, Sei. Vir. Aut. Molier. Alter. Alterei
,, Monton.
,, Misent. Divortiom. Estod. Molier. Res.
,, Soas. Sibei.
,, Habeto. Vir. Molierei. Claves. Adimitod.
,, Excitoque.

Quæ dicta sint ad expositionem, exornationemque præadducti Textus, atque illud addo, quod notat Magius in Miscellan. *L.* 2. *cap.* 15. *pag.* 105. ex illis verbis positis in Textu *tuas res tibi habeto; tuas res tibi agito;* priora illa magis in usu fuisse.

Id quoque ad formam spectabat, ut in repu- 22
dio septem adhiberentur testes, ut patet ex *L. nullum* 9 *ff. de divort.* & perdocte illustrat *Cujac. L.* 8. *obser. cap.* 21. Ut claves auferrentur ab uxore. D. Ambrosius *epist.* 65. ibi: *Mulier offensa claves remisit.* Tacitus *L.* 11. *Ann.* ibi: *fruerentur imo iis, & redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales in dissidium tuum nosti.*

Ut in

Ut in acta divortia referrentur; quo spectat il-
lud Ciceronis. *Paula* Valerii (ut corrigit loco
Valeria Lipsius ad Tacitum L. 5. *Ann. pag.* 210.)
*soror Triarii divortium sine causa fecit. Nuptu-
ra est D. Bruto: nondum retulerat*, scilicet in
acta; quo etiam spectat illud Juven

Fient ista palam, cupient, & in acta referri.

Hæc acta a Scribis, Tabulariisque conficie-
23 bantur, & in atrio libertatis in tabulario as-
servabantur, Livius 43. ibi .. censores extemplo in
.. atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis
.. tabellis publicis, clausoque tabulario, & di-
.. missis publicis servis Virgil. 11. Georg.

aut populi tabularia vidit.

Superest, ut et causas divortii dispiciamus.
Causa esse poterat mutuus dissensus, *L. si con-
stante* 3. *C. de repud.* quod et innovatum est in
Nov. 140. Causa item esse poterat Sacerdotium,
ad quod maritus fuisset promotus, *L. vitricus* 60.
§. 1. *ff. de don. inter vir.* quod ad relligiosum
statum protractum est, L. *sancimus* 53. §. 3. C.
de Episc. & Cl. Causa alia erat sterilitas. Ita
uxorem dimisit Carbilius spurius, cujus fuit ex-
24 emplum secutus Sulpitius Gallus, ut ex Sigo-
nio constat L. 1. *Ant. Rom. cap.* 19. Tum verò
facilius fuit uxorem dimittere. Sempronius So-
phus repudiavit coniugem suam, non aliud ca-
usatus, quam quod, se ignorante, ausa fuisset
ludos spectare, *Val. Max* L. 6. *cap.* 5. plura
alia exempla sunt apud Brissonium ad *L. L.* 12.
Tab. eoque res adducta, ut merito Tertullianus
Apolog. cap. 6. dixerit: *Repudium jam votum est,
& quasi Matrimonii fructus*. Et Juvenalis.

Sic crescit numerus: sic fiunt *octo mariti*
Quinque per Autumnos

Ceterum haud impunitè uxores a viris diver-
tentes sine causa abibant, sed mulctabantur amis-
25 sione dotis, & donationis propter Nuptias, ut
colligo ex *D. Joann. Chrysost. Serm. de Libell. re-
pud. super* 1. *ad epist. Pauli ad Corinth. cap.* 7.
.. ibi: Etiam externæ Leges non simpliciter,
.. nec absolutè hoc posuerunt: nam ipsæ pu
.. niunt factum, & hinc liquet, quod peccatum
.. valdè ægrè tulerint. Unde etiam, quæ auctor
.. fuerit repudii, nudam, & spoliatam facul-
.. tatibus eiiciunt. *Paul.* L. 11. *Inst. Ulpian. in
epitb. Tit.* 6. *de dot. Mendoza in Conc. Illib.* L.
2. *cap.* 28.

Atque hac occasione explicatur canon diffici-
lis ejusdem Illiberini Concilii, qui est *can.* 8.
26 his verbis conceptus .. Item fœminæ, quæ, nul-
.. la præcedente causa, reliquerunt viros suos,
.. & alteris se copulaverunt, nec in fine acci-
.. piant communionem. Supponit hic Textus,
coniuges diversæ Relligionis, finge ex his unum
paganum. Cum Hispani, quibus Legem fere-
bat hujusmodi Concilium, Legibus adhuc Ro-
manorum uterentur, eamque pœnam levissimam
ducerent, & facile uxores a se abiicerent, id ne
accideret, providerunt hoc canone Hispani Pa-
tres, gravem anathematis censuram adversus
uxores constituentes, quæ contempto sacri lecti
genio, alteri nubunt. Satis hæc de Nationibus,
& Persis, & Medis, & Romanorum.

Jam nonnihil de repudiis Judæorum deliban-
dum. Deo dispensante in Lege Naturali, cui 27
repudium adversabatur, licitum erat Hebræis
repudium: ut colligitur ex verbis Deuter. *cap.*
.. 25. ibi: si acceperit homo uxorem, & ha-
.. buerit eam, & non invenerit gratiam ante
.. oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scri-
.. bet libellum repudii, & dabit in manu il-
.. lius, & dimittet eam de manu sua; et Ma-
.. lach. 2. Cum odio habueris, dimitte, dicit
.. Dominus Deus Israel.

Illud autem observabatur, ut repudii libel-
lus conscriberetur hebraicis literis. Et quia apud 28
Hebræos scribere literas hebræas nulli fas erat,
nisi Scribis solis, qui excellentiorem profite-
bantur sapientiam, ut ait D. August. *L.* 19.
contra Faust. pag. 114. *Liter.* 1.

.. Non poterat ei scribi libellus (ait Sanctus)
.. nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem, &
.. necessitatem venientem quodammodo in ma-
.. nus suas bono consilio regerent: atque inter
.. ipsum, & uxorem pacificè agendo dilectio-
.. nem, concordiamque suaderent. Omnes te-
stes aderant, suum quisque sigillum adhibebat.
Maritus libellum uxori tradens hæc verba pro-
nunciabat: *Accipe libellum repudii, ut esto a me
abiecta, & cuicumque viro permissa*. Exprime-
bantur in libello tres viri generationes, itemque
.. tres mulieris: Ego Rabbi Simeon, filius Rab-
.. bi Abraham filii Rabbi David filii Rabbi Sa- 29
.. lomon die 1. mens. 2. anno 5205. à creatio-
.. ne mundi, hic, et in hac Civitate ex animi
.. mei consensu, & sine ulla coactione repudia-
.. vi Rachel filiam Rabbi Moysis, filii Rabbi
.. Joseph. filii Rabbi Jacob, & dedi illi libel-
.. lum repudii in manu, schedam abscissionis,
.. & signaculum divisionis, ut sit a me abiecta,
.. & habeat quemcumque velit, & nemo pos-
.. sit illi prohibere juxta constitutionem Moy-
.. sis, & Israel. Quam formam tradit Vata-
blus, Oleaster, & alii; *Item Cornelius a La-
pide com. in cap.* 24. *Deut.*

Atque illud narrat Joseph. L. 15. *cap.* 11. *Ant.*
maritos jus repudii usurpasse, non uxores. Qua- 30
rè Salome soror Herodis præter Legem, scri-
bit, repudiasse virum suum Castobarum. Hæc
ad aliquam divortiorum cognitionem leviter at-
tigisse, sufficiat. Copiosius hoc argumentum tra-
ctatur a *Gonzalez in cap.* 1. *de divortiis*; dis-
centibus Institutiones hæc satis videri debent.

[*b*] *Dissolutio*.

Semel contractum Matrimonium indissolubile est.

Dissolutio Matrimonii semel contracti Lege
Evangelica prohibetur.

En verba Textus *in cap. gaudemus de divort.*
.. Qui autem secundum ritum suum legitimam
.. repudiavit uxorem, cum tale repudium Ve-
.. ritas in Evangelio reprobaverit nunquam, ea

.. voven-

.. vovente, licite poterit aliam habere. Verba autem Evangelii sunt: *quod Deus coniunxit, homo non separet*, *Marci cap.* 10. Quare *Apost.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. 1. ait .. Iis, qui Matri- .. monio coniuncti sunt præcipio, non ego, sed .. Dominus, uxorem a viro non discedere, & .. Rom. *cap.* 7. Mulier vivente viro alligata .. est Legi.

31 Iam ergò, cum Lex Evangelica, Jus Naturale offuscatum veluti circumfusa luce illustraverit, quo monemur, nexum Nuptiarum esse indissolubilem, nec ipsis Judæis, nec aliis Infidelibus permittitur repudium.

Ergò Judæi, atque Gentiles nunc repudiantes uxorem, rei sunt culpæ gravis, cum, dum repudiant uxores, Jus Naturale violent, ita *Abulensis in cap.* 10. *Matth. q.* 63. *latè Barbosa ad Rubr. ff. soluto Matr.* 2. *part. n.* 10.

Ac meritò Imperatores Theodosius, Arcadius, & Honorius in *L. nemo* 7. *C. de Judæis* ità .. statuerunt: Nemo Judæorum morem suum in .. coniunctionibus retineat, nec juxta Legem .. suam Nuptias sortiatur, nec in diversa sub .. uno tempore coniugia conveniat.

32 Ex quo cavendum a lapsu Andreæ Alciati, alioquin viri doctissimi, qui *L.* 6. *Parerg. cap.* 20. cum quasdam Leges perpenderet ex Codice, a Justiniano latas, quæ repudia permittunt, eo devenit, ut pronunciaret, Pontificem approbare posse Leges Iustinianæas repudium concedentes: Tam falsum, ut nihil supra.

[e] Canon Octavus.

DISSERTATIO III.

An semper in Ecclesia indissolubile Matrimonium fuerit.

Extat Illiberini Concilii Canon octavus, quo disponitur, quemadmodum jam ex verbis ipsis .. constabit: Item fœminæ, quæ, nulla præce-
33 .. dente causa, reliquerunt viros suos, & alte- .. ris se copulaverunt, nec in fine accipiant com- .. munionem.

Jam supra in præcedenti *dissert.* 2. *n.* 26. quem sensum habeat hic Canon, cum se ing ffiset occasio, præcepi. Et quidquam simile reperitur in .. *can.* 9. ibi: Item fidelis fœmina, quæ adul- .. terum maritum reliquerit fidelem, & alterum .. duxerit, prohibeatur, ne ducat; si autem .. duxerit, non prius accipiat communionem, .. quàm is, quem reliquit, de sæculo exierit; .. nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

Ad quorum canonum expositionem colligi videtur ex D. Augustino *L.* 1. *de adult. coniug. cap.* 25. perplexam suis temporibus fuisse quæ-
34 stione in de coniugiis distrahendis ob fornicationem vel spiritualem, vel carnalem; post multa enim de his coniugiis ita loquitur sanctus: his .. ità pro meo modulo pertractatis, atque dis- .. cussis, quæstionem tamen de coniugiis obscu- .. rissimam, & implicatissimam esse, non nescio;

Colligitur idem istud etiam ex *Origene Tract.* 7. *super Matth.*

Patres ergò huius Concilii, quod vetustissimum est, rem perfectius expresserunt canonibus adductis. Quod postea secuti sunt Arelatensis I. Concilii Patres *can.* 10. nec in Gallia tantum, sed in Africa Episcopi Concilii *Mileuitani c.* 17. discerte hoc ipsum statuerunt, ibi: placuit, ut .. secundum Evangelicam, & Apostolicam disci- .. plinam, neque dimissus ab uxore, neque .. dimissa a marito, alteri coniungatur, &c.

Idem decrevit Concilium Triburiense sub Arnulfo *can.* 46. ibi: *Maritus verò, quamdiù ipsa vivit, nullo modo alteram ducat.* Idem constituit Florentinum Concilium in decreto Armenis dato. Idem Tridentinum *sess.* 24. *can.* 7.

Nec obstat I. locus difficilis D. Ambrosii *ad Corinth. cap.* 7. *vers. postquam Math.* 5. ibi: 35 .. Quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit .. uxorem peccantem, quià non ita lege con- .. stringitur vir, sicut mulier, caput enim mu- .. lieris vir est.

Resp. per hæc verba D. Ambrosium respexisse Leges Imperatorum Severi, & Antonini, non Christi; forensis Judicii, non Celestis rationem habuisse. Is enim Sanctus Jurisprudentiæ erat peritissimus, & causis Civilibus fuit posteà præfectus. Leges enim Civiles sæpe in aliis tractatibus, ubi agitur de divortiis, respicere constat ex *cap.* 4. *de Abraham* ibi .. nemo sibi blan- .. diatur de Legibus hominum, omne stuprum .. adulterium est, nec viro licet, quod mulieri .. non licet; idem ,ue patet ex *cap.* 7. *de Abr. ex cap.* 16. *in Lucam.*

Ergò non inde inferri potest, virum posse alteri nubere, propria uxore adultera dimissa; sed respexit Sanctus Legem Severi, & Antonini, nempe L. 1. *C. ad. L. Jul. de ad.* quam confirmat Græcorum Basilicon *L.* 60. *Tit.* 38. Lege .. Julia (ait) de adulteriis mulier accusare non .. poterat, nec si ipsa dicatur deliquisse: nam .. Lex viris delinquentis meritò facultatem de- .. dit accusandi Jure mariti soluto Matrimonio.

Frustrà igitur Lutherus, Magdeburgenses, & reliqui hæretici, coniugium secundum, durante primo, ex Ambrosii sententia licere, contendunt.

Nos hunc usque interpetrati sumus, hac responsione canonem difficillimum, qui auctorem habet D. Ambrosium loco citato, cujus pars est in *can. uxore* 32. *q.* 7. ac propterea inutile non fuerit, hanc subtilem interpetrationem, quam excogitavit Mendozza, adnotasse, ut hoc pacto, duræ cervicis hæretici, quàm turpiter errent, deprehendatur.

Nec obstat II. locus alter, qui vulgo adscribitur Concilio Illiberino *in can. si qua mulier* 31. *q.* 1. ubi, licet marito, repulsa adultera uxore, aliam ducere: et simile quiddam tribuitur Concilio Illiberino in *can. quadam cum fratre* 32. *q.* 7.

Sed perperam Covvarruvias *in* 4. 2. *part.* §. 6. *n.* 23.

n. 23. *de sponf.* hanc esse sententiam Illiberini Concilii, affirmat, cum, et repugnet *can.* 9. *&* 72. ejusdem Concili.

Præterea verba illa in *can. si qua mulier: poterit ipsam uxorem dimittere, & si voluerit aliam ducere*, desunt apud Juonem, et addendum: *post mortem uxoris*, ut deducitur ex alio Canone, nempe *ex can. hi verò* 32. *q.* 7.

Conferunt huic dissertationi duæ, quæ sequntur adnotationes, *sub literis F, & G.*

(f] In Africa.

Bigami in Affrica non baptizabantur.

Olim in Affrica Gentiles ad Baptismum non admittebantur, qui nuptiale vinculum audacia
36 minimè ferenda fregissent. Id patet ex *D.* Augustino L. *un. de fide, & oper. cap.* 1. *pag.* 19. his verbis: *Ad hanc autem videntur disputationem impulsi, quod eos moverit, non admitti ad Baptismum illos, qui, dimissis uxoribus, alias duxerint, vel fœminas, quæ, dimissis viris, aliis nupserint*, et inferius idem Sanctus *pag.* 28. ibi: *sed si fortè adulteros, quos non Lex humana, sed Divina condemnat, id est, qui alienas uxores, tamquam suas, habent, vel fœmina alienos maritos, alicubi negligentius admitti solere, aduerterunt, ex illis rectis debent conari ista corrigere, hoc est, ut et isti non admittantur.*

(g] Mæchatur.

Qui aliam ducit Mæchatur.

Qui aliam ducit mæchatur. Christianos necé eos dicemus, qui non machari profitentur, aliam
37 ducentes? Imo infideles sunt, & Legis tam Divinę, quàm Naturalis transgressores. Eorum audaciam fregit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *can.* 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam, errare, dum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam*
38 *propter adulterium alterius coniugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit*; ita Concilium statuit 11. *Nov. anno* 1563.

Accepit tamen hic error improvidos asseclas, ut Malanctonem, qui in Libro, cui titulus *Examen ordinandorum*, id asserit, citarque testem sui erroris Justinum, *in Apologia* de uxore Christiana, quæ miserat libellum repudii viro suo, & Hieronymum in epitaphio Fabiolæ.

Sed neque Iustinus, neque Hieronymus favent hęreticis. Justinus nunquàm affirmat, eam alii nupsisse. Hieronymus verò in *epitap. Fabiola, & in cap. &* 19. *Mathai* contrarium docet, sic enim scribit ob Oceanum de *epitaphio Fabiola Tom.* 1. *operum: Igitur Fabiola, quæ, dimisso primo adultero marito, secundum sortita erat Matrimonium, quià persuaserat sibi, & putabat, a se jure virum dimissum, nec Evangelii vigorem noverat* (notentur hęc verba) *in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, fœminis amputatur &c*

Canones si quęris, adduco in confirmationem Catholicæ veritatis Textum *in can. Apostolus, in can. omnes accusationes* 32. *q.* 7. et plures *sub eod. caus. & Q. can. videtur* 35. *q.* 6.

Imo neque si uterque coniux adulter sit, poterit distractioni coniugi esse locus, ut decisum 39
est in *cap. fin. de ad.*

Si quæris pœnam Canonicam, hæc, est excomunicatio. En verba Textus Concilii Agathensis *celeb. an.* 506. relatus in *can. qui coniugale* 35. *q.* 2. ibi: *a communione Ecclesiæ, & Sancti populi cœtu pro eo, quod fidem, & coniugia maculant, excludantur*. Addo ad exornationem
hujus decreti historiam Ecclesiasticam. Toto or- 40
be decantata est illa Tragedia, qua Nicolaus I. Lotharium Imperatorem diris devovit, quod, dimissa Regina Tietberga, cum VValdrada concubina Nuptias celebraverit, damnata Guntharii Coloniensis, & Theogualdi Treveriensis Archiepiscoporum sententia, quam pro divortio iniquè tulerant. Hinc suorum ordinum jacturam a Nicolao passi sunt in Concilio Romano, de qua re Regino *L.* 2. Chronic, & refertur a Gratiano *in can Theugnaldum* 11. *q.* 3. ad cujus explicationem hæc quoque attulimus.

At inquies, Dominus in Evangelio ait *Matth. cap.* 19. *dico autèm, vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*; ergò ob fornicationem uxor dimitti potest.

Audi responsionem ex verbis Concilii Foriul. *can.* 10. 11: nam, etsi legatur in Sacris Evan-
„ gelicis paginis sola fornicationis causa dixisse
„ Dominum dimittere uxorem suam; non ta-
„ men legitur concessisse, aliam vivente illa
„ in coniugio sibi sociare.

Audi et elegantem retorsionem argumenti, ex D. Basilio *ad Amphil. can.* 48. ibi: Quæ a ma-
„ rito dimissa est, mea quidèm sententia ma-
„ nere debet. Si Dominus autem dicit: si quis
„ reliquerit uxorem, præterquam ratione for-
„ nicationis, facit eam adulterari, ex eo quod
„ eam adulteram nominat, exclusit eam a so-
„ cietate cum alio. Ergò, postquam uxor relicta est, adhuc remansit vinculum Matrimonii; adulterare enim est alterius thorum violare *cap.* 2 *§. cum vero* 35. *q.* 1. quod nullum est non violatur, *cap. ad dissolvendum de desp. impub.* Non entis nullæ sunt qualitates, *L. ejus, qui ff. de reb. cred.*

[h) Relligionem.

Relligio dissolvit Matrimonium ratum.

Si coniux intra bimestre Relligionem ingrediatur, ratum Matrimonium dissolvitur quoad vinculum.

Res est adnotatu dignissima. Post ratum Matrimonium conceduntur conjugibus menses duo, intra quos alter conjugum alteri petenti debitum potest illud recusare, ut interea liber fit ad Religionis ingressum, *cap. ex publico*, *cap. ex parte de convers. con. Cabassut. Septent. Can. L. 3. cap. 27.*

Sic Theclam fecisse amore pudicitię, testatur
42 *Epiphan. har. 78.*

Sic Gregoria, quę, constitutis jam Nuptiis, in Ecclesiam aufugit, narrat D. Gregor. L. 3. *Dial. cap. 14.*

Sic S. Euphrasia, ut narrat *Metraphrastes in vita*.

Sic S. Cæcilia prima Nuptiarum nocte negavit viro suo Valeriano debitum conjugale, ut continenter viveret.

S. Alexius Euphemiam sponsam intactam reliquit, castamque vitam perpetuo duxit, *can. scripsit 27. q. 2.* quod factum lepidissimo Epigrammate expressit Bidermanus L. 2. Ep. 83.

Læta maritales dum pronuba ventilat ignes
Patriciosque jubet luna jugare thoros,
Sponsus ab illusa sponsa fugit immemor aula,
Et vagus extorres circumit erra lares.
(Et infra)
Jam nihil est patriā potuisse relinquere: plus est
Quam fugisse domo, sic redisse domum.

S. Macharius post Nuptias urbem egrediens eremum petiit, ubi ad mortem usque permansit *Hieron. in vita ejus.*

S. Augustinus L. 8. *Conf. cap. 6.* scribit, duos milites, lecta B. Antonii vita, relictis sponsis, monasticam vitam elegisse.

Plura ad hunc locum sunt transferenda, quę diximus supra hoc *Lib. T. . . in Expl. n.*

Hoc autèm duorum mensium spatium hodie extenditur ad annum propter decretum Concilii Trid. *sess. 25. cap. 15. de Reg. Fagnanus in cap. verum de convers. conjug. n. 11.*

(i) *Pontifex justa ex causa.*

DISSERTATIO III.

An Pontifex in Matrimonio rato dispensare queat.

Vocat nos hujus loci Expositio ad examinandum celebrem controversiam, an Pontifex in Matrimonio rato dispensare queat? Nos in nostro
43 contextu, quid certius sit, adduximus. Idipsum conclusionis loco repetendum.

Pontifex justa ex causa in rato Matrimonio dispensare valet.

Probatur I. quia re ipsa exempla sunt hujusce dispensationis. Ecce D. Antoninus 3 *Part. t.*
44 *Tit. 1. cap. 21. §. 3.* affirmat, se vidisse Bullas Martini V. et Eugenii IV. qui dispensarunt; Navarius Sum. L. *cap. 22. n. 21.* refert, non semel ad petitionem suam Paulum III. & Pium IV. dispensasse. Caietanus *in opusc. Tit. 1. Tract. 28. de Matr. q. un.* ait suo tempore Pontifices sæpe dispensasse - Henriquez L. 11. *de Matr. cap. 8. n. 11.* refert Greg. XIII. unica die cum undecim dispensasse.

Quamquam illud non possit prætermitti, quod ait Pirrhus Corradus *L. 7. cap. 7. n. 26. pag. 370.* post tempora Martini V. multos Pontifices ausos non fuisse dispensare in Matrimonio rato; et ita Innocent. VIII. respondit cuidam Principi, se nolle dispensare in Matrimonio rato, ut refert Panorm. *in cap. ex publico de convers. con.* Et Adrianus VI. noluit talem concedere dispensationem, neque B. Pius V.

Quod si quęras de Romanę Curiæ praxi; equidem affirmativè erit respondendum, ut in causa 45
Burgensi dissolutionis *Matrimonii 17. Jan. 1594. coram Justo*, in qua Rota dixit, quoad potestatem Papæ dissolvendi Matrimonium ratum non esse dubitandum, relata *in 2. Volum. Conf. Farin. qua est 86. n. 1. in fin. vers. et Domini*, & alios addit Pyrrhus Corradus, *ubi supra*, qui cavendum monet a quodam libro M. S. qui per manus Curialium circumfertur, in quo adnotatum est, Paulum V. similem Matrimonii dissolutionem denegasse ad instantiam Oratoris cujusdam magni Principis *sub die 27. Jun. 1617.* Id enim est omnino falsum, quia fuit rejecta supplicatio, non quia Pontifex potestate careret, sed quia deerat causa sufficiens.

Imò per Urbanum VIII. dispensatum fuit in 46
Matrimonio rato inter Michaelem Blanchum, & Joannam filiam Principis de Concha Neapolitanę, & Pirrhus Corradus, *ubi supra*, adducit literas dispensationis.

Ergò Pontifex non modo dispensat in foro externo, sed in utroque, ubi impedimentum fuerit occultum, facultate majori Pœnitentiario tributa, quatenus ex sufficientibus causis mandat Confessario, ut cum Oratoribus dispenset, et ita, dum esset in Curia Pirrhus Corradus, testatur, a M. Pœnitentiario fuisse dispensatum. *n. 35.*

Casus esset veluti, si qua sponsa de præsenti contraxisset cum Titio, deinde, eo in longinquas regiones discedente, contraxisset cum Caio, idque Matrimonium consumasset, & filium suscepisset; Pontifex dispensare posset in primo Matrimonio tantum rato.

Et Clementi VIII. fuerunt hujusmodi preces porrectæ, ut ad gravia scandala vitanda quidam Lincolineo. Civitatis dispensaretur, ut Matrimonium solummodo ratum dissolveretur, fuitque dispensatum, et dispensationem adducit Pyrrhus Corrad. *ubi supra pag. 373.*

Causę autèm, quæ de stylo Romanæ Curiæ ad hanc dispensationem exiguntur quatuor sunt, I. 47
notabilis disparitas; II. gravis timor magni scandali; III. est lepra; IV. est assertio alterius ex conjugibus, quod vacaverit animo contrahendi. Ex quo patet, verissimam esse nostram sententiam.

II. Probatur, quia Pontifex dispensat in voto solemni Religionis, *can. pervenit 16. q. 1.*

Inno-

Innocent. II. vel, ut alii perhibent, Anacletus II. dispensavit eum Ranimiro 2. Aragonum Rege, quem ab ineunte ætate in S. Benedicti familia educatum, votique Religione adstrictum, eum Episcopum Burgensem designatum, Alfonso fratre sine liberis defuncto, permisit Pontifex, ut Mathildem duceret in uxorem, narrat Mandoza in Conc. Illib. *cap.* 30. *pag.* 210. Ergò multò magis poterit in Matrimonio rato dispensare, nam, si vinco vincentem te, multò magis vinco te, L. *de accessionibus ff. de div. & tempor. prascr.* Religio dissolvit Matrimonium ratum, Pontifex dispensat in voto Religionis; ergo multò magis in Matrimonio rato.

Probatur III. quia Matrimonium ratum solum significat unionem eum anima fideli per charitatem, *cap. debitum de bigamis.* Ideoque, sicuti unio hæc est dissolubilis per peccatum lethale, ita Sacramenti vinculum est in eodem hoc Matrimonio rato dissolubile. Propter corporis vero commixtionem designatur unio Christi D. cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Joann: *Verbum caro factum est*, & docet hoc Pontifex *in cap. ex publico de convers. con.* cui summa fides est adhibenda, *can. quam vetus* 24. *q.* 1. Quod ipsum docet Textus *in can. cum societas* 27. *q.* 2. qui referendus est ad significationem unionis hypostaticæ Christi cum Ecclesia.

Probatur IV. quia Pontifex habet potestatem ad ea omnia, quę necessaria sunt ad conveniens Ecclesiæ regimen, atqui dissolutio Matrimonii rati, sæpe expedit, ut patet ex dictis *n.* 47 ergo satis constat, in Matrimonio rato potestate non carere dispensandi Romanæ Ecclesię Præsulem.

Qua assertione sic fulcita: nihil obstant adversariorum oppositiones.

Non obstat I. quod Pontifex nequeat dispensare contra Jus Divinum & Naturale, *can. sunt quidam* 25. *q.* 1. Juris autem Divini, & Naturalis esse indissolubilitatem Matrimonii rati.

Respondetur duplex esse Jus Divinum, Naturale aliud absolutum, ut de non fornicando, et in hoc nullo modo Pontifex dispensat: aliud fundatum in actu, vel contractu humano, ut est votum, & Matrimonium, & in hoc patet dispensare. Tollit autem in utroque casu fundamentum obligationis, quam homo actu humano sibi imposuit, & in Matrimonio rato fundamentum contractus humani. Et ideo, licet ratum sit Sacramentum, pendet tamen ex contractu humano; dissolvet ergo Pontifex contractum. Non tamen in Matrimonio consumato id potest ob rationem disparitatis traditam in *III. probat. sub n.* 47.

Non obstat II. Textus *in cap. fin. de Transact.* ubi prohibetur dispositio circa Matrimonii Sacramentum, unde Glossa infert, dispensari non posse.

Resp. inde inferri posse tantummodo, Episcopum dispensare non posse, quia hæc dispensatio est de majoribus causis; majores autem causę sunt Pontifici reservatæ, *cap.* 1. & 2. *de Transl. Ep.* & deducitur *ex cap. ex literis de spons.*

Non obstat III. quod dispensatione hujusmodi jus quæsitum auferretur. Nam vir, & mulier, quilibet alterius corporis acquirit potestatem, *cap.* 3. *de convers. con. cap. non debet de cons. & affin.* Jus autem quæsitum auferri non potest, *cap. super eo de Off. deleg. L. id quod nostrum ff. de reg. jur.*

Resp. in Matrimonio rato adesse quidem virtualem promissionem per quam acquiritur aliquod jus ad petendam possessionem alterius corporis; nondum tamen haberi ipsam possessionem, *cap. verum de conv. conjug.* ibi: *cum nondum sint effecti una caro.*

Non obstat IV. quod susceptio Sacrorum Ordinum non dissolvat Matrimonium ratum, *extravag. antiquæ de voto.*

Ergò quia indissolubile est Matrimoniū ratum. Nam Resp. dissolvi tamen per ingressum Religionis, *cap. verum de convers. con.* Ceterum differentiæ ratio hæc est, quia vovens in Religione sæculo moritur, *can. placuit* 16 *q.* 1. tradit Deo voluntatem suam in holocaustum, *cap. cum ad monasterium de stat. mon.* Clerici remanent liberi, nec mortui sunt mundo. Mors ergò illi potest dissolvere Matrimonium ratum; non verò Sacer Ordo.

Alia quędam argumenta, sed leviora, resolvuntur a Sanchez *L.* 2. *disp.* 13. *n.* 5.

(I) Recuset.

An infidelis sit recusandus a fideli?

Esto recuset cohabitare via paganus cum uxore, quæ renata sit in undis Baptismi; dicimus, uxorem eum alio posse Nuptias celebrare, qui sit Christianus. Quod dicimus, Canonum Sacrorum firmat auctoritas, *cap.* 2. *de divort. cap. gaudemus. ib. cap. quanto ibi can. si quis* 28. *q.* 1.

Tempore Theodosii Patriarchæ Constantinopolitani Basilius baccinator quidam separatus est a sua infideli uxore, post quam baptizatus fuerat, decreto Patriarchali, patet ex *L.* 2. *Jus Orient. in const. Theodos. Patriar.* 48

Notetur distinctio inter antiqua, & recentiora tempora Ecclesiæ. 49

Olim si infidelis conjux renuebat converti admittebat autem cohabitationem, sine contumelia creatoris, non poterat conjux baptizatus aliud inire conjugium, *D. Thomas in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 5. *et ibi D. Bonaventura art.* 2. *q.* 1.

Ob spem ergò conversionis ex consilio cum tali infideli conjuge cohabitandum erat *D. Paul. ad Corinth. cap.* 7.

Sequentibus verò sæculis, cum nulla daretur conversionis spes propter perfidiam Judæorum, prohibitum fuit a Sancta Dei Ecclesia, ne fidelis conversus cohabitaret eum infideli, *can. Judai* 28. *q.* 1.

Et juxta primum casum intelligitur canon quidam difficilis Concilii Illiberini, *can.* 10. ibi:
50 *Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit*
maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc et circa feminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam reliquit, et scierit, eum habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit, huic nec in fine dari communionem.

En sensum canonis; Si cathecumenus, qui juxta Legem Christi vivere debebat, reliquit uxorem suam, quæ licet converti renuisset, cohabitare tamen volebat cum eo, sine contumelia Creatoris, quia juxta Apostolum cohabitare cum ipsa debebat, ad eam redire cogebatur; tamen si ab eo relicta jam alium accepit maritum, quia tunc illam repetere non valet, admittatur ad Baptismum; omni enim tempore licuit conjugi fideli aliud Matrimonium inire, cum coniux infidelis nolebat converti, aut cohabitare sine contumelia Creatoris, *can. fin.* 28. *q.* 1. Ita perdoctè Gonzales ad hunc canonem Illiberini Concilii.

Hac eadem de re nonnulla supra diximus hoc *Lib. Tit. . . . n. . . in Expl.*

[*m*] *Quoad factum.*

Facto dissolvitur Matrimonium.

Cum impedimentum dirimens præcessit, dissolvitur Matrimonium, sed dissolvitur facto;
idest non tam dissolvitur, quàm contractum
51 antea nullum declaratur. Quare qui præsunt
Matrimoniis caute faciant, dum sententiam
dissolutionis proferentes utuntur his ferme verbis, *non fuisse Matrimonium, & propter impedimentum juris, & facti nullum fore*, non enim sola corporis conjunctio Matrimonium facit, *cap. non omnis mulier* 32. *q.* 2.

Juxta hanc explicationem intelligitur Textus
52 *in can. quod proposuisti* 32. *q.* 7. quem notabit
studiosus Juris. Jam ad alia pergamus.

(*n*) *Propter adulterium.*

DISSERTATIO IV.

De dissolutione Matrimonii ob adulterium.

En venimus ad exponendam dissolutionem Ma-
53 trimonii, quoad cohabitationem, & thorum.

Adulterium autèm hujusce dissolutionis justissima causa est; quia cum conjuges teneantur mutuam sibi servare fidem, justè conjux innocens separatur a cohabitatione cum nocenti, argumento Textus *in cap. pervenit* 3. *de jure jur.* §. *fidem ff. de Trans.*

Imo juxta antiquos canones vir uxorem adul-
54 teram retinens, sic puniebatur; Concilium Nan-
netense *can.* 12. pœnam 7. annorum retinenti
adulteram imponebat, ibi: *Quod si voluerit adulteram reconciliari, licentiā habeat, ita tamen, ut pariter cum illa pænitentiam agat;* illa autem 7. annorum pænitentiæ erit addicta.

Quamquàm Theodorus in suo Pænitentiali assignet triennium ad pœnitentiam, ibi: *si quis uxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere eam, sed in Matrimonio habere, tribus annis pæniteat, & quamdiù pænitet, abstineat se ab illa.*

Clerici verò retinentes uxores adulteras a Clero amovebantur, expresso Textu *in can.* 9. *Concil. Tarrac.*

Clerici ipsi poterant uxores adulteras in vin- 55
cula coniicere, & cogere easdem jejunare; en
verba Canonis ex Concilio Toletano I. cujus pars est *in can. placuit* 33. *q.* 2. ibi: *Mariti earum hanc habeant potestatem præter necem custodiendi, ac ligandi in domo sua ad jejunia salutaria, non mortifera eos cogentes*, quo super Textu videndus *Torner.* L. 3. *rerum quotid. cap.* 10.

Imò nec cum ea cibum sumere licebat ma- 56
rito, ex dispositione ejusdem Concilii, notavit
Gonz. *cap.* 3. *de ad. n.* 14.

Ergò si vir adulteram retinere non debet, quid sequitur, nisi permissum esse marito divortium facere, quo societas, convictusque domesticus finiatur?

Quod si ex omni memoria historica exempla
divortii secuti ob non servatā ab uxore fidem, quę 57
crimine adulterii se se inquinaverit, requirimus.
Quocumque te vertas innumera venient in occursum.

Refertur historiæ Lausiacæ *cap.* 28. S. Paulum cognomine *simplicem* deseruisse deprehensam in adulterio uxorem, vitæque monasticæ, se addixisse sub magni Antonii disciplina.

Refert *Nicet.* *L.* 3. Stephanum filium Alexii Dizautini Imperatoris Eudociam uxorem, objecto crimine adulterii omni vestitu muliebri spoliatam repudiasse.

Narrat *Æmilius L.* 3. Lotharium Lotharii Imperator. F. Pii nepotem, Lotharingię Regem cum uxore sua divortium fecisse, quod eam diceret ætate provectam, ac seram ad prolem suscipiendum: adulterii etiam cum fratre insimulari cępit, ac si verum fuisset, divortium recte factum. Verum et Episcopi quod connubium diremissent è gradu dignitatis dejecti fuerunt; et Lothario communione piorum interdictum. Ad iram Pontificis deprecandam Romam profectus, in reditu decessit. Est apud *Reginum L.* 2. Carolum Crassum Imperatorem uxorem suam Richardam ob adulterii suspicionem expulisse.

Adulterium ergò justissima causa est divortium faciendi.

Quid si osculum impudicum dumtaxat marito compertum sit?

Hęc quidem gravissima quæstio est, quam fusè
agitat Mancinus *Dissert.* 3. *cap.* 5. *Lib.* 1. *Tripl.* 58
jur. dis. An sufficiat osculum impudicum ad
divortium faciendum.

Nostra conclusio sit; osculum impudicum
divortio causam non præstare. 59

Pro-

Probatur I. Quià per osculum quamtumvis impudicum, quoniam intra desiderii terminos consistit, opere minime perpetrato, caro non dividitur, Textus elegans *in can. Lex 27. q. 2.* ibi: *sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis propinquitatem*. Atqui ratio præcipua divortii est carnis divisio: Textus elegans *in can dixit Dominus* 32. *q.* 1. ibi: *cum illa unam carnem in aliam diviserit*, & se fornicatione *a marito separaverit, non debet teneri*.

Probatur II. Quia vel certò constat, adulterium non fuisse; tunc antèm pœnę ordinariæ non est locus, quæ est divortium, & dotis amissio; vel in ambiguo versamur, tunc verò cum ad hoc violenta exigatur præsumptio, *cap. literis de præsumpt.* pęnæ similiter ordinariæ parcendum est. Quippe sola oscula violentam præsumptionem minimè inducunt, nisi pernoctationes, convivia, & aliæ suspicandi causę concurrant, quæ habentur *in L. consensu, in L. ult. C. de repud.* §. *quia verò plurimas auth. ut liceat matri, & avia*. Osculum enim æquè futurum, ac præteritum arguit adulterium; cum in gratiam solius osculi per se considerati is actus accipi possit, ut videlicet inde hęc sola voluptas exoriatur; voluptas quidèm inconcessa, non tamen pęnæ ordinariæ causa. L. 1. *ff. de extr. crim.*

Quo circa, & in Tribunalibus idipsum invaluit. En verba Rotæ Part. 12. *recent. decis.* 337. *n.* 11. *Quando concurrunt plures actus probati per testes, hi actus simul juncti valdè adminiculantur, adulterii præsumptionem inducunt, nempe fervens propensio, & amor mulieris, secreta allocutiones de nocte, salutationes, & signa amoris è fenestris domus, aliisque in locis pernoctatio extra domum, oscula, aliique actus impudici, ex quibus infert Rota intensam, fortemque resultare præsumptionem adulterii, ut de eo moraliter dubitari nequeat;* nec minus clare id ipsum firmat *Pilaia decis.* 261. *n.* 7. *Ciriacus decis. contr.* 171. *n.* 27.

Probatur III. *ex L. consensu C. de rep.* & ex *Auth. ut liceat matri, & avia* §. *prædictis itaque col.* 8. ubi inter justas repudii causas minime referuntur amplexus, & oscula. Pœnæ antem non sunt imponendæ, nisi in casibus in Jure expressis, *Auth. de non elig. secundo nub.* §. *cum igitur coll.* 1. Imo molliendæ, L. *interpretatione ff. de pæn. cap. odia de reg. jur. in 6.*

Probatur IV. Quia adulterium debet veraciter probari, *Novell.* 117. *cap.* 8. V. si de adulterio, cui consonat Textus *in L. non hoc* 4. *C. unde legit.* Verax autem adulterium non est osculum; ut, si rectè inducatur, probat Textus *in can. nec aliqua* 27. *q.* 2. undè amasia illa apud Theocritum scitissimè ait:

Ne fatirisce tume? rem ajunt esse oscula inanem

Non obstat I. Textus feudalis *Tit.* 5. *quibus modis feud. amitt. in princ.* ibi: *aut cum ea turpiter luserit* L. 1. *feud.* ubi turpis lusus vasfalli cum uxore domini, loco adulterii est. Turpiter autem ludit, qui impudica figit oscula.

Resp. quod de vassallo dicitur, ad alium quempiam haud esse detorquendum. Vassallus ita ludens, & infidelis, & ingrati notam incidit. An non infidelis, qui fidem juramento professus tam turpiter fregit? An non ingratus, qui se immemorem ostendit beneficii? Feudum namque est beneficium. Accedit, quod sufficit ad privationem feudi promerendam, generatim aliquam domino injuriam intulisse, §. *porro Tit. qua fuit pri. cau. benef. amitt.* ibi, *vel alias graves, vel inhonestas injurias intulerit*.

Non obstat 2. Textus in L. *quod ait* 23. *ff. ad L. Jul. de ad.* ubi patri licet filiam in actu illicito, adeoque in osculo deprehensam occidere, ergò quia osculum est species adulterii. Consequentia probatur *ex can. inter hæc* 33. *q.* 2.

Resp. procedere Textum in *d. L. quod ait* in vero adulterio; ut infertur ex ipso *can. inter hæc* 33. *q.* 2.

Non obstat III. Textus in *can. si Paulus* 32. *q.* 5. nam si per eum Textum, qui solum viderit mulierem, jam mœchatus est, ergò multò magis per osculum.

Resp. illum Textum in foro animę procedere, in quo impudicum osculum, quasi adulterium est, *Math. cap.* 5.

Non obstat IV. Textus *in cap. præterea de test.* ubi, si duo consanguinei simul inveniantur, copula præsumitur.

Resp. ideò in dictis Juribus copulam præsumi, quia vehemens fuit Juris, & de Jure præsumptio, plurimis circumstantiis concurrentibus.

Non obstat V. conatum puniri pœna ordinaria, L. *quisquis C. ad L. Jul. majestatis*.

Resp. crimen læsę majestatis esse gravissimum, ideo id specialiter constitutum. Addo, in specie hujus Textus non solum fuisse conatum; sed conatus fuit ad actum deductus, videlicet ad tractatum, & consilium initum cum aliis, prout etiam interpetrandus Textus in L. *un. C. de rapt. virg. in* L. *si quis can. dicam C. de Episcop. & Cl. in cap* 1. *de hom. in* 6.

Sed quid multis opus est? Negamus, osculum esse conatum ad adulterium, nec per osculum attentari dicitur adulterium, quia remotum ab eo est, ut notat *Mancinus cap.* 4 *n.* 31.

Non obstat V Textus *in* §. *causas Auth. ut liceat matr. & avia* ubi mulier viro suo potest repudium mittere, si maritus uxoris castitati fuerit insidiatus; atqui uxor passa osculum fuit castitati conjugis insidiata, ergo divortium cum ea faciendum, arg. Textus in *L. ult. C. de ind. vid. toll.*

Resp. id statutum in pęnam lenocinii, quod absque gravissimum, sed magis in marito, *L. marito ff. de ad* L. *qui domum* L. *& si amicis* ib. & nos plura infra dicemus n. 66.

Ac fuit olim hæresis Beguinarum, de qua in *in Clement. fin de hær.* quæ osculum mortale peccatum, actum verò carnalem immunem a culpa arbitrabatur.

Con-

Concludam hanc controversiam monendo lectorem, ut, si plura desiderat, legat, quæ fuse tradit Fachineus L. 9. *cap.* 75. *Mascardum vol.* 1: *de prob. Concl.* 62. *Menoch. L.* 2. *de arb. Iud. Quæst. cas.* 115. *n.* 6. & 7. aliosque ad Inst. §. *item Lex Iulia de publ. Iud.*

Illud præterea, quoad dissolutionem Matrimonii, seu verius separationem a thoro, & con-
62 sortio propter adulterium, dispiciendum est, an & uxor virum possit dimittere, si vir adulterii crimine se polluerit?

Equidem Lege Iulia de adulteriis, non æquale jus in adulteros competebat uxori, atque
63 viro. Mulieri in virum procedere nefas erat; quòd cum de femina nihil in Iulia Lege decerneretur, id jus ei denegatum credebatur. arg. *L. si constanter §. de viro ff. soluto Matr.* & *L. cum Prætor ff. de Iud.* Ergò Severus, & Antoninus rescripserunt in L. 1. *C. de ad.* non competere fæminis hanc accusationem.

Tantum si uxor a marito adulterii accusaretur, poterat lenocinii, & adulterii crimen in virum retorquere, non per accusationem, sed per relationem. *L.* 2. §. *si publico* L. *si uxor* §. *Iudex ff. ad L. Iul. de ad.*

Quam tamen disparem potestatem Legum iniquitati tribuit D. *Greg. Nazianzenus in Orat. ad cap.* 18. *Math.* concludit enim: *Viri erant, qui Legem tulere, ne ideo contra mulieres Lex est lata.*

Ad vindicandos tamen improbos mariti mores uxor, divortio facto, habebat actionem apud censores, sive alios Iudices, Plinius *L.* 14. *hist. cap.* 23. *Val. L.* 8. *cap.* 2. quo pacto accipitur Textus in L. *viro* 39. *ff. sol. Matr.* Abusivè etiam hæc actio dicitur accusatio, L. *cum mulier* 47. *ff. sol. Matr.* Hæc enim actio civilis erat. Cujus effectus hic erat, ut maritus in judicio succumbens, non posset mulierem validè accusasse de adulterio, *L. un. C. Theod. victum civiliter L. un. quando civil.*

Sed Jus Canonicum æqualiter in viro, & mu-
64 liere adulterium damnavit; & ideo mulier quoque virum adulterii accusat, petitque divortium, *can. si uxorem, can. præceptum cum seq.* 32. *q.* 5. *can. apud nos, can. fin.* 3. *q.* 2. *can. indignantur* 32. *q.* 6. *can. fin. ead. C.* & *q.* ubi *Innoc. I. Epist.* 3. *ad Exuper.* definivit temerarium, & falsum omninò contrarium asserere.

Et ratio hujus æqualitatis est, quia tam fides per uxorem, quàm per virum frangitur.

Imò quamvis accusandi jus de adulterio quoad
65 pœnam criminalem, & civilem præscribatur quinquennio, L. *adult.* 5. C. *ad L. Iul. de ad.* quoad divortium tamen petendum, neque ex parte viri, neque ex parte uxoris præscribitur, sed integrum est quocumque tempore transacto, illud petere, *can. admonere* 33. *q.* 2. quem Textum, ut singularem, notat Sanchez *L.* 12. *Disp.* 5. *de divort. n.* 8.

Quæ duæ adnotationes sequuntur, pertinent ad hanc dissertationem.

(o] *Non prostituerit.*

De viro uxoris lenone.

Verum quidem est, ob adulterium uxoris virum ab ea posse divertere, tamen hoc loco
regulę accipiendum est; neque desunt exceptiones. 66

I. Exceptio hic exponetur. Excipiendus igitur est casus, quando vir uxorem suam prostituerit; non enim petere divortium poterit.

Lenocinii turpitudinem etiam in marito, probro habuit Jus Civile. Ejus nomen abiectum, *Novel.* 14. Is infamia notatus, inhabilis ad dignitates, L. *Athletas*, §. *ait Prætor ff. de his, qui notant. inf.*

Lenocinium variis modis committitur. Leno dicitur maritus, qui deprehensam in adulterio
uxorem retinet. En canonem Illiberini Con- 67
cilii 70. ibi: *si conscio marito fuerit mœchata uxor, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Cur tam severe procedunt Patres in virum adulterii conscium? Cur, quod non nisi in gravissimis peccatis facere solent, in fine denegant communionem? nimirum, quia genus lenocinii est non respuere uxorem adulteram; eleganter Greg. IX. Sum. Pont. *in cap.* 3. *de ad. si vir, ait, sciverit, uxorem deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, & vivit cum illa, vir reus erit, & eius peccati particeps.* D. *Hieron. ad cap.* 9. *Math. qui tenet adulteram stultus est, impius est.* D. *Joann. Chrysost.* 26. *super Math. cap.* 9. ibi: *patronus enim turpitudinis est, qui crimen celat uxoris*; consonat Textus *in cap. quemadmodum*, §. *illud. vers. quod si expresse de jur.*

Multò magis leno est, qui uxorem pudorem
cogit prostituere. Gothi ita hoc lenocinium 68
vindicarunt, ut nempe talis uxor virum posset dimittere, L 3. L. *Vvisigothor. Tit* 6. *ad fin.* L. 2. Antonius verò Augustinus *Tit.* 3. *cap.* 3. *in Lib. Pœnit. Rom.* antiqui, hæc verba profert:
„ Contigit tibi, ut uxor tua te conscio, & 69
„ hortante cum alio viro, illa autèm nolente,
„ adulterium perpetraret: si fecisti, quadra-
„ ginta dies in pane, & aqua pœniteas, & sep-
„ tem annos, unum ex his pane, et aqua, &
„ nunquàm sis sine pœnitentia. Si autèm uxor
„ tua hoc probare potuerit, quod tua culpa,
„ & tuo jussu, se renuente, & luctante, adul-
„ terata sit, si se continere non potest, nu-
„ bat, cui voluerit, tantùm in Domino.

Ego tamen vereor, an totus hic locus genuinus sit, cum ea verba *nubat cui voluerit*, nisi intelligantur, mortuo marito, non possint nisi apocrypha censeri; aliter ea interpetratur Mendoza ad *can.* 70. *Concil. Illib. cap.* 63. *in fin.*

Ergo si vir uxorem prostituerit, cum ipse in causa sit, non potest, ut innocens petere divortium. Quæ ratio sic a suis principiis profluens, est etiam in *cap. discretionem de eo, qui cognov. cons. suam*, ibi: *cum adulterium ei non possit*

obiice-

objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.

70 Non obstat Textus in *cap. significasti de divort.* .. ibi: sed sobolem de alio viro suscepit: nec .. minus postulat suo viro restitui, asserens, se .. ab ipso injustè dimissam.

Dedita opera hunc Textum opposui, ut nunc explicem elegantem limitationem. Nam quando vir indirectam præbet adulterio causam, ut in specie hujus Textus, non eripitur viro facultas adulteram dimittendi, ut si vir injustè expulerit uxorem, ipsa enim nulla ad fornicandum adduci debebat ratione, *can. ita ne 32. q. 3.* Nec potest dici, adulterium culpa mariti commissum, cum causa ad id non fuerit ordinata, *L. nomine 38. p. de statu lib. L. si qui 45. de obl. et act.*

71 Non obstat casus fusè relatus a D. Augustino *L. 1. de serm. Dom. paulo post med.* de muliere, quæ pecuniam ad liberandum a carceribus maritum assensu mariti modis illicitis paravit.

Nam D. Augustinus facto enarrato, his verbis concludit, *cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur horruimus.* Respuunt ergò aures fidelium, audire facinus hujusmodi, atque turpitudinem detestabilem.

(p) Non reconciliaverit.

Quomodo tacitè vir cedat juri separationis.

72 Secunda exceptio est, nisi se vir uxori adulteræ reconciliaverit.

Cum enim divortium sit in favorem innocentis, quid ni possit innocens cedere juri suo delictumque condonare?

73 Hæc autem condonatio est duplex, quædam expressa, quædam tacita.

Expressa condonatio verbis expressis contingit, de qua est Textus in *L. maritus 25. §. si negaverint ff. ad L. Jul. de ad.*

Tacita condonatio, seu magis tacita dimittendi adulteram prohibitio sequitur ex compensatione, cum videlicet tam vir, quàm uxor in idem crimen inciderunt, *cap. fin. de ad. L. viro atq. uxore ff. sol. Matr.* paria enim delicta mutua compensatione abolentur *can. 1. 32. q. 6.*

Plura infert ex his Textibus Sanchez omnino videndus *L. 10. de divort. disp. 6. 7. & 8. Ventriglia Tomo 1. annot. 10. §. 1. n. 12.*

Tacitè etiam remittitur actio quam vir habebat ad separationem, quando vir sciens adulterium tacuit, nihilque movit, argumento Textus a contrario sensu *in cap. plerumque de don.*

74 *inter vir. et ux. Ventriglia, ubi supra*, & adulterium ità occultum est, ut probari non possit: cum in hoc casu cesset ratio scandali, *Turrecrem. in can. Apostolus 32. q. 7. art. 2.*

Juxta quam distinctionem accipiendi sunt Textus, *in cap. de benedicto, in cap. quod autem, in cap. non erit in cap. apud misericordem 32. q. 1.* quibus repugnaret Textus *in can. si quis uxorem 6. 31. q. 1.*

Ulteriùs, aliud est quærere de facultate divortii celebrandi, aliud de obligatione divertendi, juxta quam distinctionem eruditissimus Gonz. explicat Textum *in can. si quis uxorem 1. 23. q. 1. in comm. ad Textum in cap. 3. de ad sub. n. 10. in fin.*

(q) Si ad heresim.

De divortio ob heresim.

Inveniet studiosus nostri Juris canonem Concilii Tridentini 8. *sess. 24. de Matr.* his verbis statuentem: *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri posse decernit anathema sit.*

Quisnam id asserit, quod adversatur Ecclesiæ sententiæ? Hi sunt heretici Novatores. In hos invehitur Sancta Synodus. Tum Kemnitius, 75 quasi ob solam fornicationem separatio permittatur in Lege gratiæ *Math. cap. 5. & 19.* alias ob causas divertere ab uxore permittendum non esse, est arbitratus. Quare juxta hanc falsissimam opinionem, nec liceret conjugem hereticam divertere.

Nos tamen, cum Ecclesiæ Catholicæ dogmata sectari gloriemur, parati sanguinem pro ejus defensione profundere; falsas hæreticorum doctrinas detestamur. Et hæresim quoque, causam ab uxore divertendi justissimam profitemur. Quid enim docet D. Paulus *ad Tit. 3. Hereticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.* Quid docent tam multi canones? Nisi a cohabitatione discedendum? Textus *in cap. de illa de divort. in can. non solum, in can. idololatria 28. q. 1. in cap. fin. de convers. con. in cap. 1. de convers. infid. in Concil. Chalced. can. 13. Carthag. 3. can. 11. sexta Syn. in Tral. can. 53.*

Eleganter Cornelius Papa epist. 55. ad finem .. declinent fortiter, & evitent verba, & col- .. loquia eorum, quorum sermo, ut cancer ser- .. pit, nulla cum talibus commercia copulentur, .. nulla convivia, vel colloquia misceantur & *S. Leo serm. contra her. Eutych.* .. hos tamquam .. venenum mortiferum fugite, execramini, .. fugite, declinate.

Nec obstat Textus *in cap. 1. de conv. infid.* prout transcribitur a *Gonz. in secunda coll.* ubi uxor maritum hæreticum relinquere potest, & 76 cum alio nubere.

Resp. cum Gonzalez, Cælestini III. ut privatum Ecclesiæ Doctorem locutum fuisse, ità censet hic magnus Interpres *in cap. 1. de divort. in fin. com.* & notavimus *supra L. 1. Tit. 5. n. 38.*

Imò potest conjux alium in hæresim prolapsum absq. alia Judicis sententia deserere *cap. de illa* 77 *de divort.*

Verùm hic subsisto. Nam elegans distinctio observanda. Si conjux innocens propria auctoritate

78 ritate decessit, & vult ad Religionem transire, hinc planè liberam habet facultatem ob specialem Religionis favorem, *cap. fin. de conuers. con.* Si in sæculo post discessum remanserit, hæresis verò abiecta sit, secutaque conversio integra, tenetur innocens conversam recipere. Si demum auctoritate Ecclesiæ innocens deseruerit hæreticum, etiam abiecta hæresi non tenetur conversum recipere, *Hurtad. de Fid. disp. 36. sect. 6. n. 100.*

(r) Magiis.

De causa divortii ab alia crimina.

Nunc præter fornicationem carnalem, aut spiritualem, ob alia delicta quo pacto a cohabitatione discedatur, explicandum est.

Res ita se habet, præter utramque fornicationem non licet ob alia delicta coniugem relin-
79 quere nisi coniux illis criminibus implicitus pertrahat alterum ad peccandum, unde animæ exitium euidens immineat.

Qua moderatione in ceteris delictis digressum a coniuge explicandum esse deducitur ex *cap. 2. de Divort.* ibi: *Nos itaque taliter duximus respondendum, quod mulier per furta, uel alio crimine viri sui, nisi ipse eam ad maleficia sua trahere nitatur, & fidei sua religionem corrumpere velit, non debet ab eo separari.*

Id ipsum constat ex *Concilio Toletano 12. cap. 8. relato in can. praeceptum 32. q. 5. Et ex D. Aug. L. 1. de sermon. Dom. in monte* relato *in cap. si uxorem 32. q. 5. Ex D. Hieronymo epist. ad Am.* relato *in can. omnes accusationes 35. q. 7.*

In hunc sensum eumdem omnes hos canones accipit Sanchez *L. 10. de Matr. disp. 17. n. 2. & 3.*

(ſ) Periculum &c.

De causa divortii ob periculum corporis.

Jam de periculis corpori, vitæque coniugis imminentibus, unde oritur divertendi justa causa, disquirendum est.

Uxor maritali affectione tractanda est, *L. præceptoris ff. ad L. Aquil.* Uxores non pugnis, ut servi, sed verbis coercendæ, *L. 2. §. despi-*
80 *ciamus, L. 2. §. dominorum ff. de his, qui sunt sui-* nisi ità tractentur uxores a viro, sed molestam cohabitationem reddant gravia iurgia, discordiæ, verbera, aliæque percussiones sine causa; ipsa divortium petere poterit. Interim
81 verò, dum Iudex causam discutit, ipsa in monasterio aliquo debet deponi, probat *Gonz. ex cap. literas de rest. spol. in can. ad cap. 1. de divort. sub n. 12.*

Imo ob sævitiem viri ipsa potest impunè ab-
82 sque Judicis auctoritate recedere, aut virum expellere, dummodo periculum sit in mora, docet Guttierez *QQ. canon. L. 1. cap. 24. n. 5.*

Et quamquàm sævitiæ uxor causam dederit, pu-
83 ta ob præcedens adulterium, tamen purgato crimine, vir non debet hostilem in modum conju-gem tractare. Quod probo ex *can. de benedicto 32. q. 1.* ibi: Pelagius Pontifex iubet, adulteram restitui marito postquam maritus cautionem præstiterit de non offendendo. Consonat Textus *in cap. uenient 2. de sponſ.* Vindicta enim privato permissa non est, toto *Tit. C. ut nemini liceat se sine Iudicis auctoritate uindicare.*

De hac viri sævitia sunt in Jure nostro Textus elegantissimi. Textus *in cap. literas de rest. spol.* ibi: si verò tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri. Alter Textus *in cap. ex transmissa ib.* Si autem capitali odio ita vir mulierem prosequatur, quod merito de ipsa diffidat, alicui probæ, & honestæ mulieri, absque ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur. Alter Textus *in cap. 1. ut lite contestata*, ibi: verum quia mulier ipsa dicebat, se virum habere susceptum.

An verò, si uxor sæviret, idem de viro dicendum sit, disputatum vidi ab Everardo *in suis* 84
Topicis.

Sed quid dubitemus? Cum par in utroque coniuge sit ratio, & vir, & uxor sint correlativa; adeoque par utrumque jus esse debeat, *L. un. C. de ind. vid. toll.* par facultas divertendi.

Non obstat Textus in *can. quidquid 32. q. 9.* ibi: *mulier non est reiicienda.*

Nam si sævitia uxoris modica sit, utique non est viro reiicienda, *notat San bez. ubi supra n. 5.* 85
ita explicans illum Textum. Nam ansa divertendi ex re levi arrip enda non est; levis enim timoris ratio habenda non est, *L. metum ff. de eo, quod met. caus.*

Hinc neque minæ sufficiunt ad relinquendam conjugem, cum non incutiant justum metum, *L. hæc autem 4. ff si cui plus.*

Quid de verberibus dicendum? Posse verbe- 86
ratam uxorem a viro discedere, dicit Textus in *L. consensu in fine pr. C. de rep.* Ceterum hæc lex correcta est per recentiorem Juris dispositionem *in Auth. ut liceat matri, & auia, §. quia verò ad fin Coll.* 4. ubi asseritur, non permitti repudium ob verbera. Levis enim verberatio raro, & ex urgenti causa viro non denegatur. Acris verò ad Judicem pertinet.

Imo nec unica atrox verberatio sufficit ad divortium petendum, si hæc ex insolito iræ motu contigerit, Sanchez *ubi supra n. 16.*

In nobili tamen uxore putat Layman *hoc T.* 87
alapam, quam vir uxoris suæ genis impegerit, ad divortium sufficere.

(t) Indicio Ecclesiæ.

DISSERTATIO V.

Qua auctoritate dissoluatur Matrimonium quoad cohabitationem, & thorum.

Verissimum quidèm est, absque auctoritate Ecclesiæ conjugem posse ab altero conjuge inhære-

hæresim prolapso recedere, ut supra dictum est n. 77.

At regula est, ne temere, & sine causa societas conjugalis disgregetur, auctoritatem Ecclesiastici Judicis præcedere, oportere.

88 Age jam hujusmodi regula sit instar conclusionis; & quibus auctoritatibus, quibus rationibus fulciatur, videamus.

Probatur I. quia si propria auctoritate coniux conjugem reliquerit, potest is, qui relictus est, petere a Judice, ut sibi uxor restituatur, *cap. literas de rest. spol. cap. ex transmissa 8. ibid. cap. causam de off. del. cap. porro 4. de divort.*

At quis hic Judex? Textus jam adducti rem definiunt. Judex hic est Ecclesiasticus. Ergò Judicis Ecclesiastici auctoritatem præcedere, oportet, ne temere dicatur, coniux recessisse, cum per eumdem Judicem quicumque a conjuge temere discedit, ad conjugem redire compellatur.

Probatur II. quia sine Judicis Ecclesiastici auctoritate conjugem deserens, excommunicatur;

89 ut patet ex *d. cap. literas prope finem de rest. spol.* ibi: Quia præsumitur cõnra eam, quę sine .. judicio Ecclesiæ, sed sua tantum temeritate .. recessit a viro, ad restitutionem plenariam .. Ecclesiastica debet censura compelli - idque ipsum deciditur *in cap. porro de divort.* ibi: .. & si eam recipere noluerit, eum, & super- .. inductam vinculo excommunicationis adstrin- .. gas. Concilium *Illiberinum can. 8.* ibi: Item .. fœminę, quę, nulla præcedente causa, reli- .. querunt viros suos, & alteris se copulaverunt, .. nec in fine accipiant communionem - Heribertus Clotharii filius, qui Childeberti Regno successit, derelicta legitima uxore Ingoberta,

90 Marconefam, & Merofilidam accepit. A S. Germano Parisiorum Episcopo fuit excommunicatus, *Regino in Chron. L. 1. an. 408.*

Probatur III. quia nemo potest in sua causa sibi jus dicere, *L. 1. C. ut nemo in sua causa, L. si quis in tantum C. unde vi.*

Probatur IV. quia non levibus, & coloratis causis, vel eorum arbitrio conjuges divortium facere, & se invicem separare debent, sed legitimis, & urgentibus, *cap. per venerabilem vers. ipse quoque, qui filii sint leg.* cum autem id cognoscere sit causa Matrimonialis, atque expediri Juris sit, causas Matrimoniales spectare ad solum Judicem Ecclesiasticum, *can. multarum 35. q. 6. cap. de infin. de cons. & aff. cap. accedent. de excess. Prel. Trid. sess. 24. de R. M. can. 12.* sequitur, neminem divertere posse a conjuge, nisi Judicis Ecclesiastici intercesserit anctoritas - Scimus, quam universo Regno An-

91 gliæ exitiale fuerit repudium, spreta Judicis Ecclesiastici auctoritate. De Henrico loquor hujus nominis VIII. Rege Angliæ, qui cum Catharinam Caroli Imperatoris materteram, cum qua viginti annis vixerat, a se, improbantibus Pontifice, ac Theologis, separasset, Annam filiam Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rochefordiæ superinduxit, unde diris ecclesiasticis devotus, immemor suæ salutis, immemor Evangelicæ veritatis, quam adversus Lutherum strenue defenderat in Libro quem legenti concessit Leo X. annos 10. Indulgentię, universum Regnum lue vere lethali infecit, & adhue densissimis tenebris offusis, ad veritatis lucem non excitetur. Utinam aliquando ad Ecclesiæ unitatem revertatur.

Probatur V. *ex cap. 2. de Jud.* ubi interdicitur Judici laico tractare causas Ecclesiasticas; quæ vel Matrimonii vinculum, vel cohabitationem respiciant.

Probatur VI *ex cap. non est de spons.* ubi de Rege Anglorum.

Probatur VII. exemplo Redemptoris nostri, qui causam divortii non remisit ad Judicem sæcularem; sed ipse judicavit, *Math. 5. & 19.* Præterea D. Paulus 1. *Corint. 7.* causam conjugii inter fidelem, & infidelem ipse dijudicavit, neque eamdem ad sæcularem Judicem rejecit.

Probatur VIII. *ex cap. super eo de cogn. spir.* ibi: *Pontificali auctoritate non differas eos separare.*

Probatur VIIII. *ex cap. tua fraternitati de Procur.* ubi pœna divortii petitur a Judice Ecclesiastico. Hæc satis; jam audiamus, quæ contra opponi possunt.

Primo itaque expendi potest elegans historia. Eudoxia Valentiniani III. uxor olim, sive soror, vidua relicta, cum nupsisset Hunerico Vandalorum Regi, orto causa Hunerici dissidio, ipsa veræ pietatis cultrix, iri impietatem pertęsa, votum simulans Hyerosolymam petiit, ubi vita excessit; narrat *Sabell L. 2. Enneis.*

Atque adeo infertur, propria auctoritate conjugem ad loca sancta Palestinæ invisenda posse conjugem omittere, quod probat ad rem nostram 92 mirificè Textus *in cap. ex multa 6. in tanta de .. voto* ibi: in tanta quoque necessitate populi .. Christiani, ne terrę sanctæ impediatur subsi- .. dium, viri præter uxorum assensum hujus pe- .. regrinationis propositum vovere libere valent.

Resp. Id viro concedi, si in subsidium terræ sanctæ migratio hujusmodi prodesse valeat; spectatur enim bonum publicum, neque impeditur uxor sequi virum. At si peregrinatio esset 93 solius causa pietatis, ut nunc contingit, vir non gauderet hoc privilegio, sed necessarius esset uxoris consensus, ad votum exequendum; docet Sanchez L. 9. *de deb. con. Disp. 5. q. 1. n. 16.* quidquid contra afferat *Lancellottus hoc Tit. de divort. in glos.* vir enim non potest a sua uxore separari, *can. sunt qui 27 q. 2. cap. quod Deo 33. q. 5. cap. non est de spons.*

Vir potest ab uxore modico tempore non tamen diutius abesse, *cap. 1. de con. lepros.* Quod 94 tamen ex absentiæ causis pendet arbitrio prudentis considerandis, & incontinentiæ periculo, ut *DD. ad illum Textum* docent. Imo absque consensu uxoris vir poterit brevem peregrinationem vovere, *Sanchez, ubi supra.* 95

Ut verò eo, quo spectat sermo, revertamur;

cum hæc ita sint, cum hic casus sit specialissimus, ex permissione, auctoritateque Ecclesiastica concessus, potius infertur, hanc quoque separationem ab uxore contingere auctoritate Ecclesiastica.

96 Secundo Obiicitur Textus *in cap. significasti de divort.*, ibi: *uxore sua sine Judicio Ecclesiæ dimissa*.

Mire torquentur in interpetratione hujus Textus Scriptores nostri.

Imò difficultati succubuerunt *Præpos. Alex. in in eo Textu Alexand. de Nevo n. 10. de spons. Catellian. in suis memorial. in verbo uxor*, *Surdus de Aliment. Tit. 7. q. 16. n. 16. Sanchez de Matr. L. 10. disp. 12. q. 2. n. 12. Fachin. L. 8. Contr. cap. 10. vers. ad secundum*. Labor est, alios enumerare.

Eo igitur devenerunt, ut concederent ultrò, ob adulterium notorium posse virum propria auctoritate ab uxore discedere. Ita Ventriglia in praxi *Tomo 1. Annot. 10. §. 1. n. 22. & seq.* Ego verò, si hic est communis sensus adducti Textus juxta praxim, praxim admittam. Si verò ex me quæritur, quid sentiam, juxta Theoresim, negó, id haberi in adducta constitutione. Nego, Textum asserere, quòd marito liceat sine judicio Ecclesiæ adulteram notoriam relinquere.

Hoc ait Textus: virum sine judicio Ecclesiæ dimisisse uxorem. An licite? Imo ait, exitum hujus inconsultæ separationis fuisse infaustum, quia uxor adulterium postea perpetravit, cui causam dedisse videtur suæ temeritate vir, qui, si Ecclesiæ judicio separationem peregisset, periculis ipsa prospexisset, dum iustam discedendi causam novisset, aut virum, nunquam permisisset, eam injustè devitare. Videat lector, an hic sit casus Textus, tum inferat, si potest, quod a præcitatis auctoribus infertur.

Non obstat III. Textus in *cap. ex parte de spons.* ibi: *quia nemini licet uxorem sine manifesta causa fornicationis dimittere; ergo &c.*

Resp. non tamen omitti posse præcedentem Judicis Ecclesiastici auctoritatem, neque de hac omissione Textum disserere. A nobis tamen ex tam multis auctoritatibus in confirmationem adductis, est supplendum, *L. nam ut ait Pedius, L. non est novum, ff. de Leg.*

97 Obiicitur IV. Ratio, cur auctoritas Judicis Ecclesiastici exigatur, est arcere scandala, sed cum crimen notorium est, scandala cessant, quod argumentum est Turrecrematæ *32. q. 7. in Summa. Patet ex can. manifesta, & seq. 2. q. 1.*

Resp. ponderando Textum in *can. dicit Dominus 32. q. 7.* ibi: *ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur uxor.* En Textum, in quo suspicio fornicationis, sive adulterii uxoris comparatur notoriæ fornicationi, & decernitur, liberè uxorem esse dimittendam. Quis tamen dixerit *libere*, quando sola occurrit suspicio, uxorem esse dimittendam, hoc est sine auctoritate Judicis Ecclesiastici? Nemo, ut abitror. Ergò parum refert, an notorium sit adulterium, vel de eo solùm habeatur suspicio, an sine scandalo dimittatur uxor, vel cum scandalo: semper exigitur auctoritas Judicis Ecclesiastici. Neque enim ratio uxorem adulteram dimittendi, est solum vitare scandala; sed præcipua est, ne temere, ne injuste uxor dimittatur. Temere autèm, et injuste dimittitur, cum quis sibi jus dicere vult, contra Textum *L. 1. C. ut nemo in sua causa*, *L. si quis in tantùm C. unde vi*. Imo adverbium *liberè*, aliquandò denotat Juris solemnitatem, nec eam excludit, *L. si quando C. de Inoff. cap. 1. de rescript.*

Obiicitur V. Mixti fori est judicium separationis. Probatur. Nam cum ob adulterium dos amittatur, pœna hęc & a Jure Civili imponitur *in L. vir. C. de rep. in L. jubemus §. inter culpas C. cod. & a Iure Canonico in cap. ex parte de conf. in cap. plerumque de don. inter vir. & ux.* cumque ob adulterium pęna in Monasterium detrusionis imponatur; pęna hæc & a Jure Civili imponitur in *Auth. sed hodie C. ad L. Iul. de ad.* & a Jure Canonico *in cap. gaudeamus de conv. con. in can. fraternitatis dist. 34.*

Ergò mixti fori est judicium separationis, quoniam utroque Jure punitur. Executor enim Juris Civilis est Judex sæcularis; executor Juris Canonici est Ecclesiasticus; ergò locus erit præventioni. Quod confirmatur ex *can. Rex debet 23. q. 5.* ubi: *Rex quoque debet adulteria punire.*

Resp., maritum pœnam divortii, seu separationis non posse petere, nisi coram Judice Ecclesiastico, ceteræ vero pœnæ mixti fori sunt, & de ceteris pęnis procedit oppositio. Quæ sententia est Fermosini in *cap. cum sit generale de foro comp. Canisii in cap. tua de Procur. Ansaldi P. 4. de Iuris. Tit. 4. cap 1. Marthæ cap. 14. de Iurisd. n. 10. P. 2. Capic. Galeott. Cont. 61. L. 2.* 98

Et quod attinet ad pœnam detrusionis in Monasterium, quoniam hic locus postulat, ut de ea tractemus, sciendum est, in delicta lapsos tam Clericos, quàm Laicos pænitentiæ peragendę causa in Monasteria solitos fuisse detrudi, *cap. si quis, can. si ille dist. 50. cap. inter de purg. can. can. puelle 20. q. 1. cap. viduas can. si qua monacharum, can. pervenit 27. q. 1.* Et in specie de uxoribus adulteris Textus *in cap. 2. de ad. in cap. gaudemus de conversi. coniug.* 99

Ratio autem hæc est, quia Jus Canonicum nunquam mortis pœnam infligit; cum tamen contendat delinquentes a scelere revocare, atque in iter, a quo aberrarunt, reducere; proinde Monasteriorum pœnam adinvenit, expectans, si has inter moras vivendi inclusum peccasse pæniteret, notat *Petrus Gregor. L. 31. cap. 31. in Syntagm.* Attamen non ideò, quod in pœnam Monasterio quis includitur, Monachus fit, ut probat *Gonz. in cap. 1. de reg.*; nos diximus hac de re supra *L. 1. ad Tit. de Reg.*

Hæc pœna detrusionis, quod abierit in desuetudi-

100 tudinem in tam multis delictis, quodque ejus loco successerit pœna pecuniaria, testatur *Farinace. q. 119. n. 15. Thesaurus de pœnis Eccl. vers. confessio p. 2. cap. 4.*

(*u*) *Penes.*

Filii post divortium a quo alantur?

Filii, secuto divortio, penes conjugem innocentem remanebunt expensis ejus, qui causam divortio dedit.

Et quidem de Jure *Codicis ex L. Un. C. de divort. facto*, ita decisum est: *Competens Judex æstimabit, utrum apud patrem, an apud matrem, Matr. separato, filii morari, ac nutriri debeant.* Ita ut soboles major triennio esse debeat apud patrem, minor verò apud matrem, *L. nec filium C. de patr. pot.*

Sed hoc Ius correctum fuit ex *Auth. ut liceat matr. & aviæ §. illud Coll. 8.* undè sumitur *Auth. si pater C. de divort. fact.* ubi: apud innocentem conjugem filii remanebunt.

Sed cum distinctione procedendum. Si enim
101 vir innocens sit hæreticus; mater catholica, filii apud matrem remaneant, *cap. fin. de convers. con.*

Si uxor haud innocens est locuples, vir pauper filii apud matrem remanent, *d. Auth.* ut ab ea alantur, ibi: *nisi pater minus idoneus sit.*

Sed quid dicendum de alimentis uxori præ-
102 standis, vel non secuta separatione?

Distinguendum. Si propter adulterium uxor a viro separata est, ei non debentur alimenta. *Afflictus decis. 10; Farin. q. 142. n. 42.* E contra si uxor recedat a viro retinente concubinam, potest petere alimenta, vel fructus dotis ad sui electionem, *Ursillus ad Afflictum, Anton. de Luca ad Ventrigliam Tom. 1. praxis, annot. 10. §. 1.* Si uxor a viro temere discessit, non habet actionem ad alimenta, *Surd. de al. Tit. 7. q. 26. Reg. Galeott. L. 2. Contr. 65. n. 47.*

Vir enim solum obligatur alimenta uxori præstare in propria domo, *L. consensu C. de rep. L. sicut ff. de oper. lib. L. Mævia §. fin. ff. de ann. Leg.* Si vir dederit causam discessioni, eam alere tenetur, *Ventriglia Annot. 9. §. 2. in praxi* - Si vir dederit culpam discessui, non tamen adhuc receperit dotem, non tenetur alimenta præstare, *L. fin. C. ad Vell. Ventr. ubi supra n. 6.*

(*x*) *Dos.*

De dotis restitutione.

Secuto divortio dos uxori restituitur. Id quomodo accipiatur, audi ex verbis Textus *in cap. 1. de don. inter vir. & uxor.* ibi: *Mulieres ve-*
103 *rò, cum pro aliqua licita causa a propriis viris fuerint separatæ, totam dotem, præcipimus, sibi reddi.* Audi etiam hujus Textus veras interpretationes.

I. Iusta causa divertendi a viro est detectum impedimentum dirimens; tunc dos est uxori restituenda, ut ipsa alteri nubat dotis enim causa præcipua est, *L. 1. ff. sol. Matr.* ut sobole civitas repleatur.

II Iusta causa divertendi a viro est sævitia, aut adulterium, aut lepra, *cap. literas de rest. spol. cap. 2. de conjug. lepros.* cum ergò sine culpa divertentis separatio fit, dos illi restituitur, notat *Gonz. in not. ad cap. 1. de don. inter vir. & uxor. n. 3*

III. Causa esse potest dissolutio quoad vinculum, cum, Matrimonio adhuc non consumato, uxor ingreditur Religionem: dos illi restituitur.

IV. Causa est dissolutio Matrimonii, cum ex duobus conjugibus alter baptizatur, alter verò sine contumelia Creatoris cohabitare recusat.

His omnibus casibus uxori dos est restituenda, ita tamen, ut maritus solvat in quantum facere potest, *L. Patroni 17. L. non tantum 20. ff. de re jud. L. maritum 11. ff. sol. Matr.* - Ratio est, nam dos datur ob onera Matrimonii, *L. pro oneribus C. de jure dot.* Matrimonii oneribus cessantibus, & dos cesset, necesse est, *L. 2. & 3. C. de Jur. dot. cap. cum cessante de appell.* -Dominium namque dotis apud maritum existens est revocabile, *cap. mulier de jur. jur.*


Ideò decernitur, ut, soluto Matrimonio ob hæresim mariti, dos ad Fiscum non spectet, 104
ex Textu valde singulari in *cap. decrevit de hær. in 6.* ad differentiam legitimæ filiorum, quæ ad fiscum Ecclesiæ devolvitur ob hæresim Patris, *cap. vergentis de hær.* Attamen Textus *in cap. decrevit*, intelligitur, nisi tempore Nuptiarum uxor consenserit, virum hæreticum accipere, quo casu dos confiscatur. *Gonzal. in cap. 1. de don. inter vir. n. 14.*

Hactenus de viro adultero -

Sed è contrario, si uxor adultera fuerit, ipsa dotem amittit, *cap. ex parte de conf. cap. 1. ut lite non cont. L. jubemus 11. §. 1. C. de Rep. L. nubes §. socer ff. ad L. Jul. de ad. latissime Gonz. in cap. 4. de don. inter vir. & uxorem.*

Ratio est, quia maritus injuriam gravissimam ab uxore accepit; et saltem æquum est, se hoc habere solatium, ut dotem acquirat; quę dotis amissio ob adulterium antiquissima est, ut patet ex Vulcani sermone apud Homerum in Odyssea.

Vincula dura, sed hos strictè dolusque tenebunt.
Donec cuncta mihi genitor mea munera reddat.



DE ECCLESIIS
ÆDIFICANDIS, CONSECRANDIS, REPURGANDIS, REFICIENDIS.

TITULUS XX.



Acramenta, quorum institutio, quorum substantia, quorum vis admirabilis innotuit, non sub dio, non profanis [*a*] in locis, vel conficienda, vel administranda sunt. Ganniant, ut libet, hæretici, (*b*) osores, corruptoresque Ecclesiasticæ disciplinę, nullam Ecclesiarum esse necessitatem, contendentes: Nulla ipsorum habeatur ratio. Construantur Ecclesiæ, consecrentur, repurgentur, reficiantur. [*c*)

Ad constructionem quod attinet, locus, auctoritas, forma sunt observanda. Locum ab omnium dominio exemptum esse, oportet. [*d*) Quod si in solo alieno ædificatum sit, ob favorem Ecclesię solum ædificio cedit, *can. quæsti* 17. *q.* 4. Quamquam possit compelli Dominus ad hunc laudabilissimum, piissimumque finem, solum vendere. [*e*] Qui verò solum concedunt, acquirunt (*f*) Jus Patronatus, etiam si id sibi non reservaverint. Ceterum curandum est, ne cum alterius incommodo ædificetur; alioquin, quod extructum fuerit, (*g*) diruendum est, *cap.* 2. *de nov. oper. nunc.* Auctoritàs deinceps Episcopi requiritur. [*h*] Sine Episcopi auctoritate qui ędificat, Jure Patronatus [*i*) privatur. Ejus est prospicere, ne qui ædificat, quęstus cupiditate id faciat, (*k*) ne, si pia voluntate hęredibus id fuerit onus injunctum, ultra annum differatur, (*l*] ne nova Ecclesia dote careat, alioquin ipse Episcopus exemplo ordinatorum sine titulo, providere teneretur. [*m*] Quę auctoritas ad Oratoria etiam construenda necessaria est. In privatis Oratoriis nullus Sacerdos Missam inconsulto Pontifice poterit celebrare. Imò Oratoria intra limites Parœciæ, inaudito Parocho, ædificari (*n*] nequeunt, neq. in eis campana ad convocandum populum (*o*] imponi, invito eodem Parocho. Quin etiam ipse poterit, id si fuerit attentatum, novum opus coram Judice competente [*p*) nunciare. Addo nonnumquam Pontificis auctoritatem esse necessariam, ut ad Basilicas ædificandas, (*q*) aut Ecclesias in locis exemptis; (*r*) et olim semper erat necessaria [*s*) *can. Basilicas*, *in can. certum est*, *in can. Ecclesia de cons. dist.* 1. Forma etiam nullatenus omittenda. Quæris in quo forma posita sit? Jam dicam. Pridie

die lignea crux in loco figitur, ubi Altare esse debet. Postridie quadratus lapis, & angularis a Pontifice aqua benedicta aspergitur, identidem cultro ipse imprimit in eo crucis signa, variisque effusis præcibus eundem jacit in fundamenta, quæ sacro latice relligiosè perfunduntur. Ecclesię partes olim quatuor fuere, Porticus, Atrium, Sancta, & Sancta Sanctorum; nunc autem Porticus, & Atrii sublata necessitas, nec opus est, Ecclesias ad Orientem respicere. [*u*)

Ad consecrationem quod pertinet, Relligione devincitur, dedicaturve ædificium variis ritibus, precibusque, *cap.* 1. *cap. Ecclesias* 13. *cap. omnes de cons. dist.* 1. ac tum dicitur consecratum, cum et Cruces duodecim in parietibus depictę, & Altare fuerit Chrismate delinitum. (*x*) Si propter Ecclesiæ positum, præscriptæ omnes solemnitates servari nequeunt, omitti possunt, ità decidit Sacra Congregatio rituum, *in Cortonen.* 17. *Julii* 1604. *& in Asten.* 24. *Sept.* 1605. *&* 27. *Septemb.* 1608. Omnes Basilicæ cum Missa debent consecrari. At in hoc posita non est substantia consecrationis. (*y*] Item, & Relliquiæ Sancti Martyris ponendę (*z*] ut Ecclesia in sanguine alicujus consecrata dicatur, *can. quamvis* 21. *dist. can. sacro, dist.* 16. *can. placuit de cons. dist.* 1. Sed neque Relliquiæ sunt de substantia consecrationis, (*aa*] *can. altaria de cons. dist.* 1. *Stuchius in notis ad Arrianum fol.* 75. Nec non deceret, Ecclesiam die festo consecrari, *cap.* 2. *de consecr. Eccl.* At neque hoc ad substantiam pertinet consecrationis. (*bb*) Neque Agapes [*cc*] quidquam habent necessitatis in dedicatione Ecclesię, imò ob magnas impensas sublatæ fuerunt. Illud tamèn est necessarium, ut Ecclesia ab Episcopo dedicetur: ab Episcopo, inquam; Nec enìm Presbyter sufficit; nisi a Romano Pontifice deputetur, (*dd*) Ceterum, Sede Pontificia vacante, Ecclesię non consecrantur etiam ab Episcopo. [*ee*) Abbates, & Pręlati regulares, licèt facultate careant Ecclesias consecrandi, eas tamèn solemni ritu benedicere non prohibentur, ut concessisse, perhibetur, Leo X. & Honorius IV. [*ff*) Peractæ autèm consecrationis dies, singulis annis solemnitèr est celebrandus, (*gg*) *can. solemnitates de cons. dist.* 1. nec festivitas in alium diem (*gg*] converti potest, ut decrevit *Congregatio rit. in Arim.* 16. *Oct.* 1604.

Ecclesia semel consecrata novam excludit consecrationem, *can. Ecclesiis de cons. dist.* 1. Quid si hæc ritu Græco iampridem consecrata, ad Romanam Ecclesiam redierit? Sacra Congregatio Concilii *die* 16 *Decemb.* 1602. non esse hanc iterum consecrandam, censuit, si consecrator fidem S. Trinitatis tenuerit. Quid si non constet de consecratione? Poterit Ecclesia libere consecrari, *can. solemnitates can. Ecclesiæ de cons. dist.* 1. Quid si in actu consecrationis improviso moriatur Episcopus? Inchoandam iterum consecrationem, declaravit *Sacra Congregatio rit. die* 11. *Apr.* (*ii*) *anno* 1614.

Ad

Ad repurgationem quod spectat; Ecclesię repurgantur, quæ fuerint profanatę, ac violatę, quæ repurgatio ob effectum mundandi per aspersionem, in Jure etiam lato modo consecratio vocatur, *can. si motum* 19. *de consf. dist.* 1. *cap. proposuisti de consf. Eccl. can. Ecclesiis de consf. dist.* 1. Violantur (*ll*) autem Ecclesiæ, sive mors violenta inferatur in Ecclesia, *can. Ecclesiis* 68. *dist. cap. proposuisti de consf. Eccl.* sive abundanter sanguis effundatur, *can. revertimini* 16. *q.* 1. sive humano semine contaminetur, *cap. un. de consf. Ecc. in* 6. sive excomunicato sepultura detur, *cap. consuluisti de consf. Alt.* sive infideli, *can. Ecclesiam de consf. dist.* 1.

Quis verò, & quo modo repurgare Ecclesiam debeat jam est perscrutandum. Reconciliatio adeò solis Episcopis competit, ut eamdem ne Vicarius quidem exequi valeat, nec quivis Episcopus ad id accedet, sed solum Ordinarius, *Sacra Congregatio rit. in Aret.* 9. *Apr.* 1633. *ex cap. proposuisti ex cap. aqua de consf. Ecc.* Poterunt tamèn Abbates, & Prælati regulares suas Ecclesias quomodocumque violatas reconciliare aqua prius per Episcopum sacrata, & si Episcopus per duas dietas distaverit, ipsis integrum est aquam sacrare, ut Leo X. & Julius indulserunt, teste *Tamburino de jure Abb. Tom.* 1. *disp.* 23. *q.* 10.

Imo et nonnumquam Presbyter simplex aqua per Episcopum exorcizata reconciliare potest, sed observetur, quid dicam, reconciliare potest Ecclesiam non consecratam, & cæmeteria illa, quæ solum benedicuntur, *argum. Text. in cap. inter ceteras de rescr. cap. in causis de re jud. Leon in Thes. P.* 1. *cap.* 5. *n.* 10.

Is verò, qui debet reconciliare, accedet ad locum sacrum expensis ejus qui violavit Ecclesiam, *argum. Text. in L.* 1. *ff. de eo per quem fact.* Quod si, quis ità deliquerit, ignoretur, Parochus, aut, si is pauper sit, Parochiani ad reconciliandam Parochialem Ecclesiam impensam facient, & in defectum omnium, repurgatio sumptibus fiet Episcopi *Leonius, ubi supra n.* 28.

Quomodo autem sit Ecclesia repurganda, decrevere canones; non enim Chrismate rursus inungenda est; sed resurgit Ecclesiæ pura simplicitas, candorque resurgit, abigiturque immunditia, per aspersionem aquæ, quę vino, sale sit, & cinere permixta, quęque hyssopi herba perfundatur, dum circuit Ecclesiam Episcopus, & præcipuè locum contaminatum aspergit. Olìm (*mm*] rursus consecrabatur Ecclesia polluta.

Tandèm de reficiendis Ecclesiis differendum. Res ita se habet. Parochialis Ecclesiæ restauratio (*nn*] ad Parochum pertinet, ex fructibus tamèn *Trid. sess.* 21 *cap.* 7. *de Ref.* qui supersunt, detractis alimentis, *cap. de his, de Eccl. ædif.* ac propterea *Sacra Congregatio ad eumdem locum Conc.* declaravit, non esse pro reparatione sequestrandos fructus ad victum Parochi necessarios. (*oo*] Quod si plures sint ejusdem Ecclesię Beneficiati

om-

omnes pro rata fructuum ad reparationem tenentur, ne excepto quidem pensionario. (*pp*) Sed finge, nullos fructus necessitatem victus excedere; quid Juris in hoc casu? Tenentur ad reparandam Ecclesiam Patroni, (*qq*] *Con. Trid. ib.* Finge iterùm, Patronos etiam esse pauperes: tunc compelluntur, Parochiani *(rr) can. quatuor* 12. *q.* 2. *can. si Monachus* 16. *q.* 1. Ergò pro rata sui (*ss*) æstimi conferent, *L. omnes C. de oper. pub. fac.* Quid si et ipsi Parochiani egestate laborent? Ultimum (*tt*] remedium est, ut Episcopus indigentem reparatione Ecclesiam transferat ad Ecclesiam matricem, seu viciniorem cum facultate, erecta ibi Cruce, eamdem in prophanos usus, non sordidos convertendi, *Trid. ib.* aut si tota destruatur (*uu*) materia inde redacta ad usus prophanos, non sordidos vendi poterit, ut declaravit sacra Congregatio *apud Genuens. in praxi*.

Cathedralis Ecclesiæ reparatio ad Episcopum spectat, ex quarta parte fructuum. Si hæc non sufficiat, Canonici contribuent, *cap. fin. de his, quæ fiunt*. In subsidium compelluntur Clerici [*xx*) inferiores.

SUMMARIUM.

1 IN Ecclesiis sacrificandum, & Sacramenta tantum administranda.
2 Pœna Sacerdotis extra Ecclesiam sacrificantis.
3 Olim super monumenta in campum ministeria portabantur ex quorundam abusu.
6 Historia de Normannis, Sclavis, & Ungaris.
7 Probatur, laudabilem esse Ecclesiarum structuram.
8 Argumentum quandoque optimum a moribus Æthnicorum.
9 An unquam sub dio licuerit celebrare?
10 An id licitum sit, qui mare navigant?
11 Melius est non celebrare, quàm celebrare sub dio.
12 Historica disquisitio, quinam haretici constructionem Ecclesiarum improbarint?
13 Ubi nam olim Christiani orarent?
14 Crypta quid essent?
15 Ex historia explicatur canon difficilis.
16 Quid sit in Iure compensas *facere?*
17 Inter arbores olim sacriva fiebant ex abusu quodam.
18 Prima Ecclesia in Hispania a D. Jacobo Virgini adhuc viventi dedicata.
19 Elegans notitia de Basilicis Apostolorum, cur in Iure limina *dicantur, & explicantur varii Canones.*
20 Superfundo subiecto fidei commisso Ecclesia construi non potest.
21 Quod verum est, nisi fundus in quartam imputari possit.
22 Ad Ecclesiam adificandam Dominus vendere compellitur.
23 Quid olim esset Syconitum.
24 Ædificium, a Relligiosis altius tolli non potest in prajudicium Monialium.
25 Princeps potest Dominum cogere ad vendendum, construendi causa Ecclesiam.
25 Limitatio notabilis, quando quis cogi ad vendendum non possit pro constructione Ecclesia.
26 Jus Patronatus ab adificantibus Ecclesias acquiritur.
27 Acquiritur hoc Jus Patronatus, licet in constructione non reservetur.
28 Olim Jus Patronatus ob fundationem Ecclesia non acquirebatur.
29 Quid olim esset processio.
30 Refellitur Gonzalez interpretatio.
31 Origo Juris Patronatus.
32 In quo sit positum Jus Patronatus?
33 Disputatur ad usum scolastica exercitationis aliqua novitate, an Ecclesia adificata cum alterius prajudicio diruenda sit?
34 Vera sententia, quod Ecclesia sit diruenda.
35 Effectus nunciationis novi operis.
36 Solvuntur Obiecta.
37 Quibus casibus adificium diruendum sit.
38 Quid sit adificare ad amulationem.
39 Explicatur Textus in can. placuit de cons. dist. 1.
40 Singularis doctrina, quomodo Ecclesia sit alteri Ecclesia prajudicialis.
41 De spatio inter unam Ecclesiam, & aliam.
42 Singularis interpetratio Textus in L. maniana C. de Æd. priv.
43 Elegans adnotatio de Legibus Codicis, qua amplius non attenduntur.
44 Quanam spatia in adificiis Sacris nunc observentur.
45 An Oratorium in prajudicium Oratorii constru-

122 Quid

122 *Quid essent Agapes.*
123 *An Presbyter Ecclesiam consecrare possit? Varii canones explicantur.*
125 *Prælati regulares an consecrare possint Ecclesias.*
126 *Æncenia quid essent.*
127 *Festum dedicationis an mutari possit.*
128 *Quandonam Ecclesia dicatur violata.*
129 *Excommunicantur humantes in Ecclesia, qui sepultura carent.*
130 *Id intelligitur de excommunicatis denunciatis.*
131 *Ecclesia occupata ab hæreticis sunt reconcilianda.*
132 *Olim Ecclesia prius reconciliabantur, postea iterum consecrabantur.*
133 *Dissertatio ad notitiam Canonum antiquorum circa reparationem Ecclesia.*
134 *Distinguitur tertia pro fabrica ab alia tertia, quamquam utraque spectaret ad Episcopum.*
136 *Quid significet, omnes Beneficiatos teneri ad reparationem Ecclesia.*
137 *Quandonam Patroni teneantur restaurare Ecclesiam.*
138 *Quandonam reficere Ecclesiam populus obstringatur.*
139 *Quid sit æstimum.*
140 *Populus pro rata æstimi sarcire Ecclesiam obligatur.*
141 *Ecclesia, quæ reparari non potest, transferenda est ad Ecclesiam matricem.*
142 *Quo casu cœmeterium prophanandum est, & quomodo.*
143 *Ecclesia Cathedralis translatio per Pontificem facienda.*
144 *Ecclesia irreparabilis penitus est diruenda.*
145 *In subsidium Clerici ad reparationem Cathedralis Ecclesia contribuunt.*
146 *Pro reparatione tertia pars fructuum est hypothecata.*

EXPLICATIONES.

[a) Non &c.

DISSERTATIO I.

In qua ostenditur, extra Ecclesiam Sacramenta nec confici, nec administrari posse.

SI Judæi loca, in quibus sacrificabant Domino, Divinis habebant supplicationibus consecrata: nec in aliis, quàm Deo dicatis locis, munera Domino offerebant, & qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant; multò magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per Jesum Christum data est, non in aliis locis, quàm in Domino sacratis Sacramenta, vel conficere, vel administrare, vel Missas celebra-
1 re, & Sacrificia offerre debemus; sic habetur in *can. tabernaculum de consf. dist.* 1. consonat Tex-
tus *in can. Missarum ib.* Pæna Sacerdotis extra
2 Ecclesiam celebrantis erat degradatio, *can. nullus de cons. dist.* 1. Et peccatum grave est aliis in locis sacrificare, *can. hic ergo ib.*

Olim quidam irrepserat abusus super monumenta in campum ministeria portandi, aut di-
3 stribuere Sacramenta, imò & prandia ad defunctorum sepulchra deferendi, & sacrificandi mortuis. Clerici sic agentes ignari, & præsumptores dicuntur *in can. non oportet de cons. dist.* 1.

Normanni, Sclavi, & Ungari, cum tempo-
4 re Concilii Triburiensis Ecclesias incendissent, & combussissent; non tamen permittebatur sub dio celebrare, sed in Capellis cum tabula consecrata; quæ historia narratur, *in can. concedimus de cons. dist.* 1.

D. Joannes Chrysostom. *homilia* 18. *in Act. Apost.* multis argumentis ædificationem suadet
5 Ecclesiarum. Præter alia hæc ait: *Quid magis mirandum, quod alii extruunt clara sepulchra, ut posteri audiant, quod ille construxit, an quod, tu Ecclesias excitas? Cogita, quod usque ad Christi adventum mercedem habiturus sis, qui Altare Dei excitaturus es. Dic enim, oro, si Rex tibi præcepisset domum extruere, ut illic habitet, nonne omnia fecisses? Nunc igitur Regia est Christi Ecclesia constructio; ne sumptum spectes, sed fructum computa &c.*

Etsi enim variæ gentes censuerint, Templa non esse ædificanda, ne Deos intra parietum ambitum includerent, quos refert *Majol. dier. Canicul. verbo vaticinia, pag.* 357. quo in numero Persæ fuerunt, apud quos neque Templa, neque statuas, neque aras extruere, consuetudo erat: quinimmò his auctoribus, Xerses inflammasse Templa Graciæ, dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera, ut refert *Cicero L.* 2. *de Leg.* Quarè in mores illorum positum fuisse editissimis quibusque conscensis montibus orare, Herodotus affirmat *L.* 1. Attamen aliç melioribus institutis viventes Nationes Templa Diis ædificarunt. Epimenides Cretensis primus omnium Templum extruxit, ut auctor est *Diogenes* L. 1. Herodotus verò Ægyptios primos Diis delubra statuisse, Arnobius narrat *L.* 6. *advers. gentes.* In Hispania annos ducentos ante excidium Troiæ Templum fuisse Dianæ sacratum, refert Plinius *L.* 16. *cap.* 40. Romani, & eorum Provinciales jam a temporibus Numæ Pompilij Templa, Fana, Delubra, Sacella, lucosque variis Diis dedicarunt, & in eis aram, & Altare: hoc tamen discrimine, ut ara, & Altare Diis superis, & inferis erigeretur; Altare verò solum superis: *Macrobius L.* 3. *Saturn. cap.* 6. & de his Templis plura Gutherus

 de Jure

de Jure Pontif. L. 3. cap. 1. & seq.

Si Gentiles de erectione Templorum tam erant
6 solliciti, quanto magis id convenit iis, qui
Christiana Relligione censentur; quod argumentum optimum est, *can. Imperatores 22. q. 3. can. quando 23. q. 4. can. dilectissimus 12. q. 1. can. non oportet dist. 81.*

Nihilominus aliquandò potest tolerari, ac permitti, ut sub dio Missarum solemnia celebren-
9 tur. En canonem adducentem casum notabilem, nempe Textum *in can. concedimus de cons. dist. 1.* ibi: „In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, ceteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari, concedimus.

Hinc praxis docet, iis, qui mare navigant, cum ad scopulum pervenerint, ibi Missam ce-
10 lebrari, quod permissum id videatur auctoritate prædicti Canonis, modis ab eo præscriptis nullatenus prætermissis; nos etiam hac de re plura diximus *in explic. ad Tit. de Sacram. Euch. hoc Lib. n. 117.*

Potest et Baptismus, & Pœnitentia valide extra Ecclesiam conferri; decentius tamen in ipsa Ecclesia, quàm alibi, *Clem. un. de Bapt.*

Regula tamen est consona disciplinæ Ecclesiasticæ, tantùm in sacratis locis Missas celebrandas: Felix IV. *in epist. ad omnes Episc.* ait, præstare, Presbyteros cessare a celebratione, & populum a cooperatione Missarum, quam ut in non dedicato loco id tentetur; citatur, a Burchard. *L. 3. cap. 57. & 58.* Citatur etiam Concilii Græci *Laodiceni cap. 59.* ubi in domibus fieri tam ab ab Episcopis, quàm Presbyteris prohibetur Sacrificium. *Et Clem. 2. cap. 22.* vetat, sacrificari, ubi non præcesserit consecratio. Et Ignatius *epist. 7.* quæ est ad Smirnæos, eadem vetita a Clemente vetat. Illis autèm Auctoribus, quid vel antiquius, vel fide dignius? vel incorruptius? Exemplum D. Augustini L. 22. *de Civit. Dei cap. 8.* supponit, præcessisse licentiam Episcopi, *Cabass. ad can. 58. Concil. Laod.*

(b) Hæretici &c.

DISSERTATIO II.

In qua proponitur, quinam hæretici constructionem Ecclesiarum improbarint?

Partem hanc explicationis historia sibi vindicat. Fuerunt hæretici Templorum constructioni futili ratione sese opponentes. Faustus apud Augustinum *L. 20. cap. 3. & 4.* Objicit Catho-
12 licis, quod haberent Templa, & Altaria more Gentium. Is verò erat ex Manichæis, qui Ecclesias oderant, tamquam malum. Manichæos secuti Messaliani, qui Templa omnia, & Altaria execrabantur, solùm privatis in domibus Deum orantes, ut est apud Damascenum *Lib. de Cent. hær.* Eodem fere tempore Eusthatius Templa omnia, & præcipuè Martyrum detestabatur, teste *Socrate L. 2. hist. cap. 33.* Petrobrusiani Templa destruebant; novas eorum fabricas irridebant, *auctor vitæ S. Bernardi L. 3. cap. 5.* Idem sibi persuaserunt Albigenses, Templa non esse extruenda, ut refert *Bernardus Luzemburg. in cathalog.* Idem VValdenses apud *Claudium Coussordium L. contra VValdenses cap. 6.* Idem VVicleffistæ, *Thomas VValdensis Tom. 3. Tit. 17. & 22.* Idem Taboritæ, *Æneas Sylvius de orig. Boem. cap. 35.* Idem Anabaptistæ Transylvani, *in Antithesibus Christi veri, & Christi falsi editis Abba Julia anno 1568.*

Lutherani, & Calvinistæ admittunt Templa, sed solum ad concionandum, non verò adorandum, non ad honorem Sanctorum; reprehendunt consecrationem eorundem certo ritu factam, reprehendunt ornatus; et Magdeburgenses *Cent. 4. cap. 4. col. 407.* multa effutiunt contra ritus Ecclesias consecrandi, quæ refellit Bellarminus *L. 3. de cultu Sanct. cap. 1.*

Extat elegans homilia D. Joan. Chrysostomi III. contra Anomæos, ait enim: „Sed o frigidam excusationem excusandi, quam a compluribus reddi, audio. Orare vel domi possumus, dicunt, sed homiliam, doctrinamque audire, non nisi in Ecclesia, possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris; nam si et domi quoque, datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam benè ores, quàm in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate exitus ad Deum immortalem refertur; non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores; præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in Cælum evehantur.

Plures alias auctoritates ad explodendos errores hæreticorum congerit *Gonzales in cap. 1. de cons. Eccl. Galenus Vesteapelius* de Sacrificio Missæ, *cap. 23. Bonarsius L. 3. de Or. cap. 10. Bellarminus supra citatus, aliique controversistæ.*

Ejusdem impietatis assertor fuit Petrus de Bruis, qui in Provinciis Arelatensi, Novempopulana, & aliis contiguis, eumdem errorem aliis commixtum impiè seminavit, asserens, Templa, & Ecclesias esse diruendas, neque necessaria Christianis sacra loca ad adorandum; qui dignum impietate sua finem consecutus, apud Sanctum Ægidium a fidelibus igne crematus est; narrat *Spondanus ad Baron. ann. 1126. n. 6.*

[c] Construantur &c.

DISSERTATIO III.

Ubinam olim Christiani morarentur ad orandum & de quibusdam constructionibus Ecclesiarum.

Sævientibus persecutionibus, Fideles in cryp- 13

ris ad Sacra Mysteria conveniebant; ibi sacræ Synaxes, supra mensam, seu tumbam, quæ corpus Martyris tegeret, offerebantur, elegans locus Prudentii *Perisleph. hymn.* 11. *de S. Hypp.*

Haud procul extremo culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus, luce latente, docet.

(& infra)

Talibus Hippoliti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita.
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulchro,
Poscit item Sanctis Tybricolas dapibus.

Erant igitur cryptæ speluncæ effossæ, exca-
14 vatis loculis in lateribus fornices sostinentibus, ut fidem faciunt Romæ amplissima subterranea cęmeteria, multis, atque diversis viis, & vicolis, atque angiportubus, & foris distincta. Obstupuitque Roma, cum in suis suburbiis, abditas se, novit, habere civitates, de quibus D. Hieronym. *in Ezech.* 40. Hæc cęmeteria erant Christianis, veluti Templa, & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, Sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur, ut demonstrant acta S. Stephani Papæ ejus nominis 1. *apud Baronium Tomo* 2. *anno* 259. *n.* 260. Fabianus Papa, qui sub Decio passus est, in his multas fabricas fieri præcepit, *Anasth. in ejus vita*. Hæc concilia Martyrum dicta *in Martyrol. Rom.* 23. *Jun.* quod ibi multi collecti essent Martyres.

Hæc quoque vocata absolutè cæmeteria Clemens in *Const. L.* 6. *cap. ult.* ibi. Convenite
.. in cęmeteria ad legendum sacros Libros, &
.. psallendum hymnos pro mortuis Martyribus,
.. & Sanctis omnibus, qui sunt a sæculo defun-
.. cti, ac pro fratribus vestris, qui in Domino
.. mortui sunt, & Eucharistiam Deo acceptum
.. antitypon, idest Sacramentum regalis corpo-
.. ris vestri offerte in Ecclesiis vestris, & in cę-
.. meteriis. Cumque Imperatores edictis publicis Christianos a cæmeteriis hisce arcerent, Tertullian. *ad Scap. cap.* 3. Inde in cæmeterio Callisti Epitaph. Alex. Martyris: O Tempora in-
.. fausta, quibus inter Sacra, & vota, ne in
.. cavernis quidem salvari possimus! Quid mi-
.. serius vita? Sed quid miserius in morte, cum
.. ab amicis, & parentibus sepeliri nequeant? *Rom. subter. L.* 3. *cap.* 23. Quod et deducitur ex Pontio S. Cypriani *Diacono*, qui in actis ejus passionis ait, a Valeriano promulgatum fuisse edictum, *ut Christiani nulla conciliabula facerent, neque cæmeteria ingrederentur*.

Post tempora verò Gentilium, vigentibus novis hæreticorum persecutionibus, in eadem cęmeteria se Fideles recipiebant. Sic in actis Liberii Papæ traditur, ipsum jussu Constantii Imperatoris Arriani secundo exturbatum ab Urbe habitasse in cęmeteriis suburbanis *Novella*, & *Ostriano* nuncupatis, ibique quamplurimos ad se accedentes baptizasse, ac cetera munia Pontificia exercuisse, & S. Anasthasius in Apologiis ad Constantium, & de fuga sua testatur Alexandriæ in hebdomade post Sacram Pentecosten populum fidelem ad orandum *in cæmeteteriis* abiisse, eo quod abhorrerent a communione Georgii pseudo Episcopi ab Arrianis in eam sedem intrusi.

Ex qua historia intelliguntur varii canones.
Intelligitur Textus in *can.* 35. Concilii Illibe- 15
rini, ibi: *Placuit, prohiberi, ne fœmina in cæmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant*.

Quod ita dispositum fuit, quia tempore intempestæ noctis, offusa tenebrarum caligine, locique subterranei natura faventibus, improborum licentia ad tentandam pudicitiam audacior fiebat. Quare etiam Concilium Altisiodorense *can.* 5. vigilias hasce sustulit, ibi: *omnino, & inter supradictas conditiones vigilias, quas in honore* D. *observant, omnibus prohibemus*. Intelligitur Textus *in Clementina gravi de celebr. Miss.* ibi: Non*nulli etiam, tam Clerici, quam laici, præsertim in Festorum certorum vigiliis, dum in Ecclesia deberent orationi insistere, non verentur in ipsis, earumque cæmeteriis choreas facere dissolutas*.

Irrepserat olim abusus quidam (ut hanc quoque notitiam non omittamus) quorundam sectatium vetustum Eustachii Monachi, & Episcopi Sebasteæ errorem, in domibus propriis vigilias supradictas celebrandi, ut apud quosdam Gallos. Concilium Altissiodorense id vetuit, *can.* 3. ibi: *non licet compensas* (idest compensationem,
vicemque eorum, quæ in Ecclesia facienda sunt) 16
in domibus propriis, nec vigilias in Festivitatibus facere; & Concilium Laodicenum, *can.* 58. ibi: *quod non oportet in domibus oblationem celebrare*.

Item irrepserat abusus alter, ut apud Græcos in Antiochensi Provincia, ubi celebris erat Lucius Damnensis, inter sentes, aut arbores sacrivas, vel ad fontes vota exoluere, quod re-
prehenditur a Concilio Altissiodorensi *can.* 3. 17
ibi: *Non licet compensas, nec vigilias in festivitate S. S. facere, nec inter sentes, aut arbores sacrivas, vel ad fontes vota exoluere*. Solebant etiam nonnulli tres candelis ad arbores, seu ad fontes succendere, quod reprobatur a Concilio Agathensi *can.* 6. ibi: *perscrutandum est, si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam, quasi ad Altaria faciat, aut ibi candelam, seu quodlibet munus deferat, &c.* Id enim redolebat priscam Gentilium superstitionem; apud quos luci sacri erant, & colebantur; & in XII. Tabulis ità cavebatur: *constructa a parentibus delubra habento; lucos in agris habento*. Qua ratione utitur Concil. Cartag. 5. *can. ult.* ibi: *placuit ab Imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiæ Gentilium, non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omnino deleantur*.

Ut verò de constructione Ecclesiarum, quando

ortum habuerit, differamus.

18 Prima toto Christianorum orbe Ecclesia, ut est constans a multis retrò seculis, ac perpetua fama, & memoria, fuit in civitate Cæsaraugustana Virgini Matri adhuc viventi a D. Jacobo Apostolo filio Zebedæi in Hispania, dum predicaret, dedicata, P. Franciscus *Arias Lib. de Imit. Beat. Virg. cap.* 20 de qua Ecclesia Aurelius Prudentius locutus est, qui tempore D. Hieronymi floruit, ibi:

Cæsaraugustam vocitamus Urbem;
Res, cui tanta est
Plena magnorum domus Angelorum,
Non timet mundi fragilis ruinam.

De hac Ecclesia *Petrus Canis. de Virg. Maria. L.* 5. *cap.* 23. *pag.* 569. Garziá *de Loaysa in collect. Concil. Hispan. pag.* 292. *in add. - Hieronymus de Blancas in Aragon. Rer. com. expag.* 3. *- Ioannes Bastaus Chronicorum Tomo* 1. *anno* 37. *Marian. L.* 4. *cap.* 21. *de reb. Hispan. - Baldessius de Auctor. Regum; Regnique Hisp. cap.* 6. *n.* 7. *- Lucio Strada in* 2. *parte Rosarii pag.* 1. 4. *Gargiozius in compen. historia*, in historia *Regis Alfonsi Un. de Navarra cap.* 7.

Ex quibus, aliisque satis labefactata remanet eorum sententia, qui negant adventum in Hispania B. Jacobi, & constructionem Ecclesiæ prædictæ, contra ea, quæ attestantur Petrus Galesinus *in annot. ad Martyrol.* 12. *Kal. Febr. pag.* 43. *aliique.*

Quamquam adversetur P. Natalis *saculo primo historia Eccl. Diss.* 15.

Utque historiam prosequar de Ecclesiarum fundationibus; vir religiosissimus Imperator Constantinus licentiam dedit per universum Orbem sub suo degentes Imperio fabricare Ecclesias. Denique idem præfatus Princeps fabricam Templi B. Petri Principis Apostolorum initiauit narratur in *can. futuram* 12 *q.* 1. Quam Silvester Papa 14 *Kal. Decembr.* eo modo, quo Lateranensem Ecclesiam *quinto Id* Nov. consecraverat, dedicavit: et in ea Altare lapideum Chrismate delibutum erexit, ac constituit, ne deinceps Altaria, nisi ex lapide fierent, *ex Breviar. Rom. Concil. Teid.* 18. *Nov. et Baron. Tomo* 3. *ann.* 324. in majori Basilicæ Vaticanæ arcu hi versus exarati legebantur.

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans.
Hanc Constantinus victor tibi condidit aulam.

Erexit idem Imperator Basilicam S. Pauli via Ostiensi, atque ejusdem viæ cum aliquo detrimento Valentinianus junior Imperator, ibidem de alia ampliori bus spatiis excitanda Basilica, scripsit ad Sallustium urbis praf. Ctum. Gessit is præfecturam urbanam Honorio, & Evodio Coss. ut constat ex L. 81. *de Pist. C. Theod.* nempe anno a Christo 386. Eamque cœptam postea Honorius absolvit. Ac Leo magnus eamdem Basilicam majori arcu, ingentibus columnis subnixo fulcivit.

Jam verò, ne hoc silentio omittatur, præ reverentia ipsæ Basilicæ Apostolorum limina dicta sunt, hinc Claudianus.

Per cineres Pauli, per cani limina Petri.

Tametsi & longè antea usus hic loquendi obtinuerit: In actis S. Alexandri Papæ, hæc leguntur: *Tu si ad limina S. Petri duxisses eum, &c.* ac de eadem nomeclatura Fortunatus in carmine de partu Virginis: 19

Quos recipit sacra porta Petri, quos janua Pauli.
Postis ad Andrea limen Achaia patet.

Nam consuetum erat adeuntibus Ecclesiam ante ejus ingressum ad limina procumbere, postes deosculari, & preces fundere, idem Fortunatus de Basilica Romana.

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe
Fusus humi supplex, &c.

Quare de his liminibus Apostolorum sunt Textus in *can. ad limina* 30. *q.* 1. in *cap. Episcopus de Jur.* et passim alibi, qui Textus ex præcedenti notitia explicati remanent.

(d) Oportet.

Area, ubi ædificatur, extra laicale dominium sit.

Cur area, ubi ædificatur, exempta a laicali dominio esse debeat, ratio traditur in *can. si quis* 10. *de cons. dist.* 1 ibi: *nec Basilicam, qua non pro Sanctorum patrocinio, sed magis tributaria cona. ... ne est condita, audeat consecrare,* consonat Textus *in can. Ecclesias* 13. *ib.* Alia ratio traditur in *can. decretum est* 20. *q.* 1. ut nempe Ecclesia *cum omnibus suis in Episcopi potestate consistat.*

Ideò Concilium Toletanum hac pronunciat in *can. noverint* 10. *q.* 1. *Noverint conditores Basilicarum, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere.* Hinc sequitur, quod super fundo subiecto fidei commisso non potest Ecclesia construi Bartolus *in L. locum in fine ff. de Relig. et sumpt. fun.* Rochus *Curtius de Iure Patron.* §. *Ecclesiam in fin. n.* 12. Quod tamen intelligitur, nisi ipse fundus imputari possit in quartam Trebellianicã; nam tunc favore Ecclesiæ fideicommissarius tenetur pro se pretium recipere, vel habere Jus Patronatus pro sua rata, ut in manumissione communis servi simile quiddam definitur in *L. cum apud C. de comm servo man.* ibi: liber fit, *ex altera autem parte ex nostra definitione pretio* (& infra) *ab harede prastando, Vivianus de Jure Patr. P.* 1. *L.* 2. *cap.* 2. *n.* 21. 20 21

(e) Vendere.

Ad aream vendendam Dominus compellitur.

Notissimum quidem, a Jure id pro regula constitutum esse, ut nemo alienare cogatur, *L. invitum* 11. *C. de contr. empt. L. invitus C. de locato L. nec emere* 16. *C. de Jure del. L. si fidejus.* §. *ult. ff. de Leg.* 1. *L. si quis sepulchrum ff. de Reli. et S. L. ff. possessione C. de fund. Patr.*

Patr. Lib. 11. *L. nemo* 8. *C. de Jud.*

Attamen ab hac regula pia causa excipitur.
22 Et ideo Concilium Arvernense *cap.* 7. mandat Presbyters compellere suam plebem ad vendendas peregrinis merces iusto pretio, ut habetur in *cap.* 1. *de empt. et vend.* Et pariter indicto
23 Syconito annona Fisco vendenda est, L. 1. C. *ut nemini liceat a coemptione specierum se excus.* Coemebat enim undique Fiscus a Provincialibus species annonarias usui publico veluti exercitui neccessarias, quæ coemptio σιτων vocabatur – Et similiter in publica indigentia talis compulsio licita est, Concilium Turonense *can.* 5. ibi: *unaquaque civitas pauperes, & egenos pascat secundum vites* L. 1. §. *cura ff. de off. præf. urb.* L. 6. *ff. de extr. cog.*

Ergò cum pia causa sit, si ad Ecclesiam ædificandam Dominus vendere cogatur, utique cogi poterit; Et propterea etiam de Jure Civili Dominus Relligiosum locum facere compellitur, *& sanè habet hoc rationem*, *ait Textus in L. locum* §. *locum ff. de Rell.* consonat Textus in *L. si quis sepulchrum ff. eod.* Atque ita cum esset, in favorem Monasterij D. Hieronymi, opus fundo alterius, in Prætorio Neapolitani Regis pronunciatum est, Dominum ad vendendum esse adstringendum, narrat Covar. L. 3. *Var. cap.* 14. *sub. n.* 7. optimus quoque Textus hac super re, in L. *secunda* §. *sunt qui ff. ne quid in loco pub.*

Hinc intelligitur, piam causam facultatem Dominorum restringere; ac propterea, quamvis licitum sit cuilibet proprium ædificium altius tollere, L. *altius C. de servit.* L. *ult.* §. *penult. ff. de servit.* L. *Proculus ff de damno infecto* L. *eum eo*, L. *Imperator ff. de servit. urban. præd.*
24 L. *nullus* L. *donum ff. de reg. Juris*, tamen prohibebitur, ædificium ità altius attolli, ut ex eo videri possint Relligiosi, aut Relligiosę intra proprias domos relligiose habitantes, quasi favore Relligionis privatus iure suo non possit libere uti, quod habet altius tollendi, aperiendive fenestras, quę ad prospectum sunt opportunæ. Imo vidi, contigisse Florentiæ, ut cum Relligiosi Conventus S. Joseph ędificarent in loco proximo Monasterio Monialium S. Jacobi, ejusque ædificii prospectus libertati Monialium officeret, mandarit Judex Ecclesiasticus, fenestras claudi; Quę res judicata comprobat id, quod asserimus, faciunt, quę tradit Covarruvias *in* L. 3. *cap.* 14. *Var. n.* 8. ubi hac de re singularia docet Antonius Padilla *in L. altius C. de servit. n.* 19.

Quare etiam Princeps compellere poterit privatum, domum propriam vendere ad constru-
25 ctionem Ecclesię; est enim hęc justa causa, ut ipse juri privatorum deroget, L. *item si*, §. *ult. ff. de eei vind.* qua, aliave justa causa cessante ab invitis rerum dominia non auferuntur, laudaturque Augustus a Suetonio *cap.* 56. quod forum Augustus fecerit, non ausus extorquere a possessoribus proprias domos.

Quamquam, quæ dicta sunt de hac compulsione ad vendendum pro Ecclesiæ constructione, 26
limitantur a *Cabed. decis.* 105. *per tot. part.* 1. ut procedant, si præcisa sit Ecclesię necessitas, secus si ob alterius utilitatem, vel si agatur de solo hospitio ab Ecclesia remoto. Cetera videnda apud *Rotam Roman. in P.* 11. *recent. in append. decis.* 413. *n.* 41. *Sanfelicium decis.* 307. *n.* 9.

(*f*) *Acquirunt.*

DISSERTATIO IV.

Ab ædificantibus, vel concedentibus pro Ecclesia aream acquiritur Jus Patronatus.

Etiamsi qui ędificant Ecclesiam, non reservaverint sibi Jus Patronatus, illud tamèn ipsis competit. Probatur *ex cap significavit* 41. *de testib.* ubi, etiam cum fundantes Ecclesiam, in ea se Jus Patronatus nullum velle, dixerunt, 26
curandum est a Rectore Ecclesiæ diligenter, ut id per testes constet. Cur obsecro tanta diligentia? Cur testes? Quia nimirum, nisi expresse fundator repugnet, Jus Patronatus illi acquiritur. Ergò acquiritur, licet non reservetur. Contrarium quidem docet Lambertinus ex hoc Textu 27
de Jure Patron. P. 1. L. 1. *q* 2. *art.* 4. sed ejus inductioni non acquiesco. Huic oppono Vivianum *P.* 1. L. 1. *cap.* 2. *n.* 50. qui ipsum Lambertinum in sui favorem citat. Et ità fuit dictum in *immol. Jurispatronatus* 7. *Junii an.* 1577. *coram Cantuccio*, quod Jure Patronatus, licet expresse non fuerit reservatum, acquiratur fundatori.

Sed videamus, cur hoc Jus Patronatus ob fundatam Ecclesiam acquiratur, & quando id cœperit indulgeri laicis.

Et primum quidem Sacris canonibus cautum fuit, ut Ecclesiæ fundator, dotatorve nullam 28
indè potestatem consequeretur, *can. noverint*, *ex Concilio Tolentano* 10. *q.* 1.

Postea cepit indulgeri fundatoribus honoratior locus in Processionibus. Si ad hoc probandum uti velim Gelasii, canone, quo nititur etiam 29
Lottherius de Benef. L. 2. 3. *in can. pia mentis* 16. *q.* 7. mihi indicere silentium, & redarguere videtur Gonzales *in cap.* 25. *de Iure Pat. n.* 7. *et seq.* qui eruditè ut solet cetera probat per verbum *Processionis*, significati Synaxim in Ecclesia faciendam, & accessum ad eamdem, *can.* 17. 30
Conc. Laod. Epist. 81. *S. Leon. cap.* 8. L. 22. *de Civ. Dei D. Aug.* - *S. Hieronymus epist.* 22. *cap.* 1. *Tertullian.* L. 2. *ad uxor. can. certum de cons. dist.* 1.

Ego verò non video, quidnam singulare obtineant fundantes Ecclesiam, obtinendo, instar aliorum fidelium, aditum ad S. Synaxim. Et tamen aliquid obtineri consuevisse, denotant verba Gelasii, in prædicto, *can. pia mentis* 16. *q.* 7. ibi. *præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil idem ibi proprii juris habiturus.* Ergo aliquid obtinetur, quod proprii juris futurum sit.

Sed

Sed quidnam obtinetur? Hoc invenire difficillimum est. Non possumus verè de honoratiori loco in Processionibus Textum Gelasii accipere. Cur ita? Quia temporibus Gelasii per annos 592. non ita libere circuitionibus illis, quas dicimus *Processiones*, Fideles uti poterant, cum nondum persecutionum sedatæ essent tempestates. Quare refellitur error antiquorum, qui hoc decretū Gelasii ita acceperunt, cui adhæsit etiam *Lotherius*, *ubi supra*. *Cironius in Paratl. ad Tit. de Iure Patron.*

Attigit mentem Canonis felicius ceteris, Hallerius *de Sacr. elect. Sect.* 8 *artic.* 2. §. 1. Is verò ait, verbum *Processionis* intelligi, pro honoris prærogativa, ut nempe, cum alii Fideles accedunt ad oblationem in Altari faciendam, ipsi, qui fundarunt Ecclesiam, primi sint, & hoc indicant verba Textus *in can. frigentium* 16. *q.* 7. Ibi: *ut nihil fundator ex hac Basilica noverit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur*. Si verò ex me quæratur, an verbum *Processio* ad oblationem accessum cum prærogativa denotet, & unde id probetur? Id quidem ostendere facile fatu est, ex Textu, *in can. certum de cons. dist.* 1. ubi, in Oratorio non dedicatò solummodo Divina celebrantur officia, non *Processiones*, idest *non oblationes* fiunt, cum prærogativa ab his, qui Oratorium construxerunt.

Quod etiam ex Lege confirmatur. Eleganter Imperatores Theod. & Valent. *in L. sancimus* 4. *C. de Consult.* L. 12. Processionis verbo significant prerogativum exibendi spectacula.

Hæc igitur prerogativa primum sub Gelasio impetrari cæpit a fundatoribus Ecclesiarum.

Postea se liberaliores exhibuerunt canones erga ædificantes; nam, si Episcopus in aliena Diœcesi construxisset Ecclesiam, jus obtinebat, ibi Sacerdotes deputandi. Concilium Arausicanum *can.* 10.

31 Et ad exemplum hujus munificentiæ erga Episcopos; paulatim cæpit Jus Patronatus impertiri laicis. Sed *paulatim*, inquam; nam, cum in agris propriis Magnates ædificarent Oratoria, ad commodum familiæ obtinebant, ut ibi eligerent ipsi Presbyteros, quod et concessum invenias a Justiniano in *Novella* 123. *cap.* 18.

Demum ad acuendam, inflammandamque voluntatem Fidelium, ut construerent Ecclesias, Jus præsentandi Presbyteros concessum fuit omnibus, qui fundassent Ecclesias, *can. Abbatem* 18. *q.* 2. *can. decernimus*, *can. Monasterium* 16. *q.* 7. & supponitur *in cap.* 1. 2. 3. *de Jure Patr.* Maria Imperatrix Constantin. Monasterium Pacinaciense Grecarum Monialium, tunc eversum de propriis bonis reędificaverat. Jus Patronatus obtinuit, favente Honorio III. narratur *in cap.* 1. *de de Iure Patr. in* 5. *compil.*

Hæc est historia originis Juris Patronatus: multa alia *ad Titulum de Iure Patr.* dicemus.

32 In quo verò positum sit Ius Patronatus, jam explico, omissis tam multis Interpretum definitionibus. Res ità se habet. Ante introductionem Iuris Patronatus, Præbenda quælibet erat liberæ collationis Episcopi. Post introductum Ius Patronatus, in iis Præbendis, quibus hoc Ius annexum est, Episcopus non habet liberam conferendi facultatem, sed dependentem. At a quo dependentem? A nominatione Patroni, qui fundavit Ecclesiam. Nam divulsum est ab Episcopo aliquod Ius, quod resedit in fundatore, Ius quidem Ecclesiasticum, Ius nominandi Clericum ad Beneficium in Ecclesia fundata. Hoc Ius voco Ius Patronatus, atque hanc explicationem debeo Cabassutio *in Scientia can. L.* 2. *cap* 6. *in Princ.* plura in proprio *Tit. de Jure Patr.* adiiciam.

(g) *Diruendum*.

DISSERTATIO V.

An Ecclesia ædificata cum alterius præjudicio diruenda sit?

Religionis favor summus est, L. *sunt personæ* 43. *in fine ff. de Relig. & sumpt. fun.* L. *cum* 33 *ss* §. *mulier ff. de cond. ind.* L. *si quis pro redemptione C. de don. Auth. si qua mulier C. de Sacros. Eccl.* L. *sancimus C. eod. can. quicumque* 17. *q.* 4. Is tamen ad justitiæ normam revocandus est, *ap.* 1. §. *sed diversis Tit. de alien. feud.* 33

Adeoque diruenda est Ecclesia, ne aliis sacris ædibus noceat. Hæc nostra conclusio fit 34
qnam illustrant *Cantius hoc T.* §. 5. *pag.* 679. *Engel. ad Tit. de nov. oper.*

I. Patet ex *cap.* 1. *de novi oper. nunc.* ubi Lucius III. mandat Paduano Episcopo, si Capella constructa fuisset in præjudicium baptismalis Eccl sie, eam cognitis factis demoliri.

II. Patet ex historia, seu re judicata in casu constructionis Ecclesiæ. Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesiam de Lameche ædificaverat, Rex, & Archiepiscopus in illo facto se mu uo adjuvabant, adversus Capitulum repugnans. Innocentius III. partium rationibus auditis, decrevit, dictum Archiepiscopum Ecclesiam propriis impensis demolire; hæc enim tendebat in magnum Cantuariensis Ecclesię prejudicium, quæ literæ jussionis sunt in Regestro Innocentii L. 1. *epist.* 54. & habetur id ipsum, *in cap. cum dei nunctio* 32. *ff. de nov. oper. nunc.*

III. Patet ex principiis Iuris Civilis, quę in materia nunciandi novum opus recipi a Sacro Jure, probat Textus *in cap.* 1. *de novi operis nunc.* Sunt duo effectus nunciationis novi operis.

Primus ut sive jure, sive injuria acti fuerit nunciatio, statim opus sistatur, ac inhibeatur, & a progressu inchoati operis sit abstinendum, 35
L. 1. *L. de pupil.* 5. §. *si quis*, L. *non solum* §. *sciendum*, L. *Prætor* 20. §. 1. *ff. de novi operis nunc.* est enim in hoc similitudo cum excomunicatione, quæ sive injusta, sive justa despici non potest, *can.* 1. 11. *q.* 3. *can. sententia ib.*

Secundus effectus, ut si ædificans, nulla habita

bita ratione nunciationis, ędificium sit prosecutus, quamvis appareat, injustam fuisse nunciationem, jusque illi fuisse ædificandi; opus tamen constructum destruendum est; nec audiendus, etiam si, qui ędificavit, sit de jure suo docere paratus, *L. 1. §. sed si is L. Prætor* 20. *§. 1. & seq. ff. de nov. oper. nunc.* late *Melchior. de Valent. Tract. illustr. L. 2. Tract. 1. cap. ult.*

Ergò, cum his principiis Iuris Civilis derogatum non appareat, constat, etiam sacras ædes esse demoliendas.

IV. Probatur ex *L. si cui C. de ædificiis priv. L.* 10. quæ Lex prohibet, juxta ędes publicas, non interiecto spatio 15. pedum ędificare, sub pœna demolitionis: quod ipsum ad ædes sacras, quæ publicę sunt, accomodari potest.

36 Neque obstat I. quod causa demoliendi ędes sacras videatur, cum impeditur Divinus cultus, non cum augetur, *can. placuit 26. de consecr. dist.* 1.

Pro responsione, & declaratione Conclusio-
37 nis, quę defenditur; duplici pacto contingit, novum ædificium esse diruendum. Primo, si ędificium factum sit contra Legis prohibitionem, Textus expressus *in L. quicumque 17. de oper. pub.* Quamquàm enim ædificatio sit juris gentium, ad tradita per *Anton. Scapp. de Iure non scripto L. 2. cap. 34. n. 1.* Attamen id non aliter procedit, quàm si ædificatum usui publico, aliisque non noceat, *L. quamvis 50. ff. de acq. rer. dominio Harprectus in §. & quidem Inst. de rer. divis. n. 14.* II. Si præcesserit nunciatio novi operis, quod post hanc fuerit ædificatum, demoliendum est, *L. non solum 8. §. sciendum L. Prætor 20. in 1. §. interdictum ff. de novi oper. nunc.* Ratio enim, cur novi operis nunciandi edictum promulgaverit Prætor, tam consona visa est ęquitati, ut Ius Canonicum hoc edicto utatur, *cap. 1. de novi oper. nunc.* Finis enim nunciandi fuit, ut vel jus nostrum conservaremus, vel damnum evitaremus, vel publicum jus tueremur, *L. 1. §. 10. ff de nov. oper. nunc. Vesemb. in Paratl. ad hunc Tit.* Ergò nunciatus se Judicis Jurisdictioni committet, ut jus ędificationis examinetur, *L. 1. §. potest ff. de nov. oper. nun.* & qui Judicis mandata negligens ædificationem prosequitur, qua alia pœna justius punietur, quàm destructione? *L. Prætor §. 1. ff. eod.*

Quibus præmissis, quemadmodum & si Reip. intersit, ædificia non demoliri, *Rota P. 17. recent. decis. 70. n. 3.* attamen demoliuntur, quia
38 & Reip. interest, ne cum injuria alterius ædificetur, ideò non licere ad æmulationem ædificare, ait Macer *in L. opus in pr. ff. de oper. pub.* eo quod materia seditionis præbetur. Ita Ecclesiæ interest, & tranquillitatis, quę maximè commendatur inter Ecclesiasticos, ne ædificia, ne Ecclesiæ, ad alterius Ecclesiæ æmulationem, è solo excitentur. Nec verò, cum ædificantur sacræ ædes cum hac æmulatione, & cum aliarum prejudicio, Divinus cultus augetur, quo potissimum adducti, manus operi deberent ędificare volentes admovere, ut exponitur *in cap. ad audientiam de Eccl. ædif.* Quin potius perturbationes, seditiones, discordię cooriuntur. Quare Nicolaus indistinctè ita loquitur *in can. nulla 12. q. 1.* ibi: *Nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Clericorum*, ut notat, in hunc sensum hunc canonem intelligi, *Pacirbellus de dist. cap. 6. memb. 2. n. 17.*

Textus verò oppositus *in can. placuit de consecr. dist. 1.* quicquam non adversatur; nam Concilium Affricanum ibi statuit, Altaria illa esse 39
evertenda, quæ per agros, villasque constructa fuerint, tamquam memoriæ Martyrum, in quibus tamen nullum Corpus reperiatur, superstitionisque causa constructa fuerint, quasi per somnia, inanesque revelationes ibi indicatum fuerit, sepultum esse corpus S. Martyris, ubi postea Altare fuerit erectum. Ideo Concilium Affricanum mandat, hæc Altaria destrui.

Obiicitur II. Textus *in can. pia mentis 16. q. 7.* ubi pię mentis devotio dicitur Ecclesiam construere; ergò cum potius canones ædificationem commendent, destructionem exhorrere, credendum est.

Resp. ex verbis Textus *in cap. cum dicat de Eccl. ædif.* ibi: caveant tamen, ut injuriosi veteribus Ecclesiis de Jure Paręciali nequaquàm existant; quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam, nolumus, redundare. Et ut indicem, quæ possint esse alterius Ecclesię prejudicia, utar doctrina Seraphini in decisione 847. ait enim: præjudicia hæc esse posse. I. strepitus campanæ, & hic videtur 40
contra justitiam, ait Textus *in cap. patentibus de privileg. extrav. 2. de offic. cust.* II. cum officitur luminibus; III. cum Jura Parochialia minuuntur, IV. cum diminuitur in Parochia concursus; cum fabrica erigitur intra distantiam 40. passum Ecclesiæ Matricis, aut 30. Ecclesię minoris, *can. diffinivit 17. q. 4.* nam intra id spatium ędificare est inconcessum, *can. nulla. 16. q. 1.* quamquam hujus spatii observantia exoleverit, *Pacichellus de dist. cap. 6. membr. 2. n. 17.*

Atque hac oblata occasione, non erit abs re interpetrari Textum in *L. Maniana C. de ædific. priv.* ubi similiter spatium 10. aut 15. pe- 41
dum liberi aeris esse, oportere, disponitur, alioquin mæniana jubentur, detruncari. Sunt autem mæniana projectiones, & subgrundia prope Palatium publicum, aut privilegiatum ædificata, *Alciat. in L. malum §. 1. ff. de V. S. Cuiac. in L. 1. observ. cap. 30. Scipio Theod. alleg. 82. n. 13 & 14. per tot. Calcagnett. de Jure pub. Tit. 41 L. 4.* Nam męniana a Mænio Censore sic dicta, qui suam domum Catoni, & Flacco censoribus vendidit, ut ibi Basilica ędificaretur, ac super columna proiectiones istas facerent, ad ludos Gladiatiorum spectandos, *L. 20. ff. de serv. urb. L. 2. §. 3. ff. ne quid in loco publ.* Hæc autem Lex intervalla supra dicta præscribens, non observatur, ut tradunt *Andreol. consf. 295. n. 19. P. 4. Sabellus in verbo Lex n. 16. §.*

dicta

dicta lex Billon cons. 61. *n.* 3. [*Paccichell. de distant. cap.* 6. *memb.* V. *n.* 7.

Neque absurdum, est Legem in Codice scriptam ab observantia recessisse; multæ enim aliæ Leges contraria consuetudine vigorem suæ dispositionis amiserunt, veluti Textus *in L. de Creationibus C. de Episc. et Cler* Textus *in L. fin. C. de Cur. Fur.* qui disponebat dandum esse curatorem, præsentia Episcopi; Item cessavit ex contraria consuetudine Textus in L. *fin. C. de Jure deliberandi*, Textus *in Auth. sed cum testator*, C. *ad L. Falc.* Item Textus *in L. ii, qui eum loco ff. ad L. Cornel. de sic.* - Et in termini ædificii abolita est etiam ex inobservantia L. *quoniam*, C. *de ædific. priv.* ut fuse ostendit *Capic. Latro in decis.* 50. *n.* 3. *& seq.* - Et similiter id etiam spatium, quod observari decernitur *in L. finali ff. fin. reg.* impunè in Italia negligitur, *Card. de Luca de servit. discurs.* 15. *n.* 4.

Ac propterea non mirum, si etiam ea spatia, quæ olim canones præscripserant pro Ecclesiis, abierint in desuetudinem.

Imò quamquam *Covarruvias* L. 3. *Var. cap.* 14. *n.* 8. spatium, de quo in L. *manianum* asseruerit,
44 adhuc observari pro Monasteriis Monialium, cui adhæsit *Sperellus decis.* 58. attamèn *Card. de Luca. discursu* 20. *de servit. n.* 8. ait, mæniana ex latere id spatium etsi non relinqui at attamèn licitè ædificari, idque ex generali observantia, cum passim videamus, Monasteriis Monialium adiacere domos a privatis inhabitatas, & pro interpretatione Juris dubii, rectè deserviunt consuetudines aliarum Civitatum, *Jason. in L. de quibus n.* 6. *ff. de Leg. add. ad Rovitt. Pragin.* 2. *de ess. Bonor vers. licet*, *Rot. decis.* 357. *Part.* 11. *recent.*

Obiicitur III. Textus in L. 1. §. *quid. ait Prætor ff. ne quid in loco sacro* ibi: *non ad hoc pertinet, quod ornamenti causa fit*. Si ergò alia Ecclesia ædificetur, non est hæc destruenda, cum ad ornatum potius conducat.

Resp. imo Textum asserere, id, quod ædificatur in loco sacro, non posse impedimentum, damnumque parere; cumque hoc interdictum, de quo etiã *Inst. in T. Inst. de interd.* §. *summa* sit restitutorium, in pristinum statum locus facer erit reponendus, adeoque res ædificata demolienda, L. 2. §. *interdictum ff. de Interd.* L. 2. §. *locorum ff. ne quid in loco pub.* Piechardus *ad Tit. de Interd.* §. *erant autem pag.* 398. *n.* 140 - An verò si propè Oratorium privatum, aliud privatum Oratorium construatur, idem Juris fit,
45 ut novum Oratorium sit demoliendum? Subsisto. Sed cum hunc articulum discussum non invenerim, placet, ex eadem hac Lege, quam explico, inferre, quod non sit demoliendum, cum id ipsum quoque statuat Mynsius *in Inst. ad Tit. de Interdict. dicto* §. *summa*; Nec enim in contrarium decisum apparet in Jure Canonico, & in hac materia standum est regulæ Textus *in cap.* 1. *de nov. oper. nunc.*

Et hæc quidem porrigenda sunt ad ædificia vi 46
aut clam facta; hæc enim pariter destruenda, L. *si alius* §. *est*, *& alia ff. quod vi, aut clàm*; Imo etsi superior concesserit, ædificari, probandum est, Principem ultra concessisse, quam 47
Lex permittat, L. *prohibere*, §. *sed & si ff. quod vi, aut clam*; neque enim intelligitur concessisse ædeficium cum alterius præjudicio, *Gobius cons.* 45. *n.* 58. *& seq.* & superior præsumitur circumventus, si in tertii præjudicium rescripserit, ædificari, *Antunez de don.* L. 3. *cap.* 4. *Giurba de success. Feud. Gloss.* 3. *n.* 38. *vers. sublatus*, *Cabed.* 2. *part. decis.* 18. *n.* 9. *Magon. decis. Flor. dec.* 46. *n.* 9. Quocirca etsi prævio superioris consensu fuerit ædificatum, demolitio tamen vitari non poterit, L. *præscriptio C. de oper. publ.* Solumque demolitio imperanda non erit, si multum tem- 48
poris elapsum fuisset, veluti ad minus tempus anni, *Rota Lucens. inter recollectos per Palmam Nep. decis.* 96. *n.* 3. *& seq.* Strictè enim rescriptum de ædificando interpetrandum est, ut minus præjudicet, Pichardus L. 4. *Tit.* 15. *Inst. de int. n.* 158. Ad quem studiosum Juris plura alia desiderantem reiicimus. Interim, & illud adiicimus pro explicatione uberiori; ad evitandam 49
demolitionem non posse interesse persolvi, ut est *in Rota Lucana, ubi supra*.

Obiicitur IV. Multa facta tolerantur, quæ fieri prohibentur, L. *Patri furioso*, *ff. de his, qui sunt sui*, ergo, & si ædificia construi, prohibeantur, constructa tamen non erunt demolienda.

Resp. cum Surdo *decis.* 160. *n.* 10. procedere posse regulã in modico præjudicio; at, cum grave damnũ ex novo ædificio promanat, illud diruendum est; imo in *Clem.* 1. *de sent. excom.* cum solæ quædam januæ Regularibus facta essent, quia tamen in præjudicium tendebant, excomunicationis vinculo Regulares fuerunt innodati; usque adeo verum est, nihil cum alieno præjudicio Ecclesiarum esse tolerandum.

Obiicitur V. Textus *in cap. apostolicas* 22. *q.* 2. ubi Monasterium factum cum præjudicio non est diruendum; sed cedit in dominum ejus, cui præjudicatum fuerit.

Resp. ibi tractari de Monasterio constructo ex redditibus alterius Ecclesiæ; quo casu Monasterium assignandum est Ecclesiæ prædictæ in compensationem damni. Verum ibi non agitur de præjudicio, quod habeat causam continuam, ut nos supponimus in conclusione. Cæterum enucleati Juris est, quod si res comparatur de bonis Ecclesiæ, statim est facta Ecclesiæ, *cap.* 1. *de Pecul. Cler.* idemque est in milite, L. *si ut proponis C. de rei vind.* & in pupillo L. 3. C. *arbitr. tut.* & in uxore, L. *uxor ff. de don. inter vir. & ux.* Atque ideo non est ædificium destruendum. Nam cessat ratio demolitionis, propterea quod ad æmulationem non fuit Monasterium ædificatum; æmulatio autem in ædificiis præsumitur tunc, quãdo nullum 50
vel pertenue commodum ædificanti præbet ædificium, L. *sicuti* §. *Aristo ff. quib. mod. fur. vend.*

vend.

vend. L. *Proculus*, §. *fluminum*, *ff. de damn. infect.* Notavit *Rota in decis.* 611. *per tot. part.* 5. *recent. Tom.* 1. *part.* 2.

(*b*) *Episcopi.*

Consensu Episcopi ad ædificandum opus est.

Non permittitur ad constructionem Templi, prætermisso Episcopi consensu, devenire.

51 Probatur auctoritatibus, nempè ex Texto in *cap. nobis* 25. *de Jure Patr.* ex *Concilio Chalcedonensi can.* 4. *ex can. nemo* 9. *de consf. dist.* 1. *ex can. de Monachis ex can. quidam* 18. *q.* 2. *ex cap. constitutus de Reli. domib. ex cap. olim* 14. *de Privil.*

Quare apud ipsos Gentiles, si statua erigenda fuisset, licentia municipii præcedebat, *Ambrosius a Morales in antiq. Hisp. fol.* 30. *plura Pac. Jord. Lucubr. vol.* 1. *L.* 5. *Tit. VIII. Riccius Collect.* 2350. *Lotherius de re Benef. L.* 1. *q.* 13. *n.* 7.

Ceterum & illud notandum est, ad uberiorem
52 explicationem, quod, si dubitetur, numquid præcesserit Episcopalis consensus; plane consensus erit præsumendus, dummodo Ecclesia sit in forma Ecclesiæ, si Missæ in ea celebrantur, argumento Textus *in cap. quod interrogasti* 17. *dist.* si erectum inspiciatur campanile, vel alia signa occurrant. Præsumitur namque ex cursu temporis extrinseca solemnitas, *L. si filius C. de pet. har.* quem Textum ad hoc citat etiam Rochus Curtius *de Iure Patr. in Rubr. verbo pro n.* 19.

Quamquam nec illud negare oportet, sufficere consensum tacitum Episcopi, si nempe
53 constet, ipsum futuram constructionem comperisse, nec dissensisse, *reg. qui tacet de reg. Iur. in* 6. *cap. cum jamdudum de preb.* quod magis placet, *Rocho Curtio, ubi supra n.* 21.

Quare explicatum remanet, Episcopi Diœce-
54 sani consensum requiri, loci nimirum, in quo ædificium Sacrum exædificandum est, non Diœcesani illius, qui construere velit, *argum. Text. in L. si prædium C. de contr. empt. Clarius ex can. nemo* 9. *de cons. dist.* 1. *can. quicumque* 16. *q.* 1. *can. quidam* 18. *q.* 2.

(*i*) *Privatur.*

Sine consensu Episcopi ædificans privatur Iure Patronatus.

Est adeo necessaria auctoritas Episcopi ad Ec-
55 clesiarum ædificationem, ut fundator, ea omissa, non modo Jus Patronatus non adipiscatur, verum illud si obtinuerit aliqua ratione, amittatur, ita Corvinus *in Aphorism. Tit.* 20. *L.* 2. §. *fine.*

(*k*) *Faciat.*

Non est ad quæstum temporalem ædificanda Ecclesia.

56 Magis, magisque detegitur consensus Episcopalis necessitas. Finge, aliquem fundare Ecclesiam deliberasse ad lucrum aliquod temporale: An id permittendum? Horret quidem calamus similem fingere animo; at quid tam sanctum, quod aliquando fœdissimum Avaritiæ monstrum non violarit? Audiatur Concilium Bracharense secundum *can.* 6. ibi: *quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri*. Ergo idem Concilium *in can. si quis Basilicam* 10. *de consecr. dist.* 1. ita loquitur: *si quis Basilicam, non pro devotione fidei sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua quæstus causa condiderit, &c.* Alia exempla hujusce illiciti quæstus sunt *in can. Eleutherius* 18. *q.* 2. *in can. hanc consuetudinem, in can. quia Sacerdotis* 10. *q.* 1. *in can. Ecclesia* 1. *q.* 4.

Huic malo ad quem spectat mederi, nisi ad Episcopum?

(*l*) *Differatur.*

In executionem piæ dispositionis Templum est intra annum construendum.

Episcopus de piis dispositionibus executioni mandandis per quam sollicitus esse debet. Hæ- 57
res, sive executor ultra annum differre executionem non debet, *Auth. hoc amplius C. de fideicom.* Quo negligente, Episcopus in executione succedit *cap. tua nobis* 17. *de Test. cap. nos quidem ib. cap. Ioann. ib.* Ergo ipse Ecclesiam ædificabit, & plura hac de re congessit eruditissimus *Gonzales in cap. si heredes de Testibus; nos etiam plura diximus L.* 1. *Tit. de Episcopis in explicat. n.* . . . .

(*m*) *Tenetur.*

DISSERTATIO VI.

In qua ostenditur quod Episcopus sine dote Ecclesiam ædificatam providebit.

Adeò consensus Episcopi prærequiritur, ejus- 58
demque solertia, ut nisi curaverit, Ecclesiam ità ædificari, ut convenit; ipse providere de dote teneatur. Quod tamen ita intelligendum est; nam fundatores ad onera illa tenentur, sine quibus Ecclesia non conservatur; debet enim habere proventus, quis ad lumina, custodiam, custodumque stipendia, sufficiant, *can. nemo, can. sta mentis* 16. *q.* 7. Jam verò facile factu est demonstrare, quod ad hæc onera fundatores Ecclesiarum teneantur. En verba Textus in *can.* „ *placuit* 1. *q.* 2. ibi: hoc tamen unusquisque „ Episcoporum meminerit, ut non prius dedi- „ cet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ, & „ obsequium ipsius per donationem chartulæ con- „ firmatum accipiat. Ieno nec primarium lapidem ponere Episcopus debet, nisi fundator do- 59
tem assignaverit, *can. nemo de cons. dist.* 1. Cujus verba non sunt omittenda, quia nimis clarè propositis favent, ib.: Nemo Ecclesiam ædificet,

.. antequam Episcopus Civitatis veniat, & ibi-
.. dem Crucem figat, publicè atrium designet,
.. & ante præfiniat, qui ædificare vult, quę ad
.. luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia
.. custodum sufficiant, & ostensa donatione sic
.. domum ædificet. Consonat Textus *in cap. cum sicut de cons. Eccl. Auth ut determin. sit. num. Cler. §. investigantes coll. 1 in can. pia 16. q. ult.* Constat ergò, fundatores obligari ad dotandam Ecclesiam.

Sed quid, si Episcopus ædificationi præstiterit assensum sine donationis instrumento?

60 Res ita se habet. Antea compellendus est ipse fundator, sive hæres ad dotem constituendam, ut probatur *ex can. si plures* 37. 16. q. 7. ibi: Si plu-
.. res hæredes contenderint de communi Ecclesia:
.. auferri, jubeat Episcopus, Relliquias sacras,
.. & Ecclesiam claudi: donec communi consen-
.. su, & consilio Episcopi statuant ibi Presbyte-
.. rum, & unde vivat. Si ex post facto statuete debent hæredes, dotem, ergò antea dos non erat assignata; rursus si eam hæredes assignare debent, ergò non protinus Episcopus est in obligatione dotandi. Huc spectat quoque Textus in *L. qui liberos ff. de ritu Nup.* Et clarior Textus *in Auth. de Eccl. Tit. §. si autem, & §. si quis ædificationem*.

61 Cum tamen omnes defecerint, vel non erunt solvendo, tunc actio danda erit in Episcopum, argum. *Text. in L.* 3 §. 1. *ff. si mens. fals. mon. dix.* ibi: *nisi solvendo venditor fuerit, tunc men. sor tenebitur* confert etiam. Textus in *L. ult. §. plane ff. de eo, per quem fact.*

Accedit exemplum ordinatorum sine titulo, quos Episcopus vel alere tenetur, vel de Beneficio eos providere, *cap. Episcopus 4. de preb.* docet *Petr. Greg. in Syntag.* L. 3. *cap.* 1. *n* 11. *Corvinus ubi supra*, *Vivian. de Jure Patr.* L. 2. *cap.* 4. *n.* 16.

62 Illud tamen notandum est, obligari quidem Episcopum juxta modum expositum, dummodo tamen, absque læsione Ecclesiæ suę hoc facere possit, argumento Textus *in can. si Episcopum 16. q. 6. & cap. cum venerabilis de except.*

Sed obstat I. Textus *in can.* 1. *r. q.* 2. *in can. ult.* 1. *q.* 3. *in Concil. Pictav. can.* 4. ibi: *nullus Episcopus* (& infra) *vel pro Ecclesiarum benedictionibus munus accipiat, & Concil. Aquisgr. secundum P.* 1. *cap.* 5. ibi: *Nullus Episcopus deinceps pro dedicatione S. Ecclesiæ aliquid exigere præsumat*, ergo non potest Episcopus cogere fundatorem ad dotandam Ecclesiam.

Resp. prædictos Canones non loqui de dote assignanda, vel non assignanda a fundatore. Fundator namque ad hanc obligatur, *cap. cum sicut de cons. Ecclesia Concil. Aurel.* 4. *can.* 33. ultra eas auctoritates, quas congerit *Gonzales in cap. cum sicut ib.* sed hoc significant oppositi canones, non licere Episcopo munus aliquod, pro consecratione petere, ad vitandum simoniæ crimen detestabile:

Obstat II. Dotatio Ecclesiæ vocatur donatio *in can. nemo de cons. dist.* 1. *& passim alibi*; Atqui donatio, nemine cogente fit; *L. donari ff. de don.* ergò perperam asseruimus, post fundatorem ad dotem constringi.

Resp. multa ab initio esse voluntatis, quę ex post facto sunt necessitatis. Donandi voluntatem ostendere non erat quidem necessitatis: qui volunt Ecclesiam fundare, hanc donandi voluntatem patefecit; executio voluntatis arbitraria amplius non est ob favorem piæ causæ; quæ responsio integrè deducitur ex *L.* 15. *C. de Sacr. Eccl.* Nam fundata Ecclesia, fundator dotem assignare ex debito tenetur, *cap. cum sicut in fine de cons. Eccl.* quamquam aliter respondeat *Gonzales ad illum Textum in comm. n.* 7. Quodnam hoc debitum? Ex quadam necessaria consequentia; siquidem Ecclesia ministris tam indiget, ut sine his, sese tueri nequeat, ergò debetur dos, arg. Textus in *L. legatis 6. ff. de alim. leg. L. fin. §. un. ff. de off. ejus, cui mand. est Jur. Canisius in cap.* 3. *& seq. de Iure Patr. n.* 11. *latissime in hac Quæst. Gonzales ubi supra.*

Obstat III. Quod Episcopi non possunt quidquam ex rebus suis distrahere; *cap. nulli* 5. *de reb. Eccl. al.* ergò nec possunt ad dotandam Ecclesiam recens fundatam compelli.

Resp. exemplo, quo reliquus sermo elucidabitur. *Si quis Episcopus in Parochia sua Monasterium* forrè construere voluerit, ex rebus quoque Ecclesiæ, cui præsidet quinquagesimam partem census Ecclesię debet elargiri, *cap. Apostolica de donat.* Non tamen ultra potest, ne damnum Ecclesię inferat, ut habet idem Textus; sin autèm de novo Ecclesia erigenda sit, donare poterit centesimam partem, *can. si Episcopus* 12. *q.* 2. *can. bene, can. Relligiosum ib. can. possessiones 16. q.* 3. *cap. pastoralis de his, quæ fiunt a Prel.* An verò desideretur Capituli consensus, more suo eruditè Gonzales exponit *in cap. Apostolicæ de don.* Interim constat, absurdum non esse, ut quamquam interdicta sit alienatio Episcopis, tamen ubi agitur de no a constructione, alienare possint. Ac propterea, eadem ratione dicendum est, quod, si Episcopus in nostra specie dotare Ecclesiam compellatur, talis alienatio vitio verti non possit, non enim omnis alienatio prohibetur; sed aliqua etiam permittitur, ut patet ex conceptione Rubricę, ibi: *de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.* 63

(*n*) *Ædificare.*

DISSERTATIO VII.

De privatis Oratoriis.

Continet hic Titulus, quem explicamus, elegantissimas, & æquè utilissimas inspectiones. Nunc agendum de privatis Oratoriis. 64

Et quidem, ut paulò altius sermonis initia repetantur, in privatis ędibus sacella ędificari prohibitum in Republica Romanorum fuerat; Censores namque curabant, ut populo sacella, pate-

paterent, *Livius* L. 40. ibi: *complura sacella, publicaque sacra occupata a privatis, ut paterent, essentque populo, curarunt*, Appius idem scribit Ciceroni *Epist.* 2. L. 8.

Sed et prohibitum juxta canones ad usum Sacrificii, ad usum exorcismorum, oblationumque Oratoria adhibere in domibus privatis, *cap. tabernaculum in fine de cons. dist.* 1. *can. non oportet dist.* 60. *can. quidam* 18. *q.* 2.

Hæc primùm cœperunt per rura ędificari ob senes, & causarios, *Bellingerus in Chron.* L. 6. *cap.* 2. deducitur etiam ex Concilio Agathensi *in can. si quis* 35. - *de cons. dist.* 1. ibi: *propter fatigationem familiæ*.

Distinguntur Oratoria ab Ecclesiis; quamvis enim majores Ecclesiæ dicerentur aliquandò Ora-

66 toria: hinc Ecclesiam S. Crucis, in qua Hilarius Papa fecit confessionem, & lignum Dominicum posuit, cum Cruce aurea, cum gemmis, quæ pensabant pondus librarum 20. Oratorium vocat Anastasius: attamen minora sacella, sive in urbe, sive extra constructa nominabantur Oratoria, ut videre est apud *Anastasium* 6. *Synodo cap.* 31.

Minora Oratoria dicuntur etiam Capellę. Ca-

67 pella dicta est, ut Durandus putat, *L.* 2. *cap.* 10. quod Reges Franci ad bellum procedentes cappam S. Martini Turonensis Episcopi secum ferrent, & cum hęc sub quodam tentorio servaretur, ab ipsa capa, nomen capellæ profluxit; cumque antiquitus in expeditionibus domunculę quædam ex pellibus caprarum supertectæ fierent, in quibus Missæ celebrabantur, inde *Capellæ* nomen tractum est. Hinc etiam factum, ut cum Galli B. Martini patrocinio præsentissimum Numen essent experti in bello adversus Ufigotas, tandem Presbyteri deferrent cucullum, qui Fran-

68 cis, & Germanis cappa, atque cappula dicitur, per diminutionem, de illius pallio nacti, quod nigrum, atque pendulum, ac amphibalon fuisse, Severus Sulpitius docet, utrumque scilicet villosum, stragulæ vestis usum suppeditans, *Pignattell. Tomo* 4. *Conf.* 98. *n.* 16.

Sed ultra distinctionem nominis, Oratoria ab Ecclesiis quoad jus quoque discriminantur - In Oratoriis privatis Missæ celebratio est interdicta, sunt enim ædificata ad orandum tantummodo, *can. unicuique de cons. dist.* 1. quod quemadmodum intelligatur, exposui hoc L. 2. *Tit.* 4. *in*

69 *explic. n.* 119. In Oratoriis publicis permittitur; & Oratoria hęc ostium habere debent in publica via, *cap. auctoritate de Privil. in* 6.

Permittit in his Missam celebrari simplex Episcopus; & permittendi facultatem exequi rectè po-

70 test, tametsi in Oratorio publico sit alia janua ingressum præbens in domum privatam, latè probat *Joann. Clericatus decis.* 8. *n.* 7. *Pignattellus Tom.* 1. *Conf.* 93. *n.* 27. & 28.

In Oratoriis verò privatis licentiam celebran-

71 di post Concilium Tridentinum solus Pontifex concedit, ut declaravit Sacra Congregatio, cujus mentio a nobis facta L. 1. *Tit.* 6. *n.* 119. *in expl.* & addo impræsentia *Passerin. de Poll. ...* *dist.* 2. *cap.* 5. *n.* 4. aliosque, quos congerit *Diana P.* 12. *Tract.* 1. *Resol.* 81. *Clericatus decis.* 8. *n.* 5.

Concedere solet Pontifex licentiam celebrandi in his Oratoriis privatis existentibus in domibus Principum, & nobilium, de quo stylo testatur Ventriglia *Tomo* 2. *Annot.* 10. *n.* 4. quidquid contra asserat Piasecius *in praxi P.* 2. *cap.* 3. *n.* 21. Imò Paulus V. id reservatum esse Pontifici, constituit, quę constitutio indicatur a Vivisno L. 3. *cap.* 2. *de Jure Patr. n.* 42.

Hæc facultas a Pontifice conceditur *per Breve*, 72 *Antonius de Luca ad Ventrigliam dicta Annot.* 9. *n.* 3.

Executio licentię celebrandi Missam in hisce Oratoriis committitur Ordinario ad hoc ut ipse cognoscat, numquid Oratorium sit decenter ex- 73
tructum, ornatum, & cum lapide consecrato, cum Altari tribus Mappis contecto, cum palliis, cum candelabris, tabella secretorum, missali, parva campana, calice, ceterisque necessariis. Ventriglia *ubi supra n.* 5. Quare in Brevi Apo- 74
stolico hoc significant illa verba: *dummodò Oratorium sit decenter, & competenter ornatum, & a secularibus curis sejunctum*, & quamvis omnia ibi adessent necessaria; ahuc est in arbitrio Episcopi dare hanc licentiam, nam semper ponitur clausula arbitrio Ordinarii *Thomas de Rosa de execut. liter. cap.* 18. *n.* 5.

Apponitur etiam in hoc Brevi clausula illa: *sine prajudicio Jurium Parochialium*, quæ in- 75
telligitur de Juribus illis, quæ spectant ad Parochum ratione Sacramentorum, *Rota ubi supra n.* 6.

Attamèn Clemens X. *Domina Joanna de Tolfa Ducisse Gravinæ* per Breve tradidit facultatem, 76
ut Sacrum in privato Oratorio audiret absque Ordinaria approbatione cum facultate recipiendi Sacramenta, etiam in die Paschæ Resurrectionis; narrat *Rota ibid. n.* 8. - Quemadmodum in Capellis, & Oratoriis Palatiorum, in quibus resident publici Rectores urbium, & arcium Serenissimę Reip. Venetæ, celebratur Missa, 77
absque ulla limitatione, ex indulto Apostolico, ut testatur *Joannes clericatus decis.* 8. *n.* 13. Quemadmodum etiam, in Oratoriis erectis ad celebrationem in Palatiis Em. Cardinalium, celebrare possunt, ipsi Cardinales, & exteri quoque Sacerdotes, Brancatius *in dissertatione de Privil. Cappellæ Card. Diana P.* 5. *per tot. Tract. de potestate, & Privil. Card.* Quemadmodum, & Episcopi possunt habere Oratorium Privatum in propriis ædibus, & in eo Missam celebrare, 78
vel coram se celebrare facere; etiam in itinere super Altare portatile, *cap. ult. de Privil. in* 6. & hoc Privilegium non fuisse revocatum a *Concil. Trid. sess.* 22. *in decr. de celebr. mis.* declaravit Sacra Congregatio apud *Vgolin. de Off. Episcop. cap.* 2. §. 2. *n.* 4. - Imo, si velit in hoc Altari, aut in Oratorio privato extra Diœcesim celebrare, cum versu: *sit nomen D. benedictum*, non obligati, ad licentiam petendam ab

Ordinario loci, probat *Jord. in Tomo* 2. L. 4. *Tit.* 1. *n.* 131. qui narrat, ita sibi fuisse rescriptum a *S. Congreg. anno* 1633 dum Venetiis moriretur, pro defensione Jurium Ecclesiæ suæ Traguriensis.

Excipitur tamen Roma, ubi propter Pontificis reverentiam non permittitur usus Altaris portatilis, *Antonellus de loco leg.* L. 2. *cap.* 5. *n.* 1. *et* 6.

Hæc omnia eo spectant, ut intelligatur discrimen, inter Oratoria publica, & privata; nam ut jam constat in Oratoriis publicis permittitur, Missam celebrari, Episcopus; in privatis vero ad hoc ut missa celebrari possit, prærequiritur indultum Apostolicum.

Sed antequam ad alia progrediamur; illa quæstio agitari solet, an in privatis Oratoriis
79 Missæ præcepto satisfaciat aliquis etiam extra familiam, cujus intuitu concessa est facultas per indultum Pontificium?

Et satisfacere receptius quidam putant, ut alibi diximus, nempe hoc *Lib. Tit.* 6. *n.* 119. *pag.* 127.

80 Contrarium probat, veriusque fatetur *Pignatellus Tomo* 5. *consf.* 98. *n.* 109.

Probat. I. ex clausula ipsa, quæ in hisce Brevibus reperitur, ibi: *volumus autem, quod familiares servitiis non necessariis ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi existant.*

Probatur II. quia Sacrificium est publicè offerendum, *can. tabernaculum de cons. dist.* 1. *Trid. sess.* 22. *de celebr. Miss.*

Quare reiiciuntur à Brancat. *in dissert. de Privil. Capellæ Card. pag.* 30. Rationes, quas in contrarium adducit *Homobonus, Pellizarius, & Castropal.* tamquam falsæ, & divinatoriæ.

Non enim urget illa ratio, quod nempe his temporibus, cessante obligatione audiendi Missam in Parochiali Ecclesia, possit audiri in privato Oratorio.

Nam respondetur ad satisfaciendum præcepto requiri, ut Missa audiatur in Ecclesia publica, & ita novissime defendit *Clericatus decis.* 8. *n.* 51. *Ventriglia Annot.* 19. §. *un. n.* 13.

Altera differentia inter Oratorium privatum, & publicum, quæ similiter ad præsens institutum
81 attinet, hæc est, quòd Oratorium privatum construi sine licentia Episcopi potest, *can. unicuique de cons. dist.* 1. ex quo Textu id deducit *Ventrigl. annot.* 19. §. *un. n.* 3. Idéque docet ut ipositione Text. *in cap. auctoritate de Privil. in* 6 ad hu. Oratoriū
82 non pertinere; Oratoriū verò publicum non potest erigi sine Episcopi auctoritate, *d. cap. auctoritate*. Hoc dirui non potest; illud ex libera voluntate construentis pendet, & hodiè Oratorium, cras erit aula privata, late *Pac. Jord. Tom.* 2. L. 7. *Tit.* 8. *verbo Visit. Orator. n.* 6. imo remanet profanum Loth. L. 1. *q.* 13. *n.* 19.

83 Illud autèm in nostro Titulo asseruimus, non posse intra limites Parochiæ Oratoria construi, nisi consensu Parochi etiam accedente, atque ita a Sacra Congregatione fuisse declaratum, refert Tondutus *Quæst. Beneficiar. cap.* 63. *n.* 18. dededucitur ex *cap. ad audientiam de Eccl. ad. cap. in his* 30. *de Privil. can. nemo, can. placuit de cons. dist.* 1. *Pignattell. Cons.* 52. *n.* 7. *Tomo* 3. *Rota Romana decisione* 12. *post Antonellum in tractatu de Iur. & on. Clericor. n.* 2.

[¦o] *Imponi.*

DISSERTATIO VIII.

An in Oratoriis campana valeat imponi?

Campanarum usus ad convocandum populum - Paulinus Nolæ urbis Campaniæ Episcopus, ad pia munia campanæ usum transtulisse fertur, Strabo *Lib. de reb. Eccl. cap.* 15. 84

Quidam arbitrantur, Sabinianum Pontificem hunc sonitum introduxisse, *Polid. Virg.* L. 6. *cap.* 12. Sed perperam, nam D. Hieronymus, qui ducentis annis ante Sabinianum floruit, campanarum mentionem facit, *cap.* 33 *de Reg. Mon.* ibi: *ad matutinas excubias media nox vos præparet: nullum ex vobis dormientem reperiat campanilis sonitus* - Olim quidem campanæ usum supplebat lignorum fragor. Quare in VII. Syodo:
.. Cum Sanctæ Civitati Reliquiæ Sacræ appro-
.. pinquassent omnibus ea res fuit declarata, &
.. significata; Itaque lætitia magna perfusi om-
.. nes surgentes subitò lignaque sacra pulsantes
.. invicem obviam facti sunt. In Grecia campanæ usus cæpit *anno* 805. cum eo anno Ursus Dux Venetus, campanas Michaeli Imperatori misisset *Baron. an.* 865. In Ecclesia Latina Sacri æris pultatio ab anno 600. cæpisse, colligitur *ex cap. custos de off. cust.* nam sexto saeculo *Liber Romani ordinis* compositus, fertur, de sonitu campanarum est Textus *in cap.* 1. *de celebr. Miss. in can. solent dè cons. dist.* 1. *in cap.* 2. *de off. custod. in cap. Ioannes de hom. cap. in causis de el. cap. nimis de excess. Prælat. cap. fin. eod. in* 6.

Quod attinet ergò ad Oratória; plane Oratoria privata non debent habere campanam, ut docet *Barbosa de Jure Ecclesiastico* L. 2. *cap.* 8. *n.* 3. *Ventriglia annot.* 10. §. *un. n.* 3. Oratorium 85
verò publicum potest habere campanam, & campanile, *Ventriglia ubi supra n.* 10. *Clericatus decis.* 8. *n.* 2. *Fuscus de visit.* L. 1. *cap.* 14. 86

Quod si erigenda sit Ecclesia cum tur i hac sacro ære sonante, diligenter providendum, ne 87
Parocho officiat, *Tondutus Quæst. Benef. cap.* 61. *n.* 3. An verò petenda sit ultra Episcopum Parochi licentia, ex ipso Tonduto deducitur in casu cujusdam sodalitatis. Et Juris Parochialis campana signum est; quare Parochus electus, per funem campanæ investitur, *Gonzalez in cap. patentibus de Privil. n.* 7. *Ventriglia annot.* 17. §. 1.

Ac propterea ob nimiam propinquitatē Ecclesiæ Parochialis, Parochus ædificanti novū campanile nunciare potest novum opus, *Tondutus Quæst.*

Benef.

Benef. part. 3. cap. 132. Fontanella decis. 403. n. 21. Sanfelicius decis. 127. n. 1.

89 Et Sacra Congregatio in casu, in quo campanile distabat a Monasterio palmis 40. mandavit, amoveri campanas, in nova turr jam collocatas, *in una Florentina sub die 31. Jan. 1641.* Quæ declaratio refertur a decis. 6. post. *Antonellum de Juribus, & onerib. Cler.*

Tandem et illud de campanis in Oratoriis collocandis notandum est, esse singularem extravagantem Ioannis 22. *Tit. de offic. cust.* qua ita decernitur: ordinamus, quòd Relligiosi dictorum .. Ordinum Mendicantium in nullo conventu .. suo, seu loco plures campanas habeant, sine .. Sedis Apostolicæ licentia speciali &c.

Una ergò campana a Relligiosis habenda est, *cap. nimis de excess. prael.* A Monachis plures haberi possunt, *cap. in causa de elect.* - Quamquam
90 & alii Relligiosi ex consuetudine plures habere campanas possunt, *Barbosa voto 102. n. 62. Gonzalez in d. cap. patentibus n. 8. in fine.*

(p) Nunciare.

Nunciatio locum habet in ædificantem turrim ad usum campanæ.

Hanc Tituli partem satis comprobat res ju-
91 dicata; nam in Civitate Florentiæ, cum campanile P.P. Discalceatorum officeret Ecclesiæ Monialium Spiritus S. Moniales nunciarunt novum opus P.P. Discalceatis, & causa Romæ discussa; Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, decrevit asportari campanas in aliud campanile, ut *ex ejus* decreto *sub die 31. Junii 1642.* & extat in *VII. post Antonellum de Iur. & onerib. Cler. n. 3. ejusdem decis.*

[q) Ædificandos.

DISSERTATIO IX.

De Basilicis in quo differant ab Oratoriis, & aliis Ecclesiis.

92

Prius quàm Templa in honorem Sanctorum extructa, & dedicata fuissent, Parochiales tantum Ecclesiæ, & Cathedralia Templa extiterunt, notat eruditè Pignatellus *Tomo 4. Cons. 98.*

Quamquam hæc vox *Templum* propter recentem memoriam Sacerdotis Aaronici, & copiam Templorum Gentium admodum tatò usurpabatur a primis Christianis, & pro Templis Ecclesias dicere consueverunt, & hoc sensu negat *Hieronymus*, Christianos habere Templa. Ceterum invenimus hoc nomen Templi apud *Nazianzenum Orat. in Gorgoniam sororem*, *apud Chrysost. hom. 51.* apud Lactantium in carmine de Passione D.

Quisquis ades mediique subis in limina Templi
Siste parum -

Inter Ecclesiam, & Templum hæc differentia est, quòd Ecclesia appellatur illa, quæ veram receperit consecrationem, *can. non oportet de cons. dist. 1. can. possessio 16. q. 5.* Templum, cum simpliciter fuerit benedictum, quæ distinctio variis canonibus probatur a *Glossa in cap. si Ecclesiam de cons. Eccl. vel Alt.* Imo quæ fuit ad consecrationem Ecclesia extructa, & destinata non vocatur Ecclesia; sed Basilica, *can. nunc autem de Relligiosis domib. & ibi glossa in verbo dedicanda*; sicut ille qui vocatur electus, deinde verò in consecratione nomen assumit *Episcopi*, & qui se dedicavit Relligioni, post professionem nomen novù Monachi assumit, *can. Virginib. 27. q. 1. can. si quis sacro ib.* - Basilicas tamen primi Christiani vocabant ea loca, in quibus Relliquiæ, memoriæ, & corpora Sanctorum Martyrum servabantur, Pignattellus *Tom. 4. cons. 98.* Vox Basilica apud Gentes significabat non Regiam domum, ut perperam Accursius intepetratur *in Tit. 16. Inst. §. 4. L. 2.* sed forum audiendis causis destinatum, a magnificentia Basilica dicta, quasi Rege digna, quare vetus inscriptio huc spectat *apud Onuphrium in urbe pag. 66. Stat. L. 1. Sibu. 1.*

Illic belligeri sublimis Regia Pauli.

Et quia aditus ad hæc loca cuivis otioso patebat, *subbasilicanos* appellat *Plautus capt. act. 4. Scena 13.*

Post annum 300. omnino vox Basilicæ ad ædes Sacras translata est, *Pignattellus ubi supra* Neque omittendum, quod a Glossæ distinctione supra tradita recedit Lottherius *L. 1. de Benef. cap. 165. n. 5.* qui ait, quod Ecclesia, cui adiacet Capella contigua, quæ sit major, *Templum* nuncupatur, nulla admissa differentia, an Ecclesia 93
sit consecrata, vel solum deputata Divinis Officiis,

Utcumque se res habeat, decursu temporis Basilicæ vocari ceperunt ipsæ Ecclesiæ Matrices. Matrix Ecclesia Cathedralis propriè appellatur, quià mater est, & magistra omnium Ecclesiarum, *cap. venerabili de V. S. cap. ex transmis-* 94
sa de præscript. Et Cathedralis ideò dicitur, quia in ea residet Episcopus, quia in ea Episcopi sedes est, seu cathedra, ut ex Divo Hieron notat *Tostat super Mat. cap. 1. q. 70.* Sedes namque Episcopi cathedra vocatur, prout antonomasticè, per cathedram D. Petri Ecclesia Romana designatur - *Joan. Scotus contra haeret. interrog. 5. fol. 87.* - Quare in dubio nomine
Ecclesiæ, abique alia expressione Sancti, intel- 95
ligitur Ecclesia Cathedralis ex antiquo stylo Romanæ Curiæ, *Grattan. discept. for. cap. 89. n. 32. Rota Romana P. divers. decis. 233. n. 4. Pellegrinus in praxi Vicar. P. 1. sect. 4. n. 2.*

Attamen etiam lato modo Ecclesiæ, quæ sub
se alias habent Ecclesias, dicuntur Matrices, *cap.* 96
ad audientiam de Eccl. ad. cap. transmissa de praescript. cap. praterea de transl. Clem. 1 de sent. excom. Tondutus P. 1. Resol. can. cap. 46. n. 10.

Item in hoc differt Templum ab Ecclesia, quod Ecclesia Parochialis *Templum* non dicitur. Imo olim solæ Parochiales Ecclesiæ, & Basilicæ extiterunt, ut supra monui *n. 92. in hac ipsa*

aduo-

adnotatione; cumque ultra Basilicam essent Ecclesiæ; constat, Parochias vocatas fuisse Ecclesias, usque hoc nomen deberi.

Tandem et quorumdam nominum adnotatio inutilis haud erit ad intelligendos varios canones - Ecclesiæ antiquitus vocabantur *Tituli*, licet
97 obtinuerit Romæ, ut non omnis Ecclesia *Titulus* dicatur; sed solum quæ insignior fuisset, cui præficeretur Cardinalis; Tituliqne dicti Ecclesiæ, quia ille locus, in quem fuisset illatum Crucis Vexillum, veluti præfixo titulo, Deo dicabatur, *Novell.* 147. *cap.* 7. Quare *in Concilio Bracar. can.* 31. *Presbyteri, qui in titulis consecrantur*, & de hac acceptione est *Textus in cap. dilectus de Capell. Mon.* Hinc *Clerici intitulati* pro beneficiatis, quia certę Ecclesię præfecti sunt, accipiuntur *cap.* 3. *de Cler. con.* latius *Gonz. in cap.* 4. *de Præb. in notis*; huc spectat Textus in *can. Episcopi* 80. *dist. in can.* 1. *dist.* 79. Attamen olim ad discernendum locum sacrum, consue-
98 verunt præfigi vela, seu tituli Principis, perindè ac rebus fiscalibus, quod vetuit deinceps fieri, Gregorius L. 5. *Epist.* 44. *Baronius anno* 112. *n.* 5. *Cuiac. in* L. *si quando C. de Bon. vacan. lib.* 10. Atque ita intelligitur *Textus in can.* 1. 16. *q.* 5.

Ecclesiæ dicebantur quoque *Martyria*: *Concil. Gangr. can.* 20. & in actis Concilii Calchedonensis frequens est mentio de Martyrio S. Euphemiæ, ubi Synodus est celebrata.

Dicebantur etiam *Concilia Sanctorum*; quod ibi congregarentur fideles.

Vocabantur similiter *Dominia*, seu *Cyriaca*, ut legere est in edicto Maximini, quod pro Christianis iam iam morituris edidit *apud Eusebium L.* 9. *cap.* 10.

(r) Exemptis.

Ad fabricandum in locis exemptis Pontificis consensus requiritur.

Hoc docet *Pignattellus Tomo* 1. *consf.* 91. *n.*
99 13. *Ventriglia ann.* 19 §. *un. n.* 43

Exemptos verò in locis non exemptis ædificare volentes, requirere, opus est Episcopi auctoritatem, *cap. cum olim Tex.* 2. *de Privil. cap. auctoritate eod in* 6. - Alioqnin ędificatum cæderet dominio, & jurisdictioni Episcopi. Quod si pręvia fuerit Episcopi licentia, & is sibi reservaverit aliquid, tum Ecclesia per exemptum
100 ædificata, exempta censebitur, *Cochier de Jur. in exempt. P.* 1. *q.* 36. *per tot.* Cui addo, Innocentium X. declarasse, Regulares, qui exempti sunt non ędificare fine assensu Episcopi, in *Bulla edita anno* 16. 52. *id. Octobr. qua est* 28. *in*
101 *Bull.* §. 1.

An verò exemptio extendatur ad futuras Ecclesias? disputat *idem Chochier P.* 4. *q.* 22. *ubi supra et* P. 1. *q.* 38.

(f) Necessaria.

DISSERTATIO X.

Cur olim Basilicæ prærequirebant assensum Pontificis?

Cum olim raræ admodum erigerentur Ecclesiæ, contentus Pontificis præcedebat ędificationem Ecclesiarum, *can Basilicas, can. certum est can. Ecclesia de cons. dist.* 1. - At temporum progressu, ædificatio Ecclesiarum non est de reservatis Pontifici; sed sufficit Episcopi licentia, quemadmodum eos canones intelligit *Pignatellus ubi supra*, & *Leonius P.* 1. *cap.* 5. *in Thes.* 102

In Ecclesiis tamèn Episcopalibus, Pontificius adhuc assensus exigitur, *can. mutationes* 7. *q.* 1. 193

Neque obstat Statutum quoddam cujus meminit *Maynardus de Privil. Eccl. art.* 24. per quod in quadam Rep. decretum erat, ut sine assensu Magistratus Ecclesia non erigeretur, argumento Textus, *in can. ult.* 96. *dist. in can. administratores* 23. *q.* 5.

Nam ad summum se defensores Ecclesiarum Magistratus exhibere debent, ut idem Maynardus respondet.

Neque obstat similiter Textus in §. 1. *Auth. de Privil. Ecclesiar. et Nov.* 11. *et cap.* 3. *de Eccl. Tit. et cap.* 4. *ib.*

Nam respondetur, solum ex his Textibus inferri, quod sit licitum laicali potestati procurare ędificationem Ecclesiæ, erectionemque. Sciendum namque, fuisse tres Civitates nomine Justinianęas, & Privilegio Archiepiscopatus donatas, Justinianęam in Africa, Cartaginiensem dictam; 104
aliam Justinianæam in Cypri Insula, quæ fuerat patria Theodorę uxoris Justiniani, *teste Nicephoro*; aliâ Justinianęam novam in Lazica Provincia, quę antea Petreir dicebatur, ut idem ait *in Novella* 28. *de moderatore Hellesponti*, quò spectat Textus *in can. frater* 16. *q.* 1. - Sic legimus, Carolum Magnum novem Episcopales sedes erexisse, Monasteriensem, Lugdero Præside - 105
Breriensem, Vuilicardo Præside; Mirdensem, Heriberto Presule; Halberstardensem in Saxonia, Suvitione Præsule; Padeburgensem, Hurimano Prę sule; Verdensem Sumberto Præsule, & refertur in *Const.* 8. *Novell. Alex. Conneni Tit. de erigend. Episcop. in Metropoles*, fuisse factum decretum Imperiale, impræsentia tunc convocatæ Synodi: *licere Imperatori Pontificalem Thronum*; *Ecclesiæ largiri*, & *Episcopatum*, *vel Archiepiscopatum in Metropolim erigere*.

Verum si intendebant prædicti Imperatores procurare hujusmodi Ecclesiarum erectiones prævio Pontificis consensu justa eorum Procuratio fuisset; sin autem id putabant, partem esse Imperialis auctoritatis toto cælo errabant; cum hoc unicè spectet ad Ecclesiasticam potestatem erigere Ecclesias Episcopales, *can. præcipimus* §. *si eius* 16. *q.* 6. *can. sicut de excess. Prel.* Quare quidquam decernere ad eos non pertinebat.

(t) Pri-

(*t*) *Pridie*.

DISSERTATIO XI.

Quid sit dedicatio, an differat a consecratione?

Duplex dedicatio Templi. Prima quæ sola benedictio est; altera, quæ consecratio passim vocatur, ut in *can. solemnitates de conf. dist.* 1. *can. si quis can. sicut ib. can. Ecclesias eod. Tit.* 106

Sciendum autem, ut plurimùm his temporibus Ecclesias non consecrari, sed tantum benedici - Imo benedictio tam differt a consecratione, ut etiam Sacerdoti benedictio committi possit in dignitate constituto, ut decrevit *Sacra Congregatio Rituum in Cameracensi*, prout refert *Barbosa de potestate Episcopi P.* 2. *alleg.* 28. - Quare, & Vicarius Capitularis id exequi potest *Piscar. in praxi Carem.* L. 2. *Sect.* 11. *cap.* 4. 5. *&* 6. *Marchett. de Vicar* Cap. P. 2. *cap* 14. *n.* 14. - Hæc vero Ecclesiarum benedictio magis usitata, quàm consecratio in Ecclesiis minoribus, ut testatur de hac observantia *Ventriglia Tom.* 1. *Annot.* 17. §. 1. *n.* 30. An non et dedicatio potest appellari? *Bejerlinck. verbo benedictio in principio*; An non et dedicata fuerat aliquo pacto Romæ Basilica Principis Apostolorum? & tamen hæc non fuit consecrata, nisi *anno* 1626. 14. *Kal. Decembr. ab Urbano VIII. Ventriglia annot.* 17. *Tom.* 1. §. 2. *n.* 2.

Cum ergo nondum erat consecrata, an non ille erat locus cultui Divino unicè dicatus? Ergò vox hæc *dedicatio* latè patet, neque ad solam consecrationem restringitur.

Verùm hactenus Dedicationem, quæ simplex benedictio est, consideravimus.

Sed et ipsa deputatio loci pro Ecclesiæ structura per Episcopum facta sacris ritibus, prout in hac parte Tituli diximus; dedicatio vocari potest, *argumento Textus in* L. *Sacra* 9. *ff. de rer. divis.* ibi: *Sacra loca ea sunt, quæ publicè sunt dedicata*, L. *ult. ff. ut in possessionem legat.* §. *Sacra Instit. de rer. divis.* - Quare et queritur Cicero Orat. *pro domo sua &c.* Quod ejus domus destructæ aream Clodius contra omne fas dedicasset. Et hæc vox *dedicatio* etiam personę, quæ se Apollini addixerit, tribuitur, Horatius L. 1. *ode* 31.

Quid dedicatum possit Apollinem
Vates? Quid orat &c.

Hinc et Clerici secundum Jus Sacrum dicati Deo dicuntur, *can. in sancta de conf. dist.* 1. ibi: .. ut Sacra vasa non ab aliis, quam a Sacratis, .. Dominoque dicatis contrectentur hominibus, .. confonat Textus in can. Ecclesias ib.

Quod verò diximus *in hac parte Tituli* ponendam in loco, ubi Ecclesia sit construenda, Crucem, variasque fundendas orationes, & aquarum aspersionibus locum esse benedicendum; id ex Pontificali deduximus idque consonum est Juri, ut paret ex *can. nemo Ecclesiam de conf. dist.* 1. *can. placuit* 1. *q.* 2. *Novella Justin.* 131. *cap.* 7. *de Eccl. Tit. coll.* 9. - Nec placet loquendi modus, quo utitur Vinnius ad *L.* 2. *Inst. Tit.* 1. §. .. *sacra*; dum ait: Principes Christiani curam .. Sacrorum Episcopis demandarunt, aliosque .. ritus, atque cæremonias, sublatis gentilibus, .. substituerunt.

Principes sæculares hoc jus cum non haberent, aliis impertire non poterant, pugnatque hic loquendi modus, adversaturque principiis Iuris Canonici, *can. duo sunt* 96. *dist. can. alius* 15. *q.* 6. *can. multiplex de pœn. dist.* 1.

Post quam igitur sic fuerit locus lustrali aqua perfusus ab Episcopo precibus, ritibusque Sacris adhibitis, dedicatio loci secuta erit; nam Damascenus *L.* 1. *de Ortodox. Fid. cap.* 14. definivit dedicationem, disiunctionem a circumiectis locis, ad eum finem, ut Deus in eo afficiatur gloria *Vesicapelius cap.* 23. *de serv. Missa*. Neque illud prӕteribo tacitus, non decipi Isidorum L. 6. *Orig. cap. de off.* dum ait: *Unde & errant, qui dedicationem consecrationem putant*. Eum conatur refellere Germonius *L.* 1. *de Sacr. Im. cap.* 2. quod juxta Æthnicos dedicare esset consecrare. Sed Isidorus defendi potest. Nam nisi & olim consecratio a dedicatione distincta fuisset, cur ergo ità loquitur Cicero *Or. pro domo sua*: *An Consecratio nullum habet Ius, dedicatio est relligiosa*?

(*u*) *Respicere*.

DISSERTATIO XII.

De Forma structurarum Ecclesiæ. Quid olim observaretur, quid his temporibus.

Jam igitur Sacri ædificii moles attollenda, jam omnia impromptu sunt; adsunt scientissimi Architecti, qui de partium convenientia, ac symmetria rectè judicent; illic sunt columnæ è rupibus excisæ, quæ substernantur pro fulcimento, alibi silices fornacis igne soluti, qui captus superinducendis saxis tenaces prӕstabunt, alibi lapidum strues, qui difficili advecti via laudem operi conciliabunt; alibi trabeationibus, & tignis longe optimi abietes, quos superincumbentium onerum pressus haud facile inflectat. 107

Sed quænam erunt partes Sacræ structurę? Planè si quod est in universitate ædificiorum, in quo tum extruendo, tum honestando magna artificum ingenia singularis industria se debeat ostendere, Templum est. Structura, & ædificatio Templi veteribus erat triplex, Dorica, Chorinthia, Jonica. Primi generis severior sine deliciis: quo exemplo fiebant Minervę, Marti Herculi, quod putarent virtutum nomina, plurimùm sola gravitate, & severitate capi. Secundi elegantiis, & ornamentis affluebat, eratque delicatior: Quomodo Veneri Floræ, Proserpinæ, fontium Nymphis fana condebantur. Postremi mediocrem & ornatum, & simplicitatem habebat. Sic Junoni, Libero, Dianæ, ut mediocritatis amantibus ædificabant.

Sacrorum Templorum molitio, partesque hæ fuerunt antiquitus.]

I. Pars

I. Pars, erat vestibulum, græce πρόναον, latine vestibulum porticusve, quæ tamen sacra non erat; in hoc vestibulo prima erat pœnitentium statio *can.* 11. *Gregorii Neocæsariensis* ibi: *Fletus extra januam Oratorii est*, in prima parte erat baptisterium, ut notat *Gibalinus de Clausura Reg. disq.* 1. *cap.* 2. §. 2. *n.* 6. *pag.* 51.

II. Pars erat navis, græce dicta ναῦς, seu gremium: hoc populus ad Divina Officia conveniebat, in cujus navis parte erat pœnitentium auditorum statio, quæ dicebatur ἀκρόασις, Quos tamen antecedebat aliorum pœnitentium ordo, qui *prostrati* dicebantur, & ibidem etiam in navi statio pænitentium quarti generis grece σύστασις latine consistentia. Hæc na is muro intermedio secabatur a primis Ecclesiæ foribus, usque ad Sanctuariū, pars hinc inde remanens fideles diversi sexus discriminabat, Januæ unius partis præfectura Diaconissę commissa, ut solas exciperet fęminas, latus aliud pro viris erat.

III. Pars *ambon* dicebatur, chorus videlicet, ad quem gradibus aliquot ascendebatur. Ambon erat inter navim, & Sanctuarium. Hoc erat pulpitum, ubi recitabatur Evangelium, & Epistolæ, & ex dypticis nomina recitabantur, *can. sane profertur* 28. *q.* 3.

IV. Pars Sanctuarium vocabatur, sive *Sancta Sanctorum*. Græcis vero ἱερατεῖον dicitur, quæ pars penitissima erat Ecclesiæ. Medium Sanctuarii occupabat primarium Altare, ita p situm ut Sacerdos, qui Sacris operabatur populum sp ctaret, qua forma Patriarchalium Ecclesiarum Romæ visuntur Sanctuaria. Altari tabernaculum erat superpositum, quatuor columnis sustentatum. Hoc Sanctuarium interjectis cancellis a reliqua Ecclesia disjungebatur. Tempore etiam Concilii Calchedonensis extra hos cancellos Judices, & Senatores resiuebant, ut patet ex *act.* 1. *ejusd. Concil.* ibi: *in medio ante cancellos Sanctissimi Altaris*; nec enim Sanctuarium Ecclesiæ Calchedonensis tantę erat amplitudinis, ut dici possit ambitu suo tam multos Antistites, tam numerosam Optimatum, Senatorumque multitudinem comprehendisse.

Hactenus de forma veteri Ecclesiarum; nunc de positu ipso aliquid enarrandum. Olim Ecclesiæ ad Orientem spectabant, *can. Ecclesiasticarum dist.* 11. Quare Sidonius Apollinaris *L.* 2. *Epist.* 10.

> *Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,*
> *Aut dextrum trabitur, sed arce frontis*
> *Ortum prospicit æquinoctialem*

His verò temporibus, sublata necessitate porticus, atrii, totum corpus Ecclesiæ in tres partes ubique divisum est. Prima pars Sacrarium est, ambitus ille, qui altare continet, septus cancellis, ubi Presbytero Sacra peragenti, suum munus præstant, exhibentque Sacri ministri, nullique laicorum ibi locus est, *cap.* 1. §. *prohibendum de cohab. Cler.* nec etiam Patrono, ex mente Sacræ Congreg. *apud Lother. L.* 1. *q.* 13. *n.* 23. *de Benef.* nisi doceatur, Jus sibi fuisse quęsitum per quadragenariam cum titulo, vel immemorabili, *cap. fin. de cons.* - Rex tamen Sedem ibi Regiam a regione Sedis Episcopalis, habet, *Rota coram Coccino decis.* 142. *n.* 3. *Lotherius ubi supra*.

Secunda pars est Chorus, ubi tamen soli Clerici canere deberent, *cap.* 1. *de vita, & hon. Cleric.* quę pars cedit Sanctuario; nec quod in Choro Sedes sit pro Episcopo, vel lignea vel marmorea ideo nobilior pars est; nam Sedes est solum insigne Cathedralis Ecclesiæ, prout explicat *Lotherius ibid. n.* 37.

Tertia pars est navis, quę a cancellis Sanctuarii vergit ad portam.

Circumquaque extruuntur varię Capellę Plura Altaria in una Ecclesia semper erigi potuerunt, probat Baronius *Tomo* 1. *anno* 57. Et tredecim, in una Ecclesia erecta fuisse, refert *D. Gregorius L.* 10 *dist.* 1. *Epist.* 5.

Nam juxta primævum institutū, ubicumque in Ecclesia esset sepulchrum S. Martyris, illic et Altare erigi consuevit, Baronius *anno* 53. *n.* 105. Et notetur, Capellas, in quibus nunc ponuntur Altaria, primum fuisse cubicula, quædam constructa solita orationis causa, *Lottherius ubi supra n.* 15.

His quoque temporibus necessitas cessavit, ritusque construendi Ecclesias ad Orientem versas. Quæris unde eam is cæperit introduci? Equidem usque ad tempora *S.* Leonis Magni constructio Ecclesiarum hac forma visebatur. Sed is Pontifex anno 433. prohibuit Catholicis orare facie ad Orientem conversa, ne viderentur convenire cum Manichæis, qui Sol m adorabant, huc spectat, quod ait Bellarminus *L.* 4. *de cultu Sanctor. cap.* 3. 108


(ζ) *Delinitum.*

Ritus consecrationis, & quid sit traditur.

Quæ in nostro contextu. de ritibus consecrationis dicuntur, respiciunt Romani Pontificalis 109 præscripta. *En quid* præscribat Romanum Pontificale *Tit. de Ecclesia consecrat. seu ded.* Pontifex consecrans, & qui petunt, sibi Ecclesiam consecrari, pręcedenti die jejunare debent; in vasculo mundo ponit Pontifex præcedenti die Reliquias includendas in Altari consecrando, in vasculo cum tribus granis thuris, & schedulam .. ita scriptam - anno - die - mensis - Ego N. .. Episcopus consecravi Ecclesiam, & Altare hoc .. in honorem Sancti N. et Relliquias Sanctorum .. Mart. N. in eo inclusi, & singulis Christi .. fidelibus hodie unum annum, & in die anni- .. versario consecrationis hujusmodi ipsam vi- .. sitantibus quadraginta dies de vera indulgen- .. tia in forma Ecclesiæ consueta concessi. Ubi Pontifex ad Ecclesiam novam venerit, ejus ju' a accenduntur duodecim candelæ ante sa. Cruces in pariete depictis.

Et post varias preces aquam benedicit, & sal. Tum incipit circuire Ecclesiam, ad manum dexteram aspergens aqua extrinsecus Ecclesiæ parietes

rietes, & post triplicem circuitum, percussionemque in liminari Ecclesiæ; priusquam per ostium ingrediatur, in eodem liminari signat cum Baculo Pastorali Crucem dicens: *Ecce Crucis signum, fugiant phantasmata cuncta*: Tum spargitur cinis per pavimentum Ecclesiæ, in modum Crucis, super quem cum extremitate Baculi Pastoralis scribit Episcopus Alphabetum Græcum, & Latinum, in hunc modum, ut subiecta figura ostendit.



Non scribitur literis hebraicis, quia Judæi a Fide recesserunt. Hæc vero scriptura Alphabeti repræsentat paginam utriusque Testamenti, quod per Crucem Christi adimpletum est, *Durandus L. 1. cap. 6. in Rat.* His peractis Episcopus aquam sale, cinere, & vino permixtam benedicit, & accedens ad ostium Ecclesiæ, in parte ejusdem superiore, & inferiore, Crucem Pastorali signat.

Accedens post hęc ad Altare consecrandum, intincto pollice in aqua illa, medium Altare benedicit, & extremas quatuor ejusdem partes, ipsumque septies circuit perfundens aquam, eamdem hyssopo, subinde eodem aspersionis ritu circuit ter Ecclesiam interius. Ultra hæc ex prædicta aqua cæmentum facit. Postea egressus Ecclesiam, ante actum consecrationis, sedens in faldistorio brevi sermone populum docet, quid sit consecratio, quantus honor Ecclesiis debeatur, quanti intersit decimas persolvi, & nulla interiecta mora leguntur decreta Concilii Trid. *sess. 22. cap. 11. de Refor. & sess. 25. cap. 11.* Tum ad fundatorem Episcopus loquitur, moneas, ut dotem assignet, & ejus responsio publico instrumento notatur. Quo peracto Episcopus Chrismate signat ostium in modum Crucis, & feretrum Relliquiarum introducitur; ubi Episcopus prope Altare venerit, pollice tincto S. Chrismate signat sepulchrū ubi asservandę sunt Relliquię; deinde in eo collocat vasculum Relliquiarum; cumque sepulchrum claudere mensa lapidea debeat, hęc a parte infima similiter Chrismate signatur, eamdemque, cæmento aptato, ad sepulchrum claudendum, superimponit, ac superne etiam Chrismate signat. Mox quinque Cruces imprimit ibidem oleo cathecumenorum, & post alias preces, ibidem totidem signa Crucis pollice Chrismate delibuto, facit. Tandem oleum cathecumenorum, & Chrisma super Altare effundit, illud manu dextera confricans; & deinde Chrismate duodecim parietum Cruces liniuntur. Altaris verò quatuor extrema, dimidiumque occupabunt quinque ex thure Cruces, quæ accenduntur, ut absumantur in cineres, & sacram unctionem imbibant. Et tandem frons Altaris, juncturæ mensę, & stipitis anguli Crucę signantur pariter Chrismate. En quid consecrationis Ecclesiæ sit, quam tamen variæ preces, ut Pontificale Romanum præscribit, precedunt.

(y) *Consecrationis.*

De Missa an necessaria in Consecratione?

En canonem Higini Papæ *in can. omnes 3. de cons. dist. 1.* ibi: *omnes Basilicæ cum Missa debent semper consecrari.* 110

At si forte Missa omitteretur, quamquàm eam omittere grave flagitium sit; tamen valeret consecratio, Barbosa *de Potest. Episc. p. 2. All. 27. n. 19.*

[z] *Ponendæ.*

DISSERTATIO XIII.

De Relliquiis Sanctorum, & agitur de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum.

Sine Relliquiis Altare non consecratur, *can. placuit 25. can. non oportet 28. can. Ecclesiæ de cons. dist. 1. Gregor. 1. L. 5. Epist. 50. Concil. Cartag. 5. cap. 14. Concil. Affrican. cap. 50.* Leo III. Padeburnæ, cum apud Carolum magnum esset, in Ecclesia ibidem recenter constructa quoddam Altare consecrans, adorandas in eo Relliquias Protomartyris Stephani, quas secum Romà detulerat, collocavit, *Baronius Tomo 9. annot. Christi 790.* 111

Relliquias porrò Sanctorum esse oportet, *D. Gregorius L. 5. Epist. 45.* ibi: *Ob hoc, quod suprascriptorum Sanctorum Relliquias illic collocare, Deo annuente, disponitis.* S. Paulinus *Natali 9. circa med.*

Spectans de superis Altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum
Corpora sedem

Sed non omnium Sanctorum Relliquiæ esse debent; sed Sanctorum Martyrum; quia Altaria sunt in memoriam sepulchrorum Martyrum. Quare olim ubicumque Martyr sepultus erat, illic & Altare erigebatur, *Baronius anno 57. n. 104. Bellarminus Controv. Tom. 11. de Rell. Sanct. L. 2. cap. 3.*

Relliquiæ hujusmodi Martyrum Sanctorum debent esse certæ, & non per somnia, & inanes imaginationes, *can. placuit de cons. dist. 1.* - In

112 Dioecesi Lexoviensi, Monachi Cœnobii Christiani sanitatis remedia per aquam certis carminibus incantatam, promittebant; cumque Procurator Monasterii pertica fuisset a Monachis occisus, Martyris titulo ab his Monachis colebatur, Baronius anno 1181. qua historia percipitur Textus in *cap. audivimus de Rell. & ven. Sanct.* - Lucilla potens, ac factiosa fæmina venerabatur Relliquias Martyris nondum aprobati, *Optatus Melev. L. 1. advers. Parmen.*

In Primitiva Ecclesia circumcelliones erant, qui prodigiosa mortis cupiditate, & Martyrii temeraria ambitione, prosiliebant in Templa, & Idola: non tam, ut ea zelo Fidei everterent, quàm ut provocarent Gentiles ad homicidium. Hoc genus Martyrum ex ostentatione semper abhorruit Ecclesia, quo pacto explicatur Textus *in can. Presbyteros* 32. 50. *dist.* & *can.* 60. *Consil. Illib.* Quæ interpretatio integra deducitur ex *D. Augustino in epist.* 50. *ad Bonifacium comitem.* Quibus circumcellionibus Martyrii laureolam denegasse Ecclesiam, probat *Gonzales in cap.* 60 *Concil. Illib.*

Donatistæ etiam Martyres suos pro Sanctis colebant, quo alludit D. Augustinus illis verbis: *Multi in terris venerantur, qui in infernis cruciantur, Bellarm. Tom. 1. Contr. de Sanct. Beat. L. 1. cap.* 9. nisi veriùs locum illum apocryphum libeat appellare.

Quare Concilium Cæsaraugustanum *can.* 2. jubet, ut Relliquiæ in quibuscumque locis de Arriana heresi inventæ fuerint, prolatæ, igne probentur.

Quidam Monachi Græci juxta Ecclesiam S. Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant; qui comprehensi, & cur hoc facerent, interrogati, confessi sunt, quod illa in Græciam essent tamquàm Sanctorum Relliquias portaturi, narrat D. Gregorius *L.* 3. *Epist.* 12. & 30.

Adelbertus capillos, & ungulas suas pro Sanctuario exhibuit; quem Zacharias Pontifex *in Synodo Romana* ab officio Sacerdotali deposuit, imposita pœnitentia severissima.

At quid est, quod audacia violare non tentet? *Teneamus fratres mei, unitatem (ait Textus in can. teneamus* 1. *q.* 1. *) Præter unitatem, & qui facit miracula, nihil est*; consonat *can. va qui dicitis, can. si quis* 11. *q.* 3.

113 Quare si quis attentaverit tantum scelus, ut rudi populo imponeret, ratio erit Judicis Ecclesiastici, ne hoc impunè fiat. Episcopi namque est decernere, de Relliquiarium veritate, & de miraculis earum *cap.* 1. & 2. *de Rellig. & vener. Sanct.* Ut de superstitione extirpanda *L. Mathematicos C. de Episc. aud. L. decernimus C. de Episc. & Cler.*

Ergò ad vitandas imposturas, eorum demum Martyrum Relliquiæ sunt adhibendæ, qui approbati, qui in numerum Sanctorum fuerint Ecclesiastica auctoritate relati, *sup. i. de Rellig. & ven. Sancti.*

In quo, observandum est, olim quidem Episcopos Populo proposuisse venerandos Martyres, 114 qui vitam summa animi constantia, ad Christianum nomen amplificandum profudissent; nam in Conciliis Provincialibus declarabant Martyres, & Cœlestium numero adscribebant, *can. omnis* 7. *q.* 1. *cap. venerabili de Test. cap.* 2. *de consf. dist.* 3. *cap. fin. de Fer.*

Imo et fideles aliquando ipsos Martyres, dum adhuc in carne positi paterentur, coluisse, & ipsis adhuc viventibus Templa extructa fuisse, ostendit exemplum S. Eneratiæ, de qua Aurelius Clemens *hymn.* 18. *Martyr.*

Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugusta dedit ipse Christus
Iuge viventis domus ut dicata
Martyris esset.

Et M. Maximus *in Epigr. de ead.*

Templa dicata sibi videt hac in corpore degens.

Quæ Episcopi consensu sequebantur, *Gonz. in cap.* 60. *Conceil. Illib.*

Multis quippe honoribus afficiebantur Sancti Martyres, etiam inter tentationes (sic enim vocabant olim Episcopi persecutionum calamitates) *Concil. Cartag.* 4. *can.* 42.

Ut enim omittam literas confessorias, de quibus egi hoc Libro Tit. . . n. . . omni honore a Sacerdotibus eos esse honorandos, statuit *Consil. Cart.* 4. *can.* 43.

Sepeliebantur hi solum in Ecclesiis, non autèm alii Catholici, ut qui virtute constantiæ præstitissent, singulari sepulturæ honore decorarentur, *Concil. Bracbar.* 1. *can.* 36. *D. Chrysostom. hom. quod Christus sit Deus L.* 2. *C. de Sacr. Eccl.*

Qua ratione honorificum fuit posteà Fidelibus juxta Martyrum sepolturas humari, *D. Chrysost. ead. hom.* Ac proinde non mirum, si et Templa aliquando viventibus ipsis, Episcopi consensu, fuerint erecta.

Verùm turpiter errant, qui hanc Episcoporum permissionem, per quam Martyres venerationi exponebantur, putant, fuisse canonizationem. 115 Ea solum erat beatificatio: Et inter utramque non leve discrimen est. Beatorum cultus Fidelibus permittitur, canonizatorum autem præcipitur. Canonizatio opus *clavis scientiæ est*; usus hujus clavis supremus est, utpote quo nova propositio sub fidei violatæ periculo ab universis Fidelibus asserenda proponatur; et hæc decernere ad solum spectat Pontificem.

Ergò etsi olim beatificatio permissa esset Episcopis, dum satis novissent, vere Martyrem aliquem extitisse. *Consil. Francof. can.* 42. Cum tamen segniores essent nonnulli Episcopi, in probandis Martyrum Relliquiis, unde fraudes, & imposturæ contingebant, ut initio hujus dissertationis exempla prolata demonstrant; jure beatificationem fraudibus expositam reservavit sibi Apostolica Sedes.

Videamus jam beatificationis, & canonizationis formam.

Beatificatio in hoc posita est, ut præcedente vitæ, & miraculorum discussione, Beatorum cultus

116 cultus Fidelibus permittatur, sed non præcipiatur. Beatificatio ergò supponit processum fabricarum, ex ordine speciali Sedis Apostolicæ, per quem Summus Pontifex certior redditur in forma probante, omnis anteactę vitæ Viri Dei. Atque est Beatificatio actus præparatorius, & dispositorius canonizationis, non verò actus ultimus, ultimumque judicium, ac definitivum. Per beatificationem tres cultus species tribuuntur - I. Nomen Beati, II. Missa, III. Officium in loco designato. Per canonizationem verò non tribuitur cultus limitatus, sed eriguntur in honorem Sancti Ecclesię, exponuntur Reliquię &c. Cumque beatificatio fit, Pontifex Bulla speciali nuncupat aliquem Beatum, ut *Urbanus VIII. anno 1627. die 23. Aprilis* declaravit, nuncupari Beatam Mariam Magdalenam de Pactiis, & Officium de ea celebrari, & Missam de Communi Virginum non Martyrum, & Romæ etiam in Ecclesia S. Joannis Florentinorum. Et similes beatificationes passim in Bullario leguntur. Et qui de beatificatione alia desiderat, adire potest *Bordonium Tomo 3. P. 3. Resol. 113. per tot.*

Canonizationis forma hęc est. Cum fama percrebuit justi alicujus; preces Pontifici porriguntur a Principe, vel a communitate, ut Vir Dei
117 Sanctus nuncupetur. Pontifex de consilio Cardinalium committit per Breve, Episcopos, vel Prelatos, instruere informationes de Sanctitate, & miraculis. Quæ transmittantur Romam, & Pontifex alios Commissarios instituit, ut ite um informationes perscrutentur. Post hæc Papa iterum committit tribus Cardinalibus, ut rigorosè omnia discutiant, Fitque id examen in Consistorio. Quod si omnia sibi constent, Pontifex de canonizatione facienda deliberat. Ad quam sic proceditur. Publicum celebratur Consistorium, & sedente Papa in Mitra, Patronus Orator vitam, miracula Viri Dei enarrat; & propterea nomine Principis vel Communitatis exorat suam Sanctitatem, ut eumdem canonizet. Hinc Papa habet Consistorium secretum omnium Prelatorum Romę, quos ad orandum Divinam Majestatem invitat, & ut sensum proprium ingenuè aperiant, numquid canonizatio concludatur. Quo omnium conspiratione approbata, Papa diem assignat, & locum, ante quem diem jejunia indicit, & preces publicas.

Ipso die genuflexus Pontifex in Templo destinato, post Orationem Thronum ascendit ibi recepta Prelatorum veneratione, in Cathedra ante Altare posita ponitur, ibique *Sanctum* præconizat, vitam, & miracula enarrat, invitat omnes ad preces; ipse genuflexus *litaniam* dicit; qua absoluta Procurator instat secundo de canonizatione, cui Secretarius respondet, orandum Deum. Intonat Pontifex *Veni Creator Spiritus*. Ac tertiò renovat Procurator instantiam. Cui Secretarius respondet, *Sanctitatem suam piè credere, visum, & complacitum esse Spiritui Sancto, ut prænominatus N. Sanctorum numero adscribatur*. Hinc Prełatus unus assistentium Sententiam alta voce legit, cujus hic tenor est: *Auctoritate Domini N. Jesu Christi, & B. B. Petri, & Pauli Apostolorum, ac nostra N. in Cælestem Jerusalem fuisse receptum, & æterna gloria corona donatum, de Fratrum Nostrorum consilio declaramus, eumque tamquam Sanctum publicè, privatimque colendum esse, decernimus, & definimus.*

Ex quibus interim explicati remanent Textus *in can. omnis 7. q. 1. in can. teneamus 1. q. 1. in cap. cum Martha de celebr. Miss. in can. cathecumenum de consf. dist. 4. in cap. 1. de Reliq. in 6. in can. si quis dixerit 11. q. 3. in can si quis propera 50. dist. in can. corpora 37. de consf. dist. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 2. in cap. fin. de fer.*

Atque interim constat, quorum Martyrum Reliquię adhibendæ sint in Altaris consecratione, Sanctorum nempe Martyrum, non Beatorum. Quas olim in vasculis aureis reconditas fuisse, testatur *D. Hieronymus, contra Vigilantium* super hæc sepulchra Martyrum Missas celebrari, constituit *Felix 1. in Epist. ad Episcop. Gallia.*

(aa) Consecrationis.

DISSERTATIO XIV.

De Altaris consecratione, in quo sit posita?

Posita est Altaris consecratio præcipuè in conjunctione mensę, lapidis vid. superioris, & structuræ inferioris. Ità enim loquitur Innocentius 118
in *Rubr. de consecr. Ecclesia n. 1. ibi: Quia consecratio Ecclesia maximè consistit in unctione exteriori, & conjunctione, & dispositione lapidum.* Hinc si lapis, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus fuerit, aut Altare motum, reconsecratur, *cap. 1. & cap. 3. de consf. Altar.* si ita mutetur ut amittat priorem formam, 119
Leonius P. 1. cap. 5. n. 11. pag. 42. in Thes. Gonzales *in cap. 1. de consf. n. 1. in notis* vocē *sigilli*, de qua Textus *in d. cap. 1.* accipit de operimento Reliquiarium. Ego non assentior. Cum enim, ut supra exposuimus n. 100. juncturas Mensę Episcopus (ut est in Pontificali) Chrismate liniat, censeo, *sigillum* significare hujusmodi juncturas. Nam cur Altare motum, iterum est consecrandum? Ut ait Alexander *in cap. ad hæc de consf. Eccl.* consonat Textus *in cap. quod in dubiis ibid.* nisi quià mota tabula juncturæ illæ disgregantur, quibus veluti sigillum continetur? Quare et sigillum obsignationem literarum continet, *cap. ut nostrum de appell.* quamquam & significet instrumentum, quo literæ signantur, *cap. tertio quippe de probation.* Quare in hac quidem interpetratione lapsus est Gonzales, & Gavantus, cujus opinionem solum proferentes de hoc *sigillo* locuti sumus *hoc Lib. Tit. 6. n. 108.*

Quod verò pertinet ad Reliquias. Equidem arbitror, Chrismatis unctione consecrationem peragi, cum nimis expressi sint hac de re canones, ut Textus in *can. Altaria 31. & can.* Al-

Altaria 32. *de conf. dist.* 1. Quare & *Rietsl. Lucubr. Eccl.* L. 1. *cap.* 4. *per tot.* ostendit omittentem Relliquias, peccare quidem, sed validam tamen consecrationem esse, itemque *Barbosa de Jure Eccl.* L. 2. *cap.* 2. *n.* 33. ejusdem opinionis est.

120 Non obstat I. Textus *in can. placuit* 26. *de conf. dist.* 1. ibi: *placuit, ut Altaria* (& infra) *in quibus nullum corpus, aut Relliquiæ Martyrum condita probantur ab Episcopis* (& infra) *evertantur*.

Resp. hunc Textum reprehendere tantummodo quemdam abusum, qui invaluerat quibusdam in regionibus Affricæ; nam si per somnia, & per quorumlibet hominum revelationes indicatum fuisset, in aliquo loco sepultum esse Sanctum Martyrem, qui ibi passus fuisset; statim ibi erigebatur Altare; et sæpè accidebat, nullum in eo loco Corpus S. Martyris reperiri. Hoc reprehenditur a Concilio Affricano; & ideò statuitur *can.* 20. *ut Altaria, quæ passim, per agros, & per villas, tamquam memoria Martyrum construuntur, in quibus nullum Corpus, aut Relliquiæ Martyrum condita probantur, si fieri potest, evertantur*.

Non obstat II. Textus *in can. non oportet de conf. dist.* 1. ibi: *Ubi Martyrum Relliquiæ sunt deposita, ibi pro defunctis oblationes offerre*.

Sed Resp. solum ex hoc Textu probari Relliquias esse ad Altare consecrandum necessarias, quià Altaria sunt in memoriam Sepulchrorum Martyrum; quare olim ubicumque Martyr sepultus erat, illic et Altare erigebatur, *Baron. anno* 57. *n.* 104. Et addimus, has esse veteres Ecclesiæ traditiones, ut Relliquiæ nullatenus omittantur, *Concil. Nican.* 2. *can.* 7. ibi: *Templa, quæ consecrata sunt, si carent Relliquiis Martyrum, Relliquias accipiant: qui sine Relliquiis consecrat Templum, deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit*. Non tamen consecratio sine Relliquiis invalida est; imò validam esse, ex prælaudato Canone Concilii Niceni infertur, quamquam grave crimen sit Relliquias omittere, & ideò censurâ depositionis sequitur. Ventriglia *annot.* 20. §. *un. n.* 25.

Non obstat III. quod execratum dicatur Altare, sublatis Relliquiis.

Pro responsione, hoc quidem docet Fusc. de visit. *L.* 1. *cap.* 22. *n.* 5. Qui si intelligit, execratum esse Altare, cum sigillum frangitur, ubi
121 sacræ Relliquiæ continentur, & propterea mensa amovetur, ultrò id concedimus; nam canones de hac amotione loquuntur, ut Textus *in can. si motum fuerit Altare de conf. dist.* 1. Consecratio quippe Altaris præsertim intelligitur, esse in conjunctione mensæ, scilicet lapidis superioris, & structuræ inferioris, consonat Textus *in cap. ad hæc de conf. Eccl. vel Alt.* & Textus *in can. de fabrica de consecr. dist.* 1.

(*bb*) *Consecrationis*.

An die feriato consecretur Ecclesia?

Ecclesia die festo consecranda; at si alio die consecratio peracta sit, ea valida censenda, *Textus, in cap.* 2. *de conf. Eccl. Ventriglia annot.* 17. §. 2. *n.* 8. 121

[*cc*] *Agapes*.

Quid essent Agapes, & an sublatæ.

Fuerunt inter Christianos quædam publicorum epulorum genera; nempe Natalitia, Connubialia, Eucharistica, & quæ in dedicationibus Ecclesiarum celebrabantur, quæ cuncta Gregor. Nazzianzenus, & alii sacra vocant, ob pietatem, modestiam, & temperantiam, de quibus Baronius *Tomo* 1. *Annal. anno* 57. *n.* 129. *Gretser. de fun. Christi* L. 3. *cap.* 5. & 6. Prædicta omnia, constat, Agapas fuisse vocata ob dilectionem *Tertullian. in Apologet. cap.* 39. ibi: *Cana nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim ἀγάπη, id, quod dilectio penes græcos est*; ex quibus interim explicantur Textus *in can. nonnulli* 41. *dist. in can.* 1. *in can. non oportet* 42. *dist.* 122

Ratio autem, cur in dedicatione Templi solerent prandia institui, ex alia notitia pendet; nam cum simplex, & imperitum vulgus propter corporis voluptates in errore colendi simulacra, permaneret, quò facilius Ecclesia in eis allequeretur, quod optabat, nempe, ut vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur, permisit Agapes, permisit, ut in memoriam Sanctorum se exhilararent, quæ ratio est apud *Gregor. Nyssen. in vita Magni Greg.* Cumque Ecclesiæ dedicentur in sanguine alicujus Martyris; ideo quod servabatur olim in sepulchris Martyrum, in dedicatione pariter Ecclesiarum erat in usu. Sed ob nimiam impensam, erat enim pauperum ingens copia advocanda ad mensam: abierunt Agapes in desuetudinem. En locum *D. Gregorii l. Epist.* 14. *ad Petrum Subdiaconum pro dedicatione Oratorii S. Mariæ*, ubi notetur, quid pro Agapis dandum esset: *in auro solidos* 10. *vini amphoras* 30. *annonæ modios* 200. olei orias duas, *verveces* 12. *gallinas* 100. *in supplementum inopiæ ejus, qua dedicaretur, Ecclesia*.

Quare sublatæ fuerunt Agapes. Et in hunc sensum intelligo Textum in *can. non oportet in fine de conf. dist.* 1. ibi: *nec liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, videatur Cabassutius in dissert. de Agap.*

(*dd*) *Deputetur*.

Quis sit Ecclesiæ consecrator?

Minister consecrationis ille esse debet, qui caractherem habeat Episcopalem, *cap. aquæ de conf. Eccl. can. nemo, can. hic de consecr. dist.* 1. *cap. proposuisti hoc T. cap. constitutus de Relig. dom.* 123

Quid nam verò significant Textus in *can. nemo*, *in can. is* 14. *de conf. dist.* 1. dum ajunt, ab Epis-

ab Episcopo Civitatis Ecclesiam esse consecrandam? Significant, a consecratione excludi Chorepiscopos, qui in suburbiis habitabant.

Ergò excluditur Presbyter. Nec quod dicitur *in can. Altaria* 32. *de conf. dist.* 1. ibi: *Altaria, placuit, non solum unctione Chrismatis; sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari*; significat, Sacerdotem sufficere consecrationi; sed ibi agitur de Episcopo, qui et Presbyter est, sed non simplex Presbyter; & ipse etiam Sacerdos dicitur *can. Episcopi* 11. *q.* 3.

Presbyter nihilominus potest ex delegatione Pontificis idoneus ad consecrationem reddi, ut aperte deducitur ex illa tolerantia, quæ vim habet dispensationis, de qua Textus, in *cap. aqua de conf. Eccl.* & communiter ibi scribentes adducti a *Ventrigl. annot.* 17. §. 2. *n.* 7.

[*ee*] *Ab Episcopo.*

Sede vacante Ecclesia non consecrantur.

Dum Romæ est interregnum, Ecclesiarum consecratio celebrari non potest, docet *Gonzales recenter editus cum additionibus pag.* 770. *Tomo III.* ubi plura addit, quę transcribere supersedemus.
124

[*ff*) *Et Honorio IV.*

Prælati Regulares an consecrent Ecclesias?

Abbates, & Prælati Regulares, licet non possint solemniter consecrare suas Ecclesias; possunt tamen illas benedicere etiam solemniter, ex Privilegiis eis specialiter concessis per Sedem Apostolicam, prout testatur *Tamburinus de Jure Abbat. Tom* 1. *disp.* 23. *Quæst.* 9. *n.* 3. Et Leonem X. & Julium II. & Honorium IV. hoc indulsisse, testatur Ventrigl. *annot.* 17. §. 2. *n.* 26. & 32.
125

(*gg*) *Celebrandas.*

De Encaniis.

Encæniæ vox tracta est ab Hebræis, nec aliud significat, quàm solemnitatem dedicationis Ecclesiæ. Quare S. Augustinus *Tract.* 48. *in Joan.* ibi: *usus obtinuit, ut si quis nova tunica induatur, encaeniare dicatur.* Memoria igitur, quæ singulis annis dedicatæ Ecclesiæ renovatur, Encænia dicitur. Gregorius Nazzianzenus in *Orat. in novam dom.* sic incipit: *De Encaeniis honorandis Lex vetus est, eaque praclarè constituta.*
126

Atque hæc festivitas indicitur statim post consecrationem, *can. solemnitates, & can. seq. de conf. dist.* 1. Christi Domini exemplo præeunte, nam et ipse Encęnia celebravit, *D. Joan. cap.* 10. Quem pium Ecclesiæ ritum defendit contra Novatores Bellarm. *Tomo* 3. *Contr. L.* 3. *de cultu Sanct. cap.* 5.

(*hh*) *Diem.*

Dies Encaniorum an mutari possit?

Festivus dedicationis dies respondere debet illi ipsi, in quo facta est consecratio, neque pietatis intuitu variare permittitur, ut decrevit *Sacra Congregatio rituum in Arim.* 16. *Oct.* 1604. Verùm, si hęc dies incidat in Dominicam Quadragesimæ, potest transferri in secundam Dominicam post Pascha, ut declaravit eadem *Sacra Congreg. rituum in Phreandensi* 19. *an.* 1609. 127

Imo, tametsi consecrator in actu consecrationis festum indicat attamen poterit Encenias ad alium diem, & tempus transferre, *Sacra Congreg. ritu.* 29. *Febr.* 1585. Extra actum verò consecrationis non potest amplius mutari festum, inconsulta Sede Apostolica, prout tenuit eadem *Sacra Congr.* 18. *Oct.* 1604. Quę omnes declarationes, sunt apud Ventrig. *Tom* 2. *annot.* 17. §. 2. *n.* 8. & 9.

(*ii*) *Anno.*

Omnes declarationes, quæ sub §. *Ecclesia positæ* sunt, extant apud *Ventrigliam ubi supra.*

(*ll*) *Violantur.*

DISSERTATIO XV.

Ubi casus examinantur violationis Ecclesiæ.

Adducti quidem in nostro Titulo fuerunt casus præcipui violationis Ecclesię. Adhuc diligentius iidem explicandi sunt. 128

Quod attinet ad violationem Ecclesiæ ob homicidium in Ecclesia patratum.

De hac violatione sunt Textus *in can. si motum de conf. dist.* 1. *in cap. proposuisti* 4. *hoc T. in cap. qualis* 25. *in cap. fin. de homicidio.*

Homicidium, ut violet Ecclesiam, debet esse injuriosum Ecclesię.

Est injuriosum quocumque modo, vel instrumento contingat, vel suffocatione, vel contusione, cum Textus prædicti non distingnant.

Est injuriosum Ecclesię, tametsi in ea solum mortiferum vulnus inflictum sit, & sauciatus extra moriatur, *cap. proposuisti ibid.*

Est injuriosum, licet jussu Iudicis sequatur, cum injuriosa sit executio, *cap. domum de imm. in* 6.

Non est injuriosum homicidium involuntarium, *can. qualis* 25. *cap. fin. de hom.* Et quia censetur homicidium involuntarium, quod ob necessariam sui defensionem fit, id si sequatur, non erit Ecclesia violata, *cap.* 3. *de hom.*

Non est injuriosum homicidium a furioso patratum, *cap. qualis* 25. *de hom.*

Non est injuriosum homicidium, si quis extra Ecclesiam sauciatus in ea moriatur, *Gonzales in cap. cameteria de conf. Eccl. in com.*

Quod attinet ad violationem Ecclesię ob sanguinis effusionem, seminisve. De hac secunda violationis specie sunt Textus *in cap. si motum in cap. Ecclesiis de conf. dist.* 1. *in cap. fin. hoc*

T. in cap. un. eod. in 6. in cap. significasti de ad.

Talis effusio pariter injuriosa sit, necesse est, Ecclesiæ Sanctitati.

Est injuriosa sive a Fideli fiat, vel ab Infideli. Et plura de seminis effusione dicere, supervacaneum censeo, cum tam accurate hac de re differuerit Gonzalez ubi supra.

Quod attinet ad sepulturam, per quam contaminatur Ecclesia.

De hac tertia specie violationis sunt Textus, in cap. in consilium hoc T. can. Ecclesiam 28. de cons. dist. 1. cap. sacris de sepult.

Qui in loco sacro, privatos Ecclesiastica sepultura ausi fuerint humare, excomunicationem incurrunt, Clem. 1. de sepult. in 6. Et si in Ecclesia fuerint sepulti, debent exhumari, cap. sacris 12. de sep. can. Ecclesiam de cons. dist. 1.

130 Verùm Ecclesia reconcilianda non est, nisi in ea fuerit sepultus excomunicatus denunciatus, vel infidelis, quo casu etiam parietes abradi debent, can. Ecclesiam 2. dist. 1. de cons.

Multi enim privantur Ecclesiastica sepultura, ut moriens in exercendis torneamentis, cap. 1. de torneam. Ut moriens in duello, Trident. sess. 25. de Reform. cap. 19. Iul. II, in Const. 19. in Bullar. Nou. Tom. 1. licet nulli Patrini fuissent vocati Gregor. XIII. in const. 78. quæ incipit ad tollendum. Ut usurarii, cap. quoniam de sepult. in 6.

Attamen Ecclesiam non ità deturpant, ut Infidel um cadavera, & excommunicatorum; & ideo ob eorum sepulturam non est reconcilianda, ut distinguit Marchettus in praxi Vic. cap. 3. Part. Tit. 38. §. 3.

Et tam abhorrent canones Infidelium conditionem, ut si Ecclesiæ consecratæ occupatæ fuerint ab hereticis, ipsæ reconciliandæ sint. En

131 Textum singularem Concilii Aurelianensis 1. can. 10. ibi: De hæreticis Clericis, qui ad fidem „ Catholicam pl ni fide, & vnluntate venerint, „ vel de Basilicis, quas in perversitate sua Gothi „ hactenus habuerunt, id censuimus observari, „ ut, si Clerici fideliter converrantur, & fidem „ Catholicam integrè confiteantur, vel ita di„ gnam morum, & actuum probitate custo„ diant, officium, quo eos, Episcopus, dignos „ esse, censuerit, cum impositæ manus benedi„ dictione suscipiant, & Ecclesias simili, quo „ nostræ innovari solent, placuit, ordine consecrari. Plura alia tradемus in Tit. de sepultur. hoc eod. Lib.

(mm) Olim.

Olim non solum reconciliabantur Ecclesiæ.

132 Olim Ecclesia polluta reconciliabatur, & postea iterum consecrabatur. Donec propter difficultatem convocandi Episcopos ad consecrationem, tantum Ecclesiæ cæperunt reconciliari, ut aperte constat ex cap. proposuisti hoc Tit. Notat Gonz. in cap. cameteria n. 10. de cons. Eccl. in comm.

(nn) Restauratio.

DISSERTATIO XVI.

Quid olim quoad reparationem Ecclesiæ servaretur.

Proderit ad claram, distinctamque notitiam 133 hujus articuli dispicere Jus vetus; nam Sacrorum canonum disciplina modicis finibus non continetur. Et omne tulit punctum, qui vetustatis cognitionem, cum observantia nostrorum temporum conjunxerit, & copulaverit.

Olim igitur Ecclesiæ reparabantur ab Episcopis ex tertiis Ecclesiarum Parochialium, cap. decrevimus 10. q. 1. in quo Textu malè legitur ordinatori; nam in exemplaribus Concilii Tarraconensis, ex cujus Concilii cap. 8. hic canon desumptus fuit a Gratiano, legitur ordinatione ipsius, & ità Textus emendandus. Quare ex hoc Textu diversam inductionem non admiserim, quam adhibet Lottherius L. 1. q. 13. de re benef. n. 50. & 51. Cum enim Parochus redditus Beneficiorum partiretur cum Episcopo, qui & fabricæ, & restaurationis curam subibat, & cum pauperibus, quarta parte contentus; tunc quidem Parochus ab hoc onere immunis erat, quem in sensum accipiendi sunt Textus in can. de redditibus, in can. quatuor 12. q. 2. Notavit etiam Petrus Gregorius in Syntag. m. P 2. cap. 24. n. 4

Posteà verò Episcopalis pars, ejus rei gratia, & pauperum quoque, quæ in pauperes distribuenda est, apud Parochum r mansit; quod patet ex can. unio 10. q. 3. ibi: Unio nostra congregationis decernit, atque instituit, ut tertias, quas antiqui canones de Parochiis suis habendas Episcopis, censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis diruta Ecclesia reparentur. Sin vero, eas maluerint cedere; ab earumdem Ecclesiarum cultoribus sub cura, & sollicitudine, sui Pontificis reparatio ejusdem est adhibenda Basilicis, & clarius rem hanc explicat Textus in can. prifcis cad. caus. & q. ibi: Priscis quidem canonibus erat decretum, ut Episcopus de Parochianis Ecclesiis tertiam consequeretur (& in fine, postquam id Concilium Emeritense prohibuit) ait juxta exemplaria Concilii: Sed quæque exinde consequi poterat; totum in reparatione ipsarum Basilicarum proficiat.

Ergò ex hoc etiam canone dignoscitur, eam tertiam, quam olim Episcopus a Parochis exigebat ad restaurationem, postea Parochis ad eumdem reparationis effectum fuisse relictam. Atqui idem statuitur in cap. placuit 10. q. 3. in can. de his 10. q. 1. in can. ult. 12. q. 3.

Rogabit aliquis, quarum rerum hæc portio, quam deducebat olim Episcopus, intelligatur?

Sciendum est, portionem hanc in Jure vocari canonicam, cap. de his extra de testam. Porrò hæc canonica portio Episcopo debetur ex legatis piis, decimis, & aliis, quæ occasione funeris Ecclesiæ obveniunt, can. constituimus 16. q. 1.

Clem.

Clem. dudum de sepult. cap. de quarta de praescript. cap. conquerente de Off. Ord. cap. dudum. de decim. cap. cum olim de consf. cap. cum inter de V. S. Et haec deducitur pro Episcopo; haec Episcopo debetur.

Rogabit iterum quis; at quota pars esse debet? Nam &si supra dictum sit, hanc esse *tertiam partem*; attamen quarta pars praefinitur in *cap. requisisti de testamentis*, & quartam vocant Jura compilata *sub causa* 10. *q.* 3.

Notetur pro intellectu dissentientium canonum haec distinctio. Aut oblationes factae sunt Matrici Ecclesię; & tunc Episcopus dimidiam partem sibi vendicat, aut factae sunt inferioribus Ecclesiis, & tunc sibi vindicat solam tertiam partem, *Laimastre de Juribus Episcop. L.* 2. *cap.* 2.

Et hoc quidem in Hispania, alibi vero est 4. pars *can. quatuor, can. de redditibus* 10. *q.* 2.

His praenotatis; jam ut revertamur ad ea, quę propositi nostri sunt. Dico, priscis temporibus ex redditibus Ecclesiae quartam partem fabricę, & restaurationi Ecclesiae adjudicari solitam fuisse, vel tertiam si Ecclesia fuisset Parochialis; quod optimè explicat Textus in *can.* 2. *Concilii Bracbar.* ibi: *Nullus Episcoporum per suas Diaeceses ambulans praeter honorem Cathedrae suae, idest duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus requirat; sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiae, vel pro reparatione servetur.*

Et quamquàm ex hactenus traditis videatur, Episcopum jam nullam quartam deducere posse.

Attamen notetur singularis doctrina Glossae

134 *in can. unio* 10. *q.* 3. cujus verba haec sunt: *Sed verius est, quod Episcopus ad suum commodum habet unam tertiam pro se, & aliam, quam potest retinere, si vult subire onus fabricae.* Quod et docet *Petrus Greg. in Syntagm. P.* 1. *cap.* 1. *n.* 12. Hanc verò non retinet; quia onus fabricae reliquit Parocho.

Illa verò *tertia*, quam pro se retinet, versa fuit in cathedraticum, ut *Laimastre* putat, *ubi supra*. Qui licet refellatur a Gonzalez *in cap. fin. de Testamentis*; tamen opinio Laimastrae ex praecitato Canone *Concilii Bracharensis*, egregiè confirmatur. Res enim ita se habet ex historicę antiquitatis notitia, quam suggerit Granatius *in cap. sanctorum de censib. n.* 8. Tempore primitivae Ecclesię, cum pauperes essent Episcopi, de Episcopalibus Ecclesiis, & omnibus eorum bonis dimidium accipiebant, ut annuimus *supra* §. *notetur*, & constat ex *can. antiquos* 10. *q.* 1. Imo & ex omnibus Parochialibus etiam, *can. constitutum* 16. *q.* 1. idque eveniebat tempore primitivae Ecclesiae; sed procedente tempore Episcopi tantum ex Parochialibus tertiam oblationum, & decimarum accipiebant, *can. decrevimus* 10. *q.* 1. & aliam tertiam pro fabrica; postmodum prima tertia versa est in quartam, *can. vobis*, 12. *q.* 2. Tandem nihil habere caeperunt pręter cathedraticum, *can. placuit* 12. *q.* 4.

Quod verò potuerint Episcopi aliā illam *tertiam* relinquere aedituis, oeconomis, aut Parochis, ut eam expenderent pro reparatione Ecclesiarum, facile intelligitur; nam totum officium, quod circa reparationem Ecclesiarum impenditur, arbitrio Episcopi commissum erat, *can. omnes, can. Ecclesias de cons. dist.* 1. notat *Gramanictus in cap. quicumque de Eccl. ad. n.* 8. *in fin.* Idque ex consuetudine accidisse, docet *Lancellott. hoc T. in adn. in fine*.

(oo) *Necessarios.*

Fructus Parochi non sequestrantur ob reparationem Ecclesiae.

Declaravit Sacra Congregatio, non esse pro reparatione Ecclesiae sequestrandos Parocho neces- 135 sarios fructus ad ejus sustentationem, quae declaratio refertur a Barbosa ad Concilium *Trid. sess.* 21. *cap.* 7. *n.* 5. Quod tamèn ità intelligitur, si is resideat; secus si non resideret, *Riccius decis.* 293. *n.* 8. 4 *Part.*

(*pp*) *Pensionario.*

Omnes Beneficiati pro rata fructuum tenentur reparare suam Ecclesiam.

Si plures sint in eadem Ecclesia Beneficio insigniti; omnes ejus reparationi assentiri, & im- 136 pensas facere, oportet. Omnes, inquam ex generali dispositione Textus *in cap.* 1. *de Eccl. adif.* Imo etiam Pensionarius tenetur pro rata pensionis ad reparationem Ecclesiae, nisi pensio esset imposita libera ab omni onere, *Barbosa de off. & potestate Episcopi P.* 3. *alleg.* 64 *n.* 19. *Riccius decis.* 15. *n.* 2. *part.* 4 *deducit. ex Trid. sess.* 21. *cap.* 7. ibi: *& alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt.*

(*qq*] *Patroni.*

Patroni tenentur ad reparationem Ecclesiae.

Patroni obligantur in subsidium Ecclesiam reparare, *Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 7. *de Ref.* 137 ibi: *omnes Patronos* (& infra) *remediis opportunis ad praedicta cogant*; idque summa ratione statuitur; nam Patroni percipiunt ab Ecclesia commoda plurima, *cap. consultationibus de Jure Patr.*

(*rr*) *Parochiani.*

Parochiani tenentur ad reparationem Ecclesiae.

Cum hoc sit onus publicum, & commune 138 bonum concernens, teneri nobiles contribuere, & alios etiam exemptos, docent, *Avend. de exeq. mand. L.* 2. *cap.* 14. *n.* 19. *Cenedus coll.* 153. *n.* 2.

Et quod de Parochianis dictum est, praecipitur a *Concilio Trid.* jam citato his verbis: *Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant*, & deciditur in Textibus in nostro Titulo addu-

adductis late Barbosa *de Iure Ecclesiastico* L. 2. *cap.* 4. *n.* 7. *Bellettus disq. Cleric.* §. 14. *n.* 7.

Imò id verum est, quamquam etiam Parochiani ad reparationem ex consuetudine non teneantur ex doctrina recepta, quam tradit *Marta de Iurisd. P.* 2. *cap.* 48. *n.* 9. & *Bellettus loco indicato*.

Addo, quòd similiter Parochiani ad domum farciendam Parochi obligantur, ut declaravit Sacra Congregatio, *ad Concil. Trid.* quæ refertur *a Belletto* §. 14. *n.* 9.

(ss) Æstimi.

Parochiani ad reparationem tenentur pro rata sui æstimi.

139 Æstimum est taxatio, sive æstimatio, quæ fit Patrimonii cujusque, ut intelligatur, quantum sit illius æs, vel Patrimonium, ad effectum onera inducendi, ne unus pro alio indebitè gravetur, *L. forma ff. de Censibus*, dicitur & descriptio in L. 1. C. *de Apoch. Publ.* L. 10. Et fusius definitionem *æstimi* prosequitur *Nicolaus Festasius in Tract. de æstimo*.

Jam dum asserimus in *Titulo nostro*, pro rata sui æstimi Parochianos conferre oportere; signi-

140 ficamus, eos obligari non per capita hominum, nec per capita domorum, sed quoad solidum, & libram, id est secundum quantitatem Patrimonii, & juxta facultates, L. 1. *C. de apoch. publ.* L. 10. latius *Ventriglia Tom.* 2. *Ann.* 18. §. *un. n.* 21.

(tt) Remedium.

Ecclesia, quæ reparari non potest transferenda est ad matricem.

141 Aliud est transferre, aliud unire. Translatio Ecclesiarum vetustate collapsarum facta ad alias Ecclesias non dicitur unio, & proinde non posse per Episcopum illam revideri, idest, an rectè facta sit examinari ad terminos Textus *in cap.* 6. *Concil. Trid. sess.* 7. tradit Riccius in Praxi *part.* 2. *Ref.* 208. *per tot.*

Cum ergò transferuntur Beneficia, proventus, & jura collapsæ Ecclesiæ ad Matricem Ecclesiam; in hac ipsa Matrice Ecclesia erigendum est Altare sub eadem invocatione, imposito onere

142 titulari, ut nimirum Episcopus curet, ibi celebrari singulis hebdomadibus per Sacerdotem idoneum. Cæmeterium item probandum, & deinde ossa transferenda sunt ad novum cæmeterium, quod à Titulari construatur in eo loco, quo magis placuerit populo construendum, ità censuit Sacra Congregatio apud *Gallemart. ad Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 7.

Atque hæc quidem vera sunt de Ecclesiis inferioribus. Quid si minitetur ruinam Ecclesia Cathedralis? Hæc non est ad alium locum transferenda per Episcopum propria auctoritate; sed licentiam Apostolicæ Sedis præcedere, oportet, ut delaravit Sacra Congregatio apud *Ventrigliam Tomo* 2. *annot.* 18. §. *un. n.* 35. 143

Nam commutationes Sedium faciendæ sunt per Sedem Apostolicam, *cap.* 1. *de Transl. Episcopi, cap. un de excess. Pral.* ut hos Textus inducit *Lotther. de re Benef. L.* 1. *q.* 12. *n.* 38.

[uu] Destruatur.

Ecclesia, quæ reparari non potest, penitus diruenda.

Ecclesiam, quæ reparari non potest, penitus esse diruendam, habetur *ex Concilio Trid. sess.* 21 *cap.* 7. *Ventriglia, ubi supra, Barbosa de potestate Episcopi P.* 3. *alleg.* 64. *n.* 13. *Beltramin. Ludovis. decis.* 405. 144

Et deducitur ex *can. ligna de cons. dist.* 1. *ex can. quæ semel, & ibi Glossa* 19. *q.* 3. *ex can. Ecclesia de cons. dist. pr. ex cap. cum ex injuncto de novi oper. nunc*; Nam nequa omnis ædificatio Templi approbatur, *cap. nemo, cap si quis de cons. dist.* 1. ita & Ecclesiæ nonnunquam clauduntur, *can. Arrianorum de cons. dist. pr. can. Ecclesias* 17. *de cons. dist. pr.* maximeque id procedit, ne Ecclesiæ derelictæ, si per arva remaneant, receptaculum scelestarum actionum evadant, *can. quoniam* 19. *q.* 3.

(xx) Clerici.

In subsidium Clerici ad reparationem Cathedralis contribuunt.

Si Episcopus, & Canonicorum redditus non sufficiunt ad reparationem, potest Episcopus, & Capitulum compellere Clericos inferiores ad contribuendum de superabundantibus suis fructibus, deductis nempe necessariis ad victum, docet *Ventriglia multis congestis annot.* 18. §. *un. n.* 8. 145

Postremò sciendum est, tertiam partem redditnum Ecclesiarum esse hypothecatam pro reparatione, & aliis Ecclesiarum necessitatibus, ut ostendo *ex Concilio Provinciali Florentino cum rubrica cap.* 1. *Tit. de Ecclesiæ repar.* ibi: .. statuit, & ordinavit Sancta Synodus, tertiam .. partem redditnum Ecclesiarum esse hypothecatam pro reparatione, atque instauratione .. earum; item pro ornamentis, calicibus: li- .. bris, atque aliis ad Divinum cultum spectantibus, Quod tamen idem Concilium ità moderatur, dummodo duæ aliæ partes reddituum sint sufficientes sustentationi, ut ibi constat. Insuper id non intelligit de Ecclesiis habentibus *Operam*, ut dicunt. 146

DE UNIONIBUS
ECCLESIARUM.
TITULUS XXI.



Nio [*ut docet Lancellottus, ejus enim est hic Titulus*) nihil aliud est, quam duorum, pluriumve Ecclesiarum facta connexio, dicta ab uniendo ex eo, quod plures Ecclesiæ in unum (*a*) conjungantur.

Unionum autem duę sunt species, aut enim perpetuę sunt, aut temporales. Perpetuæ (*b*) sunt, quæ fiunt, ut sine præfinitione temporis perdurent. Temporales sunt [*c*], quæ ad certum tempus, puta ad alicujus vitam instituuntur.

Velut ergo ex causa una Ecclesia, vel Episcopatus in plures dividi permittitur, sic etiam rebus suadentibus plures Ecclesię, in unam coniungi possunt. Causæ vero unionum sunt, aut urgens necessitas, aut evidens utilitas. Necessitas, [*d*) veluti cum duæ Ecclesiæ adeo sunt pauperes, ut impossibile sit, earum proventus ad victum duorum Sacerdotum sufficere: aut si altera hostium immanitate desolata sit. Vtilitas, (*e*) ut cum locorum opportunitas id exposcit, vel temporis qualitas; puta quia in loco nunc Christianorum dicatur imminutus numerus: aut quia ob fructuum tenuitatem, non perinde idonei Sacerdotes ad beneficium procurandum inveniantur. His igitur casibus, ne quid detrimenti divinus cultus, & animarum cura patiatur, debent plura beneficia, vel Ecclesiæ in unum coniungi.

Non tamen omnibus passim quascumque Ecclesias uniendi potestas indistincte permittitur, sed certis dumtaxat servatis regulis. Etquidem sicut unire Episcopatus, atque potestati alienę subiicere, ad Summum Pontificem pertinere noscitur; [*g*) sic ad Episcopum (*h*) spectat Ecclesiarum suæ Dięcesis unio, atque subiectio. Ab Episcopo itaque inferiores (*i*) uniendi potestatem minime sibi vendicare poterunt. Ideoque, si Prior, vel Abbas Monasterium Monasterio subiecerit, vel unierit Episcopi consensu minime requisito, quod inconsulto Præsule fecerit, non subsistet, nec subiectionem, vel unionem Metropolitani consensus, vel confirmatio sustinebit: cum is in Diæcesi sui Suffraganei absque ipsius assensu non debeat aliquid contra constitutiones canonicas atttentare.

Usque adeo autem Episcopo in propria Diæcesi facultas uniendi com-

petit, ut si per eumdẽ consentiente Capitulo Ecclesia Ecclesię, dignitati, vel Præbendæ uniatur, aut Religioso loco donetur, ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei super hoc datus non extitit, nequaquam impugnari valeat.

Aliud tamèn obtinet, si quam is Ecclesiam mensæ suę, vel Capitulo uniendam duxerit: id enim (etsi Capituli consensus accesserit, & loci consuetudo suffragetur] irritùm penitùs erit. Cum unientium utilitas probabilem non rectè factæ unionis suspicionem ingerat.

Nec solùm (l) Capituli unientis Episcopi in unione consensus exigitur; sed etiam illorum, qui ex unione lædi possent. Unde si aut Collegiata, aut Patronata, aut alicujus Suffraganei Ecclesia sit unienda, Collegii, Patroni, & Suffraganei adsensum intervenire, oportebit.

Secuta (m) vero unione canonica, statim is, cujus Ecclesię alia per unionem est applicata, eamdem in unitam nanciscitur potestatem, & ius quod in ea olim habebat, cui ab initio pręfuit, statimque unitę Ecclesiæ eadem Privilegia competunt, quæ principali Ecclesiæ competere, comperiuntur.

Sed quęri poterit, si per indultum Apostolicum Ecclesia in certa Diœcesi constituta, puta in Perusina Ecclesiæ alterius Diœcesis, veluti Tiphernatis (n) unita fuerit, an Ecclesia per unionem alteri connexa per hoc a Jurisdictione Præsulis Perusini censeatur exempta, & Tiphernati subiecta? Et responsum est a jurisdictione prioris Episcopi unitam Ecclesiam non eximi, cum Rom. Pontifex, in hujusmodi unionibus singulis Episcopis jura sua inviolata servari, velit.

Dissolvetur [o) autèm unio, si temporalis sit, temporis lapsu: Quod si sit perpetua, cessantibus eisdem causis, ex quibus facta fuerat, ab iis itidem dissolvi poterit, quorum consensu, & auctoritate olim fuerit instituta: nihil est enim tam rationi consonum, quam ut is destruendi habeat potestatem, cui construendi facultas conceditur.

Illud inter instituendam, & dissolvendam unionem interest, quod licet etiam vacans Ecclesia alteri possit uniri, si tamèn, Ecclesias per unionem connexas vacare contigerit, unio interim vacantium Ecclesiarum dissolvi minime poterit.

SUMMARIUM.

1 *IN quo differat unio ac dismembratio.*
2 *Quandoque connexio unius Ecclesiæ cum alia unio dici non potest.*
3 *De unione perpetua, quomodo hæc cognoscatur.*
4 *Historicis exemplis unio perpetua illustratur.*
5 *Scriptura in unione requiritur.*
6 *Quid sequatur, si desit scriptura.*
7 *Exemplum historicum.*
8 *Exempla unionis temporalis.*
9 *Unio temporalis est reservatio quædam.*
10 *Unio temporalis est species dispensationis.*
11 *Beneficium unitum interim Rectore caret.*
12 *Unio temporalis titulum suspendit.*
13 *Unio temporalis non facit Prælatum.*
14 *Differt unio temporalis a perpetua, & ratio differentiæ.*

15 *A quo*

15 *A quo fat unio temporalis, & distinguitur.*
16 *Rara his temporibus uniones ad vitam.*
17 *Necessitas inducit unionem.*
18 *Ratio huius causa.*
19 *Causa necessitatis evidens esse debet.*
20 *In dubio ab unione abstinendum.*
21 *Unio sine necessitate vera est nulla.*
22 *Historicum exemplum unionis facta ob necessitatem.*
23 *Aliud exemplum historicum similis unionis.*
24 *Alia causa necessitatis proponitur.*
25 *Item et alia ex historia.*
26 *Et rursus alia causa necessitatis.*
27 *Quid sit utilitas pro unione.*
28 *Declaratio Sacra Congregationis adducitur circa Patronos.*
29 *In quibus Beneficiis Episcopus uniones faciat.*
30 *Examinatur elegans quaestio an pro instrumento unionis prasumatur.*
31 *Distinctiones observatione dignissima.*
32 *Unio Episcopatuum est Pontifici reservata.*
33 *Historia Ecclesiastica explicatur.*
34 *Quandonam hoc Sedes Apostolica sibi reservaverit.*
35 *Praxis unionum qua in Curia fiunt.*
36 *Episcopus unire potest.*
37 *Episcopus unire potest tametsi nondum consecratus.*
38 *Examinatur controversia, an Vicarius unire possit.*
39 *Defenditur vi mandati generalis Vicarium unire posse.*
40 *Obiecta diluuntur.*
41 *Referuntur ex ordine casus in quibus Episcopus unire non potest.*
42 *Episcopus unire non potest Beneficia exempta.*
43 *Nec potest unire Beneficia alterius Diacesis.*
44 *Nec Beneficia Iuris Patronatus.*
35 *Quibus casibus Beneficia Juris Patronatus unire queat.*
26 *Episcopus unire non potest beneficium curatum.*
47 *Imo nec partem fructuum Beneficii curati.*
48 *De qua Parochia id intelligatur ex Declaratione Concilii.*
49 *Casus in quibus unio Parochia permittitur.*
50 *Episcopus unire nequit Beneficia reservata.*
51 *Quenam sint hac Beneficia reservata.*
52 *An Seminario Beneficia unire possit.*
53 *Mensa sua vel Capituli Episcopus unire non potest.*
54 *Quin alii prater Episcopum unire queant.*
55 *Quot sint Legatorum genera.*
56 *De Legatis a Latere.*
57 *Legati missi quinam sint?*
58 *Hi dicuntur Nuncii.*
59 *Legati nati quinam sint?*
60 *Potestas Legati a latere.*
61 *Legatus a latere judicat exemptos.*
62 *Idem potest conferre Beneficia in Provincia.*
63 *Etiam inconsulto Patrono.*
64 *Et absolvere excomunicatos.*
65 *Uniones facere potest.*
66 *Quanam Beneficia legatus a latere unire non possit?*
67 *Elegans distinctio adducitur.*
68 *Explicatur Textus* in cap. fin. de confirm. ut.
69 *Legati missi quatenus unire possint.*
70 *Legati nati an valeant unire.*
71 *Archiepiscopi Suffraganeorum Beneficia unire nequeunt.*
72 *Disputatur an Capitulum sede vacante unire possit.*
73 *Pralati Episcopo inferiores quatenus unire possint?*
74 *Adducitur declaratio Sacra Congregationis.*
75 *Habentes jurisdictionem quasi Episcopalem unire possunt.*
76 *Et qui ex consuetudine, vel prascriptione tale jus adepti sunt.*
77 *Quod attinet ad solemnitates; has Pontifex uniens servare non obstringitur.*
78 *Pro validitate unionis facta a Pontifice, prasumitur.*
79 *Unio tamen obreptitia corruit.*
80 *Unio postulat solemnitates alienationis.*
91 *Unio postulat scripturam.*
82 *Vocandus Decanus Capituli.*
83 *Et Capitulum Cathedralis Ecclesia.*
84 *Et vocandus Patronus.*
85 *Consensus Rectoris vel Œconomi non requiritur*
86 *Quatenus id procedat exponitur.*
87 *Citandi omnes quorum interest.*
88 *Legati de latere non indigent consensu Capituli.*
89 *Cur si Episcopus habet hunc Titulum legati indigeat consensu Capituli.*
90 *Tractatus quid sit.*
91 *Tractatus an requiratur.*
92 *Remedium, si capitulum dissentiat.*
93 *Ad unionem prarequiritur vacatio.*
94 *Qua solemnitas sit necessaria pro unione ad erigendum Seminarium.*
95 *Disputatur ad usum scholastica exercitationis an Episcopus unire possit mensa sua, vel Capitulo?*
69 *Varii uniendi modi expenduntur.*
97 *Primus modus, ut Ecclesia cum alia una fiat.*
98 *Hic modus infrequens est.*
99 *Effectus hujus prima unionis.*
100 *Secundus modus, ut aquè principaliter utraque Ecclesia se habeat.*
101 *Varia exempla historica hujusce unionis.*
102 *Coniectura ad cognoscendam hanc unionem.*
103 *Effectus hujusce unionis.*
104 *Adducuntur nova quadam declarationes Cardinalium.*
105 *Tertius modus est, ut unita sit Ecclesia accessoriè.*
106 *Unita esse potest Ecclesia accessoriè simpliciter, & varii Textus adducuntur notatione digni.*
107 *Quid sit unio plena.*
108 *Unio plena duplex.*
109 *Unio plena interdum transfundit jurisdictionem contentiosam.*
110 *Interdum tribuit jus quoad mensam, & quid*

EXPLICATIONES.

(a] *Coniungantur.*

In quo differat unio, a dismembratione.

Optima quidem est definitio unionis tradita a Lancellotto; ad ejus uberiorem explicationem, inquirendum est, in quonam differat unio, a dismembratione. Dismembratio in Jure sectio vocatur, ut *in cap. tua*
1 *20. de Præb. in cap. majoribus de Præb.* a practicis passim hoc nomen usurpatur. Confunditur quidem ab Hostiensi, quem citat *glossa in clem. si una, de reb. Eccl. non al.* unio, cum sectione. Tam differunt tamen inter se, ut nihil supra. Dismembratio sequitur, cum pars fructuú unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ assignatur, juxta speciem Textus *in cap. ad audientiam de Ecclesiis ædif.* Atque adeò cum fructus alicujus Beneficii alteri uniuntur, remanente Beneficio penes suum Rectorem, potius est dismembratio, quam unio. Non enim ad hunc casum accomodari, aptarique potest unionis definitio, per quam dicimus, quod unio sit, *duarum plurimumve Ecclesiarum facta connexio*. Aliud enim est habere Beneficium, aliud habere fructus Beneficii, *Clem. 2. de Præb.* Dicam paucis. Dismebratio est diminutio Beneficii: unio aggregat unum Beneficium alteri.

Nec vero sempet accidit, aggregationem unius Ecclesiæ alteri factam, esse etiam unionem;
2 nam translatio Ecclesię vetustate collapsæ facta ad aliam Ecclesiam, unio vocari non potest, ut probat Riccius *in Praxi 2. Part. Res. 203. per totam*, omnino videndus. *Ventriglia annot. 17. Tomo 2. §. un. n. 27.*

(b] *Perpetuæ.*

Perpetuæ uniones quanam sint?

Perpetua unio censetur, vel quando exprimi-
3 tur ab uniente, ut illa perpetuo duret *cap. exposuisti 33 de Præb. cap. postulasti de rescriptis*, vel quando dicitur ad perpetuam rei memoriam, vel quando fit ad beneplacitum Apostolicę Sedis, *cap. si gratiose de Rescriptis in 6.* Vel quando fit Ecclesiæ contemplatione *cap. 1. ne Sede vacante.*

Et quoniam exempla rem magis illustrant, ea sunt ex historia repetenda. Scimus, in Italia nonnullas esse Cathedrales aliis perpetuo uni-
4 tas. Talis est *Satrianensis* unita perpetuo Ecclesiæ *Campaniensi*. Talis Ecclesia *Valvensis*, unita perpetuo Ecclesiæ *Sulmonensi*. Talis Ecclesia *Canusina* unita perpetuo Ecclesiæ *Nazarena et montis viridis*. Talis Ecclesia *Caputaquensis Anglonensis*, & *Thelesina*, ut notat *Carolus Anton. de Luca ad Ventrigliam annot. 8. §. 1. Tomo 2.*

Ulterius Cęlestinus III. Ecclesiam Glastoniensem, quæ in Anglia erat prope VVeliam, univit perpetuo Bathoniensi Ecclesiæ, quæ alia Civitas est Angliæ, factaque fuit Sedes Episcopalis anno 178 in Concilio namque Londini celebrato statutum fuit, ut aliquot Episcopatus, qui in oppidulis jampridem cernebantur, in urbibus collocarentur, ut plane accidit, nam Bathonia, de qua loquimur, Lincolnia, Satisberia, Exonia, Cestria atque Cicestria novo Episcoporum incolatu fuerunt nobilitatæ. Ex qua historia intelligitur Textus *in cap. 1. ne sede vacante.*

Sed enunciati modi quibus unio cognoscitur perpetua, supponunt, in scriptis unionem decerni, non enim unio solo verbo fit; sed authen- 5
ticis scripturis, vel decretis visitationum, quibus clare probetur dicta unio; et quod requiratur scriptura, docet *Masseardus de Probat. Concl. 587. n. 1.* et fuit resolutum in una *Theatina Beneficii S. Eustachii 20. Maii anno 1587.* coram *Gypsio* neque ad id sufficiunt testes, ut censuit *Rota decis. 557. n. 4. L. 3. Part. 3. divers. Garcias P. 12. cap. 2. n. 217.* Ac nisi per scripturam unio probari posset, Beneficia unita censerentur Iure vacare, si solo verbo, et facto uni- 6
tentur; et hoc accidit in facto Beneventi, ubi quædam Beneficia erant unita in Seminario solo verbo, & facto, sicque per multos annos unita 7
steterunt: sed Reverendissimus Nuncius Apostolicus, hoc præsentiens tulit sententiam, qua dictas uniones irritavit, & condemnavit Seminarium Beneventanum ad multam pecuniæ quantitatem pro fructibus interim male perceptis, narrat Garcias *P. 12. de Benef. cap. 2. n. 25.*

(c) *Temporales sunt.*

Temporales uniones quanam sint?

Expressit Lancellottus quænam sint temporales uniones. Sine exemplis tamen res percipi a studioso nostri Juris facile non potest. In Ec- 8
clesia Abulensi Archidiaconus de Orepesa possidebat dignitatem ad sui vitam erectam; pro ejus dote portio Ecclesiæ fecit unita. Hæc unio, quia durat vita durante, temporalis est, Garcias *P. 11. de Benef. cap. 5. n. 22.* Aliud exemplum est apud *Chlanen decis. 64. & Paris. L. 2. q. 19. n. 13.* In causa Bononiensis Parochia-

lis;

lis ; nam unum Beneficium, quouſque Rector viveret, annexum erat. Quid hęc unio eſt, niſi temporalis?

In Gallia Areſtum nt temporalis unio non probatur, ut docet *Gloſſa in §. fin. de Reſeev. in Pragm. ſanct.*

Ulterius etiam clarius percipietur unio temporalis, ſi, eam eſſe reſervationem quandam, animadvertamus: Nam reſervatur Beneficium illi
9 in cujus favorem unio fit ad vitam. *Rebuffus Tit. de un. pag.* 212. *n.* 9. Aut verius dicendum eſt, quod unio facta a Pontifice de Beneficio vacante ad Vitam inducit reſervationem, ut ea diſſoluta unione Ordinarius providere non poſſit *Anaſtaſius Germonius de Indult. Card. §. qua. extra n.* 20.

Unio temporalis eſt etiam ſpecies quædam diſpenſationis, ſicuti commenda, & maximam
10 inter ſe habent affinitatem *Turricellus de union. cap.* 1. *n.* 5. *Rota P.* 2. *Recent. deciſ.* 672. *n.* 2.

Hinc Beneficii ad tempus uniti rector quiſ-
11 quam non dicitur ; ſed adminiſtrator, *Garcias de Benef.* P. 12. *cap.* 2. *n.* 38. *Murga de Benef. q.* 4. *artic.* 1. *n.* 5. et in ho. poſita eſt diſpenſatio, quod facta unione, idem duo Beneficia retineat, quod eſt contra Juris regulas, ideo, accedat neceſſe eſt, diſpenſatio, *cap. referente de Prab. Clem. et de Prab: cap. non poteſt. de Prab.* cujus locum ſupplere creditur ipſa unio.

Quas vires habeat unio temporalis, ſi deinceps quæritur : unio ad tempus titulum non extin-
12 guit, ſed illum interim ſuſpendit, et ſublato impedimento idem ſuſcitatur *Coccinus deciſ.* 338. *n.* 7. Et propterea cum titulus in ſuſpenſo ſit,
13 ſequitur unionem temporalē non facere Prælatu, *Turricellus de un. cap.* 1. *n.* 9 ac differt unio perpetua a temporali, quod temporalis fit in
14 gratiam ſolius Beneficiarii cui confertur Beneficium unitum ; perpetua in commodum et utilitatem Eccleſię *Murga de Benef. ubi ſupra. n.* 7.

Si, qua poteſt te unio temporalis fiat, exigitur : diſtinguendum. Nam ut Epiſcopus unire
15 poſſit ad vitam, debet unire Beneficia compatibilia, Sraphylęus *de grat. expect. de modo procuſ. n.* 12. Pontifex vero incompatibilia unire poteſt *Murga ib. n.* 6.

Quamquam longo curſu temporis, teſteiur *Corradus in Praxi Benef.* L. 2. *cap.* 12. *n.* 30.
16 ſe raro vidiſſe ſimiles uniones per Papam concedi, refragante *Concilio Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de Ref.* ibi .. Quicumque de cætero plura curata aut alias incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica ſive per viam unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ &c. recipere &c Beneficiis ipſis &c. ipſo Jure privatus exiſtat.

(d) *Neceſſitas.*

Qua neceſſitas, ſit juſta unionis cauſa?

Tunc neceſſitas, cauſa juſta ad unionem deveniendi cenſetur, cum diviſa Beneficia, duobus
17 Rectoribus alendis minimè ſufficiunt.

Probant Textus *in cap. expoſuiſti §. ſi. evidens de Prab.* ibi .. ſi evidens neceſſitas, vel utilitas exigit, Præbendas Eccleſiæ tuæ poteris de Capellis in perpetum annectendi eiſdem, &c. *augmentare, Textus in can. unio §. ſed et hoc* 10. *q.* 3. *Textus in cap. eam te deatat.* & *q. Or.*

Et cum unio ſapiet diſpenſationem diſpenſationis autem cauſa ſit neceſſitas *can. tali* 1. *q.* 7. Intelligitur cur ita ſit a Jure communi diſpoſitum *Clement. ne in agro §. ad hae de ſtatu mon.*

Hæc vero neceſſitas evidens eſſe debet, ut ait Textus primo loco adductus, ſi evidens, ergo 19
in dubio ab unione abſtinendum eſt *Lotther. L.* 20
1. *q.* 18. *n.* 141. Et ſi facta fuerit, nulla erit,
exemplo minoris, cujus res quamquam prævio 21
decreto Judicis alienari poſſit, ſi tamen poſtea liqueat, cauſam eſſe falſam, decreto non obſtante alienatio eſt nulla L. *magis puto §. ult. ff. de reb. cor.*

Et plane ſi quis inſpexerit conceſſiones quaſcumque hujuſmodi unionum ; in his ſemper apparebit ratio reddita compellens ad uniendum præcipue ex cauſa neceſſitatis. In Hiſpania Hi- 22
rachengli cænobio diminutis fructibus, & proventibus ob turbines bellorũ, unita fuit Eccleſia Parochialis vacans S. Joãnis de Mendavia per Ordinariũ Pampilonenſem *die* 5. *Martii anno* 1408 Ratio hæc redditur. Quod : *fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii propter guerrarum turbines, & mortalitatum peſtes, qua in illis partibus diutius ingruerunt adeo ſunt imminuti &c.* Quæ unio poſtea fuit confirmata a Benedicto XIII. per ſpecialem Bullam *editam* 5 *April.* 1401. quæ per extenſum adducitur, a *Murga de Benef. q.* 4. *pag.* 620.

Quæ omnia percommode referenda ſunt ad alias neceſſitatis cauſas ; nam ultra adductis in Textibus præcitatis.

Alia cauſa neceſſitatis, eſt ſi Eccleſia fuerit ab hoſtibus deſolata, & deſtructa, poterit alteri
uniri *cap.* 2. *de Rel. Dom.* Nam in Diæceſi Sur- 23
rentina Monaſterium Longobardorum hoſtilitate qui totam fere Italiam devaſtaverant deſolutum remanſerat, in fundo Marciano Provinciæ Campaniæ ; hoc Gregorius Pontifex alteri univit Monaſterio, ut eſt in eo Textu. An non hæc cauſa fuit neceſſitatis?

Tribuunt quoque neceſſitatem uniendi, populi detrimentum, vel commodum *cap. ad audi* 24
entiam 4. *de capell. mon.* quomodo hunc Textum accipit *Ventriglia Tomo* 2. *an.* 8. *n.* 8. §. 2. *n.* 22.

Aliam cauſam hiſtoria explicabit. Cumani
caſtrum Paſtore carebat, Hoc oppidum vicinum 25
erat Miſenatę civitati ; cum populus decreviſſet in his Diæceſibus, Gregorius Papa ſcribit Benenato Epiſcopo, ut utramque uniat Parœciam, quod omne refertur *in can.* & *temporis* 16. *q.* 1.

Tandem hoſtilitatis cauſa, eſt cauſa neceſſi-
tatis ad unionem faciendam *can. ita nos. can.* 26
hoſtilitatis 25. *q.* 2. ut hos Textus accipit *Barboſa de un. Jure L.* 3. *cap.* 16. *n.* 18.

(*e*] *Uti-*

[e) *Utilitas.*

DISSERTATIO I.

Causa utilitatis quanam sit ad unionem recte faciendam, & an hac presumatur.

Jam & de causa utilitatis differendum est.
Ad utilitatem pertinet augmentum divini cul-
tus *d. cap. exposuisti de Preb. cap. eam te de atat.*
27 *& qual. cap. 1. ne sede vacante*, quo recidunt
omnes causæ quę utilitatem concernunt assignatę
a Barbosa ubi supra a Murga ubi supra a Sabello
verbo unio n. 5. Ventriglia ubi supra n. 23. Tur-
ricello de union. cap. 8. usq. ad n. 12.

In quo observandum est, decretum Concilii
Tridentini sess. 21. de Reform. cap. 5. in quo per-
mittitur Episcopis tamquam delegatis Aposto-
28 licæ Sedis propter Ecclesiarum paupertatem unio-
nes facere perpetuas quarumcumque Ecclesiarum
Parochialiū: Fuitque a Sacra Congregatione decla-
ratum; quod *Parochiales qua sunt de Jure Pa-*
tronatus non comprehenduntur hoc decreto, ut
est apud *Gallemart. ad eumdem locum Concilii.*

Præterea dispositio Textus *in d. cap. 5.* vide-
tur tantum procedere in Beneficiis curatis quo-
rum redditus sint nimis tenues, ut colligitur ex
29 verbis Concilii ibi: *cum curatis propter pauper-*
tatem; nam in Beneficiis simplicibus tenuitas
fructuum vix consideratur propter modicum
onus *Rota Romana P. 5. Recent. decis. 204.*

Porro quod supra *n. 19.* de causa necessitatis diximus, idem omnino procedit in causa utilitatis, ut scilicet hęc quoque *evidens* esse debeat. Et unio facta per Ordinarium saltem sine causa utilitatis erit nulla *ex d. cap. exposuisti.*

Verum in quæstionem a Practicis revocari so-
30 let, quod etiam theorice iam examinabimus,
an præsumantur causæ unionis veræ, si Ordina-
rius vel Legatus in concessione unionis easdem
veras esse asseveraverit?

Adhęrendum censeo sententiæ Garciæ de Beneficiis *Part. 12. cap. 2. n. 12. & seq.* quem sequitur iisdem pene verbis *Murga supra citatus aliique plures.*

Qui statuunt, quod sit pro unione præsumendum, si in concessione Prælatus testetur, causas unionis veras extitisse.

Probatur I. Quia unio actus est Jurisdictionis *cap. sicut unire de excess. Pra.* ibi: *su̾ Di̾cesis* ex quo Textu id ipsum infert *Lotherius* L. 1. q. 28. *n. 111. & seq. de re ben.* & potest vel esse actus Jurisdictionis voluntarię si nulli sint contradictores, vel contentiosæ si unio subsistente causa in contradictione partium statuatur arg. Textus *in L. 2. ff. de Off. procons.* quamquam & voluntaria Jurisdictio nonnunquam exerceatur in inuitum L. *ult. §. sin autem & §. licet autem C. de Testam. man.*

Quæ si vera sunt, illud sequitur, quod Decretum unionis sit Judicis decretum; Atqui pro decreto Judicis, ejusdemque actu, in quo enunciantur necessarię solemnitates, semper præsumitur, nisi contrarium probetur; idque densatis legum, canonumque testimoniis ostendi posset. His tamen contentus ero, quę probant assumptum satis, superque. In L. *ab ex parte §. idem ff. de Probat.* hæc Paulus .. Idem respondit, si quis negat emancipationem recte factam probationem ipsum præstare debere. In L. *& si prases 5. C. de Prad. Min* hæc Imperatores .. Et si Præses Provinciæ decreverit alienandum &c. tamen actionem pupillo, si falsis allegationibus circumventum Religionem ejus probare possit Senatus reservavit. Idem habetur in L. 1. C. *de fide, & jure hasta fisc. L. 10.* Idem *in cap. in prasentia de Prob. L. cum prolatis 31. ff. de Sent. & re Iud. cap. cum inter de sent. & re Iud.* ibi: *qua prasumuntur rite per omnia celebrata cap. bona vers. contra de elect. cap. in prasentia de renunc. cap. post cessionem 7. de Prob. cap. sicut 16. de sent. & re jud. L. non putavit vers. non quavis ff. de bon. poss. contr. tab. cap. bona vers. porro de lect. ergo &c.*

Probatur II. Quia cum Prælatus unionem faciens, sit cognitus tamquam vir necessariis cognitionibus instructus, providus, & honestus, merito pro illo est præsumendum *cap. nostra de procur. cap. nisi essent de prab. cap. bona 23. de elect. cap. cum olim de Privil. cap. cum Ioannes de fide instr. cap. in prasentia de sent. excom. L. 1. ff. de off. praf. Prat. L. nec in arbitriis C. de arb. L. 2. C. de Iud. L. 1. C. de relat.*

Probatur III. Ex L. *argentarius §. cum autem ff. de ed.* ubi pro Judice præsumitur ut hunc Textum apendens, ait *Vinc. Ferrer. in repet, in cap. quoniam de prob.* Eodem spectat Textus *in cap. ex parte de Appell. in cap. constitutus de Test.* quem Baldus ad hoc notat. Cum ergo hæc sit præsumptio Juris tantum incumbit contradicenti onus probandi, *idem Ferrerius in d. cap. quoniam n. 98.* & plane opponens audiendus est *cap. 1. de rebus Eccl. non al. in 6.* ut ex hoc Textu probat *Ferrerus ubi supra.*

Probatur IV. Quia cum unio regulariter sit actus extrajudicialis; certum est quod in extrajudicialibus jus supplet *§. fin. inst. de fideic. §. si ita scriptum inst. de inut. stipul.* ergo quidquam dubitari non potest circa decretum unionis.

Probatur V. Quia nuncio vilissimę personæ in pertinentibus ad ipsam citationem creditur, *cap. cum parati de appell.* Gignacinus *in cap. quoniam de appell. n. 14.* Ergo multo magis Prælato credendum personæ dignissimę *L. secundam C. de off. Iud. cap. in nostra de procur.* Confirmatur quia generatim officiali referenti id quod est sui officii in relatione creditur, *L. omnibus C. de Testibus Niconitius in cap. quoniam de prob.* Ergo Prælato ad quem pertinet unire, fides est adhibenda.

Probatur VI. Ex *L. 1. C. de Off. com. Sacr. Larg. L. 2. C. de Off. pręf. aug. L. 2. C. de Off. Vic.* Qui Textus probant personę publicę esse credendum,

Proba-

Probatur VII. Quia lex confidit quod nihil injustum fiat coram Episcopo §. 1. *Auth. ut differ. Jud.* Et soli Episcopo quantum credendum sit, declarat Textus *in can. quicumque* 11. *q.* 1. Ergo pro Episcopi decreto, in quo unionem concessit, præsumendum est.

Atque his argumentis adstruitur hæc opinio; nec vero dissimulare possum, quin hæc quæstio ambigua sit; et *Ægidius Bellamera in repet. Clem. si una de reb. Eccl. non al. n.* 155. narrat, se præsente in Rota, eamdem quæstionem fuisse discussam magno conflictu, & contrariam sententiam obtinuisse. Nihilominus quæ solent opponi, facili responsione superantur.

Primo opponitur Textus Concilii Tridentini *in sess. 7. de reform. cap. 6.* ibi .. nisi eas ex legitimis, aut aliis rationalibus causis coram .. loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur. Ergo non præsumitur pro unione, quod notatur a *Dunozeto decis. 640. n.* 15.

Pro intelligentia nostræ conclusionis, omnium que hiscu tatum faciliori solutione. Notandę sunt hujusmodi distinctiones, prout hanc viam tenuit Turricellus de *unionib. cap. 10. per tot.*

Aut enim unio antiqua est, & plane, cum vetustati multum sit deferendum, pro unione tam præsumitur, ut unionem allegare sufficiat.

Aut recens unio est, idest paucis ab hinc annis secuta; in hoc vero casu non adeo præsumitur, ut protinus decreto unionis standum sit.

Ultra hæc, aliter etiam distinguendum. Vel enim unio fuit solemniter ante celebrata, & postea in visitatione approbata; tunc vero causa probata satis censetur ex assertione Episcopi. Vel deficit ista solemnitas, & ea deficiente, non videtur assertioni Episcopi standum esse, ne via aperiatur eludendi legem, quę prohibet unionem absque causa fieri *Rota Rom. decis.* 337. *n.* 9. P. 9. *recent.*

Et juxta hanc posteriorem distinctionis partem, aperte loquitur Concilium Tridentinum, prout notat *Turricellus ubi supra n.* 6.

Objicitur II. Aut inquisitio quæ unionem pręcedere debet, facta est parte vocata, adeoque in forma Judicii, & tunc deberet fides fieri per acta, nec sufficeret relatio Prælati *cap. quoniam de probat.*

Aut ficta est inquisitio parte non vocata, & tunc iniquum est probationis vim habere, atque ita argumentatur *Bellamera ubi supra* ergo falsum defenditur.

Resp. quod forte tunc nullus aderit qui posset vocari, ut respondet *Murgs ubi supra n.* 117. & ideo nisi contra probetur, pro concessione unionis est præsumendum.

Objicitur III. Textus *in cap. 1 de reb. Eccl. non al. in. 6.* ubi non adhibetur fides instrumento alienationis rei Ecclesiæ, quamquam causarum alienationis mentio fiat ergo &c.

Resp. discrimen protinus intelligi. Episcopus alienans rem suæ Ecclesię ipse contrahit: Prælatus uniens Judicis partes gerit. Concedimus pro contrahente non præsumi, at pro decreto Judicis quidni præsumatur? Eademque responsione interpretandus est Textus similis *in L. si forte ff. de Custr. pecul.*

Objicitur IV. Textus *in cap. ex parte 2. de rescr.* ubi in rescripto exprimitur, ut veritas causæ interveniat, ergo revera, & facto ipso, de causis constare debet.

Resp. imprimis Ordinarium absque rescripto uniones Beneficiorum suę Diœcesis concedere. Deinde et si rescriptum veritatem exigat causæ, quemadmodum etiam exigit Jus commune, non infertur quin pro instrumento unionis sit præsumendum, nam & Justitiæ consonum sentiam leges in Judice reposcunt, tamen pro sententia præsumi ur ut supra ostensum est cumulatissime. Cetera apud Bellameram sunt infirmiora quam ut prolixum sermonem ad illis respondendum mereantur.

(g) *Noscitur.*

Quandonam Pontifex uniones faciat.

Reservavit sibi Pontifex unionem Episcopatuum. Ratio; Quia hæc est una ex majoribus causis. 32

Probatur ex Gregorio VII. L. 2. *post pistolam* .. 55. ibi: Quod solus Romanus Pontifex jure .. dicatur universalis. Ex *cap. sicut unire de excessib. Prel.* Ex *can. & temporis* 56. *q.* 1. ibi: .. duos Episcopatus in unum redigere Apostolica potest auctoritas.

Nec dubium est quorumcumque aliorum Beneficiorum plenariam dispositione ad Romanum Pontificem pertinere *cap. 2. de preb. in 6. Clementinis si duobus ut lite pend.* Sed solas Episcopatuum uniones sibi reservavit. 33

Sed quomodo explicatur historia quam refert Fortunatus *apud Surium die 8. Junii*? Nam S. Medardi tempore Episcopatus Noviomensis, & Tornacensis in unum coaluere consensu Metropolitani, & Regis, absque Hormisdæ Pontificis auctoritate.

Respondetur, quod id procedebat antiquitus priusquam Apostolica Sedes sibi uniones reservasset, tamquam unam ex majoribus causis, ut notat Gonzales *in cap 8. de excess. Prel n.* 7. Postquam vero sibi hanc facultatem reservavit, ad eam nemo potest manus extendere, utpote quæ in signum singularis privilegii, Pontifici est reservata, ut loquitur Innoc. III. in *cap. quod translationem de off. Legati.* 34

Reservasse sibi hanc facultatem Apostolicã Sedem opinor Gregorio Summo Pontifice regnante, *cap. & temporis* 56. *q.* 7. & plane sęculo sexto adhuc translatio Episcoporum Sedi Apostolicæ reservata non erat, quę pariter ex majoribus causis censetur, *can. scias can. omnis 7. q.* 1.

Quocirca citius reservatas fuisse uniones constat nam Gregorius floruit ante sextum seculum.

Et

Et quoad unionem quæ a *Pontifice* fit, praxis
hæc est; quod non prius Pontifex ad unionem
procedat quam si causæ diligenter in Sacra
35 Congregatione Concilii, sive Episcoporum fuerint examinatæ, Corradus in *Praxi Benef. L. 2. cap. 3. n. 92.* non quia pro libito suæ voluntatis unire, ac dismembrare non possit, nam in Beneficialibus liberam habet potestatem *cap. 2. de Præb. in 6. Clem. 1. ut lite pen.* In dubio tamen non præsumitur sine causa unire velle, cum potius præsumatur ex causis justis adduci, *Corradus ubi supra.*

[*b*) *Ad Episcopum.*

DISSERTATIO II.

Quandonam Episcopus unire possit?

Regula est per locorum Ordinarios uniones esse faciendas.

36 Probant hanc regulam Textus *in Clem. 4. §. ad hoc de statu Mon. in cap. sicut venire de excess. Prel. cap. auditis de Præscr. cap. accedentibus de excess. Præ.*

Et potest uniones facere Episcopus, licet non-
37 dum consecratus *d. cap. sicut unire, Corvinus in Apher L. 2. T. 23.* dummodo sit confirmatus; quia post confirmationem potest ea, quæ sunt jurisdictionis, ut *diximus* L. 1. *Tit. de Confirm.*

Quæstionis est, an etiam Vicarius uniones fa-
38 cere possit?

Sit nostra Conclusio, potestatem uniendi non esse Vicariis denegatam.

39 Probatur I. Quia omnia quæ sunt de jurisdictione ordinaria, transeunt in Vicarium Generalem *cap. 2. de Off. Vicarii in 6. cap. Romana de appell. in 6. can. perlectis dist. 25.* Sed unire est jurisdictionis ordinariæ *cap. sicut unire de excess. Prel.* ergo id in potestate, qua Vicarius præmunitur, contineri credendum est, ut possit unire.

Probatur II. Quia si Matrimonii causæ reputantur graves, *cap. 1. de Procur. in 6.* & eas terminare Vicarius potest, ut nemò inficiatur. Cur etiam unire Beneficia non poterit?

Probatur III. Quia Vicarius Generalis unum facit cum Episcopo consistorium, *cap. 1. de app. in 6.* Quare Episcopo associari dicitur in administratione Ecclesiæ, *can. in nova 16. q. 7.* Quod si Episcopus unire potest, ut indubitatū est, id quoq; Vicario minime interdici, existimandum est, cum ejus potestas sit quasi Episcopalis, ut eam vocat *Lotbberius de re. Benef. L. 1. q. 28. n. 134.* Quare argumentum ad hoc deduci potest, ex declaratione Cardinalium *apud Gargiam P. 12. cap. 2. §. 1. n. 74.* verba enim declarationis, hæc sunt post alia.. eamque unionem facere posse Abbatem, si hanc facultatem uniendi legitime præscripsit, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subiecta Jurisdictionem quasi Episcopalem habet in omnibus &c. Ergo ad unionem faciendam, consideratur Jurisdictio quasi Episcopalis; talisque censetur potestas Vicarii, ergo ex mandato generali, quo præmunitur, præclusus aditus ad faciendas uniones non erit.

Probatur IV. Quia si potest Vicarius Beneficia curata conferre, licet alias non veniant, sine expressione, *cap. cum in illis de Præb. in 6.* probat *Rebuffus in Praxi Benef. Tit. de forma Vicariatus*, quodnam absurdum est, ut etiam uniones facere possit; cum accuratam circumspectionem collatio Beneficii curati requirat, sicuti unio. Quæ major ratio reddi potest?

Ab hac opinione recedit *Ventriglia annot. 8. §. 1. n. 10. Barbosa de jure Eccl.* L. 3. *cap. 16. n. 56 aliique plures* apud Sannig. *in schola canonica L. 1. Tit. 28. cap. 4. n. 9. Zoesius in Tit. de Off. Vicar. Pirringh. ibid.* Eam tamen in puncto Juris satis probabilem censeo.

I. Obiicitur, Archidiaconus est Vicarius 40
Episcopi ordinatus a lege, *cap. 1. de Off. Archid.* Atqui is unire non potest, ita sentit Innocentius *in cap. ad hęc de Off. Archid. n. 2.* ibi .. idem .. est, etsi expediret facere unionem Ecclesiarum, .. vel divisionem, scilicet quia non fieret sine .. Episcopo. Ergo nec Vicarius, de quo disputatur.

Hoc tamen argumentum non valde commovet. Nam Potestas Archidiaconi quam sit limitata docet Textus *in cap. 1. de Off. Arch.* At latius patet Vicarii potestas, quippe Episcopo associari dicitur in administratione Ecclesiæ, & Jurisdictione *cap. in nova 16. q. 7.*

II. Obiicitur. Quod unire Beneficia reputatur inter ardua *cap. sicut unire de excess. Prel.* ardua tamen non veniunt in mandato generali *cap. is, qui ad agendum de Procur. in 6.*

Resp. Quod neque hæc oppositio tam efficax videtur, ut cogat mutare sententiam. Unio difficilis, ardua est; negatur. Difficultas & quidquid arduum videtur consistit in excutiendo causam unionis, illiusque justitiam. Ostendant adversarii, ad hanc cognitionem, electam a Jure fuisse industriam Episcopi. Postquam causa excussa, fuerit factam unionis arduum non est. Ergo quidni unio possit vi mandati generalis a Vicario etiam expediri?

Obiicitur III. Jurisdictio ordinaria, quam requirit unio, non potest penes Vicarium residere; quia hæc ab Episcopo non conceditur *can. a Iudicibus 2. q. 5.* ergo Vicarius unire non potest.

Resp. quod licet Episcopus Vicarium constituat, non recipit tamen Vicarius Jurisdictionem ab Episcopo, sed a lege, *cap. cum Episcopus de Off. ordin. cap. ut officium cap. ult. de hær. in. 6. cap. 1. de Off. Vic.*

IV Obiicitur, Vicarius gerit vicem Episcopi, *cap. Romana de Appel in 6. cap. 2. de cons. ib.* sed qui alterius vice fungitur, nil proprium habet L. 1. §. *qui mandatam ff.* de Off. *ejus L. solet ff. de Jurisd. omn. Iud.* Ergo caret Jurisdictione debita, ad uniendum.

Resp.

Resp. Non rectè inferri, eam, qui alterius vicem gerit, jurisdictionem ordinariam non habere; nam Legatus Papæ vicem ejus gerit, *cap. 2. de Off. Leg.* & tamen ordinariam habet, *cap. 1. eodem in 6.*

Et quamquam adhuc instari posset, absurdum videri, ut jurisdictio ordinaria sit penes duos, ut absurdum est, duos in solidum possidere, *L. 3. §. ex contrario ff. de acq. poss. L. si ut certo §. si duobus ff. commod.* validumque sit argumentum de possessione ad jurisdictionem, *L. qui furere 20. ff. de statu hom.*

Ad hoc tamen respondetur, argumentum a jurisdictione ad possessionem non rectè procedere, ut ostendit *Farinaccius decis. 696. in novis, Sbrozius de Vic. L. 2. q. 55.*

Declarato jam hoc articulo, ad mentem quoque Lotherii *de re Benef. L. 1. q. 18. n. 115.* Quoniam persona Episcopi, ejusque Vicarii quid possit circa unionis, innotescit.

Videamus de ipsis Beneficiis uniendis.

Episcopus non omnia Beneficia unire potest,
41 quamquam posita in Diœcesi.

I. Unire non potest Beneficia exempta. Ratio. Quia, cum unio sit actus jurisdictionis exemptum a jurisdictione, liberum, solutumque est. Ergo Regularia Beneficia, utpote exempta,
42 ab eodem unienda non sunt, *Trid. sess. 24. cap. 15. de Ref.* Exempti namque non habent alium Ordinarium quàm Papam *cap. auctoritate de Priv. in 6.* latè *Cocbier. P. 4. de jurisd. in exemp. cap. 31. per tot.* Nihilominus, poterit Episcopus Monasteriis, & locis Religiosorum unire Beneficia sæcularia, *decis. 2. de Off. Ord. in ant.* etiam si Monasteria sint exempta *in Practicab. Rota cap. de unione n. 2.*

II. Unire non potest Episcopus Beneficia etiam
43 simplicia suæ Diœcesis ex quacumq. causa Beneficiis alterius Diœcesis, id enim expressè prohibet Concilium Tridentinum, *sess. 14. cap. 9. de Ref.* idemque obtinet, si non ad suam, sed alterius collationem spectent, *Ventriglia in Praxi annot. 8. Tom. 2. §. 1. n. 27.*

III. Unire prohibetur Episcopus Beneficia Juris Patronatus, Patrono irrequisito, & si plures sint, omnes debent assentiri, ita in una *Ver-*
44 *cellen. unionis 23. April. 1610. coram Lancellotto.* Sed finge, Episcopum velle unire Beneficia liberæ collationis, Beneficiis de Jure Patronatus? Talis unio subreptitia declaratur a Concilio *Trid. sess. 25. cap. 9.* Nihilominus Leonius in Thesauro P. 2. *cap. 16. n. 14.* docet, posse uniri Beneficia libera Beneficiis de Jure Patronatus, I. quando Patroni renunciant Juri Pa-
45 tronatus. Secundò, quandò concordant, ut Beneficium Juris Patronatus alternativè conferatur, una vice ad Patronorum præsentationem, & altera ad liberam collationem, & ita declarasse *Sacram Congregationem ad dictum cap. 9. Concil. Trid.* refert idem *Leonius*. III. Casus est, quando Ecclesia libera minatur ruinam, & habet tenuissimos redditus; poterit uniri Patronatæ, cum reservatione Juris Patronatus, & onere imposito Patrono illam reparandi, & dotandi in aureis 50. ità fuit decisum *in una Triventina 23. December. 1612. Ventriglia Tomo 2. anno 8. §. 1. n. 29.*

IV. Unire Episcopo non licet Beneficium curatum Beneficio simplici; Beneficium tamèn simplex Beneficio curato annectere non vetatur. 46
Discriminis ratio. Quia hæc regula est in unionibus (*ut dicam in fine hujus Tituli n.*) quod unienda semper sint Beneficia minus digna, & annectenda dignioribus, argumento Textus in *L. justissime ff. de ad. edicto Gonzales ad Regul. de mens. gloss. 5. n. 130.* Et ideò hoc prohibet *Tridentinum sess. 25. cap. 16. de Ref.* Et non tantum unio Parochialis Ecclesiæ cum Beneficio simplici 47
respuitur; sed etiam aliqua pars fructuum, ut declarat *Sacra Congregatio apud Riccium in Praxi P. 1. Resol. 393.* verba hæc sunt ipsius declarationis: *Non solùm unio Parochialis est prohibita; sed etiam aliqua pars fructuum earum uniri non potest.* Quamquam non habeat locum dispositio Concilii, ubi agatur de Parochia, quæ certos fines non habeat; qualis hæc sit, censuit Sacra Congregatio apud *Gonzales Glossa 6.* 48
n. 96 ibi: *Parochia, quæ certos fines non habent, sed certum tantum populum, & per certas familias distinguuntur usque adeo, ut Sacramenta promiscuè non administrentur, hoc Concilii decreto utiquam non comprehenduntur.* Quemadmodum uniri poterunt Parochiales Ecclesiæ pro conservatione, vel augmento, vel dote pii loci, quæ fidei propagandæ causa, bonarumque artium 49
sint erecta, *Gonzalez ad Regul. de mens. Glos. 5. §. 7. n. 47.* Quemadmodum pariter unire poterit Episcopus curam animarum, quæ incumbit toti Capitulo, dignitatem obtinenti in eadem Ecclesia, consentiente eodem Capitulo, ita censuit Sacra Congregatio: *An possit Episcopus curam animarum toti Capitulo Cathedralis Ecclesiæ incumbentem transferre per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ, Congregatio respondit, posse de consensu Capituli, si in provisione talis dignitatis, seu Canonicatus esset faciendus concursus &c.* refert *Garcias P. 9. cap. 2. n. 190.*

V. Episcopus unire non potest Beneficia reservata. Si quæris, quænam sint hæc Beneficia? 50
Duplex reservationis genus, vel perpetuæ, vel non perpetuæ. Perpetuò reservatæ censentur dignitates, Beneficia collectorum, & unicorum subcollectorum, Familiarium, Militum, & Officialium Curiæ. Hæc verò uniri non possunt, 51
Garcias de Benef. P. 12. cap. 2. n. 39. Non perpetuò sunt reservata ratione temporis, ut ratione mensium. Tunc vero distinguendum, aut Beneficia vacant, & ea non possunt uniri, aut non vacant, et ea per Episcopum uniri possunt, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Gargiam ubi supra n. 102.* Et quamquam *Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 18. de Ref.* Seminario adjungere permittat Episcopo, *etiam si Beneficia sint* 52

 reser-

reservata, *vel affecta*. Certum tamen est, quod Episcopus non potest Beneficia, quę jam vacaverant in mense reservato unire Seminario, vigore dicti Concilii prout *Sacra Congregatio* declaravit apud Cortadum *in Praxi* L. 4. *cap.* 8. *n.* 38. Imò, & Concilium Bononiense *in Tit. de Seminario* §. *qua Beneficia Seminario uniri nequeant*, hæc habet: *sicut nec Beneficia reservata, quando post eorum vacationem unio fieret, nam si ante vacationem unio fieret, unio obtineret*. Et licet Sacrum *Concilium Trid. sess.* 23. *de Ref. cap* 18. facultatem tribuat Episcopo unionem faciendi Seminario; attamen de curatis id non intelligi, docet *Gonzal. ad Reg.* 8. §. 7. *n.* 63. *&* 64. *Lotther. L.* 2. *q.* 20. *n.* 161.

VI. Episcopus unire non potest mensæ suæ,
vel Capituli. Quoad mensam suam, quia cum
53 non causam exigat, *cap.* 1. 10. *q.* 2. in causa
propria nemo Judex, L. *una ff. de Conf.* Quoad
Capitulum, est Textus *in Clem si una de Reb. Eccl. non al.* ad hoc citatur a Bellamem in ejus *repet. n* 30. & nos infra *n.* . . latius eamdem rem examinabimus.

(*i*] *Inferiores*.

DISSERTATIO III.

Quinam alii unire possint ultra Episcopum?

Disquirendum est adhuc, an sit concessum
54 aliis Ecclesias conjungere, pręter Episcopos?
Hæ personæ, de quibus id inquirimus, aut sunt
Episcopo superiores, aut inferiores, neutrum
genus prætermitto tacitus.
Jam de Legatis videndum. Legatorum tria
55 sunt genera, quidam a latere, quidam missi,
56 quidam nati. A latere sunt Cardinales, missi non
Cardinales, sed quibus ad certas Provincias com-
57 mittitur Legationis Officium, & *Nuncii* dicuan-
58 tur, de quibus *in cap.* 1. §. *sane de elect. in*
59 *extr.* Legati nati sunt, qui habent Legationis officium vigore dignitatum ex privilegio Apostolico indultum, ut Archiepiscopus Pisanus, Cantuariensis, Eboracensis in Anglia, Rhemensis in Gallia. *Leonius de his divisionibus in Thesaur.* P. 1. *cap.* 2. *n.* 57. *&* *seq.* Et colligitur ex *cap. penult. de off.* Leg. *ex cap.* 1. *eod. in* 6.
Quod attinet ad eorum potestatem Legatus a
latere, ultra ea, quæ possunt etiam Legati mis-
60 si, potest solus uti insignibus, & officio suę
Legationis in concursu Legati missi, aut nati,
quorum utpote minorum, jurisdictio suspendi-
61 tur, *cap. volenter de Off Leg.*

Idem potest judicare exemptos, & Episcoporum, inferiorumque Prælatorum electiones confirmare, *cap. si Abbatem* 36. *de Elect. in* 6.

Idem potest conferre quęlibet Beneficia in
62 Provincia, ita ut inter ipsum, & Episcopum sit
locus pręventioni, *cap. si a sede* 35. *de Off.* Leg.
ut arguit ex hoc Textu Sannig. *in Schola Ca-*
63 *non. L.* 1. *Tit.* 30 *cap.* 2. *n.* 12. imo, & hæc
inconsulto Patrono conferre potest *cap. dilectus* 6. *eod. Tit.* & quæ ob negligentiam ad Sedem Apostolicam sunt devoluta, Sannig. *ubi supra*, & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, qui absque electione conferuntur *cap. ei, qui de Præb. in* 6. *Sannig. ex eo Textu ibid.*

Idem potest absolvere excomunicatos excomu- 64
nicatione *Canonis*, *si quis suadente Diabolo* 17.
q. 4. ut colligitur *ex cap. ad eminentiam de sent. excom. ex cap.* 4. *&* *pen. de off.* Leg.

Quid dicendum de unionibus? Planè cum in dubio semper præsumatur, velle Pontificem jura Diœcesana inviolata servare, *cap.* 2. *de Rell.* D. *cap. ex parte* 18. *de Privil. juncto can. pervenit* 11. *q.* 1. *cap. pen. de Eccl. ædif.* Dubitari contingit, an possit unire?

Ego censeo, quidquid aliter doceat Gonzales *in* 65
*cap. sicut unire de excess. Pral. sub n.*4. aliqua ratione Legato a latere, potestatē uniendi non denegari.

Rem explico. Vel agitur de aliquo Beneficio, 66
quod conferre Legatus hic non potest, ut sunt Ecclesię Cathedrales, vel Regulares, seu ipsis Cathedrales majores, *cap. deliberatione de Off. Leg. in* 6. ut sunt reservata R. Pontifici, *cap. licet de Præb. in* 6. ut sunt vacantia in Curia *cap.* 2. *de Præb. in* 6. Equidem hæc ipse, unire non potest. Qui enim caret potestate conferendi, multò magis potestate uniendi. Vel agitur de aliquo Beneficio, quod is conferre valeat;
tunc vero sic distinguendum. Si namque per unio-
nem præjudicium in solum Beneficium redun- 67
det, poterit ita unire. Si verò præjudicium quoque redundaret in aliam Ecclesiam, vel dignitatem, unio invalidè sequeretur, ut si per unionem Episcopus jacturam suę jurisdictionis faceret, alteriusve Juris, ut si Patronus præsentandi jus deperderet.

Qua distinctione posita, quam docuit *Turri-*
cellus de union. cap. 6. *n.* 5. Explicatus rema- 68
net Textus in *cap. fin. de confirm. utili*, per quem disponitur, Legatum a latere non posse unam Ecclesiam alteri subiicere.

Procedit enim hic Textus in dismembratione, per quam nimium præjudicaretur Ordinatio, quia Beneficium omnino a jurisdictione ejusdem eximeretur, ità Rota *in decis.* 1. *&* 2. *de Off. Leg. in nov.* & ideo eum jure posse, docet Garcias P. 12. *cap.* 2. *n.* 65.

Legati missi seu Nuncii, cum non possint con-
ferre Beneficia, ea unire non possunt, nam qui
non potest conferre, non potest unire, *Garcias* 69
cap. 2. *de un.* P. 12. *n.* 66. Ergò a contrario sensu Legati missi poterunt unire, si missi sint, ut videmus cum potestate Legati a latere; illi enim absque alia speciali facultate conferre possunt, *Gigas de Pens. q.* 6. *n.* 16. *Garcias* 5. *Part. cap.* 3. *de Benef. Gonzal. in cap.* 6. *de Off. Leg. n.* 7. Dissentit *Piasecius in Praxi P.* 2. *n.* 9. citans Textum in *cap.* 2. *de Off. del. in* 6. Sed hic Textus nil tale probat.

In Legatis natis idem pronunciandum est, nam
jure legationis facultatem conferendi Beneficia 70
non habent, *cap.* 1. *de Off. Leg. in* 6. *cap. si a sede de Præb. in* 6. *Gonz. ubi supra n.* 7.

Supe-

Superiores Episcopo sunt ulterius Archiepiscopi. Hi tamen Beneficia pertinentia, ad collationem sui suffraganei unire non possunt,
71 *cap. sicut unire de excess. Prœl.* Quià in casibus a Jure expressis habent jurisdictionem in suffraganeos, sed non liberam, ideò in aliis casibus, non possunt suffraganeorum authoritati esse detrimento, *cap. 1. de foro comp. in 6.*

Jam de inferioribus est cognoscendum, an unire possint?

Quæstionis est, an Capitulum, Sede vacante, Beneficia queat coniungere?

Ego censeo contra *Marchettum, in Praxi Vicarii Capitularis P. 2. Tit. 32. n. 74.* Capitulum facultate hac esse destitutum.

72 Probatur. Quia unio est de reservatis Episcopo, *cap. sicut unire de exces. Prœl.* involvitque alienationem, & extinctionem tituli.

Hęc proinde Capitulo, Sede vacante, per sacros Canones denegatur. Si quæris aliquam auctoritatem; adduco Textum *in cap. 1. ne Sede vacante*, ibi: *Quod Episcopali sede vacante, non decet super hoc aliquid innovari*, ibi agebatur de unione, ut patet ex litera Textus, quem ad hoc inducit *Lottherius de re Benef. q. 28. n. 140. L. 1.*

Probatur ulterius, quia qui conferre potest, unire potest. Atqui Capitulum tempore interregni non succedit in collatione Beneficiorum, *cap. 2. ne Sede vacante*, ibi: *cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum, vacante Sede, fungatur Episcopi vice in collationibus Prœbendarum*; consonat Textus *in cap. unico ne Sede vacant. in 6. in cap. 2. de Inst. eod. Lib.*

Probatur insuper ex declaratione Congregationis super *cap. 15. Concil. Trid. sess. 25. de Ref.* his verbis emanatâ: *Capitulum, Sede vacante, non potest supprimere quodcumque Beneficium, & sibi unire, apud Garciam de B nef. P. 12. cap. 2. n. 68.*

Obiicitur, unio est potius actus quidam necessarius; nam sine necessitate, vel utilitate unio non fit, ut supra probatum est *ex Trid. sess. 25. de Ref. cap. 1. ex cap. exposuisti §. si evidens de Prab.* Atqui Capitulo, in necessitate providere, non est denegatum. Nam Capitulum, Sede vacante, statuta condit, *cap. cum omnes 6. de Const.* ab excommunicatione absolvit, *cap. un. de major. & ob. in 6.* electiones facit *cap. cum olim de major. & ob.* juramentum relaxat, *cap. pen & ult. de suppl. negl. Prœl. in 6.* Quid ni igitur possit unire?

Respondetur, unionem, utpote quæ implicat, involvitque alienationem, & extinctionem tituli, Sede vacante, Capitulo interdici ex Textu, quem ad hoc considerat Lottherius, *ubi supra in cap. 1. ne Sede vacante.*

In aliis actibus pro confirmatione oppositionis adductis, hęc ratio non militat, ut per se patet; Ideò discrimen est manifestum.

Post hæc sermo fit de aliis inferioribus Episcopo.

Abbates, & Prælati Episcopo inferiores, dummodo jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, contentiosam, & in utroque foro, unire possunt Ecclesias ipsis pleno jure subiectas. 73

Ità namque decrevit Sacra Congregatio super *cap. 5. sess. 21. de Reform. apud Mungam de Benef. q. 4. pag. 613. n. 204.* his verbis: Censuit 74
.. Congregatio, dignitati curatæ posse uniri aliam
.. dignitatem ex causa paupertatis, juxta hoc
.. decretum, *& sess. 24. cap. 13* Eamque unionem
.. facere posse Abbatem, si sibi hanc facultatem
.. tem uniendi legitimè præscripsit, aut ex privilegio,
.. in Ecclesia sibi pleno jure subiecta,
.. jurisdictionem quasi Episcopalem hab t in
.. omnibus, & per omnia, alioquin unionem
.. faciendam per Episcopum cum consensu ipsi-
.. us Abbatis, & Capituli.

Ratio nostræ assertionis est, quià qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & contentiosam pro utroque foro, veniunt appellatione Episcopi, *can. nullus, can. nullam 18 q. 2 cap. quanto de Off. Ord.* Sicut ergo Episcopus unire potest; ita potest, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem. 75

Tandem unire possunt illi, qui privilegium, vel consuetudinem legitimè præscriptam habuerint, etiam si jurisdictionem quasi Episcopalem, & in utroque foro non habeant. 76

Nec ratio deficit. Quia potestas ad uniendum est potestas jurisdictionis, non Ordinis, ergò acquiri potest per privilegium, & per consuetudinem legitimè præscriptam, ad notata in *Clement. ne in agro §. ad hac de statu mon. & Clem. 2. de reb. Eccl. non al. Turrettellus de union. cap. 6. n. 60.*

[l) Capituli.

DISSERTATIO V.

Quænam solemnitas ad unionem faciendam exigatur?

Inquirendum nunc, quænam solemnitas ad uniones faciendas exposcatur?

Non loquimur de unione per summum Pontificem expedienda. Cum namque Petri successor in rebus Beneficialibus potiatur illimitatum
77 Jus, *Clem. 1. ut lite pend. cap. ex debito de elect. Gregor. 1. L. 3. Epist. 14.* nulla desideratur solemnitas, *Penna decis. 572. n. 8. recent. P. 4. Tomo 2. decis. 448. n. 1.* Et propterea pro validitate unionis factæ auctoritate Apostolica præsumitur, donec contrarium probetur, *Rota P. 4. recent. decis. 419. n. 2.* 78

Quamquam, si Pontifici narratum fuerit aliter, quàm debuit, unio utpote obreptitia corruit, ipsoque iure nulla est, *Urbanus VIII. Const. 6. cap. 22.* Ut si narratum fuerit, Beneficium esse perpetuum, & re vera sit manuale, ut disserit *Merlinus decis. 270. n. 7* Ut si non fuerit numerus expositus Beneficiorum, quæ unienda sint, ut ait *Penna decis. 385. n. 2.* Ut si mentio facta non sit curæ animarum, quæ Beneficio annexo eminebat, *Dunozet. decis. 384. n. 6.* Quod 79

tamen ita intelligitur, ut procedat, quandò per æquè pollens expressio hæc se se non prodat, ut in Aretin. juris visitandi 20. Martii 1505. coram ... Hæc, & alia exempla luculenter explicantur a *Turricello*, *in Tract. de unione cap.* 9. *per tot.* Sed de hac unione per summum Pontificem facienda, non loquimur.

Loquimur de unione a Prælatis expediri solita, & de solemnitatibus requisitis inquirere, consilium est.

Res ita se habet. Ad unionem exiguntur so-
80 lemnitates illæ, quas Deo dicatarum rerum postulat alienatio.

Ergò opus est scriptura, *cap. si quis de reb. Ec-*
81 *clef.* firmat *Rota P.* 3. *recent decis.* 606. *n.* 5. non quidem ab initio, cum neque alienationibus hæc primam vim impertiat, sed tamen ea præsto sit, oportet, ad factum comprobandum, Reiganus *de reb. Eccl. non al. in Rubr. de solem. pag.* 157. *n.* 37. Probatur enim potissimè unio per instrumentum, *Gargias de Benef. P.* 11. *cap.* 2. §. 1. *n.* 226.

Ulterius vocandi sunt omnes, quos vocari, præscribunt Canones.

Si quæris, quinam hi sint? Vocetur Decanus Capituli, ipseque Capitulum congreget, *cap. si*
82 *quis Presbyterorum* 10. *de reb. Eccl. cap.* 3. *cap. enim super de re jud.* quos Textus, ad hoc inducit, *Gonzal. in cap sicut de excess. Prał. n.* 5.
83 Capitulum intellige Ecclesiæ Cathedralis, *cap. Pastoralis* 7. *de don.* quem ad hoc citat *Murga de Benef. q.* 4. *pag.* 623. *n.* 147. Vocetur Patronus, *Trid. sess* 24. *cap.* 15. *de Ref. cap. sug-*
84 *gestum de Jure Patr.* quem Textum hoc probare, notat *Barbosa alleg.* 66. *n.* 19. sive hic Patronus sit laicus, sive Ecclesiasticus, vocari debet, quia neutri Patrono Episcopus potest esse præjudicio, probat *Murga ubi supra n.* 155. *ex cap. cum di-*
85 *lectus de Jur. Patr.* An vocandus sit possessor Beneficii uniendi, aut in casu vacationis Œconomus, quæstionis est admodum perplexæ?

Ego verò, qui semper plurimi feci eruditissimum Gonzalez, ejus vestigiis insistens, non vereor defendere, consensum Rectoris, vel Œconomi minime requiri.

Ratio est, quia unio effectum absque eorum præjudicio operatur, *Clem.* 2. *de reb. Eccl.* ibi: *ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus, vel, si vacabat, defensor ei super hoc datus, non extitit, nequaquam id poterit impugnari.* Nam post mortem Rectoris unio sortitur suum effectum, adeoque sua non interest, *cap. consultationibus de don.* quem Textum ad hoc expendit *Murga ubi supra n.* 156. Defensor verò, id est Œconomus injustè contenderet, ad unionem suum expectari consensum: quia ad summum id posset admitti, in dismembratione, seu divisione, non autem in unione.

Non tamen dissimulandum est; quod si unio per inferiorem Pontifici, fieret in tali forma,
86 ut Rectori præjudicio esset, utique absque ejusdem consensu minimè sustineretur, ex regul.

quam ponunt Canonistæ *in d. Clement. si una præcipuè Cardinalis n.* 17. *docet Lotterius L.* 1. *q.* 28. *n.* 177.

Citentur denique omnes illi, quorum interest,
cap. fin. de elect. in 6. quo Textu ad id proban- 87
dum utitur *Corradus in Praxi Benef. L.* 2. *cap.* 15. *n.* 56. quod et Lancellottus noster docet *in §. non solum hoc T.* - Concilium Bononiense *Tit. de un.* ibi: *et vocatis, quorum interest, tota erit res pertractanda*, & colligitur ex *Clem. ne in agro §. ad hac de statu Mon.* ibi: *cum consilio, & assensu Abbatum- Concilium Trident. sess.* 7. *cap.* 6. *de Reform.* ibi: *aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinariis (vocatis quorum interest) verificandis &c.*

Et hi quidem vocandi sunt, quotiescumque unio fit per Episcopum.

Legati tamen de latere libertate fruuntur unien-
di irrequisito Capitulo, *cap. pen. de Off. Leg. in* 6. 88

Ratio est. Quia ideò Episcopus rem hanc perficere nulla habita ratione Capituli, minime potest; quia arctissima conjunctio, atque consortium intercedit inter Capitulum, & Episcopum, qui propterea si quid est arduum in negotiis, consilium ejusdem reposcere, ad rem seriò, matureque deliberandam tenetur, quam rationem ex regulis juris desumit *Rota Parte* 9. *recent. decis.* 221. *n.* 4. Atqui Legatus, tametsi ordinario Jure polleat, nullam agnoscit communionem cum Capitulo, ex quo efficitur, Capitulum convocare lege nulla obstringi.

Objicies tamen, quod omnis Episcopus fru-
itur titulo delegati a Sede Apostolica *Trid sess.* 89
22. *cap.* 8. *de Ref.* ergò inferri potest, perperam ad hanc necessitatem convocandi Capitulum Episcopum compelli.

Agnovit hanc difficultatem *Gargias de Benef. P.* 11. *cap.* 2. §. 2. *n.* 157. quæ difficultas ex eo augetur, quod *Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 5. *de Ref.* impertivit facultatem Episcopis uniendi etiam tanquam delegatis Apostolicæ Sedis. Verumtamen hic ipse locus citatus, ut *Gargias* observat, difficultatem submovet perspectis illis verbis: *juxta formam Juris*, quæ declarant, consensum Capituli vitari non posse, propter eam communionem, quæ adhuc cum Episcopo est. Et extat hac de re Cardinalium declaratio his verbis apud *Garciam n.* 150. *juxta formam Juris, qua præterita nulla erit unio, de consensu Capituli juxta Clem. si una de reb. Eec. non al. Episcopus has uniones facere potest.*

Hactenus ostendimus, quinam vocandi sint; jam de alia solemnitate sermo est inducendus.

Tractatus, alia solemnitas est. Non aliud est
tractatus, quàm causæ necessariæ disquisitio, ut 90
ad rem nostram, *Lottherius L.* 1. *q.* 28. *n* 151. Tractatus hic in Capitulo fieri debet, *Clem. si una de reb. Eccl. non al.* Quemadmodum divisionis tractatus eumdem præriquirit tractatum, *cap. vacante, cap dilecto de Preb*, Par namque ratio, de unione, ac de divisione, *L. nihil tam naturale ff. de R. Jur. cap.* 1. *debis*, qua finnt,

cap.

cap. tua, ib. cap. dudum eod. Tit.

An verò hic tractatus sit adeò necessarius, ut omitti non possit, disputatum video apud *Ægidium Bellameram in Rep. Clem. si una de reb. Eccl. n. 131.*

91 Et quod solus consensus sufficiat, nec Episcopus cum Capitulo hunc habere tractatum cogatur, videtur inferri *ex prædicta Clem.*

Sed breviter sic distinguendum. Aut enim quæritur, utrum sit de substantia, seu de forma solemni, & necessaria, & planè in hoc sensu necessarius tractatus non est, quia strictè loquendo, unio alienatio propria non est.

Aut quæritur, utrum tractatus sit honestus; & expediens; id quidam fateri cogimur, ut disserit *Bellamera ubi supra n. 134. & seq.* & videtur consonare *Gargias ubi supra n. 146.*

Quamquam non inficior, vix intellectum percipere, quonam pacto consentire possit Capitulum, nisi præcedat necessario tractatus, cum voluntas non feratur in incognitum, ut vulgatum Philosophorum effatum est; & propterea *Turricellus de unione cap. 9. n. 3.* ait, quod ubi requiritur consensus Capituli, *videtur etiam tractatus necessarius.* Quare dum *Gargias d. cap. 2. n. 166.* ait, sine consensu Capituli unionem factam fore nullam, utpote forma non servata, haud obscure innuit, consensum Capituli ad formam pertinere; nec video, cur antea *in eod. cap. n. 146.* afferat, tractatum non requiri. Nescio hæc duo coniungere; consensum Capituli esse de forma; tractatum, qui præcedat consensum, non requiri. Standum ergò doctrinæ Turricelli, juncta *praxi Corradi L. 2. cap. 15. n. 69.* qui rem notabilem docet. Quod nimirùm cum sæpe contingat, Capitulum in hujusmodi unionibus suum denegare assensum ob cautam minus legitimam, patet aditus ad Romanum Pontificem confugiendi, pro impetranda unione, quo casu

92 consensus Capituli minime erit expectandus, cum Pontifex suppleat omnes solemnitates, *L. 2. C. quoand. decr. op. non est.* Quæ praxis deducta videtur *ex cap. cum dilectus de his, quæ vi, metuque.*

Præter hæc omnia ad unionem prærequiritur vacatio, *Corradus L. 2. cap. 15. n. 83.* Quare uniones legitime factas sortiri debere effectum suum, cum unita Beneficia vacare contigerit, siva per obitum, siva atiam per resignationem, eaqua de re ab Episcopo docendum esse Datarium, declaravit Sacra Congregatio apud Barbosam *Summa Apostolic. decis. verbo unico n. 5.* facit *Text. in can. & temporum 16. q. 1.*

94 Addendum, quod in unione facienda pro erectione Seminarii, necessarius est interventus, & consilium duorum de Capitulo, & duorum de Clero, juxta formam traditam a *Sacro Concil. Trid. sess. 23. cap. 18. Turricellus d. cap. 9. n. 18.* & ità voluisse Rotam, & declarasse Sacram Congregationem, testatur Riccius *in praxi 1. part. Resol. 300. n. 3.* Imo adducit quasdam declarationes Sacræ Congregationis disponentes, Episcopum in hujusmodi unione teneri sub pœna nullitatis actus requirere consilium eorum, quos recensuimus.

Jamque solemnitates præcipuæ, quibus indiget unio in medium prolatæ sunt, quibus remanet explicatus Textus Lancellotti *in §. usque adeo, & in §. nec solum.*

Sed etsi omnes istæ solemnitates, adhiberentur, cum Episcopus mensæ, vel Capitulo Beneficium unire attentaret, nihil ageret, frustrà laboraret in irritum cadarent omnes conatus. Cur ita? Rem 95 explicat Lancellottus ad mentem Juris in alio §. cujus explicatio ab hac dissertatione non est disiungenda, ac separanda, nempe in *§. in aliud tamen.* Cum ait: Irritum penitus esse gestum a Prælato, si is Mensæ suæ, vel Capitulo uniendam duxerit Ecclesiam.

Pro expositione, & confirmatione hujus assertionis, rationem hanc placaat animad ertere. Ubi tractatur de commodo pecuniario quisquam in facto suo arbitrari non potest; nam est differentia inter commodum pecuniarium, & non pecuniarium, *L. plane §. 1. ff. de Leg. 1.* Item in eodem suppposito non possunt esse, fundarive termini relativi *cap. debitum de Bapt. cap. fin. de Inst. cap. per nostras de Iure Patr.* & ideo nemo sibi donare potest, & ideo legatum sibi nemo potest dare, *L. legatum §. si haredi ff. de Lig. 2.* neque potest quisquam esse sibi obligatus, *L. cum filio ff. de Lig. 1.* nemo potest plurium vicem supplere *L. si plures ff. de Pact. L. fin. ff. de Off. Prat. L. Prator ff. de Tut. & Cur. dat.* Ergò inferendum, Episcopum nec Mensæ suæ, nec Capitulo unire posse.

Comprobatur, quia unio debet fieri cum aliqua causæ cognitione, *can. 1. 10. q. 2. can. hoc jus ib.* Atqui nemo potest esse Judex in sua causa, *L. una ff. de cons.*

Addatur, quod si unio Mensæ Episcopi, vel Capituli fieri posset, aditus pateret fraudibus, nam sine causa facile ad invicem consentirent, & ideò damnatur consuetudo, quoniam hoc tendit ad lucrum, *L. si defunctus C. arbitr. Tut. L. cura ff. de mun. & hon.*

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

I. Obiicitur. Episcopus potest unire, seu conconcedere Ecclesiam in singulares Canonicos dividendam, *argum. Text. in cap. exposuisti de Preb. in cap. cum nostris de Concess. Preb. in cap. ut nostrum, ut Ecclesiastica Beneficia.* Quia Episcopus, & Capitulum possunt ex causa dignitatem de Ecclesia tollere, fructus inter Canonicos dividendo, *cap. cum accessissent de Const.* Accedit, quod potest Episcopus de Mensa propria loco Relligioso donare, *cap. consultationibus de don.* ergò multò fortius Capitulo, cui magis obligatur, *cap. requisivisti §. ult. de Test.* Quia non videtur hoc proprie, ad alienationem tendere, *L. voluntas C. de Fideic. L. Pater §. quindecim ff. de Lig. 3.* ergò Episcopus Capitulo unire poterit.

Sed

Seu hoc argumentum Hostiensis *in cap. novit de his, quæ fiunt a Prel. sine cons.* urgere potest ante Clementinam tam sæpe citatam. At post *Clementinam si una de reb. Eccl. non al.* ne potest quidem Episcopus unire Ecclesiam in singulares Canonicos dividendam; ratio est. Quia tunc proprietas acquiritur Capitulo, licet utilitas in singulos dividatur, ut respondet *Bellamera supra citatus n.* 313.

II. Obiicitur Textus in L. 1. *& L. quod dicimus ff. de auct. Tut.* ubi pupillus obligatur tutori ipsius Tutoris auctoritate, ergo &c.

Solvitur hæc oppositio ex inspectione literæ cujusque Textus adducti; non enim tutor auctoritatem interponit in facto suo principaliter, sed per consequentiam, seu incidentiam: nam illud principale est in hac auctoritate ut pupillus fiat hæres, licet in consequentiam debita tutoris subeat; multa autem permissa in consequentiam sunt, quæ non principaliter *cap. super eo de Preb. in 6.*

III. Obiicitur Textus *in L. si consul. ff. de adopt.* ubi Præses filius familias apud se ipsum emancipari potest, & in adoptionem dari, idemque habetur in *L. 2. ff. de Off. Prætor*, & in *L. Præses ff. de Off. Præs.* ergo &c.

Resp. Quòd ubi agitur de commodo, vel alio actu, in quem possit cadere suspicio, tunc in facto auctoritas non potest interponi, *L. fin. ff. de Off. Præs.* In adoptione autem, emancipatione, manumissione apud se ipsum expediendia, nulla insurgit suspicio veluti in casu unionis.

Obiicitur IV. Textus *in cap. collatione de app. in 6. & L. 1. §. solent ff. quan. cap.* 14. unde infertur, quod termini correlativi esse valent in eodem subiecto, ergò &c.

Resp. ad declarandum magis hunc articulum duo esse observanda; I. Cum quis vult auctorizare in facto suo; & tunc aut in consequentiam, & potest; aut directo, & principaliter, aut in actu; in quem cadat aliqua suspicio, & non potest. II. Cum quis vult plurium vices gerere, aut habito respectu ad personam, & non potest. Nam fieri nequit, ut unus idemque multiplex sit, *L. si plures ff. de pactis*; aut ad officium, seu actum in contentiosa jurisdictione, id non minus vetitum est, aut in voluntaria, tunc autem id permittitut. Qua distinctione corruit oppositio, aliamque addit *Bellamera n. 74. ubi supra*; sed ex præmissis abundè satisfactum judico.

(m) Secuta.

DISSERTATIO VI.

Modi uniendi, & effectus unionis quinam sint?

Jam verò, cum innotuerit, qui facere unionem possint, & quomodo, par est effectus unionis Beneficii percurrere, et sub aspectum ponere.

96 Effectus autem unionis clare, & dilucide percipi non poterunt, nisi ad diversos uniendi modos, rationesque oculos convertamus.

I. Uniendi modus ille est, cum duo Beneficia, 97 seu Ecclesiæ ita uniuntur, ut Ecclesia una fiat 98 ex duabus Hic quidem uniendi modus admodum infrequens est, & inusitatus, teste *Turricello, cap. 3. de un. n. 1.* de hoc tamen est *Textus in can. decimas 16. q. 1.* quem expendit *Matta de consist. caus. sect. 9. n. 9.* Textus *in cap. cum dilectus de his, quæ vi, metusq. in cap. recolentes de statu Mon.*

Imò hæc vera unio est, sicut enim separatio facit duo, cum pars separata a toto non sit sub toto; sed sit totū per se, ita unio facit unum, quæ vera unio est, ut differit Lotther. *L. 1. q. 23. n. 97.*

Effectus hujusmodi perfectæ, veræque unionis est, ut duæ Ecclesiæ efficiantur unum corpus, adeoque ut ambæ unum Capitulum con- 99 stituant, nec sit opus consensum majoris partis utriusque Capituli in expediendis actibus exposcere, sed unius, ejusdemque Capituli consensus attendatur, colligitur *ex cap. 1 ne Sede vacante Turricellus ubi supra n. 2.* Similiter ut consuetudines, & privilegia unius competant etiam alteri ut Beneficio unius alterius etiam concenseatur, *Matta de cons. caus. sect. 9. n. 9.* ac propterea, si resignans expresserit unam ex Ecclesiis unitis, resignatarius capere poterit etiam Beneficium in alia Ecclesia invicem unita existens, *Puteus decis. 432 n. 2. & 3 L. 1.*

II. Uniendi modus contingit, cum Ecclesia 100 æquè principaliter alteri unitur, quæ unio non extinctiva tituli vocatur, itemque vocatur non transfusiva.

Exemplis res clarescet. Ecce, duę Cathedrales, vel duæ inferiores Ecclesiæ unitæ fuerunt 101 non ratione ipsarum Ecclesiarum; sed ratione Prælati, ac Rectoris; adhuc duæ perseverant, sed regimen unius est, ergo istę Ecclesiæ æquè principaliter unitę fuerunt. Ecce aliud exemplum; Canonicatui fuit unita Ecclesia Parochialis ad vitam non per modum suppressionis, & extinctivè; sunt æquè principaliter unitæ.

Aliud exemplum historia sit; Nam Gregorius I. ut patet ex *L. Regest 2. Epist.* 32. Mussitanam Ecclesiam conjunxit Comanę æque principaliter, idest ita conjunxit, ut una alteri non submitteretur; ita etiam Episcopatus Paderbornensis, ac Laodiensis, qui Coloniensi sunt in persona Bavari mutuo conjuncti, a se invicem non pendent; ita Episcopatus Calaguritanus, & Calciatensis mutuo sunt juncti quoad unum Prelatum, nec tamen unus alteri subjicitur; ita a Clemente VIII. Ravellensis Episcopatus Amalphi unitus fuit Scalensi, & Rappolensis Episcopatus unitus est Melphensi; Pratensis Pistoriensi in Etruria.

Conjecturæ ad cognoscendam unionem æquè principalem sunt, si in provisionibus Apostolicis narraretur, utramque Ecclesiam vacare. 102 Quia cum accessoriè, & non æquè principaliter fuit Ecclesia unita, non vacat, *Turricell. de un. cap. 3. n. 17.* si in provisione facta sit utrius-

que

que mentio, *idem Turricellus ib.* si utriusque Ecclesiæ seorsim, disiunctimque possessio capta sit, *idem ibid.*

Effectus hujusce unionis sunt, ut retineat utra-
103 que Ecclesia & nomen, & leges, & privilegia sua; ut Rector unius sit Rector alterius: ut unaquæque Ecclesia proprios redditus agnoscat, *glossa in can. & temporis 16. q. 1.* Nominatim tamen a dignori fieri debet, *L. quæritur ff. de statu hom. cap. ex literis de Iure Patr.* Et Episcopus in uno Episcopatu degens poterit expedire negotia alterius, *Innocentius in cap. novit de Off. Leg.; ex Textu in cap. ad hoc iin fin. de post.*

Verum quia in hoc articulo plures difficultates decisæ fuerunt a Sacra Congregatione, silentio eas præterire non decet.

Unita est Diæcesis Castellana Hortanę æquè principaliler. Dubitatum fuit die 8. Junii anno 1634.

I. An Episcopus residens in aliquo loco hujusmodi Diœcesum suę obligationi circa residentiam satisfaciat. Audi verba declarationis, quæ sequuntur, transcripta a *Matta de cauf. consist. sect.*
104 *9. n. 13.*

Ad primum, Episcopum in aliqua parte alterutrius ex Diæcesibus residentem sua obligationi circa residentiam satisfacere, dum in aliqua ex suis Cathedralis resideat temporibus a Concilio præscriptis cap. 1. vers. eadem interim, sess. 23. de Ref.

II. In quanam ex dictis Civitatibus sit primo inchoanda Synodus, & an possit Episcopus cogere Clericos illius Civitatis, in qua non celebratur, ut illi intersint.

Ad secundum. Proximam futuram Synodum esse indicendam, & celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad præsens Episcopus reperitur, & residet: deinde verò in Civitate Hortana, & sic deinde singulis annis observari debere, absque tamen præjudicio partium, tam in petitorio, quam in possessorio judicio &c. Ceterum ad Synodum in altera ex dictis Civitatibus celebrandam nequaquam teneri accedere Clerum alterius Civitatis.

III. An quando Episcopus conficit Chrisma in una ex dictis Civitatibus, Clericus illius Civitatis, in qua non conficitur, teneatur illud ab Episcopo accipere. Et an Episcopus ad illi assistendum possit cogere Clerum dictæ Civitatis?

Ad tertium. Clerum unius Civitatis non solum teneri sacrum Chrisma, seu sacrum oleum accipere ab Episcopo illud in alia Civitate conficiente, verum etiam posse cogi etiam Episcopo in hujusmodi ministerio assistere ad Sacrorum Canonum præscriptum.

IV. An Clerus Hortanus monitus recipere Oleum Sanctum, in spretum sui Episcopi accipiens illud ab alieno, possit puniri.

Ad quartum. Puniri posse ab Episcopo.

V. An Episcopus in una ex dictis Civitatibus commorans possit per se solùm adhibito Notario, causas alterius Diœcesis diiudicare.

Ad quintum. Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per se ipsum cognoscere causas alterius Civitatis, vel Diæcesis adhibito Notario sibi bene viso, tam in processibus conficiendis, quam in actis visitationum conscribendis; sed tamen debere habere rationem, ut id non passim, sed rarò, & aqua ex causa fiat, & in arduis tantùm, & gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur.

VI. An debeat Episcopus in negotiis se denominare Episcopum utriusque Diæcesis?

Ad Sextum. Quemadmodum Episcopus in Civitate Castellana, vel ejus Diæcesi existens Civitatis Castellanæ, & Hortanæ Episcopus, est appellandus, ità è converso, dum in Civitate vel Diæcesi Hortana moram trahit, Hortanę, & Civitatis Castellanæ Episcopum nuncupari, & inscribi debere. Quod si extra Diæcesim resideat, in Negotiis ad Civitatem, & Diæcesim Hortanam pertinentibus, Hortanæ, & Civitatis Castellanæ; in spectantibus verò ad Civitatem Castellanam, & illius Diæcesim, Civitatis Castellanæ, & Hortanæ esse denunciandum.

In alia causa Sutrina, & Nepesina, conquerente Sutrinæ Civitatis Capitulo de Episcopo, qui adstringebat Clericos ex Sutrina Civitate ad Nepesinam ire pro ipsorum causis, *Sacra Congregatio sub die 11. Maii 1594.* sic mandavit Episcopo.

Quod si ita est, Vicarium statim deputet in Civitate Sutri, & mandet Officialibus Curiæ Nepesinæ, ne Clericos Sutri in aliquo molestent, nec se ingerant. Alias declarationes videre est *apud Matham ubi supra n. 15. & 16.*

III. Uniendi modus: cum una Ecclesia alteri subiicitur, diciturque unio accessione facta, & transfusiva, & per incorporationem, & tituli extinctiva, *Turricellus de unione cap. 4. n. 1.* 105

Hic uniendi modus frequentior est, ut *idem Turricellus* monet. Mentio ejusdem sæpe extat in Sacris Canonibus. De hac unione accessoria est Textus *in Clem. unica de suppl. negl. Prал. in Clem. frequens de excess. Pral. in cap. cum & plantare de priv. in cap. quoniam ib. in cap. Abbates de priv. in 6. in cap. recolentes de statu Mon.*

Effectus plurimi sunt; sed cum versemur in re implicatissima, adhuc distinguere oportet, quot modis unio accessoria, & subiectionis contingat. Alia est unio accessoria simplex; alia duplex. Simplex unio accessoria, non operatur, ut principale Beneficium, ejusque Rector omne jus, quod habebat, Beneficium, quod unitum est, adipiscatur, sed aliquod dumtaxat. Verùm, quia prima specie id pugnare videtur cum natura unionis subiectivę; quippe quæ est transfusiva, & extinctiva; res hæc suis auctoritatibus fulcienda, & probandum, dari hanc simplicem unionem accessoriam.

Probat. I. ex *cap. extirpanda §. qui verò de Præb.* quem Textum de simplici unione accipit *Rota coram Bevilaqua 13. Ian. 1663.*

Probatur II. ex *cap. suscepti de Præb. in 6.* quem Textum ita intellexit *Murga de Benef. §. 3. q. 4. n. 25.*

n. 25. *pag.* 590.

Probatur III. ex *Clement. quia Regulares de supplenda negl. prael.* ubi cum Ecclesiae fuerint unitę Monasteriis, vi unionis non obtinent Monasteria, applicari mensis suis Beneficia. Si autem unio fuisset plenaria, jam fuissent Beneficia eorum mensis applicata.

Probatur IV. ex *cap. Presbyteri de Capell. Mon. in 6.* ubi agitur de Beneficio curato unito Monasterio accessione. Si unio plenaria fuit; ergò Natura Beneficii saecularis fuit extincta, & transfusa in naturam Beneficii Regularis. Videamus, quid sit proprium Beneficii Regularis. Proprium est, ut sit amovibile; atqui praecitatus Textus ait, esse *perpetuum*, ergo unio plenaria non fuit, ergo fuit simplex.

Probatur V. ex *Clement. quia de Ecclesiis de Off. Vicar.* unde id ipsum infert *Murga ubi supra n.* 27.

Probatur VI. ex *constitutione Urbani VIII. edita 6. Septembr.* 1628. quam per extensum adducit *Murga supra laudatus n.* 29. Eamdemque sententiam pluribus Rotae Romanę Decisionibus exornat.

Tandem Gloss. non semel statuit, dari uniones Ecclesiarum factas Monachis quoad temporalia simpliciter, & non plenariè, quoad temporalia videlicet, & spiritualia, *ut in cap. de Monachis de Praeb.*

Ex quibus interim elucet, quinam sint effectus unionis accessoriae simplicis.

Unio plena, seu duplex illa est, quae jus ple-
106 num transfundit, quoad spiritualia, & temporalia.

Sed hic quoque subsistendum, ne quis in dolum,
107 erroremque perducatur. Haec unio duplex; nonnumquam tribuit jurisdictionem, quoad spiritua-
108 lia, & temporalia in foro contentioso. Nonnumquam tribuit jus quoad forum poenitentiale, in his nempè, quae ad jura Parochiae spectant, quae ad mensam dicuntur, *Clement. unica de supplend. neglig. Prael.* quae vox *mensa* significat proprium usum, quasi is, cui fit unio, emolumenta Beneficii uniti propriis valeat usibus applicare.

Quod autem unio plenaria interdum tribuat ju-
109 risdictionem contentiosam, non est ambigendum ex *cap. quoniam, & ibi Abbat. de Privil.* Excipitur enim sola jurisdictio Episcopalis in his, quae ad Curam non pertinent, veluti visitare, excommunicare, jus dicere, quae, a Principali vi unionis non acquiruntur, cetera acquiruntur, & Episcopus excluditur, ac proindè superior Regularis, cui fit annexum Beneficium, Vicarium poterit deputare suo nutu amovibilem, *Concil. Trid. sess.* 25. *de Reg. cap.* 11. latissime *Murga q.* 4. *de Benef. pag.* 593.

Quod deinceps unio hęc interdum jus tribuat quoad jura Mensae, diligentiae mediocris erit percipere. Quippe sat erit expendere Textus in
110 *Clementina quia de suppl. negl. in Clementina frequens de excess. Prael. in cap. cum & plantare de Privil. in cap. quoniam ib. in cap. Abbates de privil. in 6.* Haec verò unio, ut praecitati Textus intelligantur, quam dicimus *ad Mensam*, est unio accessoria, per viam incorporationis (ut dicunt) jure pleno, quoad spiritualia, & temporalia. Legenti eos canones; de hac specie unione tractari, constabit.

Exemplis adhuc haec unionis forma explanari potest. Ac primum ex historia petendum est; 111
nam Rex Navarrae Sanctius concessit Ecclesiam Parochialem de Stella Abbati de Hyrache, Episcopi Pampilonensis auctoritate interposita.

Quę Parochia pleno jure pervenit ad Abbatem Monasterii de Hyrache, ut cura animarum ad eum spectaret, & omnia emolumenta debita curam gerenti. Hęc Parochia erat S. Joannis Civitatis Stellae. Narratur id omne a *Seraphino decis.* 13. *post Murgam in QQ. Pastor.* Aliud exemplum est in *Literis Clementis VI. & Sixti IV.* occasione Ecclesiae perpetuò unitę per incorporationem Canonicatui Ulysbonensis Ecclesię, & decisum fuit *in una Ulisbonensi concursus* 1. *Junii* 1615. *coram Remboldo apud Murgam de Benef. q.* 4 *pag.* 605. „ Quod omne jus tam spirituale, quàm tem-„ porale ejusdemmet Beneficii fuerit in Cano-„ nicatum translatum.

His elucidatis, Nunc generatim effectus unionis accessorię scrutabimur. Sunt itaque ejusmodi 112
unionis effectus, ut Beneficium unitum tamquam praedium sit translatum in temporalitatem (ut ajunt) nec enim possidetur veluti titulus prędii, sed potius veluti praedium tituli, notat *Turricellus de unione cap.* 4. *n.* 20. & 21. Ut unio haec in numero alienationum perpetuarum reponatur *Turricellus ib. n.* 3. Ut Beneficium unitum suppressum remaneat, propterea quod transfunditur, convertitur, & coalescit in jus, & naturam ejus, cui unitur, *idem Turricellus n.* 4. *ubi supra*, cui affinis est alter effectus, extinctio nempè omnium praerogativarum, privilegiorum, qualitatum, quae in Beneficium principale transfunduntur, ut infertur *ex cap. recolentes de statu Mon.* Ut nemo intituletur in Ecclesia accessoriè unita, sed in principali, latius *Murga quaest.* 4. *de Benef. divis. pag.* 627.

(*x*) *Thifernatis.*

De Typherni Civitate.

Facit antiquae Patriae meae dulcis amor, ut quo- 113
niam auctor institutionum Lancellottus (cujus est hic Titulus) de Tyferni Civitate ad declarandam sententiam suam exemplum proposuit, alliciar ipse Tyferni originem, & decus, & praestantiam summam longa seculorum serie numquam extinctam patefacere. Nec sim reprehendendus: nam & Ulpianus vir ille prudentissimus, cum in sermonem incidisset de Syria Phenice Tyriorum colonia, temperare sibi non potuit, quin pronunciaret, eam esse Patriam suam, quin praecipua ejus regionis decora attingeret, literisque mandaret, ut videre est *in L.* 1. *ff. de censibus*, „ ibi: Sciendum est, esse quasdam colonias ju-

„ ris Italici: ut est in Syria Phœnice splendissima Tyriorum colonia, *unde mihi origo est*, „ nobilis regionibus, serie seculorum antiquissima, armipotens, fœderis, quod cum Romanis percussit tenacissima. Huic enim D. Severus, & Imperator noster ob egregiam in Remp. Imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit. Quis ergò mihi jure succenseat, si Ulpiani utar imitatione, si Tipherni prærogativas copia aliqua illustrabo verborum? Tam enim diligo hanc Urbem, quam Patriam quisque suam; utque impensius diligerem, incitamento fuerunt publica illa testimonia, atque decreta, quibus declaratum fuit familiam meam domiciliis quidem distinctam, origine tamen, conditione, ac stemmate nullatenus esse
114 diversam ab ea, quæ floruit in Urbe Tipherni, & floret adhuc in *Ludovico Megliorucci* ejusdem Urbis Patritio splendorem generis, & nobilitatem propria virtute, magnis, & luculentis accessionibus locupletante: Quibus inquam decretis adnotari sancitum fuit in publicis annalibus, ac monumentis Civitatis Tipherni, pa rum decus a fratre meo *Dominico*, tum *Consulatus* Cracoviensis, tum ignitatis *Equitis aurati*, ad quam evectus fuit ab *Augusto II. Polonorum Rege, Saxonico Duce*, ipso die suæ inaugurationis, quo die eumdem nobilem Polonum, cum omnibus ex lumbis ejus descendentibus constituit. Quæ si quis a me silentio minime præteriri, quasi ducar aliqua ambitione, suspicatur; consideret ipse secum, quantum obliget, atque obstringat non unius, alteriusve hominis, sed Civitatis perspecta benignitas, & voluntas honori meo iam propensa, tum indicabit non esse alienum ab officio honorem acceptum commemorare, & qua lecumque hoc fit gratitudinis publicum testimonium rependere. Ut vero jam de ipsa Urbe Tipherni, verba faciam. Duo Tipherna fuisse coniectura ducitur satis firma ex loco Livii; nam L. 10. „ hæc habet: Eodem anno in Campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones facta. Itaque ambo Coss. in Samnium missi, „ cum diversas regiones, Tiphernum Posthumius, „ Bo ianum Minutius petiissent. Ergò Livius agit ibi de Tipherno, quod est in Samnio. Carolus Sigonius de antiq. Jur. *Italiæ L. 2. cap. 2. pag.* 37. hæc habet: *L. Volumnius Procos. Samnitium exercitum in Tiphernum montem compulsum fudit.* De hoc Tipherno quod erat in Samnio non loquimur. Sed de Tipherno, quod est in Umbria, & longè diversum ab altero. Quare Glareanus ad citatum locum Livii hæc ait: *Tiphernum in Samnio, de quo Livius aliud fuit, quàm Oppidum in Umbria diverso planè Cæli tractu.* Quale hoc Tiphernum sit, explicat Plinius L. 4. *Epist.* 1. his verbis: *Oppidum est prædiis nostris vicinum nomen Tiphernum Tiberinum, quod me penè adhuc puerum Patronum adoptavit.* Ea in Civitate Plinius sua pecunia Templum extruxit, ut habetur in eadem epistola. Ptolomeus Tiphernum Umbriæ collocat ad Apenninum, *ita Catanæus in comment. ad eamdem epist.* Diciturque hæc Urbs Tiphernũ, a Caio Tipherno, qui ejusdem jecit fundamenta, anno 3242 *a creatione mundi*, nomenque antiquissimum tandiu retinuit, conservavitque quousque immanissimus Totila, collapsam in Italia rem Gothicam ut restitueret, comparato lectissimarum legionum exercitu, adversu suo fusis sepius Romanis, idem Tiphernum destruxit, Romamque ipsam anno 546. recepit, quam tamèn Belisarius iterum ex Oriente missus in Italiam, recuperavit, eademque biennio post sub Totilæ recidit Imperium. Petavius *Rat. Tempor. L.* 8. *pag.* 238. Non diù tamen Urbi Tipherni prostrata jacuit; sed ut S. Florido ejus Episcopo major gloria contingeret prope est ut dicam, colluvionem illam barbararum Gentium, a fortuna paratam fuisse, ut expugnaret, everteret, excinderet Tiphernũ Urbem nobilissimam, quò cura, operaque sanctissimi Episcopi in præstantiorem formam novis ędificiis restitueretur. Et fuit restituta, revixitque gloria Civitatis, & ab eo meritu fuit vindicata. Sed cum, & oppida quædam novis Urbis mœniis inclusa, septaque fuerint, Tiphernum, Civitas Castelli cæpit appellari, idemque nomen adhuc retinet, atque conservat.

Si verò præstantissimorum hominum copiam, quibus omni tempore abundavit, fando exponere aggrederer, quemnam exitum inveniret oratio? Ut alios omittam silentio, quorum tamèn nulla dies obliterabit memoriam, nonne mentionem ho orificam Scriptorum volumina continent Gregorii illius Tiphernatis, qui Medicinam profitebatur, cum laude summa, non minus tamen honoris ex politiori literatura consecutus est, teste *Giraldo de Poet. sui temp.*

Poemata scripsit, sane ut Leander ait, magno Patriæ suæ ornamento. Vir latinè, græcèque doctissimus, uti demonstrant, quę in sermonem latinum feliciter transtulit, precipuè Asia Strabonis, Preceptorque fuit Lęlii Tiphernatis, qui Filonem Judeum latinè interpretratus est. *Ut testatur Voss. de lat. script.*

Sed quod magis ad rem pertinet, jure meritò Lancellottus ad unionis effectum quemdam declarandum nititur exemplo Tiphernatis Ecclesiæ; exempla enim cum sint in disciplinam Juris introducenda, quotiès præstantiora videntur, argumento Tex us in L. *Barbarius* 3. *ff. de Off. Prætor. L. antiquis* 3. *si pars hæred. pet. L. Cicero* 30. *ff. de Pæn. L. ult. ff. de Legat.* Ecclesia Tiphernas plane merebatur, in exemplum proponi. Ejus Diœcesis tam late patebat, ut comprehenderet eam quoque Diœcesim, quæ Episcopo Biturgię a Leone X concessa est, & Abbatiam S. Angeli in Vado & 100. Ecclesias Parochiales, quibus tametsi impræsentia careat, suos extendit limites ad 100. milliaria circiter: Sexcentas prope habet Ecclesias visitationi subiectas, Abbatias, & Prioratus 430. Quandonam hęc Ecclesia fuerit in Cathedralem erecta, ignotum est; hoc tamèn haud ignoratur, anno 310. S. Volusianum

num Episcopum Carsolitanum, & Interamnensem in Urbem Tipherni S. Proculi Martyris sanguinem inuexisse, & ut crediderim, custodiæ Episcopi Jacobilli ejusdem Urbis curæque commisisse, ut deducitur ex vita S. Volusiani. Endohium verò eam Ecclesiam rexisse anno 465. sedente ad gubernacula Christiani Orbis S. Mario Pontifice summo, indubitatum est. Canonici ejusdem Ecclesiæ facultate fruebantur Episcopum eligendi, & constat anno 1479. Jacobum Cavalcanti Nobilem Florentinum, ad culmen Episcopatus eorumdem suffragiis evectum fuisse, ut narratur in opere elapsis annis edito ab Illustrissimo D. Doctore Francisco Ignatio Lazzari, vernaculo sermone, cui titulum fecit, *serie de Vescovi, e breve notizia del sito, origine, Diogesi, Governo, Santi, Prelati, Famiglie, e Persone Nobili di Città di Castello;* quo in opere multa sunt, quæ ingenium auctoris, studium, doctrinam, eruditionemque demonstrant, saneque vix possum exprimere verbis, quanti faciendum ducam eum virum, qui virtutem, cum nobilitate conjungendam esse, existimavit.

(o) *Dissolvitur.*

De unionis dissolutione.

Cognitis ex superiori dissertatione unionum effectibus, ad dissolutionis notitiam progredimur. Quemadmodum ergò uno ex conjugibus extincto, Matrimonium solvitur, haud aliter se vindicat in libertatem Ecclesia, ejusdem unione dissoluta.

115 Dissolvitur autem vel per lapsum temporis eo quod erat unio ad tempus facta de qua dissolutione Textus est *in cap. 1. ne Sede vacante; in cap. relatio, in can. illud 21. q. 1.* Vel facto hominis Sed quis hic sit, quibusve ex causis dissolvere unionem queat, dispiciendum.

116 I. Pontifex uniones dissolvit. Atque hic opportunè incidit, ut de regula 13. Cancellariæ Apostolicæ pertractetur: qua Regula 13. revocantur omnes uniones, annexiones, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, de quibusvis Ecclesiis, & Beneficiis, quæ suum effectum sortitæ non fuerint. Dicat aliquis interfatus. Quid hoc significat, uniones suum effectum sortitas non fuisse? Significat Beneficii uniti, nondum ab eo, cui annexum fuerit, possessionem apprehensam fuisse, vel quia non fuit a detentore pristino renunciatum, vel quià idem nondum occubuit. Dicam brevius; quia Beneficium unitum nondum vacavit, & id non contigit vivente Pontifice. Eo igitur universæ carnis viam ingresso, dum in hoc statu imperfecto sunt uniones; vi hujus regulæ, simul ac alius eligitur in Pontificem, omnes istæ uniones imperfectæ revocatæ censentur, ut explicat *Corrad. in Praxi Benefic. L. 2. cap. 15.* Nam per hujusmodi uniones divinus cultus minuitur, & facultas Beneficia conferendi. Quare nedum in unionibus Apostolica, sed etiam alia quamcumque auctoritate factis, per illa verba Regulæ: *quomodolibet Apostolica, vel qualibet auctoritate.* Cum igitur superveniens Pontifex invenit uniones nondum ad effectum perductas, cumque in suæ assumptionis crastinum mandet, novas Cancellariæ Apostolicæ Regulas evulgari, intelliguntur vi innovatæ Regulæ uniones concidere. Et propterea, ne id sequatur, inventum est remedium revalidationis, Porriguntur enim assumpto Pontifici preces, ut dignetur revocationem unionis inhibere, & rem ad statum pristinum restituere, & quatenus opus sit de novo unire, annectere, & incorporare. Casum in terminis, & formulam adducit *Corradus ubi supra n. 58.*


II Episcopus potest unionem non solum a se factam, sed etiam a Papa, vel Legato revocare, causa subsistente; nam Papa uniendo noluit Ordinariis vel minuere, vel tollere potestatem; *cap. 2. de Rell. Dom.*

Tandem causæ hæ sunt; Si constiterit, probatumque fuerit, unionem esse damnosam, carere necessitate, atque utilitate, unio dissolvitur. Sed vocandi sunt illi, quos, monuimus, esse vocandos ad unionem faciendam: vocandum Capitulum, citandi illi, quorum interest, *L. nihil tam naturale ff. de Reg. Jur. cap. 1. de Reg. Jur. Garcias cap. 2. P. 12. n. 307. & seq.* 117



DE

DE IMMVNITATE
ECCLESIARUM, ET SUBIECTIONE.
TITULUS XXII.



EST immunitas (*a*) jus, quo loca, res, vel personæ à communi onere, & obligatione exemptæ sunt. Si loca sint exempta, immunitas localis dicitur; si res, realis; si personæ, personalis immunitatis species consurgit. Paucis de hac triplici immunitate differendum.

Localis immunitas Ecclesias respicit. Ecclesiæ igitur hoc Privilegium habent, ut inviolatę, a quovis actu profano serventur; nec vero contractus, (*b*) atque judicia [*c*) in his locis celebrare earum sanctitati respondet; nec concilia, [*d*] nundinarum, [*e*) aliorumque negotiorum sæcularium tractationem in Templis instituere canones permittunt. Domus Dei domus orationis est. Procul hinc quæ cultum divinum turbent, vel impediant, quęque divinam Majestatem possint offendere. Ostiarii officium suum expleant infidelibus (*f*] & excomunicatis ingressum denegandi. Alia ex parte concedatur asylum [*g*) reis, & obæratis confugientibus in gremium matris suæ; Christus enim, qui pro impiis mortuus est, claudi aditum misericordiæ non permittit. Ergò quicumque inde hominem reluctantem violenter abstraxerit, tam aliis pœnis (*h*) pro sacrilegio, quod admisit, quàm Ecclesiasticæ subiacebit excommunicationi. Soli hac immunitate excluduntur, qui spe asyli in Ecclesiis ipsis homicidium, [*i*) membrive mutilationem patrare sunt ausi; pariterque interdum impunè licet a Templis educere fraudolentes (*k*) decoctores, publicos (*l*) latrones, viarumque (*m*) grassatores, depopulatores [*n*] agrorum, proditorie (*o*) interficientes, vel acceptâ pecunia, ex mandato (*p*) necantes, vel hæresis, (*q*) aut reos læsæ (*r*) Majestatis, prout est in celebri cōstitutiōne Gregorii XIV. *cum alias*. Nec tuti sunt in Ecclesia servi [*s*) licet Christiani, qui ex metu Domini ad aras confugiunt, nam si Dominus cautionem juratam prętiterit, educuntur ab Ecclesia; Nec Regulares delinquentes ex consuetudine approbata a Summis Pontificibus, teste *Antonello de jurib. et on. cler. L. 1. cap. 5.* De Clericis etsi olim dubitaretur, sustulit tamèn omnem ambiguitatem Sacra Congregatio Cardinalium relata a *Barbosa de jure Eccl. 5. 2. cap. 3. n. 137.* decernens, eosdem immunitate gaudere.

Hæc localis immunitas non tantùm Ecclesiis consecratis, sed et non consecratis competit, & circumiacenti (*t*) loco, intra triginta ab Ec-

clesię ianuis passus, vel 40. si Baptismalis Ecclesia sit; addo, etiam si Ecclesia (*u*) sit interdicta, cum privationem immunitatis censura interdicti expresse non contineat, & odia sint restringenda, *cap. odia de Reg. jur. in 6.* gaudere tamèn immunitate. Quoniam verò Relligiosorum locorum, & horum, quæ Deo dicatæ Virgines habitant, immunitas est conversatio vitæ laudabilis, & honesta, statuit Florentinum Concilium Provinciale anno 1564. *Tit. de immun. Eccl. cap.* 1. his verbis; *nullam fœminam inhoneste viventem posse habitare in locis vicinis Monasterijs Monialium per trecenta brachia, Item nec in locis propinquis portis, & accessibus Ecclesiarum aliarum per* 50. *brachia; mulieres in prædictis locis habitantes, & domos eisdem qualitercumque locantes in ducatis decem condemnavit sub eadem quoque pœna præcipit, ne infra prædictos terminos aperiantur tabernæ, aut Thermæ &c.*

Personalis Immunitas, & realis personas, & res Ecclesiasticas respicit. Pugnant cum Sacris Canonibus onera (*x*) civilia ministris, & rebus Ecclesiarum imposita. Quare Concilium Lateranense potestatem sęcularē gravantem, si monita non destiterit, a Christianorum communitate exterminat. (*y*) Obtinuit tamen, ut Clerici ad Civitatis vigilias tempore necessitatis compelli possint; neque a legitima tutela, cura pupillorum, orphanorum, & viduarum prohiberi debeant. Sed neque Ecclesiastica prædia pensione, aliove onere ante affecta, quàm ad Ecclesiam pervenirent, immunitate (*z*) gaudent. Quemadmodum permittitur (*aa*) aliquid a Clericis percipere, ubi Episcopus, & Clerus subveniendum Laicis ob maximam necessitatem viderint, Romano Pontifice consulto. Tandèm et hoc privilegium est (*bb*) rei ad sacra Templa pertinentis, ut ejus emptor nulla se longi temporis præscriptione tueri queat, *L. ult. C. ne. rei Dom. vel. Templ.*

SUMMARIUM.

1 Contractus in Ecclesia illicite celebratur, sed tamen validus est.
2 Adducitur argumentum a simili.
3 Actus judiciales in Ecclesiis peracti prorsus nulli sunt.
4 Ratio traditur.
5 Jurisdictio duplex voluntaria, & contentiosa.
6 Solvuntur contraria his, quæ n.3. dicuntur.
7 Olim sententiæ in Templis dicebantur.
8 Concilia universitatum, aliique actus profani arcendi ab Ecclesiis.
9 In Ecclesiis an de Philosophia disputari possit.
10 In Templis olim bibliotheca construebantur.
11 Nundinarum tractatio non convenit Ecclesiis.
12 Nec convivia, nec hospitia.
13 Quid olim essent hospitia.
14 Choreas ducere in Ecclesiis est illicitum.
15 Ludi theatrales ab Ecclesiis submovendi.
16 Qua moderatione hoc intelligatur.
17 Ecclesia munimenti instar non sit.
18 Elegans historia adducitur.
19 Infideles an Ecclesiam ingredi possint.
20 Exempla historica.
21 Quid nunc observandum circa infideles.
22 De asylo unde ortum duxerit.
23 An Templis asylum de Jure divino debeatur.
24 Explicantur varia auctoritates.
25 An Ecclesia immunitas Jure scripto, vel consuetudine fuerit introducta.
26 Quidam putant ortam esse ex consuetudine.
27 Variarum consuetudinum exempla proponuntur circa immunitatem Ecclesiæ.
28 Pœna adversus abstrahentes ab Ecclesia.
29 Pœna Textus in L. fideli C. de his, qui ad Eccl. exulerit.
30 Quemadmodum, & pœna Textus in can. major 14. q. 4.
31 De pœnis impositis a Gregorio XIV.

32 *Fa-*



EX-

EXPLICATIONES.

[a) Immunitas.

Quid verba immunis, & immunitas denotent?

Immunis propriè dicitur sine munere, otiosus vacans; quare immunes Civitates oppositæ vectigalibus, quod ab omni onere liberæ nihil penderent. Et immunis in convivio, quem ἀσύμβολον Græci vocant, qui nihil conferat, inanis ac vacuus.

Immunisque sedens aliena ad pabula fucus et L. 4. Ode 12

Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis

Nonnunquam et immunis manus dicitur, culpa, ac scelere plane pura. Idem *Hor. L.* 3. *Ode.* 23.

Immunis aram si tetigit manus

Ex quibus apparet, quam congrue immunitas initio Tituli hujusce fuerit vel descripta, vel definita.

[b) Contractus.

De Contractibus in Ecclesia celebratis.

In Ecclesiis prophanos contractus celebrare non licet. Negociatores eiecit Dominus de Templo, & mensas nummulariorum evertit; ut considerat Textus *in can. ex multis* 1. *q.* 1. *can. existens dist.* 88.

Quæri posset, an contractus in Ecclesia celebratus roboris obtineat firmitatem?

1 Canisius *in Summa L.* 2. *Tit.* 24. *in not. Lit. B.* docet contractus hujusmodi sustineri

Hoc et mihi arridet. Ratio est, quia Gregorius X. *in cap. decet. de imm. in.* 6. prius ita loquitur.. cessent in Ecclesiis, earumque Cæmeteriis .. negotiationes, & præcipuè nundinarum, & .. fori cujuscumque tumultus; omnis in eis sæ.. cularium judiciorum strepitus conquiescat. Deinde idem Pontifex *in* §. *ordinarii*, ita loquitur.. et nihilominuus processus Judicum .. sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ .. in iisdem locis omni careant roboris firmitate. Hæc Decretalis solum processum, ac sententias Judicum irritat. Ergò cum hæc constitutio pœnalis sit, nostra interpetratione non est ad alia extendenda, *cap. in panis de Reg. Jur. in* 6 adeòque inferendum est, mentem Pontificis eam fuisse, ut contrahere in Ecclesiis sit quidem nefas, at contractus non corruere.

Qua in opinione est etiam *Antonellus de loco legali cap.* 1. *q.* 2. *n.* 46. *qui plures citat.*

2 Quemadmodum enim tempore feriato contractus prohibentur, *cap.* 1. *de Feriis*, prout eum Textum intelligit *Zoesius ad eum Titul. n* 12. & tamen contractus valent. Imò generaliter hodie his diebus feriatis nundinæ indicuntur, ut notat *Ricciolius L.* 6. *Lucubr. cap.* 24. Ità intelligitur, cur et in Ecclesia conventiones interponere piaculum sit, contractus tamen ipse non irritetur. Et quod valeant contractus tempore feriatum celebrati; notavit *Alex. cons.* 253. *L.* 2. *Cravetta cons.* 248. *n.* 2. & *cons.* 272. *n.* 9. *Menoch. L.* 2. *Præsump.* 48. *n.* 24. *Cala Tract. de fer. q.* 5. *per tot.*

[c) Judicia.

DISSERTATIO I.

Actus judiciales in Ecclesiis irriti sunt.

En in quo differant contractus, & judiciales actus. Illi in Ecclesiis celebrati illiciti sunt, tamèn validi; actus verò judiciales & illiciti, & invalidi, ut statutum expresse fuit a Gregorio 10. *in cap. decet de imm. in* 6. §. *ordinarii*, ibi.. Et nihilominus processus Judicum sæcula.. rium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem .. locis omni careant roboris firmitate. Quid clarius? Et ideò hunc Textum tamquam singularem notant Gonzales *in cap. cum Ecclesia V. de immun n.* 5. *Canisius in cap* 1. & *seq. de imm. n.* 1. *Fermosinus ibid.* & *Barbosa cum innumeris, quos citant.* 3

Ratio discriminis, cur severiùs procedant canones, in Judices, & litigantes, quoniam irritant gesta, quæ concernunt judicia; illi esse potest, quam atrigit Pontifex *in cap. decet de imm. in* 6. ibi.. Domum Domini sanctitudo de.. cet, ut cujus in pace factus est locus, ejus .. cultus fit cum debita veneratione pacificus; consonat Textus *in* L. denunciamus C. *de his, qui ad Eccl. conf.* ibi.. ut in sacrosanctis Ec.. clesiis, & in aliis quidem venerabilibus locis, .. in quibus cum pace, & quiete vota compe.. tit celebrari. Nullas igitur parte habet Judex in Ecclesia; adeoque in Ecclesia Judex exuit Judicis personam, ut egregiè notat *Canisius ubi supra* Confirmatur hæc sententia ex *cap. adversus de immunitate verso quia verò.* 4

Sed ut distinctius procedatur, Notandum est, duplicem esse jurisdictionem contentiosam, & voluntariam *L.* 2. *ff. de Off. Proconf. L. inter stipulantem* §. 1. *ff. de V. Ob. quicquam* §. *de plano ff. de Off. Proconf.* 5

Cum igitur, quæ voluntariè sunt Jurisdictionis partium contentionem, jurgia, ac dissidia non habeant; sed una tantum parte instante exercentur §. 3. *inst. de Lib. L. emancipari ff. de ad.* Hac Judex sæcularis in Ecclesia si exequatur invalida non erunt, cum supra tradita ratio non militet Ergò citationem Judex sæcularis in Ecclesia validè poterit decernere, *argumento Textus in L.* 19. §. *ult. ff. de ad.* Ergò servus in

Ec-

Ecclesia potetit manumitti, L. 1. C. *de his, qui in Eccl. manumitt.*

Quę conclusio sic explicata, & confirmata non convellitur quibusdam oppositionibus, quæ adduci solent.

Non obstat I. Textus *Concil. Tolet. 6. in* illis
6 verbis.. Idque in Prętorio Toletano in Ecclesia .. Sanctæ Leocadiæ Virginis debitis sedibus collocatur. Quę verba indicant, Toletanam hanc Synodum fuisse celebratam in Ecclesia, ubi erat Prætorium. Quid Prætorium, nisi Tribunal sæcularis Judicis? Ergò erigit Judex sæcularis suum in Ecclesia Tribunal.

Facilis responsio est; nam ibi de Templo tractatur, quod erat Prætorio vicinum, ut declarat *Mariana L. 6. Hist. Hispan. cap.* 6. Ergò per illa verba *in Prætorio Toletano*, voluerunt PP. demonstrare discrimen Ecclesię hujusce cum alia. Nam duplex Ecclesia Toletana, Prætoriensis una, quę arci contigua est; & Prætoriensis altera, quæ in suburbio sita est; in prima fuisse Concilium convocatum, significare voluerunt. Notat *Gonz. diffusissimè in cap. 5. de immu. n.* 8.

Non obstat II. Textus *in can. fin. 11. q. 1. in cap. qua fronte de Appell. can. præceptum 2. q.* 2. Qui Textus declarant, causas Ecclesiasticas in Ecclesia posse agitari. Non videtur major ratio, cur idipsum de causis sæcularibus statuendum non sit; Nam lites omnes habent contentiones, diffidia, jurgia, collusiones, calumnias. Hinc et in foro Ecclesię juratur de calumnia vit. *cap. 1. de Jur. calum.* & collusiones reprimuntur, *cap. 1. de collus. det.*

Resp. specialem esse rationem, cur olim causæ Ecclesiasticæ in Ecclesiis terminarentur. Nam cum omnes controversię jurejurando finirentur super Altare ad Martyrum Relliquias, *Gregor. Turonens. L. 5. cap.* 32. ibi: tunc intro placito .. ad Basilicam Martyris Sancti convenuint, ele.. ..vatisque super Altare manibus juravit, filiam .. non esse culpabilem Hinc est quod omnis collusio, fraus, doli, temeritas ob jurisjurandi relligionem procul esse, præsumebatur Accedit, quod cum Episcopi in quolibet loco Diœcesis suæ possint per se, sive per alium pro Tribunali sedere, causasque ad Ecclesiasticum forum spectantes audire, & cognoscere, *cap. cum Episcopus 7. de Off. Ord. in 6* jure poterunt; & in ipsis Ecclesiis, cum non prohibeantur, notat *Canisius ubi supra n.* 4. Ut enim jam diximus, Judices sæculares exercere valide in Ecclesiis actus voluntariæ jurisdictionis, quia non prohibentur. Ita cum Episcopi causas suas in Ecclesia agitare non prohibeantur, jure id ipsis permittitur. Nam satis est, sententiam latam non esse extra locum jurisdictionis, *can. leges 3. q. 6. L. fin. ff. de jurisd. omn. Jud. Peregrinus in Praxi Vicar. P. 2 sect. 3. subseq. 1. n.* 62.

Non obstat III. regula illa: *multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, cap. ad. Apostolicam 16 de Reg. cap. 1. qui Cler. vel. vovent. cap. un. de vot. in 6.* ergò etsi prohibeatur sęcularis Judex sententiam in Templo pronunciare, non propterea sententia viribus erit destituta.

Resp. regulam in hunc sensum esse accipiendam, ut procedit, cum lex prohibens manet in terminis prohibitionis; nec si ultra progrediatur, actum infirmat, ut contingit in terminis alterius regulæ *in cap. quæ contra de Reg. Jur. in 6. in L. 5. C. de Leg.* ubi quæ contra Jus fiunt, pro infectis habentur; jam vero contra Jus est, ut sæcularia judicia in Ecclesiis habeantur. Cum enim locus jurisdicendi Jus dicatur, *L. 1. in. ff. de Just. & Jure*, non congruit Judici sęculari, qui Jus prophanum exequitur, locus sacer, nam Jusdicendum salva in ... state Imperii, salvoque more majorum; neque hic unquam mos fuit, ut Ecclesiæ locus esset ad exercenda judicia in causis prophanis idoneus.

Non obstant IV. exempla veterum, apud quos sententię in Templis dicebantur, *Cicero* 7
Philip. 2. ibi: *cum in hac Cella Concordia*; *O Dii Immortales! In qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt*. Augustus sanxit, ut est *in Suetonio in Octavii vita cap.* 35. ut prius quam consideret Senator, thure et mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus Templo coiretur. Denique hoc institutum custodisse Romanos, ne alibi, nisi in Templis Senatus Consulta, ac sententiæ dicerentur, Varro docuit, & *Gellius L. 14. noct. Att. cap.* 7. Qua ratione Vestalium ædes erant sine consecratione, ne apud eos Senatus haberetur, Servius *L. 8. Æneid. in versic: est ingens gelidum lucus*, & valet argumentum ab historia etiam prophana, *can. Ecclesia 16. q.* 1.

Resp. quod licèt apud Æthnicos in Templis Senatus haberetur; non ideò in nostris Ecclesiis aliquid prophanum est attentandum; ubi enim sacrosancta Mysteria recoluntur, Relligionis quidem negotia ibi tractari, consentaneum est, veluti Concilia, veluti electiones Prelatorum, *can. in nomine dist. 33. can. convenior 23. q. ult. cap. cum terra. de elect. cap. quod sicut ib.* At dedecet quam maxime perinde ut solet in plateis, & in foro negotia in Ecclesiis tractari, ubi Deus ter maximus, Deus verus, & omnipotens pręsens est, in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

(d] *Consilia.*

Concilia universitatum, seu conciones prophana sint procul ab Ecclesiis.

Quod in Titulo posuimus, ex Gregorio X. desumptum est *in cap. decet de immun. in 6.* 8
ibi.. Cessent in locis illis universitatum, & societatum quarumlibet concilia, conciones, & .. publica parlamenta.

Natrat Valerius Maximus *L. 1. cap. 1.* quod Cajus Cōsulatu Gallię, & Scipio Consulatu Corficæ privati fuerunt, quod *parlamenta* faciebant in Templo, *refertur a Joan. Andrea*.

Atque hic locus esset disputandi, an sit probandus mos, Conclusiones de rebus prophanis habendi in Ecclesiis?

Atti-

Attigit hanc Quæstionem *Lancellottus noster in hoc Tit in gloss. §. publica verbo colloquia lit. g.* & putat, hunc morem a sanctitate loci abhorrere.

Et probatur ex *Concilio Tridentino sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebr. Miss.* ibi.. ab Ecclesia vero (& infra) item sæ-
.. culares omnes actiones, vana, atque adeo pro-
.. phana colloquia, deambulationes, strepitus,
.. clamores arceant.

Quamquam verò hoc Textu utatur Lancellottus, ego censeo, inductionem non admodum congruere; nam Concilium loquitur de tempore, in quo Missa celebratur.

Et videndus hac de re P. Soar. Tome 2. de Relig. L. 4. de Or. cap. 12. n. 16. & 17. Valent. 2. 2. disput. 6. q. 9. punct. un. Sanchez in Præcept. Decal. L. 2. cap. 37. n. 7.

Probari fortasse id posset ex Concilio Saligustadiensi celebrato anno 1023. quod statuit, ne colloquia prophana in atrio Ecclesiæ habeantur.

Et licet in Templis Bibliothecæ extrui solitæ
10 olim fuerint, ut Judas Machabæus, qui Nehemiæ secutus exemplum bibliothecam extruxit in Templo, *Mach. 2. cap. 2.* ex communi interpretatione ejus auctoritatis, & multis ante Judam sæculis Moyses scriptum a se Legis volumen jussit Levitas in latere Arcæ fœderis ponere, *Deut. cap. 31. vers. 25.* Qui mos, & fuit observatus apud Christianos, ut patet *ex epist. 141. D. Hieronymi his verbis*.. Beatus Pamphy-
.. lus martyr cum Demetrium Phalereum, &
.. Pisistratum in Sacræ bibliothecæ studio æquare
.. vellet, imaginesque ingeniorum quæ vera sunt,
.. & æterna monumenta toto orbe perquireret,
.. tunc maxime Origenis libros impensius per-
.. secutus Cæsariensi Ecclesiæ dedicavit.

Non tamen inde argui potest, ibidem esse disputandum, utcumque studiorum causa liceret ad Ecclesias, ubi bibliothecæ essent, convenire. Causa enim fuit, cur in Ecclesiis olim bibliothecæ reperirentur. Ingruentibus namque hæreticis; Christianæ Reip. moderatores Orthodoxorum scripta, & legitimas sacrarum Scripturarum interpretationes summa cura reponebant in locis inauguratis, velut in tutissimo quodam perfugio in illis Ecclesiæ temporibus difficillimis, ut observat *Clemens Ornacensis L. 1. sect. 2. cap. 1. pag. 35.* Tale consilium fuit Alexandri Hierosolymorum Episcopi, & martyris *Nyceph. Cal. L. 7.* D. Augustinus suam haud ingnobilem bibliothecam moriens Ecclesiæ Hipponensi legavit. Inveniās, & apud Æthnicos hoc fuisse usitatum, quo spectat locus Tertullian: *hodie apud Serapeū Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis hebraicis literis exhibentur.* Nam Ptolemæi Philladephi bibliotheca fuit primum cōdita in serapeo, ut auctor est *Ammianus L. 22.* eodēque in loco a Cleopatra reparata est. Porrò fuit Serapæum insane substructionis moles dicata Serapidi, ubi erat Numinis simulacrum, quod Sesostrex Rex per Briaxam artificem ex omni metallorum, lignorum, & lapidum pretiosorum permixtione struxerat, *Ruff. cap. 22.* Alterius bibliothecæ extructæ in Templo Pacis, meminit *Galenus L. 1. de Compos. medicam.* & *Agellius L. 17. cap. 16.* & bibliothecæ Templi Trajani *Vopiscus § in Aurelio.*

[e) Nundinarum.

DISSERTATIO II.

Ubi recensentur alii quidam actus prophani, qui Ecclesiis minime conveniunt.

Tractationes nundinarum actus prophani sunt. Et quis erit tam audax, tamque protervus, qui 11
Ecclesiam velit esse domum negotiationis? Hoc detestantur canones, ut potest ex *can. ex multis ex can. vendentes ex can. non solum 1. q. 3. ex can. exiens dist. 88.*

Convivia, hospitia, quid nisi prophanū quid- 12
dam censentur? Audiatur Concilium Altissiodorense, *can. 9.* ibi. *non licet in Ecclesiis choreas sæcularium, vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Ecclesiis præparare.* Synodus Affricana *can. 27.*
.. ibi: Illud etiam petendum, ut quæ contra præ-
.. cepta divina convivia multis in locis exercen-
.. tur vetari talia jubeant.

Et quamvis ritus Affrorum esset deferendi epulas ad tumulos Martyrum, et ibi convivandi ut testatur *D. August. L. 8. de Civit. Dei cap.*
.. 27. ibi: Quicumque etiam epulas suas eo de-
.. ferunt, quod quidem a Christianis melioribus
.. non fit.

Tamen Laodicena Synodus *can. 28.* ita edixit:
.. non oportet in Dominicis locis seu Ecclesiis
.. agapen facere, & intus manducare vel accub-
.. tus sternere.

Concilium præterea Carthaginiense III. *can. 30.* vetat Episcopis, & Clericis universeque plebi intra Ecclesiam convivari.

Quocirca, cum id quoque Mediolani fieri Ambrosius prohibuisset; idem D. Augustinus *L. 6. Confessionum cap. 2.* refert matrem suam ad memorias Sanctorum, sicut in Affrica solebat cum canistrum cibis refertum detulisset, fuisse ab Ostiario prohibitam.

Asserimus hospitia in domibus Ecclesiarum a sæculari Judice minime esse vindicanda, ita loquitur Textus *in cap. 1. de immunitate.* Sed quid hæc sunt hospitia a quibus immunis esse 13
debet Ecclesia?

Sciendum pro interpretatione hujus Textus, subditos obstringi hospitio recipere missos, & Legatos Principis, Comites eorumque ministros; Constantinus in *L. 1. C. de Episc. & Cleric.* Personas Ecclesiasticas ab hoc onere hospitii exemit; et meritò. Nam si hac immunitate fruebantur domus militum *L. bis oneribus ff. de vacat. & excus. mun.* cur non concederetur domibus Ecclesiarum? Si eadem hæc exemptio concessa a Jure fuit Professoribus artium, & scientiarum *L. fin. C. de Fabric. L. Fabricensi in L. archiatros C. de metatis*, si cubiculariis Princi-

pum

onum L. 2. C. *de Praepos. sacri cubiculi* L. 12. si Decurionibus, & Silentiariis L. 3. C. *de Silentiariis ib.* si militantibus in sacris scriniis L. *in sacris* 9. C. *de Proxim. Sacr. eod. Lib.* cur minus privilegiata appareret Ecclesia? De his igitur hospitiis loquitur Textus adductus in *cap.* 1. *de Immun.*

Actus item profanus est, nec ullo modo tolerandus choreas in Ecclesiis ducere, quas passim canones detestantur, ut patet ex *Concilio*
14 *Cabilonensi can.* 18. *Affricean. can.* 27. *& Bracar. can.* 80. ibi: si quis ballationes ante Ecclesiam Sanctorum fecerit (& infra) tres annos poeniteat, & Synodus Rhem. cap. 35. ibi: ut Sacerdotes admoneant viros, & mulieres, quae festis diebus ad Ecclesias veniunt, ne ballando, & turpia verba decantando choreas teneant & ducant. Et merito sic fuit dispositum; nam si in Gentilium fanis adeo parcebatur verbis, ut violarae Religionis putaretur delictum rumpere silentium. Quare in rebus divinis peragendis de more dicebatur: *favete linguis*; quo respicit *Seneca in Lib. de vita beata cap.* 26. ibi: *Imperatur silentium, ut ritè peragi possit sacrum*; quantò magis Templis Dei veri omnipotentis, silentium debetur? Quo circa mos erat in primitiva Ecclesia, ut Diaconi in Templo inambularent contemplandi causa viros, & mulieres, ne ullum ederent strepitum, ut ostendo ex loco *D. Clement. L.* 8. *Const. Apost. cap.* 11. ibi: *Quidam ex Diaconis in Templo inambulabant contemplantes viros, & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret*. Choreas igitur in Ecclesia ducere nefas est.

Progrediamur ad alia. Ludi theatralis pariter
15 actus profani sunt; quocirca Innocent. III. *in cap. cum decorem de vita, & hon.* sic loquitur: *Praelibatam vero ludibriorum consuetudinem, vel potius corruptelam, curetis, ab Ecclesiis vestris taliter extirpare quod vos divini cultus, & sacri comprobetis ordinis relatores*; consonat Textus in *can. irreligiosa* 3. *de cons. dist.* 3. Et planè olim hic abusus erat quibusdam in Ecclesiis, ut ludos quosdam theatrales instituerent. In festo S. Nicolai pueri Clerici Episcopum sibi eligebant, qui indutus vestibus eum repraesentantibus inchoaret divinum officium. Quem abusum reprobat Concilium Salzeburgense tempore Gregor X. his verbis. Ad haec quidam ludi noxii, quod vulgaris elocutio Episcoparus puerorum appellat, in quibusdam Ecclesiis exercentur (& infra) hos ludos in Ecclesiis, & a personis Ecclesiasticis fieri, prohibemus. Et alia spectacula hujus generis in Templis exhibita fuisse, ac demum prohibita, deducitur ex Concilio Coloniensi anno 1536. *can.* 26. ibi: Olim theatrales quoque ludi, & larvarum ludibria inferebantur Templis pessimo quidem exemplo, adeò ut provisione canonica, quod hic teterrimus abusus aboleretur, opus fuit.
16 Haec omnia sic moderor cum Innocentio, dum explicat *Textum praetatum in cap. cum decorem.*

Prohibentur scilicet ludi theatrales in Ecclesiis, qui ad compunctionem, aut pietatem excitandam non tendant. Ceterum D. Augustinus approbat quamdam consuetudinem, durissimam Salvatoris Passionem reprehensenrandi, *Textus est in can. semel* 51. *de cons. dist.* 2. *in can. quarta de cons. dist.* 4.

Postremò non evadat Ecclesia instar arcis, aut propugnaculi in bellicam speciem erecti. Atque 17
ad hoc explicandum celebris occurrit historia, quam narrat *Platina in Alexandr. IV. Aemil. L.* 7. *aliique plures.*

Cum amissis Hierosolymis, regia urbs evasisset Ptolemais; Genuenses, ac Veneti, ea in urbe suum Praetorem, suos apparitores, suas sibi leges habebant; At haec profana. Exoritur de sacris contentio. Aedem Divi Sabae, sibi utrique 18
vindicabant, Alexander IV. decrevit, placere, fanum commune censeri. Ligurum consilia celeriora decreti enunciatione extitere, occupant fanum, illudque instar arcis munire, tormentisque instruere. Venetus indignatione accensus Tyro movit, viginti onerarias Lignorum incendit. Fanum ut ab hoste profanatum diruit. Hoc initium funesti belli, causaque inter Barboros latini Imperii finiendi fuit. Quod ergò non possit Ecclesia ad hunc usum converti, probari, puto ex *cap. Ecclesia de Immun.* ibi: *obsequiis divinis dedicata nullis est temerariis ausibus profananda.*

(f) *Infidelibus.*

Infideles ingredi Ecclesiam non debent.

Proponam Canones id decidentes; proponam deinceps ad explicandos eosdem, illustrandosque 19
historias nonnullas, & denique, qua moderatione sit hoc intelligendum, quod infideles ingredi Ecclesiam haud debeant, elucidabo. Canones sunt *Textus in can.* 44. *Concilii Laodiceni, Textus in can. perlectis dist.* 25. ibi: *ad Ostiarium namque pertinent claves Ecclesiae, ut claudat, & aperiat Templum &c. fideles recipiat, & infideles eiciat*, *Textus in can. non liceat* 1. q. 1. ibi: *neque liceat, aut cum haereticis, aut cum schismaticis orare*, *Textus in can. eos de cons. dist.* 4. ubi, apostatas ne cathecumenorum quidem posse orationi interesse, decernitur.

Quae vero sequuntur exempla historica praecitatos canones magis illustrabunt. Celebris est objurgatio D. Joann. Chrysostomi, qua deterruit Arcadium Imperatorem a consilio conce- 20
dendi Ecclesiam Gainae Arrianae pestis complici, refertur, *ab auct. vita D. Joan. Chrysost. a Baronio anno* 400. *a Theodor. L.* 5. *hist. cap.* 32.

Vir Sanctus quoque Basilius Valentem Imperatorem Arrianorum fautorem, ne Ecclesiam traderet haereticis, persuasit. Et clausae Ecclesiae fores, sigilloque munitae solis deinde patuerunt Catholicis, *Amphil. in vita S. Basilii.*

Joannes Papa noluit, Ecclesiis Arrianorum absque facta expiatione quemquam posse uti, quae

constitutio habetur in *can. Ecclesias 11. de consf. dist. 1. notatur a Spondano in Cameet. L. 4. part. 1. cap. 5. n. 3.*

Concilio Carthaginensi IV. interfuit D. Augustinus, sed disputaturus de fide cum Manichæis, hanc prius legem statuit: *utcum eis non oret, nec conventicula celebret.*

Jam, ut percipiamus, quid observetur, & quomodo prædicta infidelium ab Ecclesiis exclusio

21 procedat, præmittendum, censeo, canonem Concilii Carthaginiensis IV. *in can. Episcopus de consf. dist. 1.* cujus hæc verba: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam &c.* En Textum, qui videtur adversari supracitatis constitutionibus. Jam ergò ad vitandam antynomiam, congrua conciliatio est inquirenda. Ego igitur existimo, Judæos, alio que infideles a Templis Christianorum expellendos tunc esse, cum divina celebrantur officia; hoc tempore, non licet permittere iisdem, ut in Ecclesia moreniur: ita procedunt Textus *in can. perlectis 25. dist. in can. Cleros ad fin. dist. 21. aliique jam a nobis adducti;* Expletis autem divinis officiis, quin possint prædicationi interesse, quæ tota spectat ad conversionem, agnitionemque veritatis, nulla causa occurrit, cur asseramus. Hinc sequitur declaratio Textus præcitati Concilii Cartaginiensis 4. *in can. Episcopus nullum de consf. dist. 1. Lupus de libert. Eccl. quæst. ult Riccial de Jur. Person. L. 2. cap. 38. alias 39. n. 14. pag. 110.* Eodemque modo differendum est, si ignoretur, an, quem videmus in templo, sit hæreticus; tunc eum cum expellere non conveniret.

(g) *Asylum.*

DISSERTATIO III.

De Asylo, quo Jure Ecclesiis competat?

22 Vidit antiquitas procul a Templis, & Cæsarum imaginibus, iram, minasque stetisse. Si Deorum falsum numen, humanæ e majestatis veneratio ab externa vi defendebant; quantò magis decet, Ecclesiam tutum esse perfugium, opem ab ea tamquam matre, auxiliumque opportunum implorantibus?

Quod veteres iræ prætulerint religionem, quod nefas esset ab aris supplicem dimovere, & Poetæ, & Historici passim declarant.

Eò spectat illud Virgilii L. 1. Æneid.

. . . . cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam, & Templū clamore petebant.

Idemque IV. Æneid.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

Virgilius idem L. 8. Æneid. de luco Romuli, ubi erat asylum.

Hinc lucum ingentē, quem Romulus acer asylum.
Retulit, & gelida monstrat sub rupe lupercal

Ovid. L. 5. Metamorph. indignatur, quòd rara iniquissimo capiti profuerit.

Ut stetit ille toro stetis tum denique Perseus
Exilit teloque ferox inimica remisso.
Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus.
isset, & , indignum sceleratu profuit ara.

Statius *L. 12. Thebaid.* describit misericordiæ Templum, quod Herculis Thebani liberi ad tutamen collocarunt

Urbe fuit media nulli concessa potentum.
Ara Dei, mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquā,
Illa novo &c.

Poetis, quorum locos similes abstinemus recensere, adiungimus historicos.

Thucidides 1. histor. auctor est gravissimus, Templum Palladis asylum fuisse, unde Lacedemonii vi abducere Pausaniam reformidarunt.

Pausan. *in Attic. in 1.* narrat, Syllam Romanum morbo pediculari interiisse, quod Aristonem ex Minervæ fano extractum necasset.

Parthen. *in Erotic. cap. 9.* refert, Diognetem Milesiorum Ducem minime ausum fuisse Policritam Naxiam violare.

Strabo *L. 12.* asserit in Tanio apud Tragnios, qui habitant Pontum, & Cappadociam versus Delubrum Jovis asylum fuisse.

Erat et in Statuis Cæsarum jus aliquando asyli, *L. quod si fugitivus §. apud Labeonem ff. de Ædil. ad. L. 1. C. de iis, qui ad statuas conf. L. 2. ff. de his, qui ad Statuas conf. L. 2. ff. de his, qui sunt sui. vel. al. Jur. §. sed Dominorum eod. Tit. Inst.* Talem fuisse statuam Tyberii, scribit *Philostratus*; itemque Regis Ptolemæi Statua id Juris habuit, ut servi ad illam confugientes nexu solverentur, *Alex. ab Al. L. 3. cap. 20.* Origo immunitatis concedendæ simulacris, ac Statuis hæc fuit. Apud Ægiptios Princeps vir Affyrophenes unicum filium, quem in deliciis habebat, immatura morte sublatum, maximo animi angore deflebat. Utque partem aliquam doloris minueret, carissimi pignoris imaginem in marmore exprimi, curavit; bujus jucundissimo aspectu, interdum etiam colloquio fruebatur. Id cum servi ejusdem observassent, rati, suo Domino gratum fore, ut eidem Simulacro specimen aliquod venerationis exhiberent, ipsi nunc detecto capite adstabant, nunc coronas plectebant, quibus officiis, cum quandoque iratum Dominum ad mansuetudinem revocassent, eamquoque in spem venerunt, ut, si quid, in posterum peccassent, impunitatem ad hoc Simulacrum confugientes invenirent. His principiis orta securitas confugientibus ad Statuam, ut notat *Fulgentius 1. Lib. Mytholog.* Cum verò immunitas hæc Statuarum per impudentem adulationem in Idolorum cultum transferretur Statuas ipsas pro Diis habendo; Quare Assiriorum Rex Nabucdonosor, cum Statuam vivus adbuc sibi erexisset, eam pro numine coli, præcepit; sopitus Statuarum usus quievit ad Romanos usque Imperatores, quibus eumdem rursus placuit renovare. Id verò paulatim ad Reip. perniciem redundavit ob frequentiam criminum; quo circa opus fuit Lege remedium adhibere, *L. un C. de his, qui ad Stat. conf.* Eò denique ventum

erat

erat, ut illa ipsa Imperatorum imagine, quę monetis fuerat impressa, ad impunitatem abuterentur; quo spectat locus Taciti *L.* 3. *Ann.* ibi: *intedebat deterrimo cuique licentia impunè probra, & invidiam in bonos excitandi abrepta Cæsaris imagine*. Insuper admirabilis ad Statuas concursus servorum esse cœpit. Ad hanc vilem turbam à Statuis propiis arcendam ad Statuarum bases in hunc modum scribi, curatunt

a servo tangi nefas

narrat Lipsius *in Tacitum ubi supra*.

Sed labente demum Imperio, atque Urbe, Statuarum non minus usus collapsus est, & Christiana Religione introducta, eaque crescente, tum ne novæ Statuæ erigerentur, est laboratum; tum ut veteres minuerentur.

Quo circa Statuarum immunitas cessavit, neque hodiè confugientes ad Statuas securi sunt, ut egregie notat *Gambarurta de Immun. L.* 1. *cap.* 6. *n.* 27. *pag.* 19.

Eò spectat omnis hic sermo, ut intelligamus, olim jus asyli concessum fuisse confugientibus in Templa, sive ad Statuas. Rursus assero, multò magis Ecclesiis Christianorum, id convenire.

At quo jure asylum in Templis sit, difficile
23 videtur ad deliberandum, propter varias hinc inde pugnantium Interpetrum sententias.

Quidā censent immunitatē Ecclesiarū origine a jure divino sumpsisse; verū hodie juris esse positivi.

Nec obstat Textus *in can. illa* 15. *q.* 1. ubi plurimarum auctoritatum Sacræ Scripturæ Testamenti veteris mentio fit, ex quibus infertur,
24 jus asyli referri ad legem divinam.

Nam respondent, post obitum Christi præcepta veteris Testamenti cessasse, *cap. translato de const.* Cumque immunitas hæc localis nulla Evangelica lege reperiatur sancita, fateamur, necesse est, à solo jure positivo provenire. Cum hæc immunitas ad judicialia præcepta legis veteris pertinerent, quę potest quidem Pontificis auctoritate revivisćere; at Juri positivo erit adscribenda, ut differit *Granan. in cap. inter alia de Immun.* Nec tamen inficiandum esse dicunt, eamdem immunitatem secundum juris naturalis congruam aliquam æquitatem sacris locis competere; quandoquidem id absolutè non præcipit lex, naturalis etiam supposita sanctitate loci; propterea quod non pugnat cum sanctitate loci justa facinorosi extractio; sed solùm id suadet congrua aliqua juris naturalis ęquitas.

Nec rursus obstare putant; quod Redemptor ejecerit ex Templo vendentes, ex qua expulsione constituta videatur immunitas.

Respondent enim, id factum fuisse, quod illi, qui mitissimum Dominum ad flagella compulerint, ideo expulsi sunt; quia vendēdo carius in ipsū Templū peccaverant, *can. quid est aliud dist.* 88. ut respondet *Canisius ad T. de Imm. in Decret. n.* 10.

Nec præterea adversatur locus *D. Math. cap.* 23. quem expendit *Igneus in L.* 1. *ff. ad Sen. cons. Syll.* Christus enim ita comminatur Judæis: „ Venit super vos omnis sanguis justus, qui „ effusus est super terram a sanguine Abel ju„ sti usque ad Sanguinem Zachariæ filii Bara„ chiæ, quem occidistis inter Templum, & altare. En exprimitur locus occisionis, locus sacer, locus securitatis, ad denotandum, quam merito vindicta gravior immineat propter violatam immunitatem; constituit ergò Redemptor immunitatem servandam.

Respondent, narrari in Evangelio crimen commissum homicidii Zachariæ filii Barachiæ, & commissum contra Mosaycam legem, quæ jus asyli Templo cōcesserat. Se nescire tamen quomodo inferatur ex hoc, Christum in nova lege per hæc verba suis Templis immunitatem impertisse. Nec omittendum, quod Remigius in hunc locum, scribit his verbis: *Ideo ergò Dominus hos duos commemorat, quoniā per hos omnes Sancti Martyres designanturlastalis scilicet, & Sacerdotalis Ordinis.*

Sed non possumus inficiari quod licet Lex Mosayca expirarit; Tamen ad ejus imitationem, & multo magis secundum Juris Naturalis congruam 25
æquitatem sacratis locis concessa fuerit immunitas ita *Laiman. de Imm. L.* 4. *cap.* 3. *Tract.* 9.

Sed in alia Quæstione, an immunitas hæc legescripta, vel consuetudine fuerit in usu posita.

Haud est impossibile, immunitatem in sacris 26
locis ortam esse primum ex consuetudine, postea verò in lege positam.

Probatur, quia primis illis fidelium fervoribus, cum qui ex judaismo ad fidem convertebantur assueti, essent asylo Templi, itemque qui ex Gentibus in verum Deum credebant repudiatis erroribus; fieri non potuit, quin et asylum in Ecclesia Sancta Dei permissum fuerit, ne scilicet occasio Gentilibus, Judæisque nostra Templa contemnendi exhiberetur, eo præsertim tempore, in quo major honorandi Ecclesias videbatur esse necessitas.

Probatur ulterius auctoritate Textus *in can frater* 17. *q.* 4. Si quis auctor fit hujus canonis noscamus, consuetudini primum immunitatem adscribendam esse, constabit. Quis auctor hujus canonis? Gelasius Papa. Quid statuit Gelasius? Statuit, Epiphanii sententiam justam esse, qui Benenatum, et Maurum, qui immunitatem Ecclesiæ violatunt, condemnavit; Statuitque, ne ipsis quidem Potestatibus sęculi quemquam ab Ecclesia extrahere licuisse. Hic subsisto. Gelasius primus fuit, qui de immunitate canones condiderit. Gelasius probavit sententiam Epiphanii adversus violatores immunitatis hujusce; Gelasius violationem hanc fuisse sacrilegium, scribit; non credo Sacrilegium dici propter Statuta legum sæcularium; ergo aliquid assignaudum est, unde sacrilegii rationem haberet; hoc verò indubiè consnetudo est.

Neque hanc inductionem evertit Textus *in can. eos dist.* 87. *& Textus in can. miror, in can. reum* 17. *q.* 4. Qui omnes Gelasium præcesserunt, & de immunitate loquuntur Templis debita.

Respondetur tam Concilium Arausicanum, quàm D. Augustinum fundasse sua dicta in illa

 rece-

recepta consuetudine. Præterea Textus *in can. eos* Concilii Provincialis erat, non lex universalis. Dicta verò D. Augustini nondù erant in corpus canonici translata; quare adhuc viget inductio Textus *in can. frater 17. q. 4.* Si violatio hæc erat sacrilegium, erat consuetudinis vi-

Probatur demum ex *conft. Greg. XIV. §. 3.* ubi Pontifex consuetudinem primo exprimit, tum de facris canonibus mentionem habet, ut notat idem Gambacurta, *ubi supra*.

27 Utilitas hujus resolutionis non modica est; nam consuetudini multum etiam quoad immunitatem tribuitur in judicando, ut ait *Panormitanus in cap. Ecclesia de Immun.* Et ego exemplis rem elucidabo.

An hospitalia gaudeant immunitate, ex consuetudine noscendum, tradit *Cov. L. 2. var. cap. 20.*

An virginum raptores immunitate fruantur, incertum est, & pugnantes variorum sunt consuetudines locorum, *Papiens. in Pract. in forma inquisit. vers. hac est n. 40.*

In quibusdam Hispaniæ locis consuetudo induxit, ut ad eas tantum Ecclesias immunitas pertineat, in quibus Eucharistia asservatur, *Covar. L. 2 var. cap. 20. n. 4.*

In cap. immunitatem hoc Tit. committentes in Ecclesiis homicidia, & mutilationes immunitate carere, statuitur; de consuetudine privantur omnes, qui quodvis delictum ibidem patraverint, *Clarus in Pract. crim. §. fin. q. 30. vers. idem quæro.*

Mandatarios pretio occidentes de consuetudine privatos olim immunitate fuisse, testatur *Petrus a Placa in Epitome delictorum cap. 19. n. 24. quem citat Gambacurta ubi supra.*

Similiter consuetudo erat, ut fures simplices ab Ecclesia non protegerentur: Testatur *Covarr. L. 2. var. cap. 20. n. 3.*

Satis hęc demonstrant, consuetudinem, ubi de immunitate sacrorum locorum peragitur, multum posse.

Jam verò exigui laboris est ostendere, jus quoque scriptum immunitatem stabilitam reliquisse.

Patet hoc ex canonibus collectis a Gratiano *sub causa 17. q. 4. in Decretalibus, & in 6. sub Tit. de Immun.*

Quod ipsum æquissimum visum est Imperatoribus *in L. 2. & per tot. C. de his, qui ad Eccl. conf. in L. placet C. de sacros. Eccl. in Auth. de mand. Princip. §. neque autem, et passim alibi.*

Cæterùm quod attinet ad varias consuetudines; illud tenendum est, omnes consuetudines ante Tridentinum, & Gregorii XIV. constitutionem adversus immunitatem introductas sublatas modo fuisse; nam Gregorius XIV. in celebri Bulla modum extrahendi a loco sacro redigit ad unam formam, ut notat *Thomas del Bene de Immun. P. 2. cap. 16. dub. 7. n. 1. pag. 257.*

Tridentinum vero *Sess. 25. cap. 20. de Ref.* præcipit, omnes canones, & sanctiones servari in favorem immunitatis editas, adeòque contraria revocando, censetur contrariam quamque abrogare consuetudinem, ut differit *Thomas del Bene ubi supra n. 3.*

Nec obstat Textus *in cap. 1. de conft. in 6.* ubi per novam legem consuetudinibus non derogatur. Cui respondetur, quod, quando per legem consuetudini contrariam reducimur ad jus commune primævum, consuetudo per legem contrariam tollitur, talisque est Bulla Gregorii XIV. ut respondet *idem Thomas del Bene ib.*

(*b*) *Pœnis*.

De Pœnis, quibus subjacent abstrahentes hominem ab Ecclesia.

I. Pœna omnium antiquissima expressa in *L. fideli C. de his, qui ad Eccl. conf.* est ultimum supplicium, quam et repetit Textus in *can. definivit 17. q. 4.* Hæc tamen pęna abiit in desuetudinem: docet Pilaia *L. 2. in Decis. 4. n. 78.* 28 29

II. Pœna est pecuniaria nongentorum aureorum *can. si quis contumax 17. q. 4.* Hæc quoque pœna in usu non est, præsertim in Italia; seu nec ullam ejus extare memoriam, ait *Gambacurta L. VIII. cap. 1. n. 6. pag. 649.* Contra, penam hanc non esse antiquatam, quia per Tridentinam Synod. *Sess. 25 cap. 20. & per conft. Greg. XIV.* renovantur omnes pœnæ in violatores immunitatis, docet *Thomas del Bene de Im. P. 2. cap. 16. dubio 35. pag. 362. n. 8.*

III. Pœna est, *in can. frater 17. q. 4.* ubi, qui violat immunitatem, arcetur ab omnibus Ecclesiis, notat *Pilaja ubi supra.*

IV. Pœna est publica pænitentia, *can. miror, can. si quis contumax 14. q. 4. Hæc quoque* in usu non est, ut docet *Gambacurta ubi supra n. 9. pag. 650.* 30

V. Pœna, ut ejus oblationem Ecclesia execretur, *d. can. miror,* quæ pœna ignominiosa erat.

VI. Pœna est excommunicatio, non quidem latæ, sed ferendæ sententię, non in quemcumcumque extrahentem, sed in eum, qui monitus, ut abstractum restituat, contumax est, *can. miror, can. frater 17. q. 4.* Quamquam in *can. definivit ead. cauf. & q.* Concilium Toletanum XII. violantes immunitatem ipso facto videatur excommunicatos declarare. Quem tamen Textum de excommunicatione ferenda, intelligit Panormitanus *in cap. cum pro causa n. 5. de sent. excom. quem citat Gambacurta ubi supra.*

31 Et hæ quidem pœnæ olim vigebant ante Gregorii XIV constitutionem.

Videamus, quid sit additum hujus Pontificis decreto. Verba §. 10. *constitutionis Gregorianæ*,
.. hęc sunt: Si quis pręter, aut contra hujus
.. nostrę constitutionis tenorem attentare præ-
.. sumpserit, declaramus, eum ipso facto cen-
.. suras, & pœnas easdem incurrere, quæ con-
.. tra libertatis, juris, & immunitatis Eccle-
.. siasticæ violatores per sacros canones, & Con-
.. ciliorum generalium, nostrorumque prædecef-
.. forum constitutiones, sunt promulgatæ.

Olim qui per vim extraxisset ab Ecclesia aliquem, in eumque animadvertisset, pœnæ con-

stitutæ

ftitutæ erant, a Conciliis Provincialibus, ut patet *ex can. nullus Concilii Ilerdensis*, *ex can. constituimus Concilii Toletani cauf.* 17. *q.* 4. Jam verò transgressores præsentis constitutionis eas non incurrunt, nisi eam transgrediantur in eo, quod est in prædictis Conciliis *ita Gambacurta pag.* 655. *L.* 8. *cap.* 2. *n.* 5.

Præterea verba præsentis constitutionis Gregorianæ ibi: *ipso facto*, indicant extrahentem ab Ecclesia ipso facto in excomunicationem incidere. Alioquin superflua illa verba viderentur. Atque ita declaravit Clemens VIII. & Paulus V. ut testatur *Thomas del Bene de Imm. P.* 2. *cap.* 16. *dub.* 35. *n.* 11. *pag.* 363.

(*i*] *Homicidium*.

DISSERTATIO IX.

Indignus protectione Ecclesiæ, qui Ecclesiam violavit.

Commisisti in Ecclesia homicidium, membrumve mutilasti; Credisne eamdem, quam temere, ac nefariè violasti Ecclesiam, tui custodem futuram? Imo per quæ quis peccat, per hæc & puniatur, ait Textus *in cap. immunitatem de Imm. cap. quia frustra* 14. *de usur. L. auxilium* 37. *§. un. vers. in delictis ff. de minor. novell.* 117. *cap.* 15. *§. un.* Adeoque indignus asylo est, qui Ecclesiam despexit.

Non inficior, Textum præcipuum *in cap. immunitatem hoc T.* de solo homicidio, ac mutilatione loqui. Verum, si aliud delicti genus in sacro loco fuerit patratum, facinorosus an gaudeat immunitate, non contemnendæ quæstionis est.

Audi veriorem sententiam, communioremque.
32 Facinorosus hic in Ecclesia securus est. Ita tentio contra *Canisium ad hunc Tit. in Decret. n.* 29. secutus *Thomam del Bene P.* 2. *cap.* 16. *dub.* 19. *Sect.* 1. *pag.* 299.

Probatur. Quia privatio immunitatis est pœna,
33 & in prejudicium Ecclesiæ; non ergò extendenda ultra verba legis. Quod confirmo, quia in *cap. fin. de Immunitate* de solo homicidio, solaque mutilatione sermo est, si sensus canonis extensionem haberet; cur ergo adamussim Gregorius XIV. in constitutione sua idem repetit? ibi: *qui homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesia, vel cameterio committere non verentur*.

Comprobatur; quia S. Congregatio immunitatis 18. Martii 1631. apud Barbosam *in collect. Bullar. verb. immunitas* declaravit, quod furans in Ecclesia gaudeat immunitate; ergò falsum est, delinquentem quemcumque factis in locis excludi ab immunitate.

Quod vero Gambacurta *de Immun. L.* 5. *cap.* 18. *pag.* 380. asserit, in Siciliæ Regno in capitulis Regni sub Alphonso Rege *cap.* 71. dispositum esse, quod omnes in Ecclesia delinquentes priventur immmunitate; id potius declarat, non esse hunc sensum constitutionis Gregorianæ, ut omnes facinorosi, qui Ecclesiam despexerunt, arcendi sint a gremio Ecclesiæ. Quid enim opus esset alia lege, & sæculari lege, si hic sensus esset Gregorii, sacrorumque canonum, ut vellent ad versarii?

Non obstat I. Quod obiicit *Gambacurta L.* 5. *cap.* 18. Nempe alia delicta in Ecclesia pattata sacrilegia esse, & delicta iniuriosa Ecclesiæ, atqui ille, qui in hunc modum deliquit, excluditur immunitate, *can. ad Episcopos* 17. *q.* 4. *can. frater ead. c. & q.* 34

Resp. Textum *in can ad Episcopos* solum accessu ad Ecclesiam prohibere violantem Ecclesiam. Textus verò *in can. frater* correctus est ex Bulla Gregorii XIV. per quam non decernitur, ut amittat protectionem Ecclesiæ, qui ab Ecclesia ausus est hominem expellere.

Non obstat II. Rationem decidendi *in cap. immunitatem de Imm.* locum habere in aliis delictis.

Nam Resp. quod in pœnalibus extensio non admittitur, *regula odia de Reg. Jur. in* 6.

Cetera item argumenta leviora sunt, quàm ut mereantur prolixam responsionem.

Ex qua sententia, inferendum est, attentatem mutilare, vel occidere non secuto effectu, tamen ab Ecclesia extrahi non posse 1627. *Civitas Castellana* 22. *Jan.* 14.

Inferendum est, eos qui in Ecclesia furtum faciunt, non comprehendi in Bulla Gregorii 1603. *Chieti* 15. *Junii* 73. 18. *Martii* 31.

Inferendum est, inferentes in vultum tale vulnus, unde cicatrix eum deturpet, ab Ecclesia non esse abstrahendos, *Sacra Congreg. Episc.* 16. *Novembr.* 1618. *Genua pag.* 236.

[*k*] *Decoctores*.

DISSERTATIO V.

Cessantes in Ecclesiis an tuti sint.

Gaudere immunitate cessantes, statuit Provinciale Concilium Florentinum *cum rubris Tit. de Immun. cap.* 3. his verbis. Item cum quæreretur in Synodo, quid dicendum esset de istis „ cessantibus, & fugitivis secundum statuta „ communia Florentiæ, an illi confugientes ad „ Ecclesias, & religiosa loca tuti essent; & infra. Prævaluit tamen æquior sententia, ut „ etiam debitores quantumvis cessantes, in Ecclesiis, aut domibus adiacentibus, quas continuè inhabitant Clerici, aut personæ alioquin religiosæ, nullatenus capi possint, sicut „ laudabili hactenus consuetudine observatum „ est. In domibus autem, quas debitores ipsi, „ vel alii Ecclesiæ non deservientes inhabitant, „ vel quia locatæ, vel quia gratis ad habitandum concessæ sunt, præfatos debitores nulla „ voluit immunitate gaudere. 35

Imo si decoctus in Ecclesiam pecunias asportaverit, non potest Ordinarius illum eis spolia-

re sine licentia Sacræ Congregationis, a qua licentia peti debet, ut declaravit Sacra Congregatio *super controvers. jurisdict. in Neritonen.* 17. *Jan.* 1618. ut testatur *Barbosa citatus a Ventriglia. P* 2. *Annot.* 23. §. 1. *n.* 35.

Extant etiam literę *Sacræ Congreg. Episcop. & regul. neg. præpos.* directę ex mandato Pauli V. Nuncio Neapoli residenti sub die 13. Aug. 1613. in quibus imponitur huic Nuncio, ut mandet superioribus regularibus, ne recipiant in eorum Ecclesiis in specie decoctos. Non tamen privant hæ literæ cessantes Ecclesiarum immunitate.

Tandem, quod decoctus immunitate gaudeat, constat, declarasse Sacram Congregationem, ut narrat *Diana* P. 5. *Tract.* 1. *Resol.* 32.

Et meritò. Nam cum in *L. præsenti C. de his, qui ad Eccl.* §. 1. *vers. si quidem ipsi* immunitas obæratis concedatur; atque hæc dispositio civilis nullo canonum jure appareat reprobata, sequitur ex vulgato *cap.* 1. *de nov. oper. nunc.* confirmatam censeri, ut disserit *Gambacurta de immun. L.* 4. *cap.* 15. Nam civiles de immunitate leges, sacro jure receptæ sunt, *can. id constituimus* 17 *q.* 4. *cap. inter alia de imm.*

Non desunt tamen, qui fraudolentos decoctores immunitate esse privandos, acerrimè defendunt.

Quorum ratio, ac fundamentum est; debitor fugitivus capi potest tempore feriato, idest die festo, *arg. Textus in L. fin. C. de fer.* hinc arguendo a tempore ad locum, inferunt, licitum esse capere de loco sacro.

Accedit, quod Gregorius XIV. in narrativa suę constitutionis mentionem cessantium facit; in dispositiva de his altum silentium, ut insinuaret, quod, ex quo de publicis latronibus disposuit, de cessantibus sub eodem nomine disposuisse intelligatur. Ratio est, quia cessantes dolose versuram faciendo furtum committunt, *L. quilibet C. de Decur. L.* 10.

Ac proinde testatur Covarruvias *L.* 2. *var. cap.* 20. vidisse, decoctos violenter a sacris locis extrahi.

Ultra hæc Ecclesia non solet a servitute liberare. Dantur in Jure Canonico servi, nec Baptismus a servitute liberat, ut olim ostendimus *L.* 1. Atqui obærati persona videtur affecta, ut in jus creditoris transeat, *L. ob æs alienum C. de obl. & act.* Imo *in can. reum* 17. *q.* 4. *& ibi glossa*, habetur, debitorē servire perpetuò creditori.

His tamen minimè obstantibus, in sententia persistimus, unumque illud concedi posset, quod in Titulo posuimus, quod si obæratus cum bo-
36 nis ad Ecclesiam confugiat, in ea tutus non sit. Ita declaravit Sacra Congregatio in *una Barensi die* 12. *Martii anno* 1600. *& eadem Sacra Congregatio die* 1. *Decembr.* 1617. quas adducit declarationes *Rainaldus P.* 2. *cap.* 14. § 14.

Nec obstat prima ratio, cui respondet Gambacurta *ubi supra n.* 9. *pag.* 250. a tempore sacro, ad locum sacrum infirmum argumentum esse; tempore namque sacro vetitum non est capere; sicut vetitum est de loco sacro.

Non obstat, quod ex narrativa Gregorii XIV. expendebatur. Nam, ne quid dissimulemus; etiam Pius V. expresse in sua constitutione, de qua *Thomas del Bene* P. 2. *cap.* 16. *dub.* 21. *sect.* 6. *pag.* 283. *n.* 3. æquiparat decoctum publico latroni; attamen nullum simile est idem, nec pœnæ sunt extendendæ, *regula ad ea de Reg. Jur. in* 6. Præterea, si Pontifex Gregorius, de cessantibus in dispositiva tacuit, quidni potius inferatur, eum voluisse decoctos immunitate gaudere?

Non adversatur, quod de servitute proponebatur. Nam legem dilaniationis Pius V. abrogavit in Bulla 112. inord; ut observat Rainaldus *ubi supra num.* 8. *et* 9. Quod si mores veterum inspexerimus, potius contrarium apparebit. Tacitus *L.* 3. *Annalium*, narrat, sub Tyberio Cæsare frequentem fuisse debitorum ad Templorum asylum concursum his verbis: *eodem subsidio obærati adversus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur.* Et Sallustius eleganter de Pompejo epistola ad Cæsarem, ibi: *eoque per omne tempus belli, quasi sacro, atque inspoliato, fano debitores usi.*

[l] *Latrones.*

Latrones publici carent immunitate.

Latronum exceptio, cum ipso immunitatis 37
jure nata videtur. Nicolaus primus *in can. sicut antiquitas* 17. *q.* 4. sic, ait, a SS. Patribus fuisse statutum. Latrones primo sunt loco excepti *in cap. inter alia de Immun. & in Bulla Gregorii XIV.* 38

Publicus latro ille est, qui in publico furatur loco, cum armis prædas agens. Et ideò in *Auth. sed novo jure. C. de servis fugitivis* ad latrocinium exigitur. De his videtur esse Textus *in L. capitalium ff. de pæn.* In mari etiam qui deprædatur, publicus latro est, notat *Thomas del Bene* P. 2. *cap.* 16. *dub.* 13. *n* 3. & ideo non gaudere, *docet Gambacurta L.* 3. *cap.* 15. *pag.* 357.

[m] *Grassatores.*

Qui sint viarum grassatores.

Quoniam qui vias armati obsident, & hostiliter aggrediuntur viatores, frequenter illas vias, 39
huc illuc discurrendo, gradiuntur, grassatores dicuntur. De his extant civiles leges. *In L. Capitalium* §. *grassatores ff. de pæn. in* L. 1. C. *quando liceat cuique.* Hos non gaudere immunitate, dispositum est a Gregorio XIV. §. 3. his verbis: *viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident.* Strata autem est via, quæ cuique sternitur, id est via publica, ut *in Amalthea verbo strata.* Viarum grassatores in hoc a publicis latronibus differunt, quod publici latrones obsident vias extra urbem; grassatores autem in urbe, ut Nicolius docet ex *L. capitalium* §. *grassatores ff. de pæn.* L. 1. *inst.*

Civil.

civil. Tit. VII. n. 28.

(n] Depopulatores.

Agrorum depopulatores quinam sint.

40 Quamquam in *cap. inter alia de Imm. & in L. 1. C. quando liceat cuique sine Judice*, nocturnus depopulator agrorum indiguus asylo judicetur; attamen vox illa nocturnus non specificativè, sed solum narrati è est accipienda, ut censet Gambacurta L. 5. *de Imm. cap.* 13. *n.* 2. *pag.* 350.

Depopulator est, qui quasi populatim vastat agros, de agro in agrum transeundo, cædes, latrocinia exercendo, diripiendo damnumque inferendo. Agrorum depopulator pluribus per insidias exitium excogitat, *can. est justa* 23. *q.* 4. Rempublicam, ejusque quietem, & pacem graviter perturbat, L. 2. *C. quando liceat sine Jud.* Agrorum depopulator est, qui incendit agros, contra quem etiam *Leo X* renovavit *in Bulla* 10 *n.* 2. quascumque constitutiones, & pœnas antea latas.

[o) Proditorie.

DISSERTATIO VI.

41 *Per quam diiudicatur, quale sit homicidium proditorium pro expositione Bullæ Gregorii XIV.*

Paucis dicam, in quonam sit positum homicidium proditorium, privans illud committentem immunitate Ecclesiæ. Est homicidium pro-
42 ditorium, cum specie quadam amicitiæ vita eripitur. Hæc nostra sententia est impræsens defendenda.

Hanc receptiorem esse fatentur *Guazzinus defens.* 1. *cap.* 38. *n.* 40. *Sanfelicius decis.* 409. *per tot. cum add. Conciol. resol. crimin. verbo homic. resol.* 5. *per tot. Gratian. discept. for. cap.* 389. *n.* 10. *Caball. de omni gen. hom. n.* 306. *Sperellus decis.* 23. *per tot. Conciolus* §. *homicidium resol.* 5. *quem citat Andreonius in institut. criminalibus, quæ licet nondum typis edita sint; tamen per manus omnium circumferuntur.*

Probatur I. Nam ita declaratum fuit per Clementem VIII. *sub die* 16. *Febr.* 1507. quam de-
43 clarationem adducit *praxis Archiepiscop. Neap. cap.* 76. *de eadem testatur Franchus decis.* 713. *Pax. Jord. Lucubr. Vol.* 2. *L.* 11. *Tit.* 3. *Farinaccius consil.* 168. *mad. lit.* D. ex qua declaratione cessasse controversiam, dixit *Sanfelicius decis.* 137. *p.* 2. *Tom.* 1. & ex ea haberi mentem Bullæ Gregorii declaratam, dixit *Meolinus Pignatell. Controv. Forens. cent.* 1. *cap.* 40. *n.* 21.

Probatur II. Quia idem istud constituit Sacrum Concilium Neapolitanum, de quo *Vincentius de Franch. decis.* 78.

Probatur III. ex ipsa proditionis significatione. Quid enim proditio est, aut quis proditor nisi qui fidem abiicit *can. de forma* 22. *q.* 5. *can. Sacerdos de pan. dist.* 6. *can. servi dist.* 13. Iam verò, quem inimicum esse, constat, idem iampridem, se detexit sine fide, & propterea occidens proditor non est. Sequitur id unum proinde, ut proditor sit, qui cum hostis minime appareret, sed vel reconciliatus, vel amicus, turpiter fidem speratam fregerit, vulnusque lethale inflixerit.

Probatur IV. ex *L. fin. C. de delat. L.* 10. utarque inductione *Riminaldi in cap. qua in Ecclesiam de const. n.* 146. Ibi enim servus eisdem ædibus, ubi Dominus e at. versabatur, ac vivebat amicè, a tranquille; quare deferendo Dominum, eumdemque accusando proditorie fecit, quia mores proditoris sunt signa fidelitatis ostendere, suavia, dulciaque verba effutire, &, ubi occasio ferat, signa fidelitatis præstare, amplecti, applaudere, blandèque ridere. Si idem hic servus Dominum accuset, an non proditor est? Ita inducit Textum hunc Riminaldus, ex qua inductione confirmatur haud obscure nostrum Theorema, quod nempe etiam homicidium proditorium sit, cum fingendo amicitiam vita eripitur.

Probatur V. ex *cap. inter alia de Immun.* quo loci disponitur, liberum hominem in Ecclesia tutum esse, *quantumcumque gravia maleficia perpetraverit*. Ergò tutus est, qui homicidium ex proposito, ex fraude, ex dolo perpetraverit, adeoque, ut excludatur homicida ab asylo, aliquid insuper requiritur, & alia qualitas; hæc autem non alia esse potest, quam color amicitiæ, ex quo Textu ægre se extricat Fachineus L. 9. *Controv. cap.* 93.

Probatur VI. ex Textu *in can. si inimicus dist.* 93. ubi de proditore sic loquitur D. Petrus: *& est multò nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt; & evidenter inimici sunt, hic enim per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica gerit*, Proditor mus in pera, ignis in sinu, Gratianus in §. *item præceperat* 13. *q.* 1. *cap. & si Judæos de Judæis*.

Probatur VII. ex declaratione Cardinalium in Beneventana 18 Aug. 1637. his verbis *ad probationem homicidii proditorii requiritur amicitia præcedens*. Item ex alia declaratione super Episcopis in Rhegiensi 12. Oct. 1602. & in Bononiensi 6. April 1622. ibi: *dicitur proditor, qui aliquem, cui se tamquam socium, & amicum adiunxerit in via, nulla rixa causa interveniente occidit seu qui dolose sub amicitia colore seducit aliquam, ut occidat;* alias declarationes adducit *Pignatellus Tomo* 9. *Cons.* 18. *per tot* ubi cumulatissime alia addit, quæ ibi videri possunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

I. Obiicitur Textus *in cap.* 1. *de homic.* ibi: *si quis per industriam occiderit proximum suum vel* 44
per insidias ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Ergò ad homicidium proditorium privans immunitate, sufficiunt industria, & insidiæ, non exigitur color amicitiæ.

Pro responsione, cum varias semper interpretationes habuerit oppositus Textus, non posse

cum

eum allegari ad decisionẽ talis causæ nôtavit *Cardin. Tuscus Concl.* 11. *n.* 6 *lit. E*, *Reyes de haret. part.* 1. *n.* 204. & 371.

En igitur interpetrationes varias. Innocentius explicans illa verba & per insidias, ait: *idest qualis est publicus latro, qui insidiatur fratris.*

45 Alia Innocentii interpetratio est, quod ille Textus, utpote qui est Exodi auctoritas ex *cap.* 21. desumpta loquitur de homicida abstrahendo ab altari veteris testamenti, *quod* (ut ipse ait) *non erat ejus auctoritatis, cujus sunt nostra altaria.* Alia interpetratio hęc est, quod neque industria, neque insidię sine colore amicitiæ ibidem intelliguntur, ut censuerunt *Hostiensis*, *Joan. Andr. Turrecremata, quos citat, & sequitur Beol. conf.* 168. *n.* 71. *Rebuffus Tomo* 2. *consil. Reg. Tit. de Imm. Eccl. n.* 16. *pag.* 334.

Quare idem firmat Gonzalez, qui intelligit eum Textum de homicida, qui, nulla præcedente causa rixæ, securè occidit, idest colore amicitię. Et quod hęc interpetratio sit verior, inde constat, quod si, ut vellet Graffettus *in Tractatu, quem inscripsit Anatomes necis proditoria*, intelligitur hic Textus de homicidio proditorio commisso per insidias simplices, ergò supervacaneum fuit, Gregorium XIV. disponere nova Bulla, posse proditores ab Ecclesia educi. Ut quid enim Gregorius per novam constitutionem egit jam actum per Jus Canonicum?

Tandem et illud non incongruè responderi potest, quòd cum hic Textus ex Sacra Scriptura desumptus, translatus fuerit in corpus Canonicum, cujus dispositiones maxima ex parte collimant ad statuendum de Clericis, qui si per insidias hominem occiderint, ab altari etiam sunt avellendi; deponendi, degradandi, ut deducitur *ex can. Clericus dist.* 46. prout inclinant in hanc interpetrationem *Panormitanus ibid. Gomez var. res. Tomo* 3. *cap.* 10. *Riminald. conf.* 685. *n.* 25. *L.* 6. *Guttierez. L.* 1. *Pract. q.* 2. *n.* 4. *Sarpus de jur. asyl.*

II. Obiicitur, quod cum diffidati etiam Jure canonum admittantur *cap.* 1. *de hom. in* 6. ut de Jure Civili *Auth. Gazaros C. de haret.* hinc arguitur cum *Riminaldo in cap. qua in Ecclesiarum de Const. n.* 244. quod si diffidatos licet colore amicitiæ occidere, L. 1. §. *non fuit ff. de dolo*, *Bartolus in L.* 2. *C. quando licet sine Iud. vind.* & tamen hæc proditio non censetur, imo occisio hęc impunita remanet, *can. qui malos can. rex* 23. *q.* 5. *can. Dominus ead. cauf.* & *q.* ergò color amicitiæ homicidium proditorium non constituit.

Resp. imprimis falsum esse, quod colore amicitiæ, idest per actum proditorium vita privari possit diffidatus, idest proscriptus. Trado

46 rationem; nam quando transfertur jus sive facultas, ex una persona in aliam, semper transfertur cum suis qualitatibus, L. *si puellam C. mancip. ita fuer. al. Clemen.* 1. *de supplen. Pral.* L. 4. §. *Cato ff. de V. Ob.* Atqui jus occidendi proscriptum non erat in Judice cum qualitate proditionis; licet enim plerique voluerint, quod si Judex promittit delinquenti condonare delictum, si illud confiteatur, possit eumdem condemnare, ad tradita per Riminaldum *in cap. qua in Ecclesiarum de Const. n.* 250 attamèn Judex sententiam exequi non poteit, nisi reus condemnationem ratificet, *Imola Conf.* 100. *relatus a Marsilio in sing.* 201. Ideò nec poterit ullus è populo diffidatum proditorie occidere; consequentia urget ex L. *si eum* §. *qui injuriarum ff. si quis caut.* Falsum est igitur, colore amicitiæ proscriptum interfici posse.

Seu alio modo occurri etiam potest difficultati. Esto, colore amicitiæ proscriptus possit occidi; occidens vere, & proprie non erit proditor. Quod ut innotescat, vox hæc diffidari, quid denotet, exponam. Is diffidatus vocatur, quem necandi potestas omnibus auctoritate publica concessa est. Quare diffidatio est exclusio a fide, ut scilicet, qui diffidatus est, nemini amplius possit confidere, sed ab omnibus omne malum expectare, ita rem explicat *Anonymus in alleg. apud Campan. in diversorio Juris Can. Rubr.* 11. *cap.* 31. *pag.* 647. *Albertinus in cap. quoniam de har. in* 6. *Alexander in. L. fin. ff. de capt.* Atque adeò ejus est prævidere vim, damnumque sibi inferendum, & propterea comparatur diffidatio pręmeditationi a *Baronio in tract. de effect. inimic.* 14 *eff* Jamverò si diffiditio est exemptio hominum ab obligatione servandi fidem, quam unus homo alteri debet de vita non offendenda, occidens diffidatum verus, propriusque proditor dici nequit. Supponit proditio injustam necem inferri, supponit colore amicitiæ inferri, supponit obligationem fidem servandi, obligationem de non offendenda vita vigere. Ergò occidens diffidatum proditor vere non est.

At instari potest. Pater diffidatus impunè a filio colore amicitiæ occiditur, L. *minime* 35. *ff. de rell. & sumpt. fur.* Quis autem neget hoc homicidium esse illicitum? Satis est observare Textum in L. *si adulterium* 38. *a. Liberto ff. ad L. Jul. de ad.* Quis neget patri a filio fidem esse servandam? Concurrunt requisita nuper assignata ad actum proditorium; tamèn hæc occisio proditoria non est, alioquin punitetur. 47

Resp. quod dum pater est diffidatus, non concurrunt requisita actus proditorii, cum injuste mors non inferatur secundum Jus Civile, in casu predictę Legis *minime*; quando nimirum pater, & patriam, & liberos oppugnasset; nam concurrente non modo patriæ, sed etiam sui ipsius defensione, impune filio id a Lege permissum fuit.

Et hęc quidem est interpetratio *Harprecti ad Tit. de public. Iud.* Verum etsi non defuerint, qui arbitrati sint, patrem proscriptum impune a filio interfici, *Bartol. in L. si adulterium* 38. §. *liberto ff. ad L. Jul. de ad. Panormit. consil.* 108. L. 1. Respuunt tamen aures plenam impietatis sententiam audire, quam natura ipsa aversatur. Sit Legum contemptor pater, tamen pa-

ter

ter est, ut ait *Justinianus Novell.* 12 *cap.* 2. Filius in Patris diffidati potestate existit *L. Jus agnationis* 34. *ff. de pactis L. Jura Sanguinis ff. de Regul. Jur.* Filius eidem alimenta præstare obligatur, *L. mitius* 73. §. 1. *ff. Jure dot.* Et volumus igitur, oppositam *Legem minime* ad actum proditorium transferre? Equidem id a canonum æquitate videtur abhorrere, argumento Textus *in can. latorem* 33. *q.* 2. *in can. quicumque ib. in can. omnes* 3. *q.* 5. *in can. inter hac* 33. *q.* 2. *Concil. Tribur.* 1. *can.* 46. Quocirca negatur, hanc occisionem filio permitti.

Objicitur III. ex Hypoliti Graffetti sententia, *in Tractatu inscripto Anathemes necis pro-*
48 *ditoria*. Hic enim putat, proditorem esse, qui impotentem ad se defendendum læthaliter sauciat. Color amicitiæ non pertinet ad actum proditorium; satis est, eum, qui invaditur, ita incautum occupari ut defensiones adhibere nequeat. Graffettus hanc sententiam auctoribus probat, sed non auctoritatibus. Ad exercitationem quamdam auctoritates plurimas in medium proferam. Ecce in *L propter insidias C de his, qui accusare*, agitur de matre, quæ nil tale a filio præcavere poterat. Filius ergò proditor, aliud exemplum *in L.* 4 *ff. ad L.Jul. mates.* En dolosus proditor quisnam sit. Qui eo animo est, ut aliquis incautus opprimatur, proditor est. Talis explorator, qui secreta nostra nunciat hostibus, *L. omne delictum*, §. *exploratores ff. de re mil. L. si. quis aliquid* 30. §. *transfuga ff. de pen. L. aut damus* 8. §. *boiles ff. eod. L. proditores ff. de re mil. L.* 2. *C. de desert. L.* 12. *L. majestatis ff ad Legem Jul. majest. L.* 2. *C. qua res exp non debeant*. his omnibus in casibus color amicitiæ deficit; falsum ergò defenditur.

Pro responsione, Hyppolitus Graffettus jam explosus est a *Sperello decis.* 185. *ab Anton. de Ballis Tract. var. L.* 5. *Tit.* 42. *de insult. in Eccl. n.* 10. *pag.* 232.

Nam quod ait *in* §. 32. *n.* 25. *et seq.* verisimile non esse, ut intercedente amicitia exterius declarata, ego te sedato animo invaderim, atque adeò oritur præsumptio mihi sa orabilis, nec propterea sum ab Ecclesia excludendus; falsum est, si constet de præcedenti inimicitia, quæ per reconciliationis imaginem fallat. An non exempla plurima sunt hujus fictæ simulationis? In scriptura sacra habetur L. 2. *Reg. cap.* 3 quod Joab, Abner specie amicitiæ revocatum dolo circumvenit, occiditque. Idem Ioab Amasam salutans manu dextera mentum ipsius tenuit, & quasi eum osculans gladio occulte trucidavit. *Ibid. cap.* 20. vocavit ad convivium Abfalon Ammon fratrem suum, & ibidem occidit eum; 2. *Reg.* 23. Cum salutasset Ioab Amasam, quasi osculari eum vellet, percussit eum in latere, & effudit intestina illius 2. *Reg.* 20. Cum oraret Sennacherib in Templo percusserunt eum duo filii sui 4. *Reg.* 19. 4. *Reg. ult.* venit Ismael filius Nathaniæ, & multi cum eo, & comederunt cum Godolia, quem præfecerat Rex Babilonis terræ Juda. Et post prandium surrexerunt, & interfecerunt eum, *Jer* 40. Cum ambularet Tryphon cum Rege Antiocho, dolo occidit eum, & regnavit loco eius. *Mach.* 13. Proditoribus omnibus hoc commune, per benevolentiæ fucum, & dum illis ridetur, insidiari, ut Suidas recte in verbo λαίθαργος; ὑαίνης δίκην... καὶ κυων λαίθαργω..., *idest mulier eum mordet, quia canis et clandestine mordens*.

Satis autem probatur simulata hæc amicitia, si probetur, tempore occisionis nullam intervenisse rixam, *Vermigliol. cons.* 80. *n.* 2. *Vulpell. respons.* 126. *n.* 9. *ex Bartolo in L. respiciendum* §. *delinquunt ff. de pan.* Quæ negativa per testes probatur, *Gutierez cons.* 30 *n.* 9. Nam cum sit negativa coarctata loco, & tempore, æquivalet affirmativæ, *cap.* 2. *de his, qua vi, metusque cap. bona de el.* eque enim cadit sub sensum ac affirmativa *Hercul. de negat. n.* 260. *Tondutus Q. Q. Benef. Vol.* 2. *L.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. §. 1. *n.* 2.

Ad Textus verò pro confirmatione adductos, ut debita responsio non desit; sciendum, duplicis generis esse proditionem, quamdam propriam, quamdam impropriam, *L. nemo C. que res exportari non debeant*. Crimen aliquod erit turpe detestabile, puniendum, non tamen erit vera, & propria proditio, sed erit proximum proditioni, ob aliquam qualitatem ex his, quæ proditionem constituunt. Ut si quis transfuga ad hostes secreta nostra revelet, *L. si quis aliquid* §. *trasfuga ff. de pan.* hic autem proditoris nota inuritur, propterea quod turpiter occulta detegit, ut de Ruffino cecinit *Claud.* 2. *in Ruff.*

Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.

Quam ob causam & Tantalus pœnam illam subiit, de qua Ovid.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

Accedit, quod, & proditio multoties in Jure præsumptiva est Quare Lex 12. Tabul. tamquam proditorem eum punit, qui ateem sine defensione tenuerit, *L.* 3. *ff. ad L Jul. majest.* Hanc ignaviam Græci vocant ἐθελοκακίαν authore Budæo. Quare Timotheus Dux Atheniensium cum accepisset a Chiis, & Rhodiis quædam, centum mulctatus est, *Diod. Siculus L.* 12.

Ni fallor, ex his omnibus constat, in quonam actus proditorius sit, et jure optimo quicumq. proximum suum ita interficit, a septis Ecclesiæ removetur.

[p) Necantes.

Quis nomine assassini intelligatur.

Quos Bulla Gregorii *in* §. 3. *assassinos* dicit, sunt sicarii. Rem explicemus uberius, ut hic locus postulat. Tempore Innocentii IV. quoddam genus Persarum erat Mahometicæ Relli-

gionis

gionis assectarum; hi in necem Christianorum conjurarunt ea ducti persuasione, futurum, ut præmium æternum reportarent, si quem necassent Christi fidelem; hoc nefarium consilium ut feliciter exequi possent, addiscebant Christianorum dogmata; tum se Christianis immiscentes, dum nihil tale quisquam suspicaretur, proceres quosque trucidabant. Hi dicti assassini, & arsacidę *a Paulo Æmil. L. 5. de Gestis Franc. a Polyd. Vergil. L. 18. hist. Angl.* Hos assassinos Conciliũ Lugdunense *in cap. pro humani de hom. in 6.* excomunicavit. Qui ergò eorum mores imitantur, assassini dicuntur. Ergò ut Arsacidæ illi spe lactati præmii malè concepti insautos necabant Christianos, sic qui pecunia interficiunt, *assassini* dicuntur.

Hi verò immunitate vacant, Bulla Gregorii *dicto* §. 3. ibi: *aut assassini*.

Non tamen privatio sequitur immunitatis, si effectus non fuerit secutus; *Thomas del Bene de Imm. P. 2. cap. 16. Dub. 21. sect. 4. per tot. pag.* 318.

Ex literis autem Clementis VIII. dispositum fuit, quod si in constitutis sicarii nihil appareat, an receperit pecuniam, vel ejusdem promissio intercesserit, non potest diei homicidium per *assassinum* patratum, ita Castellus *decis.* 156. *n.* 38. & *Giurba Conf.* 10. *n.* 10. citatus *a Pignatello Tomo* 9. *consult.* 43. *n.* 52.

50 Et quamquam eadem sit pæna privationis immunitatis in mandantem, ut declarat Pignattellus *ubi supra*, & *Thomas del Bene loco citato*, attamen, qui pecuniam dedit propter homicidium, nondum effectu homicidij sequuto, gaudet immunitate, ut *Sacra Congregatio declaravit in una Sarzanen.* 21. *Febr.* 1610. *a* 34. *in registro citata a Niccolio in Inst. Civil. Tit.* 8. *n.* 32.

Improprie autem dicuntur *assassini*, qui mandant, seu mandatum recipiunt ad vulnerandum tantum, vel vultum, vel aliam partem corporis, ita *declaravit Sacr. Epor. Congr. in una Neapol.* 1601. 25. *Jun.* 157. *Jurba Conf.* 100. *n.* 13. *citatus a Nicolio ubi supra*.

Cum casus aliquis ambiguus occurrerit, summum Pontificem, vel Sacram Congregationem esse consulendam propter varios hinc inde auctores, *dixit Diana* 4. *Tract.* 1. *n.* 104.

[q) Hæresis.

DISSERTATIO VII.

Hæretici ab immunitate excluduntur.

Si quis advertens, se aliquid egisse, quod ingesserit hæresis suspicionem, vel quod manifestam hæresim sapiat, cum ab Episcopo, aut Inquisitore citatus esset, se in Ecclesiam receperit, an eredimus in ea tutum esse? Nequaquam eum in gremio detinet Ecclesia cui est adeo inimicus. Ità statuit Gregorius XIV. *in* §. 3. ibi: *vel hæresis*.

Atque idem intelligas de suspectis vehementer de hæresi, itemque de Judæis, qui cum repudiatis erroribus Baptismi undis essent regenerati, ad vomitum redierunt turpissimo apostasiæ crimine inquinati. Hi pariter ab Ecclesia excluduntur, *Joann.* 22. *Const.* 1. quam citat *Nicolius in Inst. Civil.* L. 1. *Tit.* 8. *n.* 33.

Imo omnes apostatas a fide, jacturam immunitatis facere, ex mente Gregorii XIV. tradit *Diana* 1. *Tract.* 1. *Res.* 38.

Excitat Pignattellus *Tomo* 9 *Cons.* 10. elegantem Quæstionem. An reus extractus ab Ecclesia tamquam hæreticus jussu Inquisitoris, tum expeditus, consignatusque a S. Officio Curiæ 53 Auditoris Cameræ, uti reus cujusdam homicidii, sit Ecclesiæ restituendus?

Et Ecclesiæ esse restituendum, verius videtur. Ratio est, quia Gregorius solum excipit crimen hæresis. Atque ità declaravit *S. Congregatio immunit. in Firmana* 2. *April.* 1655.

Nec obstat, quod reus Auditori Cameræ consignetur, qui est etiam Judex Ecclesiasticus. Quia respondetur, Auditorem Cameræ carere facultate causas cognoscendi in prima instantia *cap. fin. de foro comp. quem ad hoc citat Pignattellus*.

Neque ipse Auditor Cameræ facultatem habet extrahendi reos ab Ecclesia absque Pontificis licentia, ideoque reum post Inquisitoris judiciũ Ecclesiæ esse restituendum, firmandum omnino *ex can. miror* 17 *q.* 4. juxta interpretationem *Pignattel. ib.* Et re vera hæc sancti Tribunalis praxis est, ut nisi reus sit tradendus Curiæ seculari, vel libertate donetur, vel Ecclesiæ, unde fuit extractus, restituatur. *Farin. de Imm. cap.* 13. *n.* 172.

Excitant insuper Interpetres in hoc articulo de hæreticis confugientibus ad loca sacra controversiam aliam. An Judæus, ac Gentilis, instar Hæretici, careat asylo?

Et gaudere, declaratum esse a Sacra Congregatione, *mense Februar.* 1631. Barbosa testatur *de Jure Eccl.* L. 2. *cap.* 3. *n.* 44.

Qua sententia retenta. Non obstant quædam oppositiones.

Non obstat I. Quod in lege Mosayca Civitates refugii gentes non protegebant, *Psal.* 149. 54

Nam respondetur, quod Lex Moysia quoad confugii loca cum ceteris judicialibus præceptis ad nos translata non fuere. Jam verò cum Lex gratię successerit, non mirum, si infideles, ut ad conversionem aliqua Ecclesiæ facilitate alliciantur, in ea tuti sint.

Non obstat Textus *in L.* 1. *C. de his, qui ad Eccl.* ubi Gentiles a privilegio immunitatis excludũtur.

Nam respondet Thomas del Bene *P.* 2. *cap.* 16. *Dub.* 10. *sect.* 4. *n.* 19. hunc Textum Jure Canonico non esse receptum.

Utcumque tamen hoc defendi posset; tamen illa distinctio magis arridet. Aut infidelis vult converti, tunc verò gaudet, aut conversionem non cogitat, tunc autem ei privilegium hoc

dene-

denegatur.

Ratio hujus distinctionis hæc est; tum quia par est, Ecclesiam eos tueri, qui volunt sibi inservire, tum etiam quià *in L. 1. C. de his, qui ad Eccl.* excluduntur ab immunitate, qui simulate se convertunt, ergò qui ex animo conversionem pollicentur, excludendi non sunt.

Negat absolute Gambucurta, rejecta hac distinctione, Infideles gaudere immunitate, *L. 4. cap. 7.* Et sane ejus opinio, prout ab eo defenditur, satis videtur probabilis, quod indicare volui, nihil tamen decidens. Nam quod attinet ad declarationem Cardinalium supra citatam; respondet *Thomas del Bene ubi supra*, quod de ipsa non constat authenticè.

(r) *Majestatis.*

Rei criminum læsæ Majestatis immunitate privantur.

Res postulat, ut modi, quibus Principum majestati læsio fit, recenseantur. Si obsides ali-
55 cujus dolo malo interciderunt, si armati homines conveniant in Remp. si cujus dolo ad seditionem convocentur, si qui jurisdictionem exercet occidatur, si quis hosti literas, nunciosque miserit, aliave ratione hostes adjuvarit, reus est lesæ majestatis, *L. 1. ff ad L. Jul. majest.* Qui falsum in tabulis publicis conscripserit, *L. 2. ff. eod.* qui statuas Imperatoris iam consecratas conflaverit, *L. 6. ff. eod.* qui de nece Principis cogitaverit, *L. 5. C. eodem cum. si quis 6. q. 1.* qui monetam falsificat, *L. si quis C. de falsa mon.* reus est læsæ majestatis.

Quod verò attinet ad privilegium immunitatis, Pausania majestatis accusatus tutum ad asylum perfugium expertus est. Contra Crassus Brutus, cum cognita a Romanis proditione ad Palladis auxiliaris Templum confugisset, a Cassio Bruto parente, occlusis Templio foribus fame necatus est.

Jus autem commune expresse minime disponit, carere sic delinquentem immunitate; ut notat *Scribens de jure asyli cap. 5. fol. 51.* At Gregorius XIV. tanti sceleris indignitate permorus, privandum, censuit, asylo majestatis reum, *§. 6.* his verbis: *læsæ majestatis rei in personam Principis.*

Et merito, nam tale facinus atrocissimum dicitur Polybius *L. 2. histor.* narrat, quod in illa regione Italiæ, quę olim magna Græcia dicebatur, cætus Pythagoreorum ob clandestinam conjurationem fuit concrematus, nam Principes cujusque Civitatis temere fuerunt interfecti. Suetonius *in Vespasiano cap. 2.* conjuratorum cadavera ne sepelienda quidem esse, censuit. Diodorus Siculus *L. 4 cap. 1.* narrat, Ægypti, & Æthiopiæ Reges pileos oblongos gestare, quorum est umbilicus serpentibus circumvolutus, ut denotent reos lesæ majestatis mortiferis morsibus obnoxios remanere.

Mitto severitatem pœnarum legibus constitutam sub *Tit. C. ad L. Jul. majest. in §. publicen autem Inst. de publ. Iud. Dionis. Halic. in probo hist.* universali, ait, & sempiterna lege receptum esse, ut inferiores obediant præstantioribus. Brutis pejores homines hac in re. Quod bruta quantumvis ferocia sint, rarò insurgant, in pastores, & curatores. Et tamen homines in sibi præfectos rebellant. Et non erunt puniendi? Merito ergò privatur immunitate, quicumque Principis majestatem aliqua ratione sit ausus violare.

Nomine autem Principis, quoad privationem immunitatis, intelligitur is, qui suprema potestate fungatur. Talis Pontifex, Imperator, 56
Reges Galliarum, Hispaniarumque, Angliæ, Poloniç &c. Regia Magni Ducis Ætruriæ celsitudo, & alii, quos pleno calamo enumerat *Thomas del Bene Tomo 2. de Imm. cap. 6. dub. 23. sect. 5. n. 35.* Pariterque nomine Principum intelliguntur Eminent. S. R. E. Cardinales: Quare in *cap. felicis de Pan. in 6.* et ex Bulla Pi: V. quæ incipit *Infelicis vers. quicumque* declaratur reus lęsæ majestatis, qui non revelat conjurantes in personam Cardinalis. Quorcirca Cardinalis, Episcopique occisor Ecclesię asylo est indignus.

Cum *in Clementina pastoralis de appell.* inter alia dubitaretur, an Rex Siciliæ parrasset læsæ majestatis crimen; S. Pontifex Clemens respondit negativè; quia non erat subditus ratione domicilii; ex quo arguitur a *Thomas del Bene ubi supra n. 44.* ut sic delinquens immunitate privetur, subditum esse oportere.

Et notandum ulterius ad Bullæ Gregorianæ intelligentiam, aliud esse delictum in personam Principis esse commissum, aliud in ejusdē statum. 57
Gregorius intelligitur de lædente personam Principis, non autèm de lędente ejus statum; ità Pignatrellus *Tomo 11. con 12. per tot.*

Quocirca sub Paulo V. contigit, quod cum Neapoli quidam monetarii ad Ecclesiam confu- 58
gissent; ad hoc, ut extraherentur, Pontificis permissione opus fuerit anno 1610. sub die 29. Julii, ut narrat *Barbosa de Iure Eccl. L. 2. cap. 3. n. 122.* Nam monetarii non in personam Principis, sed in ejus statum delinqunt, *Pignattellus plenissime Tomo 11. d. cons. 2.*

Sed etsi quis læserit personam Protegis non est in Ecclesia tutus, ut fuse id probat *Villosa dissert. 6. §. 10. per tot. in tract. de fugitivis.*

(s) *Servi.*

Servi an extrahi ab Ecclesia possint.

Satis per se dura servitus. Domini igitur non addant intolerabili rigore afflictis afflictionem. Si puniendi sunt, eos puniant; at tem- 59
perent mansuetudine severitatem. Tunc verò ad Ecclesiam servi confugere abstinebunt.

Sed finge, Domini furorem implacabilem fuga in Templum servum evitasse; an ibi sit tutus, est impresentia cognoscendum.

Tutos esse Christianos, colligi potest ex Textu *in can. si quis contumax* 17. *q.* 4. ibi namque pœna nongentorum aureorum, & pœnitentia publica servum extrahenti imponitur. Cujus Textus circa pœnas dispositio abiit in desuetudinem, ut notat Gambacurta *L.* 4. *cap.* 13. *n.* 3. *pag.* 230. ; non tamen obscurum est, quid circa immunitatem iuris sit.

Insuper colligitur ex *can. nullus* 17. *q.* 4. ubi eadem extrahendi servos prohibitio.

Cum verò servi hoc immunitatis præsidio abuterentur, & justas fugæ causas prætenderent; necesse fuit huic malo medicinam adhibere; eaque est adhibita *in can. metuentes*, *in can. id constituimus* 17. *q.* 4. Decretumque post quam Domini promiserint jurejurando custodibus Ecclesiarum, se velle ab omni ultione servorum sic fugientium abstinere, posse eosdem extrahi, etiam per vim. Et merito, ne scilicet per meram calumniam debitis servitiis Domini fraudentur, quod est a fine immunitatis concedendæ alienum.

Hinc sequitur, quod pariter damnatus ad triremes, si tempus deserviendi ibi non compleverit, immunitate non gaudet, si in Ecclesiam se recipiat, quia servus pœnæ est, *L. qui ultimo ff. de penis*, *Curillius de imm. L.* 2. *q.* 25. *n.* 8.

Quamquam repugnat *Thomas del Bene P.* 2. *cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 11. *pag.* 182. Nam ut ait vir doctus in *Authentica sed hodie C. de don. inter vir. et ux* servus quis pœnæ iam non efficitur.

Præterea quia Ecclesia delinquentibus præbet asylum; non servis, qui ideò revocantur a Dominis, quod eorum dominium apud ipsos est *cap. inter alia §. si vero de im.* Damnatus verò ad triremes est verè reus. Quam opinionem exposui, ut quis sequatur quamcumque velit.

(t) Loco.

De spatio circumiacente, an, & quatenus immunitate gaudeat.

Singularis est, & dignus admodum observati-
60 one locus *Concilii Provincialis Florentini Lit. de
Im cap.* 2. *cum rubris*, ubi ostenditur, spatium in circuitum 40. vel 30. passuum, d. quo sunt Textus *in can. sicut. antiquitus*, *in can. diffinivit* 17, *q.* 4. *in L. in præsenti C. de his, qui ad Eccl.* iam in civitatibus contraria consuetudine fuisse abrogatum. En verba Concilii: *Quamquam jure cautum esse videatur, quamlibet Ecclesiam eo gaudere privilegio, ut per 30. passus in ambitu suo ad se confugientibus immunitatē præstet; attamen, quia in locis angustis, qualia sunt Florentiæ, ubi ita frequentes sunt Ecclesiæ, ut tota fere Civitas redderetur immunis, id sine magno publicæ utilitatis incommodo, servari non potest: præfata Synodus declaravit, ea tantum loca circum Ecclesias in Civitate Florentiæ immunitatem ad se confugientibus præstare, quæ aliquo notabili signo, a viis, & aliis locis profanis distincta sunt.*

Quocirca extra muros civitatis locum habere hanc immunitatem 30. passuum debitam Ecclesiis inferioribus, scripsit *Pignatellus Tomo* 9. *consf.* 19. *n.* 1. qui adducit declarationem Cardinalium in Tiburtina mense Octob. 1687. ibi: *Ecclesia ruralis gaudet immunitate per triginta passus etiam in via publica.*

Intra hos passus constat, quatenus immunitas ex consuetudine cessaverit; quamquam *Pignatellus ubi supra* ostendit, tolli immunitatem haud posse ex consuetudine.

[u] Ecclesia.

DISSERTATIO VIII.

Quinam sit locus sacer, qui immunitate gaudeat.

Mire se involuunt canonum interpetres, dum
student certam proponere regulam ad statuendum
quis ille sacer locus sit, qui gaudeat immunitate. 61
Clara sunt, ab obscuris, & aliquo modo ambiguis disiungenda;

Constat, Ecclesiam consecratam, ac benedictam
hoc privilegio perfrui. Gregorius IX. *in cap.
Ecclesia de imm.* ibi: *Ecclesia, in qua divina my-* 62
steria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur, quia obsequiis divinis dedicata, nullis est temerariis ausibus profananda.

Constat, gaudere immunitate ambitum cœmeterii; etiam in Civitate; nam etsi circuitus ille passuum canonicorum ex consuetudine extra observantiam sit. *Gavantus in addit. ad man. Episc. verbo immunitas n.* 5. attamen pro eo passuum ambitu cæmeterium gaudet, *Thomas del Bene P.* 2. *cap.* 16. *dub.* 11. *sect.* 8. *n.* 11. Cœmeterii immunitas expressa est apertissimo jure *in cap. fin. de Imm.* quodque in eo disponitur, Gregorius XIV. in sua Bulla repetit. Par ratio de cæmeterio, & Ecclesia reperitur; ut Ecclesia, sic cœmeterium ritè, ac solemniter dicatur sicuti Ecclesia, sic cæmeterium polluitur: sicut illa, ita hoc quoque reconciliatur, *cap. un. de consf. Eccl. in* 6. ita etiam in cæmeterio delinquens immunitate caret, prout delinquens in Ecclesia. Non ergo mirum, si Ecclesiæ privilegia sequatur. Sed quamquam ex sensu sermonis hujuscemodi videar immunitatem cœmeterio concedere, quatenus spatium occupat non semel enunciatum; attamen, & illud addo; non tam id necessarium, ut si cœmeterium extra hos passus jaceat, immunitate careat. Hoc potius assero, etiam si ab Ecclesia sit separatum, dummodo fuerit erectum Episcopi auctoritate, & sacrum dicatur, immunitate perfrui, ad tradita per Ventrigliam *Tomo* 2. *annot.* 23. §. 1. *n.* 10. *pag.* 231.

Constat, Palatium Episcopi eodem honore insigniri, *can. id constituimus* 17. *q* 4. Olim quidem id erat indubitatum, cum præceptum fuerit Episcopis, ne longe a Cathedrali Ecclesia habita-

bitarent, *can. Episcopus dist.* 41. *can. Episcopus si infirmitate de conf. dist.* 3. At contingere potest, extra eos passus toties recensitos positam esse domum Episcopi. Jam quid juris? Dico nihilominus immunitate gaudere. Ratio est; quia immunitas concessa est ratione dignitatis Episcopalis. *Gambacurta L.* 4. *cap.* 3. *n.* 7. *pag.* 213. Et decisum videtur id ipsum *in can. id constituimus* 17. *q.* 4. quem Textum ad hoc expendit *Ventriglia ubi supr. n.* 10. Et satis est, ut Palatium sit intra Diæcesim; nam extra Diæcesim non gaudet, *Marius Ital.* L. 1. *cap.* 4. §. 9. - Hinc fortasse optime notat *Bonaccina relatus a Nicolio in Inst. Civil. Tit.* 7. *n.* 22. non omnia Palatia, veluti Episcoporum Titularium Romę ex consueto gaudere; Ex immemorabili autem consuetudine quædã Palatiorum genera consueverunt in Urbe immunitate perfrui, simul cum hortis, areis, ac plateis. Ea sunt, Palatia S. R. E. Cardinalium: Palatia Oratorum supremorum Principum, qui adstant Romano Pontifici. Demum Palatia nonnullorum Principum Romanorum; secundi, & tertii generis Palatia immunitate civili gaudere, non inducente canonicas pœnas in transgressores cesset Gambacurta L. 4. *de Imm. cap.* 5. Prosper tamen Farinaccius 1. *part. crim. q.* 28. narrat, per quamdam Gregorii XIII. constitutionem omnem Palatiorum immunitatem fuisse in Urbe sublatam, & sub Sixto V. nullum fuisse locum, in quo delinquentes, exceptis Ecclesiis, tuti essent.

66 Constat ultra hęc idem jus immunitatis vigere in claustris Regularium, & Monasteriis, per Textum *in can.* 21. 17. *q.* 4. ut eum considerat *Canisius ad hunc. Tit. n.* 1. 18.

67 Constat, hospitale erectũ auctoritate Episcopi esse relligiosum, nec mundanis usibus amplius obnoxium, *cap. ad hae* 4. *de rell. dom.*

At illud subobscurum est; quid juris obtineat circa Oratoria, Sacella, partes alias extrinsecas Ecclesię annexas.

68 Regula illa mihi admodum probatur; quod si Oratorium ab Episcopo visitetur, immunitate gaudeat. Quam docet Gonzal. *in d. cap. ad hae de rell. dom. n.* 5. *Ventriglia Tomo* 2. *annot.* 23. §. 1. *n.* 11. Thomas del Bene de *Imm. cap* 16. *dub.* 11. *sect.* 14. *ait enim: Quapropter in privatis Oratoriis non habet Episcopus jus visitandi, nec exigendi procurationem cap. fin. de cens.* Ratio est, quia quę non sunt sub cura Episcopi, ad usus profanos converti privata auctoritate possunt, ergò non sunt loca sacra, nam semel Deo dicata ad usus profanos redire amplius non possunt, & consequenter jurisdictioni Episcopi subduntur, *cap.* 1. §. *deinde de Cens. in* 6. Consonat *Trid. sess.* 2. *de observand.* §. *neminem*.

69 Circa ædificia annexa Ecclesię, ut sunt scalę, porticus, campanile, quoniam hæc relligiosis adhærent, ac propterea relligiosa sunt, gaudent immunitate, argumento Textus *in L. quæ relligiosis* 43 *ff. de rei vend.*

Si tamen domus, vel apotheca Ecclesię habeat adytum, ingressum, & januam in via publica, & locetur laico, non gaudet immunitate, ut pluries declaravit Sacra Congregatio Cardinalium *Episcopo Spoletano sub die* 2. *Iul.* 1646. & *in Ariminensi* 8. *April.* 1636. & *die* 28. *Febr.* 1681. & *in Narniensi die* 15. *Nov.* 1662. quarum verba etrusco sermone referuntur *a Pignattello Tomo* 9. *conf.* 10.

Contra qui confugit ad portas Ecclesię, etiam si clausas illas invenerit, easdem, vel illarum ansas retinens, vel vectes manibus apprehendens, *ex can. si quis* 17 *q.* 4. immunitate gau- 70 det. Non tamen id ipsum transferendum est ad parietes, qui si tangantur, immunitatem non præstant, cum viam publicam spectent, *Archidiaconus in cap. un. de Relliq. vener. in* 6.

De turri sacro ære sonante, quod immunitate gaudeat, declaravit Sacra Congregatio die 17. Novembr. 1627. & Congregatio immunitatis die 9. Decembr. 1631. dummodo reperiatur intra 71 30. passus, quas declarationes adducit *Thomas del Bene de Im. P.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9. *sect.* 7. *n.* 18.

Ex his ergo locis quemquam extrahere non licet. Et si extractus fuerit ibi reponendus est non alibi, non in alia Ecclesia, ut declaravit Sacra Congregatio immunitatis *in una Neapol.* 21. *April.* 1643. & *in Mediolan. die* 28. *Nov.* 1634. ibi: *D. Secretarius juxta mentem scil. ut median-* 72 *te auctoritate Sanctissimi faciat convalidare restitutionem factam alteri Ecclesiæ, cum non dependeat a consensu partium, sed ab auctoritate Sanctissimi*, quas declarationes adducit *Panimolles decis.* 85 *n.* 3.

Attamen Pontifex jubere solet, quando delicta sunt multa, atque enormia, ut facinorosus 73 extrahatur, *can. uxor* 17. *q.* 4. *Melfi* 13. *Ian.* 3. *anno* 1612. *Nicolaus Inst. Civil.* L. 1. *T.* 8. *n.* 34.

(x) Onera.

DISSERTATIO IX.

Ubi declaratur, ab oneribus civilibus esse Clericos immunes.

Hactenus de immunitate locali. Jam vero de immunitate personali sermo fit.

Hęc exemptio est personis Ecclesiasticis competens. Sunt personæ Ecclesiasticæ ab oneribus 74 civilibus immunes; quid hæc onera sint, paucis exponam. Arcadius Charisius in L. *munerum ff. de munere, & honor.* sic dispositum reliquit: *Munerum civilium triplex divisio. Nam quædam munera personalia sunt, quædam patrimonium dicuntur, alia mixta. Personalia sunt, quæ animi pro-* 75 *visione, & corporali laboris intentione sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, veluti tutela, & cura.* Talis est Kalendari curatio, tyronum, seu equorum productio, cursus vehicularis sollicitudo, cara emendi frumenti, cura custodien-

di aquæ

di aquæductus, & similia. Ab hujus generis muneribus, quæ personalia sunt, liberi, ne impediantur a divinis officiis, quæ satis urgens ratio est, Clerici esse debent, *can.* 4. 21. *q.* 1. *cap. non minus de imm. can. generaliter* 16 *q.* 1. *can. cui portio* 12. *q.* 1. *can. si imperator dist.* 46. L. 1 & 2. *cum Auth. seq. L. placet*, C. *generaliter C. cum auth. seq. C. de Episcop. & Cl.*

Exempla alia onerum hujusmodi personalium adducuntur ab Antoniello *de onerib. Cler. L.* 1. *par.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. qui ait, esse, quæ imponuntur non habito respectu ad patrimonium, *ut pro taxa salis, pro salario Prætoris, Medici, Magistri grammaticæ, satellitum, cæterorumque officialium*. Quibus adde ex Caballutio in Scien-
76 tia Canon. L. 1. *cap.* 18. seculares administrationes, legationes, *can. generaliter* 16. *q.* 1. obligationem militiæ quantumvis justæ, in qua Clerici incurrerent etiam irregularitatem, si forte occiderent, vel mutilarent, *cap. præsentium de Cler. percuss.* Quare Carolus IX. in comitiis Aurelianensibus art. 28. & Henricus III in comitiis Blesensibus art. 57. & idem in edicto Parisiensi mense Julii anno 1576. edixerunt, non posse Clericum sacris initiatum addici carceri propter nomina, seu debita pecuniaria, ne quidem propter jura fiscalia. Et ex jure, & consuetudine Galliarum felicissimi Regni eximuntur Clerici a sequestrationibus, tutelis, cæterisque publicis officiis, teste eodem *Caballutio ubi supra*.

En quæ sint onera personalia, quibus persona Ecclesiastica obnoxia non est, non solum in sa-
77 cris constituta, sed ne tonsura quidem initiata, modo beneficium habeat, ut in casu oneris tutelæ *ex cap.* 1 *de postul.* statuit *Antoniell. de on. Cler. L.* 1. *p.* 2. *cap.* 25. Imo Clericum posse se a tutela excusare, tametsi ante Clericatum in ea se ingessent, idem Antoniellus docet, *argum. Textus in L. milites C. qui dare tut. poss.* Obnoxios quidem oneri militiæ esse voluit Clericos impius ille Julianus apostatiæ crimine ubique diffamatus. Is cum Cæsaream Cappadociæ venisset, in cives se præbuit infensissimum, tum quod Christianorum dogmatum essent tenacissimi, tum quod
78 olim fana Jovis, & Apollinis diruissent. Quamobrem Clericos omnes in numerum militum compulit adscribi, Christianosque universos in censum redigi, *narrat Sozomenus L.* 5. *cap* 4. At Clericos ad id compulisse, quid nisi barbariem redolet?

Casus tamen excepti sunt in Jure Canonico, quos nisi referamus, rudis, & imperfecta relinqueretur præsens investigatio.

De tutela, id constitutum; ut cum tutela sit
79 vel legitima, vel testamentaria, vel dativa, Clericus volens, lubensque legitimus tutor esse queat, *can generaliter* 6. *q.* 1. dummodo hæc unica sit, ut Textum accipit *Antoniellus de on. L.* 1. *p.* 2. *cap.* 25. *n.* 7. At abstinere omnino eum oportet a testamentaria, vel dativa; omnino inquam idest etiam si velit, nisi pupilli pauperes essent, vel personæ miserabiles; Tunc enim Clericus non modo admittitur accedente superioris auctoritate; sed etiam posset in subsidium cogi, *can. pervenit dist.* 86.

De militiæ onere id dispositum invenias; Clericos ad Civitatis excubias cogi posse per Epis- 80
copum, si magna necessitas urgeat, *cap.* 2. *de imm. can. non inferenda* 22. *q.* 3. *cap. dilecto* 6. *de sent. excom. in* 6. *cap. penult. de hom.* Cum Agilulphus Rex Longobardorum totam acri bello Italiam concussisset, tandem ad pacem conciliandam cum Rex esset permotus, ne dum tam grave negotium conficiebatur, interim eveniret 82
aliquid infaustum, curam suscepit Gregorius magnus variarum Urbium monendi Episcopos, ut invigilarent, præsertim Terracinæ Civitatis, quæ in Provincia Romanæ Ecclesiæ sita est, Episcopo scripsit, ut a murorum vigiliis ne Clericos quidem exciperet. Casus, & decisio est *in cap. pervenit de Immun.*

De feudatario Clerico statutum est, ut possit 83
a Domino directo obligari Clericus ad ipsi præstandum personaliter, non per procuratorem, homagium, seu fidelitatis Sacramentum, *cap. verum de foro comp. cap.* 1. *de stat. Reg. in* 6.

(y) Exterminat.

De Excommunicatione in potestatem secularem gravantem Clericos.

Verum asseritur, dum pronunciamus, a Lateranensi Concilio secularem potestatem gravantem Clericos excommunicationis mucrone sanciri. En Textum expressum *in cap. non minus* 84
de immun. ibi: *Si autem Consules, aut alii de cetero ita commiserint, & commoniti fortè desistere noluerint, tam ipsi, quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere.* Consonat Textus, *in cap. noverit, in cap. gravem de sent. excom. & in Bulla Cænæ cap.* 18. contra imponentes onera personis Ecclesiasticis sine speciali licentia Papæ, aut ea exigentes, aut sic imposita etiam a sponte dantibus. Cum enim Bulla loquatur de oneribus quibuscumque, comprehendit etiam munera personalia, quæ & onera dicuntur, L. *non minus*, L. *munus ff. de V. S.* eleganter *Thesaur. de pæn. P.* 2. *cap.* 2.

Quod attinet verò ad dispositionem Textus in *can. neque dist.* 88. *& in can. Cyprianus* 13. *q.* 2. 85
per quos Canones decretum appatet, quod nominans in testamento Clericum in tutorem sit excommunicatus, & post ejus obitum pro eo preces omnipotenti Deo minime fundantur. Sciendum est, hos Canones pœnales in desuetudinem abiisse, & ad solum terrorem pro eo tempore emanasse; ita docet *Thesaurus de pæn. P.* 2. *cap.* 3.

(z) Gaudent.

DISSERTATIO X.

Ubi sermo est de oneribus realibus, ac declaratur, quandonam impunè his Clerici subjiciantur.

Pre-

86 Præsens differtatio, quam ad explicandam hanc Tituli partem instituimus, versabitur circa realem immunitatem.

Realis immunitas rebus personæ Ecclesiasticæ tribuitur; ut ab onere tributorum, aliarumque exactionum, quæ a potestate sæculari subditis imponi solent, sint exemptæ; adeo ut qui rebus hisce similia imponunt onera, exiguntve, excomunicentur, *cap. 1. §. volentes de Im. in 6. cap. 4. & 7. de Imm. cap. quamquam de censibus in 6.*

Ignoscat prolixitati lector; Nunc mare sulcamus profundum, & latè patens, nec jam permittitur secundum oram navigare.

Si Clerici unicum bonorum genus potirentur, res hæc obvios, facilesque haberet explicatus, satis esset monere, exactioni tributorum haud subjacere bona Ecclesiastica, bona scilicet titulo Ecclesiastico comparata, ut clare disponitur *in cap. ult. de vita, & hon. Cler. in cap. quamquam de Censf. in 6. in Clem. præsertim eod. Tit. in Authent. item C. de Episc. & Cl.*

At habent Clerici bona etiam patrimonialia; an ergò hoc bonorum genus similiter debet immunitate, exemptioneque gaudere? At quis non videt nimiam sæcularis Jurisdictionis jacturam?

87 Suadere tamen id; maxime convenire, ut, & in bonis patrimonialibus, ab omni gravamine securi sit Clerici, mediocris est diligentiæ.

Nam etiam propter bona patrimonialia non potest Clericus coram sæculari Judice conveniri, *cap. si Clericus laicum de foro compet.*

Ex quo enim, ea possidens Clericus factus est, eā item bona qualitatem immutarunt, *cap. accessorium de Reg. Iur. in 6.*

Accedit Textus *in can. similiter 16. q. 1.* qui Textus haud obscure statuit, quod bona patrimonalia Clericorum gaudent eodem privilegio, quo gaudent bona Ecclesiarum, quem Textum ad hoc inducit *Thomas del bene P. 1. cap. 5. dub. 2. sect. 1. pag. 209.* qui sexcentos auctores citat.

Nec non infertur idipsum *ex canone 18. Bulla Cana* ibi: *Imponentes decimas collectas* (& infra) *personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum bonis &c.*

Urgetur angustiùs hac ratione; quia cum Pontifex, quin & Episcopus per subsidium charitativum possit bona Clericorum gravare idque ipsis videatur reservatum; non potest laica potestas ulterius eosdem Clericos gravare; alioquin Ecclesiastici deterioris forent conditionis, quàm sint sæculares. Pugnat id cum æquitate.

Quid quod bona etiam participant personæ privilegium? *cap. Ecclesia S. Mariæ de const. cap. Episcopus de preb. cap. fin. de vita, & hon. Cler. cap. ex literis de pignor. can. similiter 16. q. 1.*

Hæc argumenta si diligenter expendantur, sententia nostra, & communis, justa videbitur, nec laicis ullam esse conquerendi occasionem, fatebitur unusquisque.

Notetur tamen quid dixerim. Dixi quidem, ab oneribus imponendis a laica potestate patrimonialia bona Clerici libera extare, sive hæc ex hæreditate, legato, donatione sive alio titulo emptionis, præscriptionis etiam obvenerint, sive arte manuum, labore fuerint comparata.

Non tamen hoc dico, neque hic sensus est conclusionis, quod patrimonalia bona ab impositis antea tributis, oneribusque libera sint, propterea quod in manus Clerici pervenerint. 88

Etenim si bona, antequam ad Clericum transirent, certum aliquod onus perpetuum, & invariabile annexum habebant, censum, servitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adiacentis, &c. idem onus gravat Clericum in possessione succedentem, *cap. cum dilecti 6. de don. cap. præterea 23. de Jure Patr. cap. 1. de cens. can. tributum 23. q. 8. can. tributum 23. q. 8. can. tributum 11. q. 1.* Res enim cum suo onere in alium transit, *cap. ex literis 5. de pignor. cap. pastoralis 28. de decim. L. alienatio ff. de contr. empt.* Hinc si ad Clericum pervenerint bona jampridem affecta ut si prædecentes possessores promiserint perpetuò prose, & suis successoribus solvere tributum, seu certum onus, tunc, & Clericus teneatur, ut optime docet *Antoniellus de Juribus, & oner. Cler. L. 1. part. 1. cap. 2. n. 22.* 89

Imo eadem hæc exemptio, mortuo Clerico, ejus hæreditati jacenti convenit, quia hæreditas jacens defunctum repræsentat, *L. hereditas ff. de acq. rer. dom. L. non minus ff de her. inst. L. mortuo ff. de fid.* quod Riccius *in Praxi 3. Part. Resol. 129.* testatur, se vidisse observatum; quamquam adversetur *Gonzales in cap. non minus de Immun. n. 11.* 90

Adhuc rem distinctius exponam onera ipsa expendendo. Quando enim onera non essent ordinaria, sed variabilia, prout sunt descriptiones, quæ fiunt his temporibus, ad finem imponendi collectas; in hoc casu statim ac bona ad manus Ecclesiasticorum perveniunt, corruunt hæc onera, *can. noverint 10. q. 1. cap. 1. de Imm. latius Ventriglia P. 1. annot. 14. §. un. n. 13. Leonius in Thesauro P. 1. cap. 14. sub n. 25. pag. 141.*

Quibus expositis ad illustrandam Conclusionem nostram.

Parum obstat, quod aliud aliqua fortassis in regione servetur. Nam Carolus IX. edixit Parisiis mense Junio anno 1568. Clericos quidem in prædiis immunes esse; at posse pro vectigalibus, patrimonialibus in bonis adstringi; narrat *Chabassut, Scientia Can. L. 1. cap. 18. num. 17.* 91

Nam respondetur, multa Regno Galliarum ex privilegio competere a S. Pontificibus concessa; quod hoc Regnum sit de Christiana Religione optimè meritum, nec trahendum ad consequentias, quod privilegii naturam sortitur.

Quoniam ergò constat, bona patrimonialia ne dum initu Ecclesiæ comparata perfrui immunitatis honorifico, debitoque privilegio.

Quæstio illa his cohærens exurgit, ac pullulat, an bona Ecclesiæ in emphytheusim concessa, laicis, adhuc immunitatem prædictam, exemptio- 92

tio-

tionemque conservent. Tractant hanc quæstionem *Valascus de jure Emphytb. q. 17. Marta de iurisd. P. 4. casu 13. Sperellus decis. 121. & 41. per tot. aliique plures Pragmatici*. Nos ad examen hunc ipsum articulum, qua fieri poterit, brevitate revocabimus.

Interim sit nostra conclusio. Quod bona Ecclesiæ in emphyteusim laico concessa, adhuc exem-
93 ptionem jampridem insitam iisdem, conservant.

Probatur; quia sic declaravit Sacra Congregatio super negotiis jurisdictionis, & imm. Eccl. proposita in una Caputaquen. 27. Aug. 1627. & in Balmoregien. 15. Feb. 1633. & in aliis declarationibus *apud Nicolaum Lucubr. Tom. 2. L. 5. ampl. 16. Fol. 282*.

Confirmatur, quia utile dominium bonorum Ecclesiæ, vel Clericorum non est sub Principis jurisdictione. Quod ex eo constat; quia quoties Dominus ad collectas non tenetur, etiam emphitheuta liber est, *L. privata C. de excus. mun. L. 10.* Atqui Ecclesia non tenetur ad collectas *L. 2. C. de Episc. & Cl. cap. 1. de im. in 6.* Ergo nec emphytheuta tenetur, quasi utile dominium sit profanum.

Sed & hoc argumentum aliud *Fachinæi L. 1. Contr. cap. 01.* non leviter urget, dum ait: Ubicumque aliquis possidet rem immunem a collectis, & tributis, is collectas, & tributa pendere non tenetur, *L. 1. C. de impon. Cur. descript. L. 10.* Sed hic emphytheuta possidet rem immunem ab oneribus, *L. placet C. de Sacros. Eccl. ergo &c.*

Comprobatur, quia quando agitur de hujusmodi utili dominio, causa non in foro sæculari, sed tantùm in foro Ecclesiastico est agitanda, etiam si inter laicos judicialis controversia disceptaretur, ex Testibus, & rationibus, quas adducit *Rota decis. 305. part. 2 Vol. Farin. & decis. 239. num. 6. apud Pacific. de Salu interd. & in Romana de Srbianchi 28. April. 1617. coram Innoc. X. impres. per Ciriac. controv. 205. & Thomas del Bene de Immun. P. 1. cap. 7. dub. 2. sect. 2. pag. 312. n. 22.*

Neque obstat I. quod res a persona conditionem recipiat, *L. 1. C. de impon. lucr. descript L. 10.* ergò si persona Ecclesiastica non est, cessat immunitas rei.

Sed consideranti Textum *in d. L. 1.* satis infirmum apparebit argumentum. Quid namque
94 aliud habet ea Lex, quàm quod si res ad curialem perveniat, fruatur curialis privilegio, quia res personæ conditionem imitatur? & ideò in *L. in Lusitania ff. de censib. §. Divus Vespasianus* scriptum est, quod cum D. Vespasianus Cæsariensibus tributum remisisset capitis; Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est. Res personæ conditionem imitatur. Persona Ecclesiastica a tributis immunis est, ergò ex opposito Textu potiùs tuletur quiddam confirmans potius sententiam, quam tuemur, nimirum rem quoque Ecclesiasticæ personæ immunem esse oportere. Jam verò, cum verificetur, rem Ecclesiasticam datam in emphyteusim adhuc esse Ecclesiasticam, emphytheuta eam possidens liber non minus a tributis perseverabit. Quod si alio pacto arguere liceat, quod res decorata privilegio, procul a possessore privilegiato concidat eo, quo fruitur, honore; quia res personæ conditionem imitatur; adhuc argumentum infirmum est. Neque enim res concessa in emphytheusim, est procul omninò a suo pristino Domino, cum dominium directum nunquam amittatur, & Deo annuente ostendemus olim, stricto Juris rigore dominium omne esse Domin. directi *in expliceat, ad Tit. de reb. Eccl. al. vel non*; aliter respondet *Fachineus ubi supra*.

Non obstat II. quod emphytheuta Ecclesiæ jus habeat in fundo, quod jus vendere potest, *cap. potuit de locato*, *L. 2. C. de jur. emph.* Quod jus profanum est, subjectumque Legibus sæcularium Principum, Et ideo Tiraquellus *de retr.* censet, jus retractus habere locum in empytheusi Ecclesiæ, *L. 1. §. 1. gl. s. 3. n. 3. Valascus de iure emph. q. 17. n. 14.* ergò vitare non potest emphytheuta Ecclesiæ, quin tributa persolvat.

Sed respondendum, utile emphytheutæ dominium rem quidem esse profanam, sed non omnino profanam, Neque enim Princeps posset disponere super hoc utili dominio; quia immunitas Ecclesiæ ne per indirectum quidem lædi potest, ut docet Felinus *in cap. Ecclesia de const.* læderetur porrò immunitas saltem indirectè, si pro ut liberum esset, in emphytheutam Ecclesiæ a Laicis potestas exerceretur. Cur ita? Quia imponendo onera, gravandoque res illas, laici retraherentur a conducendis bonis Ecclesiæ, aut viliori pretio ea assumerent, ut considerat *Surdus Consil. 301. n 74*.

Quocircà non est ambigendum, exemptum esse emphytheutam a tributis. Quod si emphytheuta laicus bona Ecclesiæ retinens jurisdictioni subiiceretur laici; quænam ratio reddi potest cur in *Clem. Pastoralis §. quod si punitio vers. rursus de sent. & re jud.* pronunciatum sit, Enricum Imperatorem non potuisse Robertum Siciliæ Regem feudis Ecclesiæ privare? Cur laica potestas bona emphytheutica accepta quondam ab Ecclesia, eadem confiscare non potest, *cap. felicis vers. quicquid de pœnis in 6.* Cur cum quidam miles a monasterio de VVinta in Anglia propè Sausiberiam urbem, quod fundaverat Sergerus Rex Angliæ accepisset titulo firmæ, nempe locationis villam; causa judicialis circa hanc firmam coram solo Judice Ecclesiastico est disceptata, quamquam conductor, seu emphytheuta esset laicus, ut est casus in *cap. ex literis 7. de Jure Patr.* Quæ omnia aperte confirmant propositæ conclusionis veritatem. Quia quid præterea opponitur ab adversariis, infirmius est, quam ut prolixiorem sermonem mereatur.

Res autem plures judicatæ passim apud auctores 95
occurrent, quæ confirmant theorema nostrum. Narrat Ofasch. *decis. 8. n. 6. & 7.*; quod quamvis Senatus Pedemontanus in causa Universitatis Auxiliani censuerit contra Colonos civium

Ver-

Vercellensium, statuens, eos teneri pro parte colonica ad collectas, tamen excepti fuerunt coloni bonorum Ecclesiæ, gaudent enim privilegio Dominorum non propter se, sed favore Ecclesiasticarum personarum, ut ostendit Leonius in *Thes.* P. 1. *cap.* 14. *n.* 33. citans Textum Concilii Toletani in *can. Ecclesiarum* 12. *q.* 2. Quæ sequitur, dissertatio, his omnibus connexa est, atque conjuncta.

(*aa*) *Permittitur.*

DISSERTATIO XI.

Quandonam Clericus contribuere teneatur Sæculari potestati.

Indicavimus brevi verborum ambitu propè finem nostri Tituli dispositionem Textus in *cap. non minus de Imm.* Hæc dissertatio perbreve celeberrimi hujus Textus commentarium præbebit.

Disponitur, in *d. cap. non minus*, exemptas esse personas, & res Ecclesiæ a contributionibus. Audi tamen Textus exceptionem .. Nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel
96 ,, utilitatem inspexerint, ut absque ulla coactione, ad revelandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Summa hujus exceptionis hæc est. Prem. ssis solemnitatibus, necessariisque investigationibus consulto superiore possunt, non coguntur Clerici laicis subvenire.

Hoc ipsum firmarunt Textus *in cap. adversus* 7. *de Imm. in cap.* 1. *cap. Clerici ib. in* 6. *in extrav. un. ib. in Bulla Cana.* §. 18.

Explicatur conclusio, quam prædicta exceptio continet. Necessitas contributionum, sive utilitas, casum duplicem involuit. Aut enim quæri potest, an Ecclesiastici contribuere obstringantur, si contributio, æque primario, & laicorum,
97 & Clericorum concernat utilitatem, aut dubitari potest, an Clerici teneantur ad contributionem, si hæc principaliter ad communitatem, ac Rempublicam pertineat. Casus uterque distinctus est. Nam primus casus supponit, ex ea
98 contributione damnum avertendum esse a prædiis etiam Clericorum, veluti per aggerem, veluti arcendo hostes, quorum præcipiti adventu agri vastarentur miserrimè. Secundus casus supponit non tam specificam, præcisamque Clericis
99 obvenire utilitatem, fore tamen consultum ipsis non minus, quàm laicis, quia de publica utilitate agitur; agitur de pontium institutione, agitur de via, agitur de muneribus ob adventum Principis. Communis itaque utilitas hæc est.

Et certe quam sit unus casus ab altero distinctus, ex eo jam intelligetur; quod primo casu
100 facultates laicorum discutere, consensumque Pontificis expectare omnino necessarium non sit, sed solum fieri id possit. Quamquam ad erogandas contributiones Clerici nec tunc teneantur ex deliberatione solius Principis; sed opus sit, ut Clerus etiam consentiat, & deliberet. Ratio est; quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *cap. ad hæc de off. Archid. regul.* 29. *de Reg. Jur. in* 6. quo sensu accipitur Textus *in cap. non minus de Imm. a Thoma del Bene* P. 1. *dub.* 16. 263. Secundo verò casu, si Pontifex adiri non potest, præcedat, necesse est, Episcop. consensus, & Cleri. Consentum autèm præstabit Episcopus, si judicaverit, opus faciendum communi utilitati expedire, & laicorum facultates non sufficere. Notetur quæso quid exposcatur; & utilitas; & laicorum impotentia. Hæc duo concurrant oportet, notat *idem Thom. del Bene* P. 1. *cap.* 5. *dub.* 17. *pag.* 265. *n.* 18. 20. 23. Et quoniam, porrectis Pontifici Romano precibus, solet Episcopo committi Bullæ executio,
in qua hæc clausula sit: *stantibus præmissis constituo tibi de narratis &c.* quæ verba cognitionem 201
judicialem narratorum postulare videntur; & alia illa: *vocato Clero*, quæ significant, audiendum esse Clerum, de cujus interesse agitur; sequitur, quod Episcopus non statim licentias Pontificum debeat executioni mandare, nisi prius visis videndis. Quocirca servanda est forma expressa in *d. cap. non minus*. Clerus autem in- 202
telligitur, non solum Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, & Episcopus; sed & alia Urbis Capitula. Et ita Novariæ, & Mediolani factum est, dum Ecclesiastici ad muniriones Urbis Novariæ, ex decreto Urbani VIII. coacti sunt ad contribu- 203
tiones, ut narrat, & exponit *Thomas del Bene ubi supra*. Discussio facultatum intelligitur non tam communium, quàm privatorum etiam, ut patet ex Bulla Urbani VIII. pro Ducatu Mediolanensi, ibi *communitatum verò, ac universitatum, & hominum ejusdem status propter eorum inopiam ad totam impensam necessariam supportandam facultates non suppetunt &c.* quam adducit *Marchinus de peste* P. 4. *cap.* 4. Sed quamquam hæc requisita pertineant ad secundum hunc casum, potest tamen Pontifex, etiam ubi de primo casu agatur jubere, ut facultates communitatis discutiantur. Ut ex facto contigit Florentiæ, cum Clemens VIII. concessisset Florentinis, ut pro reparatione fluminis Arni possessiones tam privatas Clericorum, quàm laicorum devastantis, gravarentur etiam Clerici; si quidem mandavit Nuntio, ut prius facultates Florentinorum laicorum discuterentur: narrat 204
Thomas del Bene ubi supra n. 9. Idemque ex facto contigit Panormi, quatenus Urbanus VIII. pro expensis factis tempore pestis, voluit quidem gravari Clericos, sed si facultates laicorum satis non fuissent, idem *Thomas del Bene ubi supra*. 205

Exposita jam conclusio prout necessarium videbatur, quoad eam partem, quæ difficilior est probabitur, nempe an consensus Superioris sit ex 206
petendus in communi necessitate, quod perperam negant plurimi.

Probatur I. *ex cap. non minus, & cap. adversus*

versus de Immun. qui Textus si serio notentur vel consensum Pontificis, si adiri potest, vel saltem Episcopi prerequirunt.

Probatur II. ex Bulla Cœnæ, ubi indistincte prohibetur, imponi gravamen Ecclesiasticis sine Pontificis permissu.

Probatur III. ex aliis auctoritatibus conglobatis *ex cap. 1. de Im. in 6. ex cap. quamquam de cens. in 6. ex Clem. præsenti eod. Tit. ex cap. fin. de vita, & hon. Cler. ex L. placet. C. de Sacros. Eccl. ex L. 2. C. de Episcop. & Cl. ex Auth. item nulla eod. Tit.* quę declarant, Clericos ad contributionem non teneri nempe si desit consensus eius, qui imperare potest.

Probatur IV. ex declar. Cardin. qui die 10. *Jan.* 1502. *& die* 2. *Aug.* 1610. declararunt, Clericos pro physico, Chirurgo, & ludi Magistro, quamquam, hos esse in communitate publice intersit, ad contribuendum minime adstringi, quam declarationem excepto consensu Pontificis intelligi, docet *Thomas del Bene P. 1. de Imm. cap. 5. dub. 17. n. 27.*

Probatur V. ex *extravag. quod olim de Imm.* ibi: *primitùs consulendum.* Benedictus XI. exposcis, prius consuli Pontificem, quàm Clerici collectis graventur, quem Textum malè accipit *Thomas del Bene P. 1. cap. 18. sect. 1. cap. 5. n. 11.*

107 Nec refragatur Textus *in can. tributum 23. q. 8. & in can. si tributum 11. q. 1. & in cap. fin. de cens.* ubi absolute Ecclesiastici ad tributa solvenda dicuntur obligari.

Nam satisfit huic oppositioni, monendo lectorem, prædicta Jura fuisse correcta *ex cap. non minus, & ex cap. adversus de Im.*

Nec deinde ad rhombum facit, quod bona Ecclesiæ libere justam ob causam vendi possint, *cap. scimus, cap. expedit, cap. tres Ecclesia cap. gloriæ 12. q. 2.*

Nam disparitas obvia est. Prædictæ constitutiones loquuntur de opere pietatis, & ob pietatis opus alienatio permittitur, *cap. apostolicos can. sine exceptione 12. q. 2.* At nos disputamus de contributionibus, quæ ad regimen politicum spectant: in his consensum Ecclesiastici superioris exposcimus.

Nec valde urget præterea, quod Philippo Pulchro Regi Galliarum Bonifacius VIII. indulserit, ut neque Episcoporum consensu expectato, posset, dum urgeret necessitas, Clericis onus imponere.

Nam de privilegiis jam non loquimur. Scimus id posse Apostolicam Sedem concedere; at notare, oportet, nunquid privilegium sit postea revocatum. Certe anno 1522. Ecclesia Gallicana se opposuit *Francisco I.* Ecclesiis tributum imponenti. Et Concilium Lateranense sub Leone X. anno 1521. *sess. 9. & cum a Jure divino,* sic loquitur: *Innovamus omnes Apostolicas sanctiones in favorem libertatis Ecclesiæ.*

Nec etiam adversatur, quod in *d. cap. non minus, & cap. adversus* tunc Superioris Ecclesiastici consensus postuletur, cum imprudentiæ volentium exigere collectas timetur, ergò &c.

Nam respondetur, quod ratio Textus in *d. cap. non minus, & cap. adversus* de consultando Pontifice desumitur potiùs ex illis verbis, *cuius interest communibus utilitatibus providere,* quod nimirum Pontifex pater sit totius Christianitatis.

Nec obstat ulterius, quod Textus in *cap. Clerici de Imm. in 6.* ubi Pontificis consensus exigitur, sit abrogatus *ex Clem. quoniam eod. Tit.*

Nam respondetur, Leonem X. in Concilio Lateranensi præcitato innovasse constitutiones omnes in favorem libertatis Ecclesiasticę, & subdit *Sperellus decis. 37. n. 83.* ita sensisse Sacram Immunitatis Congregationem, approbante Urbano VIII. & renovantur etiam quotannis per publicationem Bullæ Cœnæ.

(*bb*) *Rei.*

Qui rem Ecclesiæ emit, nulla præscriptione eam acquirit.

Hoc ut innotescat, transcribam verba Textus in L. *universas C. ne rei Dominicæ, vel Templorum,* ibi: Universas terras, quæ a colo- 108
nis, sive emphytheuticariis Dominici Juris, Reip. vel Juris sacrorum Templorum, in qualibet Provincia venditæ, vel ullo alio pacto alienatæ sunt, ab his, qui perperam, atque contra leges eas detinent nulla longi temporis præscriptione officiente, jubemus, restitui; consonat Textus *in L. si qua C. eod. Cujacius ad hunc Titulum Cod.* putat, demendum illud verbum *sacrorum.* Et meritò fuerunt enim Templa Paganorum. Et quia hi Textus adducti rem Templi minus aptam præscriptioni definiunt, sen- 109
sus obvolutus in obscuro, si fieri poterit, in lucem est proferendus. Supponunt ergò Imperatores, res pertinentes ad Templa ideò præscribi cœpisse, quia accepta fuerant a Curatore Dominicæ domus a colonis, & emphytheuticariis; dicam brevius, perperam, temerè, & cum mala fide accepta fuisse. Simile quiddam videbis constitutum in *L. 1. C. de Præd. Decur.* Aliter quoque possunt hę Leges accipi de rebus scilicet jam Deo dicatis, quo casu usucapi non possunt, quo sensu eas accepit *Petrus Greg. in Syntagm. P. 3. L. 40. cap. 2. n. 2.*

Quam expositionem eò libentius præmisi, propterea quod falsum esset absolute loquendo, ac
generatim, quod res Ecclesię præscribi non pos- 110
sint. Imo etiam bona malè alienata 40. annorum spatio præscribuntur, *Rota P. 5. recent. 373. n. 10. & Part. X. decis. 4. n. 14.* adeo ut
quadragenaria prescriptione etiam remedium 111
canonis redintegranda tollatur; quidquid alii contra opinemus, quos tefellit Turricellus in *Tract. de reb. Eccl. non al. cap. 28. n. 18.*

Et ut planius quid Juris sit in præscribendis rebus Ecclesiæ demonstretur, distinguendum est. Aut enim agitur de præscribendis rebus Eccle-

siæ ,&

212 fiæ, & 40. annorum intervallo, decursuque opus est, *Auth. quas actiones C. de Sacr. Eccle cap.* 4. *cap. ad aurec* 6. *cap.* 7. *de Præscript.* Aut agitur de prçscribendis rebus spectantibus ad Romanam Ecclesiam, tunc autem aut immemorabili præscriptione opus est, aut centenaria, *cap. ad audientiam* 13. *de Præscript cap. super quibusdam de V. S.*

Porrò non omnes res præscribi possunt, non functiones sacræ, non primitię, non decimationes, *cap. causam de Præscript.* neque immunitas a solvendis procurationibus præscribi potest. *cap. accedentes ib* Quas res enumeravi ad confirmationem eorum, quæ in Titulo nostro dicta sunt, dabiturque aliquando aditus per hunc campum liberius expatiandi. 215

DE CENSIBVS,

EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

TITULUS. XXIII.



Unt Clerici ab oneribus immunes, idque jam demostratum est. At non immunes sunt a censibus, exactionibus, & procurationibus.

Census in signum [*a*] subiectionis penditur Prælatis. A Regibus (*b*) interdum solvitur, & olim Sedi Apostolicæ denarius [*c*] D. Petri ab Anglis solvebatur, *cap. ea quæ de cens* Qui pariter B. Petri Juris specialiter existunt, annuatim Apostolicę Sedi censum [*d*) exsolvunt. Primitiæ eulogiæ, oblationesue, non prorsus a censu alienæ, ac dissimiles; (*e*) earum tamèn solutio jam pene cessavit. Qui tamen census frequentius a Jure nominatur, ille est, qui Episcopo ab Ecclesiis in argumentum subiectionis tribuitur. Par est de hoc censu latius disserere. Ac primo cupiditas quædam animo innascitur cognoscendi, undenam ortum duxerit isthęc obligatio censum Episcopo tradendi in recognitionem subiectionis. Et plane cum ex divisione bonorum facta a S. Simplicio, quartam decimarum, & oblationum, constet, olim debitam Episcopo fuisse *can. videntes can. quatuor can. de redditibus* 12. *q.* 2. ejus in locum successisse (*f*) censum hiusmodi, haud improbabiliter *cum Filesaco in cap. conquerente de off. Ord.* possumus existimare. Et quamquam modò cathedraticum, modo synodaticum, modò etiam paschale vocetur, idem tamèn census est; nam cathedraticum dictum est, quòd in honorem cathedræ solvatur; synodaticum, quod in synodo; paschale, quod in Pascha Synodus celebraretur, eoque tempore cum solutio hæc contingeret, has varias appellationes census Episcopo debitus sortitus est. Vtcumque tamen vocetur; id perpetuum, & constans in Jure est, quòd a Beneficiatis (*g*) prę̨stetur, quod in singulos annos [*h*) præstetur, quòd in ea moneta [*i*) prę̨stetur, quę institutionis tempore erat in usu. Instituitur hoc tributum, vel dum consecratur Ecclesia, (*l*) vel dum immunitas (*m*]

 indul-

indulgetur ab Episcopali jurisdictione. Major (*n*] solito imponi non potest. Imo ejus solutio aliquando (*o*) præscribitur, aliquando remittitur. En quid sit Cathedraticum, & quid de illo Canones disponant. Est quidem genus aliud census, quod interdum Clericis debetur, *cap. querelam de El.* interdum Patronis, *cap. præterea de Jur. Patr.* Interdum ipsi Episcopo, ut ex voto, *cap.* 18. *de conf.* Interdum Archiepiscopo. Sed hic census cathedraticum non est.

Ad exactionem quod attinet; est exactio subsidium aliquod extraordinarium, quod penditur Prælatis justa de causa id petentibus, (*p*) quale dicunt subsidium [*q*) charitativum. Sint vero exactiones moderatæ, (*r*] nec causam excedant; alias Episcopus restituere tenetur, *cap. ea, quæ* 12. *hoc T.* Pauper (*f*) Clericus his non gravetur: Dives Clericus vi Patrimonii, ad quod sit ordinatus, ad hoc onus obstringi non debet, *Zoesius ad hunc Tit. n.* 4. A ceteris [*t*) exigat, etiam Pensionariis, renuentesque poterit sub censuris [*u*] adstringere.

Postquam de procurationibus quid canones disponant monuerimus, finem huic Titulo imponemus. Procurationes, expensæ sunt visitanti debitæ. De visitatione Ecclesiæ loquimur. Qui visitat, Episcopus est, Archiepiscopus, Patriarcha, Legatus Apostolicæ Sedis, Nuncius, Archidiaconus, Decanus. Primum ergò visitandi (*z*) jus habent propriam Diœcesim Episcopi (*y*] aut singulis annis, aut saltem biennio, *Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 3. Verum in Diœcesi (*aa*) esse possunt Parochiales Ecclesiæ exemptæ; has verò Episcopus visitare non potest, si fuerit exemptio concessa post Concilium Tridentinum, ut rescripsit Sacra Congr. Reg. Episcopo Polycastrensi, ut narrat *Nicholius in Inst. can. L.* 3. *Tit.* 39. *n.* 4. Quod si Ecclesiæ sint nullius Diœcesis, a viciniori Episcopo visitandæ sunt, *Trid. sess.* 24. *cap.* 9. Ultra has personas, [*bb*) quibus est jus visitandi, solet a Summo Pontifice ad relationem (*cc*) Sacræ Congregationis, qui visitet destinari, ut quando lites inter Episcopum, & Capitulum vertunt. De expensis [*dd*] autem visitanti debitis, illud sciendum est, quod si Episcopus [*ee*) visitet in Civitate, ubi residere tenetur, procurationem exigere non potest; dum verò loca visitat extra urbem, cavere debet, ne inutilibus sumptibus, cuiquam gravis, onerosusve sit. Octo personas contentus sit secum ducere; plures procurationes una die non exigat, *cap.* 2. *de conf. in* 6. *Clem.* 2. *eod.* nec bis in anno, quamquam bis visitaret. Quod si visitet Vicarius [*ff*] generalis, vel alius substitutus non potest tantum titulo procurationis exigere, quantum Episcopo deberetur. Omnes verò plus exigentes, quam conveniat, variis pœnis [*gg*] coercentur: Episcopus ab ingressu Ecclesiæ est ipso facto interdictus; quivis alter inferior suspensus ab officio est, & beneficio, nisi intra mensem duplum restituatur.

SUM-

SUMMARIUM.

83 Episc-

EXPLICATIONES.

(a) *Subjectionis.*

Census solutio indicat subjectionem.

1 EN verba Textus *in cap. omnis* 2. *censib. Ideo enim tributa praestatis: quia haec est probatio subjectionis*; consonat Textus *in can. illud* 10. *q.* 5. *in L. nulli C. de Episc. & Cl.* Atque adeo solutus a jurisdictione, a censu quoque solutus dicitur. Et plane differentia est inter ea, quae penduntur in signum subjectionis, & ea, quae ex alio titulo Superiori obveniunt.
2 Nam quidquid in signum supremae potestatis persolvitur, nulla praescriptione, vel centenaria, vel immemorabili tolli potest, L. *competit C. de praescript.* 30. *vel* 40. Quod etiam procedit in dominio feudi Principi debiti, juxta Textum *in cap. Imperialem de prohibita feudi alien. per Frid.* At si res alio modo debita sit praescribi potest, *cap. ad audientiam* 13. *cap. cum vobis* 14. *de praescript. Granan. ibid. n.* 6. Quare Juris Regii dicitur, censum imponere rebus, & personis, Jureque divino probari potest, 1. *Reg.* 8. *August. L.* 2. *Conf. Faust. Manich. cap.* 74. *Math.* 22. *Marci* 12. Hinc & potissimum in debellatas gentes victoribus tributum conceditur, *si quando* (inquit Deus ad Moysem *Deut. cap.* 20.) *accesseris ad civitatem expugnandam, offeras ei primum pacem: si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.* Et plane Chananaei bello domiti facti sunt Israelitico populo tributarii, *Josue* 17. Devicta Carthagine, Romani ejus Cives tributarios fecerunt, *Appian. Alex. in Lybico.* Sic quoque Dominus altissimus decimas postulat a nobis, ut ejus supremum agnoscamus Imperium, *cap. cum non de decim.*

(b) *A Regibus.*

De tributo, seu censu, qui Pontifici solvebatur a Regibus.

Romani Pontificis, quem Deus sui Vicarium in terris constituit, dignitas est sublimissima. Ac propterea recte se facturos existimarunt pissimi quidam Principes, si ad obsequium, venerationemque ipsi impartiendam, aliquid offerent. 3
Tempore Gregorii VI. Casimirus Poloniae Rex, debellatis hostibus Regnum suum Apostolicae Sedi fecit vectigale. Specienus Bohemiae Rex corona Regali a Nicolao II. donatus centum libras argenti quotannis Apostolicae Sedi promisit. Stephanus I. Hungariae Dux a Silvestro II. Pontif. Max. corona, & cruce per Legatum donatus, Regnum suum Ecclesiae concessit. Demetrius Croatiae, & Dalmatiae Dux a Gregor. VII. Regali titulo auctus annuum censum B. Petro pollicitus est. Cum foederet ad gubernacula Christiani Orbis Urbanus I. Petrus I. Aragonum Rex, Regnum Aragoniae vectigale Romanae Ecclesiae esse voluit. Alexander III. Alphonso Portugalliae Duci coronam regiam misit: atque is Lucio II. Pontifici Ducatum suum Romanae Ecclesiae feudatarium fecit. En quomodo se gesserint erga

Petri

Petri successorem piissimi illi Principes, aliique, qui se munificentissimos jure optimo eidem exhibuerunt, frendentibus nequidquam Ecclesiarum bonorum direptoribus hæreticis, & Ecclesiæ Patrimonium, censumque lautissimum calumniantibus.

[c) Denarius.

De denario S. Petri, qui ab Anglis solvebatur.

Alexander III. Archidiaconis per Angliam
4 constitutis scribit in hunc modum, prout habe-
tur *in cap. ea, qua de cens. cum autem B. Petri denariorum collectionem per Archidiaconatus vestros feceritis*, &c. Pro expositione hujus Textus, & explicatione nostri Tituli, narrandum est quomodonam Angli denarium Sedi Apostolicæ solvere inceperint. Inas Occidentalium Saxonum Rex in Britannia Sanctorum Regum decessorum suorum insignis devotionis æmulus, antequam Regno suo se abdicaret (cujus & uxor Edilburga non minoris fortitudinis fœmina monasticam vitam amplexa est) perpetuo pietatis monumento fidem suam erga Romanam Ecclesiam luculenter voluit relinquere testatam; dum Regni sui domos singulas singulos denarios argenteos annuatim S. Petro pendere, statuit. *Polydorus Virgilius* qui res Anglorum est summa cum laude prosecutus, hoc ipsum antiquorum testimonio confirmat. Quare lex hæc Angliæ extat cujus verba refert ad hunc Textum *Gonzalez*: *Omnis, qui habuerit triginta denarios viva pecunia in domo sua, de proprio suo, Anglorum lege dabit denarium* S. *Petri & Pauli*. Et colligebatur hic denarius ante festivitatem S. Petri ad vincula, ut notat *Idumayn in notis ad Innoc. III. L. 4 Epist.* 173 Hos Pontificius Quæstor exigebat, atque ipsum Virgilium quæsturam hanc aliquot per annos gessisse, narrat Spondanus *anno* 740. *n.* 3. Idem vectigal auxit, ut quidam scribunt, Etheluolphus, seu Arhulphus, Rex, qui totius ferè insulæ Imperium obtinuit, & Romam voti causa profectus a Pontifice benigne exceptus est, fecitque Pontifici vectigalem eam quoque Insulæ partem, quam Egbertus Pater ad Regnum adjunxerat, condiditque legem, quam supra retulimus. Notandumque, ut confestim ac solvi denarius hic cessavit, hæresum alluvione Anglicana Ecclesia fuerit absorta.

(d] Exsolvunt.

DISSERTATIO I.

Ubi de exemptione, & quibusnam exempti a Jurisdictione Episcopi, & sui tutela Pontifis, censum persolvunt.

Est exemptio liberatio a jurisdictione Ordi-
narii, *cap. si Papa de Priv. in 6.* Similis est hæc
5 liberatio emancipationi, per quam filius eximi-
tur a potestate patris, itemque manumissioni,
per quam servus a dominio eripitur. Causa ef-
ficiens exemptionum propriè est Pontifex, *can.*
frater 16. q. 1. can. luminoso 18. q. 2. Impulsiva 6
causa esse potest præsumptum odium, grava-
men, oppressio Ordinariorum. Finalis causa est 7
favor Sanctæ Sedis, cujus interest habere per 8
multos immediate subditos, *Clem. Pastoralis de re jud.*

Et quemadmodum totum jus Episcopale nititur duabus legibus, Diœcesanæ videlicet, & jurisdictionis; concedi potest a prima, & secunda lege liberatio.

Primum exemptio orta est a liberatione a le-
ge Diœcesana favore Religionum. Quippe
quatuor incommodis Monachi urgebantur. I. im 9
minutio superexcrescentium redditIuum II. par 10
ticipatio in electione Abbatis, translatioque per
sonarum de loco ad locum III nimis curiosa
descriptio rerum, & bonorum, dum Sedes Ab
batialis vacaret IV. importuna celebratio etiam
cum collocatione Cathedræ ad ordinationes ha-
bendas. Ergò cum populares conventus aliaque
orirentur incommoda, *anno* 601 Gregorius
Magnus collecta Romæ Synodo II Episcoporum,
& pluribus Cardinalibus, statuit, ut deincep- 11
Episcopi ab his abstinerent, *can. quam sit* 18
q. 2. Tum omnia Monasteria exempta a Lege
Diœcesana reputata fuerunt, *can. inter cetera*
10 *q.* 3. *can. cum pro utilitate* 16. *q* 1 *Lotherius* L. 1. *q.* 24. *de re ben. n.* 44 licet aliter 12
ferat *Barbosa alleg* 105. *n.* 12 Exemptorum
proinde Monasteriorum mentio antiqua est apud S. Gregorium L. 7. epist. 18 ut Monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ut Monasterii Classensis. Quamquam non protinus extra Italiam ad praxim hæc exemptio reducta est. In Hispania, & Gallia diutius subjectio Monasteriorum Ordinariis permansit, *Concil. Tol.* 4. *can.* 50. *Synod. Regiaticina can.* 14 Quocirca specialius hæc exemptio in his Provinciis a diversis Pontificibus concessa est, quarum concessionum tenor apud Barbosam all. 105 Hinc invenimus, Sixtum IV privil., cujus initium *Regimini*, plenissimam indulsisse exemptionem Ordini Prædicatorum, ex quo, infertur, hunc præclarissimum Ordinem, communi privilegio clauso in corpore Juris non esse exemptum, sed proprio. Minores anno 1215 approbati sunt, & constitutione Innoc IV. in *cap volentes de Privil. in 6.* immediate Sanctæ Sedi subjecti fuerunt. Item Carmelitæ prorsus exempti sunt, longumque esset, alias hujus generis clarissimas, ac venerabiles Religiones percensere numerando, quæ exemptionum privilegio gaudent, de quibus *Chopin in suo Monasticon Alphonsus a Casarubios*, aliique plurimi scripserunt.

Ad legem jurisdictionis quod attinet, variis
formis ab hac lege exemptio conceditur, de 13
quibus *in cap. si Papa de privil. in 6.* tenorque
privilegii spectandus *cap. porro de privil*

I. Privilegium denotat simplicem protectio- 14
nem. Protectio est cum aliquis sub potentioris
umbra excipitur, *L. pietatis C. de susp. tut.* Re-

ceptus

ceptus autem sub protectione Sedis Apostolicæ non est exemptus omnino a jurisdictione Episcopi, *cap. ex parte tua de privil.* Quamquam tenor privilegii concedentis protectionem interdum eximat in toto, vel in parte, *cap. si Papa in pr. de Privil. in 6.* Cum verò Sedes Apostolica non concedit plenam liberationem a jurisdictione Ordinarii, dicuntur privilegiati in filios speciales recepti, nec possunt quidem hi in filios recepti ab Ordinario excomunicari, interdici, at quoad alia, non sunt a jurisdictione Ordinarii liberati, *cap. 1. de V. S. in 6.* Neque avulsa est ab Ordinario pristina jurisdictio, sed quoad aliqua interdictū exercitium; eamdemque quoad aliqua retinet Ordinarius in habitu.
15
16
17
18

II. Privilegium denotat plenam exemptionem a jure obedientiali: *cap. cum venerabilis de cens.* atque a territorio Episcopi; quod contingit, cum eximitur locus, sive Ecclesia nedum cum personis, verum etiam cum populo, & Parocho, quæ exemptio plena est, *cap. per exemptionem de privil. in 6. cap. Abbates de privil in 6.* Quod si effectum consideres, nil aliud est, quam in inferiori quasi Episcopalem jurisdictionem efformare, & inferiori eidem singulare territorium constituere, *Rota apud Mantiçam decis. 36. n. 2. citata a Lottherio ubi supra.* Locus hic tamen adhuc dicitur in Diœcesi Episcopi, *cap. grave de off. Ord.* & de Diœcesi, *cap. cum Episcopus de off. Ord. in 6.* Aliud enim est solvi Diœcesim; longeque diversum solvi Diœcesis terminos, & confinia. Primum contingit per hanc plenam exemptionem. secundum prorsus est impossibile, cum nullus in mundo sit locus, qui intra fines alicujus Diœcesis non reperiatur, *Concilium Trid. sess. 23. cap. 10.* Soluta ergò Diœcesis est per exemptionem tunc, quando locus ipse eximitur a situatione, & denominatione Diœcesis, ut nequeat amplius dici situs in Diœcesi. Cum vero soluta fuerit Diœcesis, Prælatus loci exempti potest dici Diœcesanus, in eumque refunditur facultas consecrandi, quam potiebatur Episcopus, habetque jus terrendi, & submovendi, in quo consistit jus territoriale. Quæ sanè doctrina Abbatis est in *cap. Joannes sub n. 2. de test.* & deserere potest ad interpetrationem plurimorum canonum.
19
20
21
22

Ac nequid intactum relinquatur circa exemptiones; Jacobus Cujacius in *cap. cum non liceat ad finem vers. ex iniquitate de prescript.* Monet, quasdam exemptiones improbandam fortitas esse originem. Et omnes exemptiones a *V. Kal. April* 1378. quo vita functus fuit Gregorius XI. usque ad diem 25. Martii 1417. Martinus V. in Concilio Constantiensi revocavit per suam constitutionem, sunt enim magna ex parte a Schismaticis concessę, ut a Clemente VII. cujus acta nusquam fuerunt ab Ecclesia approbata.
23

Quorsum hæc tam longè repetita de exemptionibus? Ut nunc dicam quandonam exemptus solvere censum vel Pontifici, vel Episcopo teneatur.
24

Exemptus a lege Diœcesana, qualis est Ordo quilibet Monachorum, aliquorumque Regularium, liber est ab omni censu erga Episcopum; nisi tractetur de eorum Capellis, seu Ecclesiis habentibus populum. Rector enim per Episcopum instituitur, *cap. 1. de Capell. Mon. Trid. sess. 25. cap. 11. de Reg.* adeoque ratione talium Ecclesiarum Monachi ad censum obligantur, *cap. de Monachis de prab. Lottherius de Ben. L. 1. q. 24.*

Exemptio loci, seu universitatis a lege jurisdictionis, non prorsus liberat a censu Episcopo persolvendo. Nam si per privilegium secuta non sit plena liberatio, adhuc Episcopo sua jura conservantur. Quippe contrarium accidit, si indefinitè exemptionis privilegium dicar, quod locus exemptus Ecclesię Romanę annuum censum solvat ad percepę judicium libertatis, exemptio tunc plena est, *cap. si Papa §. est, vers. aut si dicat de priv. in 6.* Porro si hæc formula sit in rescripto: *Volumus quod in charitate prioci eum suo Episcopo remaneat* per hujusmodi clausulam Pontifex, qui eximit, censetur reservare Episcopo jura specialiter ei competentia, *arg. Textus in cap. quanto de cens. in can. charitas de pen. dist. 2. Bellen inus in tract. de charit. subsidio q. 32.* Multoque minus obligabitur ad censum Episcopo solvendum universitas, aut locus ita exemptus, ut soluta sit Diœcesis, *Lottherius ubi supra.*

[e] *Dissimiles.*

DISSERTATIO II.

De primitiis, eulogiis, & oblationibus an sint hodie in usu.

Haud immeritò dictum est in nostro Titulo conferri posse censibus primitias, eulogias, oblationes. Nam & census interdum solet oblationis vice fungi, *cap. constitutus de religiosf. dom. cap. si Papa de cens. in 6.* Breviter de singulis agamus 25

Primitię, ut videmus his temporibus non quidem solvuntur; Possunt tamen esse de præcepto primitię, & eas retinentes excommunicationi subiacere duobus in casibus; si consuetudo sit solvendi, & si ministri ejus Ecclesiæ, cui debentur, indigent, easque petunt: alias sunt de consilio: notat *Petrus Gregor. in Syntag. L. 2. cap. 10. n. 3.* Hinc *Exodi cap. 25.* scriptum est; *ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis eas.* De duobus illis casibus, in quibus primitiæ debentur est *Textus can. præter hoc §. 1. dist. 32.* Ceterum ex universali, & notoria consuetudine, de primitiis nihil omnino solvitur pluribus in Provinciis: quæ consuetudo toleratur a summis Pontificibus, Archiepiscopis, Episcopis, alisque Prælatis ex tacita Summi Præsulis Ecclesiarum omnium dispensatione: *notat Leonius in Thesauro P. 2. cap. 13. n. 9.* 26

Ex qua consuetudine inferendum est, haud esse

esse primitias de Jure Naturali, ac Divino, Concedo, in Lege Mosayca earum solutionem praescriptam invenirí, *ut Exodi 23. honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Ut Numerorum cap. 5. Omnes primitiae, quas deferunt filii Israel ad Sacerdotem pertinent.* Ut Exodi 23. *Primitias frugum terrae deferes in domum Domini.*

Concedo, & multarum Nationum observantiam hanc extitisse, ut primitiae solverentur.
27 Primitias frugum Cereri veteres offerebant, *Ovid. L. 1. Fast.*

Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant.
Primitias Cereris farra resecta dabant.

Primitias vini Baccho exhibebant, quod potare, priusquam Sacerdos delibasset, nefas erat, *Alexander ab Alex.* L. 3. *Genial. cap. 22. pag. 131.* Hinc caenae etiam particulam Lari sacram in focum mittebant, quod in *patellam dare dicebant*, quo respexit *Horat. L. 2. Satyra 6. versu 65.*

O noctes, caenaeque Deum! Quibus ipse, meique
Ante larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

quem in sensum hunc locum accipit *Turneb. L. 6. ad vers. cap. 7.* Ea igitur castitate, & sanctimonia rure, dicit, caenari Horatius, ut dapibus nisi ante Deo piè libatis vesci non soleat. Inde & Dii *patellarii* a Plauto festivè dicti sunt, quibus in patella libabatur.

Primitias etiam *hornas* fruges dicebant, quo alludit Horatius *L. 3. Ode 23.*

Si thure placaris, & horna fruge.

Horna hoc est annotiva, & licèt hornam messem dixerit Plautus Mustell quidquid eo anno, colligi poterat; tamen, & fruges ruentes haec vox significare videtur; sic enim Petronius.

ibit ad aras
Cor niger, & quarula fatus suis hostia lactene
Spumabit pateris ornus liquor.

Prima etiam spolia Diis consecrabant veteres, *Vergil. L. 7. Aeneid.*

Hae sunt spolia, & de Rege superbo Primitia.

Ut revertamur, unde digressi sumus haud absre, quamquam haec omnia concedantur, non tamen admiserim, obligationem vigere solvendi primitias, quasi Jus illud Divinum permaneat, aut sit vinculum, quo obstringamur naturale. Nam Lex Mosayca cessavit, *cap. translato de const.* quae tamen ex consilio primitias praescripserat, ut ostenderemus; Jus verò naturale neutiquam ad hoc obligat. Ac mihi admodum arridet, quod *Leonius monet in Thesauro P. 2. cap. 24.* Pertinet, ut opinatur ipse, ad Jus naturale, ut homo aliquid Deo ad ejus honorem exhibeat de bonis sibi a Deo concessis; sed non debentur praecepto naturali; quia aliud est deberi ex praecepto, & aliud Jure naturali. Ecce, naturaliter obligamur benefacientem beneficio compensare; & hoc est jus illud, quod primitias introduxit; at non debentur ex praecepto naturali.

Ac propterea, cum non videret Ecclesia hoc genus praecepti, de his disponendum expressè censuit, ut fideles priscis temporibus ad eas obsigarentur, L. 8. *Const. Apost. cap. 30. can. reverteminì 16. q. 1.* Quamquam parva erat primitiarum quantitas in obligatione, *cap. cum olim de cons. can. catholica dist. 12. can. illa dist. 22. cap. ex parte, cap. super eo de cens. notat Petrus Gregor. per hos Textus L. 2. cap. 19. in Synt.*

Satis haec de primitiis. Jam disseramus de eulogiis. Olim Clerici, ut suos Episcopos colerent, 28
obsequiique specimen exhiberent, statis temporibus eulogias eisdem mittebant. En Concilium Meldense *can. 45.* id declarans; ibi: *Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare, & venerari Episcopos suos.* Eulogiae ad Concilia etiam deferebantur, ut patet ex epistola 2. Leonis IV. ad Episcopos Britanniae, ibi: *de eulogiis ad Sacra Concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminatum.*

Est aliud eulogiarum genus jam explicandum. Eulogiae partes panis erant ut plurimum a fidelibus oblati, ut patet ex canone Pii I. Pontificis maximi: Ut de oblationibus, quae offerantur a populo, & de consecrationibus, quae supersunt, nec non de panibus, quos deferant fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenientes partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati; eulogias, hoc est panem benedictum omni die Dominico, & diebus festis exinde accipiant, &c. Ex quo canone intelligitur, eulogias esse panem ut plurimum oblatum: a fidelibus, vel panem ipsius Presbyteri, cujus particulae excisae in signum communionis, unitatisque inter fideles distribuebantur. In Quadragesima solum hic panis offerebatur in Sabbathi, & Dominicae die. Paschalibus festis, cum Corpus Christi fideles exciperent, eulogiae cessabant, Synodus Laodicena *can. 13. Ne sancta instar eulogiarum in festo Pascha in alias Parochias transmittantur.* Haereticis non distribuebantur eulogiae, *Cabassutius in Notitia dist. XI. per tot.* Dixi, ut plurimum panem hunc, unde eulogiae efformabantur, a fidelibus oblatum fuisse. Quare D. Augustinus *ferm. 213. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicet.* Pudebat enim Christianos vacuis manibus in Templum ingredi, *can. ut omnis Christianus de cons. dist. 1 Concilium Ilerdens. 2. can. 4. Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quàm vini.*

Sed jam nil tale cogitantes in tertiam partem hujus dissertationis ingressi sumus, quam oblationibus explicandis destinavimus

Quoniam ergo eulogiae excisae illae particulae sunt ex panibus oblatis, paulò altius tenor oblationum est indagandus. Non loquor jam de 29
oblationibus profanis, & superstitiosis, quas prohibet *can. 3. Apost.* Uvae non in altari, sed seorsim benedicebantur, *can. didicimus de cons. dist.*

2. Poma alia in altari non offerebantur, sed, ut benedicerentur in Sacerdotum domos asportabantur *d. can. 5. Apost.* Patres Sextæ Synodi *can.* 90. Armeniorum consuetudinem acriter reprehendunt, qui solebant dissectarum pecudum membra in Templum inferre.

De his oblationibus non loquar, Sed de sacris, quæ per manus Diaconorum ad altare ferebantur. Sacra ergò oblatio erat materia consecranda. Quare *Concilium Matisconense 2. can.* 4: Item statui-
.. mus, ut in omnibus Dominicis diebus altaris
.. oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offe-
.. ratur, tam panis, quàm vini, & per has im-
.. molationes, & peccatorum suorum fascibus
.. careant, & cum Abel, vel ceteris justè of-
.. ferentibus promereantur esse consortes. Clarius idipsum exprimit Gregorius Magnus in libro Sacramentorum per Pamelium edito: *Et offeruntur a populo oblationes, ut sacrentur.* Eorum verò, qui oblationes fecissent, nomina in dypticis descripta inter Missarum solemnia recitabantur. Innocentius Papa in epistola ad Decentium: *Prius ergò oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda; ut inter sacra Mysteria nominentur*; optime hac de re *Cabassutius in Notitia sacul. 2. diss. 15. & Emanuel a Schelstrate in Antioch. Conc. can. 2. cap. 6. qui pag.* 216. citat Dionysii locum in Mysterio Synaxeos ibi: *& osculatis se invicem omnibus, mystica sacrarum tabularum fit recitatio.* Non tamen omnium offerentium nomina describebantur in dypti-
30 cis, sed cum delectu, & animadversione.
Quippe oblationes factæ non protinus ad altare offerebantur; sed Diaconus eas excipiens asportabat ad locum, eam ad rem deputatum, gazophylacium vocabant, aut secretarium, idest sacristiam, *Possidius in vita August. cap.* 24. Eo in loco a Dacono noscebatur, an offerentes munera tales essent, ut Ecclesia dignè eas reciperet. Ritumque eas oblationes deducendi ad altare, qui per processionem expediebatur describit *Cardinalis Bona L. 2. cap.* 8. § 4. Hęc oblationum consuetudo ultra Gregorium Magnum durasse, colligitur ex Anonymo de ritu Missarum *cap.* 38. cujus verba refert *Emanuel a Schelstrate can 2. cap. 6. pag.* 112. qui inde arguit hanc oblationum observantiam ultra Gregorium Magnum viguisse. Sed postea, ut ille auctor vetustus citatus etiam a *Mendozza in can.* 28. *Concil. Illib.* ait, statutum, panem in mo-
31 dum denarii formari, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus Dominum traditum recognosceret. Qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cecerent, vel mali, quid quod ad hoc
32 sacrificium pertinet; hæc ille. Hujusmodi verò oblationes, quæ dicebantur ad Missam factę, amplius non solvuntur, ut videmus; Tametsi testetur *Gonzales in cap. 13. de V. S.* aliquibus in locis adhuc oblationes persolvi.

Nec mirum, si solutio oblationum contraria tolli potuit observantia; nam etsi in Lege Mosayca de his solvendis extaret præceptum, *Exod. cap. 23. vers. 15 Num. cap 6. vers.* 11. non tamen id præceptum in Lege Evangelica repetitum invenitur. Quamquam haud ignorem in controversiam idem illud fuisse revocatum, & id affirmare *Azorium 1 par. inst. mor. L. 7. cap.* 17. propter Textum *in can. omnis Christianus de cons. dist. 1. & Textum in can. præter dist.* 32. *& Textum in can. de his, in can. antiquos* 10. *q. 1. in can. statuimus* 16. *q.* 1. His tamen minime refragantibus, in suscepta sententia persistimus. Nullum extat præceptum de oblationi-
bus solvendis, sed tantum monitio, & quoad 33
monitionem Textus tam multi supra citati intelligendi sunt. Quæ responsio nititur auctoritati Concilii Moguntini sub Carolo *can.* 44. ibi; *oblationem, & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Christianus.*

Neque obstat Textus *in cap. ad Apostolicam de simoniæ*, ubi oblationes solvendæ sunt. 34

Resp. id procedere ubi talis vigeat consuetudo, *cap. quamvis de dec. Leon. infra citat.* nec adversatur Theoremati nostro Textus *in can. Clerici, in can. qui oblationes* 13. *q.* 2. ubi pariter, oblationum solutio vitari non potest, ex eorum Canonum sententià.

Resp. Textus adductos intelligi, cum aut vo-
tum proprium, aut jussus testatoris ad oblatio- 35
num præstationem adstringit; at hinc non infertur, deberi oblationes ex præcepto Legis.

Quę difficultates, ut notare potest Juris studiosus duas continent limitationes. Quibus & tertiam addunt; quando Parochus indiget, quia non tenetur suis stipendiis militare, *cap. cum ex off. de præscript.* de quibus ipsis limitationibus Leonius in Thesaur. *P. 2. cap. 33. a n. 14. ad seq.*

Jam ad absolutam, integramque oblationum cognitionem exposcitur, ut de oblationum do-
minio videamus; 36

Dicendum est, oblationes in dominium transire Rectoris Ecclesiæ Parochialis, sive offerantur
intra Ecclesiam Parochialem, sive alteri Ima- 37
gini, sive Sacello extra Ecclesiam Parochialem intra fines tamen existenti.

Probatur ex Textu *in can. quia, in can. Sanctorum in can. hunc* 10. *q.* 1. *in can. nulli* 12. *q. 2. in cap. ex transmissa de præscrit.* prout hos Textus accipit *Ventriglia Tom. 2. annot. 36. §. un. n.* 11.

Comprobatur, quia Parochus habet intentionem fundatam super oblationibus, quæ fiunt intra Parochiam, *cap. quoniam de decim. cap. Pastoralis de his, quæ fiunt a Prał.* ipsique debentur jure Parochiæ, *d. cap. quia, & cap. Sanctorum Lother. de re ben. L. 1. q. 30. n.* 30.

Exemplis assertionem nostram declarabimus. Dum Presbyter sacris operaretur, ad manus ejusdem feruntur oblationes, cedunt hujuscemodi oblationes Rectori Ecclesię non Sacerdoti celebranti *Ventriglia ubi supra n.* 17. En aliud exemplum. Tempore Jubilęi in Ecclesia Cathedrali oblationes fiunt; ad eum pertinent, qui exer-

cet

cet curam animarum, *Rota in una Beneventana Spolii* 2. *Decemb.* 1585 *coram Oeano*. Similiter in purificatione mulierum candelę offeruntur; hæ spectant ad Parochum, *Ventriglia ubi supra n.* 21. Tempore Paschæ benedicuntur ova, pars eorum Ecclesiæ relinquitur, cui debetur Parocho, idem *Ventriglia ib.*

Neque obstat Textus *in cap.* 1. *de statu Mon. in cap. ... de excess. Prel.* ubi oblationes factę in locis Regularium debentur Regularibus, & non Parochis, *ergò &c.*

Pro responsione, & declaratione nostræ assertionis; sciendum est, tunc oblationes cedere Parocho, quando non apparet ex conjecturis,
38 illas fuisse vel datas, vel destinatas ad certum usum, pro Missis, pro fabrica, & similibus; tunc enim non Parocho sed operi illi procedunt, *Barbosa de un. juee cap.* 23. L. 3. *n.* 30. ita respondet *Marescottus var. resol. L.* 2. *cap.* 41. Quod fit instar limitationis.

Insuper, & limitatur assertio nostra ex praxi quadam, de qua *Cardinalis de Luca de Paroch. discursu* 32. *n.* 5. ad quam exponendam audia-
39 tur, quidnam contigisse testetur suo tempore, dum Romę moraretur *Leonius Part.* 2. *cap.* 12. *n.* 28. Dum in Urbe agerem (ait ipse) evenit, de imagine D. Mariæ depictæ in quadam domuncula ad usum fænilis redacta, cui & si fænum plena domuncula reponeretur, tamen relatum fuit, quòd nunquam hærebat dictæ imagini, sed semper distans ab imagine reperiebatur; quo miraculo detecto, cæpit populus Romanus ad orandum in eodem loco confluere, & oblationes maximas deferre, & aliis eleemosinis ad parietem a piis viris elargitis, decens Ecclesia in eodem loco sub titulo S. Mariæ in montibus fuit ædificata.

Hæc Leonius. Praxis igitur hæc est, teste de Luca, ut ex oblationibus sacellum ædificetur, ac propterea in hoc casu oblationes ad Parochum non pertinent.

Neque obstat pariter Textus in *Auth. de Eccl. Tit.* 6. *si quis in nomine* ubi oblationes non Parocho debentur, sed illi, qui imagini præest.

Cui oppositioni ita satisfaciendum est; quod quando constat, intentionem offerentis aliquid imagini depictæ in aliquo Oratorio, cui Clericus præsit, eam esse, ut Oratorio debeantur, eidem acquiruntur, *Lotherius de re benef. L.* 1. *quæst.* 30. *n.* 33. qui ita prædictam Authenticam interpretatur.

(f) *Successisse.*

Census Episcopo debitus, quando caperit persolvi?

Origo census Episcopalis, ut in nostro Titulo monuimus, hæc est, ut census successerit in locum quartæ, quæ olim Episcopis debebatur.
40 Quod ita explico. Tempore primitivę Ecclesiæ cum pauperes essent Episcopi, de Episcopalibus Ecclesiis, & omnibus eorum bonis, sumebant dimidium, *can. antiquos* 10. *q.* 1. & ex omnibus Parochialibus etiam *can. constitutum* 16. *q.* 1. Procedente verò tempore tantùm ex Parochialibus tertiam oblationum, & decimarum habebant, *can. decrevimus* 10. *q.* 1. Tandem habuerunt quartam, *can. vobis* 12. *q.* 2. Hodiè autem nihil habebunt, præter cathedraticum, *can. placuit* 1. 10. *q.* 1. Ità eleganter nostræ adhærens sententiæ rem omnem exponit *Grananiet. in Decret. in cap.* 1. *de censibus pag.* 610. & inductum esse chatedraticum a Concilio Brachacensi *cap.* 2. refertur *in can. placuit* 10. *q.* 3.

(g) *Beneficiatis.*

Census Episcopo a Beneficiatis præstatur.

Quis censum Episcopo præstare debeat, an omnis beneficiatus, an solus Parochus, dubitationis est jam enodandę.

Glossa in cap. conquerente de off. Ord. verbo duos solidos, ab omni Ecclesia, quæ in Diæcesi existat, peti posse, deberique Episcopo synodaticum, affirmat, ait enim: *duos solidos petere potest Episcopus a qualibet Ecclesia sua Diæcesis nomine cathedratici.*

Res igitur ità se habet; omnis Beneficiatus censum Episcopo persolvit, ità Gratianus *discept.* 610. *per tot.* Atque adducam id ipsum confirmantem Pignattelli consultationem *Tomo* 1.
consf. 285. his verbis: An exactio cathedratici sit facienda a toto Clero, an verò a Beneficiatis tantummodo? Responsio, faciendam esse, a Beneficiatis, & ab Ecclesiis tantum: *Sacra Congregatio Concilii in Albiganen. die* 3. *Decembr.* 1644. 41

Ac propterea *in cap. conquerente de officio Ordinarii*, statutum invenias, cathedraticum exigi etiam ex Capellis Monachorum.

A Parochis tamen cathedraticum exigi, ait Leonius *in Thesauro P.* 2. *cap.* 14. *n.* 4. et Episcopum habere juris assistentiam exigendi cathedraticum ab omnibus Rectoribus Parochiarum, ait *Barbosa alleg.* 86. *de off. & p. Ep. n.* 40.

Clariùs rem omnem explicat *Pax Jordan. Tomo* 4. *L.* 7. *Tit.* 18. *n.* 106. qui ait, quod alicubi a solis Parochis persolvitur synodaticum. 42
Ex quo infero, standum esse consuetudini.

(h) *Annos.*

Quotannis cathedraticum solvendum est Episcopo.

Compertissimi Juris est in singulos annos exigi ab Ordinario cathedraticum, *cap. olim* 20. *cap. cum Canonicis* 26. *de cens. can. quæsitum* 1. *q.* 3. *Zoesius ad Tit. de cens. n.* 2. *Canisius ibidem in summa*, omnesque ultrò hoc principium esse, fatentur.

Non tamen omittam, antiquitùs bis in anno quolibet cathedraticum solvi consuevisse. Quod ex eo liquet; nam Presbyteri solvebant cathe-
draticum in Synodo. Solvebant autem, quoties ad Synodum vocabantur. Porrò certum est bis in anno ad Synodum convenisse; nempe Quadragesimæ tempore, & mense Majo. De 43

Qua-

Quadragesima, id constat, ex Concilio Liptiensi sub Childerico *can.* 3. *anno* 742. ubi mandant Patres, ut semper Presbyter in Quadragesima rerum sacrarum, quas administravit, reddat rationem. De mense Majo est Textus in *can.* 7. *Concilii Altisiodor.* ibi: *Ut medio Majo omnes Presbyteri ad Synodum in Civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.*

Concilium verò Tridentinum *in sess.* 24. *cap.* 7. statuit, ut Synodus quotannis celebraretur.

Quamquam illud dici possit, quod & si bis in annos singulos solverent olim Presbyteri synodaticum, tamen partem ejus, nempe dimidium erogabant; quod ex alio Textu optimè explicatur, nempe *ex cap. olim de censibus* In cujus specie Clerici plebis Rupinę solvebant Episcopo Spoletano tres denarios Papienses in festo Paschatis, Nativitatis Domini, & totidem in festo Resurrectionis. Hæc verò præstatio integrum synodaticum constituebat, propemodum in tres portiones distributum, Quam veram esse speciem Textus, probat *ex Joseph. de Retes L.* 7. *Opusc ul. cap.* 1. *Gonz. ad hunc Text. in can.* Idque sentit *Antonius de Luca, ad Ventrigliam Tomo* 2. *ann.* 26. *n.* 3.

(*i*) *Moneta.*

Qua moneta cathedraticum sit solvendum.

Cathedraticum pręstandum est in ea moneta, quæ institutionis tempore erat in usu, ita *ex* 44 *cap. olim* 20. *de censibus infert Zoesius ad hunc Tit. n.* 2.

Quod tamèn verum est, nisi tempore annorum 40. solutum fuerit in alia moneta, etiam minoris potestatis, ac valoris, ut infert *idem Zoesius ex d. cap. olim n.* 3. Ratio est, quia ut ait *Abbas in d. cap. olim* per decursum annorum 40. jura Episcopalia pręscribebantur.

Ceterum quantum sit cathedraticum haud obscure stabilitum canones reliquerunt. Nam *in cap. conquerente de offic. Or. in can. placuit* 10. *q.* 3. *cap. pastoralibus de don* duos soli-
45 dos esse persolvendos hoc nomine, decernitur.

Si quæris quidnam duo solidi sint, & quam nostrarum regionum monetam adęquent. Consentiunt omnes, duos solidos esse duos aureos Italicos, ad tradita per *Anton. de Luca ad Ventrigl. ubi supra n.* 3. Tametsi non ignoro quod Erasmus a *Choebier in Tomo* 2. *P.* 1. §. 15. *in scholio n.* 2. affirmat, solidum, de quo mentio est in *cap. conquerente de off. Ord.* intelligi pro integro, pro toto, quodque aurei valor pro varietate temporum mutationem acceperit, & plane Isidori locum de solido qui *totum* significat, adducit Budæus *de Asse L.* 5. *pag.* 655. quo loci plura perdocte, ut solet vir ille insignis, adducit.

Sed fingamus aureum Italicum esse mutatum quid Juris sit, initio hujus explicationis monuimus. Pensitatio hęc eadem erit, quamvis moneta fuerit mutata. *Lotherius de re benefic. L.* 1 *q.* 21. *n* 55.

Cum tamen monetæ mutatio duplex sit, intrinseca, & extrinseca: intrinseca quidem, cum ejus materia preciosior, vel vilior facta est: extrinseca verò quando valor, sive æstimatio tantum non materia monetæ mutata est, disputari 46 posset cujus temporis æstimatio spectanda sit, an præsentis, vel anterioris?

Ceterum utcumque mutatio contigerit, ineundam esse æstimationem temporis pręcedentis, receptius esse video.

Quod attinet ad mutationem intrinsecam, nempe ipsius materiæ, quę vel pretiosior, vel vilior reddita sit; juxta antiquæ monetæ æsti- 47 mationem censum esse persolvendum, sensisse videntur *Guido Papa decis.* 493. *n.* 2. *pag.* 745. *Mattheus de Afflì. in cap. un. quæ sunt regul. in verbo moneta n.* 12. *Fuscus litera M. concl.* 349. *Fachin. L.* 2. *contr. cap.* 10. §. *restat*, Atque ità accipiunt Textum *in cap. olim* 20 *de cens. Fachinaus L.* 2. *Contr. cap.* 2. *pag* 89. Ità accipit Textum *in cap. cum Canonicis de cens.* idem *Fachin. d. L.* 2. *cap.* 10. *pag.* 91.

Quod attinet ad mutationem extrinsecam, nempe solius ęstimationis; adhuc receptius est, valorem pristinum esse considerandum, ut sentit *Lotiberius de re benef. L.* 1. *q.* 21. *n.* 55. *Covarruvias in tract. de vet. numism. coll.* §. *un. n.* 3. *vers. ceterum Marta Tomo* 3. *ff. Novis Titulo solutio cap* 15. 18. 20. 22. *pag.* 313. *ex cap. pen. de censib.* quem ità intelligunt.

Ex his omnibus apparet, & monetam pro 48 cathedratico solvendam esse, & qua quantitate hæc sit eroganda. Nec vero omittam antiquitus incertam fuisse hanc cathedratici pensitationem; ideoque Patres Concilii Bracharensis 2. *can.* 2. *relati in can. placuit* 10. *q.* 3. eam taxarunt his verbis: *Præter honorem Cathedræ, idest duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.*

Expensę autem detrahendę sunt, antequam solvatur cathedraticum, *Geminian. cons.* 85. *n.* 6.

Cathedraticum in cereo trium librarum constitutum fuisse videtur in *cap. cum venerabilis* 49 22. *de cens.* tametsi aliter Textus accipi possit.

(*l*) *Consecratur.*

Quandonam census pensitatio imponatur.

Fundationis, aut consecrationis tempore census imponitur: quia veluti præter Ordinarii consensum, nec fundari potest Ecclesia: ita eodem 50 tempore certum censum Episcopus in subiectionis signum constituere poterit, *can. Eleutherius* 18. *q.* 2. *Lancellottus hoc Tit.* §. *fundationis Zoesius ad hunc Tit. n.* 2. Et licet ex Juris dispositione debeatur, nihil tamen repugnat quin etiam ex decreto Episcopi, eo modo, quo explicavimus constituatur, nam & partim remitti posset, *cap. cum venerabilis hoc T.*

Dummodo pactum non sit simoniacum, quod contingeret, si nomine cathedratici conveniret

inter

51 inter Episcopum, & Parochum, ut pro Chrismate Cathedraticum præstaretur, quod improbatur *in cap. ea quæ de simonia in can. fin. 1 q. 3. in cap. non satis, in cap. in tantum, in cap. ad nostram de sim.* Hanc corruptelam in Hispaniam, & Galliam irrepsisse, notat *Gonzal. in d. ea cap. quæ*.

(m] Immunitas.

Census imponitur etiam concedendo exemptionem.

Sed nec illud insolitum, aut novum haberi debet, ut cum Episcopi Ecclesias piis locis ritè
52 concesserint, aut exemptæ fuerint, aliquid sibi in eis pensionis nomine reservent, ut ait *Lancellottus hoc T. §. sed nec illud*.

Et propterea Tridentinum *sess. 24. cap. 2.* disertè statuit, exemptos quoque ad Synodum venientes obligari ad censum, sive cathedraticum; non enim solvitur cathedraticum in signum jurisdictionis, a qua solventem exemptum esse, supponimus; sed cathedraticum solvitur in signum subjectionis legi Diœcesanæ ut Textum hunc notat ad probandum idem istud *Tuscus l. c. Concl. 132.*

Rem planius explicabo. In Episcopo duæ sunt leges, idest ab eo emanant in sibi subjectos duo præcepta. Alterum jurisdictionis, quatenus magistratum gerit, & alterum Diœcesis, quatenus habet administrationem aliquam sejunctam
53 a jurisdictione ex mandato canonum; vox enim ista Diœcesis denotat simplicem administrationem, *Tolosan. in synt.* L. 15. *cap.* 12. *n.* 3. Episcopus tamquam jurisdictionem habens sibi vindicat majoritatem, & obedientiam *tot. Tit de major. & ob.* Tamquam administrator subjectum habet forum interius, & quemadmodum tria præcepta sunt, quę circa illam contingunt, ita Episcopus præcipit, legeque edicit totidem sibi in remunerationem sui spiritualis officii tetribui. Præcipuum munus est docere, in cujus signum habet cathedram, ac propterea a singulis Ecclesiis exigit cathedraticum, ita solida doctrinarem hanc explicat Lottherius *de re benef L. 1. q. 21. n. 51. 52. & seq.* Et planè quatenus Episcopus exigit retributionem aliquam, tunc non nititur legi jurisdictionis; a Jure enim exorbitat, ut retributiones temporalium pro spiritualibus fiant, *can. sicut* 1. *q.* 2. *cap.* 1 *de sim.* nititur ergò lege Diœcesana, qua veluti Diœcesanus adeoque supremus administrator hæc ipsa emolumenta exigit in signum suæ præeminentię. Quamquam ab hoc ipso onere fuerunt exempti Regulares Monachi anno salutis 601. ex decreto Gregorii, cui subscripserunt Episcopi Italiæ, relato *in can. quam sit 18. q. 2.*

[n) Major.

Cathedraticum ab Episcopo augeri non potest.

Cathedraticum statutum est a Concilio Bra-
54 charensi in duobus solidis, idemque decretum ab aliis Conciliis est approbatum. Inferior in lege superioris non dispensat. Ergò Episcopus cathedraticum augere non potest, ut arguit *Barbosa alleg. 30 de off. & pot. Episcop.*

Sed quid opus alio raticinio? Si Cardinalium Sacra Congregatio ita declaravit in *Isernien 15. Jun. 1610.* de qua declaratione testatur *Gavant. in Praxi Diœcef. Syn cap 26. in add. & Pax, Jord. Tomo 2. L. 7. Tit. 18. n. 106.*

Quod tamen procedit nisi ex consuetudine aliud observetur. Etenim Neapoli pro cathedratico solvuntur quinque Carolani, ut locupletissimus testis est *Pax Jordan. ubi supra n. 108. & 111.*

[o) Præscribitur.

DISSERTATIO III.

An solutio cathedradici aliquando cesset.

Cessare multis modis potest solutio cathedratici.

Primo quidem cessare potest præscriptione, 55 si nempè solutum non fuerit cathedraticum per tempus immemorabile, *can. 1. & can. inter cetera 10. q. 3.*

Nam per 40. annos præscribitur, *Barbosa P. 3. all. 86. n. 1. Carol. Antonell. de Jurib. Cler. L. 2. part. 6. cap. 17. n. 32.*

Præscribi autem per tempus immemorabile cathedraticum, exemplo decimarum non nihil elucet; nam in *cap. ad aures 6. de decim.* jus annuę præstationis decimarum sublatum præscriptione fuisse, disponitur. Qua autem ratione jus decimas exigendi pręscribitur, eadem prorsus 56 ad cathedraticum transfertur, & accommodatur. Decimæ, cur pręscribantur, ea ratio est, quia decimarum præstatio in modum regulę statuta est, quæ regula cum una sit, unique, & simplicem obligationem inducens, factum est, ut sufficeret contra decimas una pręscriptio, *cap. ad aures de Præscr. ita Canisius in tract. de decim. cap. 9. n. 10.* Atqui etiam in cathedratico regula una est, unamque, simplicem obligationem inducens non quasi renovatam singulis annis; ergò eodem pacto cathedraticum præscribi potetit. Quod argumentum vim suam exeret, si animadvertamus discrimen inter annuas præstationes, quę debentur ex ultima voluntate, & præstationes, quarum una est simplexque obligatio, veluti illæ sunt, quę debentur ex contractu. Præstationes ex ultima voluntate puta ex legato relictæ, tot ex legatis debentur, quot sunt anni; adventu anni præsentis legatum est purum; pro ceteris verò annis legata sunt conditionalia; ideoque pręscribi annuæ præstationes non possunt, *L. senatus §. fin ff. de don. caus. mort.* Si verò pręstationes annuæ debitę sunt ex contractu inter vivos, quia unica est stipulatio, & obligatio *L. si sicum §. stipulatio ff. de V. Obl.* unica sufficit præscriptio pro annis etiam futuris.

Quodsi

Quod si quæritur differentiæ ratio, cur per tempus immemorabile præscribatur cathedraticum; non etiam per tempus, cujus extet me-
57 moria. Ratio est; quia cum memoria præscriptionis incoatæ invenitur, & potest deplehensi Episcopi consensus propter titulum inutiliter processit præscriptio. Episcopus namque cathedraticum a se non potest abdicare, quemadmodum nec Princeps supremam jurisdictionem, *L. 3. §. Divus ff. de Sepulch violato L. 2. C. quæ sit longa cons.* Cum fieri non possit, ut aliquis Episcopus sit, & careat principalibus juribus ei competentibus, *cap. cum non liceat de præscript.*

Objicitur I. potest præscribi cathedraticum, quoad aliquam ejus partem, ut scil. pars non solvatur, ergò, & totum, *L. quæ de tota ff. de R. V.* Antecedens probatur *ex cap. olim de cens. cap. cum olim. 14. de privil. vers. quià verò.*

Resp inter totum, & partem diversam esse rationem. Nam pars cathedratici remitti potest ab Episcopo, integrum remitti non potest, cum hoc ad legem Diæcesanam pertineat, & in signum suę præeminentiæ exigatur. Quamquam verò pars cathedratici non solvatur, adhuc tamen si portio aliqua ipsi ob enitur, exercet suam præeminentiam: ac propterea totum cathedraticum nec remitti, nec præscribi potest.

Objicitur II. si in conclusione, quę defenditur, præscriptio cathedratici per tempus immemorabile permittitur, ergò & admittenda est per tempus centum annorum, cur ita? Quia centenaria æquivalet immemorabili, *cap. cum vobis de præscr.*

Respondetur, meam opinionem hanc esse, ut nulla detur centenaria, quæ equivaleat immemorabili. Videbor nonnullis paradoxum pronunciasse. At non prius judicium ferant, quàm
58 meum sensum patefecerim. Hoc ità demonstro. Vel nulla centenaria habet vim immemorabilis præscriptionis vel omnis, quia non poteris concipere quod centenaria detur cum circumstantiis, & qualitatibus immemorabilis quę propriè centenaria sit. Nam ideò centenaria dicitur præscriptio, quia incæpit ab hinc centum annos citra, & per id tempus huc usque decurrit in eum modum, quo præscriptionem 40. vel 30. annorum designamus, quia initia comperta sunt; imo initia probanda sunt ab ea allegante; quomodo enim dicetur adimpleta præscriptio, si ignoretur illius principium? Qui ignorat initium, finem ignoret necesse est, *L. 1. ff. de Or. Jur.* Ergò si dicis centenariam, initium denotas, cur ergò contendis, eamdem præscriptionem esse immemorabilem? Si hæc præscriptio centenaria cujus ignoras, vel scis initium, est immemorabilis, cur ergò non æquivalet immemorabili omnis centenaria? An non argumentum urget vehementer? Quod si regeras *ex cap. ad audientiam de præscript.* exhibendo instrumenta facti centum ab hinc annis exhibendo testes, qui præscriptionem 100. annorum comprobent, non haberi initium, & tamen hanc esse præscriptionem centenariam.

Respondebo, negando conclusionem argumenti. Quinimmo inferendum est ab adversariis hanc præscriptionem non centenariam, sed immemorabilem esse; instrumenta vero, & testes de inferiore tempore, quod est centum annorum, docent, quod cum immemorabili non pugnat.

Præterea alio argumento id convincam. In centenaria habente contra se Jus commune requiritur justus titulus, *cap. si diligenti in fine de præscript.* Atqui in præscriptione immemorabili titulus non requiritur, *cap. 1. in fin. de præscript. in 6.* ergo centenaria non æquivalet immemorabili, ut argumentatur *Felinus in cap. adaudientiam de præscript. n. 29.* quem cito, ut nemo temeritatis me audeat insimulare, quasi adversari velim innumeris, qui jampridè contrariũ senserunt

Imo hanc meam opinionem tuetur *Covarruvias 2. Part. §. 3. in regul. possess. n. 7, 9. Molina de Hisp. Prim. L. 2 cap. 6. n. 65. Rota Part. 16. recent. decis. 291. n. 14. 15. 16. Rocca disp. Jur. cap. 7. n. 13. & 22.*

Ex quibus soluta remanet oppositio. Immemorabilis præscriptio cathedratici permittitur, centenaria non permittitur. Nam cum allegantis centenariam probandus esset titulus, & bona fides, quod certum est, quando centenaria Juris communis habet resistentiam, *Barbosa de præscript ad Rubr. n. 144. n. 156. Betous Vol. 3. cons. 144. n. 22. Trobat. de effect. immemor. Quæst. 13. n. 68. Tboro Compend. decis. part. 3. sect. 2. verbo præscriptio pag. 320. col. 2.* Nunquam titulus allegari posset; quia totum cathedraticum Episcopus a se abdicare non potuit. Et veluti centenaria non possunt præscribi, quæ Principis sunt in signum supremæ potestatis, *Trobat. Q. 13. n. 132.* Ita nec cathedraticum. In immemorabili verò docere de titulo, nec necessarium non est, quia titulum præ scripti ni huj[illegible] modi lex ipsa tribuit, adeòque titulum optimum, justumque, quia nihil n[illegible] sumendum it, *can. erit autem L. x dist. 4* & hoc [illegible] ominis immemorabilis [illegible] um, *L. 3. §. fi... ff de aqua pluv.*

His fundamentis rectè perpensis leviora sunt cetera quæ possunt objici, ac per se p[illegible] concidunt.

Ergo præscriptione immemorabili libertas acquiritur a solutione cathedratici atque hic est prior modus, quo cessat solutio cathedratici.

II. Modus est, si Episcopus convertat solutionem cathedratici in aliquod genus quartæ. In 59
partibus Dalmatiæ non solvitur cathedraticum, quia Episcopi recipiunt portionem decimarum totius Diæcesis, atque ita singuli Curati per illam portionem Episcopi pręeminentiam agnoscunt, ut narrat *Pax Jordan. Tomo 2. L. 7. Tit. 18. n. 112.*

III. Modus indicatus est *n. 51.* ut scilicet pro parte aliqua cathedratici solutio minui possit, veluti ex præscriptione *cap. olim de cens. Pareia in cap. 18. de cens. n. 22.*

IV. Modus est Pontificis auctoritas, & re ipsa

Mo-

60 Monachi a cathedratico exempti sunt, *cap. constitutus de Relig. dom.*

Quærit Fagnanus *in cap. conquerente de off. Ord. n.* 48. an Concilium Tridentinum prohi-
61 bens exigi ex causa procurationis id, quod piè relictum Ecclesiæ fuerit, censeatur sustulisse cathedraticum; & planè cum cathadreticum non comprehendatur in dispositione generali, *cap. pastoralis de don.* sublatum a Concilio non censetur; multisque argumentis id ipsum probat vir doctissimus, & sic decisum refert in *Pientina Pax Jord. L. 7. Tit. 18. n.* 103.

(o) Archiepiscopo.

Quid sit inthronisticum.

Episcopi olim tempore suæ consecrationis sol-
62 vebant Patriarchæ, seu Metropolitano, a quibus ordinabantur, solidos centum, qui inthronistici dicebantur. En verba *Novella* 122. *Jurt. Tit. de Sanct. Epis. cap.* 3. : *& alios omnes Episcopos, qui aut a Patriarchis, aut a Metropolitis ordinantur, dare pro inthronisticis quidem solidos centum.* Hoc inthronisticum Gonzales vocat cathedratici genus, qui citat, *Hallier de sacris elect.* 7. *art.* 7. aliosque *in cap. conquerente de off. Ord.* Sed potius species erat oblationis, ut ait eadem Novella, quæ oblatio consuetudine invaluerat, non ergò ex Juris dispositione debebatur, quamquam eadem Novella id quod ex consuetudine solvebatur, reformarit, quid quid aliter sit arbitratus *Gonzales*.

(p) Petentibus.

Qua de causa peti possit ab Episcopo subsidium charitativum.

Charitativum subsidium non potest per Episcopum passim exigi a subditis, nisi in necessitate, & concurrente maxima, & rationabili causa, ita statuit Concilium Lateranense *in cap. cum Apostolus §. prohibemus etiam de cens.* ibi: *sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare; consonat Textus in can. Nullus 1. q. 1. in cap. 3. de off. Vicar. in cap. conquerente de off. Ord.*

Justa causa, & manifesta, & rationabilis
63 esse debet.

Hujus generis causas jam recensebo. Justa causa est, si proprii redditus non sufficiant Episcopo, *can. cavendum* 10. *q.* 3. Praxim tamen in hoc casu non semper admittere charitativum subsidium, docet *Ventriglia Tomo 2. annot.* 25. *§.* 1. *n.* 17.

II. Exigitur hoc subsidium pro expeditione Bullarum, & consecratione aliisque expensis occurrentibus in promotione, dummodo possessionem Episcopus jam sit adeptus, *Bellitur in Disqu. pa.* 1. *§.* 12. *n.* 4. *Doctores in cap. conquerente de off. Ord.*

III Si expensæ plurimæ ad litigandum in favorem totius Diœcesis factæ sint, exceptio locum habet, *can. Clericus* 11. *q.* 1. quo Textu utitur Gonzales ad hoc probandum *in cap. cum Apostolus §. prohibemus de cen.* receptumque est ex his, quæ tradit *Tamburin. de Jur. Abb. Tomo* 5. *disp.* 10. *q.* 3. *n.* 4.

IV. Si Episcopus ad Papam, Regem, vel Imperatorem pro suæ Ecclesiæ utilitate sit iter facturus, *Bellencinus de subsid. char. q.* 20.

V. Si pergat ad Concilium generale vel Provinciale, nec sufficiant redditus *Barbosa de un. Jur. cap.* 21. *n.* 19. *Pignattellus Tomo* 9. *consf.* 141 *n.* 1.

VI. Si pecunia opus sit ad recipiendum Imperatorem, vel Principem a quo Episcopus habeat regalia, *Bellencinus ubi supra quest.* 22.

VII. Si Ecclesia Cathedralis oneretur debitis, *cap. un §. fin. ut Eccl. benef.*

Extat decretum S. Congregationis Concilii in hac facti contingentia. Ex consuetudine Ecclesiæ Gerundensis, Episcopi in ingressu solebant exigere a personis Ecclesiasticis quoddam donativum; audiatur decretum, quod emanavit. Cujus verba refert *Garcias de Benef. P.* 8. *cap.* 1. *n.* 77. & sunt hæc: *Ad octavum de donativo in ingressu respondet, istam consuetudinem esse sublatam per Concilium, cap.* 14 *sess.* 24. emanavit autem *die* 12. *Aug. anno* 1558. ad quem locum Concilii declaravit etiam Sacra Congregatio prout verba refert *Gallemart dicta sess.* 24. *cap.* 14. & sunt: *Valet constitutio facta per Episcopum, & Capitulum post Concilium Trid. ad solvendam certam quantitatem ratione novæ possessionis Episcopatus, Canonicatuum, & dignitatum, ut integre cedat in fabricam.*

In universum vero circa justam exigendi causam, Episcopi est animadvertere, se se patrem pauperum esse. Quod si congrua per Concilium Tridentinum Episcopis præscripta supersit, non possunt exigere charitativum subsidium, juxta mentem Sacræ Congregationis Epis. & Reg. ut in Hydruntina 22 Januar. 1601. relata a *Pignat. Tomo* 9. *consf.* 142. *n.* 5.

(q) Subsidium.

Quæ sint nomina alia subsidii charitativi.

Nomina percipere prodest etiam ad canonum 64
intelligentiam.

Subsidium charitativum a Concilio moderatum auxilium vocatur, *in cap. cum Apostolus §. prohibemus de cens.*

Moderativum quoque dicitur in *Extravag. vas electionis §. præmissis de cens.*

Dicitur etiam *census*, dicitur *exactio d. cap. cum Apostolus*, *Zoesius ad hunc Tit. n.* 4. dicitur *gravamen extra ordinem*, Corvinus L. 2. *Tit.* 35. *in aphor.*

Dicitur *subsidium* ad exemplum subsidiariæ actionis, quæ locum habet, quando deficit propria, notat *Ventriglia ubi supra n.* 2.

(r) Mo-

(r) Moderatæ.

Quo pacto subsidium charitativum moderatum esse intelligatur.

Parentes debent thesaurizare filiis, non delitiis fastidiosis eorum substantiam absorbere, ait Textus *in Extrav. vas § sane de cens.* Tiberius cum deprehendisset Æmilium Rectum, quem Ægypto præfecerat, nimium a populo exegisse, eum ob rem iratus rescripsit, se tonderi velle suas oves, non glutiri, *Dion. Nic. in Tib.* Ergò exactio moderata esse debet.

Sed quandonam moderata intelligitur? Imprimis hæc exactio vocatur, quia in subsidium petitur, quando ex prop io non suppetit Episcopo. Tunc verò integrum erit Episcopo tantum exigere, quantum statuitur in *Extravag. vas electionis, §. præmissis de cens.* ibi: *non possint petere, nisi quantum ascenderent singulæ*
65 *procurationes.* En regulam, tantum erit subsidium quantum procuratio.

Res hæc videtur iam enucleati Juris; subsistendum tamen. Hæc enim Extravagans non est usu recepta, ut testatur *Bellencinus de subs.*
67 *bar. q. 41.* Quare alii quantitatem ab Episcopi arbitrio pendere, non verentur asserere, qui illam determinet ad terminos Textus *in cap. cum Apostolus, §. prohibemus de cens.* Quid ergò dicendum? Hodiè consuetudini deferendum esse, declaratum est, per Sacram Congregationem *Neg. Episc. & Reg. sub die 17 Jan.* 1580, decretumque, ultra taxam solitam cogen-
67 dos non esse subditos ad subsidium, narrat *Ventriglia ann. 25. Tomo 2. §. 11. n. 1.*

Ex quo inferre licet, etiam interdum ultra taxam procurationis, excurrere posse subsidium *Riccius in prat 3. Patr. Ref. 80.*

Clerus Paduanus a Sede Apostolica privilegium obtinuit, ut nomine subsidii gravari non
68 posset, ultra certam, & specificam summam solvendam in termino annorum duorum, narrat *Glossa in d. Extrav. vas §. præmissis verbo charitativum.*

Si Episcopus exigat charitativum subsidium
69 ultra consuetum, subditis jus est appellandi ad legitimum Superiorem, *Boer. decis 134. n. 5. Belett. disq. Clerical. P. 1. Tit. de Cler. deb. §. 2. n. 14.*

(ſ) Pauper.

Paupertas excusat a charitativo subsidio.

Antisanes ait, *quod pecunia sunt sanguis, &*
70 *vita mortalibus: quisquis eis destituitur, ille inter vivos mortuus stabulat.*

Paupertas infelix est. Pauperes miseratione digni, *can. ne amisso 23. q. 4. can. non satit 86. dist.* multa pauperum privilegia, veluti ne Trebelliani a deducatur, dum pauperi restituitur hæreditas, *cap. si pater de testibus in 6.* ut oppressores pauperum incidant in excommunicationem, *can. si quis 24. q. 3.*

Hoc igitur providendum est Prælatis, ne personis hisce miseratione dignis gravamen charitativi subsidii iniungant, & quod crudelitatis genus esset, iniungant, sub censuris.

Paupertas autem probatur arbitrio Judicis, *Covarr. var. L. 2. cap. 6 n. 5.* nec solum pauper est, qui victum quæritat; sed si quis minus quinquaginta quidem in bonis habeat, pauper est, *L. nonnulli, ff. de accus. Mascard. Concl. 1150. n. 10. Pax Iord. Tomo 3. L. 14. Tit. 17. n. 534.*

Et censu pauperes gravari non posse, Gregorius statuit *in cap. scientes in fin. de cens.*

Hæc omnia eò spectant, ut intelligamus, habentem Beneficium exigui redditus ad solutionem charitativi subsidii non obligari, diciturque inops, qui tantum vix percipit ex redditibus, quantum ad decentem victum sufficiat, *Bellencin. de char. subs. q. 30* Nam si sæculares inopes contribuere ad onus collectæ, quam Princeps imposuerit, non obligantur, *Baldus in Auth. defuncto C. ad Tertyl.* ergò multò minus Clerici.

(t) A Ceteris.

A quibusnam sit exigendum charitativum subsidium.

In cap. cum Apostolus, §. prohibemus de cens. a subditis exigendum hoc subsidium, decretum est. Dicam quinam hi subditi sint. 71

A Laicis etiam exigitur hoc subsidium, si Prælati vasalli sint, *Gigas am. ad Afl. decis. 136.*

A Clericis exigitur, qui habeant Beneficia, *cap. conquerente de off. Ord.* Beneficia quæ præbent Episcopo ius istud, sunt illa, quæ sita sint in Diœcesi: parum interest, an prædia, unde proventus deducuntur, sint extra Diœcesim; sunt enim accessoria Ecclesiæ, *cap. un. de cons. Eccl. in 6. Bellencinus q 35.*

A pensionariis hoc quoque exigitur, licet sint in aliena Diœcesi, cum tamen Beneficium erit in Diœcesi Episcopi indigentis, jus habet petendi pro rata pensionis. Contra Beneficiarius gravatus ad pensionem, solvet pro fructibus, qui ipsi remanent. Ita *Gigas de pens. q. 28 n. 10.*

A Capitulo, & Canonicis debetur hoc subsidium, non tamen ex distributionibus, cum non veniant nomine fructuum; nec ex mortuariis, & oblationibus, *Bellencinus ubi supra q. 79.*

A Monialibus etiam exigi potest, exceptis illis, quæ non habeant redditus ultra summam 14. ducatorum auri de camera pro victu cujuslibet juxta *const.* 10. *Pii IV.* quam adducit *Bellencin. ubi supra n. 24.*

A familiaribus quoque Cardinalium exigitur, aliisque Curialibus, cum non reperiantur exempti *Bellett. disq. Cler. §. 12. n. 26.*

Et [illegible] verum est, subditos posse compelli, ut Episcopus subditos eosdem eximere non possit generaliter, vel in præjudicium ipsius in fu-

turum

turum, *Belleucinus q. 47.*
Collector tamen subsidii charitativi exemptus est,
72 ab illius solutione, prout probat *Bellenc. q. 54.*

(u) *Adstringere.*

An, & quomodo subditi ad hoc subsidium cogi queant.

Jam, qua forma subsidium hoc exigatur, explicandum est.
Primò quidem enim charitate peti debet a Prælatis, non autem violenter extorqueri, *cap. ex parte de cens.* Si verò subditi benigne requisiti solvere negligant, pignora capi possunt, in
73 carcerem Clericus conjici, vel censuris adstringi; *Gloss. in Clem. si Beneficiorum de decimis verbo deputata.*
Et licet in *Extravaganti proinde attendentes de sent. excom.* neminem pro debitis posse censuris illaqueari, statutum sit; attamen de ge-
74 nerali interdicto Textus ille procedit; neque enim Episcopus generale interdictum apponere potest contra subditos denegantes charitativum subsidium; imò post excomunicationem, per quam nil Prælatus potuerit obtinere, devenire poterit ad generale interdictum, ita *Bellenc. q. 25. quem sequitur Riccius in praxi 3. parte Resol. 87* qui ita prædictam Extravagantem interpretantur.
Illudque notant Interpetres, Prælatum in concursu creditorum habere prælationem ad exigen-
75 dum charitativum subsidium, ita *Joan. Andr. & Anton. de Brut. in cap. cum se de atat. & qual. quos citat Ventriglia Tomo 2. ann. 25. §. un. n. 13.*

(z) *Visitandi jus.*

Visitandi jus, ejusque origo proponitur.

Jus visitandi Ecclesias est juxta ordinem Evangelicum, Apostolicum, & Ecclesiasticum, ut
76 Concilium Meldense monet *can. 39.* ibi.. Quorumdam Episcoporū reprehensibilis, imò damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nunquam per se ipsos juxta ordinem Evangelicum, & Apostolicum, atque Ecclesiasticum visitant.
Juxta ordinem Evangelicum; quid enim sonant illa verba *Joann. 10. vocabunt oves nominatim*? & alia illa: *cognosco oves meas*? Pastor lustrabit Diœcesim, ut innotescant, quæ sint innovanda, mutanda, temperanda.
Juxta ordinem Apostolicum. D. Paulus, ut refertur *Actuum cap. 15.* perambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodiri præcepta Apostolorum, & seniorum.
Juxta ordinem Ecclesiasticum. Nam variis canonibus jam ab incunabulis Ecclesiæ utilitas visitationum detecta est, eademque decreta *in can. placuit 10. q. 1. in can. decrevimus 11. ead. cauf. & q. can. cavendum 10. q. 3. Concil. Arelat. 4. can. 17. Tarracon. cap. 8. Hispal. 1. cap. 4. Tolet. 4. cap. 36. Emeritanum cap. 11. Parisiense. 6. L. 1. cap. 3. Trident. sess. 7. cap. 8. & sess. 24. de refor. cap. 3.*
Neque omittendum est, hanc fuisse disciplinam Ecclesiasticam præsertim in Ecclesia Orientali, ut periodeutæ, seu circuitores deputarentur, qui singulis annis peragrarent omnem Diœcesim Synod. Laodicena relata *in can. de his dist. 80.* in cujus scholiis ait Balsamon: *præsens canon jubet, fieri periodeutas, & non Episcopos, ne dignitas Episcopi vilis, & contempta evadat. Sunt autem periodeutæ, qui hodie ab Episcopis promoventur Exarchi. Hi enim circumcursant, & delicta spiritualia observant, & fideles perficiunt.* Finis erat; ut postea in Concilio Provinciali reformanda reformarentur, *cap. sicut olim de accus.* 77

(y) *Episcopi.*

Quoties nam obligetur Episcopus visitare suam Diœcesim.
Semel Diœcesim visitasse Episcopo satis esse non debet.

Quænam sint intervalla temporum, in quibus a visitatione tutè queat Episcopus cessare, & contrà an semel, vel bis anno quolibet ad lustrandam Diœcesim suam, visitandamque obligetur, planum faciemus.
Quo tempore debeat incipere visitationem Episcopus, a Jure non est determinatum; sed positum in ejus arbitrio. Adeoque ejus est eligere. Si tamen eligat hiemale tempus, quod est maxime incommodum, non laudatur a *Fusco de visit. L. 1. cap. 1. n. 13.*
Quodnam tempus decretum fuerit circa visitationem, ut hoc fructu, atque utilitate non careat Ecclesia, diserte Tridentina Synodus declarat. *sess. 24. cap. 3. his verbis*: Patriarchæ, Pri- 78
.. mates, Metropolitani, & Episcopi propriam
.. Diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium,
.. aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem visitare non poterunt,
.. saltem majorem ejus partem, ita tamen ut
.. tota biennio, per se, vel Visitatores suos
.. compleatur, visitare non prætermittant.
Si tamen necessitas urgeat, etiam bis in anno visitare potest Episcopus, *cap. mandamus de off. Ord. cap. cum venerabilis §. quia ergo de cens. & ibi glos. Loth. L. 2. q. 2. n. 46.*
Quod verò quolibet anno visitationis onus incumbit Prælato, decretum erat etiam ante Concilium Trid. *in can. decrevimus 10. q. 1.*
Quod si Episcopus in Provinciali Synodo fuerit accusatus de negligentia, in obeundo visitationis munere, a S. Pontifice datur alter Episcopus delegatus, qui de hujusmodi negligentia 79 sua referat, ita *Sacra Congreg. ad Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3. in Insulan.*
Si tandem quærimus, quantum temporis sit præfinitum ad visitationem complendam, dubium hoc dissolvent verba declarationis Cardi- 80 nalium; nam sacra Congregatio ita respon-

.. dit in Gadicen.: licet celerrimè, ab Episco-.. po, & aliis adimplenda sit visitatio, tamen .. Conc. noluit certum terminum præfigere, hoc .. arbitrio Episcopi relinquendo; illud tamen .. moderatum, & discretum esse debet. Refer-.. tur hæc declaratio a *Pace Jord. Tomo 2. L. VII. Tit. 1. n. 40.*

Quoniam igitur certum tempus assignatum novimus visitationibus; Antequam inchoetur
81 visitatio proponi debent edicta, in quibus significetur visitatio facienda. Et cum Prælatus visitare intendit Ecclesias particulares, debet denunciare diem adventus sui, ne visitandos imparatos invadat. Curatus vero Rectorve Ecclesiæ visitandæ diem adventus Prælati populo denunciabit adhuc, ut se præparent ad eum excipiendum. Quam praxim docet *Fusc. de Visit.* L. 1. *cap. 4. n. 4. Barbos. de Jure Eccl.* L. 1. *cap. 14. n. 36.*

82 In Ecclesia autem visitata maneat per unum tantum diem *Concil. Tolet. 7. cap. 4.*

(aa) In Diœcesi.

DISSERTATIO III.

Quænam loca visitet Episcopus, & quomodo visitet.

Quoniam Episcopus, & tamquam ordinarius in jure consideratur, & tamquam delegatus Apostolicæ Sedis; quænam loca jus habeat visitandi, tamquam ordinarius, & quænam alia, tamquam delegatus, exponemus, ab hac divisione potestatis ordinem desumentes.

Tamquam ordinarius Ecclesias non exemptas visitat; imo etiam Ecclesias Græcorum, subsunt
83 enim ordinariæ jurisdictioni in concernentibus Dei cultum, *cap. quod translationem de tempor. ord. Bulla Pii IV. Romanus Pont.* Græci enim unitati Romanæ Ecclesiæ compaginati Episcopo Latino subjecti sunt, *ex gr.* Græci Liburni existentes subjecti sunt jurisdictioni Archiepiscopi Pisani, & certo scio, eorum Ecclesiam ab Archiepiscopis sæpe esse visitatam. In visitatione autem Græcarum Ecclesiarum servabitur instructio Clementis VIII. quam *Piasecius in Praxi* exscribit. Illudque etiam inquirendum, an Græci latino ritu, aut Latini ritu græco Missas celebrent; idque prohibendum, Pius V. *in motu proprio Providentia Rom. Pont. Kal. Sept. 1566 relato per Quarantam in Sum. Bull. V. Græcorum ritus.*

Et adeo verum est, Ordinarium visitare posse subditas Ecclesias, ut neque tamquam suspectus recusari possit, juxta *Concil. Trid. sess. 7. de Re-*
84 *form. cap. 8.* & rescriptum Pauli V. ad Archiepiscopum Portugalliæ, cujus tenor est apud *Barbosam de off. & P. Ep. alleg. 73. & Pacem Jord. L. VII. Tit. 1. n. 76.*

Idemque senserat prius *Sacra Congregatio Concilii 7. Mart. 1596.* sic rescribens. .. Non posse .. Episcopum in visitatione recusari, tamquam .. suspectum, dum tamen in ea processum non .. compleat, & se intra terminos visitationis .. contineat.

Jure igitur ordinario visitat Episcopus Parochias existentes in Diœcesi; visitat ceteras Ecclesias, & Oratoria. Cum enim sint intra limites suæ Jurisdictionis ordinariæ, habet intentionem fundatam in his, *ean. omnes Basilicæ* pluresque res judicatas ex decretis Sacri Concilii adducit *Rota decis. 207. n. 1. & decis. 196. n. 2. p. 2. divers. & decis 368. n. 12. part. 4. Tomo 2. recent.* Hinc, & si fuerit sacellum erectum quidem auctoritate Episcopi, sed impensis 85
militum, qui sint de familia Legati Apostolici, Oratorium a visitatione exemptum non dicitur, *cap. sua nobis de conf. ut.* atque ita declaravit Sacram Congreg. in *Ravennaten. visitationis sub die 23. Jan. 1666. asserit Pignatt. Tomo IX. consult. 15.*

Tamquam delegatus Apostolicæ Sedis visitat Ecclesias omnes curatas Monasteriis Regularium 86
unitas, & in eis ponit Vicarios perpetuos, vel temporaneos, prout deducitur ex *Concil. Trid sess. 7. cap. 7. de refor.* & quamvis regulariter ipsi Regulares Vicarios hujusmodi ponant, ut ait *Pax Jord.* L. *VII. Tit. 1. n. 103. Tom. 2.* tamen prævium Episcopi examen requiritur prout declaravit *Sacr. Congr. Concil. apud Piasecium in praxi P. 2. cap. 3. n. 46.*

Visitat tamquam delegatus Ecclesias exemptas 87
ratione fundationis, vel dotationis, ut Sacra Congreg. respondit de quadam Lucensi Ecclesia Collegiata S. Michaelis *decl. 48. relata a Serula in praxi Episcop. part. 2. verbo exempti.*

Visitat omnes sæculares Ecclesias nullius Diœ- 88
cesis quamtumcumque exemptas, & Sedi Apostolicæ immediate subjectas, etiam si in illis Prælatus inferior habeat quasi Episcopalem jurisdictionem. Hæc enim visitatio fiet ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia proximior est exemptæ, si id constet; alioquin ab eo, qui semel in Concilio Provinciali a Præl to loci illius electus fuerit, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 9.*

Visitat Commendas, Monasteria, Abbatias, Præpositutas, in quibus non viget regularis ob- 89
servantia, *Trid. sess. 21. cap. 8. de Ref. & sess. 25. cap. 11. de Reg.*

Visitat Capitulum Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum, *Trid. sess. 6. cap. 4.* Quæ visitatio sola correctione, & morum emendatione contenta erit, prout Sacra Congregatio declaravit *apud* 90
Pac. Jord. L. VII. Tit. 2. n. 3. Convocatur enim Capitulum in loco consueto Capituli, ut Sacra Congreg. censuit *2. Febr. 1583. apud eumdem Pac. Iordan. ib. n. 6.* & interrogat Episcopus, quæ statuta, quas consuetudines habeat Capitulum, quibus præeminentiis utatur, qui status Ecclesiarum unitarum quid circa distributiones servetur, & de similibus interrogat, prout latè *Pax Iord. ubi supra.*

Visitat hospitalia, collegia, & confraternitates laicorum, dummodo sub Regum immediata protectione non sint, nam tunc visitari non possunt 91
sine

fine Regum licentia, *Trid. sess.* 22. *cap.* 8. *de ref.* Loca pia constructa in solo sacrosanctę Basilicæ Lateranensis a jurisdictione Ordinariorum eximuntur per Apostolicas concessiones, & indulta Honorii III. Bonif. IX. Callist. III. Sixti V. prout referuntur *in decis.* 43. *ex collect. post Antonellum de jur. & on. Cler.* Quod si fundator hospitalis adhuc vivat, Episcopus illud visitare non potest, nam solum visitat ad novendum, an intentioni defuncti fundatoris satisfiat, *Barbosa de off. & pot. Ep.* 3. *part. all.* 75. *n.* 3.

Visitat Moniales omnes exemptas, quoad clausuram, *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 4. *de reg.* & ingreditur libere septa Monialium, non tamen ibi examen faciet, sed in collocutorio, aut ad crates, *Ventriglia ubi supra ann.* 24. §. 1. *n.* 20. probarique potest *ex cap. periculoso de Stat. Reg. in* 6. *Clem. attendentes* §. *hoc igitur de statu Mon. in* 6. Et visitari possunt toties, quoties opus fuerit, *S. Congr. Conc. in Ferrar.* 27. *Apr.* 1604. *apud Pac. Iord.* L. *VII. Tit.* 12. Quod si subsint Papę in temporalibus, Episcopus se non ingerit, *Sacra Congr. Concil. apud Pac. Iord. ubi supra*. Quę visitatio eo spectat, ut noscatur, an Clausura munita sit, murisque prealtis septa, an laicorum eo sit nimis frequens accessus, sunt enim penæ, prout *in cap. monaster. de vita, & hon. Cler.* an Regularium, in quos imposita est pęna privationis vocis activę, & passivæ officiorum, *Sacra Congreg. Episc. & Reg. edita anno* 1590. *cujus tenorem reperias apud Pac. Iord. ubi supr. pag.* 32. *Tom.* 1. Eò etiam spectat, ut loca omnia videat, ut indaget, an servetur, quod est *in Clem.* 1. §. *sanè de statu Mon.* quæ etiam ad Moniales earcinatur, *Pax Iord. ubi supra* exequaturque Episcopus decretum *Concilii Trid sess.* 25. *de Reg. cap.* 10. Quod si Episcopus visitet Tertiarias, quæ in privatis domibus degunt, vulgo *Bizzocas*, indagabit, an servetur celebre decretum S. Congregationis Card. Episc. & R. an abstineant a velo supra caput, & a pictorali, an confiteantur Regulari approbato ab Ordinario, ut cetera omittam, quę comprehenduntur in eo decreto, cujus verba refert *Pax Iord. ubi supra pag.* 68.

Constat ergo, quænam loca visitet Episcopus Jam de modo servando a Prelato, non nihil attingemus.

91 Publicandum decretum futurę visitationis, de quo *Anton. Resta in direct. inq.* Parantur multa secum deferenda; Decreta precedentium visitationum, & acta *Pavin. de Visit.* P. 1. *q.* 5. Nec non Concilii Tridentini Codex, & Concilia Provincialia, & Synodalia, Pontificale Romanum cum indumentis Pontificalibus; notula casuum reservatorum, index librorum prohib. Secum ducat Theologum Episcopalem, Archidiaconum, sive alium Canonicum J. U. D. Concionatorem, & Confessarios, Magistrum Cęremoniarum, Magistrum domus, Notarium, sive Cancellarium, & Secretarium ad acta scribendo, Cubicularios, Parafrenarios, eosque, qui necessarii videbuntur, ut *per Gavantum in praxi visit.* §. 2. *annot.* & plenissimè *Pignatt. Tom.* 9. *consult.* 146.

[*bb*) *Ultra has personas*.

Quibusnam jus sit visitandi ultra Episcopos.

A locis visitandis, ad personas quæ visitare possunt recto ordine progrediemur.

Ordinarius quidem per se visitabit; sin autem legitimè fuerit impeditus, per alium, ut per Vicarium generalem; non tamen Ecclesias exemptas visitet per Vicarium, quia per se debet eas Episcopus visitare ex decreto Sacræ Congreg. apud *Pignatt. Tom. IX. consf.* 146. sed de visitatione Ordinarii satis ante locuti sumus. Jam propositi memores enumeremus personas alias ultra Episcopum. 92

Competit jus visitandi imprimis R. Pontifici; 93 quocirca Imperatores, ceterosque supremos Principes visitare, & corrigere potest, *cap. grandi de suppl. negligentia Pral. in* 6. *cap. fundamenta de el. in* 6. *Clem. ne Romani de Jure Patr.* Hinc obiter adnotare licet, quam protervè Theodoricus Rex miserit Apostolicę Sedis visitatorem Petrum Altinæ civitatis Episcopum, qui de criminibus Symmacho impositis cognosceret, quam historiam de visitatione fusè describit Ennodius Diaconus, in libello defensorio Symmachi, adversus ipsos calumniatores; in quos acriter invehitur, quod ausi essent visitatorem a Rege postulare Romani Pontificis, quem Deus suo, sine quęstione reservavit arbitrio. Quo circa etiam acta Palmaris Synodi testantur, hæc *gesta esse, contra religionem, contra statuta veterum, contra regulas majorum*. Quare, & Petrus Altivensis damnatus fuit in Synodo sub Symmaco, anno 502. quod judicium sibi in Romanum Pontificem arrogare præsumpsisset. 94

Secundò competit visitationis jus Em. Cardinali Papę Vicario Urbis, ejus tamen jurisdictio non extenditur extra Urbem, nisi specialiter demandetur, *cap. tua nobis de off. Vic.* 95

Tertio Em. Cardinales suorum Titulorum Ecclesias visitare valent. Sunt enim dictę Ecclesiæ quasi eorum parvę Diœceses, intra fines Episcopatus Romani *Albitius in disceptat. de jurisd. Card. n.* 45. Idque exerceri concessum fuit a *Concilio Basileens. sess.* 23. & repetitum *in Concil. Later. sub Leone X. ut patet ex sua Con*. 7. *in ord Tomo* 1. *Bullar. novi*, si que hęc visitatio, adhibito uno ex Regularibus d. titulo inservientibus, *cap. debent de Off. Iud. ord. inter extr. com.*

Quarto Patriarchis, & Archiepiscopis, hoc jus debetur, quoad Provincias subiectas, *cap.* 1. *de Cens. in* 6. Sed Concilium Tridenti. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 3. ejusmodi jus restrinxit ad solum casum, quando subesset causa visitandi, quę probaretur in Concilio Provinciali, atque adeo remanent correcta Iura antiqua, & limitata ad præfatos terminos *Pax. Iord. Tomo* 2. *L.* 7. *Tit.* 1. *n.* 26. Et hodiè; quia Concilia Provincia- 96

lia sunt infrequentia, causa a sacra Congregatione pernoscenda erit *Sacra Congreg. Ep. 1603. Cajazzo, Theano 12. Apr. 47. relata a Nicholio in Inst. Can. L. 3. Tit. 39. n. 5. pag.* 1:t.

Quintò ubi Capitulum, vel Archidiaconi, vel Decani, & alii inferiores jus habent visi-
97 randi; Capitulum debet deputare visitatorem ab Episcopo approbandum: Alii verò per se ipsos assumpto Notario visitabunt. Episcopus tamèn easdem Ecclesias visitare poterit; imo ipsi Archidiaconi, aliique inferiores visitatio
98 nis factæ intra mensem rationem Episcupo reddere obstringuntur, *Trid. sess 24. cap. 3 Cong. Car. Novarien. 20. April. 1587. apud Nicholium ubi supra n. 7.* Archidiaconus autem visitans ratione suæ dignitatis poteit abesse ultra tres mentes, *Congr. Card Palentin. 18. Jul. 1585. ad 2.* apud eumdem *Nichol.*

Sextò Capitulum, sede vacante, tunc demum
99 poteit visitare, si elapsus est annus, a die ultimę visitationis per Episcopum factę, etiam non expectato biennio, si Episcopus erat solitus visitare singulis trienniis, ita decisum *in Pampilon 3. Febr. 1629. et 10. Decembr. ejusdem anni A'din. Compend. can. Resol. L. 2. Tit. 16. n. 5.*

Septimò Abbates Generales, & ceteri Ordinum
100 Superiores Episcopis non subiecti visitandi jus habent. Sed commendatarius visitabit Monasterium sibi commendatum in iis, quæ pertinent ad curam animarum & Sacramentorum administrationem, *Senogallien. seu nullius 6. August. 1601. 23 Cisterciens. 27 Septemb. 9. apud. Nicholium ubi supra n. 8.*

(ee) Ad Relationem.

De Visitatoribus Apostolicis.

Hęc explicatio de Visitatoribus Apostolicis
101 cum iis, quæ proximè dicta sunt, conjungitur; nam pertinet ad personas, quæ visitare possunt; mereatur tamen hęc a ceteris distinctu sermone.

Proponam formulam deputandi hunc Visitatorem; ex tenore ipsius, quę sit ei facultas innotescet. Formula, quæ apud Nicholium *in Inst. can. L. 3. Tit. 30.* reperitur, hæc est:

.. Sacra &c. Si Sanctissimo &c. censuit com-
.. mitendum esse Andreæ Episcopo Venusino,
.. ut Apostolica auctoritate visitet Civitatem,
.. & Diæcesim Licien. illarumque Ecclesias, Mo-
.. nasteria, loca pia, & personas, tam laicas
.. quam Ecclesiasticas, tam seculares, quam
.. utriusque sexus regulares, etiam quomodo-
.. libet exemptas, cujuscumque Ordinis, Con-
.. gregationis, Societatis, & Instituti etiam ne-
.. cessariò exprimendi cujusvis gradus, & con-
.. ditionis existant, tam in capite, quam in
.. membris cum potestate illas puniendi, cor-
.. rigendi, & reformandi. Ad hæc Pontificalia
.. in eadem Civitate, & Diæcesi exercendi, at-
.. que eisdem personis Sacramenta administran-
.. di. Et præterea exigendi procurationem, ad
.. sacrorum Canonum, & Concilii Trident.
.. præscriptum, itemque vecturas equorum tam
.. ab Episcopo Lic. quam a Clero, & in pecu-
.. niis. Et circa ea quæcumque decreta necessa-
.. ria, et opportuna faciendi, illaque debitæ
.. executioni demandandi etiam invocato, si
.. opus fuerit, brachii sæcularis auxilio. Et
.. cum aliis facultatibus, quæ aliis Episcopis vi-
.. sitatoribus Apostolicis attribui, consueve-
.. runt. Eo tamèn adiecto, ut peractam visita-
.. tionem Sacræ Congregationi referat, actaque
.. omnia originalia probè obsignata, viaque se-
.. cura transmittat 1627. die 10. *Iun.* 264. 265.

Solet mitti Visitator Apostolicus, quando vertunt lites inter Episcopum, et Capitulum 102 1601 *Spalatro 5. Freb. 74. 75. 2. Iul. 164. 167. 6. Aug. 186. apud Nicholium L. 3. inst. can. Tit. 30. n. 27.*

Episcopus autem mandare debet executioni decreta visitationis Apostolicæ, non obstante non usu 1604 *Segni 12. Ian. 5. §. 6. apud Nicholium ib. n. 34.*

Illud singulare est in Visitatore Apostolico, ut 103 vecturas equorum, mercedes, viaticum de loco ad locum, visitatę Ecclesiæ ipsi debeant persolvere, per *Glossam in Clem. 2. de cens. Ventrigliam Tomo 2. Ann. 24. §. 2. n. 3.*

(dd) De procuratione Visitant debita.

Procurationem deberi in solatium visitantis Diæcesim, non erat olim penitus decisum. Imo Concilium Parisiense sub Ludovico, et Lothario L. 1. *cap.* 31. videtur ea uti distinctione, 104 quod si Episcopus satis ex redditibus fruatur, nihil visitans postulet: et eo spectat Textus *in can. cavendum 7. 10. q. 3.* nam ait .. Tanta ergò
.. in hac re discretio tenenda est, ut et verbi
.. Dei predicator, ubi proprii sumptus desunt,
.. a fratribus accipiat; et item fratres illius
.. potentia non graventur, exemplo Apostoli
.. Pauli; qui, ne quem gravaret, arte, et ma-
.. nibus victum quærebat.

Sed temporis progressu expresse, absoluteque decisum est, deberi Episcopis visitantibus procurationem *cap. cum ex offici de Prescr. cap cum Apostolus de cens. cap. si Episcopus de off. Ord. in 6. cap. felicis de cens. in 6. Clem 2. eod. Tit. cap. conquerente de off Ord. Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. Auth. ut Indices, § pen. coll. 2.*

Procuratio quidem nonnunquam significat censum debitum ultra casum visitationis, ut expresse constat *ex cap. quanto de cens.* sed per- 105 peram inde aliquis diversam procurationis speciem constituet, ut Granānietus *in cap. cum Apostolus hoc T. n. 5.* Nam potius hæc oblationis, aut Eulogiæ species erat, *can. Eleutherius 18. q. 2.* Neque ex nomine confundendus est titulus. Procuratio, propriè expensæ sunt visitanti debitæ. Titulus visitationis causa est, cur procuratio debeatur.

Et adeo verum est, procurationem impropriè dictam distingui ab ea, de qua tractatur, ut

pro-

procuratio impropria dicatur pensio *in cap. cum venerabilis in fine de cens* Imo hec pensio di-
106 citur in eod-m Textu *spalla*. Spalla pars feræ est apri, cervi, *Innoc. L. 3. Reg.* 13. *in epist. ad Abbatem* S. *Mariæ Rotunda* ibi .. Et quod ad .. Abbatis, et partiam instantiam sylvam ve- .. nierant Ravennates, et qui venabantur in .. ipsa, reddebant eidem singulis annis spallam .. porci.

Hæc vero procuratio titulo visitationis debi-
107 ta, in pecunia esse non potest, *cap.* 1. §. *procurationes de cens. in 6.* ibi: *in victualibus expensas tantum recipiant, quod utnam intelligatur, mox exponam.*

(ee) Si Episcopus.

DISSERTATIO IV.

Quantum debeatur Episcope nomine Procurationis.

Quantum debeatur nomine procurationis Episcopo visitanti deinceps perscrutari, oportet.

Esto in victualibus tantum expensæ procurationis debeantur, ex præcitato canone - Attamen Concilium Tridentinum optionem dat vi-
108 sitatis, *seff.* 24. *cap.* 3. solvendi eas etiam in pecunia, ut notat *Ventriglia Tom.* 2. *Ann.* 24. §. 2. *n.* 10 et declarationem Card. adducit *Pax Iord.* L. 7. *Tit.* 18. *n.* 77.

Hæc victualia Episcopo jure non debentur, dum visitationis munus explet in Civitate, locove, ubi residere tenetur, vel solet 1590. *Telesi* 16. *Ian* 162. 1595. *Alisse* 15. *Novemb.* 95 1607. *Nard.* 27 *Aug.* 74. §. 2. 1592. *Venetia* 27. *Maii* 8. *apud Nicholium in Inst. can.* L. 3. *Tit.* 30. *n.* 21. Et hoc in casu Episcopum non exigere procurationem, servatur communiter in praxi, et ex prędictis declarationibus est ad mentem Concilii *Tr' cap.* 23. *sess.* 24. *de Ref. et* Neapoli non recipiuntur procurationes ab Ecclesiis Civitatis, sed ab Ecclesiis suburbiorum, quam praxim narrat *Genvens. in Praxi cap.* 19 *per tot.*

Jure etiam non debentur, si ante annum expletum geminetur ejusdem loci visitatio. Omnes
109 visitationes, prima excepta, intra annum fieri debent sine ulla visitatorum impensa *ex declar. Card.* 1586. *Larino* 10. *Ian.* 406. *apud Nichol. ubi supra Lun.* 8. Quod tamen intelligendum si visitetur iterum absque justa causa, arbitratur *Pax Iord. L.* 7. *Tit.* 18. *n.* 66. etiam unica procuratione contentus Prælatus esse debet quolibet die; Ita ut si unico die plura loca visitet, a singulis locis exigere procurationem non debeat, *cap. procurationes de cens. cap. felicis de panis in 6. Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 3. ibi: *pro temporis tantum necessitate, et non ultra*, prout hos Textus accipit *Pax Iord.* L. 7. *Tit.* 18. *n.* 76. Nec proinde exigit ab Ecclesiis unitis, et commendis Relligionis Hierosolimit. Pius V. *const.* 136. *exposcit.*

Nec similiter debita est procuratio, si Episcopus visitet hospitalia, loca leprosorum, domorum Dei, pauperum, et infirmorum, ut Sacra Congregatio respondit, teste *Præfecto in prax. p.* 2. *cap.* 3. *n. ult.*

Itemque procuratio cessat, dum visitantur Ecclesiæ pauperes, *cap. cum instantia de cens. cap. procurationes ib.* Quo casu ad summum viciniores Ecclesiæ ad supplendum poterunt compelli, ex *prædictis Textibus*. Quod si neque vicinæ Ecclesiæ opem ferre queant, sumptibus propriis visitabit Episcopus, *can. placuit* 2 *q.* 2. Nam neque Iudex exigit sportulas a pauperibus, *Auth. de mand.* §. *si tibi coll.* 2.

Nec non abstinebit a procuratione exigenda Episcopus, dum Oratorium privatum visitat. Oratoria ab Episcopis visitari possunt, *cap.* 3. *de rell. dom.* Sed quia non habent titulum Beneficii, nec Beneficia annexa, nec proventus, a procuratione ipso jure eximuntur, expresso *Textu in cap. auctoritate* 27. *de cens.* prout accipitur hic Textus a *Nicholio can. Inst. L.* 3. *Tit.* 38. *lim* 7. Qua ratione neque ab Ecclesiis Monialium procuratio est exigenda, ut sacra Congregatio censuit *die* 31. *Nov.* 1639. *apud eumdem Nich. ubi supra lim.* 13.

Contrariorum eadem est disciplina. Ergò ab aliis locis exiget procurationem, nisi sint privilegiata; et hac forma, et moderatione exiget.

Nam procuratio consistit in victualibus pro se, suisque, & jumentis. Nil ultra pręterea exi- 110
gendum, *cap.* 1. §. *procurationes de cens. in* 6. *Extrau. vas electionis* §. *volumus eod. Tit. Trid. sess.* 24. *cap.* 3. Sacra etiam Congregatio pluries ita respondit *apud Gavantum verbo visitatio.* Audi nunc illationes.

Ergò strenas recipere illicitum est, portionesque panis, et vini, et quæ solum interessentibus officiis debentur. Hæc enim Episcopus, 111
dum visitat, a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ exigere non potest, ut declaravit Sacra Congregatio super *Episc.* 2. *Iul.* 1602. *et* 28. *Febr.* 1614. *apud Pignattellum Tomo* 9. *cons.* 144. Et quoad strenam, eam quoque non deberi, censuit Sacra Congregatio in *Castellanen.* 2. *Aug.* 1581. *et in Policastrensi* 13. *Nov.* 1653. *et in Sycienst* 20. *Oct.* 160. *apud eumdem Pignatt. ubi supra n.* 5. *et* 6. Locus hic postular, ut de strenis aliquid proferamus. Strenarum mentio est *in can legant. dist.* 27 *in can. non observetis* 26. *q ult.* Strenæ ob antiquissima ori- 112
gine fuerunt, Symmachus L. 10 *epist.* 20. ibi .. Calendas anni auspices, quibus mensium recursus .. aperitur, impertiendis strenis dicavit antiqui- .. tas. Strenam non a Strenua Dea, de qua D. *August. L.* 7. *de Civit. Dei cap.* 11. *et* 16. sed aliunde deducit Festus, *Strenam*, ait, *vocamus, quæ datur die relligioso, ominis boni gratia, a numero, quo significatur, alterum tertiumque venturum similis commodi.* Dies dictus huic lucro erat Chalendarum Ianuariarum, de quibus *Tertullianus in lib. de Idol.* Veteræ

Chris-

Christianis fuerunt strenę, quia boni fati augurium continebant. Quocirca Sueton. in Augusto *cap. 57. Item Kalendis Januariis strenam in Capitolio etiam absenti. Idem in Caligula cap 42. edixit, & strenas ineunte anno se recepturum*. Consistebant strenæ in munusculis stipis, *Ovid. in 1. Fastor.*

Tu tamen auspicium si sit stipis utile quaeris

Palmę, Caryca, Mellis, Cariotæ *Ovidius*

Quod vult Palma sibi, rugosaque Carica dixi
Et data sub niveo condita mella cado

Stipi verò successit aurum, *Ovid. ib.*

Æra dabāt olim, melius nunc omen in auro est
Victaque concessit prisca moneta nova.

Quia verò nescio quid superstitionis strenę redolebant, ex luco namque Strenuæ Deæ ramus decerptus strena esse cępit, Festus *Epist*, 28. ibi: Ab exortu pene Urbis Martiæ strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis; qui verbenas felicis arboris, ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit; ob hanc, reor, causam in Jure Canonico strenas esse prohibitas.

Infertur præterea visitanti Episcopo pro me-
113 dicamentis, si corripiatur ęgritudine nihil deberi, ut *ex cap. si Episcopus de cens. in 6. infert Geminianus.*

Infertur etiam propter labores ministrorum, Scribæ, Auditoris, et similium quidquam non esse exigendum, ut Sacra Congregatio censuit relata a *Pac. Jord. L. 7. Tit. 18. n. 87.*

Infertur panes, volatilia, & fragmenta mensæ, inde non posse asportari; sed ad summum ea poterit Episcopus pauperibus distribuere, *Clem. 2. de cens. prout eum Textum accipit Ventriglia Tom. 2. annot. 24. §. 2. annot. 24. §. 2. n. 11.*

Ad quam verò summam taxari debeat impensa victualium, aut pecuniæ, cujus solvendæ optio
114 est, penes visitatum, definitur *in Extravag vas electionis de Cens.* quæ pro singulis Regnis, & Provinciis Orbis Christiani taxam specificam expressit, ad quam studiosum Juris remittimus.

(ff) Vicarius.

Quantum debeatur Vicario visitanti.

Quando contigerit, Vicarium generalem visitandi munus adimplere, non poterit exigere integram procurationem dari solitam Ordinario
115 visitanti, sed tantum dimidiam, ac minus etiam dimidia, nec residuum ad Episcopum pertinet, sed cedit in beneficium visitatorum, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio 1641. *Catanzaro, 16. Aug. §. 1. 1642. 1. Aug. 30. §. 5. 16. 52. Napoli Catanzaro 14 Jun. 3. Octobr. Bisignano 23. Augusti 22. ex cap. si Episcopus 6 de off. Ord: in 6. et ex Textu in extrav. vas electionis de cens. notat Nicholius in Inst. can. L. 3. Tit. 39. lim. 9.*

Episcopus verò tenetur providere visitantem Vicarium rebus necessariis, equis nimirum famulis, vestibus, & si qua re alia hic subrogatus indigeat, *cap. inter cetera de off. Ord.* prout ad hoc citatur hic Textus, *a Pac Jord. L 7. Tit. 18. n. 15*

(gg) Panis.

De panis exigentium immoderatam procurationem.

Qui aliquod munus, quodcumque sit, & 116
qualitercumque offeratur presumpserit propter visitationem recipere, procuratione minime contentus *maledictionem incurrat*, ait Textus *in cap. Romana §. procurationes de censib. in 6.* At quid genus hoc pęnæ est, maledictio? Maledictionis pęna similiter imponitur in *cap. 1. de sepult in 6. in cap. 1. §. fin. de statu Monach. in 6. in cap. 5. sess. 25. Concil. Trid.* Non hæc quidem censura est; sed pæna æterna quæ debetur ei peccato: & ubi a Pontifice imponitur, non solum hæc pæna maledictionem Divinam sonat; sed etiam Pontificiam, quę parit effectum damni temporalis, & ejus effectus exaggerantur a Gratiano *in can. sed quo 24. q. 3.* Sic enim maledixit Apostolus Petrus Simoni: *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Alia pæna est, ut intra mensem a die receptionis, vel scientiæ duplum accepti restituatur, 118
cap. Romana cap. exigi 2. de cens. in 6 Quod immutatum est *in extrav. un. de cens.* & duorum mensium intervallum permittitur.

Nisi duplum reddatur, Episcopi sunt inter-
dicti ab ingressu Ecclesiæ, *d. cap. exigi*. infe- 119
riores suspensi totaliter, quod confirmat Trident. *sess. 42. cap. 2. de Ref.* Nisi quod vult infra mensem restitui recediteque in eo *ab extrav un. de cens.* quod cum non observasset *Suarez da cens. disp. 37. sect. 1.* asservit, hodie terminum restituendi esse duos menses, quod falsum est.



DE CAPELLIS MONACHORUM.

TITULUS. XXIV.



INstitutionum Scriptores hanc investigationem de Capellis Monachorum paucis absolvunt. Postquam docuerunt, Capellas [*a*] in Jure nil esse aliud, quàm Parochias, & Prioratus Monasteriis subjectos; non Monachos, sed Presbyteros sęculares animarum curæ esse præficiendos, approbatione Episcopi præcedente; his contenti sunt. Ego brevitatem hanc probare non possum, quæ densas menti tenebras offundit. Cum fieri potest, rudimenta Juris sine prolixitate proponenda sunt, accisis, rejectisque superfluis. At habet hic tractatus latiorem campum; per hunc te ducam studiose Juris, fructusque poteris uberrimos percipere.

Capellæ aut ad Monachos pleno (*b*) jure pertinent; & his ad curam animarum Regulares [*c*) hodierno Jure poterunt deputari, aut non pertinent ad eos pleno jure, tunc autem sæcularis Clericus Curati officium implebit; prout Pirrhingus *ad hunc Tit* distinguit. Cum vero præficitur Parochiæ, vel Prioratui Regularis, [*d*] socium ejusdem ordinis habeat, probeturque ab Ordinario; quę tamen probatio necessaria nois est, si Capella plenissimo jure ad Monasterium pertinet, ex eodem Pyrthingo canones ad id spectantes in hunc modum interpetrante. Et quamquam regula sit, (*e*) Monachis, curam animarum non esse committendam, *cap.* 2. *de stat. Mon.* tamen id referendum est ad Monachos [*f*) non habentes populum, sed exeuntes temerario ausu de Monasterio, ut curæ animarum præficiantur; atque insuper id eum sensum habet, ut obedientiarius, [*g*] non ita instituatur ad curam, ut ad nutum Superioris removeri possit, *cap.* 1. *de Capell. Mon. in* 6. Addo, excipi semper indultum [*h*) Apostolicum. Hinc Pius V. *const* 34. *exponi* pro Religiosis in Indiis laborantibus, facultatem his elargitur Parochialia exercendi; idque etiam supponit Concilium [*i*) Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 11. *de Reg.* ut omittam consuetudinem, qua potest introduci, ut Monachus Capellæ præsit, notat *Fagnanus* (*l*) *in cap.* 1. *de Cap. Mon. n.* 11

Videamus post hæc quid juris Episcopi, & Monachi potiantur in hisce Capellis. Capella, aut a Monachis erecta est impensis propriis, aut Episcopi munificentia, aut laicorum liberalitate. Si Monachorum impensis (*m*) erecta fuerit, habent ipsi omnia temporalia; habet Episcopus

pus omnia spiritualia. Si quod Capellam habeant Monachi, id munificentiæ [*n*] Episcopi accepto ferendum est; Episcopus donasse videbitur quicquid spirituali jure percipiebat, tertiam nimirum, quartamque ex viventium, defunctorumque oblationibus, cathedratico excepto; eam verò donationem Capituli consensus perficiet. Si tandèm ex donatione lajcorum (*o*) erecta noscatur Capella, Jus Patronatus, & siquid aliud ad eos pertinebat, sibi vindicabunt Regulares.

Postremo licet Monasterium exemptum sit ab Ordinarii jurisdictione; attamen hoc privilegio Capellæ ei subiectæ [*p*) perfrui, non conceduntur.

SUMMARIUM.

1 *HÆC rubrica intelligitur de Capellis curatis.*
2 *Capella differt a Capellania.*
3 *Capella est qualibet Eccl sia curata per se stans.*
4 *Capellania est Sacellum intra aliam Ecclesiam.*
5 *Grangia quid sint.*
6 *Capella significat etiam Prioratum, qui Monasterio subsit.*
7 *Quanam sint Capella pleno jure Monasteriis subiecta.*
8 *Pleno jere subiecta dicuntur, cum subiecta sunt, & in temporalibus, & in spiritualibus.*
9 *Regulares possunt esse Parochi in Ecclesiis pleno jure sibi subiectis.*
10 *Exponitur Textus in cap. 1. de Capell. Mon.*
11 *Quandonam pleno jure Capella sit Monasterio subiecta.*
12 *Quandonam jure plenissimo.*
13 *Quando pleno jure Capella subiecta est Monasterio, an Episcopo jus sit in ea.*
14 *Quid Prioratus sit, explicatur antiquitatis notitia.*
15 *Solus in Capellis non sit Monachus.*
16 *Innocentii X. decretum.*
18 *Examinatur controversia, an Parochia Regularibus tribui possit.*
19 *Prohibitio, ne Monachi sint Parochi, intelligitur de Monasterio non habente populum.*
20 *Item prohibitio intelligitur, quando Monachus sit Parochus amovibiliter.*
21 *Si Collegiata Regularis habet Parochiam titulo unionis, Vicarius perpetuus ibi constituitur.*
21 *Cum Monachus instituitur ab Episcopo alteratur vis obedientia.*
22 *Prioratus conventuales perpetui sunt.*
23 *Indulto Apostolico Parochia tribui potest Regulari.*
24 *Idque etiam supponit Concilium Trid.*
25 *An consuetudine introduci possit, ut Parochus sit Monachus.*
26 *Interpetratio Textus in* cap. un de cap. Mon. in 6.
27 *Quid Juris cum Capella Monachorum fuerit erecta impensis Episcopi.*
28 *Quid iuris, si ab Episcopo fuerit Monachis donata.*
29 *Ad hanc donationem Capituli consensus prærequiritur.*
30 *Quid juris si Capella fuerit a laicis donata.*
31 *Consensus Episcopi ad talem donationem non requiritur.*
32 *Capella Monasterii exempti subiiciuntur Episcopo.*

EXPLICATIONES.

(*a*) *Capellas.*

Capellas Monachorum esse Parochias Monasteriis subiectas, & Prioratus.

NON agitur sub hac rubrica de Capellis
Monachorum quibuscumque; sed de Ca-
1 pellis curatis. Quasi divinarem, erit
aliquis emunctæ naris, qui nil nisi sincerum
ex fontibus purissimis latinitatis haurire solitus
nomen *capella* abhorrebit, vel cum molestia
excipiet. Memini, in hoc eodem libro quærenti
originem hujusce nominis cumulate, nisfallor,
me satisfecisse, qua super re nil ulterius addam. 2
Hoc dico, Capellas, a Capellanis differre. Quod
Capella dici possit qualibet Ecclesia Parochia- 3
lis, *Clem.* 1. *de excess. Pral. & per hunc Textum Petrus Greg. in Synt.* L. 15. *cap.* 29. *n.* 2.
At Capellania non per se stat, sed intra aliam 4
Ecclesiam cernitur constructa, atque fundata

quam

quam Sacellum, Ædiculam, Oratorium vocamus, & Monachos non tam Capellas, quam Capellanias habere, constat, nempe Oratoria. Et de Oratoriis in *grangiis*, idest in villa, aut in prædiis
5 constructis, est Textus *in cap. auctoritate de cens.* atque hoc significare *grangias*, docet *Gonzal. in cap. ult. de cens.* Quod verò etiam pro Prioratu, qui subsit Monasterio, Capella accipiatur, docet *Zoesius ad hunc Titulum ex*
6 *Textu in cap. 1. & 3. de Cap. Mon.*

(b Pleno jure.

Quomodo pleno jure Capella ad Monachos pertinere, noscantur.

Rem paucis exponam. Pleno jure dicuntur Ecclesiæ ad Monachos pertinere, quando Monachis subiiciuntur, non tantum quoad spiritualia,
7 verum etiam quoad temporalia. Exemplo pleni arbitrii, pleni compromissi, pleni dominii, quibus scilicet nihil deest, *L. fidei commissa 10. §. quamquam ff. de Leg. 3. L. quod tamen 21. §. Papinianus ff. de recept. arb. L. 4. ff. de alim. Leg. L. qui usumfructum 36. §. 1. ff. usufr.* Exemplo servi, qui pleno jure testatoris dicitur, quando proprietas, & usus ad eum pertinet, *L. suos ff. de Leg. 3. L. mater C. ad S. C. Treb.* Cum igitur Capellæ Monachis subiiciuntur pleno jure, Episcopus jus non habet inde percipiendi, nec quæ temporalia sunt, ut synodale, nec exer-
8 cendi jurisdictionem in spiritualibus, puta excomunicandi; en Textum *in cap. quoniam de privil.* ibi: Quod Nepesinus Episcopus Episcopale jus percipit in Ecclesia b. Blasii de Flano, ac per hoc eadem Ecclesia non pertinet ad Monasterium pleno jure; videatur *Layman in Quæst. Can. q. 209.*

[c] Regulares.

Regulares possunt esse Parochi in Capellis pleno jure sibi subiectis.

Hanc sententiam docet Pyrringhus ad hunc Titulum. Hanc & nos amplectimur. In Capellis pleno jure Monachis subiectis potest Regularis curæ præfici, neque id a jure alienum est.
9 Probatur I. *ex can. doctos 16. q. 1.* ibi: doctos, ac probos Monachos Presbyterii honore dedicatos, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, delicta miseris laxare, decimarum portione, & c. perfrui debere, moderata dispensatione commendamus.

Probatur II. *ex can. in Parochia 16. q. 1.* ibi: In Parochia tua Basilica S. Laurentii, quæ in possessione filii, & consiliarii nostri viri magnifici Theodori fundata est, officium Presbyteris deesse cognovimus. Et quia præfatus filius noster nobis retulit, se invenisse Ruffinum quemdam Monachum, olim sibi vita, religione, & moribus comprobatum, & hunc, postulat, ibi Presbyterum consecrari &c.

Nec obstat Textus in *cap. in Ecclesiis 1. de Capell. Monach.* ibi: *in Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur.* 10

Respondetur verbis *Glossæ ibid.* verbo *Monachorum* ibi: *Quod hic dicitur, intellige de Monacho claustrali, qui non est a populo electus, nec ab Episcopo institutus.* Quare non attingit hic Textus casum, in quo pleno jure Capella sit annexa Monasterio. Et cognoscitur, an pleno jure sit annexa, quando non calix, non vestimenta ab alio ministrantur, quàm a Monasterio, *cap. 1. cap. 3. de Eccl. ædific. ut notat Layman in Quæstion. Can. q. 209.* ubi alia adducit indicia.

Noteturque, quod docet Passerinus *in cap. 1. de Capell. Mon. in 6.* pleno jure annexam fuisse Ecclesiam, Capellamve Monasterio, quando fuit simul cum connexione exemptum ab Ordinarii jurisdictione territorium, & populus; tunc 11 enim privativè ad Episcopum Abbas Monasterii curam confert animarum.

Sed ne quidquam ambiguum inde reddatur; in eundem fermè sensum, sed clarius, quomodo id intelligatur, explicat *Layman Quæst. 206. in Quæst. Can.* Nam plenò jure duplici modo potest esse annexa Capella Monasterio, aut solum pleno jure, aut plenissimo jure. Differen- 12 tia est, Quia si plenissimo jure contigerit isthæc annexio, Abbas habet jurisdictionem quasi Episcopalem, idque evenit, si territorium, & populus fuerit exemptus. Hactenus *Layman.*

Vides ergò, indistinctè oppositum Textum non procedere.

Quemadmodum nec indistincte procedit id, quod de approbatione Episcopi Canones statuunt.

Nam distinguitur hoc modo. Vel enim pleno jure Parochia Monasterio subest, tunc authoritas Episcopi necessaria non est, sed satis est licentia Prælati Regularis, quo in casu Episcopo tan- 13 tum examinatio, & visitatio competit, *Trid. de Ref. sess. 7. cap. 7. & 8 sess. 24. cap. 3. & 18.*

Si verò Beneficium Monasterio non subest, tunc præter Abbatis assensum authoritas Episcopi desideratur, probat Granantetus *in cap. quod Dei de statu Mon. n. 3.*

(d] Prioratui.

Vel Parochia, vel Prioratui, Regularis cum præficitur, solum hunc esse Canones vetant.

Dixi in Titulo, Cappellas accipi pro Parochia, vel Prioratu Monasterio subiectis. Nihil 14 in explicationibus actenus adduxi de Prioratu. Accipe quædam adnotatione dignissima.

Prioratus in jure nostro cellam significat Monachi extra Monasterium, ubi pauci Monachi, a reliquis separati, in una domo vitam agunt strictiori, severiorique disciplina. Earum mentio *in cap. cum singula de Praben. in 6. in Clem. 1. de suppl. neg. Clem. ne in agro §. sane hoc T.* Nam qui Præpositi officio in Monasteriis fungebatur, serius Prior est appellatus, nempè posterioribus sæculis ex more, & consuetudine quadam;

dam; undè apud Cassinens. cap. 65. legitur: *Praepositus Monasterii secundum morem nostrum Prior claustralis vocatur*. Nam Prior s nomen superiorem significat etiam secundum Jus Civile *Novella* 112 *Just.*

Sed quia in his obedientiis, & Prioratibus, unus ex Monachis praeponebatur rerum administrationi, cautè id prohibitum fuit *in cap. Monachi de statu Mon.* Sex cohabitare debebant juxta Concilium Aquisgranense *can.* 44. ibi: .. Ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus .. aut Monachi sint, aut Canonici; & Abbas .. provideat, ne minus de Monachis ibi habi- .. tare permittat, quàm sex. Quam Ecclesiae disciplinam respiciens D. Bernardus *epist.* 254. commendat Abbatem Guarinum eo quod synagogas satanę, idest cellulas extra Coenobium, in quibus tres vel quatuor Fratres habitabant, destruerer.

Jam ut regulam constituam; sive de Capellis, sive de Prioratibus agatur, quotiescumque his Regularis praeficitur, solus non sit, sed cum

15 aliquibus fratribus maneat. Genus est temeritatis inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectare, Salomone dicente: vae soli, quia si ceciderit, non est, qui sublevet eum, eleganter Seneca *epistola* 25. *omnia mala nobis solitudo persuadet*.

Ergò ad minus duo commorabuntur Regulares, ut per Textum *in cap. Monachi de statu Monach. firmat Hostiensis in summa §. in quibus Tit. de Capell Mon.* Qui docet insuper, quod si duo Regulares sustentari non possint, Clericus saecularis est praeficiendus Capellae, *argum. Textus in cap. fin. de Cap. Mon. Clement. ne in agro § hac de statu Mon.*

Et propterea ad praescriptam sacrorum canonum Innoc. X. *id. Oct. anno* 1652. *in Bulla instauranda* suppressit multos parvos conventus existentes intra fines Italiae, & Insularum adia-

16 centium, in quibus ob exiguum numerum Religiosorum, Regularis disciplina servari non poterat, prout refert *Nicholius in Flosculis, verbo Conventus n.* 10.

(e) Regula.

DISSERTATIO UNICA.

An Canonicis Regularibus Parochia tribui possit.

Dicimus in contextu, regulam esse, Mona-

17 chis curam animarum non esse committendam; sed ut praesens controversia facilè percipi valeat, Jus vetus, & novum ante oculos constituere, operae pretium me facturum esse, existimo.

Celeberrimus est Textus *in cap. quod Dei de statu Monachorum*, ubi inter alia, sic disponitur: .. Licet autem in Lateranensi Concilio de Mo- .. nachis caveatur, ne singuli per villas, & op- .. pida, seu per quascumque Parochiales po- .. nantur Eccl sias, sed in majori conventu, .. aut cum aliquibus fratribus maneant, ne so- .. li inter saeculares homines spiritualium hos- .. tium conflictum expectent, Salomone dicen- .. te, vae soli, quia si ceciderit, non est, qui .. sublevet eum: quia tamen istud de Canoni- .. nicis Regularibus specialiter non cavetur, qui .. etsi a Sanctorum Monachorum consortio non .. putentur sejuncti, regulae tamen inserviunt .. laxiori, & per antiquos Canones Monachi pos- .. sunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen .. in Presbyteros ordinari, & infra: sic annuen- .. dum, duximus, postulatis, ut exercens Ple- .. bani officium, si commodè fieri poterit unum .. Canonicum Regularem tecum habeas ad cau- .. telam. Summa verborum hujusmodi haec est: .. Canonici Regulares regulę laxiori inservien- .. tes possunt fieri Parochi, dummodò alium .. Canonicum Regularem socium habeant.

Ad cujus Juris intelligentiam haec notanda sunt.

I. Superioris licentiam requiri, ut Canonicus Regularis possit esse Parochus, *Gonzal. ad hunc Text. n.* 5.

II. Hunc Textum intelligi de Parochia saeculari *Gonz. ibid. in p.* quae & Plebania interdum esse potest, *Granantetus ad hunc Textum n.* 2. ut patet etiam ex *can. cum pro utilitate* 16. *q.* 1. Nam si Ecclesia Parochialis esset Monachalis citra controversiam videtur, praefici posse Monachum, exemplo Ecclesiae Florensis, quae subest Ecclesiae Jemblacensi, & ideo Monachus Parochus constituitur, ut narratur *in cap. sicut* 33. *de Simon.* nisi placeat uti interpretatione Panormitani *in cap. in Ecclesiis de Capellis Mon. n.* 5. quod procedat Textus *in cap. sicut de Simon.* secundum recentiora Jura. Nam secundum Jura antiqua Regularis praefici non poterat. Tum laxari habenę caeperunt, & permitti Regulares animarum curae, quando Clerici saeculares non reperiebantur, *can. priscis dist.* 50 *Rebuffus in tractatu congrua port. n.* 1. clarè idipsum apparet *in cap. cum singula de Preb. in* 6.

Alter Textus, quem adducere ad rem pertinet, est Concili Tridentini *in sess.* 14 *cap.* 11 *de Reform.* ibi: ac taliter translatus etiam si Ca- .. nonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia .. saecularia etiam curata, omninò incapax .. existat.

Summa hujus Textus est: *Canonicum Regularem ad Prioratum, idest Beneficium curatum non admitti*.

Ecce Jus novum repugnans Juri antiquo; Jus antiquum non excludebat Regularem a cura, Tridentinum videtur excludere.

Verum cum Tridentini innovatio, loquatur de Canonico translato ad aliam Religionem; complures existunt, qui sensum contrarium expendunt, inferuntque, Canonicum non translatum Jure novo capacem esse Beneficii curati.

Alii constanter negant. Haec negantium, affirmantiumque altercatio praesens controversia est; utrum videlicet novo Jure Canonicus Regularis Beneficii curati sit capax?

Sit nostra Conclusio, Jure novo Canonicum

Regu-

Regularem capacem non esse curati Beneficii.

Probatur I. hæc assertio. Quia Gregorius XIII. prout refertur in Regestis S. Congregationis Concilii, id vetuit, nam ut est apud *Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 7. n. 53.* tenor declarationis Cardinalium hic est in hac ambiguitate: „ S. D. N. Gregorius XIII. noluit libere Canonicis Regularibus Congreg. Lateran. etiam de „ licentia sui Generalis, absque permissu S. Pon„ tificis assumere curam animarum, etiam ad „ tempus, multoque minus beneficium Curatum „ ad tempus. Quod decretum Clemens VIII. mandavit inviolabiliter observari, non obstante, quod id fortasse per sacros canones permitteretur Canonicis Regularibus, præterquam translatis, ut censuit Sacra Congregatio, quàm Pignatellus quoque refert in *Consf.* 44. *Vol.* 1. & solum permissu Pontificis accedente, Canonicos Regulares jam non excludi, Sacra Congregatio constituit *die* 24. *Aug.* 1628. *& sub die* 17. *Nov.* 1629. apud eumdem *Pignattell. consf.* 44. *n.* 25. Et quamquam *in addit. consilii* 11. *Navarri de statu Mon.* ita scriptum fit: *advertendum, referri a tempore Gregorii XIII. & citra observari, ut Canonicis Regularibus dentur Beneficia curata sæcularia.* Attamen ea dictio *non* mendo a censetur, a Gargia *de Benef. cap.* 10. *P.* 7. *n.* 33. eamque expungendam esse arbitratur.

Probatur II. ex alia declaratione Cardinalium apud eumdem Gargiam *ubi supra n.* 31. his verbis: „ Regulares sunt incapaces Beneficii simplicis, „ etiam si essent Canonici Regulares; non au„ tem Beneficii curati, juxta dispositionem *cap.* „ *quod Dei timorem de statu Mon.* licet non ho„ diè, cum obstet Concilium Lateranense ad „ concordata.

Probatur III. quia in Synodo Archiepiscopatus Tarantasii sancitum est, quod Canonici Regulares sint incapaces sæcularium Parochiarium, prout narrat *Ansel. Germon. in actis Tarant. Eccl. L.* 2. *cap.* 2. *de statu Mon.*

Probatur IV. quia præsens Textus Concilii Tridentini est additio ad *canonem* 27. *Concilii Agathensis*, prout notat Gallemart *ad Concil Trid. ibid. in margine.* Cum ergo Concilium Agathense prohibuerit jampridem ad aliud Monasterium Canonicum Regularem commigrantem in Parœciis ordinari, sed potius restitui pristino Monasterio, si ab eo sine consensu Abbatis recesserit, ut patet ex eodem canone, cujus pars est in *can. Monachi vagantes* 16. *q.* 1. restituendo tamen literam, nam ubi ait: *præsumat Episcopus* in ipso Concilio legitur: *& non aliter præsumat Episcopus.* Equidem dum Concilium Tridentinum *ad Beneficia sæcularia omninò incapaces reddit Canonicos Regulares*; innovatio, seu additio supra Concilium Agathense hæc erit, ut Canonici, seu Monachi latiori regulæ inservientes redditi sint incapaces Parochiæ sæcularis.

Hæc sunt, quæ mihi persuadent, novo Jure Canonicos Regulares a curatis Beneficiis excludi; tametsi non inficior, item hanc validis oppositionibus controversam, perplexamque reddi, cujusmodi est declaratio quam adducit Gonzales *in cap. quod Dei timorem in comm. de statu Mon.* Nam anno 1602. his verbis censuit: Con„ gregatio Concilii censuit, decretis ejusdem „ Concilii Canonicum Regularem non prohibe„ ri obtinere Beneficia curata sæcularia, nisi fue„ rit ex his translatis, de quibus habetur in „ decreto *cap.* 11. *sess.* 14. Et propterea Concilium de translatis intelligi, censent complures.

Ego pro responsione dicendum, censeo, præponderare huic declarationi Gregorii XIII. & Clem. VIII. decretum in primo argumento adductum. Præterea ignoramus quænam circumstantiæ concurrerint, quibus Sacra Congregatio rectè perpensis, in eum modum censuerit.

Neque adversatur altera Concilii Constitutio *in sess.* 25. *cap. XI. ibi: Persona tam regulares, quàm sæculares hujusmodi curam exercentes,* ergò curæ animarum Regularis ex ipso Tridentino præfici valet.

Resp. hunc Textum esse extra casum nostræ controversiæ. Textus oppositus loquitur de Parochialibus unitis Monasteriis; Nos de Parochia quavis sæculari disputamus.

(*f*) *Ad Monachos.*

Quandonam Monachus possit esse Parochus.

Eugenius *in can. placuit* 2. *Textu* 16. *q.* 1. prohibet quidem, per Monachos curam animarum exerceri; id tamen referendum est ad Mo- 19 nachos non habentes populum, sed exeuntes temerario ausu è Monasterio idque satis apertè illius Textus litera insinuat. Quam interpretationem auctoritati innixam sequitur *Rota in una Ulixbonen. juris confirmandi* 13. *Jun.* 1607. *coram Lancellotto qua est decis.* 204. *P.* 2 *recent.* Etenim nihil est quin Monacho cura animarum committi possit, neque inde reputetur inter eos quibus dictum est; *decete omnes gentes*, dummodo se, non suo proprio nomine, sed Superioris accedente permissu, *ita Lottherius de re benef. L.* 1. *q.* 33. *n.* 82.

(*g*) *Obedientiarius.*

Rursus, quandonam Monachus præfici possit curæ animarum.

De Jure Monasterio non est prohibitum habere curam animarum, vel quia Monasterium habeat populum, ut dicitur *in cap.* 1. *de Capell. Mon.* vel quia Parochia fuit eidem unita, vel de mensa ejusdem Monasterii, *Clem. un.* §. *quidam etiam de excess. Prel.* sed tantum prohibitum est, ne obedientiarius, in ipsa cura instituatur, qui possit ad nutum Superioris removeri; quare solum canones improbant amovibilitatem, ne vi- 20 deatur solubile matrimonium inter Ecclesiam, & Parochum contractum, ut Lottherius interpretatur *canones loco supra citato n.* 85. *Textum nempe in cap.* 1. *de Capell. Mon.* & *Textum in*

cap. un. eod. T. in 6.

Jam vero explicandum est, quo pacto inamovibilis fit Monachus a cura, cui præficitur.

Sciendum ergò, nonnunquam ex prescripto legis adverte in fundatione curam esse debere penes Monachum amovibiliter, & ad nutum; tunc autèm pactum servandum est, quia non est contra substantiam actus; et principalis hujus Parochiæ est Abbas, qui perpetuus est, Monachus verò est subrogatus, *Romanus Conf. 325. n. 3. citatus a Lottberio ubi supra n. 90.*

Quidquid sit de Collegiata Regularium, quę habeat Parochiam titulo simplicis unionis, quo
21 solo casu Vicarius perpetuus ibi constituitur, *Textus in cap. extirpanda §. qui verò de Præb.* quem ità explicat *Lottberius ibid.*

Nonnumquàm juxta dispositionem *cap. 1. & un. hoc T. & in 6.* absque illo pacto Monasterium habens Parochiam, eum Monachum præsentat Episcopo, ut pro Monasterio curam gerat animarum, qui *Vicarius* nominatur (supponimus autem compere hoc jus regendi Parochiam ex jure aliquo singulari) Tunc verò inamovibilis est Monachus propter Episcopi institutionem; alteratur enim vis obedientiæ. Quippe institutio est duplex, collativa, & autorizabilis: collativa spectat ad superiorem Regularem: auctorizabilis ad Episcopum. Subiectum
21 primę institutionis est Beneficium, ut bene declarat idem *Lottberius ubi supra n. 99.* videlicet ipsa provisio Beneficii. Et licet quando Monasterium pleno jure habet Parochiam utraque institutio juris sit Abbatis; attamen vice Episcopi institutionem auctorizabilem adimplet, ut idem *Lottberius habet*, quem sæpe citamus; quia in re beneficiaria summus est, atque perfectus, & hanc distinctionem non expendens Gratianietus sibi contraria loquutur in commentario *ad cap. 1. de Capellis Mon.*

Item et Prioratus Conventuales perpetui sunt,
22 *Clement. 1. §. ceterum, & §. sane de statu Monach. & ibi Vitalis n. 10.*

[h) *Indultum.*

Indulto Apostolico Parochia Regulari conceditur.

Indultum Apostolicum non semel hanc Mo-
23 nachis facultatem impertivit.

Imò Sacra Congregatio Cardinalium *die 23. Novembr.* 1630 benigne concessit facultatem Episcopo Augustano Provinciæ Tarantasiensis deputandi, durante peste, in dicta Parochia Fr. Andream, usque quo reperiretur, idoneus Sacerdos Regularis, ut refert *Nicholius in Inst. Can. L. 3. Tit. 20. n. 8.*

Et Abbates Montis Casini curam per Monachum exercent, ex indulto Apostolico. Quocirca Sacra Congregatio die 6 Maii anno 1634. pro Abbate Montis Casini declaravit jurisdictionem contra Regulares exemptos curam animarum exercentes *in cap. 11. sess. 25. de Reg.* concessam Episcopis, illis cumulative competere, non autèm privativè, quoad Superiores Regulares, refertur a *Nicholio ubi supra n. 5.* ubi plures alias ejusdem tenoris declarationes Em. Cardinalium adducit, itemque quod in nostro Titulo diximus *de Pio V. n. 9. ib. pag. 105.*

(i] *Tridentinum.*

Supponit Concilium Tridentinum Parochiæ Monachos esse capaces.

Non ex sensu nostro locuti sumus, asserentes, Concilium supponere capaces Parochię esse Monachos; sed ad mentem Fagnani, qui in *cap. in Ecclesiis de Capell. Monach.* id colligit 24
ex verbis Concilii, dum ait; *ut in Monasteriis, seu domibus (& infra) quibus imminet animarum cura*; ergò Concilium ait, id esse possibile.

(l] *Fagnanus.*

An consuetudine introduci possit, ut Parochus sit Monachus.

Petrus de Ancharano *in d. cap. in Ecclesiis n. 2* refert, se vidisse observari Venetiis in Monasterio S. Gregorii habente Parochiam, ut Paro- 25
chus esset Monachus.

Et quamvis in *cap. un. de Capellis Monach. in 6.* talis videatur improbari consuetudo; nihilominus improbatio consuetudinis referenda est ad consuetudinem regendi curam, per Vicarios 26
temporales, & amovibiles; licet controverti nequeat, id parcius tentandum, ob frequentiam Clericorum sæcularium, *can. doctos 16. q. 1.* pront hunc Textum accipit *Bellamera. in can. in Parochia n. 9. 16. q. 1. Lottberius de re benef. L. 1. q. 33. n. 87. & 88. pag. 213.*

[m) *Impensis.*

Quid Juris cum Capella Monachorum impensis fuerit erecta.

Si expensis propriis Monachi Capellam ędificaverint, habent in ea omnia temporalia; Epis-
copi omnia spiritualia. *Ita Urbanus II. in can.* 27
sane 16. q. 2. Concilium Lateranense in cap. cum & plantare §. in Ecclesiis de privil. ibi: In
.. Ecclesiis verò suis, quę ad eos pleno jure non
.. pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis
.. præsentent, ut eis quidem de plebis cura res-
.. pondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus
.. rationem exhibeant. Quod ipsum repetitum invenies *in cap. in Lateranensi vers. statuentes de Præbend. & d.* Comprobat idipsum Textus elegans in *cap. de Monachis de Præb.* quem notat *Goffredus in decret. ad hunc Tit. de Capell. Mon.*

(n] *Munificentię.*

Quid juris, cum ex donatione Episcopi fundata est Capella.

Si ex donatione Episcopi Capella fuerit fun-

data,

28 data, tunc modus ab Episcopo præscriptus
erit adamussim servandus, *L. in traditionibus*
ff. de pact. Quod si Episcopus simpliciter donaverit, tunc Episcopus donasse videtur omne id, quod spirituali jure percipiebat in ea, tertiam, quartam de oblationibus vivorum, & mortuorum, excepto cathedratico. Quamquam ad hanc
donationem Capituli consensus requiratur, *cap.*
29 *pastoralis de donat.* En verba Textus, quę omnia mirifice elucidant.. Nos inquisitioni tuæ taliter, duximus, respondendum, quod si Episcopus Ecclesiam illis conferat (*Monachis*) de consensu Patroni, profectò Patronus, quod suum est, conferre videtur, jus videlicet Patronatus; et Episcopus confert illud, quod ipse obtinet temporaliter in eadem, ut si fructuum ejusdem Ecclesiæ aliquam percipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. Quod si ex ipsius proventibus nullam debet Episcopus portionem habere, omnes proventus præter cathedraticum in eorum usus, credimus, convertendos; sed ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus.

(*o*) *Laicorum*.

Quid Juris, si ex donatione laici Capella fuerit erecta.

Si ex donatione laici jus sibi vindicent Relli-
giosi, tantùm habent Jus Patronatus, *cap. cum* 30
famularem de Capell. Mon. & si quid aliud percipiebat laicus, nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm sibi competat, *cap. nuper 1. q. 1.*

Et quod atinet ad Jus Patronatus, notandum 31
insigne discrimen inter donationem Jurispatronatus factam laico, & factam Monasterio. Primo casu sine Episcopi permissu donatio fieri non potest, *cap. significavit 42. de test. cap. un. de Jure Patr. in 6.* secundo casu consensu Episcopi opus est, *cap. illud de Jure Patr. & ibi Gonzalez in comment. per totum pag. 774.*

(*p*] *Perfrui*.

Capellæ Monasterii exempti adhuc sunt sub
jurisdictione Ordinarii ut probat *Cuccur L. 2.* 32
Tit. 10. per Textum in cap. ex Ore de privil.

DE RELLIGIOSIS DOMIBUS.

TITULUS. XXV.



Page Stoicorum (*a*) illud dogma: *non misereri Sapientem*. Pia opera præ sacrificiis sibi Deus omnipotens placere, testatur. Jam de his piis operibus disserendum. Monemur esse misericordes, sicut Pater Cælestis misericors est. Ergo rem dignam Christiana Religione suscipiunt, qui orphanis, qui infantibus expositis, qui inedia consumptis, qui morbo, laborantibus, qui senectute languentibus, qui peregrinis itinere fatigatis domum ædificant, annuis instruunt redditibus ad calamitatem eorum, miseriamque levandam. Proinde ut multiplex naturę humanæ calamitas, sic varia locorum, ubi succurritur, appellatio. Locus orphanis [*b*) alendis destinatus *orphanotrophion* dictus est; infantibus nuper natis, & expositis [*c*] *brephotrophion*; inedia consumptis (*d*) *ptochotrophion*; morbo laborantibus (*e*) *nosocomion*; senectute languentibus *gherontocomion*; peregrinis itinere fatigatis (*f*) *xenodochion*. Hæc omnia loca pia sunt, ac proinde piæ dispositio censenda, si quid his [*g*] relinquatur: loca, inquam, piæ sunt, tametsi Ecclesiam [*h*) non habeant. An verò hospitale sit Beneficium, (*i*) disputabitur in explicationibus.

Jus

Jus Canonicum de piis operibus vehementer sollicitum, quo pacto hospitalium conservationi, bonoque regimini prospexerit, audiatur.

Episcopi habent tamquam Sedis Apostolicę delegati jus hospitalia [*l*] visitandi, nisi sub Regum immediata protectione sint; Principibus (*m*] enim prærogativa aliqua est indulgenda, *Extravag. execrabilis* §. *nos itaque de Preb.* Quod si noverit Episcopus malam administrationem, poterit in administratores animadvertere, *Clement. quia contingit de Relligiof. dom.* Ejus est, si quæ occupata, alienata, deperdita sint, ea ut in pristinum statum redigantur, procurare, ex eadem *Clementina*, ab administratoribus, ceterisque ministris rationes (*n*] exigere *Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 9. *de Ref.* ætatem (*o*) eorumdem inspicere, an satis (*p*) dederint, an sint (*q*) suspecti, an ibi Sacramenta (*r*) administrentur, an recepti, post mortem, charitate debita sepeliantur. (*ſ*) Sed de sepulturis proprio quodam opere suscepto, in sequenti Titulo differemus.

SUMMARIUM.

1 *SToici dogmati Christiano in plerisque concordant.*
2 *Stoici a nostra Relligione dissentiunt, illo paradoxo*: non misereri, non ignoscere.
3 *Eadem occasione percurruntur alia stoicorum sententia sacris canonibus repugnantes.*
4 *Laudatur Illustriss.* D. Antonius Magliabechi.
5 *De orphanotrophiis, & quis sit orphanus.*
6 *Exempla historiea eorum, qui orphanotrophia construxerunt.*
7 *Administratores orphanotrophii instar tutorum sunt.*
8 *Orphanotrophii privilegia.*
9 *De brephotrophiis.*
10 *Ecclesia ritus, ut filii ante Ecclesiam exponerentur.*
11 *Romani olim exponi infantes permittebant.*
12 *Qua lege id sublatum.*
13 *Pœna in parentes exponentes suos filios.*
14 *Si pater ignoret, filium suum exponi, quid Juris.*
15 *An pater filii expositi amittat patriam potestatem.*
16 *Extenditur pœna ad mortem.*
17 *Filius si ponatur in hospitali impunè ponitur.*
18 *Disputatur, an filius expositus fiat irregularis.*
19 *Affirmativè deciditur.*
20 *Probatur conclusio.*
21 *Obiecta enodantur.*
22 *Elegans distinctio ad noscendum, an in dubio incurratur irregularitas.*
23 *De Bulla quadam Gregorii XIII. in simili.*
24 *Ordinibus susceptis cum eo, qui expositus fuisse detegitur, mitius agitur.*
25 *Disputatur, an infans expositus debeat esse sub patria potestate.*
26 *Affirmativè deciditur.*
27 *Solvuntur contraria.*
28 *Correctio Juris antiquj proponitur.*
29 *Alia correctio Juris antiqui.*
30 *Qui in beretrophiis existunt, liberi sunt a patria potestate.*
31 *An filius expositus succedat ab intestato patri.*
32 *Pater ponens ob inopiam filium in beretrofiis non amittit patriam potestatem.*
33 *Ptocotrophium quid sit.*
34 *Ptochium est domus medicantium.*
35 *An omnes in ptochiis locari possint.*
36 *De nosochomiis.*
37 *Nosochomiorum varia genera.*
38 *Leprosoria in titulum Beneficii conferri possunt.*
39 *Leprosoriarum privilegia.*
40 *De gerontocomiis.*
41 *Argironion quid sit.*
42 *Parabolani quid essent.*
43 *Dissertatio de xenodochiie.*
44 *Quanta esset in primitiva Ecclesia hospitalitas.*
45 *Pro exceipiendis peregrinie litera pacifica efformabantur.*
46 *Plura de his literis ex historia Ecclesiastica traduntur ad canonum notitiam.*
47 *Quamdiù duraverit usus talium literarum.*
48 *Finis has literas efformandi.*
49 *Relicta hospitali, censentur ad pias causas relicta.*
50 *Et ideo immunia hac sunt a collectis.*
51 *Hospitale quamvis sine Episcopi auctoritate erectum, est locus pius.*
52 *Differentia inter hospitale erectum sine, & cum auctoritate Episcopi.*
53 *Tractatur aliqua novitate disputatio, an hospitale. sit Beneficium.*

54 *Si*

EXPLICATIONES.

(a) Stoicorum.

DISSERTATIO I.

Stoici nostro dogmati an in plerisque concordent?

EST quod rideam, cum audio, studium sacrorum Canonum exigui momenti a quibusdam appellari. At eos puderet, has voces effutire, si ad hanc cognitionem addiscendam omni studio adnitendum, putassent, Bene fundatam, extructamque disciplinam tam sacram quicumque sunt assecuti, longe aliter loquuntur. Placeat hos viros interrogare: Hi dicent, studia hæc reconditis, abditisque è fontibus esse hauriendi, atque interdum quid cum Philosophis consentiat, quid repugnet, indagandum. Ecce, D. Hieronymus, cujus tam
2 multi canones in Decreto Gratiani reperiuntur *in cap.* 10, *Isaia* his verbis loquitur: *Stoici nostro dogmati in plerisque concordant* non ergo in omnibus Stoica Philosophia, canonum etiam decretis congruit. Sed quibusnam repugnat, atque adversatur? Præsertim repugnat, & adversatur tam multis auctoritatibus nostri Juris, in quibus commendatur, ex aliorum infortuniis, ærumnisque commoveri, & salutarem opem languentibus
2 afferre; ut *in can. duo* 13 *q.* 4. ibi .. Quia .. homo est, miserere. Nulli homini claudenda .. est misericordia, & *in can. vera dist.* 45. ibi .. at contra hi qui de falsa justitia superbire .. solent ceteros quosque despiciunt, nulla in- .. firmantibus misericordia condescendunt, & *in can. in salisibus de pan. dist.* 3. *in can. adhuc instant de pan. dist.* 3. *in can. qui vult. de pan. dist.* 3. cum sexcentis aliis. Et tamen Stoicorum illud est paradoxum *non ignoscere, non misereri*, quo respicit Cicero pro Murena: *neminem misericordem esse, nisi stultum, & levem*. An non piæ aures id respuunt audire? Et hæ sunt stoicorum generosæ voces, quibus conantur muros in animi nostri sensibus construere, nulla vi expugnandos? *Non ignoscere, non misereri* Planè Christiani veteres, vel ex illius aversionem damnarunt, teste D. Augustino, *de Civit. Dei L.* 9. *cap.* 5 ibi .. misericordiam, Stoicorum est, solere culpare: sed .. longe melius, & humanius, & piorum sensibus accomodatius Cicero in Cæsaris laude .. locutus est, ubi ait: nulla de virtutibus .. tuis, nec admirabilior, nec gratior misericor- .. dia est. Et Clemens Alexandr. IV. Stromatum, ibi .. misericordia non est, ut quidam .. Philosophi censuerunt ægritudo ex alienis ma- .. lis: sed magis divinum quiddam est, sicut .. Prophetæ loquuntur. Misericordiam enim, .. inquit, volo, non sacrificium. Sed quid sit misericordia egregiè dixit Gregorius Nyssenus *Lib. de Beat. misericordiam esse, erga afflictos, cum dilectione coniunctam affectionem*. En igitur falsissimum, & abhorrens a Christianæ Religionis sensu paradoxum illud Stoicæ sectæ, *non ignoscere, non misereri*.

Meritò propterea illud pronunciavit D. Hieronymus. *Stoici nostro dogmati in plerisque concordant.*

Et sicut nostro dogmati in hoc non consentit Stoica Philosophia, quod misericordiam abjiciat; pariter & illud decretum Porticci, est a nostra Religione dissentiens, *peccata aqualia esse*. 3
Quod decretū respiciens Cicero Orat. pro Murena ait. *Omnia peccata esse paria. Omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit*, & idem paradoxo III. *Nihil igitur interest, patrem quis necet, an servum?* Nobis hęc sententia damnata est *in can.* 1. *de pan. dist.* 1. & ex pluribus aliis auctoritatibus canonum elucet, quas adduximus eadem opportunitate in hoc eodem *Lib.* 2. *Tit.* 5. *in expl. n.* 20. *pag.* 61. & inter errores habita Novatianorum, Vuiflechi, tandemque Calvini.

vivi. D. tamen Hieronymus finem Stoicorum assecutus, ac mentem, ex ea hunc fructum, utilitatemque deducit *in opere de Inst. Matriss.* ibi. Stoicorum quidem est, inquit, delicta omnia .. paria judicare, nec ullum inter scelus, & erratum discrimen facere. Nos vero, etsi multum inter peccata distare, credimus, tamen .. satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam .. minima, pro maximis cavere.

Numeratur, & illud inter paradoxa Stoica *Sapientem sumere aliquando mortem posse, debere, detere*, ejusque sensu Seneca epist. 69.: *bella res est mori sua morte*. Zenonis hæc fuerunt hominis tetrici, & odiosi. Fuerunt etiam Epicuri, prout ex ipso Seneca elucet *epist.* 41.: *Malum est in necessitate vivere; sed in necessitate vivere, necessitas nulla est*, & ex Lucretio L. 3.

Cur non ut plenus vitæ conviva recedis.

Æquo animoque capis securam, stulte, quietem.

Atque ipse Zeno, & Lucretius vitam sibi sponte eripuerunt, factis comprobantes quod verbis protulerant. Zeno enim cum e schola veniens pedem offendisset, procidens, terram manu pulsavit, Euripideum illud occinens.

Venio quid appellas me:

Et domum regressus sibi manum conscivit. Lucretium sibi tædio vitæ manus attulisse, quod se iam morbis æstuare, atque afflictari videret, quidam existimarunt, ut videre est apud Lambinum *in eius vita vers. quo mortis*.

Porro, id fixum, ratumque est in nostra Religione, mortem arbitrii nostri non esse. Imo & sepultura privatur se occidens *can. placuit* 23. *q.* 5. passimque id prohibitum invenias, ut *in can. si non licet* 23. *q* 5 *Nicolaus I. ad Consult. Bulgar cap* 98. Idem hic suffragiorum Missæ capax non est, *Concil. Bracar.* 1. *can.* 34. Res tam clara, ne in hoc sim prolixior, admonet.

Agnosces Porticum, cum pariter audies, *omnes stultos insanire, & omnia vitia in omnibus*. Quod explicans Seneca L. 5. *de Benef cap.* 15. *Vt vos [Stoici] dicitis, omnes stulti mali sunt, qui autem habet unum vitium, habet omnia.*

At hoc pugnare videtur cum auctoritate Textus *in can. quid ergo* 48. *de pan. dist.* 3. ibi: *Quia non potest malus, in omnibus malus esse.*

De Philosophia morali Stoicorum locuti sumus hactenus.

Quod si ad Physiologiam mens convertatur, non parum hanc a nostra Religione discedere comperiemus. Quid enim illud, *Deum ignem esse, ut Tullius id referens ait* 2. *de nat. Deorum?* Imo mundum ipsum. Quam sententiam Lactantius *L.* 7. *cap.* 3. his verbis confutat. *Nam si hæc omnia quæ videmus Dei membra sunt, iam insensibilis, ab his constituitur Deus.* Quid illud cum providentia admiscere fatum, prout habet Seneca *L.* 3. *de Ben. &* 1. *Quæst. naturalium?* Genios Dei ministros esse, & providentiæ? Prout narrat D. August. *L.* 7. *de Civit. Dei cap.* 6. Genios Stoici corpora, sed ætherea finxerunt; an id Theologia nostra approbat? An non hæc spinæ, & aculei sunt, qui pium cor pungunt?

Sed cum Stoicis duo rerum principia sint, efficiens, Deus; patiens, materia; hanc æternam esse, dum sentiunt, ut colliges ex *Præfat. Seneca L.* 1. *Quæst. nat.* error est sacræ Scripturæ paginis evidenter convictus. Mundum verò creatum a Deo, dum sentientem, intelligentem, sapientem, animal rationale putant, ut *Laertius in Zenone docet* absurdum pronunciant, quod merito a Concilio Constantinopolitano II. damnatum, explosumque fuit, quod ipsum confutat Divus *Aug. L.* 4. *de Civ. Dei cap.* 11. & *cap.* 31. *D. Hieronymus epist.* 59. *ad Avit.*

Si vanissimi Astrologi Stoicorum amici sunt, ne mireris. Astra vel movere aliquid, vel monere volunt Stoici. Clare id explicat Seneca *ad Marciam cap.* 18.: *Ex siderum quinque levissimis motibus fortuna populorum dependent* Pugnat hoc cum Sanctitate nostræ Religionis. Vide Textum *in can. siquis, in can. qui divinationes, in can. non liceat, in can. si qui Episcopus, in can. contra, in can. Episcopi* 26. *q.* 5. *in can. illos planetarios, in can. sed & illud* 26. *q.* 3.

Jam cum de anima rationali disserunt, nimis elatè, ac superbè loquuntur. Dignitas nostræ animæ magna est; sed illi nimis augent, qui mentem nostram abscissam ab essentia Dei partem esse contendunt, quò respexit Cicero *V. Tuscul.* Ibi.. humanus animus decerptus ex mente .. Divina. Plutarcus Quæst. Platon. anima mentis, & ratiocinationis consors, non opus solum .. Dei; sed & pars est; neque ab ipso, sed ex .. ipso facta est. His vestigiis institerunt Manichæi, Priscillianistæ, Marcionitæ, qui *de propria Dei substantia animam formabant*, ut *Baronius narrat anno* 277 *n.* 8. *& seq.* Contra Stoici, homini detrahunt. qui a partu animam tribuunt, vel post annum 14. ut apud *Stobæum in Physicis*, & eò forte alludit Lucret.

Inde ubi robustis adolevit viribus ætas.

Ingenium quoque majus, & auctior est animi vis.

Quod S. S. Patres reprobant D. Hieronymus adversus *Ruffinum Apologia* II. *figurato corpore statim creari, & immitti. Lactant. de opif. cap.* 19. & omnis Theologorum schola, & est Textus *in can. quod verò* 32. *q.* 2.

Sed cimbam alligabo. Tantum æquoris decursum est, ut exempla adducerem sententiarum, quæ in Stoica Philosophia recepta quidem erant, nostro tamen dogmati non concordant: quamquam in multis ad integritatem, veritatemque Christianæ fidei Portici doctrinam accedere, constet, planumque faciat Scioppius in libro, cui Titulus *Elementa Philosophiæ Stoicæ moralis*, quem librum eo consilio scripsit, ut habito delectu in scholis etiam nostris Stoicam Philosophiam Pareneticam doceri posse, demonstraret, eumque mihi legendum tradidit.. *Illustrissimus D. Antonius Magliabecbus*, quem semel laudasse, .. non sufficit, propterea quod, cum cogito, quæ 4

sic lite-

.. literatura, quo ingenio, qua memoria, qua fa-
.. ma per omnes oras, regionesque terrarum propagata, tanti viri merita, parcam; tenuem-
.. que respuunt commendationem: virtutis commemoratio honorificum verborum sonum,
.. plausumque desiderat.

Falsum igitur Stoicorum dogma, & repugnans Divino, & Ecclesiastico Juri, *non misereri, non ignoscere*.

(b) *Orphanis*.

De orphanotrophio, ubi orphani aluntur.

Orphanus est, qui caret patre, ac tutore;
5 cum pupillus, è contrario sit, qui patrem amisit, tutorem tamen habet. Erat Athenis Magistratus eorum, quæ ad orphanos spectarent, disceptator, *Calius Rodh. L. 15. cap. 9. var. lect. pag.* 310. Hi pueri, & *alimentarii* dicuntur, cum publice aluntur, ut ex Julio Capitolino intelligimus ibi: *puellas* (ait in Antonino Pio) *alimentarias in Faustina honorem Faustinianas constituit*, narrat etiam *Calius L. 13. cap. 24. pag.* 203. Talisque Nerva fuit, qui pueros puellasque sumptu publico per Italię oppida ali jussit, ut narrat *Cuspinianus*. Pietas erga orphanos aliorū quoque Imperatorū eluxit Alexius Connenus filius Isaaci Imperatoris orphanotrophion Cōstanti-
6 nopoli extruxit, sumptusque his ex regio vect gali dedit, ut *Annalium scriptores testatur ad annũ* 1118.

Qui orphanotrophiis pr sunt, tutorum, & curatorum funguntur officio, *Authent. de Eccl. Tit. cap.* 15. ibi.. Orphanotrophi verò tutorum,
7 .. & curatorum fungantur officio; Idemque invenias in *L. Orphanotrophos C. de Episcop. & Cl.*

Multa orphanotrophii privilegia.

Primum, ut donationes orphanotrophiorum domi-
8 bus factæ, etiam si 500. solidos excedant, insinuatione non indigeant, *L. illud C. de Sacros. Eccl.* quod repetitur *in L. jancimus* 24. *C. eod. Tit.*

II. Privilegium, ut res orphanotrophii permutari non possint, expresso Textu in *Authent. de alienat. & emphyth. cap.* 7

III. Privilegium, ut sine fidejussionis gravamine orphani defendantur, *L. orphanotrophos* 32. *C. de Episcop. & Cler.*

IV. Privilegium, ut res orphanotrophiis relictæ immunes sint a lucrativorum inscriptionibus. *C. Theodos. L.* 16 *Tit.* 2. *L.* 16. ut habetur *in can. in qualibet* 23. *q.* 8. Lucr tivorum autem inscriptio, hæc erat; quod quarta pars eorum, quę a Curialibus relinquebantur, vendicaretur a Fisco, *L.* 1. & 2. *C. quando, & quibus quarta pars. L.* 10. quatuor enim filiarum impositio fiebat, *L. un. C. si Lib. Imperial. sociat sine harede &c.*

(c] *Brephotrophion*.

DISSERTATIO II.

De Brephotrophio, ubi infantes expositi aluntur, & explicatur.

Rubrica de infantibus expositis L. 5. Tit. 11. decr.

Nunc agimus de infantibus abjectis, a matribus expositis, habitisque pro derelictis. Agimus de 9
re, quam Natura ipsa aversatur. matrem negligere proprium partum negligere?

Piissima Ecclesia suis in decretis. Nam si qua mater, vel metu ignominiæ, vel aliam ob cau- 10
sam de partu abiiciendo deliberat; rogatur illum ante ianuas Ecclesiæ deportare. En verba Concilii Matiscon. *in can.* 6. *In hoc sancto Concilio decretum est (& infra) ut si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & peperit (& infra) ante januas Ecclesia partum deportari, ibique poni faciat, ut coram Sacerdote in crastinum dilatus, ab aliquo fideli suscipiatur, & nutriatur*. Qui canon est apud *Burchardum L.* 3. *decreti cap.* 200. Et de hoc eodem decreto Ecclesiæ loquitur Textus, *in can. si expositus dist.* 87. ibi Concil um Arelatense secundum: *Si expositus ante Ecclesiam cujuscumque fuerit miseratione collectus*. Eundem morem attingit Concilium Vasense *can.* 9. ibi: *Quisquis expositum colliget, Ecclesiam contestetur, post contestationem colligat*.

Piissimi item illi extiterunt, quæ de his alendis cogitantes domos construi, redditus suppetere, patrisque vices assumere voluerunt. Hæc domus brephotrophium dicta est *L. sancimus L. illud C. de Sacros. Eccl.* Quod si laudatur *ab Æl. L.* 2. *de var. hist.* Thebanorum lex, qua cautum fuit, ne Civi Thebano liceret infantem exponere, verum si pater esset inops, infantem eumdem ad Magistratum cum fasciis afferret, quantà sunt laude digni, qui instar illius Magistratus, partum neglectum excipiunt, alunt, educant. Imo major illis debita commendatio. Nam Magistratus Thebanorum infantem alteri tradebat, ut sibi servus esset. Illi liberum esse volunt, & loco filii. Quid laudabilius? Hac laude decoratus effulget Trajanus, qui in monte Cælio infantibus expositis nutriendis locum amplissimum ędificavit. *Sabellicus in ejus vita*. Hic in monte columna erat dicta *Lactaria* in quam infantes lacte alendos deponebant, narrat *Alex. ab Alex. L.* 2. *Gen. cap.* 12. *pag.* 66. Athenienses etiam certo loco infantes exponebant: talis in Attica erat Cynosarges *Suida apud Seobeum* 476. & causam addit: Quia Herculis ibi Templum, qui spurius erat. Plane Romani olim expositionem infantium permittebant. Meminit hujus moris *Lactantius L.* 6. *cap.* 20. Audi et 11
Tertullianum *in Apologetico cap.* 9. *Imprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua praetereunte misericordia extranea*. Quem eumdem abusum illi improperat *Justinus Martyr Apolog.* 2. *ad Anton. pium*. Res tamen in meliorem statum redacta fuit post Valentis, Valentiniani, Gratiani, Justiniani leges, quas videre est, *sub Titulo Cod. de Infant. exposit. Novella* 54. & *Novell.* 153. locus his deputatur. Sint ergo iam, 12
in brephotrophiis filii collocati; canones, & leges, quid de parentibus eorum, quid de ipsis infantibus constituerint, videamus.

Quod

Quod attinet ad parentes ; distinguere oportet. Nam vel filios abiiciunt, ut eos amplius in filios
13 non habeant , quasi eosdem perimentes , contemnentes digni homicidæ pœna judicantur, *L. 2. C. de Infant. exposit. L. 1. §. pœna ff. de lib. agnosc. L. necare eod. sed in canone si expositus dist. 87.* Concilium Toletanum statuit, quod si ante Ecclesiam fuerit aliquis infans expositus patre ignorante , ponatur in loco publico epistola , quod si quis in eo aliquid juris sibi vindicat , appareat intra decem dies ; his expletis non audiatur, sed tamquam homicida puniatur. Idemque de matre exponente filium , quod sit tamquam homicida punienda , placuit in Congressione Constantinopolitana , & habetur in L. 2. *Juris Orientalis* ... *sinem Titulo περὶ τῶν ἐκτιθεμένων τέκνων βρέφων*

Imo si solo malo recens natus loco solitario exponatur, exponens tenetur Lege Cornelia de sicariis ; alias extra ordinem punitur *L. 1. §. pœna ff. de lib. agnoscend. Zoesius ad Titulum, de infant. exp n. 1.* Et videtur pœna capitali plectendus pater , *Hostiens. in summa de inf. expos. n. 4.*

Aliam partem distinctionis nostræ explicemus; Vel pater ignoravit , filium suum ab aliquo expositum fuisse; tunc jus habet repetendi infantem , restituris tamen expensis , L. 1. 2. & 3. C.
14 *de inf. exp.* Quod si educator furis animo infantem sustulerit , alimenta reddenda non sunt, *Nov. 153. Just.* nec reddenda cum pietatis causâ data sunt sine spe restitutionis, *L. duobus 27. L. Nesennius 34. ff. de negot. gest. L. cum is §. pen. ff. de cond. ind.* nec tandem differenda infantis restitutio , cum patet est inops, *L. fin. 27. §. fin. L. in fundo ff. de r. vin.* adeoque patet extra omnem pœnam est.

Vides quomodo sit distinguendum. Quæ distinctio, quoad primam partem illud exigit obser-
15 vari , quod vel exponitur infans in loco frequentato, & obvio ; tunc verò nisi moriatur absolvitur exponens ; satisque pro pœna est, ut amittat patriam potestatem, *cap. un. de infant. expositis*, & si puella est, fustigatur, *Clarus Pract. q. 83. n. 7.* quem laudat *Menochius de arbitr. cap. 306. n. 5.* Si vero moritur, mater fustigatur, perpetuoque damnatur exilio , *Rainaldus P. 1. cap. 6. §. 5. n. 7. pag. 404.* Vel exponitur in-
16 fans in loco solitario ; tunc vero exponens mori debet, Antonius *Matth. de crim. ad L. 48. Tit. ult. cap. 2.*

Postremus casus est , quando in hospitali , de quo agimus , ponitur infans ; tunc verò nulla
17 pœna est constituta, *Valasfens de privil. pauper. 2. p. q. 65. n. 207.*

Quod attinet ad filios expositos ; sequentes controversiæ sunt examinandæ .

Prima an filius expositus sit irregularis ?

Secunda controversia , an infans expositus sui juris efficiatur ?

Ordiar a prima controversia , quam agitant
18 *Carranza de partu cap. 4. Ricciolus de Jure personarum de inopbit. cap. 7. Pax Jordan. L. 10. Tit. 18. n. 29. Garcias P. 7. de Ben. cap. 2. Zoesius ad Tit. de fil. Presbyt. pag. 45.* In qua illud certum videtur , sola expositione non contrahi a filiis irregularitatem ; si alias de parentibus constet : sin ignoretur , articulus hic majorem continet ambiguitatem .

Nihilominus , sit nostra conclusio , filium expositum esse irregularem . 19

Nec difficile est conclusionem hanc persuadere . Nam si coniecturis sit danda fides ; non solent exponi filii legitimi ; sed potius , qui nascuntur ex prohibitis congressionibus . Quocirca testatur Piasecius *in Praxi Episcopali P. 1. cap. 2. n. 27.* se vidisse non rarò pro filiis expositis , 20 dum ad Ordines adspirant, dispensationes in Curia Romana expediri . Et meritò ad dispensationem recurritur , quià status infantium expositorum est dubius . In dubiis tutior pars est eligenda , *cap. illud de Cleric. excom.* Et propterea quemadmodum in dubio homicidii censeri quis debet irregularis , *cap. ad audientiam cap. significasti de hom.* haud dispari ratione filii expositi, quorum ignorentur parentes , irregulares potius erunt reputandi , quàm immunes ab hac nota , atque exempti .

Accedit quod ad suscipiendos conferendosque Ordines , id attenditur , num ordinandi appareant legitimi , *cap. 1. de filiis Presbyt. cap. pervenerat extra qui filii sint leg. Concil. Trid. sess. 22. cap. 20.* Atqui illi , quorum status est dubius , legitimi non apparent , quæ res ponit quamdam indecentiam , ut arguit *Covarr. in Clem. si furiosus P. 2. in princ. n. 9.*

Obstat I. quod in dubio melior est conditio possidentis , *regula in pari de reg. jur. in 6.* hic, 21 de quo agimus , est in possessione , quod non sit illegitimus , nec talis evidenter apparet , ergò itregularis non censetur.

Vitentur , obsecro , dum arguitur , equivocationes . Aliud est quærere , an in dubio , debeat aliquis spoliari re possessa ; in hoc sensu procedit *regula in pari de reg. jur. in 6. Garcias ubi supra n. 14. pag. 23.* in hoc sensu procedit etiam Textus *in cap. quemadmodum de jur. jur.* At quid possidet infans expositus? Bonæ existimationis possessio esse non potest , cum nondum bona existimatio certa est, decreta , et stabilita . Aliud est quærere , an in dubio tutior pars sit eligenda ; quę regula eum habet sensum , utnon possit quis facere id , de quo dubitatur , an sit prohibitum , sed potius abstinere , oporteat.

Obiicitur II. Neminem in dubio esse irregularem, *cap. ii , qui de sent. excom. in 6.*

Respondetur , adversarios quidem acutissimum telum nunc intorsisse. Retundetur tamen felici conatu , si observetur , imprimis non tam esse certum , ut proponitur , in dubio non incurri irregularitatem ; cum repugnet Textus *in cap. ad audientiam in cap. significasti 16. de hom.* Deinde quando dubitatur de re , quæ potest notam irre- 22 gularitatis inurere ; antequam factum sit examen , & versemur in dubio , abstinendum est ab Or-

dinum

dinum, vel susceptione, vel executione; nam in dubio perinde est, ac si irregularitas adesset. Quod si res ipsa, an adiunctam habeat irregularitatem, ambigatur, tunc procedit regula opposita, quod in dubio irregularitas non incurratur, ut doctissimè *Garcias ubi supra n. 10 & seq.* qui eumdem Textum in hunc modum interpretatur

Obstat III. Textus *in cap. un. de infant. exp.* ubi dicitur, expositos interdum liberari a patria potestate; ergo justæ nuptiæ supponuntur, §. 1. *Inst. de nupt.* ergo filius erit legitimus. Quod si exempla requiruntur eorum, qui legitimi erant, & tamen expositos fuisse, constat, Moysen undis expositum in arcula ex viminibus contexta, *cap. 2. Exod.* Ismael quoque ab Agar expositus fuit, *Gen. 21.* Cirus, Oedippus, Filia Menois vetustissimi Regis Phrygiæ expositi jacuerunt, ut est in histor.; vide *Diodorum L. 4.*

Plane hæc quoque oppositio non parum negotii facessit. Concedo, ut respondeam, contingere posse, ut legitimi exponantur; paterque exponens in loco solitario, aut alibi, quasi contemnens proprium sanguinem prometetur hanc pœnam, ut filius ipso jure existimetur emancipatus. At nos loquimur de casu ambiguo. Indecens est, aliquem ordinari, cujus conditio ignoretur. Casum ambiguum oppositio non attingit.

Obstat VI. Textus *in cap. ex tenore extra qui filii sint leg.* ubi in dubio semper in favorem prolis est judicandum, consonat Textus *in cap. lator eod. Tit.* ex quibus deducit *Hostiensis in summa Tit. qui fil. sint leg. §. qualiter pag. 2384.* his verbis: *ergo expositus debet legitimus judicari.*

Sed neuter Textus de expositis pertractat. Sed agitur ibidem de filiis putativis, quorum status an esset legitimus dubitabatur, pater verò certus erat. Nos supponimus patrem expositi infantis ignorari.

Obstat V. Textus *in cap. transmissa qui filii sint legit.* ubi vere tractatur de infante exposito, ibi: *quod eum pietatis intuitu nutrissent.* Tamen filius non reputatur illegitimus, quia, & si a nutritare vocetur illegitimus, hoc non probat, esse illegitimum, *L. si instituta §. 1. ff. de inoff. testamento.*

Resp. ex litera Textus potius id solum deduci, quod, si vir, & uxor dubitent, an aliquis expositus, quem nutriendum susceperunt, sit legitimus, eorum dubitationi statur. Ergo potius inferendum est, filium absolutè non posse vocari legitimum, quoties fuerit expositus; quoniam judicium est in suspenso.

Obstat VI. quod Gregorius XIV. anno 1502.
23 in Bulla data in gratiam Confraternitatis, pro expositis decernit, ut habeantur pro legitimis.

Sed pro responsione dicam, hanc Bullam non reperiri; vel si adest, edita est pro solo aliquo hospitali, ut respondet *Garcias de Benef. P. 7. cap. 1. n. 27.* Quamquam eam citet etiam Gonzales contrariæ sententiæ defensor; quem tamen in hoc non sequimur, cum nostra sententia receptior sit.

Hoc unum admisero, quod ex post facto; 24
idest Ordinibus jam susceptis, si detegatur aliquis expositus fuisse, executio non est suspendenda; cum in dubio præsumatur pro possessore, & negans probare debeat, *ita Zoesius ad Tit. de fil. Presbyt. n. 13.*

Descendamus jam, ad secundam controversiam, cujus status hic est; an infans expositus 25
sui juris efficiatur.

Sit nostra conclusio; quod pater exponens filium 26
amittit jus patriæ potestatis.

Probatur auctoritate, & ratione. Auctoritas est *in cap. un. de infant. expos.* ibi: *Si a patre sive alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extiterit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.* Consonat Textus *in L. 2. 3. 4. C. de infant. exp. in L. nemini 20. C. de Episcop. aud. in L. nutritoribus C. commun. de success. leg. un. §. sed scimus C. de Nat. lib.*

Probatur quoque ratione. *Nec enim suum quis dicere potest, quem pereuntem contempsit*, sunt verba Textus in L. *unusquisque C. de infant. exp.* & significant, personam patris eum exuere, qui filium suum amplius non agnoscit, qui, quantum in se est, eum e vivis tollit. Et vere patrem non curantem filium, eum necare, clamant Jura *in L. necare 4. ff. de lib. agnosc. in cap. cum haberet de eo, qui duxit in Matr. cum similibus.* Cum patrem hunc amplius Jura non considerent tamquam patrem; patria potestas esse non potest; sublato fundamento, corruat, necesse est, omnis superstructio, non entis nullæ sunt qualitates, *cap. ad Apostolicæ de re jud. in 6. cap. ad audientiam de Eccl. ad. L. decem ff. de V. O.*

Accedit, quod patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere, *L. Divus ff. ad L. Pompejam L. fieri ff. si quis a parente, L. 3. C. de patr. potest.* Ergo cum hæc maxima sit crudelitas; meritò Jura statuunt, exponentem filium suum patria potestate viduari.

Verum quod est a nobis in conclusione positum, regula est. Omnis autem regula, cum suas habeat moderationes, easdem ex responsionibus ad obiecta, intelligemus.

I. Obstat Textus Concilii Arelatensis in *can. si expositus dist. 87.* ubi cum apparet, ante Ecclesiam expositum fuisse infantem, decem die- 27
rum assignatur intervallum, ad expectandum, numquid pater accedat, & suam recipiat prolem. Ergò expositio non tollit patriam potestatem; sed adhuc pater ab Ecclesia cognoscitur.

Dedita opera, hoc primo loco opposui, ut nunc correctionem antiqui Juris proponam. Verum est, in Concilio Vasensi, & Arelatensi id 28
fuisse decretum, ut pater patria potestate non caderet; at Gregorius IX. *in cap. unico de infant. expositis* filium a patria potestate liberari constituit; sua constitutione corrigens Jus antiquum; *notat Gonz. ib. n. 9.*

Obstat II. Textus *in L. Patrem 16. C. de Nuptiis: Patrem, qui filiam exposuit; hanc nunc adultam sumptibus, & labore tuo factam coniungi filio tuo desiderantis, voto favere convenit.*

Consensus patris exigitur ratione patriæ potestatis, §. *justas inst. de Nupt.* ergo falsum defenditur.

Resp. Cujacius L. 16. *observ. cap.* 16. hunc Textum in L. patrem fuisse abrogatum nova Justiniani constitutione in Novella 153 *sub Tit.*
29 *de infant. expos. coll.* 9. *cap.* 1. ibi: *hos omnibus modis liberos esse, præcipimus.*

Cumque hic Textus proponat, patrem esse certum, *ut in præfatione*, ab hominibus pieta
30 tis studia exercentibus infantem fuisse nutritum, nihilominus filium infantem omnino esse liberum; crederem, etiam eos, qui in berotrophiis existunt, a patria potestate esse liberatos, nisi obstaret Textus jam expendendus.

Obstat III. Textus elegans, in L. *uxorem* 29. *ff. de man. testam.* ubi: filius expositus succedit ab intestato patri exponenti, tamquam legitimus, & idem Textus rationem tradere vi-
31 detur, dum ait, *& ideo cum in potestate, & ignorantis patris esset, testamentum non valere.*

Hæc, quæ videtur oppositio, potius exceptio est, & limitatio nostræ Conclusionis. Dispositionem Textus optime procedere, asserimus. At specialis ratio est, cur filius expositus eo in casu non sit a patria potestate liber. Ignorabat pater post divortium cum uxore factum, uxorem relictam prægnantem exposuisse filium editum. Hæc ignorantia, cur patri noceat? Est ignorantia facti, quæ excusat, *L. Juris* 4. *ff. de Jur. & fact. ignor.* L. *error* 6. *ff. eod. L. regula ff. eod. Tit.* Ex quo sequitur, quod si pater justam habeat causam, qua excusetur, veluti ob
32 inopiam, & ob id in berotrophiis constituat infantem, patriam potestatem non amittat. Omnino enim non deserit filium, idque sentit *Valascus de privil. pauperum* 2. *part. q.* 65. Nam qui exponunt, ut filios abiciant, hi vere deserunt, ut Chremes ille apud *Terentium in Heautont. Actu IV. scena* 1. qui puellam filiam, quam exponi, jusserat, cum reperisset, fatetur, se olim filiam illam amplius noluisse.

Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

Hos parentes Paulus ad Romanos 1. vocat *ἀστόργους*, qui recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent: Non aliter, quàm Frisii vitulos, si fætura Numerum supplesset.

[d] Ptochotrophion.

De Ptochotropiis, ubi inedia consumpti commorantur.

33 Est ptochotrophion locus publicus, ubi mendici aluntur, *Auth. de alienat. & emphyt* §. *& hoc quidem.* De his etiam est Textus *in can. quidam* 18. *q.* 2. ibi: *Clerici in ptochiis, & in monasteriis, aut martyriis constituti sub potestate sint ejus, qui in ea est Civitate Episcopus: Ptochiis* in eo Textu legendum, non *Parochiis* juxta vulgarem lectionem; nam in versione prisca, & antiquis quibusdam Gratiani Codicibus, legitur: *Ptochiis*, & in §. *Clerici* ejusdem canonis Concilium, unde est ille Textus, non omittit verbum *ptochotrophiorum*, ut diligenter observavi, quamquam in Textu Gratiani desit ea vox, supplenda, ut aperte constat. Ptochia igitur, seu 34
ptochotrophium est domus mendicantium. Hinc *ptochica*, reliqua redditum Episcoporum, quæ ut superflua mendicis distribuuntur, *Balsamon ad Amphyloch.*

Quare laus magna Civitatibus Christiani orbis debetur, in quibus hæc sint egentium solatia, ut Romæ, ut Florentiæ, ut Mediolani, ubi in Xenodochio quina, vicenaque plus, minusque Florenorum, ex annuo reddito millia in afflictos, inopesque dispensantur, bonorum Civium munificentia, *Pont. de liberal. cap.* 19. Laudaturque Alexandrinus ille Episcopus Joannes Eleemosinarius, qui Ptochotrophia extruxisse, dicitur, eisque frumentum distribuisse, *Simeon Metraphast. in vita ejus.*

Verùm id Rectoribus providendum est, ut alantur pauperes præsertim invalidi, & ad laborem minime idonei. Hi præferendi sunt ceteris, L. *un C. de mendicant. valid.* L. XI. *L.* 37. §. 35
ubi autem C. de Episcop. & Cler. can. quomodo dist. 31. *can.* 1, *dist.* 82. Et ideò Episcopi etiam, quibus officium alendi, vestiendique pauperes committitur a Jure nostro, illis subvenire debent, qui invalidi sunt, *can. non omnis* 5. *q.* 5 notat *Petrus Gregorius in Syntag.* P. 2. L. 15. *cap.* 28. *n.* 13. & 14.

(e) Nosocomia.

De Nosocomiis, ubi ægroti curantur.

Auctor est D. Hieronymus *Epist.* 30. clarissimam fœminam Romanam Fabiolam, postquam in ordine pænitentium stetisset in Basilica Laterani, primam omnium nosocomion instituisse, in quo ægrotantes colligeret de plateis.

Nosocomium valetudinarium dicitur a Columella L. 1. *de re rust.* ibi enim ad reparandam valetudinem ægroti morantur.

Nosocomiorum varia genera, prout variis homines conflictantur morbis. 37

Nosocomii species est leprosaria, *Clementina quia contingit de rell. dom.* Domum pro leprosis esse construendam, ut ibi separatim degant, Jus Divinum decernit, *Levit.* 13. Item Jus Canonicum *cap.* 1. *de con, lepros.* Olim leprosis Episcopus necessaria subministrabat, *Concil. Aurelian.* 5. *can.* 21. Leprosis jus non est per alias Civitates vagandi, *Concilium Lugdunense sub Pelagio* 11. *can.* 6. ibi: *ut illis per alias Civitates vagandi licentia denegetur.* Carolus Magnus *in sui Const. cap.* 10. interdicit leprosis, se immiscere

cere populo Christiano; ideòque illis conceditur habere propriam Ecclesiam cum Clerico, qui illis Sacramenta administret.

38 Quo fit, ut leprosariæ redditibus ornatę in titulum Beneficii conferri possint, licet vere Beneficium non fiant, ex Textu notabili *in Clementina per literas 2. de praebend. & dig.* quam in tractatu de Beneficiis interpetrabimur.

Illud habent privilegii leprosariæ, ut talliis gravari non possint, Concilium Auxitanum sub Bonifacio VIII. anno 1300. ibi .. excomunica-

39 .. mus, & excomunicatos Provincię denunciari, .. præcipimus Barones, Consules, Bajulos, qui .. reclusos leprosos ratione personarum, vel .. patrimonii ipsorum ausi fuerint talliare, vel .. aliquid pro tallia exigere ab eisdem.

Nosocomii species altera est *gerontocomion*, locus pauperibus senectute confectis destinatus. Multa senem circumveniunt incommoda, non corpore solum infirmus est, sed delirante sæpe

40 animo, *can. desolatis dist.* 87. L. *Civitatibus ff. de Legat.* 1. eleganter *Ausonius in Eulog.*

Expectata diù, votisque optata malignis
Obiicit innumeris corpus miserabile morbis

Item Poetarum summus Virgilius

Optima quaque dies miseris, mortalibus avi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus

Et Lucretius L. 11.

- - - *in partem pejorem liquitur ætas.*

Horatius in *arte poetica versu* 169.

Multa senem circumveniunt incommoda, ..

De gerontocomiis est Textus in L. *sancimus in L. illud* C. *de Sacr. Eccl.* Gerontocomium in domo sua construxit Pelagius II. *anno* 590. ut refert *Baronius Tomo* 7. *eod. anno*, itemque Constantinus Monomachus Imperator referente *Ravisio* Templum instituit, in quo gravati senio, jam ad laborem inutiles foverentur; Mauricius quoque Imperator erga senes effectos, atque invalidos non minus se liberalem gessit, domum pro ipsis condidit, quam vivarium dicebant, multos ad eos sustendandos redditus suppeditando, ut narrat *Cedrenus*.

Nosocomii species item dicitur *argironion*, mendicorum scilicet habitaculum, quos morbus immedicabilis corruperit, quod erat olim Bizan-

41 tii ante Templum Martyris S. Pantaleonis, quod renovavit Justinianus, auctore Procopio L. 2. *de Ædific. Justin.*

Nosocomii, & illa species non omittenda, ubi insanorum morbus omnium maximus curatur, & publicam esse, oportere, eorum custodiam, deducitur ex L. *congruit ex L. Divus ff. de off. Præsid.*

Ministri antem nosocomiorum dicebantur *parabolani*, L. *parabolani*, L. *placet C. de Episcop.*

42 *& Cler.*

(f) Peregrinis.

DISSERTATIO III.

De Xenodochiis, ubi peregrini detinentur, & de literis pacificis,

Tradunt Leo, & Anthemius Cæsares, Zoticum quemdam primum omnium modum pere- 43
grinos excipiendi, nutriendique introduxisse, loco ad id extructo, ac deputato, L. *omnia* 33. C. *de Episcop. & Cler.* & de hoc hospitali præcitati Textus in præcedentibus explicationibus loquuntur.

Sane ut ex historia Christianorum hospitalitatem explicemus, narrat Lupus in *notis ad cap.* 20. *Tertull. de Præscript.* post multiplicatam sub Constantino Ecclesiam, cępisse quosdam pauperes sine negotiis ex otio vagari, & crimina admittere. Hinc divites cęperunt cunctos negligere. Eos tamen non neglexit mater Ecclesia. Etenim illis varia ubique hospitalia erexit, & ipsos numerari inter participantes de quarta parte omnium suorum proventuum. Quo circa cum hospitalitati potissimum Episcopi olim incumbere deberent, in consecratione eos interrogabat Metropolitanus: *Vis esse hospitalis?* Verum non modò hospitalitas in primitiva Ecclesia servabatur cum egentibus, 44
sed etiam cum divitibus, unus Christianus alterum peregrinum excipiebat, quicumque is fuisset Aucto postmodum fidelium numero, cum id nimis onerosum videretur, sensim promiscua talis exceptio advenientium peregrinorum abiit in desuetudinem, & pro pauperibus tantum hospitalia cęperunt deputari, ita notat *ad can.* 7. *Concilii Antiocheni cap.* 12. *articul.* 1. *Emanuel a Schelstrate pag.* 386. Quod Julianus Apostata imitari volens in Gentilismo *constituebat etiam diversoria ædificare*, ut de eo loquitur *S. Gregorius Nazianzenus.* Pro excipiendis peregrinis 45
literæ pacificæ olim efformabantur, cum quibus pro hospitio iter arripiebant *can.* 7. Concili Antiocheni: *Nullus peregrinorurum sine pacificis suscipiatur*. Hæ literæ vocabantur etiam commendatitiæ, *can.* 12. *Apost.* ibi: *nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, sine commendatitiis suscipiatur epistolis*. Post D. Cypriani ævum mutatum est 46
nomen hisce literis, dictæque sunt communicatoriæ, *can* 25. *Concilii communicatoria danda sunt litera*. Post Nicæni Concilii tempora communicatorię, dictæ sunt etiam *formata*, D. Augustinus *epist.* 163. ibi: *quærebam, utrum Epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, posses, quo vellem dare*, & exemplar formatæ epistolę in Nicæna Synodo extat *in can. in nomine de* 73. & literæ hujuscemodi ob hanc formam, quam assignavit Concilium Nicænum, ne fraus irreperet, formatæ dictæ sunt, notat *Baronius ad annum* 142. Post sæculum undecimam in desuetudinem abiit illa literarum commendatitiarum forma per græca elementa, quæ juxta Concilium Nicænum erant apponenda, & de quibus *in dicto canone in nomine d.* 37. ut notat, a Schelstrate *ad Concil. Antioch. can.* 7. *cap.* 11. *art.* 2. *pag.* 394. Quæ formatæ in usu erant pro Clericis, in ætate media, quoniam pro aliis pauperibus ubique fere locorum hospitia inveniebantur instituta. Post hanc desuetudi-

tudinem literæ pro Clericis *dimissoria* dictæ sunt, Balsamon *in can.* 11. *Calchedonens. dicuntur autem dimissoria, ut quæ ostendant, ex voluntate, ac dimissione Antistitis Clericum, vel Episcopum transiturum*. His dimissoriis ostendebatur, permissum esse Clerico ex sententia Antistitis sedem mutare, *Blastares in Syntagm. alphabetico*.

Quamdiù viguerit hæc in Ecclesia observantia, ut peregrini tam Laici, quàm Clerici cum
47 literis pacificis incederent, & reciperentur in hospitalibus; Christianus Lupus docet in *cap.* 20. *Tertull. de præscript.* nempe usque ad tempora Caroli magni, & Ludo ici pii, quorum temporibus adhuc in usu erat, ut patet ex Capitularibus *T.* 1. *cap.* 3. & appendice 2. *cap.* 10. *de vagis peregrinis*, & *cap.* 24. *de hospitalitate*, & *susceptione itinerantium &c.* Quamquam eò dixerim, laicis etiam tradi solitas literas pacificas; notetur tamen, literas honorificis peregrinis traditas, dictas fuisse commendatitias, *can.* 11. *Concil. Calchedon. notat Cabassut sæcul.* 2. *dissert.* 7. *n.* 4. Et quia Clerici sunt in dignitate, *can. multi dist.* 40. ideo & his commendatitiæ dabantur.

Finis verò cur indigerent his literis peregrini, si indagetur; sciendum, quod qui sine pa-
48 cificis ad iter se accingebant, a fratribus quidem humaniter excipiebantur, & omne genus solatii vitæ temporalis experiebantur; at sacrorum communio denegabatur. Cur ita? Quia erant in illis persecutionum sæculis suspecti, an essent Christiani, an rei alicujus delicti. Synesius *epistola* 65. *de Alexandro Episcopo* ibi: in causa Alexandri Basianopolitani in Bithynia sic scribit. Nosti igitur, venerande Pater, quo-
„ modo me gessi, in Ecclesiam eum non admi-
„ si neque sacræ mensæ participem feci, domi
„ tamen eumdem honorem largitus sum, qui
„ infontibus impendi solet.

Quid si dicam, quod hic peregrinus quasi excommunicatus habebatur? Et tamen ita est, ut colligitur ex Vita S. Joannis Chrysostomi. Si
„ placet, inquiunt, Domine spiritualis com-
„ munionis nondum illis consortium trade, ne
„ Papam contristes, ceterum in aliis omnia in eos
„ officia humanitatis exerce. Id enim tibi Epis-
„ copo convenit. Ita illos excipit Joannes, ad
„ communionem minime admittit. *Sozomenus item L.* 8. *cap.* 13. ibi: Viros istos comiter
„ excepit, & in honore habuit, & in Eccle-
„ sia preces fundere, non prohibuit; ad miste-
„ riorum vero communionem admittendos non
„ censuit. Ex quo intelligitur *can.* 13 Concilii Chalcedonensis, ibi: *nusquam penitus ministrare debere*; comprobat hanc speciem excommunicationis, *a Schelstrate can.* 7. *cap.* 12. *art.* 3. *pag.* 398

(g) *Relinquatur.*

Relicta hospitali, consentur ad pias causam relicta.

Hospitale est locus pius, lite *Pax Jordanus* 49
L. 7. *Tit.* 11. *Barbosa alleg.* 75. *n.* 14. Nam locus pius dicitur, in quo opera pietatis exercentur, judicanturque loci pii ex opere, & effectu, *Auth. hoc jus porrectum C. de sacros. Ecc. cap. de Xenodochiis de rell. dom. Clement. quia contingit de rellig. dom. cap. si hæredes cap. tua de testam.* et quamquam locus non sit relligiosus, & sacer, tamen locus pius est, *Mascard. de Prob. Concl.* 869. *n.* 34. Et ideo hospitalia etiam 50
privata auctoritate erecta immunia sunt a collectis, & aliis exactionibus, *Authentica item nulla L. omnia Privilegia C. de Episcop. & Clericis*, ut per hos Textus id docet *Antoniellus de loco legali L.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Ergo quod his relinquitur, pia dispositio est.

(h] *Non habeant.*

Hospitale pius locus est, etsi Ecclesiam non habeat.

Hospitale est locus pius, *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 8 Quamvis enim absque Episcopi au- 51
ctoritate fuerit erectum, non ex hoc infertur, esse locum profanum. Non erit quidem hospitale sine Episcopi auctoritate erectum, locus relligiosus: attamen locus pius erit, ut distinguit *Pax Jordan. L.* 7. *Tit.* 8 *n.* 13. Eodem pacto distinguere, oportet ad intelligendum, quomodo, si hospitale caret Ecclesia, sit locus pius. Id ipsum docet ultra *Pac. Jord. ubi supra n.* 14. *Barbosa alleg.* 75. *n.* 7. in quo in Titulo posuimus apposite explicantes.

Et plane magna differentia insurgit inter hospitale erectum Episcopi auctoritate, & erectum 52
auctoritate privata. Illud est locus relligiosus; Hoc est locus pius. Illud sine piaculo violari non potest, cum licet non sit consecratus, attamen extra nostrum commercium est, Doctores *ex L.* 2 *ff. de rellig. & sumpt. Antoniellus de loco leg. L.* 1. *cap* 3 *n* 4. Hoc vero nec gaudet immunitate, *cap. ad hæc de rell. dom.* & redire potest ad humanos usus, eo vivente, qui fundavit, secus defuncto, *Romanus Cons.* 477. *n* 1. & vendi, & obligari potest Abbas in *d. cap. ad hæc* eodem vivente, qui fundavit, ut explicat *Antoniellus ubi supra n.* 7. In quo contrarium disponens *Authent hoc jus porrectum C. de Sacr. Eccl.* est abrogata. Imo hæc hospitalia sine auctoritate Episcopi erecta propriè non dicuntur hospitalia, sed domus deputatæ ad hospitalitatem, eleganter *Antoniellus ibid. n.* 18.

[i) *Beneficium.*

DISSERTATIO IV.

In qua ad trutinam revocatur, an hospitale sit beneficium.

An hospitale conferri possit in Beneficium, acerrime disputatur, ut videre est apud *Tondutum* 53
cap. 1. §. 1. *n.* 9. *in Quæst. Benef. Gonzalez. in Reg.*

Reg. 8. *Concell. Gloss.* 5. §. 4. *n.* 4. *Lotth.* L. 3. *q.* 6. *de re benef. Amostazzum* L. 4. *cap.* 11. *T.* 1. *n* 17. *Pignattellum Tomo* 4. *Conf.* 142. *Garciam* 1. *P. de Benef. cap.* 2. *Mancinum Tripl. Jur. diss.* 5. *cap.* 3. Nos quid imitare regulæ sit habendum juxta canones, proponemus, tum satisfaciemus oppositionibus.

Sit nostra conclusio. Hospitale in Beneficium minime potest conferri.

Probatur I. Nam Clemens V *in Clem. quia contingit de rell. dom.* asserit, hospitalinm redditus pauperum sustentationi esse peculiariter deputatos, quamvis hospitalarii victum, & vestitum inde sibi possint assumere. Video e contrario *Inn. III. in cap. a crapula*, *& in cap. eum ab omni*, *de vita*, *& hon. Cl.* affirmantem, Beneficiorum fructus esse Clericis deputatos. Sejuncta igitur a bonis Clericorum esse bona hospitalis, canones voluerunt, & adeo sejuncti, ut ad Episcopi potestatem pertineant, non ad dominium; neque enim hæc bona hospitalium dici possunt de illa quarta pauperibus olim assignata per divisionem S. Simplicii, quæ quarta obsolevit. Inferendum est igitur, hospitale in Beneficium ab Episcopo conferri non posse, ut optime argumentatur Marsilius Columna *de Eccl. reddit. cap.* 26 *n.* 23. *pag.* 210.

Probatur II. Auctoritatibus, ultra rationem adductam nimirum ex *Clement. quia contingit §. ut autem de vell. dom.* ibi: *nullus ex locis ipsis in Beneficium sæcularibus Clericis conferatur.* Ex *Clement.*, *per literas de Præb.* ibi: *de Xenodochiis, leprosariis &c. nulli posse, decernimus, provideri.*

Probatur III. quia hospitalia officium potius, & administrationem ad instar tutelæ continere dicuntur, *L. Orphanotrophos C. de Episcop. & Cl.* & ideo sui natura laicis committuntur. Nam tutela sui natura ad laicos pertinet, non ad Clericos, *Concil. Chartagin.* 1. *cap.* 9. *cap. un. de oblig. ad ratioc. & passim alibi*. Ergò in Beneficium hospitale non conceditur. Urget consequentia, nam Beneficium sui natura est quiddam spirituale, *can. ex hit* 12. *q.* 1. *can. Ecclesiasticis* 12. *q.* 2.

Non obstat I. Textus *in Clementina quia contingit §. ut autem de vell. dom.* ubi statuitur, hospitalia non posse in Beneficium conferri, *nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem fit de Rectore locis hujusmodi providendum*, Ergò aliquando hospitalia in Beneficium conferuntur.

Respondetur, posse quidem in titulum Beneficii hospitalia conferri; non tamen regulariter in Beneficium. Dantur enim in titulum quando in fundatione, id dictum est; vel quando, per electionem providentur. Cum vero non in titulum dantur, sed in administrationem, utplurimũ manualia sunt; quia constitutio, & destitutio, per homines fit ipsius confraternitatis. Beneficia autem non sunt temporalia *cap.* 1. *de ren.* Primo casu hospitalia veniunt appellatione Beneficii, & comprehenduntur sub constitutione Pii V. de *publ.* & sub Constitutione Gregorii XIII. per quam resignationes omnium Beneficiorum sunt publicandæ, quas Bullas adducit *Flamin. Parisius de resign.* L. 11. *q.* 3. Ita distinguit etiam Gonzales *Regula* 8. *Glossa* 5. § 4. Quo circa, & resignatio hospitalis concessi in titulum publicanda erit; est enim publicatio inducta ad obviandum fraudibus.

Non obstat II. saltem in Beneficium concedi posse hospitale, ubi amplius peregrini, vel pauperes non excipiantur; nam si id non in Beneficium concedi nequeunt, ne ad alios usus bona relicta convertantur, sed peregrinis, vel morbo laborantibus inserviant, ad tradita *per Lancellottum hoc Tit. §. eodem in fine*. Cessante fine legis prohibitio, quoque cessabit, L *illud* 32. *ff. ad. L. Aqu. L. adigere* 6. *§. quamvis ff. de Jure Patr. cap. eum cessante* 60. *de Appell.*

Resp. luculenter iam Concilium Tridentinum dispofuisse, quid de fructibus faciendum sit deputatis ad tam pium opus hospitalitatis *in sess.* 25. *cap.* 8. nam fructus convertendi sunt, prout Ordinario, & duobus de Capitulo visum fuerit utilius, in alium pium usum nisi aliter in fundatione cautum fuerit. Ceterum ex rationabili causa a Sede Apostolica ad 4. menses tantummodo commendantur, cum clausula *ut omnes fructus in usus pauperum convertantur*, ut declaratum fuisse, narrat *Gallemart. ad præd. locum Concilii p.* 436. Addo aliam declarationem Cardinalium, qui censuerunt, quod alii miserabiles recipi possint, quamquam non reperiantur infirmi secundum primam institutionem hospitalis, idque refert *Gallemart. ubi supra*. Nunquam igitur permittunt Canones extra casus *Clementina quia contingit*, hospitalia in Beneficium conceda; sed regulariter reguntur ad hospitalatiis, sive Clericis, sive laicis ad regimen temporaliter præpositis, qui sunt puri administratores manuales, & amovibiles, ac proinde alieno nomine possident, & instar tutorum juramentum præstant, inventarium conficiunt, & rationes reddere tenentur *Card. de Luca de regal disc.* 91. *n.* 19. *Pammoll. decis.* 88. *adn.* 3. *n.* 22. *decis.* 161. *per tot. coram Cerro*, Quamquam dantur hospitalia, in quibus administratores etiam laici, tamquam fructuarii possident, non precario *Card. de Luca de Canon. discurs.* 17. *n.* 4. *Murga de Benef. Q.* 1. *n* 20. Talisque fortassis est Rector hospitalis Bigalli Florentiæ ex concessione Pauli III. ubi Rectori possessio, qualem habet fructuarius, conceditur.

54

55

Non obstat III. Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit *humano* 85 *Bullarii magni Angeli Cherubini Tomo* 2. *pag.* 468. ubi resignatio hospitalis, de eorum, quorum interest voluntate facta, publicanda est in loco, ubi illud situm est, alias vacat. Sed nulla resignatio est solita publicari, nisi Beneficii; ergo hospitale Beneficium est.

Resp. falsum esse, quod resignatio publicanda sit

da sit tantummodo Beneficiorum, quæ præsso, & stricto sensu Beneficia sint, *Gomez, in Regul. de triennali possessione q. 7. Murga in hac Quæstione Tract. de Benef Q. 2. n. 33* Rationem cur publicentur resignationes, ea est, ut Ordinarii rationes exigant bonorum dispensatorum; & ut coloni, & debitores xenodochiorum sciant apud quos proventus deponant *ita Murga, ubi supra*.

[l] Visitandi.

Episcopi quomodo jus habeant hospitalia visitandi.

Quod præcipiebatur in Concilio Viennensi, prout habetur in *Clement. quia contingit de relig. dom.* ut Ordinarii supplerent negligentiam eorum, qui curam hospitaliu accuratam vix haberent; id a Concilio Trid. renovatum est *sess. 7. cap. 15. sess. 25. cap. 8. de Reform.* Quæ dispositiones omnia hospitalia, quocumque nomine sint prædita, complectuntur, *Barbosa alleg. 75. n. 11.* Episcopus enim est pater pauperum, curatorque bonorum eorumdem, *L. id quod pauperibus L. si quis C. de Episcop. & Cl.*

56

Et ideo hospitalia visitare poterit, non solum in actu visitationis consuetę, sed etiam alio tempore, & in casibus a Jure non expressis, ut censuit Sacra Congregatio apud *Bellettum, disquisit. Cleric. p. 1. Tit. de bonis Cleric. §. 12. n. 6.*

Idque procedit, quamvis hospitalia essent exempta, unita vel contraria consuetudine etiam immemorabili, indulto, vel privilegio vallata, *Trident. sess. 25. de Ref. cap. 8.* omnia sustulit his verbis: *Non. obstante quod ad omnia prædicta quæcumque unione, exemptione, & consuetudine in contrarium etiam immemorabili, sive privilegiis, & indultis quibuscumque.*

Verumtamen prædicta Episcopi auctoritas non excludit laicos Dominos, & Judices, quin, & ipsi visitent, sed poterunt munus suum exequi
57 *Barbosa alleg. 75. n. 15.*

[m) Principibus.

An Episcopus hospitalia sub Regum protectione visitet.

Adnotatio superior regulam continebat, quod hospitalia visitandi Ordinarius jus habeat. Nunc
58 exceptionem proponimus: nisi sub Principum existant immediata protectione. Hęc inquam exceptio est, nam regula contra Abbatem *in Cons. 210. n. 3. P. 2.* aliter existimantem, est hospitale non esse a jurisdictione Episcopi exemptum, *cap. de Xenodochiis de Relig. Dom. can. si quis Episcopum 16. q. 1. can. Abbatibus 18. q. 2. Flamin. de resign. P. 1. L. 7. q. 9. n. 2. Chocheer Part. 1 de jurisd. q. 31.*

Porrò exceptio est apud Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 8. de Reform* habeat *Jus visitandi hospitalia* (*& infra*) *non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia*.

Extat satis notabilis declaratio Cardinalium de hoc decreto, circa fori competentiam Nam si opponatur exceptio, quod hospitale sub Immediata Regis protectione existat, utique non ad Sæcularem Judicem, sed ad ipsummet Episcopum talis exceptionis cognitio, vel definitio pertinebit, quam declarationem his verbis enunciat *Gallemart ad Concil. sess. 22. cap. 8. Marta de Jur. cap. 18. n. 8.* Quamvis insuper Concilium de solis loquatur Regibus, intelligitur tamen de ceteris Principibus supremis, jure Imperii in suis Dominiis habentibus nullumque superiorem recognoscentibus, cujusmodi sunt Regia Celsitudo Magni Ducis Florentiæ, & Subaudię, & Serenissimus Venetiarum Dux, Parmæ, & similes, ut notat *Fusçus de visit. L. 2. cap. 13. n. 3. Pax Jord. L. 7. Tit. 11. n. 42.* 59 60

Ut vero hæc exceptio locum habeat, non sufficit, hospitale reperiri situm in Provinciis eorumdem Principum, sed opus est, ut sub immediata protectione existat, ut censuit Sacra Congregatio, cujus verba vidi apud *Gallemart in hunc locum Concilii pag. 200.* enunciata *a Riccio in Praxi Resol. 143. Vol. 3.* 61

(n] Exigere.

Episcopus ab administratoribus hospitalia rationes exiget.

Non solum visitat Episcopus hospitalia, sed, ut ad ministratores reddant rationem compellet. *Trid. sess. 22. cap. 9. ibi: administratores tam Ecclesiastici, quam laici, cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis hospitalis (& infra) singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.* Imo etsi consuetudine, Privilegio, & institutione aliqua personis aliis ad id officium electis ratio esset reddenda prædictæ administrationis, reddenda est tamen Ordinario, cum interventu dictorum electorum, ut his verbis declaravit Sacra Congregatio, quam refert *Gallemart ad Concil. sess. 22 cap. 9. pag. 202.* 62 63

Et quia Concilium postquam statuit, reddendam esse Episcopis rationem administrationis, ita loquitur ibid: *Nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset.*

Nec satis discernitur, an hoc de hospitalibus etiam intelligatur, declaratione opus fuit, & hæc emanavit statuens verba illa *nisi &c.* locum habere etiam in hospitali, quam adducit Gallemart *ubi supra pag. 202. n. 6.*

[o) Ætatem.

Ætas administratio hospitalium

Cura, & administratio hospitalium personæ committi debet, quæ annum 25. ætatis suę compleverit, ad instar tutorum. Tutores minores annis 25. esse non possunt §. *furiosus instit. qui testamento tut. dari poss.* Nam qui alieno auxilio 64

in re-

in rebus suis administrandis indigent, & ab aliis reguntur, alios regere, & gubernare qui possint? §. *item major de excus. tut.* L. 1. *ff. de minor.* L. *ult.* C. *de legit. tut.* Quodipsum ad administratores hospitalium transfert *Cardinalis in Clem. quia* §. *fin. q.* 3. *Gomez. in cap. fin. n.* 8. *de Jud.*

(*p*) *Satisdederint.*

Administratores hospitalium satisdant.

Satisdationem quidem hi tutores a Jure nostro
considerati prestare non obligantur summo jure
65 cum dentur ex inquisitione, L. *Orphanotrophas*
C. *de Episcop. & Cl.* at observantia contraria
est, ut notat Lancellottus *in glossa ad* §. *eodem*
hoc Tit. his verbis: *Vidi tamèn servari, quod hujusmodi personæ satisdent.*

[*q*) *Suspecti.*

Suspecti administratores removentur.

Suspecti administratores, præter alios casus,
66 ii dicuntur, qui uxores, & filios habent, *can.*
de Siracusana dist. 28. Utcumque sit, suspectus,
aut satisdare debet, aut removebitur. Multo magis
removebitur malus administrator, nec quidquã
interest, an hospitale sit Juris Patronatus, nam si-
67 militer Episcopus eum removere poterit, ut fir-
mat *Pax Jordan.* 7. *L. Tit.* 9. *n.* 38. *pag.* 43.

(*r*] *Sacramenta.*

Qui nam in hospitalibus Sacramenta administrent.

Audi §. ultimum *Clementina quia contingit.*
de Rell. Rum. „ Ceterum nostræ intentionis
68 „ existit, quod siqui sint hospitalia, altare,
„ vel altaria, & cæmeterium ab antiquo habentia,
„ & Presbyteros celebrantes, & Sacramenta
„ Ecclesiastica pauperibus ministrantes,
„ seu si Parochiales rectores consueverint in illis
„ exercere premissa, antiqua consuetudo servetur
„ &c.

Interpetror hanc Clementinam. Quod si privilegio, aut præscriptione competeret exemptio, & animarum cura per Sacerdotes hospitalis exerceretur, Parochus jus administrandi eripere non posset. Ceterum duo Sacerdotes, sive Regulares, sive seculares singulis hospitalibus conceduntur
ad Sacramentorum administrationem ex constitutione Gregorii XIII. & XIV. & Pii V. &
Sixti IV. Pauli V. ex ordine 261. Bullarii Cherubini Tomo 3 *pag.* 261. & ex literis Urbani VIII.
in forma Brevis *circumscripta dat. Romæ* 18. April.
1628. de quibus *Barbosa de jure Eccl.* L. 1. *cap.* 70
41. *n.* 261. qui uti Parochi habentur, notat *Panimoll. decis.* 3. *annot.* 5.

Externis autem Sacramenta administrari non
possunt, ut declaravit *Sacra Congregatio* 1617.
Rimini 5. *Maii* 8. *apud Nicolium can. inst.* 71
L. 3. *T.* 38.

(*s*) *Sepeliantur.*


De sepultura morientium in hospitalibus.

Dum visitat Episcopus hospitalia, inquirit, an
post mortem Charitate debita sepeliantur, qui
vita excedunt in hospitalibus, ut formulam vi-
sitationis adducens, notat Pax Jordanus *ubi supra* 72
sub n. 47.

Quodattinet ad hanc sepulturam, notandum
insuper, Rectores hospitalium, cum Stola, &
superpelliceo non posse associare cadavera, quæ
in aliorum Ecclesiis tumulentur, licet in eodem 73
hospitali decesserint, sed ejus foribus dicent
ultimum *vale*. Quamvis Parochus Monachus
exire possit, & extra propriam Parochiam cadaver
associare, & sæcularem Parochiam ingredi, sicut
è converso sæcularis Regularem, ut declaravit *sacra Congregatio Rit. sub. die ult. sept.* 1628 *& alia Asculana* 29. *Jun.* 1629. *testatur Barbosa de off. Parochi n.* 77. *&* 78. *Panimolles ubi supra.*

DE SEPULTURIS.

TITULUS. XXVI.



Amus nunc, studiose Juris, ad sepulchra. Quid horres protinùs, & expallescis? Vita in tuto est, si ante tempus mori didicimus. Stultissimum nostræ mortalitatis oblivisci; stultissimum, nimis in longum differre sana consilia. Partem tui fragilem specta. Pulvis es. Nosce te ipsum, nosce tui partem nobiliorem, quæ expers interitus, soluta tandem concretione corporis in Cælum evolabit. Proh quàm fructuosis Morte magistra instruimur cognitio-

nibus. Sepulchra igitur, & cineres, & cadavereos truncos intrepidè spectemus.

Et quidem hic mos invaluit piissimus, probatissimusque in Ecclesia, ut intra Basilicas cadavera baptizatorum conderentur; (*a*) nonquidem semper in usu (*b*) fuit; nam fideles vita functi in publicis cęmeteriis, aut atriis Templi condebantur, & exedris, idest claustris, *can. præcipiendum* 13. *q.* 2. Solique Episcopi, Abbates, aliique vitæ sanctimonia percelebres hac prærogativa tumulum habendi in Ecclesia, fruebantur, *can. nullus* 13. *q.* 2. Postea, quod erat paucis concessum, dignitatis, virtutisque causa, omnibus aliis liberaliter indultum (*c*) est. Sepultura enim in Ecclesia prodest [*d*) defunctis.

Non tamen omnis in Ecclesia locus indistinctè conceditur ad sepulchrum. Non licet tumulos ipsa humo altiores, nec ibi cuiquam statuas, aut vexilla (*e*] militaria, vel trophæa ponere, *ut ait Concilium Remense in cap.* 8. Et extat decretum Pii IV. de quo *Mandosius in addition. ad Lap. alleg.* 83. & Pii V. *cum primum ad Apostolatus* §. *ut in Ecclesiis anni* 1566. *de quo Fuscus de Visit. L.* 1. *cap.* 10. *pag.* 67. quibus, in profundo terræ humari cadavera, decernitur, exceptis tumulis Prælatorum, & marmoreis sepulchris, quę nec altaria superemineant, nec iis adhęreant. Et Sacra Congregatio *in Interamnen. die* 13. *Sept* 1593. prohibet, cadavera sub scamno altaris humari, quam refert Pignattellus *Tomo* 4. *cons.* 32. Hoc enim venerationis specimen præsefert, quod, & defunctis cum opinione sanctitatis prohibet Urbanus VIII. *in Bulla de beatif. & canon. Sanct.* Porrò sub hoc scamno Sanctos tumulari solitos, deducitur ex Paulino *epist.* 12. *ad Severum.*

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum.
Regia purpureo marmore crusta tegit.

Sed neque omnibus jus est in sacratis locis habendi sepulchrum. Nam nec Paganus, (*f*) nec Judæus, [*g*] nec Hæreticus, (*h*) nec Vsurarius, (*i*) nec qui sibi mortem [*l*) conscivit, nec homicidæ (*m*), nec incendiarii, (*n*] nec violatores [*o*] Ecclesiarum, nec incestuosi, [*p*) nec blasphemi, (*q*] nec excomunicatus, (*r*] nec ullus pro manifestis damnatus excessibus (*s*] Ecclesiasticæ tradi poterit sepulturæ. Imò, si discerni poterit, exhumari debet, proculque ab Ecclesiastica iactari sepultura. Quod si discerni non poterit, alia etiam ossa sunt extumulanda *cap. sacris de sepult.* Cautus ergò sit Parochus; nam latæ sententiæ incurret excommunicationem, si hujusmodi personarum, quæ impęnitentes decesserint, fuerit ausus in Ecclesiis cadavera tumulare *Clem.* 1. *&* 2. *hoc T.* Notetur quid dixerim: impænitentes defuncti arcendi sunt a sepulchro. Ergò qui pro scelenbus suis in patibulis (*t*) suspenduntur, quoniam pæna extrema justitię satisfecerunt tam divinę, quam humanæ, sepultura

tura Ecclesiastica indigni non sunt: quemadmodum nec ab ea sunt arcendi, quos casus improvisus [*u*] oppressit. Constat, quę, & quibus parata sit morientibus sepultura.

Ecce iam decumbit Titius febre correptus lenta primum, tum in artus, in viscera, in nervos, ipsasque medullas incubuit: Ecce hominē debilitatum prorsus, itaque afflictum, ut corpore jam pene amisso, & consumpto distabescat, nullamque suę salutis spem reliquam ostendat. Quoniam igitur omnia remedia omnesque Medicorum conatus elusit mali pertinacia, Medico animæ iterum accersito, contractas tota vitæ noxas Christiano ritu confitetur, corpus Dominicum accipit, mandatque de funere. Hic subsisto. Si jam pro omnibus de familia (*z*) sepulchrum fuerit constructum, non ambigitur Titium quoque ejusdem agnationis ibi esse tumulandum. Si proprium sepulchrum nullibi sit, liberum est cuilibet, quo velit loco sepulturam sibi deligere, (*y*) uxori inconsulto (*aa*) marito; filio, non (*bb*) requisito patre. Ea non electa in Parochiali [*cc*] Ecclesia cadaver humandum est. Redeo, undè discesseram.

Postquam igitur se vidit Titius in eam adductum necessitatem ut naturæ satisfaceret, postquam oleo infirmorum est delinitus, demigrantisque animę totum se dedidit commendationi, expiravit.

Jam cadaver in locum, ubi resurrectionem expectet, est efferendum. Olim pænitentium officium erat efferre Ecclesię mortuos, & sepelire, *Concil. Carthag. IV. can.* 8. ibi: *mortuos, pęnitentes Ecclesia efferant, & sepeliant*. Jam verò quid observetur, exponam. Possunt hęredes ad pompam (*dd*) funeris, & Confraternitates, & variorum Ordinum Religiosos convocare, *S. Congregatio Rituum in Bononiensi 9. Decemb.* 1617. *quæ de Confraternitatibus disponit*, quæ tamen Crucem non erigent, *Sacra congregatio in Anarien.* 22. *Nov.* 1631. apud Barb. de *Univ. Jur. L.* 2. *cap.* 10. *n.* 61. Vocati omnes ad funus debent ad Ecclesiam Parochialem defuncti convenire, non verò ad ejusdem domum, *Sacra Congr. Rit. in Thelesina* 12. *Febr.* 1633. *apud Barbos. ubi supra*. Inde cum Parocho ad domum se conferent, undè cadaver est desumendū, *Sacr. Congr. Senogallien.* 26. *Aug.* 1616. *apud eumdem Barbos.* Crux præcedet illius Ecclesiæ, in qua tumulabitur defunctus, *Sacra Congr. Rit. in narvien.* 30. *Sept.* 1614. Et quia sæpe contingit, tumulari defunctum in Ecclesia Regularium, non potest a Parocho contendi, ut propriæ etiam Ecclesiæ vexillum Crucis erigatur. Crux unica esse debet, *Sacra Congr. Rit. in Camerinens.* 21. *Nov.* 1637. Ultimo loco procedit Parochus, ut rescripsit Cardinalis Sanctorius *in Sacerdotali*. Possunt directè cadavera deferri ad Ecclesiam, inqua sepelienda sunt, *Sacra Congreg. in Umbriaticensi* 25. *Febr.* 1606. *& in Poligan.* 21. *Maii* 1618. *apud eumdem Barbos.* Eò cum pervenerint, ad Regulares pertinet justa persolvere, *Sacra Congregatio in Tolentana de Baraxas sub die*

 19. *Jul.*

19. *Jul. 1636. apud Laur. de Peyrin. de Priv. Reg. Tomo 3. in fin.* Quarta tamen parte fraudandus non est Parochus, quæ canonica portio dicitur, de qua in Titulo sequenti.

SUMMARIUM.

83 *Tran.*

EXPLICATIONES.

(a) Conderentur.

Pace Ecclesia data intra Ecclesias cadavera condebantur.

Vides, hunc locum postulare, ut notitiam antiquitatis, ad ea, quæ traduntur in Titulo confirmanda, proponamus. Equidem & ante Constantinum in locis profanis sepelire Christianos, interdictum fuisse, apparet, quod Martiali Episcopo crimini datum est, se in profanis Gentilium sepulchris fideles deposuisse: narratur, *a Spondano in epit. Baron. anno* 258. *n.* 2. Constantinus ipse magnus in Basilica Sanct. Apostolorum, quam ædificavit Constantinopoli, sepulchrum sibi posuit, ut defunctus quoque precationum, quæ ibi essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur, *Eusebius* 4. *de vita* 60. Quare et Concilium Carthag. 4. habitum anno 308. hunc morem in Ecclesia sepeliendi attingit *can.* 81. ibi: *mortuos pænitentes Ecclesia efferant, & sepeliant.* D. Augustinus *in can. non æstimemus* 13. *q.* 2. ita loquitur: „ Quod verè quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto &c. Exprimit hunc morem etiam S. Paulinus Nolanus Episcopus dum ad finem Panegirici C Ilo puero dicti sic cecinit:

Quem complatensi mandavimus urbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martiribus,
Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.

Et Clodoveus sepultus est in Ecclesia anno 511. *Cabassut. in facul.* 10. *pag.* 365.

(b) In usu.

An tumulari in Ecclesiis cadavera semper consueverint?

Receptissima quidem hæc olim consuetudo fuit, ut quorumcumque Christianorum corpora intra Ecclesias tumularentur; Sensim tamen quidam abusus irrepsere.

Nam omnes summo nisu expeterent ad ipsum altare Domini collocari, eisque concedebatur indistinctè. Quocirca cum pravi homines quidam, id, nescio, quo pacto, impetrassent, & fortassis ob præpotentiam; eveniebat inde divinitus eiici, ut Gregorius Pontifex narrat L. 4. *Dial.*

Dial. cap. 50. ac propterea cautum fuit legibus Canonicis, ne quis in Ecclesia sepeliretur.

Putant quidam, Vasense Concilium id prohibuisse *in can. præcipiendum* 13. *q.* 2. Sed errant
3 probè; cum magis tenor prohibitionis ad Namnetense Concilium pertineat, *cap.* 6. ubi ipsa verba reperiuntur, quę *in can. præcipiendum*. Nam ante Vasensia Concilia, vix ullibi, id prohibitum invenitur. Nam Bracharensis Synodus 1. *cap.* 18. ubi legitur: *ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur*, longe post novissimum Vasense Concilium contigit. Bratcharense Concilium sub Honorio Papa primo celebratum est circa annum 121.

Extat epistola decretalis de construenda Ecclesia Episcopo Messanensi scripta a D. Gregorio Magno primo, *in ejus regist. L.* 12. *ind.* 7. in qua sic ait .. Et ideo frater carissime si in tuæ .. Diœcesis Civitatis jure consistit, & nullum .. corpus ibidem constat humatum &c.

Extat & Textus *in can. Ecclesiam* 27. *de consf. dist.* 1. cujus litera comprobat assumptum nostrum, quo statuimus sacris Canonibus fuisse prohibitum, cadavera fidelium in Ecclesia sepeliri.

[*c*) *Indultum est*.

In Ecclesiis omnes tumulari posse concessum est.

Omnibus tandem pia Ecclesia concessit, in-
4 dulsitque, ut sibi in Ecclesia possent eligere sepulturam.

Probatur ex Paschali 2. qui sedit anno 1099. allegato *in parte* 43. *Concilii Lateranensis sub Alexandro III cap.* 1. ibi .. Volumus, ut juxta .. canonum sententiam nobis probabile videtur, .. ut sicut morienti concedit rerum suarum judicium facere, quocumque loco sibi placuerit, sic nimirum justum est, sui corporis licentiam habere eligendi sepulturam in quocumque loco voluntas extiterit, sive in Monasteriis sive in aliis locis.

Comprobatur ex *cap. ex parte de sepult. ex cap. cum liberum cod. Tit.* & passim alibi.

Quocirca quæcumque Basilica, & Ecclesia etiam regularis, quamquam Parochialis nonsit,
5 potest recipere quemcumque in ea sepulturam eligentem.

Nam initio quidem cæpit hoc indulgeri huic, vel illi Religioni. Tandem omnibus generatim concessum fuisse, constat. Utramque propositionem demonstro.

Cæpit hoc indulgeri huic, vel illi Religioni. Alexander Papa III. Hyrachensi Asceterio id concessit oct. Kal. Jul. anno 1172. cujus verba refert Murga de sepult *disq.* 3. *n.* 33 *pag.* 257. Alexander IV. idem concessit Cænobio S. Emiliani Kal. Maii anno 1259. Eugenius IV. Congregationi Sanctæ Justinæ, & aliæ similes concessiones *sunt apud Murgam ubi supra*. Sixtus IV. Patribus Ordinis Prædicatorum idem permisit anno 1474. prid. Kal. sept. *in illorum Mari magno* §. 28. Idem Sixtus Augustinianis VII. Id. Sept ejusdem anni §. 2. Idem etiam minoribus *in Mari magno* prid. Kal. ejusd. mens. & anni §. 30. Idem Carmelitanis *in Mari etiam magno* 4. Kal. Dec. 1477 §. 57. & nonnibil habetur in *Clementina duarum* 9. *hujusmodi de sepult*.

Tandem omnibus id generatim concessum fuit. Nam Pius V. ut ait Rodriquez *in compendio Quæst. Regul. resol.* 128. *n.* 3. statuit, non posse 6
a Parochis impediri electionem sepulturæ in Ecclesiis Regularium.

Imo etiam in Ecclesiis Monialium eligi posse sepulturam, dummodo intra septa Monasterii cadaver non recondatur, nisi intra septa reperiretur sepulchrum familiare, & hęreditarium, 7
decet *Ventriglia Tomo* 1. *annot.* 52. §. *un. n.* 47.

[*d*) *Prodest*.

Sepeliri in Ecclesia quantum prosit.

Inutilem vitabo sermonem; autoritatibus agendum est, ut manifesta reddatur utilitas, quæ in 8
animas eorum promanat, quorum corpora condita sint in Ecclesia.

D. Augustinus *in can. quibus* 17. *q.* 2. hæc habet: *quibus peccata dimissa non sunt, a sacris locis post mortem adjuvari non possunt*; ergo si pœnitentes obiissent sacrum Sepulchrum auxilio extitisset.

D. Augustinus *in can. non æstimemus* §. *quod vero* 13. *q.* 2. hæc habet .. Quod verò .. quis apud memorias Martyrum sepelitur hoc .. tantum videtur mihi prodesse defuncto, ut .. commendans eum etiam Martyrum patrocinio affectus pro illo supplicationis augeatur.

S. Maximus Episcopus Taurin. in homil. in Natal. Sanctor. *quæ apud D. Ambrosium. est consion.* 6 *de Sanctis*, ibi .. cum Sanctis ergo martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras .. eorum propriis meritis &c.

S. Gregorius *in can. cum gravia* 12. *q.* 2. ibi .. cum gravia peccata non deprimunt hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod .. eorum proximi quoties ad eadem sepulchra .. veniunt, suorum, quorum sepulchra aspicit, .. recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.

Hinc qui ad minus religiosa loca se transferri post mortem disponunt *irrationabiliter* facere dicuntur, *cap. fraternitatem de sepult.* & meritò. Quia auxilio, quod experimur ex Ecclesiastica sepultura non dubitant se ipsos orbare.

Hinc in pœnam nonnulli a sacra arcentur sepultura, *cap. ad hæc de privilegiis can. Ecclesiam de consecr. dist.* 1. *cap. sacris* 12. *de sepult. cap. a nobis de sent. excom.* ne hujusce utilitatis participes fiant.

Neque alter D. Augustini locus omittendus *in tract. de cura pro mortuis gerenda* prope finem ait .. ut corpori mortuo, sed tamen re- .. surrecturo, & in æternitate mansuro impen- .. sum ejusmodi officium sit etiam quodam- .. modo ejusdem fidei testimonium.

(*e*] *Pone*.

(e) Ponere.

DISSERTATIO I.

Ubi varia ad sepulchrorum magnificentiam pro explicatione Concilii Remensis.

Tolerabilem esse jacturam sepulcri, rigida Stoicorum schola sentiebat; tabesne cadavera solveret, an rogus, haud interesse, humine, an sublime putrescas exiguę sollicitudinis putandū Sed hæc, & alia in contemptum sepulturæ effutiebant pa-
9 ri fastu, & impietate, miserabiliter ignorantes speratam certissimeque creditam, a nobis corporum resurrectionem.

At hoc bene cultis nationibus insitum fuisse, memorant historiæ, ut curam non mediocrem haberent sepulchri; imo eo progressi sunt, ut non injecta humo contenti essent, non lapide, qui corpus operiret, sed superflueret mol s immensas, aut vario monumentum ornatu decoratent.

Quare Virgilius in funere miseni L. 6. Æn.
At pius Æneas ingenti m te sepulcrum
Imponit, suaque arma Viro, remumque tubāque
Vopiscus *in Probo* .. pugnavit, & singulari cer-
10 .. tamine contra quemdam Aradionem in A-
.. frica, eumdemque prostravit: Et quia for-
.. tissimum, ac pertinacissimum virum viderat,
.. sepulchro ingenti honoravit.

Cicero Philippica 14. Militibus illis, qui prælio Mutinensi telis hostium confossi cecidissent, honorificentissimum decernit monumentum.

Sibi, suisque Augustus in campo Martio Mausoleum extruxit, eoque pleno magnificè exedificata est moles Hadriani (quæ nunc arx Sancti Angeli nuncupatur) ad pontem Ælium.

De Porsennæ Regis Ethrusci monumento *Marcus Varro* scribit sub Urbe Clusio monumentum ejus fuisse lapide quadrato: singula latera pedum lata triceuum, alta quinquagenum, inque basi quadrata intus fuisse labyrinthum inextricabilem: pyramides quinque superpositas, quatuor in angulis, in medio unam cum tintinnabulis, quæ vento agitata longe sonitus referrent.

Et quoniam, ut ad Romanos revertar, *Javolenus* in L. *caveri* 4. *ff. comm. præd.* ita scripsit:
:. caveri, ut ad certam altitudinem monumen-
.. tum ædificetur, non potest: quia id, quod
.. humani juris esse desiit, servitutem non recipit.
Hinc infertur, Romanos tumulum posuisse pro facultatibus, & pro arbitrio modo altiorem, modo humiliorem, ut infert *Kirchmannus de fun. Rom.* L. 3. *cap.* 16. Utque operosiora essent sepulchra, etiam statuas, & ingentes columnas iniis excitatas fuisse, colligitur ex veteri inscriptione apud eumdem Kirchmann. LOCUM. SEPULTURÆ. ET. STATUAM. DECREVIT. ÆMILIA. LUCIA. MATER. Erant hæ statuę
11 Diis manibus sacræ. Et quę his carebant, sepulchra dicebantur *Paga*. De Columnis vero, Eutropii L. 8. de monumento Trajani, exemplum sufficiat .. Solus omnium Imperator intra ur-
.. bem sepultus est, ossa eius collocata in ur-
.. na aurea in foro, quod ædificavit sibi colum-
.. na ibi posita, cujus altitudo 140 pedes habet.

Variis simulacris exornari sepulchra antiquitus consueverunt, ut ludorum curulium, equestrium certaminum, triumphorum, Deorum luctuum, amotum equitantium, Deorum Marinorum in piscium caudas desinentium, Plutonis Proserpinam rapientis, laborum Herculis, ut ex sepulchris, quæ per Urbem multis in locis occurrunt notat *Geor. Fabricius in Roma sua cap.* 21. *Rosinus antiquitat. L.* 5. *cap.* 39.

Nolo, quæ Kirchmannus, Spondanus, Magius, Cęlius Rhodiginus, de Sepulchris Romanorum ubertimè tradiderunt, huc transferre, & quæ eruditissimum opus, cui Titulus Cenotaphia Pisana, continet, ab Eminentissimo nec unquam satis laudato Viro Cardinali Henrico Noris compositum, quod sane opus, & si solum prodisset expers funeris nomen ejusdem, ad omnem memoriam propagasset.

Mitto floribus exornari tumulos consuevisse, ut ex Virgilio constat L. 5. ubi Æneam purpureis floribus patris tumulum aspergentem inducit, latè *Magius L.* 1. *Miscell. cap.* 17.

Mitto lucernas accendi solitas, ut ex *Suetonio* constat *in Augusto cap.* 11. L. *Mevia ff. de manumiss. testam.* ibi: omnes sub hac conditione
.. liberi sunto, ut monumento meo alternis men-
.. sibus lucernam accendant.

Non insistam prolixè in commemorando, quàm putarent veteres honore prope divino augeri, si sepulchris lucos addidissent, & nemora, prout ostendit *Bencius in Orat. de funer. Rom. pag.* 449.

Venio jam ad Christianorum tempora. Nec verò absque consilio operosa veterum sepulcra sunt a nobis saltem eviter, & cursim indica 12
ta, nam eò spectant omnia, ut facilius percipiatur locus Concilii Remensis in nostro Titulo adductus §. non tamen. Dum ait: *Non licet tumulos ipa humo altiores, nec ibi cuiquam statuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere.* Concilium structuram sepulchri recedere cupit ab omni superstitione Gentilium, dum statuas, & vexilla militaria, vel trophæa ponere prohibuit. Quemadmodum, & prandia ad defunctorum sepulcha more gentilium deferre, prohibet Textus *in can. non oportet* 19. *de consecr. dist.* 5. ibi: *non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre*; Nam ea de causa Gentiles irridet *Tertullianus de resurrect. carnis cap.* 1. ibi: *defunctis parentant, & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum.* Existimabant enim ut vesci animas, & delectari, ut notat D. Augustinus *sermone* 15. *de Sanctis*, & idem Tertullianus ib. *quos postmodum gulosissimè nutrit.* Hinc Textus L. 3. *sub fin.* locum, in quo funereę dapes comburerentur, culinam dixit; unde suspicatur Magius *L.* 1. *Miscell. cap.* 10. *pag.* 112. tractam fuisse Cæmeterii originem, quamquam id probare non possit. Eodem

dem pacto florum effusionem, ne ritui gentiles permiscerent, antiquiores Christiani penitus ab horruerunt, quod inter crimina Christianis objiciebatur, teste Minuccio Felice *in Octavio* ibi: *Coronas etiàm sepulchris denegatis pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrum Deorum*.. a quo postea Christiani recesserunt. Quare Prudentius *hymno in exequiis defunct.*

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Pari ratione cum Gentiles ad sepulchra defunctorum faces accendere consuevissent, *Suet. in Tiber. cap.* 98. ne fidelium mentes scandalum paterentur, hunc ritum prohibet Concilium Illiberinum *can.* 34. ibi.. Cereos per diem placuit .. in Cœmeterio non incendi, inquietandi enim .. Sanctorum spiritus non sunt.

Eodem igitur modo Concilium, quod explicamus, prohibendo statuarum erectionem, & alia ornamenta, de quibus loquitur, amolitur memoriam Gentilitiæ superstitionis. Etenim, & Ægiptios legimus prægigni magnificentia construere sepulchra consuevisse, quod sepulchra defunctorum domos sempiternas fore, arbitrarentur, notat *Cælius Rhodig. L.* 17 *cap.* 20. *pag.* 506. Christiana Relligio firmissimè, certoque credit, corporum resurrectionem. Eumque pariter ritum gentilem cremationis Christiana Relligio sustulit laborantibus in eo Sanctis Patribus. Quodcum Paganus illis vitio verteret apud Minutium Felicem: *Inde videlicet execrantur rogos, & damnant ignium sepulturam*, sic respondetur criminationi ab Octavio: *Nec ut creditis ullum damnum sepultura timemus, sed & veterem, & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.*

Et adeo Gētiles statuas superimpositas magni faciebant, ut relligio violata censeretur, siquis *statuam è monumento* evulsisset, ut loquitur Textus *in L.* 5. *C. de sepulc. viol* At præsertim quid opus hisce ornamentis cum agitur de eorum sepulchro, qui apud Sancti alicujus memoriam optant tumulari, ut optabant olim Christiani, prope Relliquias Sanctorum Martirum condi, *Baron. Tomo* 4 *anno* 383. *ac* propterea inutilis illa columnarum, statuarumque dedecent ornamenta, in Ecclesiis ubi Christiana semplicitas, puritasque debet radiare. Et hęc satis ad explicationem Concilii Remensis.

[f) Paganus.

Paganus privatur sepultura Ecclesiastica.

Æuo quidem S. Joannis Chrysostomi nemo li-
13 cet facinorosus, & Christianæ Relligionis inimicus sepultura privabatur, *sermone* 35. *in* 1. *ad Corinth. ejusdem S. notat Gonzales in cap. Sacris de sepult.* Quamquam ex doctrina Christi firmum eliceretur argumentum, vitandam esse a fidelibus omnem cum quibuscumque infidelibus sepulturæ sive activæ, sive passivæ communionem; nam verba illa *Lucæ* 9. *dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me*. Euthimius ex Chrysostomo: *hom.* 28. *in Matth. cap.* 10. *in Matth.* 8. sic accipit.. Opinor, eum .. qui mortuus erat, infidelem fuisse; ideoque .. dixisse Christum, dimitte mortuos, hoc est .. recede ab his, qui in fide mortui sunt, ut .. sepeliant mortuos, qui ipsos contingunt nam .. hic mortuus non est: neque enim fideli pars .. est cum infideli: Et Theophilactus *in Luc.* 9. ibi.. dicens sine, mortuos sepelire mortuos suos .. insinuant incredulum fuisse patrem illius: & .. propterea indignum cujus curam ageret filius, .. qui crediderat.

Ac propterea executioni mādari cæpit hoc Domini præceptum, privarique sepultura infideles, Pagani, Judæi, ceterique. Hinc Martialis Asturicensis Episcopus gradu depositus fuit, quod inter alia gravia scelera, ut scribit S. Cyprianus *epistola* 68. *filios exterarum gentium more, apud profana sepulchra deposuisset*. Cōcilium verò Aurelianense *in can. Ecclesiam* 27. *de cons. dist.* 1. hæc habet: *Ecclesiam, in qua Paganus sepultus est, non liceat consecrare*. Quare Otto Episcopus Bambergensis, ut est *in Chron. Abb. Usberg. ann.* 1124. hanc reliquit commonitionem; *ne sepelirent mortuos Christianos inter Paganos in silvis*.

Eaque ratio inculcatur a sacris Canonibus; quod quibus viventibus non communicamus, ne in morte quidem communicare debemus, *can. sane* 24. *q.* 2. *cap. ex parte de sepult. cap. a nobis de sent. excom.*

Et adeò verum est, Paganos sepultura Eccle-
siastica privari, ut ne infantes quidem Christia- 14
norum mortui sine Baptismo sepeliri debeant in Ecclesia.

Quod præter præcitatos canones quibus ad id probandum utitur *Murga de sepult. disq.* 1. *conclus.* 2. *dubio* 11. *pag.* 68. probatur ex Rituali Romano Pauli V. *in Rubr. exeq. Tit. quibus non licet dare Ecclesiasticam sepulturam*, ubi recensitis pluribus, quibus hæc non debetur ait. *Infantibus mortuis absque Baptismo*.

Diversaque ratio est in catechumeno qui in lo- 15
co sacro sepeliri debet, eo quod pro fideli habetur. Rationem tradam, quam *Samuelius* omisit *controvers.* 4. *conclus.* 13. Nam quoad catechumenos, obtinet illa distinctio apud *Suarez de fide disp* 9 *sect.* 1. *n.* 18. & 19. In membris Ecclesiæ Catechumeni censentur, quoad fidem, non quoad communicationem Sacramentorum. Ergò justè quidem eiiciuntur ex locis sanctis, quare Cyrillus Jerosolimitanus *in Catech.* 6. ibi: *haud palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus*. Inde calumniatoribus S. Athanasii gravissimo crimini datum, legimus *Apol.* 2. quod eos non puduisset de mysteriis tractare coram ethnicis, & catechumenis. At quia in membris Ecclesiæ numerantur, sepultura justè conceditur. Quamquam ad sepulturam deducendi non sint, cum psalmis, præcipuisque ritibus fidelium,

Con-

Concil. Bracarense 1. *can.* 27.

(*g*) *Judæus.*

Judæi privantur sepultura Ecclesiæ.

Non communicant fideles Judæis, nec in vita,
16 nec post obitum, *cap. ad hæc, cap. & si Judæos de Judæis, can. sæpe* 8. *q.* 1. *can. cave* 18. *q.* 1. Quare Concilium Narbonense sub Reccaredo *Tomo* 2. *Conc.* statuit, ne Judæi psallendo ad separatum sepulchrum suorum cadavera deducerent: *hoc ante omnia decreverunt, ut Judæis non liceret corpus defuncti deducere psallendo.* Meritoque ipsis in omni Civitate locum separatum ad tumulandos eosdem deputatum vide-
17 mus. Ex toto Regno Angliæ ad locum certum ipsis indultum Londini, quodam in agro, maximo incommodo demortuorum efferebant cadavera, *Polid. Virgil. hist. Angl.* L. 13. Quamquam Henrico II. Rege anno 1178 impetrarunt, ut, ubicumque degerent; eo loci agrum sepulturæ assignatum haberent.

Sed cum Judæorum triplex faciant genus Ca-
18 nonistæ; primum eorum, qui et nascuntur, & vivunt, & moriuntur Judæi, secundum eorum, qui Judæi nati, tum baptizati ad vomitum redierunt, idest ad Judaismum, tertium eorum, qui baptizati constanter in fide nostra permanserunt.

Primum, & secundum genus à sepultura Ecclesiastica excludi, certum est, cum si Hæreticos excludimus, multò magis Judæos. Hinc D. Augustinus Judæos etiam Hæreticorum pravitatem in suo delicto comprehendere, supponit, *in libro contra quinque hæreses Paganorum, Judæorum, Manichæorum &c.*

Tertii generis Judæos ratione suæ originis Judæi dicti, cum tamen legem Evangelicam susceperint, Ecclesiastico sepulchro non privantur,
19 fuse probat *Murga ubi supra pag.* 67. *Conclus.* 3. Imo de Neophytis verba faciens Concilium Basileense *sess.* 19. prohibet: *ne mortuos suos more Judæorum sepelirent.* Ceterum ad sepulturam Ecclesiasticam admitti, supponit.

(*h*) *Hæreticus.*

DISSERTATIO II.

Ubi probatur, hæreticos excludi justissimè a sepultura Ecclesiastica.

Hæretici omnia sacra deridentes, nullam admittunt in re funeraria relligionem, atque omnia fœdè commiscentes, & perturbantes, pro-
20 miscue concedendum sepulchri locum, contendunt, magnisque clamoribus obstrepuerunt in Gallia ob extumulationem cujusdam nobilis Melonii Ducis militum è Catharis Calvinistis, quem in Ecclesia S. Martini de Eremo in Diœcesi Vasatensi, nequidquam Catholicis obsistentibus, tumulaverant.

Sed ostendamus jam, quam justè hæretici a sepulchris Catholicorum arceantur.

Hæretici non recentibus tantùm constitutionibus, sed ex perpetua Ecclesiæ observantia è locis sacris depulsi fuerunt, & depelluntur. Hinc optime *in cap. sacris de sepulturis* scriptum est: *sacris canonibus institutum, ut careant Ecclesiastica sepultura.* Idem statutum *in cap.* 2. *de hæret. in* 6. *in can. sane* 24. *q.* 2. *in can. quicumque* 11. *q.* 3. *Clem.* 2. *de sepult.* Et merito sic fuit a sacris canonibus constanti tenore servatum. Qui namque Ecclesiam non audierit, semper esse debet veluti ethnicus, *Math.* 18. ejus ergo post mortem communio vitanda est; imò multò minus post mortem communicare licet cum hæreticis; nam, ut ait Tertullianus 1. *Cor.* 10. *licere convivere cum ethnicis, commori non licere.* Et planè vas, & organum Satanæ admittendo in sepulchris fidelium, hec communicatio esset spiritualis, sepultura enim sacra res est; fideles defuncti Ecclesiæ membra sunt, D. Augustinus L. 20. *de Civit. Dei cap.* 9. Mors intravit in mundum per peccatum *ad Rom.* 5. inde maledictionem terra accepit, *D. Augustin.* 13. *de Civit. Dei cap.* 15. Ut ergò generalis illa maledictio auferatur, sacris ritibus sepultura fidelium benedicitur. An ergo hæreticis infensissimis Dei hostibus jus competet in terram hanc benedictam, cum ipsi sint maledicti? Horret animus istud audire. Cubandum cum his monstris? Nulla est tanta dissensio, quam ex diversitate Relligionis promanans, nullum tam firmum vinculum, quam ejusdem fidei, ergo *quos conjungit unum conjugium, conjungat sepulchrum,* ut ait Textus *in can. Ebron.* 13. *q.* 2.

Quid quod Sacramentorum perceptione carentes, ut sunt hæretici, *cap. ad abolendam de hæret. cap. excommunicamus* §. *credentes ib.* carent etiam sepultura. Qua enim ratione credimus, statutum a Jure nostro, sepeliendum esse unumquemque in loco, ubi Sacramentorum particeps extitit, *can.* 2. 6. 7. *caus.* 13. *q.* 2. ita ut sepultus in aliis Ecclesiis ad Parochiam deferri debeat, *cap.* 1. & 2. *de sepult. in* 6. nisi quia jus sepulchri sequitur perceptionem Sacramentorum?

Esto, sit hæc privatio pœnæ genus gravissimum; at nonnè hanc pœnam promerentur, qui non erubescunt adversus Christum stare, Ecclesiam, quam Sanguine suo fundavit, diruere, veritatem corrumpere, pacem turbare, charitatem dissipare, Sacramenta profanare, filios a matre segregare, subditos de Ecclesiæ Dominio rapere, Cathedram Petri deserere, tunicam Domini inconsutilem scindere, perfidi, sacrilegi, inobsequentes, inimici. Imo Christiani nomine indigni, ut eleganter D. Cyprian. *epist.* 52. *Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.*

Probatum est igitur evidenter, hæreticos Ecclesiastica sepultura indignos esse.

Obiicitur I. a sepulchris majorum arceri, injustitiæ genus est, *cap. cum quis in principio de sep. in* 6. patet ex Jure Divino. Nam *Genes. cap.* 49. *sepe-*

21 *Sepelite me cum patribus meis*, & maledictis sepulchrum avitum denegabatur, 3. *Reg cap.* 13. & *can. unaquaeque* 13 *q.* 2. quo alludit Leo 3. *in cap. nos instituta de sepult.*: *Nos instituta majorum Patrum considerantes statuimus, unumquemque in majorum sepulchris jacere*, quem Textum variis ornat eruditionibus Gonzales. Ergò hæretici in sepulchris Ecclesiasticis, ubi majores conquiescunt, tumulandi sunt.

Pro responsione satis erit hoc dicere; quod in sepulcris majorum posteri sepeliendi sunt, nisi à majorum fide desciverint. An non hæretici injuriosi sunt majoribus, qui suis exemplis per rectam semitam perducere conabantur nepotes, & potius ipsi quidquid erat bonæ indolis ingeneratum ejurarunt? Hi igitur per lapsum in hæresim paterno jure sepulchrali exciderunt, ut privantur aliis juribus, *cap.* 2. *§. fin. de haret. in* 6. *L. Manichaeos C. de haret. cap. secundum leges de haret. in* 6. *Clem.* 2. *eod. Tit.*

Objicitur II. Post mortem Ecclesiæ potestas in delinquentem cessat, *cap a nobis* 28. *de sep. can. legatur*, *can. sane*, *can. nec quisquam* 24. *q.* 2. Crimina morte extinguuntur, L. 1. C. *ne ex delict. defunct. L. si quis C. de bon. proscript.* ergo jus non est hæreticos vita functos ex Ecclesia depellendi.

Resp. & si crimina morte extinguuntur; pœna tamen adhuc durat, L. 2. *ff. de cadav. punit.* & falsum est omni Ecclesiam in mortuos auctoritate, potestateque vacare. An non excomunicati declarantur jam defuncti? *canon. sane* 24. *q.* 2. *Concil. Oecumen. V.* An non adhuc vas, & organum Satanæ, corpus nempe extat in mundo? Cur ergò non possit Ecclesia prohibere, ne fideles pro eis orent, quorum corpora adhuc extant, per quę infelix anima scelus nefandum patravit? Cur hęc delubra, quę characterem improbitatis, & pollutionem conservant, Ecclesia vitari non jubeat? Dicuntur mortui in aliquo sensu absolvi, *cap. a nobis de sent. excom.* Cur non dicantur in aliquo sensu excomunicari? Quatenus nempe ab eis arceantur fideles. Ita respondendum, censeo, rejecto *Granan. in cap. sacris de sepult. n.* 3. qui abundè non satisfacit.

Objicitur III. In mortuos sævire iniquum videtur, *can. in Ecclesiastico* 13. *q* 2.

22 Resp. justum esse, ut posteri detestabile crimen hæresis fugiant, hanc severitatem in mortuos hæreticos ostendere, argumento Textus in *cap. vergentis de har.* neque id jubeat constitutiones canonicæ, ut sine sepultura hæretici maneant, sed cum sepultura fidelium res sacra sit, qua indignos hæreticos esse decernunt, nec commiscendos cum Catholicis. Alibi sepeliantur.

Objicitur IV. Textus *in L.* 2. *Cod. Theodos. de har* ubi Novatiani hæretici à sepultura Ecclesiastica arcendi non sunt.

Resp. toleratos ad tempus fuisse Novatianos quoad sepulturam Ecclesiasticam donec expresse hæretici per Pontificis damnationem essent declarati, ita *Gratian.* [illegible] *supra n.* 10. Imo [illegible] per usitatum fuit, evelli, mundarique loca, si quis infidelis sepultus in loco vero Numini dicato inveniretur. Paschalis II. cum Neronis corpus invenisset in loco, ubi erecta est Ecclesia dicta *de populo*, in Tyberim ejici imperavit. Julius II. cadaver Julię filię Octaviani Aug. quod integrum inventum est in flumen pariter abjici jussit, narrat *Spondan de cam.* L. 3. *art.* 2. *cap.* 2.

Objicitur V. Hęreticis pœnitentia conceditur, ergo sepultura non est deneganda. Plus est pęnitentia, quàm sepultura.

Resp. sæpe quod plus est concedi, denegari tamen quod minus est, *cap. Episcopus* 89. *dist. can Episcopi dist.* 80. *can. si qui* 1. *q.* 1. *can. latorem* 33. *q.* 2. Denegatur id, quod est natus ad aliorum terrorem.

(i] *Usurarios*.

Usurarii privantur sepultura Ecclesiastica.

Cum usurarios excludi a sepultura dicimus in nostro Titulo, intelligimus de manifestis usurariis, qui facto, vel Jure manifesti sunt. Facto cum palam ad usuram dant; Jure cum Judicis sententia tales sunt condemnati, vel confessi, vel testibus convicti, vel scripturis; talesque arcentur a sacris sepulturis, *cap. quia de usuris cap. quamquam de usur. in* 6. *Clem. eos de sepult.* 23

An vero si teipsa Usurarii corpus in Ecclesia sepultum fuerit, sit exhumandum, proculque 24 jactandum, quæstionis est, paucis a nobis decidendæ; quam tamen fusius pertractat. *Murga de sepult. disq.* 14. *pag.* 490.

Et verius est, pœnam exhumationis usurariorum avitare, quia odia sunt restringenda, *Reg. odia de Reg. Jur. in* 6. Et quia si Jura prædducta id voluissent, utique expressissent, ut expresserunt de excomunicatis, *cap. sacris de sepult. cap. ad hæc. de privil.*

Quamquam adversetur Panormitanus *in d. cap. sacris Barbosa ibid.* aliique plures.

(l) *Mortem*.

DISSERTATIO III.

Ubi ostenditur quod qui sibi mortem consciverit, carebit sepultura.

Qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut 25 per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet alio modo mortem intulerunt, Ecclesiastica carent sepultura.

Conclusio probatur ex *can. placuit* 23. *q.* 5. *ex cap. ex parte* 11. *de sepulturis*, illud a contrario sensu inducendo. Ex Concilio Altissiodor. *can.* 17. ibi.. Quicumque se propria voluntate in aquam jactaverit, aut collo ligato se „ suspenderit, aut de arbore præcipitaverit, „ aut ferro percusserit, aut qualibet occasione „ voluntarie se morti tradiderit, istorum obla„ ta non recipiantur. Ex Rituali Romano Pau-

li V. in Rubr. de exequiis ibi : *negatur igitur Ecclesiastica sepultura*.

Posterioribus Romanorum Legibus ultroneam mortem oppetentes, non humari solebant, *L. liberorum* §. 3. *ff. de his, qui not. inf.* sed cruci affigi *Cujacius ad L. ejus militis ff. de testam.* Nam cum de se sententiam tulisse viderentur, L. *ult.* §. 2. *ff. de bon. eor.* & se ipsos condemnasse, sequebatur, a sepultura excludi; nam condemnati ad mortem non humabantur, L. *corpora ff. de cadav. pun.* Quo circa figebantur crucibus corpora spectanda simul, & feris, & vulturibus laceranda. Plato in sua Republica *L. 9. de Legibus* se ipsos occidentibus sepulturam tribui vult solitariam ubi nemo condatur.

Dixi in explicationibus, *Tit.* 25. *hujus Libri dissert.* 1. inter paradoxa Stoica illud numerari: *sapientem sumere aliquando mortem posse, debere, decere*. Dixi in nostra Religione mortem arbitrii nostri non esse. Addo jam hæreticum esse id asserere. Hæretici Circumcelliones se ipsos necabant, *can. quidam* 24. *q.* 3. Petilianus, quem confutat S. Augustinus, in eadem heresi fuit, *can. tu dixisti*, *can. si non licet* 23. *q.* 5. An non ergo qui se interficiunt, indigni sepulchris sacris videantur, cum facto ipso, si non expresse, saltem interpetrativè perverso dogmati adhæsisse videantur?

Si prætereà ostendam, privari eorum nomine factis oblationibus, quid inferendum, nisi et sepultura spoliandos? Quibus enim denegatur oblationum receptio, iis & ad sepulturam admissio, *can. de viro* 12. *q.* 2. *can. miror* 17. *q.* 4. *can. eos de consf. dist.* 4. *cap. in omnibus de usur.*

Porrò oblationes pro his non recipi, Concilium Altissiodorense statuit *can.* 17. ibi : *quicumque se propria voluntate in aquam jactaverit* (& infra) *aut qualibet occasione voluntariè se morti tradiderit, ipsorum oblata non recipiantur*. Maneat ergò, se ipsos necantes à sepultura excludi.

Obicitur I. In dubio favendum est reo, *Reg.* 68. *de Reg. Jur. in 6.* & quisquis supponitur bonus, nisi probetur malus. Qui se occidit pro-
27 babiliter insanus est. Cur ergò in deteriorem sensum actum occisionis detorquere volumus? An insanus sepultura privatur? Quanam Lex id statuit? Imo contra statuit Textus in *can. si quis insaniens* 15. *q.* 1.

28 Sancius *in Selectis disp.* 36. *n.* 14. hoc utitur argumento. Et vere amor vitę cum homini sit adeò ingenitus, ut sine insania proprium extremumque damnum eligi, probabile non sit; probabile videtur, insanum reputandum esse eum, qui se ipsum suffocavit, aliaque ratione vitam sibi ademit. Adhæret Sancio *Manetuus in Tractatu de infirmis disp.* 34. §. 10.

Ego distingui video a Canonistis. Aut constat quod aliquis se interfecerit data opera, ex industria, & voluntate, & hoc in casu carebit Ecclesiastica sepultura; aut non constat, & tunc
29 funectum eventum benigniùs interpetrabimur non denegantes sepulturam. Ita Samuel *in praxi de sepult. Tr.* 2 *disp.* 2. *contr.* 5. *concl.* 2. Lavorius *in variis lucubr. Tit.* 1. *cap.* 12. *n.* 97. *Barbosa de off. Paroch. P.* 3. *cap.* 26. *n.* 40. *Reder. Tom.* 3. *Quæst. Reg. q.* 61. *art.* 1. Multos casus ad comprobationem et praxim adducit *Murga de sepult. disq.* 8.

Et ego Pisis, ita servatum vidi, ut admissus non fuerit ad sepulturam Ecclesiasticam fur quidam, qui in carcere inventus est laqueo suffocatus *anno* 1700.

Denique in dubio sibi manus inferens non præsumitur furore insanus, sed deliberatè, & cum peccato gravi id facere, & nemo præsumitur furiosus, nisi probetur, *Menochius præsumpt.* 45. *n.* 18. & 22. L. 6. *Layman* L. 3. *Tract. de injusta læsione corp. cap.* 1. *n.* 8. *Thesaurus de pœnis part.* 2. *cap.* 1. *verbo manus pag.* 223.

Ex conjecturis tamen probatur furor, seu amentis. Primò si de viro satis pio agatur; secundò si constet malencoliæ morbo laborasse, *Clarus q.* 60. §. *item quæro*; tertiò si sæpe id facturum se, 30
dixerit, unde læsio organorum arguitur, ut latè *Menochius ubi supra*, *Ugolinus de irregul. cap.* 53.

Obicitur II. Nam interdum propria perire manu canones permittunt, ut in specie Textus in *can. non est* 23. *q.* 3.

Resp. nemini licere se occidere, etiam ad servandam castitatem, docet D. Augustinus *L.* 1. *de Civit. D. cap.* 26. aliquandò tamen factum id fuit ex inspiratione Divina, ut de sancta Apollonia, quæ se in rogum injecit, narrat *Eusebius L.* 6. *cap.* 33.

[m) *Homicidę*.

Homicidis in pœnam sepultura negatur.

Lancellottus homicidam absolutè indignum sepultura Ecclesiastica censet. Optassem videre in 31
suis Glossis auctoritatem hujus principii traditi; certe nullam adducit. Textum Lancellotti secutus sum. Debeo in sententia permanere, & quomodo id intelligitur exponere.

Potest intelligi, ut homicida careret olim sepultura, si renuisset pænitentiam facere, de qua *in can. qui vero*, *in can. si quis dist.* 50. nam cum esset ob idipsum excõmunicatus, si in excommunicatione fatis concessisset, arcendus erat a sepultura, Hostiensis *de homic. in summa* §. *quæ pœna*.

Potest intelligi de homicidio qualificato, ut 32
si quis occiderit Patrem, qui carebit sepultura; quemadmodum docet Samuelius in *praxi de sepult. Tract.* 2 *disp.* 1. *Barbosa de Jure universo* L. 2. *cap.* 10. *n.* 51.

Quamquam hæc antiquorum opinio fuit; nam nullus adest Textus unde id probari possit, ut etiam notavit *Murga de sepult. disq.* 8. *pag.* 352.

Nam Textus *in cap. latorem* 33. *q.* 2. prohibet matricidam per annum ab ingressu Ecclesię, & alias injungit pœnitentias, de privatione sepulturæ non loquitur.

Concilium Vormatiense *can.* 30. perpetuam

injungit carnis abstinentiam, & jejunium, usque ad horam nonam diei quotidiè: de sepulturę privatione altum ibi silentium.

Telesphorus Papa I. epist. 1. infamem judicat parricidam, non tamen indignum sepulchro.

Concilium Moguntinum II. can. 20 a militia excludit parricidam, & nuptiis, non tamen a sepultura.

De Jure quidem Civili sepultura privabatur, L. 1. C. *de his, qui patrem occid.* At notat
33 Thesaurus *de pœnis verbo parricidium*, hodie hanc pœnam multis in locis esse correctam, & in statu Romanæ Ecclesiæ sepulturam concedi. Et Menochius *de Arbitr. cap* 356. ait: id esse Juri Canonico conforme, neque Jus Civile esse attendendum, confirmat *Murga ubi supra per extensum*.

[n) *Incendiarii*.

Incendiarii indigni putantur sepultura Ecclesiæ.

Depopulatrix, & horrenda incendiariorum
34 malitia meretur Ecclesiasticæ sepulturę privationem

Ita statuitur *in can. pessimam* 23. *q.* 8. *in can. si quis membrorum ib. & in cap. fin. de raptor. in prima coll ctione apud Genz. in notis ad cap.* 5. *de rapt. n.* 2. in fine ita scribit Alexander III. Lucensi Episcopo: *defuncta neganda est Ecclesiastica sepultura*.

Et meritò, nam incendiarii excommunicationem incurrunt, *cap. tua nos de sent. excom.* Ex
35 quo enim sunt publicati per Ecclesiæ sententiam a sola Apostolica Sede sunt absolvendi, ut in eo celebri Textu statuitur.

Ejus interpretationes tamen variæ hactenus extiterunt.

Tolosanus *in Syntagm. P.* 3. L. 36. *cap.* 19. *n.* 17. ita loquitur: *Neque hac de re excommunicati, & publicati possint ab alio, quàm a summo Pontifice absolvi: nisi velimus illud intelligi tantum in incendiariis Ecclesiarum, cap. tua & ibi Glossa de sent. excom.*

Silvester verbo *incendiarii n.* 1. ait: hanc sententiam, quod incendiarii sint ipso facto excommunicati, non recipit, nisi id ferat loci consuetudo; quare & *Sayrus de Cens. L.* 3 *cap* 29 *n* 8. adhæret eidem opinioni, quæ videtur probari, ex *can. pessimam*, jam citato.

Sed utcumque se res habeat; esto sint ipso facto excommunicati incendiarii Ecclesiarum, incendiarii verò aliorum locorum sint excomunicandi; tamèn quoties fuerint declarati ab Ordinario excomunicati, excomunicatio erit Papæ reservata, ut est consuetudine receptum, de qua testatur *Thesaurus de pœnis verbo incendiarii*:

Si igitur tali excomunicatione digni censentur incendiarii, quæ difficilem habeat absolutionem, indicatur gravitas delicti; ac propterea juste etiam eorum cadavera non recipiuntur in sacris locis.

Nam etiam si excommunicati ab Episcopo non fuerint, & mori ntur impœnitentes, & notoriè contumaces, sicut alii nostri peccatores defuncti
in impœnitentia, privationem sepulturæ incurrunt. Nec verum est, eos incurrere interdictum 36
ab Ecclesiastica sepultura, ut quidam ex *d. can. pessimam* inferebant, ut optimè ait *Thesaurus ubi supra*.

Si ergò pœnitentiam egerit incendiarius, gravem sepulchri jacturam evitabit, *cap. ex literis tuis de raptoribus*, ut per hunc Textum Murga docet *ubi supra*.

(o) *Violatores*.

Violatores Ecclesiarum jacturam incidunt sepulturæ.

Qui Diabolo suggerente surrexerint in rapinas, sive Ecclesiarum violationes, Ecclesiastica 37
carent sepultura.

Nam est hoc gravissimum crimen, nec clausis debet oculis pertransiri, ut ait Text. *in cap. conquesti de sent. excom.*

Imò in violatores Ecclesiarum quiddam statuunt canones, unde constat, mitigari, non penitus quiescere concitatam ad ultionem canonum severitatem. Quis credat? *Si violator hic perditissimus meruit reconciliari Ecclesię, & fide- 38
lium communioni; tamen Ecclesiastica sepultura privatur. Ne videar magis admirabiliter, quam verè loqui; obiicio legendam omnium oculis canonem 22. Concilii Toletani tempore Sixti IV. anno 1473. ibi: *si verò fuerint sepulti exhumentur, etiam si hujusmodi raptores ante obitum Sacramentum pœnitentiæ receperint, nec preces Divina dicantur, aut oblationes admittantur*, consonat Eugenius III. *in cap. super eo de raptoribus ita expositus a Gonzalez ibid. in notis verbo sepultura*.

En quanta sit gravitas sceleris. Hæc enim est Ecclesiastica disciplina, ut alii terreantur, concessa communione denegare sepulchrum, *cap.* 1. *de torneam. cap. Monachi de statu Mon. cap. quia de usur.*

Quod tamen intelligitur, cum raptor in vita,
dum poterat, noluit restituere, postea tamen 39
in ultimo vitæ spiritu positus, cum impos ad restituendum esset, pœnitentiam petiit: reconciliatio non erit deneganda. sed sepultura Ecclesiastica non est concedenda, ita Gonzalez *in comment. ad Text. in cap. super eo*. Ratio est, quia cum potuit, restituere noluit, & idipsum punitur. Quidquid contra censuerit *Murga disq.* 22. *n.* 9. *pag.* 564

Sunt autem violatores intelligendi, qui vastant Ecclesiam, & ejus prædia, & donaria expoliant, & invadunt, *can. sicut* 17. *q.* 4. Qui alia ratione irruentes prædia Numini dedicata vexare audent, *can. attendendum* 17. *q.* 4. Qui Sacrarii syndonem, vel velum subtractum vendiderint *can si forte ib.* Qui divinis usibus traditos agros subtrahunt, ut sibi inserviant, *can. prædia* 12. *q.* 2. Qui Ecclesiæ pecunias rapiunt,

ause-

auferunt, vel fraudan, e in qui abstulerint ib
Violatio differt, ab usurpatione; plus est violare, quam usurpare; violator Ecclesiæ dici
41 tur qui violenter in ad it, colligitur *ex cap. 1. de rapt. Murga disq. 22 pag. 563.*
In usurpatores gravissimæ quidem pœnæ sunt constitutæ *a Trid. sess. 22. cap. 11.* a Bonifacio in *cap. 2. de reb. Ecclesiæ non alien. in 6.* & *in cap. si Clericus de foro compet.* & ex Bulla Cœnæ *cap. 17.* feriuntur usurpantes mucrone excommunicationis, & ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* usurpantes, sequestrantes, occupantes fructus Ecclesiarum Principes temporales pœnam interdicti terræ, seu Dominii incurrant, quamquam hæc pena non sit usu recepta, ut docet *Thesaurus de panis verbo usurpantes n. 3.*
At non invenio usurpatorem privari sepultura, nam usurpare, non est violenter ab ipsis re, in
42 quo scelus magnam pravitatem induit, sed absque manifesta rapina aliquid tamquam jure debitum accipere, & detinere, docet *Glossa in cap. multi 2. q. 1.*

[p] *Incestuosi.*

Condantur alibi, quàm in Ecclesia, incestuosi.

En alium locum Lancellotti, qui fretus pro-
43 nunciavi, incestuosum excludi a sepulchro Ecclesiæ. Miror tamen principii loco id poni a viro summo, quod nullo Jure probari possit.
Sed jacta est alea; non muto dictum, nec retracto. Incestuosus caret Ecclesiastica sepultura. Dicam quomodo. Incestuosos designare funestum est, ait Textus *in can. de incestis 30. q. 1.* Incestus vincit adulterium, *can. adulterii 32. q. 7.* Adulter, qui pulsa uxore, concubinam habeat, etiam si in morte absolvatur, caret Ecclesiastica sepultura, Concilium *Ravennatense II. sub Clemente V. cap. 20.* ergo multo magis carebit sepultura incestuosus.
Incestuosi si maneant in detestando scelere, inter Gentiles habeantur, *can. incestuosi 35. q. 8.* cum his non communicatur, *can. de his 35 q. 2.* ergo neque cõmunicatur cum eisdem defunctis.
Ceterum, nequid dissimulem, incestum committens extra figuram Matrimonii, ex communiori jam opinione, non incurrit excommunicationē latæ sententiæ, *Sanchez de Matr. L. 7. disp. 48. n. 5.* recepta *Glossa in Clem. un. de cons. verbo perceptitur*. Sub figura verò Matrimonii, patrans tantum facinus, est eo dem ipso facto excommunicatus, *Clem. un. de cons* sed scientia, & dolus prærequiritur, *Thesaurus de pan. verbo incestus n. 2.*
Quocirca apparet, quomodo defendi possit, incestuosum excludi a sepultura. Sed ab his, qui de privatione sepulturæ ob scelus aliquod pertractant, incestuosos enumerari singillatim, non video.

(q) *Blasphemi.*

Blasphemi indigni sunt sepultura.

44 O cæcas eorum mentes, qui ipsi Divinæ majestati, cui omnia debemus, audent convitiari. Malum est probrum jacere in Principem. Quæ igitur supplicia sufficiunt, cum Deo fit illata a nefariis tam insignis injuria? His paucis descripsisse videor blasphemiam; ejus tamen pravitatem nulla potest verborum copia describere, cum vergat in diminutionem Divini honoris per probrosam irreligiositatem, cum neque in hoc, neque in futuro sæculo remittatur, ut ait Textus *in can. qualis dist. 25.*
Et non merentur blasphemi projici ex Ecclesiæ gremio, tamquam ... a cadavera ... libus discerpenda? Sanctissimum tuum consilium extitit, Gregori IX. qui ita decrevisti *in cap. Statuimus de Cler. mal. si venuerit recipere, se pera, ere januitentiam suprà dictam, Ecclesia interdicatur ingressus, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura.*

[r] *Excommunicatus.*

Excommunicatus non humabitur in Ecclesiis.

Quòd excomunicatus in Ecclesia humandus non sit, res certa est, *can. sane 24. q. 2. ... sacris de sepult. cap. ad hæc de privil. cap. a nobis de sent. excom cap. Episcoporum de privil. in* 45
6. Clement. eos de sepul. Rituale Roman. Pauli V. ibi: *Negatur igitur Ecclesiastica sepultura* (& infra) *publicis excomunicis* &c. Comunis omnium Interpretum traditio hæc est. Ego in hoc articulo moram inutilem haud nectam.
Ad ea, quæ subobscura, aut ambigua esse videntur, oculos devolvimus, & si quid difficile reperitur, quodque examen, & indaginem mereatur, nullum recusantes laborem, ad communem utilitatem, duabus dissertationibus elucidemus.

DISSERTATIO IV.

Ubi probatur, publicè excomunicatos minorè excommunicatione non posse ad sepulchrum in Ecclesia recusari.

Incertum, propter Interpretum dissensionem quoad excomunicationis articulum, in quo versamur, illud videtur, an quos, publicè constat, minori excommunicatione ligatos decessisse, possint cum fidelibus sepeliri? 46
Privari beneficio sepulturis autumat Samuelius *de sepult. Tr. 2. disp. 1. contr. 9. concl. 1. Panormitanus in Rubrica Clement. eos de sepult. Innocentius in cap. sacris de sepult.* mitto alios complures.
Sit nostra conclusio, publicum excommunicatum sola minori excomunicatione admittendum esse ad Ecclesiasticam sepulturam. 47
Probatur Nam minor excommunicatio privat sola perceptione Sacramentorum, *can. fin. 3. q. 4. cap. 2. de except. cap. si celebrat de Cler. excom cap. si quem de sent. excom.* si hic unicus effectus est minoris excommunicationis privare communione Sacramentorum passiva; non ergo sepul-

sepultura Ecclesiastica, ut arguit *Murga disq. 2. dub.* 2. nam minor excomunicatio consortio seu civili, seu sacro fidelium non privat.

Comprobatur, quia nullibi expressum invenitur, subire excomunicatos sola minori tantum infortunium; imò cum solum includantur in prohibitione sepulturæ majoris excomunicationis vinculo constricti, locum habet regula, inclusio unius est exclusio alterius, *cap. nonne de præsumpt* & regula *odia de Reg. Jur. in 6.* & regula, quod ea quæ lex vult, exprimit, *L. un. §. sin autem C. de cad. toll. L. si servus §. Prætor ait ff. de acq. hær.*

Non obstat I. Textus *in cap. sacris de sepult.*
48 ibi: *quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi;* hic Textus, ait *Samuel. ubi supra*, probat excomunicatum quoque minori reiiciendum esse a sepulchro.

Resp. Textum hunc parum favere adversariis. Textus hic loquitur de sola majori excomunicatio-
49 ne; quod probo. Loquitur de his, quorum societas, unitasque in actibus etiam politicis vitanda est, ergò cum minori excomunicatione illigatum vitare non tenemur, dicendum superest, sensum Pontificis respicere majorem excomunicationem. Loquitur de excomunicatione generatim; ergò intelligitur de majori excomunicatione; nam excomunicatio absolutè prolata de majori intelligitur. Nam licet aliquando vox excomunicatio, minorem quoque significet, ut in cap. 24. Concilii IV. Carthaginiensis, & *in can. sacerdote de cons. dist.* 1. *& in can. Engeltrudam* 3. *q.* 4. attamen post editam declarationem *si quem* a Gregorio IX. *in cap. si quem de sent. excom.* si simpliciter excomunicatio proferatur, intelligitur de majori, quę magis timetur, & verba in potentiori significatu sunt accipienda, *Glossa ex L. 1. ff. de V. O.* juxta interpretationem Gonzales ad eum Textum *in cap. si quem.*

Instabis per Textum *in cap. 1. de except. in*
50 *6.* ubi reus excipiens in actorem excomunicatum debet exprimere, qua excomunicatione obstrihgatus. Ergò nomen excomunicationis, non solam denotat majorem excomunicationem.

Resp., tantum affectete Bonifacium VIII. in Textu opposito, causam excomunicationis esse allegandam. Quia probanda ab excipiente est exceptio intra octiduum, & propterea causa specialis necessario est exprimenda, & deducitur ex §. *si vero* ejusdem Textus. Ceterum non affirmatur necessariò exprimendam esse speciem excomunicationis a reo excipiente.

Non obstat II. alia Textuum copia *in can. sane 14. q. 2. in Clementina eos de sepult. in cap. Episcoporum de privil. in 6. in cap. 11, qui de sent. excom. in 6.* Nam adhibe omnem diligentiam, attentissimos defige oculos in litera cujusque Textus oppositi; nunquam invenies tractari da excomunicatis minori excomunicatione; loquuntur de excomunicatis publicè cognitis. Quid hinc inferendum? Nisi canones dedignari sepulchrum eorum, qui sint verè à consortio fidelium præcisi, qui sint tamquam sarmenta a vite divulsa; qui habeantur tamquam ethnici, & publicani. Hi vero sunt solum innodati censura majoris excomunicationis. Non video ab adversariis quidquam proferri, quod me a sententia dimoveat. Transeamus ad aliam dissertationem.

DISSERTATIO V.

An excomunicatus majori excomunicatione careat sepultura, si sit toleratus?

Item incertum est, aut saltem subobscurum, an post celebrem Martini V. Bullam, quæ vitandi sunt solum excomunicati denunciati; notoriique percussores Clericorum; ceteri vero excomunicati, quamquam percussi mucrone majoris excomunicationis, tolerati dicuntur, quia edictis Episcopi affixis in locis publicis non fuerunt tamquam excomunicati denunciati, si moriantur nondum absoluti, sint ab Ecclesiasticis sepulchris arcendi? 51

Statum quæstionis patefeci; et supponitur impræsentia per Constitutionem celebrem Martini V. quæ incipit *insuper ad evitandum*, fuisse derogatum antiquis canonum decretis ante annum 1417. vigentibus; nam hoc anno prædicta emana it Constitutio; narratque D. Antoninus *P. 3. Summa major. Tit. 25. de excom. cap.* 3. Andream Bosoniensem Episcopum, post celebratum Senis Concilium, cui etiam interfuit, se contulisse ad Martinum V. cumque interrogasset Pontificem summum, an hæc universalis Constitutio esset quinquennalis, respondit Pontifex, *Ego volo, quod semper duret;* eademque Constitutio fuit in Concilio Basileensi confirmata.

Ex quibus conclusio hæc defendenda elicitur, 52
licere non denunciatos excomunicatos, qui sint scilicet tolerati, in sacris locis tumulare.

Probatur hæc assertio. Nam Lex posterior priori derogat, *L. pacta C. de pactis, cap. licet de const. in 6. L. non est novum ff. de Leg.* sed constitutio Martini V. derogat antiquis canonibus, juxta quos vitandi erant excomunicati omnes, exceptis casibus comprehensis *in can. quoniam multos* 11. *q.* 3. Derogat, inquam; et satis erit verba Martini oculis obiicere: *Insuper ad evitandum scandalum, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium indulgemus: quod deinceps nemo a communione alicujus, sacrorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis intus, & extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ a Jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneantur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, vel censura hujusmodi fuerit illata contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam communitatem, vel locum certum, vel certam, a Judice publicata,*

cata,

cata, vel denunciata specialiter, & expresse. Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a canone notoriè constiterit, incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari: nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere juxta canonicas sanctiones. In Concilio Constantiensi sub Martino V. Si ergò vitandi non sunt excomunicati nondum denunciati, eisdem vivis communicamus, quidni communicamus etiam mortuis? Si licitum est publicas orationes, & Sacrificia, pro non denunciatis offerre, & suffragia, argumento Textus *in can. cum gravis* 13. *q.* 2. si in loco sacro defuncti humantur, ut Divinorum participes fiant. *Ergò* licebit eosdem in loco sacro sepelire.

Confirmatur ex declaratione Sacræ Congregationis *in una Nolana sub die* 19. *Julii* 1610. relata a *Barbosa in summa Apostolic. Decis. collect.* 6. 71. *verbo sepultura n.* 9. Nam cum accidisset, Joan. Bapt. Mastrillum excomunicatum interfectum fuisse datis pœnitentiæ signis, quamquam non absolutũ, Congregatio consulta, cadaver Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, mandavit.

Obicitur I. Textus *in cap. a nobis de sent. excom.* ubi excomunicatus, etiam si dum more-
53 reretur, pœnitentiç signa exhibuerit, non habetur quantum ad Ecclesiam absolutus, ergò in ea minime sepeliendus.

Resp. quod planè excomunicatus, ejus inspecta qualitate, privatur sepultura. Verum prohibitio sepeliendi, quatenus respicit fideles viventes, & locum, post extravagantem adductam cessavit. Quare non polluitur Ecclesia eumdem sepeliendo, *Layman L. tract.* 5. *part.* 4 *cap.* 1. *n.* 3.

Obicitur II Saltem signa pœnitentiæ excomunicatus prębere debet, ut possit in Ecclesia sepeliri, *cap. sacris de sent. excom.* ergo absolutè, & indistinctè non est ad sepulturam admittendus.

Resp. Interpretrum quorumdam opinionem hanc esse, ut post extravagantem adductam, etiam si excomunicatus absque signis pœnitentiæ decesserit, non sit Ecclesiastica sepultura privandus, ut patet *ex toto dubio* 3. *disq* 2. *Murga de sepult. pag.* 171. Quamquam contrarium censeo, cum prædicta Cardinalium declaratio super pœnitentiæ signis per Episcopum certior fieri voluerit, ut videre est apud *Barbosam ubi supra*, & unicus testis ad probanda hujusmodi signa sufficit, *Barbosa in cap. a nobis n.* 2. *de sent. excom*

Obicitur III si excomunicati tolerat. admitterentur ad sepulturam, nulla ratio esset, cur & interdicti in Ecclesia tumulari non possent, & tamen interdicti excluduntur ab Ecclesiastica sepultura, *cap. cum & plantare de privil. cap. Episcoporum eod. in* 6. *cap.* 11, *cui de sent. excom. in* 6. *Clement. eos de sepult. cap. quod in te dei pen.*

Resp. quod imò eodem pacto, si interdictus quantumvis specialiter. & personaliter, nominatim denunciatus non fuerit, non est sepultura reiiciendus, iique Textus, qui sunt oppositi correcti fuerunt *per eamdem extravag. insuper ad evitandum, Conincbius de censur. disp.* 17. *dub.* 2. *n.* 62 *latissime Murga disquisitione* 4. *de sepult. pag.* 178. Imo eo progreditur idem Murga, ut existimet, quod si nominatim interdictus, & denunciatus nondum absolutus moriatur, signis tamèn pœnitentiæ relictis, tumulari queat in Ecclesia, *ex cap.* 11, *cui de sent. excom. in* 6.

(*f*) *Excessibus.*

Omnes alii præ manifestis damnati excessibus carent sepultura.

Colligam in hac explicatione omnes alios casus, ex quibus jactura sepulchri sequitur. 54

I Notoriè absque pœnitentia morientes, dum certum sit, eos lethali culpæ contaminatam animam habuisse, privantur Ecclesiastica sepultura, *cap. fin. de sepult. cap quæsitum* 3. *caus* 13. *q.* 2. Rituale Romanum in Rubrica de exequiis, ibi: *negatur igitur sepultura* (& infra) *manifestis, & publicis peccatoribus. Barbosa de universo Jure P.* 2. *L,* 2. *cap.* 21. *n.* 48.

II Qui in testamento filiis suis tutorem, curatoremve Clericum assignat, sepultura priva- 55
tur, *can. Cyprianus* 21. *q.* 3 qui Textus non de legitima tutela sed de testamentaria intelligitur; nam Clerici legitimam tutelam suscipere valent, *can. pervenit dist.* 86. *can. generaliter,* 16. *q.* 1.

III. Qui semel in anno juxta Ecclesiæ præscriptum peccata mortalia non confitetur, nec sacram synaxim suscipit in Dominica Resurrectionis, a sepultura eiicitur, *cap. omnis utriusque* 56
sexus de pænit. Rituale Roman. Pauli V. in Rubrica de exequiis ibi: *de quibus planè constat,* quę significant hanc obligationis executionem omissam, certam, manifestamque esse oportere.

IV Qui non restituit Ecclesię decimas, & jus decimandi competens Parocho, *cap. prohibemus*
de decim Christiana sepultura privatur, ut lo- 57
quitur Textus. Olim namque variis ex causis laici decimas occupabant. Reges suis Capellis decimas debitas, interdum laicis concedebant, quasi ipsis decimarum Dominis de his disponere jus esset, quod dum improbat Concilium Meldense, *can.* 75. ibi: *si autem laici Capellas habuerint, a ratione, & auctoritate alienum videtur, ut ipsi decimas accipiant,* manifestum est, pręcessisse abusum. Insuper prępotentes, & nobiles viri, ut defensores Ecclesiarum decimas in feudum accipiebant, Fridericus I. *in Oratione habita in Concilio Principum apud Arnoldum Lubecensem.* Decimarum infeudationes propagavit necessitas debellandi Saracenos, veluti sub Philippo Augusto, ut deservirent belli impensis. *Constitutio Friderici apud Richardum anno* 1187. In Regno Franciç multæ

deci-

decimæ militibus concessæ credebantur Apostolico rescripto, seu Episcopali concessione; sed Episcopis id nunquam licitum fuit, *cap. 7. §. Ecclesias de privil. cap. cum Apostolica in fine de his, quæ fiunt*, *Fachin. L. 7. contr. cap. 7.* Lèr-*maistre L. 1. de decimis cap* 10. Ergò, si qua ratione injustè decimæ a laicis detineantur, nec restituantur, prout ex casibus adductis contigisse constat, privatio sepulturæ sequetur.

V. Concubinarius usque ad mortem perseve-
58 rans sine pœnitentia; non est cum aliis fideli-
bus tumulandus, *can. quæsitum, can. quibus 13. q. 2. can. placuit 23. q. 5.*

VI. Privantur sepultura, decedentes in duello Tridentinum *sess. 25. cap. 19.* Quòd decretum
Concilii, quamquam loquatur de duello forma-
59 to, idest solemni, quod fit publica authoritate, scilicet Principe dante campum francum, ut dicunt, cum patrinis spectatoribus, & tempore; tamen extensum est ad duellum etiam informe per Bullam Gregorii XIII. quæ incipit ad *tollendum* 78 & Clementis VIII. quæ incipit *illius vices*, notat *Barbosa in cap. 1. de Clericis pugn. in duello*.

VII. Qui pugnat in torneamentis, *cap. ad audientiam de torneamentis*. Torneamenta sunt
60 hastiludia, seu ludrica pugnæ equestris, in quibus præacutis hastis congrediuntur ludentes ad virium ostentationem, *L. un. C. de gladiat. L. 12.* Quod procedit, cum exercentur hastiludia cum morali periculo mortis, *Murga de sepult. disq. 9. Cancl. 1.*

[1] Patibulis.

Ultimo supplicio affecti an careant Ecclesiastica sepultura?

61 Appensorum in patibulo corpora, apud Iu-
dæos ante occasum solis sepelienda erant, *Philo de speciali lege*, eademque, vetitum erat, inferri in sepulchra ceteris communia, sed in privatis seorsim ab aliis erant ponenda: unaque, vel juxta illa sepelienda instrumenta, quibus mors illata fuisset *Spondanus anno 34 n. 41.*

Si libet Romanorum historias excurrere; plane facinorosi cadaver inhumatum relinquebatur. Sic Cassius Brutus in Templo Minervæ fame interemptus in pœnam rebellionis inhumatus objectus est, *Plutarch. in paralell. cap. 10.* Tiberius, & Cajus fratres è Gracchorum familia, qui statum Civitatis conati sunt convellere, occisi in Tiberim præcipitati sunt, *Valer. L. 4. cap. 7.* Vespasianus, insepultos projici conjuratores statuit, *Sueton. in Vespasian. cap. 2.* Si quis turpi, & immani crimine damnatus esset, ejus imago damnari, & frangi solebat, nec in exequiis ferri, quare Juvenalis Satir. 8.

Frangenda miseram funestat imagine gentem

Tacitus L. 11. Annal. ibi: *Cotta Messalinus, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit*. Post necem Ruffini Ducis, qui imperium ambierat adversus Arcadium, ait Claudianus, corpus ejus trucidatum fuisse, dissectumque a militibus, & de sepultura hæc subjicit, L. 2. *in Ruffin.*

. . . . triviis calcandus spargitur ecce
Qui sibi Pyramidas, qui non cedentia Templis
Ornatura suos extruxit culmina manes.
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves, jacet en qui possidet orbem
Exiguæ telluris inops.

Quare Ulpianus *in L. liberorum ff. de his, qui notant. infam* ait, majestatis reos insepultos jacere debere. Et Marcianus idem ait de deportatis, *L. 2. ff. de cad. pun.*

Audiatur nunc Jus Canonicum. Statuit Jus 62
nostrum, necatos in patibulis, si dignè pœnituerint, a sepultura minimè esse repellendos, *can. quæsitum 13. q. 2. cap. 2. de furt. Clement. 1. de pænit. & remiss.*

Ad expositionem hujusmodi canonum varia quæri possunt.

DISSERTATIO VI.

An reus suspensus Medicis ad anatomiam concedi possit.

Ratio dubitandi est, quia in *extravagant. detestanda de sepult.* habetur, quod corpora defunctorum exenterata, cocta, ut ossa a carnibus separentur, non sunt in sepulchris Ecclesiæ condenda. Quamquam verò interpetratio hujus extravagantis sit, ut cadaver hoc non sit rejiciendum ab Ecclesia, quousque delictum declaratum non sit, *Suarez Tomo 5. P. 3. D. Thoma disp. 22. sect. 1. n. 4. Bonaccina Tomo 3. de Censur. disp. 2. Q. 3. puncto 45.* attamen, sicut ad docendam anithomen, & constitutionem corporis, ita malè affici, & dilaniari, d[illegible] corpus non potest; alioquin ne ipsum quidem corpus dignum redditur sepultura sacra; ergo etiam reus suspensus, medicis vel concedi non poterit ad sectionem, vel concessus carebit sepulturæ.

Nihilominus reorum cadavera concedi posse
ad sectionem medicam, verum est, & defendendum. 64
Probatur hæc assertio. Nam dici vix potest, quantum adjumenti recipiat ex inspectione corporum sectorum medicina. Cum anatome medicina nata est, atque adolevit. Hęc imprimis ad historiam morborum pertinet. Si corpus hujus disciplinę suoi ctum est, quidni pervigili cultro reserentur cadavera, & viscerum latebrę, & penetralia perlustrentur? An ergo peritiores erunt sutores, fabrique in rebus vilissimis elaborandis occupati, quibus opportuna subjecti cognitio est, ac necessaria: Medici, quorum peritię committimus vitam nostram, nihil impendent operis in corpore noscendo, utnam sit conflatum, compactumque, quas partes sagax natura clauserit, qui sint musculi, quæ cartilagines, quinam venarum excursus, & fibræ, & partes aliæ nec impolitæ, nec illaboratæ, quibus sustentimur, nutrimur, movemur, sentimus, & vivimus, quarum tegumentis, & involucris

sub-

subtractis structura omnis menti insidet, noscuntur morborum causæ, eorumque insultus depelluntur auxiliis opportunis. Ergo sectio corporum ad expletam, perfectamque sanandi cognitionem pertinet, ac proindè ad hunc usum punitorum cadavera deneganda non sunt, cum sectio isthæc redundet in publicam utilitatem, ob quam similia conceduntur, *L. un. §. hac autem C. de cad. toll.*

Comprobatur, quia cadavera punitorum cuivis petenti concedenda sunt ad sepulturam, *L. ult. ff. de cad. pun.* Ergo vel maximè medicis, utpote quorum beneficio sepeliuntur, peracta dissectione, ut sæpius vidi Pisis, aliisque in locis est usitatissimum, *Ripa in Tract. de peste cap. de remed. preservat. contra pest. n. 142.*

Quid quod invitat hæc dissectio, inflammatque ad ardentem, feriamque gratiarum actionem, quæ rerum omnium conditori Deo debetur, ad considerationem admirabilis, & stupendæ ejusdem sapientiæ, pronæq. in nos indulgentissimi Numinis benignitatis, ut eleganter *Lactantius Libr. de Opificio Dei*, *Concilium Bracharense 1. cap. 12.*

Non obstat I. Quod in dicta Extravaganti vocetur detestandæ feritatis abusus, humana corpora dilacerare, in frusta excindere, ab ossibus
65 tegumentum carnis excutere, manusque fideles tanta immanitate fœdare.

Resp. intelligi dictam Extravagantem juxta casum, de quo loquitur. Versatur in pœnalibus, non ergo extensionem admittit *regula odia de Reg. Jur. in 6.* Loquitur in casu defuncti extra patriam, cujus ossa sint ad locum destinatum deportanda; nam abusus irrepserat, corpus aquis ebullientibus immersum dacoquendi, ut carnis tegumento excusso, minor moles, & solida relinqueretur. Extra casum morientis in regione longinqua, non obtinet opposita Extravagans, *Barbosa ib. Murga disq. 25. de exenteratis dubia 2. pag. 571.*

Non obstat II. Quod hæc ignominia secandi publicè corpus, illudque exhibendi denudatum, et pœna excedens, quam reus non sit suo de-
66 licto promeritus. Imo corpus hominis nudum nunquã ostendendum, traditur *L. 1. Constit. Apostol. cap. 6.* & Magistratus punire ultra limites permissionis non potest, *L. nec Magistratibus 32. ff. de injur.*

Cui difficultati respondetur; adhuc post supplicium esse in potestate Magistratus omnia de reo disponendi, quæ in publicam redundent utilitatem, nec illud genus injuriæ excogitatum attenditur, cum præponderat publicum commodum, *L. unica §. hac autem C. de caducis toll. L. quod reipublica ff. de injur.*

Non obstat III. Textus in *can. quorundam 23. dist.* ubi delictum mortui reservatur Divino judicio puniendum, nec pœna locum habet jam mortuo delinquente, *L. defuncto ff. de publ. jud.*

Sed eidem responsioni insistimus; addimusque, quod corpora damnatorum sunt in potestate Magistratus: Hinc est, quod impedire Princeps potest, ut non tradantur sepulturæ, *L. 1. ff. de cadav. damnat.* Nec infert injuriam, licèt aliquid ad ignominiam, & dedecus faciat etiam familiæ, *L. quod Reip. ff. de injur. late Facchineus L. 13. Contr. cap. 17. Harprectus in §. pœnæ de oblig. quæ ex delicto nascuntur.*

Et quoniam, ut apparet, ratio potissima nostræ assertionis est utilitas publica; sequitur, posse 67
Medicos pinguedinem hominis ad sectionem concessi, pro salute aliorum sibi reservare, nam eadem ratio militat; ac propterea eadem Juris dispositio, *L. quidam 9. §. nummularios ff. de edend. L. illud ff. ad L. Aq.*

DISSERTATIO VII.

Utrum punitorum cadavera, dissecta in partes, in patibulis relinqui possint ad exemplum.

Hac alia dissertatione canones præcitati lucem 68
accipient. Quæritur, an punitorum cadavera patibulis affixa relinqui possint.

Plane, ita videmus, ex consuetudine servari, ut gravissimorum criminum rei, postquam laqueo suffocati vitam amiserunt, scindantur in frusta, & in loco delicti affigantur, perpetuoque omnibus videndi, ad terrorem incutiendum relinquantur, *notat Guazzinus ad defens. defens. 38. cap. 7.*

Se hanc observantiam a Jure non dissentire credidetim: idque pro conclusione constituo.

Probatur ex Textu apertissimo *in L. 1. ff. de cad. pun.* ibi: *& nonnunquam non permittitur, maximè majestatis causa damnatorum.* Non permittitur scilicet, ea cadavera sepeliri, ut est in *litera*.

Comprobatur ex *L. capitalium §. famosos ff. de pœnis*, ubi famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos, placuit, ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & solatio sint cognatis, & affinibus interemptorum. Quod si funesto conspectu, alii sunt deterrendi a pari crimine, quid infertur, nisi latrones de furcis haud esse deponendos?

Neque id ipsum abhorret a Jure Divino; nam *Genes. 40. vers. 19.* legitur, malefactorum cadavera interdum insepulta relicta fuisse, ut a volatilibus discerperentur.

Et simile quiddam præcipitur a Jure Canonico adversus Monachos, apud quos proprietas 69
inventa fuerit in morte, ut scilicet in sterquilinium receptaculum projiciantur, *cap. cum ad Monasterium de statu Mon.* nec inter fratres accipiant sepulturam, *cap. Monachi 2. ead. Tit.*

Ratio est; nam quemadmodum interdum mortuorum capita corona exornantur, quo alii ad virtutem, & decus alliciantur, *Menochius de arbitr. Jud. Q. L. 1. cas. 99. n. 105. & seq.* Ita è contrario ipsis cadaveribus hoc supplicium est irrogandum, ut superstites a criminibus deterreantur. Ita enim in domos etiam interdum animadvertitur, & vel funditus diruuntur, vel rui-

ruinosæ relinquuntur, ut extent quoddam monumentum patrati sceleris in terrorem aliorum. Quod apex ille sapientiæ Plato intelligens *L. 34. in Georg. convenit, inquit; omnem, qui ab aliquo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorem, utilitatemque percipere, vel ceteris exempla dare, ut illi pœnas aspicientes meliores efficiantur.*

Hinc si reus de crimine quopiam capitali confessus, vel convictus, se ipsum angoribus conscientiæ, quasi facibus quibusdam discrucians, prævenerit morte propria supplicium, suspendi consuevisse cadaver, pluribus exemplis testatur *Gomez Tomo 3. variar. resolut. cap. 1. n. 70. Gigas in tract. de crim. lesæ majest. in Tit. de pœn. q. 33.*

Præter hæc, an non pœna ignis in hæreticos impœnitentes est constituta? Ut habeatur in constitutione Friderici Imperatoris incip. *Inconsu-*
70 *tilem apud Pennam inter literas Apostol.* In Concilio Chalcedonensi I, act. 1. legimus, Diaconum Episcopum Alexandrinum dixisse: *Si Euthyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solum pœna dignus est, sed etiam igne.* Tempore Adriani Papæ IV. ut refert Baronius anno 1155. Arnoldus discipulus Petri Abailardi igni fuit traditus. Quare vehementer errabant Donatistæ, qui, ut refert D. Augustinus *L. 1. contra epist. Parmeniani cap. 7. & epist. 5. ad Bonifacium*, negabant, licere Ecclesiæ tradere hæreticum comburendum, cum quibus sentiebat etiam Joannes Hus, ut refertur in Concilio Constantiensi *art. 14* ubi hic error damnatur. Ex quibus constat, sepulturam denegari in pœnam delicti.

Non est, quod nobis obiiciatur Textus in *L. eum sit C. de sepulcr. violato*, ubi nullatenus impediendam esse sepulturam cadaverum, statutum invenitur.

Nam respondetur; ex fundamentis præjactis sensum Textus hunc esse, ejus, qui nihil in vita commisit, quod privationem sepulturæ mereretur, cadaver a sepulchro nequaquam esse abiiciendum.

Non officit ulterius conclusioni, quod pœna in cadavera statui non posse videatur, non aliter quàm si quis in brutum animal ob damnum datum merum exerceat imperium, *L. 1. ff. si quadrup. pauper. fecisse dicatur.*

Cui satisfacit oppositioni *Heigius P. 2 q. 47. n. 43.* inquiens Judicem quidem pœnam in cadavera statuere non posse, adeo ut aliter faciens teneatur in syndicatu, *Par. de Puteo in tract. de Synd. verbo mortuus.* Attamen ad terrorem, & exemplum permitti potest, ut in cadavera aliquatenùs animadvertatur, quo recordatione periculi caveant alii, & a criminibus abstineant.

Non facit ad rhombum ulterius, quod obiici solet; Cuicumque datur Sacramentum pœnitentiæ, concedendam esse sepulturam, Text. in *cap. quæsitum 13. q. 2.* Atqui ultimo supplicio damnatis non denegatur hoc Sacramentum, *cap.*
71 *2. de furtis, cap. super eo de hæret in 6. Clem. 1. de pœn. & rem.* ergo excludi a sepultura cadavera hæc non convenit.

Nam facilè respondetur; Ex ipsa litera Textus in d. can. quæsitum apparet, eum facinorosum, de quo sermo est, non fuisse condemnatum, & ad supplicium, & ad sectionem sui corporis, ideò tunc decet, in Ecclesiam reduci, & oblationes pro eo offerri, & Missas celebrari; non enim vindicat Deus bis in id ipsum. At si Magistratus ita decrevit, ut ad exemplum insepultus idem appareat, cur non erit id concessum existimandum? Imo exemplum hoc passim canones inculcant, ut Textus *in can. mulier 15. q. 5. can. denique 7. q. 1. can. & dixit de cons. dist. 1.* Et sepulturam idcirco denegari, statuit elegans Textus *in can. placuit 23. q. 5. & in cap. fures de furtis.* Quod si alii damnati supplicio quasi ex privilegio, a sepultura non removentur; privilegium non debet trahi ad consequentiam, *can. sicut 17. q. 4. can. petiisti 7. q. 1. can. hinc 16 q. 1.*

Nec stringit illud, quod solent addere, insepultum cadaver aeri vitium inferre, cum pernicie Reip. atque ob id concessa hypotheca pro sumptibus funeris, ne cadavera insepulta maneant, *L. si quis 12. §. Prætor ait ff. de relig. & sump.*

Sed respondetur, cum in locis remotis supplicia sumantur, hoc periculum evanescere, ut aer inficiatur, quidquid in contrarium dicat *Gomez Tomo 2. Resol. cap. 11. n. 56.*

(u) *Improvisus.*

An improvisò mortuus, extorris sepulchro in Ecclesiis esse mereatur?

Dubitationem tollere videtur decisio Textus in *cap. ex parte 11. de sepult.* ibi .. tandem ipsa .. fugiens manus illorum in amnem de ponte 72
.. cecidit, & fuit casu submersa. Ipsa verò .. extracta de amne, dubitaverunt Capellani ejusdem loci corpus tradere sepulturæ; & tu etiam .. requisitus duxisti, super hoc responsum Apostolicum requirendum. Quocirca fraternitati .. tuæ per A. S. M. quat. cum illa juvencula .. non sponte præcipitaverit se de ponte, sed .. fugiens manus illorum, qui eam, sicut superius est expressum, rapere nitebantur, casu .. cecidit, corpus ejus trad. facias Ecclesiasticæ .. sepulturæ. Consonat Textus *in can. placuit 23. q. 5.* Confessionem etenim non contempsit; sed est morte præventa; nec est præsumendum, quod decesserit in peccato mortali; cum quilibet præsumatur bonus; quod verum est, nisi per annum confessionem neglexisset, juxta formam *cap. omnis utriusq. sex. de pœn. & rem.* Et est hic articulus valdè notabilis, ut quis sine ullo Sacramento decedens, tamen a sepultura non arceatur, quod notavit *Abbas in cap. ex parte de sepult.* Sed neque veteres fulmine exanimatos sepulturâ privabant. Plinius *L. 11. cap. 54. hominem exanimatum cremari fas non est: condi terra religio tradit*, & Tertullianus: *Qui de Cælo tangitur salvus est, ut nullo igne cineres-* 73
cat.

tat. Locus, ubi sepeliendus hic fuerat, declaratur a Quintiliano declam. 164. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur*. Aruspicum cura, ad funebre officium accedebat. Scaliger notat, ex Seneca *L. 1. de clementia cap. 7. Chirtemannus de fun. Rom. cap. 2.*

[ζ] *De Familia.*

De Sepulchro proprio.

Latissimè patet hic de sepulturis tractatus. Huc usque rem sepulchralem prosecuti sumus, generatim plura tradètes. Nunc propius ad sepulchri accedemus jus sepulchri considerantes, quatenus ejus dominium speciatim ad aliquem pertinet.

Ac ne quis sit error, dominium sepulchri quotuplex sit investigandum. Duplex dominium,
74 plenum, seu directum; aliud autem dominium usus. Primi generis dominium nullus fidelium habet; nam cum res sacra sit, in dominium alicujus sepultura venire non potest, L. *in tantum §. sacra ff. de rer. divis §. sacra Inst. de rer. divis*. Quare nec præscribi potest tale dominium, *L. monumenta C de Legib. argum. Text. in* L. *Julianum §. fin. ff. de leg.* 1. Et sicut Ecclesia præscribi non potest, ita nec pars, L. *qua de tota ff. de rei vind. Peyrin. de privil. Tomo 3. cap. 4. n. 46*. Quare fideles proprie non dicuntur habere sepulchrum, *Petrus de Ubaldis in Tract. de can. Paroch. cap.* 10. *n.* 41.

Ergo dominium proprietatis, seu directum est penes Ecclesiam, quod nunquam ab ea disjun-
75 gitur, nunquam vendi quocumque pretio potest, *cap. abolenda de sepult. cap. questa, can. postquam, can. in Ecclesiastica, can. præcipiendum* 16. *q.* 2. *cap. plerique 7. de pactis, cap. ad Apostolicam, cap. suam, cap. delectus de sim.* Sepultura enim res religiosa est, & Divini Juris, & extra commercium, ut dictum est, *cap. ratio de Præb. cap. non satis de simon.*

Alia dominii species deinceps consideranda in Sepulchris. Hoc illud dominium est, cujus laici
76 capaces sunt, quod utile vocatur, vi cujus impedire potest Dominus, ne sepulchro quisquam alius utatur, *Murga Tomo 1. de sepult. disq. 1. concl. 2.* Quare & pro eo datur manutentio, *Petrus de Ubaldis ubi supra n. 4. & 5.* & de hoc dominio utili *Abbas in cap. abolenda n. 5. de sepult.* Ecclesia, & ministri possunt hoc dominium usufructus personis sæcularibus, & laicis concedere. Hoc jus funerandi possidetur, *L. 1. ff. de mort. inf.*

Quę assertio probatur. Nam antequam sepulchri jus in aliquem translatum sit, est integrè, completèque penes Ecclesiam, tam quoad directum dominium, quàm etiam quoad utile. Quidni ergò de utili Ecclesia possit disponere? Imo non est opus servare solemnitatem alienationis, Ventriglia *annot. 1. §. 2. n. 25.* Forsitan illud obstat, quod simoniaca pravitate sic vendens contaminetur? Hoc verò indiget altiori investigatione; id proinde exequemur sequenti dissertatione.

DISSERTATIO VIII.

An, & quomodo, absque labe simoniaca vendi sepultura possit.

Si jus sepulturæ Ecclesiasticæ, quatenus spirituale est, & gratis debitum Christianis omnibus, 77
spectetur; hoc vendi absque simonia non potest. At distinctio loci, situs, dignitas, honor, etiam si remote derivetur ex aliqua conjunctione cum re sacra, vendi incolumi conscientia, veritum non est.

Quam assertionem, innumeris authoribus subscribentibus, quos citat Barbosa de universo Jure *L. 2. cap. 10. n. 17.* jam defendemus.

Explicatur conclusio. Locus purus, non benedictus, nec cœmeteriatus, ut dicunt, vendi potest, *can. aurum 12. q. 2.* de hoc non procedit, disputatio, de quo Gonzales *in cap. abolenda* 78
de sepult. in com. n. 5. in fin. Insuper pro loco certo in Ecclesia, aut cœmeterio aliquid exigere simonia est; cum locum, pro jure sepulturæ vendere, sit nefas, *cap. abolenda de sepultur. Barbosa ubi supra, per hunc Textum*. Sepulturæ enim jus gratuitò concedi debet. At distinctio loci jam supponit gratis locum concedi, & solum ille situs, illa distinctio est quiddam
temporale, quod pretio æstimari potest; et ad 79
materiale sepulchri id pertinet, ut in hac, vel illa parte sepulchrum sit; quamquam & in hoc cautè agendum; nam si attendatur propinquitas altari majori, id concernere videtur spiritualia, & propterea pretium excludit, *Bassæus verbo simonia* III. *n. 2. Murga disq. 4. pag. 176. n. 2.* Et si contrarium velit *Marcus Vidal in arca vitali Tit. de simon. n. 78.* qui asserit dari posse majus pretium pro loco propinquiori Sanctissimo Corpori Christi D. qui locus honorabilior, per accidens rei sacræ coniungitur, cum secundum se non videatur concernere aliquid spirituale, nec sit talis locus honoratior necessarius ad sepulturam adeoque consistat in apprehensione; Non recedo tamen a doctrina Bassæi, & moneatur ementes, vendentesque mentem in respectu figere temporali, si volunt facinus Divinis oculis infestissimum evitare. Insuper obligatio illa, 80
quod nullus alius in sepulchro sepeliatur temporalis est, & vendi potest absque solemnitate alienationis, quę jam ex consuetudine non requiritur, *Ventriglia ubi supra Barbosa de universo Jure* L. 2. *cap. 10. n. 18.* Quibus elucidatis.

Probatur conclusio. Nam consuetudo, per quam laici per modum eleemosinę ad reparationem Ecclesiæ, vel sustentationem ministrorum Capellas comparant aliquid persolvendo, accedente scientia, consensuque tacito Pontificis, non est damnabilis, præcipiturque observari *in cap. ad Apostolicam de Simonia, Covarruvias L. 1. variar. cap. 20. n. 5. Murga*, qui sic argumentatur *Tomo 1. disq. 4. Concl. 1. n. 5. pag. 177. Rodriguez in compendio QQ. Regul. Resol. 128. de sep.*

de sep. n. 2. Nec vero pretium Spiritualia compensat, sed traditur ob fundum, ob expensas forte in ędificatione factas, reparatione formę, mutatione, conservatione; nec dedecet eos, qui occupant Capellam, ubi sepulchrum est, ad ea contribuere, quare pretium compensat aliquid temporale; cumque sepulchrum aliquatenus Ecclesiam vel impediat, vel ex eius pulchritudine nonnihil diminuat, pretium illud est restitutio quędam compensativa eius damni, ut arguit *Sanchez Tomo* 1. *Consil. L.* 2. *cap.* 3.

Ergo, si hie est usus, & consuetudo passim vigens; infertur, rationabilem esse, neque Juri Divino adversari, *cap. cum tanto de consf. cap. licet de testibus*, & *act.* probavi L. 1. *Tit. de Jure non scripto in explicat. n.* 11. De hac eadem consuetudine *Barbosa de universo Jure L.* 2. *cap.* 10. *n.* 16 *Garcias P. V. de Benef. cap.* 9. *n.* 137. *pag.* 583.

Et quamquam putet *Murga ubi supra*, hanc consuetudinem esse juris communis derog toriam; attamen non video, quisnam canon reperiatur, qui prohibeat, illud temporale, quod spectari potest in sepultura, alienari, scilicet illam obligationem quemquam alium in sepulchro venditonon tumulandi, quae obligatio quiddam temporale est. Expendamus pręcipuos hac de re canones.

Non favet opinioni Murgę Textus in *cap quest: est* 13 *q.* 2. ibi: *quia grave nimis est a*
81 *Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini, quarere*, & *de alieno velle facere lucru compendium*. Ex hoc Textu quid infertur? Meo judicio solum infertur, non posse vendi locum ad sepulturam, quod & in explicatione conclusionis ultro asseruimus. At distinctio loci eaque obligatio quemquam alium non tumulandi an vendi possit, in Textu non discutitur.

Non favet etiam eidem Interpreti Textus in *can. in Ecclesiastico ead. c.* & *q.* ibi: *Quid terra terram vendis?* (& infra) *gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo*. Hic quoque sermo non est de illa loci distinctione, nec de illa obligatione, quibus titulis simoniaca labes declinatur.

Non cogit in sententiam Murgę descendere Textus alter *in can. si quis* 1. *q.* 3. ibi: *si quis obtererit, non consecrationem emi, sed res ipsas, qua ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur*. Nam hic canon explodit futiles excusationes, inanesque dicentium, se non emere Beneficia, sed fructus Beneficiorum. O miserum perfugium. Ita ne infelix versutia detestabilem simonię culpam a te studes amoliri? Corporalis Ecclesia est. Anima sine corpore corporaliter non vivit. Neutrum invenditum relinquit quicumque vendit, sine quo alterum non provenit. Fructus sine Beneficio non proveniunt; ergo qui fructus vendit, ipsum Beneficium vendit. Dices, non solvo pecuniam; sed pastum, aut pastellum tribuo concedenti Prębendam. At de nomine parum sollicit sumus. Pecunia est quid quid pretio est ęstimabile, *can. plerique, can. putant* 14. *q.* 3. Radix est avaritę, unde ista promanant, ut prandium, quod pastum dicunt, *Vossius de vitiis serm. L.* 3. *cap.* 33. En sensum Textus, in quo de sepultura non agitur, nec connexa est eodem pacto distinctio loci sepulturę, ut fructus Prębendę.

Quod denique pro sepultura nulla pretii exactio attentanda dicatur *in cap. non satis de sim. in cap. audivimus ib.* Quod pro terra, in qua aliquis est sepeliendus certum pretium non debeatur, *cap. abolenda de sepult. cap. non satis, cap. cum in Ecclesia de sepult* justissime, ac saluberrime fuit constitutum. At articulum de loci distinctione, de obligatione, ne quisquam alius sepeliatur, id non attingit.

Quocirca potius consuetudo ex his titulis aliquid Rectori Ecclesię tradendi confirmatoria est aut declaratoria juris communis; quę an propria consuetudo sit diximus *L.* 1. *Tit.* 4. *n.* 7.

Ex quo infertur, jus sepulchri, quoad illam distinctionem, & quasi Jus Patronatus privative quoad alios, in exequutionem cadere posse debiti temporalis, non verò quoad jus principale; *ita Barbosa de potestate Parochi cap.* 26. *Murga Tomo* 1. *disq* 24 *concl.* 3. 82

Infertur in possessorem bonorum, quibus jus, & dominium utile sepulchri adhaeret, hoc jus, & dominium transire, *Lambertinus de jure Patron. L.* 1. *parte* 2. *art.* 3. *q.* 15. *Barbosa de off.* & *potestate Episcopi P.* 3. *alleg.* 71. 83

Infertur, in publicatione bonorum jus hoc sepulchri, seu dominium utile ad Fiscum Ecclesiasticum transire, Samuelius in Praxi *de sepult. tract.* 1. *disp.* 1 *contr.* 5. *conclus.* 27. *pag.* 35. Imo, si Fiscus confiscans sit laici Principis, in eum transit, & Jus Patronatus, & jus sepulturę, *Glossa in can. filiis, verbo propinquis in fine* 16. *q.* 7. *argumento Textus in cap. ex literis de Jure Patron.* & *in cap. cum laici eod. Tit. Barbosa in d. cap. ex literis.* 84

DISSERTATIO IX.

De Constructione sepulchri, quod omnibus de familia deservire debet.

Quoniam apparet, jus sepulturę, ac dominium utile transferri posse in laicum ab Ecclesia, videamus de sepulchrorum constructione in loco jam in Ecclesia acquisito.

Dixi in loco jam in Ecclesia acquisito. Nam si in loco puro, ac profano, mandat testator, condi sepulchrum ejus voluntas adimpleri non potest, absque Episcopi auctoritate. Quippe irrationabiliter, & contra antiquam institutionem mandat, ut in loco profano, qui baptizatus est, tumuletur, *cap fraternitatem de sepult.*. Megentia nobilis fœmina in propria possessione corpora suorum defunctorum tumulari, voluit, *can. certum de consf. dist.* 2. at hic Textus de Oratorio privato intelligitur, ubi eadem mulier impetravit, Divina officia pro defunctis celebrari, *Gonzales ita explicans in cap. fraternitatem* 85

86 *tem n.* 8. Nec locus purus, profanusque illeerat, de quo tractatur in *cap.* 3. §. *fin. de sepult. in 6.* sed Eremitorium, aliudve Oratorium, ubi non tam frequenter Missæ celebrabantur, ac proindè ejus loci electio ad sepulchrum sustinetur. Spernenda est igitur electio sepulturę in loco profano, *Murga disq.* 11. *concl.* 4. *pag.* 315. aut si in loco illo profano construendum fit sepulchrum, Episcopi præcedat assensus, necesse est, authoritasque, ut locus ille sacer evadat, *can. nemo de consecr. dist.* 2. Nec enim privatus locum efficit relligiosum, ut olim *L. in tantum §. sacra ff. de rer. divis.* L. 3. §. *si quis ff. de sepulch. viol* L. *quamquam ff. de aqua pluvia arc.* cum repugnet de Jure Canonico, *cap. ad hac de rellig. dom.* ac proinde si is, cui constructio talis in loco profano mandatur, hoc non pervicit, obtinuitque ab Episcopo, culpa caret, ut infert *Murga tomo* 1. *de sepult. disq.* 2. *pag.* 230.

Quamquam verò in loco sacro fit construendum sepulchrum, attamen interdum Episcopi
87 interpositione opus est: Dicam quomodo. Finge, testatorem mandasse, construi in Ecclesia sepulchrum, ubi fieri debeat, non satis declaravit; ambiguitatem præcidere spectat ad Episcopum, *can. nemo de cons. dist.* 1. ut ex hoc textu infert Samuelius *in praxi de sepult. tract.* 1. *disp.* 1. *contr.* 6. *concl.* 7. Ratio accedit; quia Episcopus curam gerit ultimarum voluntatum, *cap. nos quidem de testamentis*, quæ modis omnibus servandæ sunt, *can. ultima* 13. *q.* 2. Finge rursus, ceptam esse sepulchri constructionem, Epis opus ad eam perficiendam com-
88 pellere potest, argumento Textus, *in cap. cum sicut de cons. Ecclesia*, unde infertur, eum, qui cæpit pium opus, ad perficiendum compelli, *Tudesch. in d. cap. cum sicut.*

An verò, si quis velit sepulchrum construere
89 in Ecclesia Patronata, Patroni indigeat consensu, ancipitis est controversiæ?

Sit nostra conclusio, nullum requiri Patroni consensum.
90 Probatur, quia ex hac sepulchri constructio ne nullum Patrono præjudicium imminet.

Neque enim juri honorifico, aut utili, quod habet Patronus, per sepulchri constructionem, eodem irrequ fito, detrahitur; non aufertur honor præsentandi, non præcedentia, non quod debeat ab Ecclesia sustentari, si casus ita tulerit, ut in egestatem adversitate fortunæ prolabatur; non video quodnam jus habere queat Patronus impediendi hanc constructionem.

Comprobatur; nam Patrono incumbit defensio, ne a potentioribus Ecclesia opprimatur, bonaque dilapidentur, *can. filiis* 16. *q.* 7. ideo advocatus dicitur Patronus *in cap. cum autem de Jure Patr. in cap. quia Clerici ib.* Et sicuti advocatus obligatur se gerere in officio suscepto cum utilitate clientis, cui adest, L. *ex Senatus consulto ff ad L. Jul. de vi priv.* L. *nemini licere C. de advoc. divers. Jud.* & hac de re jutat, L. *rem non novam*, §. *patroni C. de Jud.* Ita Patronus. Atqui cum ex Ecclesiastica sepultura ipsi Ecclesiæ obveniant multa commoda, ut legata nonnunquam, & aliæ obventiones. Non ne Patronus contradicendo, videbitur, obniti contra Ecclesiæ utilitatem?

Accedit, quia cum est licitum, quod majoris momenti existimatur, multo magis est licitum, quod minus est, *regula* 67. *de Reg. Jur. in* 6. Atqui in Ecclesia patronata, etiam invito Patrono, Capella potest construi, *cap. ad audientiam de Eccl ad. in fine. ut ex eo Textu infert Barbosa ib. in coll.* & plus est Capella, quam sepulchrum, ut per se patet, ergo non est Patroni consensus expectandus.

Huc spectat, quod deciditur in *Concilio Toletano* 4. *cap.* 32. *relato in can. noverint* 10. *q.* 1. ubi Patronis in rebus, quas Ecclesiæ contulerunt, nulla potestas competit. Atqui consensum velle præstare, dum construendum est monumentum, esset potestatis exercitium, ergò nullo jure Patronus id potest exigere.

Et proinde hanc sententiam defendit *Samuelius de sepulturis Tract.* 1. *disp.* 1. *contr.* 6. *concl.* 8. *Murga Tomo* 1. *disq.* 5. *pag.* 235 *Lavorius variar. lucubr. Tit.* 2. *cap.* 9. *n* 8 *Tom.* 3. pluresque alios assertores, propugnatoresque hæc sententia obtinuit.

Nec obstat I. Textus *in cap. ex insinuatione* 14. *de Jure Patronatus*, ubi sine consensu Patroni, occupari Ecclesia non potest. Iam verò 91
qui jus obtinet sepulchri construendi, dicitur è libertate pristina Ecclesiæ diminuere, nec enim amplius sepulchrum demoliri potest, *Concilium Toletanum* 4. *cap* 40. ubi demoliens sepulchrum triennali pænitentia punitur; perinde est igitur ac si pars Ecclesię occuparetur, atque adeo consensus Patroni expectandus.

Resp. tamen, inductionem hanc a nobis non extorquere, ut subscribamus adversariis, nam casus oppositæ Legis Canonicæ involuit præjudicium Patroni. Cur ita? Quia occupatores Ecclesiarum Patronatuum, non expectata præsentatione Patroni Rectores in eisdem constituebant (*Glossa in casu notat*) ac proinde, ut omittam alia præjudicia Patroni, detentores ad restitutionem compelluntur, ingressus enim canonicus non fuit, *can decernimus* 16. *q. ult.* propter consensus carentiam.

Non obstat II. Textus *in can. Monasterium* 16. *q.* 7. ubi Oratorium, quod Patronus construxit, ab ejus dominio, invito, eodem non est auferendum. Ex quo optime infertur, ad sepulchrum construendum, per quod dominium utile transit in construentem, requiri Patroni consensum; consonat Textus *in cap. rationis ead. caus.* & *q.*

Sed respondetur verbum *dominio* in opposito *can Monasterium* non significare, nisi illud jus quod habere solet Patronus, ut patet ex *can. piamentis* 16. *q.* 7. ibi: *ipsam procul dubio præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum*,

&de

& de hoc canone *pia mentis* plura diximus *hoc Lib. Tit. de Eccl. adif. n.*

Eademque interpretatione ocurritur alteri canoni, quæ solida est, & genuina, ut patet ex *can decernimus* 16. *q.* 7. nec alio in sensu accipitur, *Gonzalez in cap. praeterea de Jure Patr. n.* 4. *prope fin.* Solum ergo consensus Patroni requiritur, quando ejusdem jus violatur, ut si Monasterium de Ecclesia fiat; nam derogaretur juri Patroni in electione, & alimentis recipiendis sic nec Dominus proprietatis potest usum rei immutare etiam in melius, invito fructuario, *L. ult. ff. de usu. & hab.*

Cognito igitur consensu qui prærequiritur ad constructionem sepulchri; iam, ut adimpleatur voluntas defuncti, manus operi admovenda est. At ecce dum sagaci oculo exploratur ultima dispositio, detegitur, testamentum esse imperfectum. Oritur proinde difficultas, an satisfaciendum sit optatis defuncti?

Breviter dicendum, censeo, nihilominus sepulchrum esse construendum.

92 Nam testamentum imperfectum ob carentiam solemnitatum Juris, tamen est legatum pium, idest quoad legatum pium non corruit, *cap. relatum de testamentis*, *Covarruvias cap.* 11. *de test. Ciarlinus in Controv. Tom* 1. *cap.* 21. *n.* 8.

93 *valetq. argumentum ex L. ult. ff. de hared. inst.* Accedit ratio; nam hæres ex minus solemni testamento naturaliter est obligatus implere defuncti voluntatem, & ideo solutum repetere non potest, L. 2. *C. de fidei com.* Clarius ex *L. in testamento ff. de fideic. libert. late Fachineus* L. 4. *Contr. cap.* 5. Et de hac quæstione *Murga Tomo* 1. *disq.* 12. *cum pluribus ab eo laudatis*.

Contraria optime refellit *Fachineus ubi supra* quæ huc transcribere otium non est, nec meæ consuetudinis.

Jam vero sublato omni obstaculo sepulchrum construitur in loco destinato, concessoque ab Ecclesiæ Rectore, spatium quod exclusa tellus ligonum ictibus amplius non occupat, muro cingitur, in medum domus, quare & domus sepulchra vocantur, *Tibullus L.* 3. *Eleg.* 21.

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Interdum & flabula, ut a Tertulliano de resur. *carn. cap.* 37. ibi: *quia nec ipsa monumenta aliud, quam cadaverum flabula*; Interdum monumenta L. 42. *ff. de Leg.* 3. L. 11. *ff. de cond. caus. data* L. 6. *ff. de cond. & dem.* L. 5. C. *de rell. & sumpt. fun.* dicuntur & cenothaphia, cum vere cadaver non excipiunt, sed in obsequii signum construuntur, late *Eminentissimus Noris in Lib. cui tit. cenotaphia Pisana*. Dein vero pavimentum lapidibus sternitur, tum fornice occluditur intervallo tamen relicto, unde in inferius sepulchrum descensus esse queat, exterius vero clauditur solido, integroque lapide. Hoc unum superest scalpri ictibus titulum, & nomen inscribere. Inscriptiones adeo sepulchrorum propriæ, ut vix sine his monumenti nomen jure sustineant. Sepulchris olim incidebantur carmina, interdum etiam prorsa oratione elogium insculpebatur, Suetonius in vita Claudii *cap.* 1. ibi: *Nec contentus elogium tumulo ejus versibus a se compositis insculpsisse* Virgilius Ecloga V.

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.

Cicero in Catone majore ibi: *notum est totum ejus carmen incisum sepulchro*, *Tibullus* L. 1. *Eleg.* 3.

Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
Fac, lapis inscriptis stet super ossa notis.

Inscriptionum usus, & post Jus Canonicum receptissimus est, & antea de Jure Civili; communiter nostri *ex cap. cum causam* 13. *de prob. ubi Gonzal.* qui citat ad hoc *Text. in can. sane* 24. *q.* 3.

Iam ad rem initio propositam ventum est, 94
scopumque attigimus. Sepulchrum majorum, familiare, gentilitium, hereditarium, quam maxime ex inscriptione cognoscitur, ac probatur, *Mascard de probat. Concl.* 12. 92. *n.* 4. *Menoch. de præsumpt. præsumpt.* 59. Patet ex *L. familiaria ff. de rellig. & sumpt. fun.* Mitto innumeros, ut *Ventrigliam annot.* 52. §. *un. n.* 24. *qui citat Capyc. Latr. cons.* 94. *n.* 17. L. 2. Si namque sibi, & de familia sepulchrum apparet ex inscriptione constructum, erit familiare. Si sibi, & hæredibus, extraneos etiam, non agnatos solum, admittet, ita *Murga Tract.* 4. *disq.* 5. *concl.* 7. *n.* 27.

Sed quæstionis est admodum perplexæ, an 95
insepulchris familiaribus, heredes agnatorum tumulari queant.

Negativa sententia suis fulcitur authoritatibus nempe *L. quæsitum ff. de sepulchro violato*, *L. pro harede* §. *sed & qui ff. de acqui har L. monumentorum C. de Rellig.*

Affirmativam qui tuentur, citant Textum elegantem *in L.* 13. *C. de Rellig.* ibi: *jus sepulchri tam hereditarii, quam familiaris ad extraneos etiam heredes* (& infra) *pertinere potest*; citant Textum in L. *vel quod* §. *sed in utroque ff. de Rell. in*; L. *quia perinde* §. *restituta ff. ad Treb.*

Conciliat dissidium Interpretum *Thesaurus quæstionum forensium* L. 1. *q.* 18. distinguens inter Jus Canonicum, & Civile. De Jure Cano- 96
nico soli agnati in sepulchro majorum condantur, *cap. fraternitatem* §. *qui vero de sep. cap. is qui de sep. in* 6. *cap.* 1. *de sepult. can. obrem* 13. *q.* 2. *cap. nos instituta de sep. declaratio Sacræ Congreg. apud Barbos. in Summa decis. Apost. collect.* 671. *n.* 7. Et cum mulieres non habeant sepulchra, nisi virorum, aliarum fœminarum descendentes non poterunt occupare sepulchra alterius agnationis, *cap. is, qui* §. *mulier de sepult. in* 6.

De Jure Civili secus est, neque Textus negativæ sententiæ, si litera expendatur diligenter, quidquam obstant, & videndus *Chirchmannus de funer. Rom. L.* 3. *cap.* 13.

(y) De-

(y) *Deligere.*

De electione sepulturæ.

Consultò diximus in nostro Titulo, eum, qui caret familiari, aut hæreditario sepulchro, posse ubilibet eligere sepulturam.

Nam diversum jus esset, si quis relicto ma-
97 jorum sepulchro, aliud eligeret. Quippe non in quacumque Ecclesia eligere potest sepulturam, sed tenetur illam in Ecclesia Parochiali eligere, qui sepulchrum renuit familiare.

Quæ conclusio est *Samuelis in praxi de sepult. Tract. 1. disp. 6. contr. 11. Concl. 5.*

Probatur hæc assertio, quia non inficiamur, quasdam Ecclesias esse quæ habent Privilegium, facultatemque omnes tumulandi. At si agnatus neque hanc Ecclesiam, neque sepulchrum majorum elegerit, Parochus jus habet sepulturæ, quod auferre, atque interturbare nulla alia Ecclesia potest, expresso *can. Ecclesias 13. q. 1.* ibi: *nullus alterius Parochia terminos, aut jus invadat.* Et hæc sententia communiter recepta est, nec indiget ulteriori probatione.

Stylum ad alia convertamus, & de electione sepulturæ in genere, varia ad praxim quoque peratilia investigemus.

Principio maxima libertas unicuique compe-
68 tit sepulturam eligendi. Nam hæc electio pars dicitur ultimæ voluntatis, cujus libertati plurimùm favetur neque tolli, vel minui potest, *L. 1. C. de sacr. Eccl. can. ebron. can. unaquaque, can. ubicumque, can. placuit 13. q. 2. can. ult. 16. q. 1. cap nimis de excess. Pral. cap. ut privilegia de privil. cap. cum quis cap. 11, qui de sepult. in 6. Clem. dudum §. verum, hoc Tit. Clem. fin. §. fin. de pœnis.*

Ergo etiam Novitius sepulturam extra Monasterium eligere sibi potest, *cap. disposuisti, cap.*
99 *tractavimus de Reg.* Etiam Episcopus extra Ecclesiam suam Cathedralem sua voluntate tumulari potest, *can. bene 12. q. 2. cap. Apostolicæ*
100 *de don.* Quamquam si eligat sepeliri extra Provinciam, Capitulum ad expensas non teneatur. *Lavorius docet var. lucubr. Tit. 2. cap. 11. n. 6.*

Si tanta libertas est in eligenda sepultura, an
101 credimus, quemquam ad electionem posse compelli? Imo celeberrimus est Textus inductiones similes interminatione maledictionis æternæ prohibens, *in cap. animarum de sepult. in 6.* ibi: *ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant,* quæ Decretalis Bonifacii, confirmata fuit *in Clementina cupientes, §. sane de pœn.* Ac proinde ossa illius, quem, constat, inductum fuisse, & quæ sepulturæ occasione recepta sunt, debent
102 Ecclesiæ restitui, ubi de jure inductus sepeliendus est, docet Glossa in *cap. animarum de sepult. in 6* & plures, quos Murga citat *disq. 6. concl. 1.* Imo intra terminum decem dierum, *Barbosa in d. cap. animarum, Lavorius var. Tom. 1. Tit. 2. de prajeo, & tesenta funer. modo cap. 11. n. 3. ex d. cap. animarum.*

Ratio, cur induci quisquam ad electionem sepulturæ non possit, est, quia pactum inductivum simoniam redolet, docet *Trullenchus de jure Parochi cap. 91. dub. 5. n. 10.* & deducitur ex *can. quam pio 1. q. 2.* ibi: *gratis Deo.*

Ex quo infertur, ne Parochum quidem ipsum posse inducere Parochianum morti proximum ad similem electionem, quamquam in Ecclesia Parochiali debeat de jure sepeliri. Nam in *cap. animarum de sepult. in 6.* seculares etiam Clerici cujuscumque status removentur a tali inductione sub pœnis, notat *Murga disq. 6. Tomo 1. dubio 1. n. 14.*

Imo nec Parochus potest suggestione uti, ut ad eligendam sepulturam moribundus moveatur, idem *Murga ubi supra*. Repugnat tamen *Samue-* 105
lius in praxi de sepult. Tract. 1. disp. 2. contr. 5. concl. 2. Quam suggestionem intellige pro conciliatione dissentientium, intellige, si moribundus interrogetur in specie, suggeraturque an in hac, vel illa Ecclesia placeat sepeliri, tunc enim electio est nullius momenti, ita *Thesaurus de pœnis P. 2. cap. 2. pag. 319.* Si vero in genere interrogetur, nulla pena imminet *Bursat. cons. 226. n. 18. vol. 3. Genuens. in prax. cap. 61. n. 3. relati a Thesauro ubi supra.*

Tandem electio facta sufficienter probatur per testes, ut declaravit *S. Congregatio Episcop. & Reg. 11. Decembris 1615. in Nepesina*, nisi ex 107
codicillo etiam invalido, aliave scriptura probari possit, *Lavorius var Tit. 2. cap. 11. n. 18.*

(aa) *Uxori.*

Mulier etiam nupta libere sibi potest eligere sepulturam.

Uxori, etiam invito viro, permissam esse sepulturæ electionem, deciditur *in cap. de uxore de sep. in cap. is, qui § mulier de sep. in 6.* 108

Ratio, quia electio sepulturæ est species ultimæ voluntatis, *cap. contra 13. q. 2. cap. cum liber. m de sep.* Atqui mulier potest condere testamentum, *L. si mater 33. ff. de Vulg. L. 3. C. de inoff.* ergo

Rursus, quia, ut ait Urbanus *in d. cap. de uxore*, effectus electionis confertur in tempus, quo uxor a lege viri solut est, ergo nihil obest a fine maritorum in sita disponere non posse.

Accedit, nam & de Jure Civili uxor in diverso sepulchro a marito, condi poterat, *L. alumna §. ab hæredibus ff. de adim. legat.*

Quod si sepultura non electa decesserit, par est in sepulchro mariti se jacere, *can. unaquaq. 13. q. 2.* 108

Si vero plures maritos habuerit, ultimi sepulchrum sequitur, *Murga Tomo 1. disq. 2. dubio 32. pag. 353.* 109

Insuper si decedat uxor nondum consumato matrimonio, non in mariti sepulchro tumulabitur, sed in Parochia, *Barbosa de unio. Jur. P. 2. L. 2. cap. 10. n. 29.*

[*bb*) *Fi-*

(bb) *Filio.*

Filius irrequisito patre potest sibi eligere sepulturam.

Est in Jure nostro receptissimum, quod in spi-
110 ritualibus patria potestas non attenditur, *cap.*
si annum de Jud. in 6.

Quid mirum proinde, si, ut asservimus in
nostro Titulo, inconsulto etiam patre filius fa-
milias eligere sibi possit sepulturam? Et est hac
de re expressus Textus *in cap. licet de sepult.*
in. 6. ibi: *Quamuis autem filius familias absque*
patris assensu sibi possit eligere sepulturam, con-
sonat alter expressus *can. unaquęq.* 13. *q.* 2. ibi:
& liberum est eis alibi (& infra) *hospitium in-*
venire; late Ventriglia in praxi ann. t. 52. *§.*
un. n. 6. *Tom.* 1.

Requiritur tamen ut pubes sit, *cap.* 1. *de se-*
pult. & cap. licet hoc eod. Tit. in 6.
111 Nec subscribendum Belletto, qui *in disq. Cler.*
1. *part. de Cler. deb. §. tert. n.* 14. exigit in
eligente filio ætatem annorum 18.

Ceterum, dum filius impubes moritur, pa-
112 tri ereptum non est eligere pro filio sepulturam,
cap. licet hoc Tit. in 6. Talisque est hodierna
consuetudo, & declaravit *Sacra Congregatio Reg.*
die 20. *Jan.* 1640. *relata a Ventriglia ubi supra*
n. 13.

(cc] *Parochiali.*

Cessante electione, quilibet in Parochiali Ecclesia tumulandus.

Jam de sepulchris Majorum non loquimur,
de quibus quid Jura disponant, superiùs do-
cuimus.

Sed hoc dicimus, quod cessante electione tu-
mulandum est cadaver parochiani in Ecclesia
113 Parochiali.

Estne qui dubitet? Jam ostendam, omni du-
bitatione detracta. Patet enim assertio hujusce-
modi ex *cap. nos instituta de sepult* ibi: *ne trans-*
grediaris terminos antiquos. Quid hi termini an-
tiqui sunt? Ut parochianus ad Parochiam pro-
priam admittatur, non ad alienam. Consonat
Textus *in cap.* 5. *eod Tit. in cap. in nostra*
10. *ib.*

Et ideo, qui eligit alibi sepulturam, Ecclesia
114 illa Parocho canonicam portionem debet, *cap.*
1. *cap. certificari, cap. in nostra hoc T. cap. de*
quarta de praescr. cap. officii, cap. requisivisti,
cap. fin. de test. cap. ex parte de V. S. cap. cum
quis hoc. T. in 6. Portio enim hæc Parocho pręs-
tatur, ut quoniam Parochus sustinet onus admi-
nistrandi Sacramenta parochianis, dum vivunt,
debitis in morte non fraudetur obsequiis.

At finge, aliquem habere domicilium in Ci-
vitate, vel castro, si ruri moriatur, quænam
115 censetur Ecclesia Parochialis ad jus sepulchri,
Ecclesia ne villę, vel Civitatis? Civitatis esse,
disponitur in celebri *cap. is, qui de sepult. in*
6. dummodo absque periculo ad urbem possit
deportari, hęc sunt in Textu.

Ex quo infertur decisio ad controversiam illam 116
utrum si Primas, si Arcpiepiscopus, si Episco-
pus moriantur extra Diæcesim, locus sepultu-
ræ sit Ecclesia Cathedralis? Nam ex inductione
pręd cti Textus, transferendus est Episcopus, &
alii Prælati ad Ecclesiam Cathedralem, nisi in-
tolerabilis impensa sit. Ratio est, quia Ecclesia
Cathedralis est Parochialis eorum propria. Ibique
censentur, habere domicilium, ubi perpetuo re-
sidere obligantur, late ex dicto Textu id decla-
rat *Murga Tomo* 1. *Tract.* 8. *disq.* 2. *dub.* 4.

Exempla sunt apud *Samuelium de sep. Tr.* 1.
disp. 5. *contr.* 11. *concl.* 13. Ita Episcopus de Ser-
martellis Patricius Florentinus, & Clusinus An-
tistes; in patria mortuus ad Clusinam Ecclesiam
translatus fuit, ut alia omittam.

(dd] *Ad pompam funeris.*

DISSERTATIO X.

De cadaveris delatione ad sepulchrum.

Nil aliud superest ad absolvendam hanc de se-
pulturis explicationem prolixam quidem, sed,
ni fallor, necessariis cognitionibus refertissimam,
quàm ut de ipso funere tum ex antiquitate plu-
ra delibentur, tum ex ritibus, a recentiorum cano-
num dispositione, vel consuetudine introductis
differamus, gressu quidem celeri, cum adhuc plu-
rimum itineris supersit, & nostram operam, in-
dustriamque aliorum Titulorum expositio re-
poscat.

Age jam sequamur ordinem nostri Tituli, ho- 117
minemque mortis inexorabili necessitate vita or-
batum, jacentemque eodem in lecto, ubi morbus
eum affixit, cogitemus.

Ubi jam est Diaconus, qui oculos deprimat?
Nam tale quidem Diaconi officium, *D. Cyprianus* 118
L. 3. *epist.* 15. *dixi L.* 1. *tit.* 20. *n.* 10. Ubi sunt
laborantes? Quorum officium est corpora fidelium
defunctorum obvoluere, & cooperire. *Epiphan.*
in com. quos & *fossarios* dictos esse, reperimus 119
epist. ad Rust. Narb. apud Hieronymum Tomo 9.
meminitque eorum Justinianus *novella* 43. *&* 59.
ubi etiam vocantur *decani, & lecticarii*; Et for-
sitan, qui parabolani dicebantur juxta *L.* 42. *&* 43.
C. Theod. de Episc. & Cler. ejusdem generis erant,
nam *paraboles* gracè homo significatur, ad su-
beunda pericula praeceps, quos usitatos fuisse,
constat in Ecclesia Alexandrina, *Baron. Tom.* 4.
an. 416. *in fine*.

His peractis abluatur perfusis lymphis cadaver. 120
Lotio cadaverum post efflatam animam antiquis-
sima est, ut omittam Virgilii locum. - *Corpus-*
que lavant frigentis & ungunt, & Apuleii L. 8.
Metamorph. ibi .. tunc prope familiares miserę
.. Charites accuratissimè corpus ablutum, munita
.. sepultura ibidem marito perpetuam conjugem
.. reddidere. Apud Christianos jam inde ab Ec-
clesiæ incunabulis id in usu fuit, Dionisius Alex-

drinus

drinus primum describens officium Christianorum in eos, quos pestis absumpserat, ait: *amice complexi, lavare accurate*, & *apud Euseb. 7. hist. 17.* Patet idem ex *Chrysostomo Hom. 1. de Pat. Jacob.* ibi: *lavant, dignis ornamentis funeralibus amiciunt*.

121 Post lotionem ritus ille apud cultiores gentes obtinuit, ungendi cadavera; quodque id usurpabant etiam Judæi, Christum D. more ipsorum, cum aromatibus sepultum, scimus. Quodque unctio adhibebatur a Judæis in testimonium immortalitatis animæ, & resurrectionis, libenter, eumdem morem Christiani sunt amplexati, ut patet ex *Tertullian. in Apologet. cap. 42. ex Clemente Alex. 2. Ped. 8.* & Prudentius Poeta Christianus.

Aspersaque myrrha sabæo
Corpus medicamine servat

Ultra hæc ablutum, & unctum cadaver vestiendum, comparandumque ad sepulchrum. Veteribus tanta vestium funebrium cura fuit, ut eas
122 plerumque in vita sibi conficerent, eleganter Virgilius matrem Euriali lugentem inducit.

- - - *Nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos, nec vulnera lavi
Veste tegens, tibi quam noctes festina, diesque
Urgebam, & tela curas solabar aniles.

Pie splendidam sepulturam fidelibus exhiberi, Christi D. exemplo monemur, qui munda syndone, voluit involui. Hinc initio Ecclesiæ Beatorum Martyrum corpora linteamine obvolvebantur, *S. Athanas. in vita S. Anton.* Quare hunc loquendi morem usurpant antiqui Scriptores, cum de vestibus defunctorum agunt, *dignis vestibus induti*; multas cumulat authoritates *Spondan. de sep. L. 5. part. 3. cap. 2.* Sacerdotes induebantur vestibus Sacerdotalibus. Fideles Petrum Martyrem Patriarcham Alexandrinum vestibus Sacerdotalibus indutum ad cæmeterium detulerunt, *Baron. Tom. 3 ann. 310* Martyres sepeliebantur cum dalmatica, aut colobio, ut Eutychianus Papa constituit *Lib. de Rom. Pontific.* ibi.. ut quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret. Colobium, & dalmatica tunicæ sunt, sine manicis, *Gonz. in cap. Clerici 15. de vit. & hon. n. 10.*

Vestitum cadaver in feretro collocatur. Fe-
123 retrum, ut habet Isidorus *L. 18. Or. cap. 9.* ita dictum, quod ibi funus ducitur. Sed verius feretrum latinè *latura*, *Chirchmannus de fun. L. 2. cap. 9.* Duo olim feretrorum genera, lectica, & sandapila. *Tacit. L. 3. hist. Simul ferebatur lecticula parvus filius, veluti in pompam funebrem;* ibi mortui ditiores ponebantur; pauperiores sandapila, *Juvenal. Sat. 8.*

Inter carnifices, & fabros sandapilarum.

Et Domitiani cadaver populari sandapila exportatum fuisse, scribit *Sueton. cap. 17.* quam vile feretrum, seu arcam vocat Lucanus VIII. de Pompeio

Da vilem magno plebi funeris arcam.

Notat autem Fulvius Ursinus *in not. ad Leg. & Senat. cons.* lectum, quo defunctus efferebatur, coronis ornari solitum fuisse. Hunc ritum coronandi feretrum, spargendique floribus, Christiani veteres, ut recederent a ritibus paganorum, abhorruerunt, *Tertull. de corona mil.* Ho-
die in usu est pueros, & adultos etiam, qui vir- 124
ginitatem illibatam perpetuò servarunt, corona donare, eaque præcinctos efferre. Et merito; nam ut ait *Cicero 2. de Leg.*.. Illa significatio .. laudis est ornamenta ad mortuos pertinere; .. quod coronam virtute partam (& *infra*) lex .. impositam jubet.

Quod vero cum cereis efferantur Cadavera, exponanturque etiam, id a prisco Christianorum ritu non 125
dissentit. At ecce nos placido gressu progredientes, remoratur occursus quorundam importunus, qui pompam funebrem, ornatumque omnem irrident, explodunt, tamquam gentilitatis reliquias. Nostis, de quibus loquar. Loquor de his, qui tamquam tauri furentes suavissimum Christi jugum excusserunt, omnes Leges ad suas improbas voluptates detorquentes. Obganniant, ut libet; cum cereis deferre defunctos, moris fuit etiam tempore Concilii Illiberini *can. 34.* quem doctè exponit *Mendoza, & Gonzal. pag. 329.* etiam tempore Gregorii Nysseni; nam is de obitu Macrinæ sic ait .. Ex utraque parte præ- .. cedebat non exiguus Diaconorum, ministro- .. rorumque numerus; qui omnes ordine pro- .. gredientes accensos cereos manibus gestabant.

Nazianzenus hujusce ritus mentionem habet *in funere Constantii Imper.* ibi.. ac ceterorum igni- .. bus, quibus nos Christiani pium è vita dis- .. cessum ornandum, existimavimus, & Dyonisius *de Eccl. hyerar. cap. 7.* aliique Sancti Patres congesti *a Mendoza can. 34. a Lavorio var. Tit 2. cap. 3. n. 32. a Spondan. de Camet. L. 1. p. 3. cap. 7.* Ratio multiplex hujus ritus, veluti ad ostendendum, defunctum implesse, quod Christus præcepit, *sint lucernæ ardentes &c.* vel quia fulgentes lampades, athletas nos deducere significant, ut ait *D. Joan. Chrysost. Hom. 4. in epist. 2.*

At ecce in ipso hoc funere alios dissidentes 126
sed Catholicos; ecce contendunt Parochi; ecce unus ex his violenter rapit, spoliatque funus. Quid Juris in hac violentia?

Conclusio sit, eum, qui violenter rapit in hunc modum, & ad cadaveris restitutionem teneri, 127
& amittere jus, quod habet, & quartam canonicam. Ita firmat *Lavor. var. Tom. 5. Tit. 2 cap. 4. n. 121. Murga Tom. 1. Tract. 7. disq. 6. Concl. 1.*

Probatur ex *cap. 6. de sepult.* ubi Bernardus verbum *Beneficia* intelligit oblationes, & quidquid perceperunt ob funus, nam violentia illata, hoc meretur in pœnam, *cap. cum qui de Preb. in 6. L. si quis in tanta C. unde vi.*

Probatur insuper ex declaratione sacræ Congreg. rituum in Vicentina 22. Jul. 1607. apud *Barbos. in summa decis. verbo defunctus n. 4.* &

ex alia declaratione edita 20. Martii anno 1643. apud *Lezanam Tomo* 2. *part.* 4. *verbo sepultura n.* 10.

Sed aliud obstaculum interturbat iter ad Ecclesiam, ut defunctus tumuletur. Ecce obviam
128 veniunt creditores defuncti, atque impedire volunt, & funus, & sepulturam debitoris.

Sit nostra conclusio. Nec funus, nec sepultu-
129 ram propter debita impediri posse.

Probatur ex Authentica, *ut defuncti, seu funera eorum cap.* 1. ibi .. si vero etiam morien- .. te quodam, circa funus peccetur aliquid mo- .. rientis, quod exequias prohibeat: scr ptaquidem jam lex est, & a nostro Patre super hoc, .. tamen simul etiam ex nostris major sequa- .. tur delicti poena.

Comprobatur, num immoderata illa potestas creditorum in corpora debitorum exolevit, post celebrem Textum in L. *ob as alienum* C. *de bl. & all.* Cum Constantinus anno 320. sui vero Imperii 15. in L. 3. C. *Theod. de exact. sectionis immane jus sustulisset.*

Et proinde id receptissimum est, ut neque 130
heres intra novem dies a morte defuncti conveniri possit, latè *Murga Tom.* 1. *Tract.* 9. §. 6, *pag.* 364.

Accedit publica utilitas, ne cadavera insepulta iaceant, L. *sunt persona ff. de rell. & sumpt. fun.* quare impensa funeris vincit dotem, L. *impensa*, L. *sunt persona in fin. ff. de relig. & sumpt.* & omne creditum praecedit, adeo ut dis-
131 putent, an impensa funeris creditori, qui sumptus funeris fecit, non tantum hypothecam tacitam, sed etiam expressam habenti praeferatur, ut *late Interpetres in* §. *creditor quib. mod. re contr. ob*

Tandem id ipsum expresse prohibetur in *L. eum qui* 6. C. *de sepulchro violato*, dum ita loquitur. Cum sit injustum, & nostris alienum tem- .. poribus, injuriam fieri relliquiis defunctorum .. ab his, qui debitorem sibi esse mortuum di- .. cendo, debitumque exigendo, sepulturam ejus .. impediunt &c.

DE CANONICA PORTIONE.

TITULUS. XXVII.



Nisi jus suum cuique tribueretur, quid essent Civitates, quid Respublicę? Dominia rerum distincta sunt. Alienum cum proprio sola vis & audacia Legum comtemptrix confundit. Quorsum hæc initia sermonis? Amant jus suum cuique tribui Leges sæculi, amant & canones; idque in canonica portione elucescit. Canonica portio [*a*] sic dicitur, quasi pars sit a canonibus instituta. Volunt, statuuntque canones, non fraudari Episcopum, non fraudari Parochum portione debita; illa Episcopalis, hæc Parochialis portio dicitur.

Age iam in portione primum Episcopali sermonem defigamus. Cum sit quędam inter Episcopum, subiectasque sibi Ecclesias, communicatio, *cap. requisivisti de testam.* detrahendum [*b*] est aliquid ex legatis, ex decimis, ex obuentionibus reliquis, impertiendumque Episcopo ab Ecclesiis eidem subiectis. Sed quota portio hæc esse debet? Olim quidem ex redditibus, & obuentionibus suis tres partes sibi inferiores Ecclesiæ retinebant, quartam vero largiebantur Episcopo, *can. concesso* 12. *q.* 2. *can. mos est ib.* Postea verò uberior reddita est; nam non quarta, sed tertia pars earum rerum cæpit Episcopo persolvi, non amplius tota massa in quatuor, sed in tres partes divisa, *can. prscis, can. unio* 10. *q.* 2. Sed cur hæc uberior reddita est? Ut nimirum Episcopus fabricæ incumberet inferiorum Ecclesiarum. Quod si, his temporibus an hæc portio in usu sit, requiris?

ris? In aliquibus Hispaniæ Diæcesibus est penitus abrogata, ejusque loco solvitur *luctuosa.* (*c*) Itemque pluribus aliis in locis quartæ Episcopalis usus interiit, teste *Sannich. ad Tit.* 28. *de sepult. cap.* 3. quod fieri potuit *argum. cap. de quarta de præscript.* quamquam hanc præservarit Concilium Trident. *in cap.* 3. *sess.* 24. *ut Fagnanus ait in cap. venerabili de cens. n.* 17. Sed cum canonica portio debita sit Episcopis ex lege Diæcesana, (*d*) iis debetur ad Episcopi similitudinem, qui pleno (*e*] Jure subiectas habent Ecclesias. Et sicut [*f*] Episcopo sua portio competit, si quid Ecclesiæ relinquatur; ita è converso si quid fuerit relictum Episcopo, Cathedralis Ecclesia de eo poterit canonicam petere, *cap. requisivisti de testamentis*, *Zoesius ad Tit de testam n.* 32.

Transgrediamur ad portionem canonicam Parochis debitam. Quæcumque igitur occasione funeris, etiam præter voluntatem morientis, ad aliam Ecclesiam perveniunt, quam ad Parochialem, sunt in quatuor secernenda partes, & una ex his Rectori Parochiæ, ex qua defunctus Sacramenta percepit, impertienda. De qua portione hæc videnda, qui nam eam solvere, cui solvere, & ex quibus solvere debeant.

Quod attinet ad eos, qui portionem Parochialem solvere debent; constitutissimi Juris est, Ecclesiam (*g*) illam, in qua defunctus humatur, partem eorum, quæ ipsi occasione funeris obuenere, Rectori Parochialis Ecclesiæ tradere oportere, *Clem. dudum eod. Tit.* Et nisi appareat, ex privilegio huic Clementinæ esse derogatum, Relligiones etiam (*h*) mendicantes ab ejus solutione non eximuntur; nam cum hæc sit Constitutio Conciliaris, specifica derogatione opus est, *cap, ex parte de Capell. Mon.* veluti reperitur hæc derogatio in privilegio Julii II. concesso Minimis, Minoribus de observantia, & in privilegio Pauli IV. concesso Ordini Prædicatorum, ut refertur *in decis.* 1. *post. Anton. de Jur. & on. cl. n.* 4. Sed, an, quando Parochianus eligit in aliena Ecclesia sepulturam & legatum æquivalens portioni Parochiali relinquit Parochiæ, censeatur animo quartam compensandi reliquisse, non levis disputationis est; quam tamèn decidendam censemus negative, freti authoritate Textus *in Clem.* 2. §. *verum de sepult.*

Quod spectat ad eum, cui Parochialis hæc portio debetur; is est Parochus, [*i*] & si Parochus desit, ejus Vicario perpetuo, vel temporali, imo & Sacerdoti conducto, & habenti curam debetur, *cap. requisivisti de testam. cap. cum ex eo de electione*. Et si vel Parochia unita sit Cathedrali Ecclesiæ, vel ipsa Cathedralis, dum Parochiæ erigerentur, hanc portionem sibi reservavit, quarta Cathedrali debetur; itemque si jus sepeliendi peregrinos ad eam spectet, parum refert in Parochia certa hunc decessisse, nam quartam Cathedralis obtinebit, *Sacra Congregatio in Pisaurien.* 22. *Jan.* 1628. *apud Barbosam de univers. Jure L.* 3. *cap.* 24

Quod pertinet ad res, ex quibus canonica portio deducenda est: Deducenda ex his omnibus, quæ die funeris obveniunt, aut hæc sint intortitia, aut candelæ, aut quidvis aliud donatum, legatum Ecclesiæ, in qua quis eligit sepulturam, aut quidquid cum funere defertur. [l) Sed moribus receptum est, ut quarta portio a Monachis (m) solvatur ex his tantum, quæ offeruntur tempore, quo exequię celebrantur. Quod si quis habeat ęquale domicilium in duabus Parochiis, quarta dividenda ęqualiter est inter easdem, *cap. cum quis* §. *cum ab eo de sepult. in* 6. Non tamen quarta debetur ex candelis, quæ Sacerdotibus, aut Relligiosis traduntur, manibus ab ipsis deferendæ, *Benedict.* 11. *Extr. inter cunctas de privil.* Quoniam vero die commemorationis omnium fidelium cerei super sepulchra, aut altaria durantibus Divinis officiis a Parochianis accendi solent, consulta fuit Sacra Congregatio, an ad Parochum partes residuæ spectent, & respondit, spectare 26. *Jan.* 1658. *apud Nicholium L.* 4. *Tit.* 15. *n.* 26. *de Interd. in Istit. Canol.*

SUMMARIUM.

1 *Cur portio canonica sic dicta.*
2 *Origo portionis canonicæ.*
3 *Quibus ex rebus portio Episcopis debita deducatur.*
4 *Examinatur, an ex legato pauperibus relicto intuitu pietatis debeatur Episcopo canonica portio.*
5 *Negativa sententia probatur.*
6 *Alia controversia examinatur, an hæc Episcopalis portio deducatur ex relictis Confraternitatibus.*
7 *Resolvitur negative.*
8 *Altera controversia examinatur.*
9 *Conclusio est; ultra legatum Episcopo relictum, a piis locis deberi canonicam portionem Episcopo, si his relictum fuerit.*
10 *Notatur ratio, ne præcedens resolutio n. 7 videatur huic repugnare.*
11 *Olim Episcopi ex oblatis in altare dimidium capiebant.*
12 *Postea tertiam capiebant.*
13 *Demùm quartam cœperunt capere ex decimis Parochialibus.*
14 *An Episcopus quartam hanc exigere immediate possit a parochianis, vel potius a rectoribus.*
15 *Resolvitur, Episcopum non habere fundatam intentionem in quarta decimarum contra laicos.*
16 *Quid sit luctuosa.*
17 *Triplex in Episcopo potestas.*
18 *Quo jure exigat Episcopus canonicam portionem.*
19 *Episcopus hanc exigit ex lege Diœcesana.*
20 *Quinam alii exigant canonicam portionem.*
21 *Si quid Episcopo fuerit relictum, Cathedralis Ecclesia de eo poterit canonicam petere portionem.*
22 *Debetur hæc portio ab Ecclesia illa, ubi quis, relicta propria Parochia, sepelitur.*
23 *Elegans ratio.*
24 *Si quis humari voluerit in Ecclesia Regularium, talis Ecclesia solvet Parocho quartam.*
25 *Adducitur Pii V. auctoritas, qua Concilium Tridentinum declaravit, de monasteriis post Concilium ædificatis*
26 *Exempti a quarta sunt Regulares Theatini.*
27 *Et Minimi etiam sunt exempti.*
28 *Alia ratio; cur illa Ecclesia solvat quartam Parocho, ubi parochianus sepelitur.*
29 *Elegans difficultas proponitur, an ex libris, qui ornant feretrum Doctoris vita functi, quarta debeatur.*
30 *Moribus receptum, ut Monachi solvant Parocho portionem ex iis tantum, quæ offeruntur tempore exequiarum.*



EXPLI-

EXPLICATIONES.

(a) *Quasi Pars.*

Canonica portio unde sic dicta?

1 Sicut apud Romanos Curia ex testamentis Decutionis quartam vindicabat, *L. sancimus C. de sacrosanctis Eccl.* ita canones ex relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus portionem detrahendam, vindicandamque esse ab Episcopo, aut Parocho, constituerunt. Quare *in can. priscis* 10. *q.* 3. scriptum est: Priscis quidem canonibus erat decretum, ut Episcopus de Parochianis Ecclesiis tertiam consequeretur, & *in can. constitutum* 16. *q.* 1. hæc habentur: Sed juxta priorum authoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis, ac frugibus tertiam consequantur, ergo portio canonica dicta est, quod canonum constitutione fuerit introducta.

2 Nam cum tempore primitivæ Ecclesiæ Episcopi essent pauperes, cepit canonum dispositione introduci, ut ipsi de oblationibus matrici Ecclesiæ factis sumerent medietatem, *can. antiquos* 10. *q.* 1. *notat Leonius in Thesauro P.* 2. *cap.* 14.

[b] *Detrahendum est.*

DISSERTATIO UNICA.

Ex quibus rebus canonica portio Episcopo debeatur.

Ut innotescat, ex quibus rebus canonica portio sit Episcopo impertienda, certa ab incertis separanda sunt.

Certum est, canonicam portionem Episcopo deberi, ex omnibus legatis, quæ relinquuntur quibuscumque Ecclesiis, aut piis locis suæ Diæ-

3 cesis, *can. de his cum seq.* 10. *q.* 1. *can. vobis cum cum seq.* 12. *q.* 2. nec non ex decimis, & ex his, quæ occasione funeris obveniunt Ecclesiis, *cap. conquerente de off. Ord.* & demum de omnibus, qua pro anima relinquuntur, *can. Pontifices* 12. *q.* 3. *cap. requisivisti de testamentis.*

Sed illud controversum est, & satis ambiguum, an ex legato pauperibus relicto, vel consan-

4 guineis intuitu pietatis, debatur Episcopo canonica portio?

Quam controversiam breviter dirimam, sta-

5 tuendo, ex hoc legato canonicam portionem Episcopo non deberi.

Probatur, quia canones decernunt, deberi portionem ex piis legatis; seu quæ loco, non per sonæ facta sint, *cap. requisivisti, cap ult. de Test.* atqui legatum hoc relictum consanguineis, aut pauperibus, non pertinet ad locum, sed ad personas, ut per se patet, ergo hoc legatum excludit quartæ deductionem.

Nec obstat Textus in *L. annua* 20. §. *Attia ff. de ann. leg.* ubi si libertis, qui in Templo sunt, legatum fuerit relictum, legatum censetur loci le, ergo si pauperibus relinquatur, videtur legatum non pertinere ad personam simpliciter.

Nam respondetur, quod si testator locum determinaverit, magis loci quam personæ ratio nem habita videtur a testatore; at nos in casu longè diverso sumus, cum supponamus, a testatore nullam loci mentionem esse factam.

Illud quoque controvertitur, utrum ex his, quæ Confraternitatibus relinquuntur, portio hæc Episcopalis deducatur? 6

Et verius est, non deberi. Hæc sit nostra conclusio. 7

Probatur, quia Confraternitates, quæ non sunt Episcopi auctoritate erectæ, aut alicui loco sacro, aut religioso, seu Capellæ unitæ, vel affixæ, quod excipitur in conclusione, sunt verius quam loca, potius corpus quoddam fictum plures repræsentans personas. Atqui ex relictis personis nulla portio deducitur, argumento Textus *in L. si quis ad declinandam* §. *in omnibus C. de Episcop & Cler.* ergo cum ... les Confraternitates non considerentur, ut loca, quartæ deductio locum non habet.

Comprobatur *ex cap. officii, ex cap. ult. de testamentis*, ubi disponitur, deberi quartam, ex relictis locis piis.

Nec obstat Text. *in Clem. dudum de sepult.* ubi quarta hæc deducitur ex relictis intuitu pietatis, ergo loci mentio non est necessaria.

Respondetur, ibi tractari de relictis Monasterio, aut Fratribus, habito respectu ad illa loca, in quibus hi Regulares commorantur, quo casu locum habet dispositio Textus *in L. annua* 20. §. *Attia ff. de ann. leg.*

Nec pariter obstat Textus *in cap. requisivisti in principio de testam.* ibi: *testatori pro anima sua legat*, ex quo infertur, sufficere, ut sine loci mentione, sit relictum in causam piam.

Nam, ut respondet *Barbosa de univ. Jure L.* 111. *cap.* 10. *n.* 18. ex lectura aliud inferendum constat; cum mens Pontificis sit, deduci quartam quoties potius loco, quam personæ fuerit relictum.

Jucundior adhuc pullulat disputatio; an si ipsi Episcopo legatum relictum sit, & piis locis 8 alia omnia relicta, Episcopo ex his, piis locis relictis, portio debeatur.

In qua conclusio nostra sit, adhuc ultra legatum a piis locis canonicam Episcopo deberi 9 portionem.

Probatur I. Quia, cum ex diverso capite diversis personis ab eodem diversa relinquuntur, 10 excluditur compensatio, *L. Titia* §. *qua Marco ff. de ann. leg.* Nos in hoc casu versamur, ut id

con-

consideranti constabit; ergo Episcopo adhuc jus est petendi suam portionem.

Probatur II ex multiplici Textuum copia, ex *cap. requisivisti de testam. argum. Textus in L. creditorem* 85. *in L. ult.* §. *pen. ff. de leg.* 2. *in L. quacumque* 50. *ff. de Procur. in. L. eum dotem* 23. §. *si pater ff. de jure dot. in L. hujusmodi* 84. §. *eum pater in L. Titia* 34. §. *qui in vita, in L. eum pater* 77. §. *qui dotalee ff. de leg.* 2. *in L. creditori*6. *C. de Leg. in L. si compensandi* 6. *C. de hered. inst. in L. un.* §. *sedendum C. de rei uxor. act. in L. libertue* 41. *ff. de bon. libert. in L. si legatario* 22. *ff. de fid. libert.*

Probatur III. Nam cum legatum sit donatio, & liberalitas, L. *legatum* 36. L. *unum ex familia* 65. §. *si falcidia f. de* Leg. 2. præsumitur testator noluisse commisceri debitam quartam cum legato; alia mens enim donatis est, alia solventis, L. *eum ab uno ff. de leg.* 2. L. *un.* §. *sedendum C. de rei uxor. act.*

Neque obstat, videri, Episcopum agnoscendo legatum portioni canonicæ renunciasse, *cap. officii de testamentis*.

Sed hic Textus longè aliter intelligitur, quam vellent adversarii. Nam cum testator legat Episcopo portionem sibi debitam, aliud Monasterio legat; tunc Episcopus videtur portioni legatæ sibi acquiescere, quoties ita porrio Episcopo legata fuit, ut esset ea solum contentus; quo casu si Episcopus ita acceptavit legatum, alteri portioni renunciasse videtur. Non ita se res habet, si non fuit legatum Episcopo relictum cum conditione, ut eo esset contentus; nam tunc poterit nihilominus alteram vindicare portionem; nam recipiendo unum, non intelligitur alteri renunciasse, *L. quoties ff. de obl.* & *act.*

Neque obstat II. Textus in *L. si eum dotem* 22. §. *si pater, ff. solut. matr.* ubi proponitur, quod si pater filiæ legatum reliquerit, legatum filia debet suscipere loco dotis, ergo & legatum factum Episcopo tacite portionem canonicam compensabit.

Resp. cum *Antonio Fabro* L. 4. *conjectur cap.* 9. quod filia poterat simul, & eodem tempore dotem suo jure, & legatum petere ab heredibus; tunc verò secuta non fuisset legati, & dotis compensatio, L. 4. *ff. de coll. dot.* contra igitur semel legato accepto judicium patris agnoscere, probareque videtur filia, quod postea improbare non potest dotem petendo, L. 1. *ff. solut. Matr.* & ideo dotis auctio eidem denegatur.

Sed cum, interea, quæ tamquam certa præmisimus initio hujus dissertationis, dictum sit, id quoque instar principii habendum esse, quod ea quoque portio Episcopis debita sit, quæ quarta

11 decimarum appellatur; indiget hoc ipsum præcipuâ quadam explicatione, ut quid in controversiam deinde revocetur, ob oculos ponamus. Olim igitur cum Episcopi essent pauperes, fuit statutum in Concilio Aurelianensi 1. *cap.* 16. *relate in can. antiquos* 10. *q.* 1. ut ipsi de oblatis in altari dimidium sibi vindicarent. Postea decretum, ut ex Parochialibus tantum tertiam 12
oblationum, decimarum, & frugum partem haberent, *cap. de bis, cap. decernimus* 10. *q.* 1. cum onere tamen fabricæ Ecclesiarum, *cap.* 1. & *cap. un.* 10. *q.* 3. Demum quartam tantum deberi Episcopis ex omnibus decimis Ecclesiarum 13
Parochialium sui Episcopatus, sine ullo onere fabricæ, recentiores decrevere canones, *cap. unio, cap. conquerente de off. Ord. cap. quoniam, cap. dudum de decim. cap. de quarta de praescript.*

Sed disputatum video magna concertatione, an 14
Episcopus possit quartam hanc exigere immediate a parochianis laicis, vel potius a Rectoribus?

Sit nostra conclusio, Episcopum non habere fundatam intentionem in quarta decimarum contra laicos.

Probatur I. ex *cap. conquerente de off. Ordin.* 15
in illis verbis: *Tu autem bis juribus in praefatis Ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigas*, Notentur illa verba *ab eis*: Quæ significant non laicos, sed Rectores Ecclesiarum, seu Ecclesias, ergo fundatur intentio Episcopi contra Rectores.

Probatur II. ex *cap. de quarta de praescriptionibus* in quo admittitur, Rectorem præscribere quartam hanc decimationem, quæ si a laicis esset exigenda, non daretur præscriptio Rectori porpter carentiam possessionis, sine qua præscriptio non procedit, L. 3. §. *ex contrario ff. de acq. poss.*

Probatur III. Nam laici parochiani tenentur respondere Rectori quoad decimas, non Episcopo, *cap. eum contingat de decim.* & *cap. cum in tua eod. Tit.* ibi: alioqui Parochialibus exolvantur.

Non obstat, quod actio Episcopi ad decimas sit realis, ut quando Parochus negligit exigere decimas a laicis, *cap. quoniam, cap. dudum de decim.*

Sed Resp. imo actionem de decimis esse directam contra Rectores, non autem contra laicos; quod si Episcopo in laicos eundum sit, alia sunt comparata remedia, ut officium Judicis, quod est remedium extraordinarium, *cap.* 2. *de off. Jud. L. quintus ff. de ann. leg.* Quod officium Judicis nobile, rediget laicos ad satisfaciendum Episcopo, *Barbosa L.* 3 *de un. Jur. cap.* 20 *n.* 9.

Plures aliæ difficultates sunt apud eu. dem Barbosam ibid. ad quem studiosum Juris remitto, ne sim prolixior.

(c) Luctuosa.

Quid sit luctuosa.

Quod in aliquibus Hispaniæ Diœcesibus loco 16
hujus quartæ Episcopalis, quæ penitùs derogata est, subrogatum fuerit jus quoddam Episcopale, quod vulgo dicitur luctuosa, quæ solvi solet, ex bonis mobilibus Beneficiarii mortui illius Ecclesiæ, quæ habeat quartam hujusmodi, quodque in aliis locis sit certa quantitas argenti, vel in materia, in aliis, pretiosior supellex, quam

habent

habent Beneficiatii prędicti, narrat *Barbosa de universo Jure L. 3. cap. 10. n. 10. Gonzal. in cap. de his de test. in comment. pag. 520.*

Cum enim hæc canonica portio sit tota Juris Ecclesiastici, consuetudine minui, augerique potest, imo, & in totum tolli, idem *Gonz. ubi supra.*

(d) Diœcesana.

Canonica portio Episcopis ex lege Diæcesana debetur.

Est supervacaneum totiès dicta repetere. Diximus alibi, & sępe quidem, triplicem in Episcopo spectari potestatem; unam ex lege Diæcesa-
17 na, aliam ex lege jurisdictionis, aliamque potestatem, quę Ordinis dicitur.

Quod ad rem pertinet reperto, canonicam portionem exigi ab Episcopo ex potestate illa, quæ ex lege Diæcesana proficiscitur. Nã in Epis-
18 copo jurisdictio quidem est, sed ultra jurisdictionem est administratio sejuncta a jurisdictione; vox enim ista Diæcesis denotat administrationem; hincque administratores, procuratoresque penoris ipsius Principis Diœcetæ dicti *in L. Archigerentes C. de Episcop. aud. Alciat. dispunc. L. 3. cap. 18.*

Ergo Episcopus tamquam administrator cum habeat subiectum forum interius, quem admodum circa forum hoc contingit munus ejus esse docere, ideo a Basilicis singulis exigit cathedraticum, *can. placuit, can. inter cetera 10. q. 3.* Deinde verò quia habet munus invigilandi curæ animarum, & Ecclesiarum, & consequenter administrationi Sacramentorum, cui curæ specialius se obligat speciali voto, *cap. nisi 6. verum de ren.* cum idcirco ęquum sit, retribui temporalia, fundat intentionem in decimis, & mortuariis, atque adeo, quatenus eam curam aliis committi contingit, exigit ab eis duas quartas prædictarum decimarum, & mortuariorum, *can. cum pro utilitate 16 q. 1.*

Quoniam ergo ad hæc recipienda non nititur juri jurisdictionis: sed lege Diæcesana,
19 Ideo supremus administrator, hæc emolumenta exigit in signum suę praemenentiæ, & tamquam regalia quædam, quæ specialia quædam sunt, & a Jure exorbitantia, deduci videtur ex *can. quam sit necessarium 28. q. 2. ex can. cavendum 10. q. 3.*

Ita omnium, quos unquam viderim, optime legem Diæcesanam exponit *Lottherius de re Benef. L. 1. q. 21. a n. 56. & seq.*

[e) Pleno Jure.

Quibusnam ultra Episcopum canonica portio sit debita.

Episcopi nomine quoad canonicam portionem, venit quivis alter Prælatus inferior, qui habeat
20 in Ecclesia jurisdictionem quasi Episcopalem latè *Ubaldus in tract. de can. portione cap. 1. Barbosa de universo jure L. 3. cap. 10. n. 10.*

[f] Et sicut.

Sicut Episcopo sua portio competit, ita Cathedrali competit sua portio ex relictis Episcopo.

Fingamus, aliquid esse Episcopo relictum, Cathedralis Ecclesia de eo poterit canonicam petere, nisi testator expresserit, ut nihil queratur Ecclesiæ: quia tunc divisio facienda non est, sed totum cedit lucro Episcopi. Ita habetur in *cap. requisisti 15. in vers. & hoc verum est de testamentis, Barbosa ubi supra n. 35.* 21

(g) Ecclesiam illam.

De portione Parochis debita, & quis eam solvat.

Agendum est imprę̈sentia de iis, qui solvere canonicam hanc Parochialem obligantur.

Dico igitur, deberi hanc portionem canonicam ab Ecclesia illa, ubi quis relicta propria Parochia sepelitur, sive sit regularis, sive exempta sive non exempta. 22

Ratio est, quia Parochus sustinet onus celebrandi Divina Officia, & administrandi Sacramenta propriis Parochianis, dum vivunt, *cap. 1. de Parochiis.* Ergo justum est, ut si Parochianus alibi eligat sepulturam, non fraudatus remaneant Parochi retributione. Nam, si filius patri, & libertus patrono tenentur aliquam portionem bonorum illis relinquere in recognitionem sequii, *L. nam & si ff. de inoff. princip inst de success. lib.* ergo & parochiani, qui Parochorum filii dicuntur, nec quidem injuria, cum ab his Sacramentis alantur, *can. 9. & seq. 10 q. 1.* debent saltem ex illis, quæ relicta ad salutem defuncti respiciunt, aliquam portionem transmittere in patrem spiritualem. 23

[h) Etiam.

Quinam Relligiosi ad solvendum portionem Parochialem obligentur.

Omnes Relligiosi etiam mendicantes tenentur ad hujusmodi quartam, quando quis humari voluit, in eorumdem Ecclesiis, *Clem. dudum §. verum de sepult.* Hinc Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 13.* generatim disponit, in quibuscumque locis piis, ac Monasteriis, ubi solita esset persolvi portio Parochialis, id adamussim observari. Quocirca, nisi longè aliud introduxerit moribus diuturnis firmata consuetudo, etiam cum in Monasterio Monialium electa fuerit sepultura, Moniales ad hanc quartam Parochialem obstringuntur, *Barbosa de univers. Jure L. 3. cap. 14. n. 5.* 24

Sed quoniam sermo incidit de Concilii Tridentini dispositione; in ea paulò diligentius immorari operæ pretium est.

Disponit Concilium, si a tempore, quo celebratum fuit Concilium, supra annos quadraginta, consueverunt loca pia persolvere hanc

quar-

quartam, non obstantibus gratiis quibuscumque postea impetratis, continuari solutionem ejusdem quartæ, nec ab ea posse excusari, & se subducere.

Pius V. exposuit hanc Conciliarem dispositionem Constitutione sua, quæ incipit, *& fimendicantium* 17. Kal. Julii 1567. dicens: Quartam funeralem, *de qua sess. 25. cap. 13.* nequaquam „ solvere teneantur Monasteria, quæ a 40. an„ nis citra fundata existunt, postquam Conci„ lium ipsum loquitur tantum de Monasteriis „ ante annos 40. fundatis, quæ ipsam quartam „ solvere consueverunt.

Vides rationem habendam temporis; an scilicet supra annos 40. fuerit solitum quartam persolvere.

Adeoque Concilium derogat privilegiis citra annos 40. concessis illis Monasteriis, & locis piis, quæ jam antea quartam hanc funeralem solebant persolvere. Quare Monasteria, & loca pia, quæ intra annos 40. fuerunt ædificata, vel in dies ædificantur, non comprehenduntur in d. decreto ut declaravit Pius V. & resolvit ipsamet Sacra Congregatio in declarationibus adductis per Emanuelem Rodriquez quæst. Regul. Tomo 1. q. 3. art. 2. ut observat *Rota post. Antoniellum de jurib. & oneribus Cleric. decis. 1. n. 24.*

Ut verò de exemptis Religionibus ab hac quar-
26 ta funerali sermo sit. Exempti sunt Patres Theatini, *Barbosa de universa Jure L. 3. cap. 24. n. 7. & 8.* Ita etiam Julius II. Minimos exemit a
27 tali quarta. Paulus IV. exemit Ordinem Prædicatorum a tali portione solvenda, & alia hujus generis doctissimè adducit *Rota post Antoniellum de juribus, & oneribus Clericor. decis. 1. per tot.*

(*i*] *Parocho.*

Cuinam solvatur portio Parochialis.

Parochis deberi quartam, quando parochianus eligit sepulturam in alia Ecclesia, de funeralibus, habetur dispositum in *cap. decernit Trid. sess. 25.* & de relictis Ecclesiæ, in qua eligitur sepultura, prout habetur *in cap. 1. in cap. in nostra, §. talem, in cap. de his de sepult.*

Ratio vero si quæritur; illa est, quia per hanc portionem compensatur onus, laborque susceptus a Parocho in administratione Sacramentorum, *cap.* 28
1. cap. de iis de sepult. et quoddam injuriæ genus esset laborem hunc non compensare, alibi eligendo sepulturam, ut considerat *Vanaxel de Sen. ad Titulum de testam. n. 10.* qui ad hoc inducit Textum *in cap. in nostra de sepult. vers. nihilominus* ibi. *satisfaciat.* Quocirca Parochus quartam hanc petere potest quasi actione locati, vel condictione ex canone, vel actione ex testamento, *Barbosa de universo Jure* L. 3. *cap. 24. n. 32.*

(*l*] *Defertur.*

Quidquid cum funere defertur ad canonicam portionem spectare potest.

Consuetum est, cum Doctoris cadaver effertur, libros reclusos, in signum cathedræ, quo 29
in vita præfulsit, circumponere, notat *Frances de Cathedr. cap. 17. n. 205.*

Sed illud in dubium revocari potest, an ex libris hisce, quibus feretrum ornatum apparet ad pompam funeris, debeatur quarta funeralis? Frances jam citatus affirmat; Romæ hanc vigere observantiam, ut Parochis jus sit in libris etiam.

Imo cum Bordonus *Tomo 2. Resol. 58. n. 11.* contrariam sententiam tueri contenderet; idem Frances eum refellit. Nam ut ipse ait, nihil proponitur cur praxis, quæ Romæ viget, aliis quoque in locis servari non possit.

Novissimè rem examinat *Carolus Antonius de Luca in opusculo de præstantia laureæ doctoratus cap. 52. per per tot.*

[*m*) *Moribus.*

Monachi quam portionem solvant.

Moribus receptum esse, ut Ecclesiæ Parochiali quarta portio a Monachis solvatur, ex his tantum, quæ offeruntur tempore, quo funus, seu exequiæ defuncti celebrantur, docet *Barbosa de universo Jure* L. 3. *cap. 24. n. 36. ubi multos citat.*



DE

DE DECIMIS.

TITULUS. XXVIII.



Ova (*a*) non est institutio decimarum, quę viris pręben- tur cultui sacro, Deique omnipotentis ministeriò assiduis. Sive enim Legem Naturę spectemus, constat a piis viris decimas esse solutas; sive Jus Mosaicum, has Deus expresse præcepit; sive Legem Evangelicam, cum obligatio alendi Ministros Ecclesiæ sit de Jure Naturæ, & confirmata per summum legislatorem Christum, ejusque Apostolos, qui dignos judicarunt mercede sua operarios, earumdem pręstatio vitari (*b*) non potest.

Est autem decima quota fructum, vel lucri portio Deo debita; sic dicta, (*c*) quod ex decem redditũum partibus, una detur, *cap. cum homines de decim.* Nam, & idcircò decima dicitur jure *novellarum* pars, quam iniustus litigator pro sumptibus persolvit adversario, quia decima pars est quantitatis pecuniæ in libello iniustè petitæ. *Auth. generaliter C. de Episcop. & Cl. Auth. de litig.* § *ad excludendas*, ut hujus generis exempla, (*d*) quæ passim occurrunt, prætermittantur. Jam verò ex benigna interpretatione non omninò (*e*) pars decima solvitur.

Definitionem sequitur divisio. Quotuplex est decima? Cum res in triplici sint differentia, & triplicis generis decimas quidam putant, personales, reales, & mixtas. Verum de mixtis nulla Juris est auctoritas. [*f*) Personales, (*g*) ex lucro quod, quis sua industria, seu negotiatione fecit, deducuntur. Prædiales, seu reales sunt, quæ de terræ fructibus sumuntur. Ex prædialibus impensæ non deducuntur, ex personalibus deducuntur: Quia fructus prædialium ut naturales considerantur, fructus personalium ut civiles, qui sunt residuum post expensas deductas, L. fructus ff. sol. matr. - Alia decimarum species earum est, quæ dicuntur [*g*) extraordinariæ, quæ solvuntur a Beneficiatis, ob bellum sacrum, vel ob aliam causam mandato Pontificis, *cap. fin. de voto*, *Extrav. un.* §. *declaramus de decim.* Tandem [*h*] annatæ, quas Pontifex exigit ex Beneficiis a se concessis; similitudinem referunt Decimarum *Jonn.* 22. *in cap. cum novella* 12. *de Preb.*

Atque hactenus in vestibulo hujus tractationis versati sumus; jam penitiores aditus perlustrandi. Noscendum, qui soluant decimas, quibus ex rebus, quo tempore solvant, & quibus solvant, & recusantes solvere, qua actione, coram quo Judice sint conveniendi. Quid juris sit in singulis hisce articulis, dispositum invenitur.

Illi, quos decimas solvere oportet parochiani sunt; quo nomine comprehenduntur, qui vel prædia habent in Parochia, vel in ipsa domicilium, *cap. significavit, de Parochiis*; Eorum decimę prædiales: horum personales idest sacramentales dicuntur; quæ tamen jam non solvuntur, & consuetudine [*i*) ubique recepta cessarunt. At prędiales ab omnibus prædia habentibus [*l*] Parocho debentur. Si prædium in possessionem infidelis pervenerit; onus hoc reale adhuc prædio (*m*) annexum est, & Judęus, & Hæreticus Parochum hoc emolumento privare non potest. Si Princeps prædium, ex quo decimæ pendebantur, acquisierit, viget adhuc eadem obligatio. deducitur *ex cap. tua* 25. *de decim. juxta inductionem Passerini in* 6. *Decr. q. un. art.* § 5. Si prædium conduxerit (*n*) exemptus ex privilegio ab hac solutione, attamèn ex tali prædio obligabitur ad solutionem decimæ, *cap. dilecti* 8. *de decim.* quem ad hoc citat *Card. de Luca discurs.* 8. *de decim.* An verò Ecclesia possit petere decimas (*o*) prępteritas a novo possessore fundi, disputatio est, quam in notis decidemus.

Sed quibusnam ex rebus decimarum solutio facienda est? Prędiales decimæ de fructibus, ut frumento, vuis, pomis sumuntur, *cap. ex multiplici* 3. *de decim. cap. cunctis* 41. *cap. de decimis* 45. 16. *q.* 1. addo insuper, decimas persolvendas esse ex fructibus novalium, *cap. quoniam hoc T.* Sed quamquam acquisita per legatum, vel testamentum, species fructuum aut obuentionum sint; tamen ex his [*p*) non deberi decimas verius est, *Zoesius ad Tit. de decim. cap.* 1. *n.* 6. Personales, si in usu essent, solvi deberent de omni negotio, & artificio, *can. decimę* 16. *q.* 1.

Transgrediamur ad alium articulum, & de tempore cognoscamus. Decimę prædiales statim fructibus perceptis impertiendę sunt; tardius dare non licet; totoque errant cælo, qui docent, decimas prædiales non deberi a laicis, nisi a Sacerdotibus (*q*] petantur. Decimæ personales, si quo in loco adhuc Jus commune observatur, solvendę sunt in fine anni (*r*)

Jam verò de Parochis agendum; hi enim curam gerunt animarum; hi Levitis successerunt, & quamquam Episcopus sit parochus Parochorum, tamèn de Parochis, subrogatio in locum Levitarum propriè intelligitur, *Card. de Luca discursu gener. de decim.* §. 2. *n.* 11. His igitur decimę debentur, Episcopis verò decimarum quarta. Ideo loquendi modus ille in foro usurpatur, quod Jure communi Parochus habeat fundatam intentionem super jure decimandi, *cap. cum contingat, cap. cum in tua hoc T. Gr gor* 15. *decis.* 449. Qua intentione carent laici, si ex privilegio ipsis decimæ solvantur, *cap.* 2. *de decim. in* 6. Sic Romani Præsules tertias [*f*] decimarum Catholicis Regibus concesserunt. Sic ante Concilium (*t*] Lateranse *anni* 1180. (juxta supputationem *Severini Binii Tomo* 3. *Concil.*] sub Alexandro III. Ecclesię relinquebant in feudum decimas penes laicos, vel ad vitam, vel ad certum tempus obligantes laicos, ut Ec-

clesiam

clesiam armis tuerentur contra hęreticos, atque infideles. Quędam ex his perpetuo remanserunt, maximè quæ in feudum nobilibus datæ, quod pro bono pacis toleravit Ecclesia, & earum possessionem longi temporis passa est. Sed postea in futurum hæc feuda Concilium Lateranense prohibuit, quare si Episcopi ad tales prosilirent concessiones, jam nulla esset infeudatio, *Cironius ad Tit. de decim.*

Finem huic Titulo imponet articulus, quem in partitione ultimo loco posuimus, de remediis in recusantes decimarum solutionem. Paucis quid statuant canones, eloquar. Exigi possunt decimę, ut debitum, *cap. Parochianos de decim.* Nec tam actione (*u*) reali, quam etiam personali, *Zoesius ad Tit. de decim. cap.* 3. *n. 6.* Judex verò competens est Ecclesiasticus [*x*]

SUMMARIUM.

1 *NOndum scripta Lege pii viri decimas solvebant.*
2 *Et ex L. Mosayca.*
3 *Disputatur, an in Lege gratia decima sint Parochis exolvenda de Jure Natura, ac Divino.*
4 *Affirmativa sententia defenditur.*
5 *Contrariis occurritur.*
6 *Quinam sint a solutione decimarum exempti.*
7 *De toto agro Bononiensi non solvuntur decima.*
8 *Hodiè Religiones sunt exempta a decimis pradialibus, & adducuntur exempla.*
9 *Et similiter Moniales.*
10 *Et hoc verum est, sive pradia ante Concilium Lateranense, sive post ipsum possessa fuerint.*
11 *Scitu digna de ipsa decima appellatione.*
12 *Decimarum profanarum exempla.*
13 *Qua sit decimarum quota, differtatio plenissima.*
14 *Quinam nullas decimas persolverint.*
15 *Tales erant Graci ex abusu quodam.*
16 *Cur detractis novem, una illa, qua decima pars est, Parocho debeatur, elegans ratio.*
17 *Elegans doctrina de observantia nostrorum temporum circa quotam decima.*
18 *Disputatur, an ex acervo frumenti decima solvenda sit, detracto prius semine.*
19 *Semen non esse deducendum, defenditur, & probatur.*
20 *Contraria enodantur.*
21 *Discrimen inter pradiales, & personales decimas quoad fructuum deductionem.*
22 *Quid sit tasca in Gerundensi Diacesi.*
23 *Disputatur, an detur tertia decimarum species, qua mixta sit dicenda.*
24 *Negativa defenditur contra communem.*
25 *An dentur industriales fructus.*
26 *Saltem quoad decimas fructus industriales non dantur.*
27 *Agitur de pradialibus, & personalibus decimis.*
28 *De decimis extraordinariis, qua imponuntur beneficiatis tempore belli.*
29 *Dissertatio utilissima de annatie.*
30 *Quale fuerit annatarum initium.*
31 *Quid sit annata.*
32 *Defenditur, annatas justissimè exigi a Romano Pontifice.*
33 *Contraria enodantur.*
34 *Personales decima usu sublata.*
35 *Quinam sint parochiani quoad decimas persolvendas.*
36 *Judaus, Hareticus, aliique infideles an decimas solvant.*
37 *Distinctiones notabilissima circa infideles.*
38 *Privilegiati non solvere decimas, si conduxerint pradium decimatum, eas persolvent.*
39 *Disputatur, an Ecclesia possit petere decimas, antecedenter non solutas a novo possessore fundi.*
40 *Negativa sententia defenditur.*
41 *Negativa probatur.*
42 *Opposita refutantur.*
43 *Ne quidem in subsidium novus fundi possessor tenetur.*
44 *An decima debeantur ex acquisitis titulo legati, vel hareditatis.*
43 *Decima non sunt a Parocho petenda; sed sponte a parochianis danda.*
44 *Ad moram inducendam non est opus, ut Parochus interpellet.*
45 *Personales decima solvenda sunt in fine anni.*
46 *Historia de tertiis decimarum.*
47 *Historia de infeudatione decimarum ante Concilium Lateranense.*
48 *Semper talis infeudatio fuit probibita, licet olim tolerata.*
49 *Post Concilium laici feudatarii decimarum antea impetratarum non aliter possunt de his disponere, quàm eas loco sacro relinquendo.*
50 *An decimę olim infeudata si revertantur ad*

Ecclesiam, possint a Prælato rursus infeudari.
51 *Defenditur negantium opinio.*
52 *Contrariis occurritur.*
53 *Explicatur, quænam actio Parochis competat ad decimas.*
54 *In Hispania actio hæc competit Episcopis.*
55 *Quænam sit talis actio.*
56 *Petitorium cum possessorio in judicio decimarum cumulari potest.*
57 *Judicium decimarum est summarium.*
58 *Disputatur, quisnam Judex sit competens in causa decimarum.*
59 *Hæc indagatio judicialiter spectat ad solum Ecclesiasticum, nisi de mero facto sit altercatio.*

EXPLICATIONES.

(a) Nova &c.

DISSERTATIO I.

De institutione decimarum tam secundum Naturæ Legem, quam juxta Mosaicam, & Evangelicam, & an sint de Jure Divino.

Est ita, ut dicimus in nostro Titulo, nova non est institutio decimarum.

Si ad Legem Naturæ mentem convertamus,
1 constat, nondum scripta Lege decimas pios viros persolvisse. Abraham redux in Hebron a cæde Regis Babylonis, gratias Altissimo persoluturus, & sacrificium oblaturus, Regi Melchisedech Salem, & Sacerdoti Dei altissimi, Deoque panem, & vinum pro se offerenti, decimas dedit ex omnibus, quæ possidebat, *Genes. cap. 14.* Jacob etiam in Mesopotaniam profecturus decimas Deo vovit, *Geneseos cap. 18.*

Si ad Legem Mosaycam considerandam te transferas, quid certius, quàm Dominum in veteri
2 Testamento per Moysen eas sibi dari ab Israelitico populo præcepisse? *Exod. 22. Decimas, & primitias tuas non tardabis reddere, Levitic. cap. ult. Deuteron. cap. 12. cap. 14. cap. 26. Ezechielis cap. 20. Amos cap. 4. Malachia cap. 38. Tobiæ cap. 1. Machabæor. 3.*

Si ad statum Evangelicæ Legis cogitationem vertas, ecce se offert examinanda controversia
3 magno agitata concursu, & dissensione Interpretum, an debeantur decimæ in Legis Evangelicæ statu, Divino Jure, vel potius Ecclesiasticorum Decisionem, & assignavi in Titulo, atque ad eam explicandam hanc contexere placuit dissertationem, & nunc repeto: *Prospectu alendi Clericos decimæ Juris Divini sunt, & Naturalis; quatenus vero alimenti rationem excedunt, Juris Ecclesiastici sunt.*

Quam sententiam ita conceptam tuentur *Cam-*
4 *pius ad L. 3 Decret. cap. 3. n. 7. ex Covarruvia ut solet L. 1. var. cap. 17. Zoesius ad L. 3. decret. in Rubrica n. 2. Barbosa in cap. 18. de off. Parochi, Suarez in Tract. de decim. cap. 9.* Et est communis opinio.

Probatur I. ex Christi Redemptoris sententia: *dignus est operarius mercede sua, Luca 10.* quæ est, *in cap. cum secundum de Præbend. in can. ex his 12. q. 1.* ergo decimæ prout respiciunt hanc compensationem laborum quo alantur Clerici, sunt Juris Naturalis, & Divini; nil enim tam naturale, quàm eum sequi commoda, qui incommodis fuerit affectus, *L. secundum ff. de Reg. Jur.* Et proinde cum ordinem jus Naturæ doceat, illum inverti, ait Textus *in can. omnis Christianus 69. de consecr. dist. 1.* quotiescumque fideles sibi opem a Parochis accersiunt, quibus subsidia non impertiunt. At vero, si quotam spectes, cum cesset hæc ratio, sequitur, decimas esse Juris humani.

Probatur II. Nam, ut præmisimus ante Legem scriptam, cùm solo ductu Naturalis Juris vivebatur, decima, vel similis fructuum pars offerebatur Dei Sacerdotibus, *Genes. cap. 14. & 28.* Ergo negari non potest, decimas aliqua ratione esse Juris Naturalis. Cumque Jus Naturale æquè apud omnes custodiatur; an non ex veterum scriptorum monumentis intelligimus, apud varias Nationes decimas pariter fuisse solutas? Romanum Dictatorem Camillum *Livius L. 5.* refert ad Veiorum expugnationem auspicato egressum, cum edixisset, ut arma milites caperent, ita effatum: *Tuo ductu*, inquit, *Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Veios, tibique hinc decimam partem prædæ voveo*; sic, & Cimon Dux Atheniensium navali pugna cum Persas superasset, decimam prædæ partem populus Atheniensis Deo, idest Apollini dicavit, ut refert Faber *L. 2. semestr. cap. 3.* Et elegans hac de re est Textus *in L. 2. §. si decimam ff. de Pollicit.* Ad cujus intelligentiam sciendum est, moris fuisse apud antiquos, ut multi decimam suarum facultatum Herculi voverent, propter quod Plautus in Trinummo decimam partem appellat Herculaneam, ibi:

Jam de hoc obsonio deminuit modo,
quinque nummos præter Herculaneam.

Idque pollucere dicebatur, Plautus idem in Sticho, ibi:

Hæc venisse jam opus est, quantum potest,
ut decimam partem Herculi polluceam.

Ratio, cur decimæ Herculi solverentur, ea fuit juxta Budæum in *L. 2. ff. de accept.* Quia cum Hercules nec victu lauto, nec copioso vitam duxisset, pergratum ipsi fore ducebant locupletiores Romani, si longè excedentes opes decimæ solutione extenuarent, quasi pleniores corporis habitudinem minuentes. Ex quo patet decimas olim solutas fuisse. Elegantissima alia excm-

exempla profert Gonzales ad hunc Titulum, & *Faber ubi supra*.

Probatur III. exemplo legitimæ, valet enim argumentum a legitima ad decimas; quod cum legitima ad liberos alendos relinquatur, etiam decimæ sustentationem respiciunt, *cap. dilecti de decimis*, *can. decimas 16. q. 7. ibi: ut sit cibus in domo mea* Atqui legitima quoad originem Juris Naturalis est, quoad quotam Juris humani, *Auth. ut cum de appellatione cognoscitur §. aliud quoque capitulum*, *Auth. de tuente & sensisse*. Ex quo optimè percipitur, cur & decimæ origine inspecta eodem jure censeantur: Ad quotam vero quod attinet, cum possint decimæ consuetudine diminui, *cap. in aliquibus. §. ult. de decimis*, constat, eas non esse Juris Naturalis, aut Divini.

Probatur IV. quia decimæ, si originem spectes debentur Deo in recognitionem supremi dominii *cap. tua nobis hoc T. ibi: Decima, quas Deus, sibi reddi, praecipit in signum universalis dominii*, adstipulatur Textus *in cap. tua 25. ib. in cap. Parochianos 14. ib. in cap. cum non sit ib.* sed cultum Deo exhibere Jus Naturale suadet, *L. veluti ff. de Instit. & Jure*.

Et ideo hanc sententiam tuentur *Fontanella de pact. Nupt. Tom. 1. clausf. 4. Gloss. 19. n. 49. & 50. Germonius L. 3. cap. 10. de sacrorum Imm. Romaguerus ad Concil Gerundense. L. 3. Tit. 12. cap. 2. Passerinus ad sect. Decret. Tit. de decim q. un. art. 2. n 3. Tondutus quæst. Benef. L. 1. cap. 72. aliiq. plures apud Curtiadam decis. 286 n. 17. Tomo 4*

Nec magnum negotium facessunt quæ adversarii solent opponere.

5 Non obstat I. Legem Mosaycam, qua decimarum solutio præcipiebatur, post obitum Christi obligare desiisse, *cap. translato de const.*

Nam respondetur, hoc præceptum Juri naturali congruere, quotam vero, & portionem a Lege positiva pendere. Hinc est, quod Redemptor nostri generis solutionem hujusmodi commendat, *Luca cap. 11. væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ graviora sunt Legis judicium, & misericordiam: hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Ex quo intelligitur Textus *in can. 1. 16 q. 7* ubi de decimarum solutione differens, ait: *quas fideles, Domino præcipiente, offerunt* & Alexander III *in cap. Parochianus hoc T. ibi: cum decima non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint instituta*.

Non obstat II Jus Naturale, ac Divinum mutationem respuere, *can. ancta o. can. memor to, can. habeat 24. q. 1. cap. propositi de conc. ess. Prab. cap. literas de rest spol.* Atqui decimæ consuetudine, aut privilegio vel tolluntur, vel minuuntur. Et hoc demonstratur ex *cap. cum ordinem de rescript ex ca, dilecti, ex cap. suggestum, ex cap. ex parte, ex cap. ad audientiam de decim.* ergo nullatenus decimarum solutio Juris Naturalis, aut Divini videtur, ...

Respondendum censeo, distinguendo; nam violaretur Jus Divinum, ac naturale, si in totum exemptio a solvendis decimis induceretur, quod fieri nequit, cum Deo debita sit decimarum solutio, *Trid. sess. 25. de ref. cap. 12.* quod contrariam interpretationem non admittit absque Papæ authoritate, *Leonius de decim. cap. 12. n. 17.* At vero pro aliqua certæ personæ, vel universitatis exemptione induci potest consuetudo, quæ vim suam exerat, postquam fuerit legitime præscripta. Atque hac distinctione intelligitur Textus *in cap tua de decim. ita Gloss in cap a nobis verbo exemptio de decim Guttierez Can. Quæst. L. 2 cap. 21. n. 20. Solorzan de Jur Ind. L. 1. cap. 21. n. 52. Barbosa de Jure Eccl. L. 3. cap. 26 §. 2. n. 13.*

Insuper distinguitur, in realibus decimis negatur, in personalibus conceditur libertatem non solvendi decimas in totum præscribi posse, *Marescott. var. L. 1. cap. 95. n. 28.* Nam Lexvetus præcipiebat decimas prædiales *Laimastre de decim. cap. 2. & 3.*

Quæ procedunt, quando Parochi, & alii Beneficiati habent, unde comodè vivere possint, nam alias nulla consuetudo, aut præscriptio decimas non solvendi valeret, *Leonius in Thes. P. 2. de decim. cap 12. n. 15.*

Et notandum, præsumi posse, quod olim Romani Pontifices remiserint decimas laicis qui husdam quodammodo titulo permutationis, pro bonis ipsis, ad Ecclesiarum, & Clericorum usus assignatis, ea lege, ut dotarent Ecclesias, & necessaria vitæ subsidia Clericis præberent, dummodò aliquid persolvatur, & Clericis necessaria ministrentur, *Leonius ubi supra n. 10.*

Quanto tempore inducatur hæc consuetudo jam explicata, ut percipiatur distingui solet, aut enim agitur de duabus Ecclesiis, & sufficiunt decem anni, quia in hoc casu consuetudo, non est contra, sed præter Jus *Cavaler. decis. 73 & 95.* aut agitur de Ecclesia, & parochiano, qui, se præscripsisse, contendat, tempus annorum 40. requiritur, *Covarr. var. L. 1. cap 17 n 8.*

Sed infra latius de exemptione a solvendis decimis tractabitur.

Non obstat III. Clericos jam esse divites; nam, ut respondet *Zoesius*, id non mutat primævam institutionem, atque originem, quippe id est per accidens, neque tollit fundamentum obligationis; cum decimæ Jure Naturæ, ac Divino non debeantur Clericis ut pauperibus, sed ut ministrantibus, atque ita ex vi justitiæ commutativæ.

Videndus *Germonius L. 3. cap. 19. de imm.* qui egregie respondet argumentis Covarruviæ.

(b) *Vitari*.

Quinam exempti sint a solutione decimarum.

Regula est, vitari non posse decimarum solutionem, cum decimæ, quoad originem sint Naturalis, ac Divini Juris:

Nunc

Nunc tamèn ostendam, quinam sint a solutione decimarum exempti. Res ex notitia historica
6 elucescet, ex qua, uns, eademque opera varii canones percipientur. De toto agro Bononiensi non solvuntur decimæ, quia olim Resp. assignavit Archiepiscopo pro decimis castrum Centi & castium Plebis, narrat *Leonius in Thes. P. 2. de decim. cap. 12. n. 9.* - Hadrianus IV. qui antea
7 dicebatur Ottobonus, Fratribus Cistercienfibus, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum indulsit, narratur *in cap. ex parte de decim.* Item in favorem Carthusienfium eadem invenitur exemptio concessa, *cap. 2. de decim. in 6.* & pariter in favorem Frarrum Predicatorum, *cap. nimis de excef. Pral. cap. 1. de decim. in 6.* & similiter in favorem Monachorum S. Benedicti id concessit *Joann 21. in Chron. Cassin. L. 2. cap. 1.* nec minus in favorem Eremitarum Camaldulenfium exemptionem eamdem concessit *Innoc. III. L. 2. epist. 12.*

Ratio hujus immunitatis fuit inopia, atque egestas Monachorum, quæ causa erat, cur terras proprias excolerent ad exemplum Apostolorum, *can. cavenda 10. q. 3. can: predicator 16. q. 1.* quos Textus, ad hoc adducit *Cironius in Paratitlis ad Tit. de decim.* Aliaque ratio est *in cap. pervenit 16. q. 1.*

Verumtamen jam omnes ferè Religiones a prædialibus decimis exemptę sunt, ut ait *Miranda in Manual. Tom 2. q. 49. art. 12.* - Nam ita concessit Eugenius IV. Augustinianis, quod postea confirmavit *Sixtus IV. in eorum mari magno §. 12. n. 29.* Clemens VII. Monachis S. Benedicti Vallisoletanis idem indulsit - Sixtus IV. Cistercienfibus, & Predicatoribus, Minoribus, & Carmelitis. Martinus V. Carthusianis anno 1420. Gregorius XI. Mercenariis anno. 1373. Urbanus VIII. anno 1634. Trinitariis excalceatis, quos omnes recenset Petrus ab Angelis *Tractatu de Privil. cap. 3. Punct 2. pag. 204.*

Addo, quod etiam Moniales cujuscumque Ordinis his hodie fruuntur privilegiis nullas solvendi decimas, & sic concessit S. Claræ Bonifa-
9 cius VIII. Bulla 3. & Leo X. Bulla 23. Clem. VIII. & Paul. III. & Sixtus IV. ut refert *Rodriguez Tomo 2. q. 44. art. 5.* & Pius IV. Moniales quascumque exemisse, ait *Sorbus in compendio, verbo decima.*

Quę quidem Relligionum exemptarum a decimis persolvendis privilegia procedunt non solum in prædiis, quæ a Relligiosis possidebantur
10 ante Concilium Lateranense, sed etiam postea. Ratio est, quia novum aliquid istiusmodi privilegia largiuntur; nam de decimis ex novalibus non solvendis a Relligiosis, jampridem fuerat dispositum; ita enim Joannes 22. in Bulla 4. pro Præmonstratensibus, & Paulus III. & Gregorius XIII. pro societate id concesserant, cum derogatione Textus vulgati *in cap. nuper de decimis;* ideoque sacram Congregationem sic declarasse, testatur *Bellarminus ad Concil. Trid. 22. sess. 25.* - Nec tunc obstant contrarię declarationes, quas ad lucit Barbosa *in collect. Bullarum, verbo decimis.* Nam hæ intelliguntur de Regularibus non habentibus specialia privilegia, ut respondet *Petrus ab Angelis ubi supra n. 73.*

(c] Sic dicta.

Quadam de appellatione decimæ.

Rationem hujusce appellationis egregiam assignat Textus *in cap. cum homines 7. de decim.* 11
nam ait, quod frugum dominus, massam earumdem, decem constantem partibus considerabit, novemque sibi retentis, decimam ex massa detrahet, quam Ecclesiæ persolvat. Dantur ergo decimæ in denario numero tamquam perfecto, retiendo novenarium imperfectum penes nos, qui imperfecti perficimur a Deo, ut differit *D. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1.* similē rationē Strabo assignat *L. de reb. Eccl. cap. 27.* Quod nempe Deus liberando Hæbreos ab Ægiptiis decem plagis percusserat Ægiptios, permisitque, ut pecuniis eos spoliarent Judæi; imperfectum ergo apud Judęos remansit; quod Deo tribuitur perfectum est. Hinc quadragesima dicitur anni decima a Concilio *Trosleiano cap. 6. & a Nicolao ad consulta Bulgar;* nam hoc tempore carnis nostræ decimas damus omni voluptati renunciantes.

(d) Exemplo.

Decimarum profanarum exempla.

Leges sacrę sunt firmiores, quàm civiles, apud quas, & vigesima hæreditatum, & decima litium, & manumissorum ab Imperato- 12
ribus accisę, auctæ, irrogatæ, reductæ, & demum abolitę fuerunt, ut videre est apud *Dionem L. 55. Ann. Tacitum L. 13. Annal. Suetonium in Caligula;* nulla tamen consuetudo efficere potest, ut decimæ prorsus nullæ exolvantur, *cap. in aliquibus hoc Tit. de decim.*

Erant & decimæ prædiales illæ, de quibus *Dion. L. 47. hist. & Appian. L. 1. de Bello civil.* nam si qua tellus ingruentibus bellis inculta remansisset, quo multitudine impleretur volentibus agros desertos colere in hunc modum proclamabatur: annua vectigalia publicè esse pendenda, & seminum partem decimam - Item metallarii, qui perquirunt metallorum venas, decimas Fisco prestare debent, *L. 3. C. de metallariis L. 11.* Erat ex Lege Papia pendenda decima Fisco, ex relictis uxori, vel marito, si ex eo matrimonio nonessent suscepti liberi, id tamen postea emendatum fuit ab Honorio, & Theodosio *L. 2. C. de Infirm. pan.*

(e] Non.

DISSERTATIO. II.

De quota decima, quanta nempe ejus portio.

Poscit hic locus, quo nos deduxit tituli pro- 13
posita

positi pars hæc, ut explicemus, quid sit integra decima; videlicet, ut nihil desit decimæ, quantum sit a parochianis persolvendum?

Ut vero rem a suis initiis declarem; quoniam ex veriori, & communiori sententia, quam servat etiam praxis, ex traditis supra *n.* 4. decimæ quoad sustentationem Ministrorum Divini cultus, Juris Naturalis, & Divini sunt; id vero negari non potest, esse valdè indeterminatum; idcircò per Legem Ecclesiasticam præfinitur, tum ex parte materiæ, ex qua decimæ sunt solvendæ, tum ex parte quantitatis.

De quantitate jam loquimur. Plane abusus
14 est ita exiguas persolvere decimas, ut nullæ judicari possint. Holzati prius quam in Hungariam terram frugibus infelicem transferrentur, pactum inierunt cum Sacerdotibus, & Episcopis ejus regionis, ut liberi a consuetis decimis, quasdam tantum exiguas mensuras grani, pro unoquoque aratro penderent, narrat *Krantzius L.* 4. *VVandal. pag.* 101.; Sclavi etiam loco consuetarum decimarum certum tributum solis Episcopis Aldeburgensibus, pro universis decimis solvebant, quod propter paupertatem Clerici ægre ferentes, auctum deinde fuit, narrat *Helmoldus in Chron. Sclav. cap.* 12. *L.* 1. & *cap.* 18. Hic quoque abusus in Græciam irrepserat, contra priscam disciplinam decimas non solvendi. Ant hæc solutio cessare cæperit ex sterilitate Diœceseos, ut censet *Laimastre* L. 1. *de decim. cap.* 6. aut alia ratione; certe in tot canonibus, quos compilat Gratianus in *causa* 16. *q.* 1. nulla decimarum Orientalium mentio fit. Sed cum tempore Innoc. III. Constantinopolis a Latinis capta fuisset, *cap. scriptum de el.* Sacerdotes Latini, reluctantibus Græcis, ut decimas penderent juxta veterem disciplianam suaserunt, id enim constabat ex Origene, qui *homil.* 11. decimarum Ecclesiæ Alexandrinæ meminit, atque
15 ex aliis; imo cum bellum immineret adversus *Michaelitium* Græciæ res perturbantem, non ante Corpus Christi è manibus Sacerdotum accepere, quam pollicerentur decimarum solutionem. Et quoniam adhuc in inducta consuetudine, sive abusu quidam Græci perseverabant quo tempore Latini cum Græcis mixti in urbe Constantinopolis degebant, prospicitur ab Innocent. III. *in cap. in aliquibus* 32. *de decimis* indemnitati Ecclesiæ, ne scilicet Latini locent prædia Græcis, qui *de more* (ut ait Textus) *cum decimas* non solvant, decimis ita fraudarentur Ecclesiæ.

Ergò vel exiguas decimas solvere, vel nullas abusus est minime ferendus.

Est autem ex acervo diviso in partes decem una ex constitutione Ecclesiastica solvenda Parocho, quæ novem retentis a Domino fundi, decima dicitur. Minor decima esse non debet. Utar observatione *Passerini in* 6. *Decret. ad Tit. de decim. q.* 6 *art.* 1. *n.* 58. Ait enim quotam hanc esse justam quia decimæ in quatuor partes erant distribuendæ, *can. quatuor* 12. *q.* 2. nam una Episcopo, alia Clero, alia fabricæ Ecclesiæ, alia pauperibus erat attributa; quod & statutum fuit in Concilio Moguntino *sub Gregorio IV.* in Concilio Turonensi *sub Leone III. cap.* 16. & Concilio Meldensi *cap.* 65.

Sed quoniam acervus frumenti tam est domini, quam agricolæ colentis fundum, non debet contendere Parochus, ut decimam unam solvat dominus, alteram agricola; sed unus, & alter pro portione sua, eamdem unamque decimam solvet, quomodo exponit Textum *in cap. a nobis* 24. *de decim. Gonz.* ex *Manrique de differentia utriusque fori q.* 101. *ad citat. Text. in com.*

Verumtamèn etsi stricta Juris dispositione perpensa, ut patet ex traditis, decima debeat esse, quæ ex novem partibus relictis ad Parochum pervenit, attamen, Nicolius in Instit. Canonicis L. 3. *Tit.* 30. *de decimis n.* 1. *pag.* 106. quid observetur, declarat his verbis .. Decimæ vero non 17
.. solvuntur amplius quoad quotam, idest decimam partem fructuum: sed ad lites dirimendas .. ubique est facta conventio inter Ecclesiasticos, & laicos, ut quisque tantum fructuum, .. seu pecuniæ summam quotannis solvere debeat, sive fructus colligantur, sive non. Quod & notaverat Germonius L. 3. *cap.* 19. *n.* 41. *de Imm. pag.* 309. de certis locis, ait enim: *Quibusdam in locis integra decima non solvuntur*.

At quamquam minor decima parte solvenda esset decima ex conventione; illud dubitari potest, an decima sit solvenda, ex frumenti acervo ex. c. deducto prius semine? 18

Conclusio sit, ex acervo deducendam esse decimam absque seminis deductione præcedenter facta.

Probatur I. ex cap. Pastorali 28. de decimis, 19
ibi .. nec (& *infra*) credimus deducendas ex- .. pensas de proventibus decimandis *addit ibi* .. *Glossa*: hoc speciale est in decimis, quod non .. deducuntur expensæ, pro fructibus colligendis; & ad semen hunc Textum transfert *Ventriglia Tomo* 2. *Tit. de decim.* §. 1. *annot.* 18. *n.* 13.

Probatur II. Quia statim fructibus collectis, idest a solo separatis, decimæ solvendæ sunt, *cap. cum homines* 7. *de decimis*, ergo non prius deducendum est semen.

Probatur III. ratione. Quia sicuti quando partiarius colonus solvit Domino conventam fructuum portionem, non debet Dominus reficere ullam expensam colono. Ita cum prædiales decimæ sint a Deo sibi, suisque Ministris reservatæ in signum universalis Dominii, debentur ipsi fructus, quales fuerunt a terra producti, ut argumentatur Zoesius *de decimis in Decret.* L. 3. *Tit.* 30. *n.* 12.

Probatur IV. ex verbis Textus in *cap. non est* 22. *de decim.* ibi .. Volumus ergo, & districte .. præcipimus, quatenus antequam ullas deductis de bonis prædictis expensas, decimas Ecclesiis, ad quas pertinent, cum integritate debita persolvatis. Nono *ullas expensas*, ergo nec frumentum, quod inter expensas connumeratur

meratur

meratur ad usus feminis.

Probatur V. ex aliis Testibus, quos inducere
20 supersedeo; nam ad hoc adducuntur a *Ventriglia ubi supra*, *ab Honorio Vanaxel. de Seny ad Tit. de decimis n.* 18. Textus sunt in *cap. ex parte Canonicarum in cap. tua nos hoc T.*

Neque obstat Textus in *cap. Pastoralis §. explicari de decimis*, ibi: *& de residuo, quasi de lucro decimae persolvendas*. Ergo prius deducendum erit semen, si decimae sunt residuum post deductionem impensarum factam.

Resp. cum *Glossa in cap. non est, verbo antequam*, distinguendum esse inter decimas prædiales, & personales; decimæ prædiales sunt solvendæ nullis deductis expensis, quia sunt statim, & sunt integrę solvendæ, *cap. ex parte §. mandamus de decim.*

Personales solvuntur deductis expensis.

Vera ratio discriminis, omissis quibuscumque aliis, illa est. Quia decimæ personales solvuntur de lucro, quod quis sua industria acquirit, *cap. ex transmissa* 23. *hoc T.* & lucrum propriè
21 dicitur, quod superest, deductis expensis, *L. Mutius ff. pro socio*, sed fructus, qui proveniunt ex aliqua re naturaliter, dicuntur fructus rei, etiam non deductis expensis, & ideo de illis solvitur decima, non deductis expensis, ita rejecto *Ostiensi*, *& Panormitano Granametus in cap.* 1. *ad Tit. de decim. n.* 15.

Rectius adhuc, planiusque rem demonstro *Fructus* appellatio accipitur & *naturaliter*, & *civiliter*; naturaliter significat terrę proventum, absque expensarum deductione, qu'les fructus pendentes dicuntur, *L. fructus ff. de rei vind. L. ult. §. non solum & §. fructus ff. quæ in fraud.* Fructus civiliter inspecti sunt illi, qui super sunt expensis deductis, *L. fructus ff. sol. Matr. ibi residuum L.* 1. *C. de fruct. us, & lit. expens. L. fundus ff. fam. ercisunda L. si navis ff. de rei vind. L. ancillarum, L. mercedes ff. de pet. her.* - Jam ergo Deus altissimus in Lege veteri instituens decimas prædiales, quas Levitis præstari, jusserat, non respexit ad Juris Civilis interpretationem; sed ad naturam, & veritatem rei. Cum ergo prędiales decimę hodie solvantur ad exemplum, & similitudinem illarum; intelligitur, cur impensę minimè ex his deducantur.

Neque evertit hanc distinctionem Textus difficilis *in cap. non est de decimis*, ubi, agens de decimis quoque personalibus, ait, nullas impensas deduci.

Agnovit difficultatem *Barbosa de universa Jure L.* 3. *cap.* 26. *n.* 37. Qui respondet, nihil in hoc Textu decidi de decimis personalibus; sed solum restringi decisionem ad prędiales decimas.

Hactenus demonstratum est, quomodo Decimarum quota non intelligatur diminuta.

Nunc intelligitur solutio quædam in Diœcesi Grunoensi ad undecimam mensuram fieri solita, quæ *tasca* dicitur, de qua Fontanella de pactis
22 *Nupt. Tomo* 1. *Claus.* 4. *Gloss.* 20. *per tot.* Nam tasca habetur instar decimę solviturque ad undecimam mensuram, sed postquam soluta fuerit, decima, quæ exclusit diminutionem, quare *tasca* idem est, ac undecima; itemque tasca solvitur in terra Canneti in Ducatu Sabaudiæ, ut testatur *Petrus Antibolus in Tractatu de mun. §.* 2. *n.* 10. *Vol. Tractat. decem.*

(f) Mixtę.

DISSERTATIO III.

In qua probatur non dari tertiam decimarum speciem, quæ mixta dicenda sit.

Undenam coniiciant Interpetres fere omnes, 23
tertiam dari decimarum speciem, quæ mixtæ dicantur, non video.

Nego absolute, tertiam hanc decimarum speciem, secutus *Ventrigliam Tam.* 2. *de decim. annot.* 27. *§.* 1. *n.* 2. *Barbosam de uni. Jure L.* 3. 24
cap. 26. *n.* 16.

Nam qui habet prædii usumfructum, adeoque facultatem fructus prædii percipiendi, intelligitur fructus prædii percepisse, si et fœtum pecudum, & lac, & pilum, & lanam accipiat, expresso Textu in *L. in pecudem* 28. *ff. de usuris in L. vetus fuit ff. de usufr.* Ergo perperam quæ de fœtibus animalium, de lacte, caseo, lana, ovibus, de cera, de melle apum percipitur decima, mixta appellatur *ab Hostiensi in summa n.* 13. *verbo quod sint*, *a Canisio ad hunc Tit. a Leonio de decimis P.* 2. *cap.* 12. *in Thesaur. pluribusque aliis.*

Confirmatur; quia si mixtas ex prædialibus, & personalibus volumus, esse decimas fructuum prædii, quando fructus in industria magna ex parte tribuuntur; credo ego, adversarios arduam provinciam suscepturos esse, si velint distinctè ob oculos ponere fructus prædii, qui nullam prorsus exigant industriam; saltem in perceptione hæc requiretur, ut arguit *Barbosa*; ergo admodum infrequentes erunt decimę prædiales simplices, cum tamen de his tam sępè loquantur canones.

Rectius igitur, clariusque procedemus, si absolute, & generatim prędiales vocabimus decimas, quę ex fructibus prædiorum quasi delibantur, personales, quę ex fructibus, qui solam industriam hominis tamquam matrem, causamque cognoscunt.

Nec propterea defuerunt, qui industriales fructus, sive dubitatione, prout distinguntur a
naturalibus reiicerunt, *Corrasius L.* 5. *miscellan. cap.* 9. *n.* 5. *& Cluten. in diatrib. Nov. Just.* 25
18. *q.* 6. *& Grangianus Paradox.* 21. *§.* 1. Et quidquid sit de hac sententia ubi agitur de bonæ fidei possessore, aut fructuario, planè rationes eiusdem mirificè congruunt proposito theorematis nostro dum agitur de decimis; nam Deus, cum Levitis reservavit decimas, fructus agrorum respexit, & agros ipsos tamquam causam proximam, & principalem procreationis fructuum; elegans Textus in *cap. cum non sit* 33. *de decim.*

Et ideo

Et ideo non deducuntur expensæ ex fructibus prædialibus ante solutionem decimarum, quia Deus altissimus, dum reservavit Levitis decimas non respexit ad interpetrationem Juris Civilis, ut datentur quidam fructus industriales distincti ab aliis; sed ad naturam rei respexit; ut eleganter *Barbosa de universo Jure L. 3. cap. 26. n. 37.*

Jam quis non videt, quam inanis sit eorum sollicitudo, qui cum agunt de decimis distinguunt frumentum, vinum oleum, quod in his industria magis, quam Natura spectetur, a glande, baccis arborum, pomis, piris, nucibus, castaneis? Natura in omnium fructuum productione æqualiter operatur; nec deficit in necessariis. Natura est proxima, & principalis causa, non hominis industria, ac proinde cum denominatio a potioribus sumenda sit, *L. si quis ff. de reb. cred.* L. *navis ff. ad L. Rhod. de jactu L. 1. in princip. ff. de auct. & conf. tut.* ideoque fructus, quos adiuvat industria, naturales esse non desinunt.

Et quemadmodum, si vicinus destruat ædes, quæ meas inobscurabant, & ita lumen ipsis intulerit; lumen facto vicini proveniens industriale nemo dixerit; ita nec industriales fructus dicendi quibus factum agricolæ contulerit, cum Natura sit causa, initiumque rerum. Quocirca Jurisconsultus in L. *si navis 61. in fin. ff. de rei vind.* omnes fructus in civiles, qui ex persona, non ex prædio obtinentur, & in naturales dividit. Adeoque non miror, si & ipsi adversarii in recensendis fructibus industrialibus, secum ipsi pugnant, ut Menochius sibi contrarius *in Tract. de recuper poss. rem. 15. n. 577. bis, quæ dicit. L. 2 de arbitr. centur 2. casu 210. n. 26.*

Nec quidquam obstat Textus *in L. fructus 45. ff. de usuris*, ubi fructus ex opere acquisiti, distinguntur a fructibus sponte sua natis, & similis Textus in L. *bona fidei ff. de acq. r. Dom.*

Nam utcumque sit quoad effectus Juris Civilis; planè in decimis, ut prædiales dicantur, satis est, ut fructus in prædio progerminarint,
26 ex prædio nutrimentum susceperint. Contra enim, qui non ex prædio, sed ex negotiatione lucratur, hic solvet decimas ex fructu, qui artificium tamquam causam, initiumque habuit.

(g) *Personales.*

Agitur de prædialibus, & personalibus decimis, & de earum differentia.

Optimum factu duxi, paucis differere de approbata a nobis decimarum divisione, & differentia inter utramque speciem, unaque hac notatione omnia strictim comprehendere, ut solum quæ in Titulo dicta sunt, suis roborentur auctoritatibus, nam ad alia properandum utiliora.

Decimæ aut prædiales sunt, aut personales. Prædiales de fructibus agrorum sumuntur, *cap. ex transmissa 23. de decim. cap. ex parte ib. cap.*
27 *nuncio ib.* ex omni nempe frumento, & grano, *cap. 3. de decim.* & latius dicam infra, cum agam, ex quibus rebus solvantur decimæ.

Personales secundum Jus commune solvi debent ab unoquoque fidelium, cui Parochus existenti in sua Parochia Sacramenta ministret, quamvis etiam extra Parochiam lucrum fuisset comparatum, *cap. ad Apostolica 10. vers. noveris de decimis*; attamen cum personalis decima intuitu personæ, non agri solvatur, personæ, inquam, ex industria sua quæstum facientis, ex hoc quæstu decimas persolvit, *cap. pervenit, cap. non est in potestate 22. hoc T. can. decimæ 16. q. 1.*

Dixi in Titulo rationem discriminis, cur ex prædialibus fructus non deducantur, at deduci debeant ex personalibus, eam esse; quia Deus omnipotens, dum Levitis decimas agrorum, quos reliquę Tribus possidebant, assignavit, fructus, ut naturaliter ex agro provenerant, assignavit. At fructus, qui decimis personalibus deservire debent, sunt non ex Natura ullius rei pendendi; sed utpote qui industriam causam habuerunt civilem rationem, adeoque separationem ab expensis admittunt, ut dictum est supra hoc *Tit. in expl. n. . .* Et hęc genuina differentia est, quam docet eximius Interpres *Barbosa* supra citatus aliis rejectis.

(g) *Extraordinarię.*

De decimis, quæ imponuntur Beneficiatis tempore belli.

Novum non est, Pontificem, cum bellum adversus infideles geritur, vel alia suadet justa 28
causa, beneficiatos, pro ut vires ferunt beneficii, obligare, ad persolvendum ex redditibus aliquam portionem, quę exercitibus sustentadis possit inservire.

Memini quidem Innocentium XI. hanc decimam Beneficiatis imposuisse, ut communem hostem in excidium Europæ armatum ipsamque Austriacam Urbium Reginam obsidione cerxerat, penitus obtereret; ita opes in bonumpublicum, atque utilitatem conferens. Sede aut hunc immortalis nominis Pontifi ems exemplum profert Spondanus similis imposi tonis extraordinarię decimæ, *in continuatione Baronii anno* 1255. Et Clemens III. *anno* 1188. has imposuit.

Et extat modus exigendi decimas extraordinarias causa belli, quibus ex Beneficiis debeantur, quinam Clerici ab his excipiantur, luculentissimè declaratus *in Extravaganti declarationes de decimis*. Quam Extravagantem exponit *Petrus Gregorius in Syntagm. P. 1. L. 2. cap. 10.* & hac de extraordinaria decima concessa causa belli est Textus in *Clem. 1. de decim.* & Textus *in cap. 2. de decim. in 5. compil.* & de his agit *Roussel. L. 5. histor. Jurid. Pontif. cap. 2.*

[h] *Annatæ.*

DISSERTATIO IV.

De annatis, & earum justitia.

Ait Cironius *ad Tit. de decim. in Paratlitis,* 29
& Dar-

& Dartis in Tract. de Benef. post Decret. annatas similitudinem referre decimarum: idemque asserit *Fagnanus in cap. præterea ne Prælati vices suas.*

Quare hic locus est admodum opportunus de annatis pertractandi. Sed quamquam inciderimus in argumentum elato, excitatoque dignum ingenio, conabor tamen, quantum potero, quidquid id est explicare.

Age, jam quid est annata? Conatur Panormitanus originem annatæ expiscari, eamque se esse assecutum, ac deprehendisse, profitetur, dum ait: quod summus Pontifex in subsidium belli
30 adversus fidei hostes fructus unius anni Beneficiorum exigere solebat, quæ tributa barbaro nomine dicta sunt annatę, quod anni unius redditus exhaurirent, quas & pro aliis quibuscumque Ecclesię necessitatibus Romani Pontifices exigi sæpius voluerint, Joann. 22. Bened. XI & postea sub Bonifacio IX. in munus ordinarium, atque vectigal transierint, ita etiam *Gratianus in Paratl. L. V. Tit. 12.*

Sed revera ex ortio annatarum tam vetus est, ut earum initium penitus ignoretur. Earum mentio fit a S. Damaso; item in Concilio Constantiensi sess. 10. fit earumdem mentio, ut videre est *Tomo 3. Concil. P. 2. pag. 937. & in Clem. quia Regulares 6. præmissa de supplenda negl. Prael.* Et Joannes Andreas *in cap. inter cetera de off. Ord. n. 13.* refert ad sui instantiam actum fuisse in Concilio Viennensi, ut Romana Curia reciperet vigesimam redditnum Clericorum totius Orbis, adeoque supponitur, multò ante tempora Joann. 22. hanc consuetudinem exigendi annatas extitisse.

Jam vero in quo consistat annata dispiciendum est.

Est igitur annata dimidia pars veri annui valoris fructuum Beneficii vacantis; hoc est debe-
31 tur hæc dimidia R. Pontifici, ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium.

Diximus, annatam esse dimidium fructuum unius anni, ac locuti sumus juxta formam exactionis introductæ a Bonifacio IX. *in Extravagante suscepti de elect.* nam antea mittebat Pontifex, constituebatque suos commissarios, per quos integri fructus unius anni percipiebantur; sed Bonifacius redegit annatæ solutionem ad dimidium. Olim fructus ipsi percipiebantur, post d. Extravagantem provisus, onus habet anticipatè quivalentè fructibus pecuniâ pro annata solvendi. Adeoque post Bonifacium, qui collectores annatarum sustulit, propterea quod in officium collectorum Provinciis, provisisque onerosum esse, ex usu demonstrarat, quasi tacita conventione stabilitum est, ut qui provisi remanent de Beneficiis per Papam, acquirant sibi illos fructus, sed solvant illorum pretium, quadam constituta emptione, & conditione non quidem tituli Beneficii, (quod nefas dictu est) sed portionis fructuum, qui debentur Pontifici pro suis necessitatibus.

In has quidem annatas debacchantur hæretici in Sedem Apostolicam infensissimi; quos tamen confutarunt jamdudum viri non tam pietate, quam doctrina celeberrimi. Ego impræsentia justitiam exigendi annatas tantum ad quamdam instructionem adolescentium, qui Institutiones Canonicas addiscunt, aggredior demonstrare.

Sit ergo nostra conclusio: Romanus Pontifex justissimè fructuum Beneficiorum vacantium di- 32
midium percipit, quod annata nuncupatur.

Probatur I. Nam curam gerentibus animarum decimæ jure Divino, & Naturali debentur, *can. decimæ 16. q. 1. can. revertimini ib.* Et quia Episcopus est Parochus Parochorum, quartam ex decimis Parocho solutis percipit, *can. conquerente, & nos autem, de off. Ord.* Cur ergo S. Pontifex, qui curam gerit omnium Ecclesiarum, hoc laboris sui stipendium a suis ministris non exigat?

Probatur II. Quia nemini, qui non sit tenebris hæresum involutus, & quadam detestabili in sanctam Sedem malevolentia suffusus, in mentem venire potest, tam multos Sanctissimos Pontifices, qui vices omnipotentis Dei gesserunt, annatas exegisse sine titulo, sine justitia tot multis retroactis sæculis; neque enim quando hæc exactio annatarum cœperit constat. Illud constat, quod opus fuerit annatas instituisse Ecclesiis, & Apostolicæ Sedi cum vix decimæ solverentur a fidelibus propriis Parochis, pristino illo ardore restincto, quo inflammati nascentis Ecclesiæ fideles pretia divenditarum rerum apud Episcopos deponebant, *can. cui portio, can. certe 12. q. 1.* nam ante propriam Beneficiorum institutionem Cathedrales, inferioresque Ecclesiæ redditus habebant, *can. nulli 12. q. 1. can. Sacerdote 21. q. 4.* ergo ex annatis, ut arguit *Fagnanus ubi supra.*

Probatur III. Quia nihil tandem est annata, nisi portio, quam ex fructibus Beneficiorum vacantium sibi reservat Pontifex. Interrogo, an Pontifex hanc sibi reservare non potest? Audiatur hoc argumentum. Pontifex concedere potest, ut Episcopi, Abbates, aliique Prælati sibi reservent fructus primi anni, vel biennii etiam, Beneficiorum, quæ interim in Diœcesi vacare contigerit, expresso Texto *in cap. tua nobis de V. S.* clarius *in Extravaganti suscepti de elect. & el. pot.* de hac reservatione sermo habetur, ubi hę reservationes dicuntur annalia; si ergo Pontifex annalia hæc ceteris Prelatis concedit, cur pro suis necessitatibus sibi ipsi eadem concedere non poterit?

Probatur IV. Nam si Principi tributa, ac stipendia ex publico solvuntur, quæ nec præscriptioni obnoxia sunt, *L. comperit 6. C. de præscript. 3. vel &c.* si Judici ordinario stipendium penditur ex publico, *Auth. ut differ. Jud. §. fin.* An Pontifex Princeps Principum Judex mortalium omnium, *can. si Papa dist. 40.* cui regendæ multitudinis cura nititur, & cura tam gravis, non merebitur quidquid ex annatis sibi reservavit? Quod si ipsæ Ecclesiæ charitativum subsidium Episcopo, cum justa causa id postulat, exolvunt, *cap. conquerente de off. Ord. cap. cum*

eum *Apostolus* §. *prohibemus de cens.* justa ex causa non fuerit licitum Pontifici Episcopo universali subsidii genus, quale sunt annatæ, imponere?

Probatur V. Quia inferiores Ecclesiæ quidquid habent, id peculii genus est, quod separatum dicitur a rationibus Dominicis. Quare Concilium Carthaginiense *cap.* 35. ait: similiter placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, & cujusmodicumque Clerici, qui nihil habent, si promoti tempore Episcopatus (*& infra*) nomine proprio emerint, tamquam qui Dominica bona invaserint, teneantur, *Concil. Agathense can.* 48. quidquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit (*& infra*) omnia in Jure Eccl. siæ servari, censemus; Ergo si Romana Ecclesia dimidium illud fructuum sibi reservat, retinet, quod suum est.

Probatur VI. Nam et alter titulus congruentem justitiam annatarum exactionem declarat. Quis hic alter titulus? Titulus Paternitatis. Pater a filiis juste exigit alimenta, L. *qui filios* C. *quæ res pignori*, L. *filia* C. *de ad.* Pontifex Pater Patrum est; Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Mater, *can. dudum* 3. *q.* 6. *can.* 1. *& per tot. dist.* 22. ergo &c.

33 *SOLVUNTUR OBJECTIONES.*

Objicitur I. Decretum Concilii Basileensis, editum die 9. Julii an. 1435. *in sess.* 21. post multa alia hæc habet: *Nihil penitus ante, vel post exigatur ratione litterarum, bullæ, sigilli, annatarum,* (& infra) *& si, quod absit, Romanus Pontifex, qui præ ceteris universalium Conciliorum exequi, & custodire canones debet, adversus hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet generali Concilio deferatur.* Textus inductione non indiget, annatas prohibet. Ergo falsum defenditur.

Hic ego quid dicam? Me potè stupor redigit ad silentium. Stupore corripior, quod Concilium tam hostiliter decreta condiderit, quod Patres congregati Pontificiæ dignitatis qua superemi- net omnes, pene obliti videantur. Quid illud sibi vult *generali Concilio deferantur*? An Pontifex a quo vim habent Concilia, Pontifex, qui a nemine judicari potest, Concilio deferendus? Recte omnino Petrus de Monte in Oratione, quam de annatis habuit, dum legatus ab Eugenio IV. coram Henrico IV. Anglorum Rege peroravit, ait de Concilio Basileensi perpauca in eo reperiri, quæ zelo fidei, & charitatis fervore processerint, aut ad publicam utilitatem emanarint; sed omnia plena odii, dissidii, & ambitionis, omnia nedum ad debilitationem, sed ad subversionem supremi capitis Ecclesiæ quorumdam machinationibus ordinata. Itaque Angli injustum illud decretum nunquam receperunt; Pius II. qui cum in minoribus ageret, Concilio interfuerat, Pontifex factus post habito eo decreto, constitutionem edidit contra detrectantes solvere annatas, quæ refertur in alia const. Inn. VIII. quæ incipit *Apostolicæ* in Bullar. *Tom.* 1. *pag.* 376.

Objicitur II. pragmatica sanctio Gallicana promulgata in Conciliabulo Bituricensi anno 1438. quæ annatas improbat.

Sed respondetur, hanc sanctionem super decreto Basileensis exædificatam fuisse. Conjiciat quisque qualis fuerit ex fundamento moles exstructa, an firma, an stabilis, imo cum inane fundamentum est, corruit superstructio, *can. cum Paulus* 1. *q.* 1. scire velim, quanam auctoritate sanctio hæc sit edita? Meritò proinde Ludovicus XI. Francorum Rex eamdem tamquam schismaticam abrogavit, ut *in litteris abolitionis relatis Tomo* 4. *Concil. P.* 1. *pag.* 56. meritò, & Franciæ Parlamentum [ut dicunt] hanc sustulit, ut *in litteris cassationis, quæ habentur eodem Tomo p.* 107. Meritò Eugenius IV. Nicol. V. Pius II. Leo X. in Concilio Lateranensi Const. *Pastor* editâ 14. Kal. Jan. an. 1500. in sess. II. ipsam sanctionem reprobarunt.

Objicitur III. Quisquis res Ecclesiasticas propter sua lucra vendit vel emit, simoniam committit, *can. res* 12. *1. q.* 3. Ergo fructuum venditio, cujus pretium annata, est simoniaca dicenda; nam nihil eorum, quæ adhærent Beneficio, vendibile est, *can. si quis* 7. *q.* 1.

Respondetur distinguendo. Si agatur de fructibus, qui propter officium Beneficiato debentur, verum est, *can. salvator* 1. *q.* 1. At si agatur de fructibus ex titulo præambulo reservatis a Sede Apostolica prout, justè reservari probatum est, hi vendi possunt, hi sunt tamquam æs alienum, hi sunt onus annexum beneficio, non autem beneficiato, ideoque cum constitutiones non semper appellat onere fructuum ex his non solvitur annata *cap. cum nonnulli* §. *præterea de Preb. in extr.*

[*i*] *Recepta.*

Personales jam non solvuntur ex consuetudine.

Magna vis est consuetudinis. In personalibus decimis invaluit, ut in toto orbe Christiano vix in usu sint, *Cabedo decis.* 54. *n.* 8. *Tomo* 2. *decis. Portug.* easque consuetudine fuisse abolitas, ait *Bassæus verbo decima, pag.* 331. *Canisius ad Tit. de decim. cap.* 7. *n.* 4. Quare in Concilio Mediolanensi sub. S. Carolo Borromeo, *cap.* 75. *decimæ sine fraude solvantur etiam personales, in quibus eas solvendi consuetudo est.* 34

Et est discrimen quoad consuetudinem ipsam inter prædiales, & personales decimas. Nam in prædialibus potest quidem consuetudo efficere, ut liberetur parochianus ab obligatione solvendi partem decimæ, præsertim ubi Parochus habeat sufficientem sustentationem. At in personalibus totam vim suam exerere potest consuetudo, atque efficere, ut in totum obligatio solvendi decimas cesset; quia tales decimæ sunt inductæ a Jure humano, dummodo congrua sustentatio Parocho remaneat, egregiè *Ventriglia Tomo* 2. *annot.* 27. §. 2. *n.* 6.

(*l*) Ha-

(l) *Habentibus*.

Qui nam intelligantur Parochiani ad hunc effectum solvendi decimas:

Clemens III. in *cap. significavit de Parochiis* ut parochianus quis intelligatur, quoad onera Ecclesiastica, ac munera declarat sufficere, ut *aliquantam* in Parochia residentiam fecerit. Itaque quoad sepulturam Matrimonium, & alia Sacramenta habebitur pro parochiano. Quoad sæcularia vero munera, non dicatur quis incola, seu vicinus, nisi constet de animo permanendi in eodem loco, *L. domicilii*, *L. filius ff. ad muni. cip. L. in lege ff. de verb. sign.*

Ergo cum agitur de decimis persolvendis, creduntur, quoad eas parochiani, qui in Parochia commorantur, tametsi animum ibi permanendi non haberent, *Amaia L. 7. C. de incol. n. 101.*

(m) *Annexum*.

Infideles in Parochia habentes prædia solvent consuetas decimas.

Rem miram asservimus in Titulo, quod si prædium in possessionem infidelis pervenerit, onus
36 decimarum adhuc prædio sit annexum. Rem explico, & confirmo.

Sit Judæus, ille infidelis, qui agrum possideat unde olim Parochus decimam recipiebat; an credimus, exactionis jus esse peremptum? Nihil tale. En verba Pontificis *in cap. de terris 15. de decimis: De Terris, quas Judæi colunt, tua prudentia respondemus, ut eos* (& infra) *ad decimas persolvendas, vel possessiones penitus renunciandas cum omni districtione compellas*, consonat Textus *in cap. quanto §. fin. de usur. in cap. nimis de excess. Præl.*

Sed hi Textus lucem accipient ex hisce distinctionibus.

Prima distinctio. Aut agitur de personalibus decimis, quæ Sacramentales vocantur, & præs-
37 tantur ratione Sacramentorum: hæc quidem cum nec Judæi, nec Ethnici recipiant, ad decimas personales non tenentur eoque maxime, quia personales decimæ solius Juris humani sunt, nec infideles præceptis Ecclesiæ ligantur nisi in sensu explicato a nobis *in p. Libro Tit. 4. n. 31. in exp. ubi id disputatum videbis latissime*; quamquam ad ea heretici teneantur, licet infideles, *Gonzal. in cap. de terris de decimis pag. 608.* Aut agitur de prædialibus decimis. Cum verò decimæ prædiales sint onera ipsius prædii, & ab ipso debeantur, intelligitur, quomodo in infidelem possessorem jus tale pertranseat, *L. Imperatores ff. de publ.*

Secunda distinctio. Aut prædia occupata a Judæo antea non erant Ecclesiæ obligata, & planè Judæi ad prædiales decimas compelli non possunt. In quo recedimus ab opinione *Oldradi cons. 15. Abbatis in cap. Apostolica hoc T.* qui nihilo minus ad decimas esse eosdem cogendos, statuunt, eo quod tales decimæ debeantur Deo tamquam universorum Domino, *cap. tua nobis 26. hoc T.* hi vero tenentur Deum agnoscere. Quibus egregiè satisfacit *Zoesius ad Tit. de decimis cap. 2. n. 58.* nam Judæi tenentur quidem Deum agnoscere, ut Dominum Jure Naturæ; non tamen ex vi ejusdem Juris per decimarum solutionem; quæ tantum Jure positivo imposita est populo Isdraelitico, non etiam omnibus hominibus.

(n) *Conduxerit*.

Privilegiati non solvere decimas, si prædia conducant aliorum, solvere decimas tenentur.

Miror, quosdam Interpetres distinguere, con- 38
jungendo Textum *in cap. 8. de decim.* cum Textu *in can. decimas 16. q. 1. in cap. ex parte hoc T.* Quid opus est distinctionibus, cum expressa reperitur decisio? Monasterium S. Crucis vulgo Halyrudhouus in Laudonia prope Regiam, & Imburgum, contendebat, quod, cum esset exemptum a solutione decimarum, porrigeretur exemptio etiam ad prædia ab aliis conducta. Quid decernitur *in cap. dilecti 8. hoc T.* En verba: *Universitati vestræ M. præ. ut eis de fructibus de prædiis, quæ conduxistis in Parochiis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenariè persolvatis* consonat Textus *in cap. statuto §. ceterum de decim. in 6.* Et ideo reiicit omnem distinctionem propter claram decisionem Pontificiam *Gonzales in d. cap. dilecti de decim.*

[o) *Decimas*.

DISSERTATIO. IV.

In qua disputatur, an Ecclesia petere possit decimas præteritas a novo possessore fundi?

Ad examen revocant hanc controversiam *Marescottus var. L. 1. Resol. 47. n. 10. Moneta de decimis cap. 6. Rebuffus quæst. 9. eod. Fr.* Barbosa ad cap. tua nobis de decimis *Passerinus ad Tit. de decim. in 6. art. 26. q. un. n. 428.* ex quibus affirmativa nonnullis placet, verior aliis negativa, plausibiliorque videtur.

Me vero ad eorum partes, qui negant, propensiorem esse, non possum inficiari; quod defendo, ex fundamentis iam adducendis.

Probatur itaque negativa sententia I. Quia præceptum decimarum non obligat fundum, nisi in ordine ad fructus collectos, illudque onus reale, quod dicimus, esse decimas prædiales, est onus reale quidem; sed simul etiam conditionale, utpote involvens conditionem; *si fructus colligantur*, ut induci potest ad hoc probandum Textus *in cap. cum in aliquibus 32. de decim.* notatque hanc conditionem *Passerinus* ubi supra. Ergo si parochianus, qui fundum alienavit, erat decimarum debitor; ille, in quem fundus transla-

tus

tus est cum præteritos fructus non collegerit, ad decursas decimas non obligantur.

Probatur II. Quia si Dominus fundi, super quo ius est decimandi, uni fundum concedat, alteri fructus; Ecclesiæ actio est in possessorem tantummodo fructuum, *cap. Pastoralis vers. fructus de decimis* ergo, ut argumentatur ex hoc Textu idem Passerinus, qui fundum novo titulo acquirit, cum fructus præteritos ipse non acquisierit, ad hoc onus minimè obstringi debet.

Probatur III. Quia si sterilitas in fundo contigerit, adeo ut nulli fuerint percepti fructus, decima solvenda non est, argumento Textus *in cap. propter sterilitatem de locato*, firmat idem *Passerinus ubi supra*; non enim est hoc jus decimandi cum rigore exercendum *in pauperes*, *cap. licet de cens.* postulat enim remissionem necessitas magna, quæ excusat a culpa non offerentem, & liberat ab iniustitia, *Bellarminus Tomo 1. Contr. de Cler. L. 1. cap. 25. dub. 2.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

Obiicitur I. Textus *in L. Imperatores 8. ff. de*
42 *public. in L. 2. & 3. C. sine censu, vel reliquis* ubi qui fundum possident tributarium, conveniuntur etiam quoad tributa ante non soluta; ergo idem procedit in decimis non solutis.

Resp. id verum esse in fundis affectis onere vectigalium ex dispositione Juris. At decimæ non fundum, sed fructus afficiunt, ut probatum est, *Canisius de decim. cap. 4. n. 4.*

Addo, Ecclesiam, non regi Legibus Imperatorum, quales sunt Textus adducti.

Obiicitur II. Textus *in cap. tua nobis 26. de dec.* Respondetur, quod imo hic Textus contrarium probat; probat enim, quod colonus partiarius pro parte fructuum a se perceptorum, ad functionem decimarum revocatur. Ergo fructuum perceptio desideratur; novus possessor præteritos fructus non percepit, ergo ad decimas decursas non obligatur.

Obiicitur III. Textus in cap. cum in aliquibus 11. de decimis, ibi: *statuimus, ut Domini talibus personis, & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione Ecclesiis decimas cum integritate persolvant*; si cum integritate novi possessores persolvere debent, ergo & præteritas decimas.

Resp. argumentum retorqueri. Conductores, vult Textus, decimas persolvere, ergo percipientes fructus; ergo sicut locatores non percipientes fructus a decimis eximuntur, ita novi possessores qui fructus præteriti temporis lucrati non sunt ad decimas præteriti temporis non obligantur.

Obiicitur IV. Textus difficilior *in can. si quis laicus 42. cauf. 16. q. 1.* ait hic Textus, qui transfert fundum suum in alium non posse privare Ecclesiam jure pristino decimandi; atqui id contingit in nostra specie; si novus possessor ad decimas decursas non obligatur.

Resp. Concilium Moguntinum in eo Textu longe alium casum continere; nam loquitur, de bonis donatis ex pia causa Monachis, qui exempti sint a decimis; & statuitur Monachos ad decimas obligari. Sed ratio est, quia onus hoc transit in quemcumque possessorem. Agitur ibi de decimis futuri temporis, non de decimis præteriti temporis nondum solutis.

Pro coronide statuendum est, nequidem in subsidium ad novum possessorem recurri posse, quia decimæ sunt onus fructuum prædii, non solius prædii. Atque adeo iniquum esset, ut alter alterius odio prægravaretur, *cap. non debet de R. Jur. in 6.* ut factum venditoris noceret emptori, *L. factum ff. de R. Jur.*

(p) Ex his.

An decimæ prædiales debeantur ex acquisitis titulo legati, ac testamenti.

Prima facie videtur, quod si quis patrimonium suum auxerit legato, vel alia obventione proveniente ex testamento; ex hac acquisitione decimas persolvere Parochis debeat, propter *Textum in cap. ex transmissa hoc T.* ubi ex omnibus licite acquisitis decimæ sunt dandæ. 44

Velim tamen, mihi dicerent, qui affirmativam opinionem tuentur, ut *Fagundez in L. 1. cap. 2.* de quibus decimis intelligant, cum statuunt, ex legato decimas deberi. Non possunt dicere, obventionem hanc ultimæ voluntatis esse fructum prædii, ergo non debebitur decima prædialis. Non possunt item asserere, hanc obventionem provenisse ex nostra actione, & industria, ergo non debetur decima personalis.

Aliter quidem censet *Glossa* distinguens *in can. decimas 16. q. 1. verbo negat* aliter *in cap. Pastoralis de decimis verbo quasi de lucro*. Aliter resolvit *Barbosa de un. verso Jure L. 2. cap. 26. n. 18.* sed negamus absolutè, deberi ex hisce rebus decimas cum Zoesio, quem in Titulo nostro præcitavimus.

(q) Petantur.

An decimæ prædiales potende sint a Parocho, vel potius ad ipsum deferendæ statim.

Homines de Ottona in Anglia prius ex fructibus deducebant, quantum mercenariis persolverent: ex residua decimas dabant. Occurritur abusui *in cap. cum homines 7. de decim.* & decernitur, *ut statim collectis fructibus* persolvant. Ergo decimæ solvendæ sunt ex fructibus prædii, antequam petantur, ut recte infert ex eo Textu *Gonzal. ib. n. 6. Azorius P. 1. L. 7. cap. 24. q. 17. Zoesius ad Tit. de decim. cap. 3. n. 50.* Et ideo decimas ad horrea Clericorum esse deferendas docuit Glossa *verbo horrea in can. revertimini 17. q. 1. Covarr. L. 1. var. cap. 17. n. 8.* Nisi aliter suadeat consuetudo, quæ his temporibus viget, *Zoesius de decim. cap. 3. n. 60.*

Nec obstat, Archidiaconum, & alios, quos refert *Didacus Perez in L. 1. Tit. 5. Ordin. n. 20.* ex Textu in cap. pervenit hoc T. docuisse, decimas

timas non deberi laicis, nisi a Sacerdotibus petantur.

Resp. eum Textum loqui de monitione, non quæ sit petitio decimarum, sed quę præcedit censuram nam decimas non solventes possunt excomunicari, *can. omnes* 16. q. 7. eleganter *Gonzales ubi supra*.

Ex quo sequitur, ad moram inducendam in parochiano non esse opus interpellatione Parachi, *Zoesius ubi supra*; & peccatum grave incur-
46 rere per moram, docet Barbosa *L.* 3. *de univ. Jure can.* 36. *n.* 21.

(r) *Anni*.

Personales decimæ solvendæ sunt in fine anni.

Sic est, ut dicimus in Titulo. Personales decimę solvendæ sunt in fine anni. Id docuimus
47 cum Gonzales ad Textum *in cap. cum homines de decimis n.* 6. nam si hæc decimarum solutio variis anni temporibus fieret, gravosa esset; non enim elevia incommoda particularis solutio solet afferre, *L. plane ff. familia ercifcunda*, *cap. ex literis de pignor.*

[ſ) *Tertias*.

De tertiis decimarum.

Ex privilegio Romani Pontificis laicis competere potest jus, seu commoditas percipiendi deci-
48 mas, *cap. statuto de decimis in* 6. Hinc cum Reges Hispaniarum Ecclesias a Saracenis in Hispania occupatas, proprii sanguinis effusione, sumptibusque immensis felici conatu recuperassent, concessum fuit a Sancta Sede, ut Rex Catholicus ex tertia parte omnium decimarum duas tertias perciperet, adeoque ex acervo in novem partes diviso, duę partes ad Regem perveniunt, sed ea lege, ut dotent Ecclesias *Cov. Pract. cap.* 35. *n.* 2. Cumque antea hoc privilegium in subsidium belli cum Saracenis initi non fuisset perpetuum, sed temporale; tandem Alexander VI. in sua Bulla, quæ incipit, *dum indefensa anni* 1494. *die* 16. *Febr.* concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum Regni Castellæ, Legionis, & Granatæ licitè perciperent: & quoad tertias Regni Granatensis aliud privilegium illis concessit Innoc. VIII. cujusmodi privilegia referunt *Parexa de Instr. edit. P.* 2. *Tit.* 7. *Ref.* 9. *n.* 5. *Ramirez. de Lege Regia* §. 31. *n.* 3. *Castillo de Tertiis Escobar de Reg. & Pont. Jurisd.*

[t) *Lateranense*.

DISSERTATIO V.

De infeudatione decimarum ante Concilium Lateranense.

49 Non sine consilio usi fumus in nostro Titulo verbo *relinquebant*, dicentes, quod olim penes laicos decimæ relinquebantur; nam, & si plerique putent, ante Concilium Lateranense III. celebratum sub Alexandro III. anno 1170. ut quidam, ut alii anno 1180. ad destruendam hæresim Albigensium, ac Valdensium, inferiores Prælatos potuisse decimas titulo feudi, vel alio temporali laicis concedere; attamen in se id verum non est, si animadvertamus, multò antè Concilium Lateranense hoc ipsum prohibitum fuisse ab Urbano II. *in can. decimas* 30. *caus.* 16. *q.* 1. & manifestius *in cap.* 1 *Episcopum, vel Abbatem in usu Feud.* qui annos fere centum precessit hoc Concilium Lateranense. Comprobatur ex *cap.* 3. §. *Ecclesias de privil.* ex cap. cum Apostolica in fine de his, quæ fiunt a *Pral. ex cap.* 2. §. *sane hoc T. in* 6. docet Laimastre *L.* 2. *de decim. cap.* 10. *per tot.* Quare si serio Textus considerentur, nullus invenietur, quo cautum sit, potuisse laicos licite retinere decimas, sed so- 48
lum quod obtentas ante Concilium Laterenense possent transferre in locum Relligiosum de consensu Episcopi. Quare Concilium Laterenense non concedit laicis, ut decimas concessas laicis ipsis a Prælatis inferioribus retineant, sed ne transferant in alios absolute. En verba Concilii *in cap. prohibemus* 19. *de decimis: prohibemus insuper, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre.*

Nolim tamen, quemquam perturbari, hac posita explicatione, ex *Textu in cap.* 2. §. *sane de decim. in* 6. Diximus, laicos, qui impetraverant decimas ante Concilium Lateranense, eas injustè detinuisse, & permissum fuisse, ut eas in solos Relligiosos transferrent. Jam vero *in d. cap.* 2. statuitur, post Concilium Lateranense laicos, si decimas impetrarint non posse eas transferre in Relligiosos. Ex quo infertur, ante Concilium Lateranense decimas impetratas retentas fuisse justè a laicis; nam adeo post Concilium Lateranense impetrate non possunt transferri; quia constat, illicite retineri.

Omissa responsione Suarez, rem ita explico. Et ante & post Concilium decimæ injustè detinentur a laicis, cum hac tamen differentia; quod illicite facta concessio laicis prӕteritum respiciens tempus a Concilio Lateranense sustinetur, in futurum prohibitio strictius servata, præcipitur, *cap. quamvis* 17. *de decim.*

Et merito mitius agitur quoad tempus præteritum; nam Concilium propter rationes eminentis scandali permisit, ut laici decimas antea habitas a Prælatis inferioribus licet injuste, possent transferre in Relligiosos; nec novum enim Jure facilius pręterita tolerari, quam futura, quibus occurrendum est, *cap. ult. de sponf. duorum*, *can. providenda de elect. in* 6.

Adhuc circa hanc distinctionem decimarum, quas laici ante Concilium Lateranense impetrarunt, alia explicatione opus est.

Concilium Lateranense disponit, transferendas a laicis decimas esse in locum Relligiosum; 49
sed quando? Quando nimirum a Prelatis inferioribus

rioribus sint impetratę. Inferatur ergo, quod si Pontifex eas Laicis concesserit, non sit opus Episcopi consensu ad hanc translationem. Ecce, Alexander VI terrias decimarum concessit Regibus Catholicis. Etiam in Laicos tales decimę transferri possunt, quia sunt feudum perpetuum & effectæ patrimonium obtinentis ut in puncto *Barbosa de univ. Jure L. 3. cap. 16. n. 63.*

Ulterius Concilium Lateranense restringit prohibitionem ad decimas, quas laici titulo feudi ab inferioribus Prælatis obtinuerant antea; has disponit, de consensu Episcopi transferri posse in Religiosum locum, notat *Barbosa ubi supra*.

Si aliquod historicum exemplum requiritur huiusce infeudationis; ita Episcopus Racesburgensis Henrico Comiti Polaborum decimas dedit in feudum: de quo Helmoldus ita loquitur: *Porro decimas terræ recognovit Episcopo, quarum tamen medietatem recepit in Beneficio, & factus est homo Episcopi*. Pariter de hac infeudatione loquitur Fridericus primus in Oratione habita in Concilio Principum apud Arnoldum Lubecensem, ibi: *easdem decimas prætendentes, & nobiles viri ab Ecclesiis in beneficio stabili receperunt*.

His expositis, occurrit disputatio, quam ad trutinam revocat *Fachineus in L. 7 Contr. cap. 72. Covarr. L. 1 var. cap. 10. Pax Jordan. Tom. 2. pag. 321. n. 63.* Utrum quæ revertuntur decimæ, jam ante Concilium concessę in feudum, rursus in feudum concedi possint.

50 Conclusio vera est, quod Prælatus inferior easdem decimas rursus infeudare prohibetur.

51 Probatur I. conclusio quia laici semper injuste eas detinuerunt, & ex tolerantia quadam post Concilium eas adhuc retinere, permittitur ex præmissis explicationibus, ergo quod nunquam permissum fuit, neque in posterum a Concilio permitti, credendum est.

Probatur II. Quia prohibitio generalis est, *cap. prohibemus, cap. quamvis de decimis, cap. ad Apostolica de his, quæ fiunt a Præl. cap. 2. §. fane de decim. in 6.*

Probatur III. Quia cum jus decimandi tantum spectet ad Parochos, ut laici earum sint incapaces, eam incapacitatem post Concilium Episcopi, & similes Prælati tollere non possunt; de qua incapacitate est Textus *in cap causam 7. de præscript. cap. ad hæc 15. de decim.* quemadmodum notat Gonzal. *in cap. 1. de feud. n. 13.*

Nec obstat I. Textus *in cap. ex parte 2. de feud.* ubi si quis feudum obtinuerit ab Ecclesia, 52 & is decedat, Ecclesia potest idem feudum alteri laico concedere, ex quo Textu ad centuit *Ecclesia ad Tit. de decim. cap. 3. n. 49. vers. facit pag. 281.*

Sed respondetur, aliud esse tractare de prædiis Ecclesiæ, aliud de decimis; prædiorum incapaces non sunt laici nam et his emphitheusis conceduntur rerum Ecclesiasticarum, *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non al. cap. nulli de reb. Eccl. al.* at decimarum laici sunt incapaces, adeo ut inferiores Prælati laicum capacem reddere non possint; hæc vera responsio est; nec enim satisfacit Fachineus ubi supra. Eodemque modo respondetur ad Textum simile quiddam decernentem *in Tit. 16. §. in Clericum L. 1. feud. & Tit. 35. in fine L. 2. Feud. cap. 2.*

Nec obstat 2. Textus *in cap. 1. de precariis* ibi: *Precaria renoventur*.

Respondetur, precarias, de quibus est etiam Textus *in can. precaria 12. q. 2.* nil aliud esse, quàm jus, quo fruitur laicus obtinendi ab Ecclesia certos fructus prædiorum, quæ olim laicus ipse Ecclesiæ liberaliter donarat. Ergo hæc reservatio fructuum, quoniam precibus ab Ecclesia, laici impetrabant, precaria dicta est, *Gonz. in cap. 1. de precar. n. 5.*

Ex quo manifestum est, adhuc vigere responsionem supra traditam. Neque enim hic agitur de decimis, quarum laici sint incapaces; imo ad fraudes vitandas canones statuunt, precarias de quinquennio in quinquennium renovari.

Nec resistit 3. quod Concilium Lateranense prohibeat solùm, dari de novo decimas in feudum, quod verò olim datum est, de novo non datur, *can. longinquitate, can. sæpe 12. q. 2. L. patre ff de his, qui sunt sui*.

Resp. fore novam concessionem, si Prælatus reversas decimas iterùm infeudaret, quemadmodum finito usufructu, si rursus ususfructus concedatur, nova concessio est, *§. cum autem de usufr.*

[*u*] *Exigi.*

De actione competenti Parocho ad decimarum exactionem. 53

Cum dicimus, Parocho actionem ad decimarum exactionem competere, loquimur secundum Jus commune.

In Hispania actionem hanc habet Episcopus; nam cum tertiæ decimarum a Regibus concedantur Cathedralibus, soli Episcopo solvuntur decimę, & universalis Hispaniarum consuetudo est 54 ut Cathedralis sit totius Diœcesis Parochialis Ecclesia, *de Luca discursu generali de decimis §. 2. n. 14.* Et in plerisque Regni Neapolitani partibus Episcopus Ecclesię Matrici, in qua cura exercetur animarum, duos, vel plures idoneos, pro exercitio curę animarum ad nutum amovibiles deputat, quasi per circulum quandoque variando, ut in Ecclesia de *Offorno*. Tunc vero decimarum tertia pars ponitur in massa communi, ut veniat in distributionibus ad commodum omnium, alia spectat ad Capitulum, & Episcopum, alia inter Dominum temporalem loci dividitur, & eiusdem Ecclesię fabricam, *de Luca de decimis discursu 2.*

Cum igitur proceditur secundum jus comune Parochus ille est, qui actionem intentat ad decimas.

Sed quam actionem? Condictionem ex canone, ait *Canisius in cap. 18. de decim. n. 9.* Cum enim nulla actio pro decimis a Jure Canonico pro-

prodita sit, recurrendum est ad condictionem ex canone instar condictionis ex Lege, *L. un. ff. de cond. ex Lege*, ita tamen, ut necesse non sit, *condictionis* verbum exprimere; sed sufficiat factu narrare, *cap. dilectus 6. de Jud.*

Actio tamen tam realis, quam personalis competit, ut docet Zoesius *cap. 5. de decim. n. 6t.* Realis quia in *can. moderamine 16. q. 1.* dicuntur decimæ vindicari; personalis, quia decimarum dominus Parochus dici nequit, eo quod a fructibus decimæ, nisi tradantur, separatæ non sunt; & ideo cessare videtur propriè loquendo rei vindicatio *L. officium ff. de rei vind.* quæ supponit dominium agentis, & dominum supponit traditionem, *§. per traditionem Inst. de rer. divis.* & ideò quasi debitum dicuntur decimę in *can. parochianos 14. hoc T.* & hac de re *Tuscus lit. D. Concl. 74. & seq.*

Supponimus autē, rem ita gestam esse. Adversus debitorem decimarum processit Parochus via executiva, idest a præcepto sub pæna pecuniaria, & in subsidium excommunicationis trina, vel una pro trina monitione præmissa, quatenus intra tot dies debeat reus debitam summam decimarum persolvisse, prout *ex cap. pervenit de decimis*, *& cap. sacro de sent. exc.* docet *Leonius in Thesauro de decimis P. 2. cap. 12. n. 31.* Imo ad petitionem Rectoris vel a Judice ex officio, ac etiam extra judicium potest fieri monitio generalis fulminans excommunicationis sententiam, ac postea non solvens denunciari, & contra contumacem implorari auxilium brachii sæcularis, quæ est optima praxis ad evitanda litigia, ut docet *Van Axel do Seny ad Tit de decim. n. 30. ex Clem. dispendiosam de decim.* Nec opus est, ut Parochus aliquid probet, cum habeat intentionem fundatam.

Sed quia fortasse è contra reus exceptionem consuetudinis aut præscriptionis, aut quid simile opponit, atque idcirco Parochus agere debet, ideo qua actione sit agendum, a nobis exponendum occurrebat.

Et diximus actionem tam realem, quam personalem competere.

Clarius adhuc rem explico. Nonnunquam actor vult manuteneri in possessione percipiendi decimas, competit interdictum retinendę possessionis, *cap. licet causam 9. fin. de prob.* docet *Leonius ubi supra n. 27.* Nonnunquam vult recuperare possessionem, qua spoliatus fuit, & agit remedio Textus *in can. redintegranda 3. q. 1. cap. ad decimas de rest. spol. in 6.* nonnunquam agit Parochus possessorio adipiscendę, & tunc satis est, ut in libello dicat Parochus, se talis loci Parochum esse, *Moneta de decim q. 8. n. 27.*

Potest autem utrumque judicium tam petitorium, quam possessorium in eodem libello cu-
56 mul ri, prout visum fuerit actori, *cap. 2. cap. 3. de caus. pos. & prop.* contra Parochum tamen possessorium judicium intendi non potest, quia Parochus habet intentionem fundatam, *Canis. de decim. in decr. cap. 18. n. 10.*

Tandem sciendum, judicium decimarum esse summarium, *Clement. dispendiosam de decim. Clem. 2. de jud. Clem. sæpe de V. S.* Nec in eo 57
disputandum de apicibus Juris, *can. duæ 18. q. 2.* præcipue quando inter Clericos lis est, *Barbosa de Jure Eccl. L. 3. cap. 26. n. 5 §. 3.*

(x) Ecclesiasticus.

DISSERTATIO VI.

Quis Judex sit competens in causa decimarum.

Longum esset recensere scriptorum numerum qui hanc controversiam celeberrimam examinandam censuerunt. Ego omissa inutili verborum 58
ubertate, quid inveniam magis consonum menti canonum, pronunciabo.

Sit nostra conclusio; Causa decimarum tam propria est Judicis Ecclesiastici, ut solum quando quæstio sit meri facti, sæcularis Judex ejus possit suscipere cognitionem.

Explicatur conclusio. In causa decimarum, & jus considerari potest, & factum. Jus cum agitur de petitorio; nam tunc investigatur jus decimandi; quod cum sit spirituale, *cap. 1. de Jud.* protinus noscitur esse Judicis *Eccl.* Quæstio facti dicitur, cum disputatur, an aliquis, hic percipiat, seu solvat decimas, vel si agatur contra detentorem fructuum decimandorum. Sed clarius adhuc explico quæstionem facti. Potest contingere, ut factum non sit merum factum, & quod possessorium habeat causam proprietatis annexam, utpote quia in eo aliqua probatio proprietatis requiratur, ut dicitur de Jure Patronatus *in cap. 3. de Jud.* & exemplum est in causa Matrimonii *in cap. ex transmissa 8. in cap. ex parte 14 de rest. spol.* Si ergo Parochus factum proponat, quod simul aliqua probatione juris decimandi indigeat, tunc Iudex competens etiam ratione facti erit solus Ecclesiasticus ex distinctione celeberrima Panormitani *in cap. 2. de jur. calum.*

Postremò supponimus, Parochum non agere in Clericum; nam tunc, cum actor sequatur forum rei, semper, & in quavis causa Clerici cognitor erit Iudex Ecclesiasticus, *cap. si diligenti de foro compet. Auth. statuimus C. de Episcop. & Cl.* Quibus præmissis conclusio.

Probatur I. Quia solus Iudex Ecclesiasticus est competens in causis Ecclesiasticis præsertim spiritualibus, *cap. 1. de Jud.* Atqui decimandi jus est spirituale *cap. fin. de rer. permut, cap. tua 23. de decim.* ergo Iudex competens in causa decimarum est solus Iudex Ecclesiasticus.

Probatur II. ex *Clementina dispendiosam de Jud.* ubi statuitur, per Iudicem Ecclesiasticum procedi posse in omnibus causis spiritualibus, vel aliquo modo tangentibus spiritualitatem, ergo, cum & in d. Clementina agatur de decimis, constat, si causa decimarum non contineatur intra fines meri facti, sed involuat aliquid

juris

juris, constat, causam decimarum, prout explicatio præmissa declarat, esse Judicis Ecclesiastici propriam.

Probatur III. ex *cap. cum Bertoldus* §. *cum quia de sent. & re jud.* Nam quidam miles Bertoldus disceptare voluit de possessione, & dominio Juris Patronatus; quoniam proinde possessio admixta erat dominio, utriusque articuli discussio secuta est coram Judice Ecclesiastico. Ex quo infertur, idem obtinere in causa decimarum, quando quæstio facti admixtum habeat aliquid juris.

Probatur IV. Quia in causis facti, & non nudi facti id observatum est semper in Ecclesia, ut secularis Judex aditus non fuerit. Laici non non solvebant decimas ex proventibus molendinorum, piscariarum, fæno, & lana, quis jussit, ut solverent? Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo commissionem dedit *in cap. pervenit de decimis*. Laici non solvebant de apibus decimas, Parochus non adivit Principem, aut laicum, sed Judicem Ecclesiasticum, & idem Alex. III. commisit, cogi laicos a Vintoniensi Episcopo *in cap. nuncios de decimis*. In Anglia homines de Ottona decimas tantam de residuo persolvebant, factum solutionis mixtum juri cognitum fuit ab Exoniensis, & Vigorniensis Ecclesiæ Episcopis, prout habetur *in cap. cum homines 7. de decim.* Coram quodam Archidiacono proposita fuit disputatio, an miles ex molendino a se fabricato decimas deberet persolvere, ut apparet *ex cap. ex transmissa de decim.* Recusabant in districtu Pistoriensis Diæcesis quidam locatores persolvere decimas, causa introducta fuit in foro Eccl. si, & decisum, tam locatorem, quàm conductorem ad decimas obligari, *cap. a nobis 24. de dec.* Capta urbe Constantinopol tana a Latinis, invenerunt Latini, Græcos decimas abusu quodam jamdudum non solvisse; tractatum est apud Judicem Ecclesiast cum, an obligati essent, & decisum in Concilio Lateranensi *cap. in aliquibus 32. de decimis*. Ergo causa decimarum solum Ecclesiasticum Judicem competentem habet.

Probatur V. Quia ut loquitur Alexander III. *in cap. quanto de Jud. non nisi ab Ecclesiastico Judice valet diffiniri causa, quæ conjuncta, & annexa est spiritualibus causis*. Ergo cum factum in causa decimarum aliquid juris admixtum habet, exigit cognitionem Ecclesiastici Judicis.

Nec primo obsistit Textus elegans in *cap. postulasti 21. de hom.* ubi ad exactionem decimarum Rex potest compellere.

Nam respondetur, non jure proprio, atque ex vi suæ jurisdictionis in specie illius Textus Regem in causa decimarum se ingessisse, sed imploratum; solet enim Ecclesia Judicis sæcularis auxilium implorare, ad suarum sententiarum executionem.

Non oberit II. Quod cum decimę in feudum laicis datæ fuerint ut ante Concilium Lateranense contingebat, tunc Judex competens sit tantum secularis, quia laicus Judex ratione feudi competens est etiam inter Clericos, *cap. ex transmissa*, §. *verum de foro compet. cap. ceterum de Jud.*

Augetur difficultas. Nam tertiæ decimarum, quæ a Pontificibus fuerunt Hispaniæ Regibus concessæ, profanę censentur, utpotè Regio jam unitæ patrimonio, argumento Textus *in L. 2. §. hoc interdictum, ff. ne quid in loco pub.* Ergo non sunt decimæ cognitionis Judicis Ecclesiastici.

Nam respondetur cum Barbosa, qui occupat hanc difficultatem, quæ excitari poterat, *in L. 3. de decim. cap. 26. n. 2.* causam decimarum, quæ datæ fuerint in feudum, esse discutiendam coram Judice Ecclesiastico; quia dominium fructuum, & feudum, sæculare quidem est, attamen dependens a jure spirituali, & Ecclesiastico, ut contra plures docet, & firmat Rota *in Ravennatensi Emphyth. 28. Maii 1631. coram Merlino*. Et optimè Canisius, vir solidissimæ doctrinæ *in cap. 18. de decim. n. 16.* rem hanc exemplo exponit; laici namque Jus Patronatus possidere dicuntur; non tamen ideo effectum est mere temporale, cum ejus cognitio ad Iudicem Ecclesiasticum pertineat, *cap. 3. de Iud.* Præter quamquod argumentum adversariorum de cognitione feudi, quæ propria est Iudicis secularis æquivocationem continet; nam hæc procedunt, cum Clericus res laicorum habuit in feudum; ex quo non potest inferri ad feudum decimarum, quę receptę sunt ab Ecclesia, imo de his cognoscit Ecclesia, *cap. prohibemus de decimis*.

Non obstat quoque augmentum difficultatis de tertiis decimarum; nam etsi Carrascus *ad L. Regias cap. 6. de decim. §. 1. Castillo de Tertiis Tomo 7. cap. 12. n. 2.* docuerint, in his Iudicem laicum esse competentem; attamen contrariam sententiam veriorem censent *Azorius I. 7. Inst. mor. cap. 36. Anastasius Germonius L. 3. de sacr. imm. cap. 19. n. 9.* Verum Gonzales asserit, ex concessione Alexandri III. Gregorii X. & Clem. VII. tertias decimarum in Regnis Castellæ, nec non et jus percipiendi decimas in novo Orbe Indiarum Occidentalium ad Regem spectare cum libera dispositione, adeoque pleno jure & tamquam ex Regalibus Regiæ Coronę factas esse, argumento Textus *in cap. generalis non ita Glossa verbo regula de el. in 6.* quocirca easdem exuisse naturam spiritualium bonorum, & mansisse profanas, ac temporales. Ita ipse multis citatis *in cap. 13. de decim in notis verbo Consulibus*. Cum ergo decimæ sic concessæ sint cum libera dispositione, admitti potest, etiam eas esse cognitionis Iudicis sæcularis. Hæc omnia Gonzales *ubi supra*.

Opponitur III. Textus *in cap. quoniam 13. de decimis*, ibi: *Sententias vero super decimis a Consulibus datas*. Ergo cum Consules sint Judices sæculares, *cap. venientes de jur. vir.* cognitio decimarum Tribunal sæculare non respuit.

Sed respondetur, Textum hunc factum contra jus enarrare; prosequitur enim scribens Pontifex Brixeensi Episcopo: *irritas esse, decernas, & eas omni contradictione, & appellatione postposita revoces*.

Opponitur IV. *a Covarruvia practicarum quæst. cap.* 35. contra ea, quę dicta sunt, quod in mero facto causę decimarum cognitio possit esse etiam Iudicis sæcularis. Ait igitur vir eximius, quod etiam si quæstio facti in causa decimarum examinetur, Iudex Ecclesiasticus procedit ad censuras, *cap. nuntius*, *cap. cum homines*, *cap. de terris & decimis*; ergo non datur factum merum, quod etiam ad Iudicem sæcularem pertinere possit.

Ego verò respondendum censerem, quod etiã si cognoscat Iudex Ecclesiasticus de rebus merè temporalibus, in contumaces procedere potest ad excomunicationem; neque exemplis caremus. Alienantes res temporales Ecclesię excommunicationem incurrunt, *Extrav. ambitiosa Tit. de reb. Ec l. non al.* Annonam ad Urbem Romam deferri impedientes sunt excomunicati ex *Bulla Clementis VI. anno 1523. quæ incipit ad sacram, & est quinta in Bullario.* Arma deferens ad Saracenos incidit in excommunicationem, *cap. ita quorundam de Iudæis*. Multa hujus generis passim occurrunt, quę circa res spirituales minime versantur, tamen cognitio ad Ecclesiam pertinet, & ad Ecclesiasticam spectat punitionem.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

TITULUS. XXIX.



Ractemus nunc de rebus temporalibus Ecclesiarum, illarumque administratione, atque alienatione. Est Clericus rerum Ecclesiasticarum administrator, sed citra alienandi jus, ne facultates, opesque sublevandis ijs, qui ministeriis Divinis omnem operam suam dedicarunt destinatæ, prodiga Prælatorum, Clericorumque libidine exhauriantur. Imò sunt Clerici tutorum, (*a*) ac curatorum instar, quibus res minorum creditæ sunt, atque commissæ; minorumque jure gaudet Ecclesia, *cap.* 1. *de in integr. restitutione*. Est igitur regula, (*b*) ne cui liceat rem Ecclesiæ alienare. Quod si alienatio secuta sit, non tam actus est nullus, *cap.* 5. *&* 6. *hoc T.* sed & excomunicationem incurrit, tam is, in quem alienatio facta, quam alienans. (*c*) Is, in quem alienatio facta, rem cum fructibus restituet, pretium non recepturus, quamquam regressum adversum alienantem habeat, *can.* 2. 10. *quæs.* 2. *cap. aures*, *can. volaterana* 12. *q.* 2. Regula tamen sine exceptionibus non est. Sed & regula, & exceptiones innotescent, si de contractibus singillatim agamus; verbum namque *alienatio* (*d*) late patet, atque ad omnes dispositiones porrigitur. Quare ad rem pertinet potissimum cognoscere, quid de contractibus canones disponant.

Age jam, sunt ne omnes contractus ex Canonica æquitate ęquales redditi, factique bonę fidei? Imo etiam Sacrum (*e*) jus, retinet a Legibus sæculi distinctionem inductam, in bonę fidei contractus, & stricti Juris. Admittit, quosdam ex his innominatos, aliosque esse nominatos; atque ad institutum pertinet, orationis cursum ad hos, illosque dirigere; ex immenso autem rerum apparatu, quem Jus Civile suppeditat, tantum cum delectu

lectu

lectu sumemus, quantum nostris adornandis, illustrandisque sufficiat.

Innominatus (*f*] contractus transactio est, ac permutatio, aliique recensentur in *L. naturalis 5. in p. ff. de prescript. verb.* De transactione disponitur, ut super rebus Ecclesiasticis transigi non (*g*) possit, partim ob simoniæ labem, partim ob damnum, quo afficeretur Ecclesia. In permutatione similis prohibitio. [*h*] Permutatio Beneficiorum, omissa Superioris auctoritate, simoniacæ pravitati obnoxia est, *cap. quesitum de rer. perm.* Rerum aliarum facta commutatio damnosa præsumitur Ecclesiæ, *cap. ut commutatione 2. de rer. perm.* adeoque instar rerum, (*i*] quæ subiectæ sunt fidei commisso, res Clericorũ speciẽ hanc respuunt alienationis. Sed cum cambium ad permutationis contractum (*l*] pertineat, nec sit his temporibus ulla negociationis species frequentior, non erit abs re, quot cambii sint species, an omnes licitæ, an Clericis illud exercere permittatur, fando exponere, ac declarare. Cambium vel inter præsentes, vel inter absentes exercetur: inter præsentes (*m*) cambium ad minutum dicitur, & hoc permissum; collybus enim titulo laborum, expensarumque percipitur, *arg. §. si quis autem in princ. Auth. de Judicib.* Inter (*n*] absentes cambium locale est sive ad literas, cum Neapolim [ex. gr.] iter facturus, hic Pisis campsori pecuniam solvit, ut is curet, sibi eamdem numerari Neapoli. Si quid lucratur campsor, lucro justam præbet causam labor, atque periculum. Est etiam inter absentes cambium nundinale [*o*] quod evadit cum recursu, (*p*] ut dicunt, sive cambium, & recambium, quoties debitor retardat solutionem pecuniæ debitæ Mercatori. Atque cambia quatenus licita sint, [*q*] Pius V. declaravit in Bulla *in eam anni* 1571. emanavitque Cardinalium declaratio mandato Urbani VIII. *die 27. Sept. ann.* 1631. *quam adducit Raphael Turrus disp. 3. q. 1. de camb.* Si quæritur, quid juris sit de cambiis quoad personas Ecclesiasticas, extat decretum (*r*) S. C. emanatum *die 21. Martii 1626.* declarans, Regulares ad cambium pecuniam accipere non posse, quod adducitur a *Nicolio Inst. Civil. L. 2. Tit. 1. pag.* 74. An vero è contrario possit Clericus cambio exponere pecuniam suam, disputabitur in Notis. (*s*) Progrediamur ad alios contractus, qui nominati dicuntur.

En primo se offert venditio. Quamvis hic contractus vetustissimus sit, utpote Juris gentium, quemadmodum tamen aliquid circa illum innovandum esse, Legislator Justinianus censuit, §. 1. *Inst. de empt. & vend.* sic Legislatores Ecclesiastici, quędam addiderunt, quędam Divinis oculis infesta repudiarunt. Additum a Jure sacro, censum genus esse venditionis, eidemque fuit a Pio V. forma præscripta in Bulla *cum onus*. Ergo post decisionem Apostolicę Sedis frustra oblatrant hæretici, censum involucrum usurarum esse, contendentes. Contrahant Laici (*t*) tuti sunt;

Clerici (*u*) verò in fundo sui Benefici censum imponere non possunt. Quæ porrò, utpote animabus exitialia, repudiarunt canones, hęc sunt. Venditio ad creditum (*z*) cum pretii, propter dilatam ejusdem solutionem, augmento, expers Justitiæ judicata est, *cap. in Civitate de usuris* item (*x*] monopolia Clericis prę sertim prohibita; prohibitum cogere Clericos ad legem (*aa*) retractus; sic enim libertas Ecclesiastica violaretur, quam ob libertatem, nec cogitur Ecclesia res suas vendere sub (*bb*) hasta, quoties necessitatis, utilitatisque causa vendere suadet. Et hæc quidem prohibita. Permissum tamen Clericis libere res, quæ (*cc*] servando servari non possunt, per hujusmodi contractum alienare, nec minus est illis permissum libere cum pacto de retrovendendo [*dd*) de re ad Præbendam spectante disponere. Permissum tandem, ut in causa evictionis se Clericus sistat [*ee*] coram Judice sæculari. Satis, superque de venditione.

Affinis venditioni locatio est; et hæc Jure nostro contractus ad firmam (*ff*] non raro dicitur; de qua videndum, quomodo recte constituatur, recteque constitutę locationis quinam sint exitus. Recte constituitur justa pensione imposita persolvenda a conductore. Hęc vero si locatio operarum sit, in sola pecunia (*gg*) esse debet: hęc propter sterilitatem est colono (*hh*) extenuanda; nec minus ad rectam constitutionem ejusdem id pertinet, ut si Clerici locatores sint, locatio ultra triennium (*ii*) non extendatur, alioquin omnino non valebit; ad triennium vero Clericis locare permittitur . Item, ut interusurium (*kk*) ob moram non solutæ pensionis in pactum non deducatur, quia turpe id pactum est, & quamvis si meretrici, aut usurario locetur domus, turpitudinem videatur habere contractus; attamen si desit prava intentio, & justa lucri causa excuset, talis locatio [*ll*] non poterit improbari. Nondum de locationis recte constitutæ exitu differimus. Quis ergo illius exitus? Ex parte locatoris exitus est, ut si is nondum finita locatione moriatur, qui illi succedit tamquam hæres, a contractu resilire non possit. (*mm*] Ex parte conductoris, ut is recuperet finita locatione expensas in domo conducta factas tam utiles, quam necessarias, [*nn*) & è contrario ad damna illata, vel quæ sua culpa contigerunt, teneatur. [*oo*]

Latissimus est hic campus, per quem spatiamur; ejusque partibus nonnullis emensis, alii ostenduntur superandi tractus, semperque crescentem planitiem intueor. An tacendum de emphytheusi, quę tantam familiaritatem habet cum locatione, & conductione, ut opus fuerit, distinctum, propriumque contractum effici a Zenone Imperatore? (*pp*] Et merito proprium contractum esse, voluit Imperator. Nam solvitur quidem, ut in locatione annua pensio, sed hęc non solvitur in compensationem fructuum, sed in dominii directi recognitionem; (*qq*) nam dominium [*rr*] utile in emphytheutam transfertur, & quod in locatione non videmus,

persolvi-

persolvitur initio contractus emphytheurici laudemium; [*ss*] Clerici vero ejus loco solvunt quindennium; [*tt*) neutrum vero subiacet prescriptioni. [*uu*) Sed quoniam potissime de contractibus hoc loci tractatur, quatenus cognitioni alienationum rerum Ecclesiasticarum subservire debent, hoc assero non censeri [*zz*] alienationem, si quę solita fuerunt in emphytheusim concedi, ea finita rursus a Prelato concedantur, si Clericus terrulas (*xx*) dederit in emphytheusim. At esset alienatio, & quidem instar aliarum prohibita, si emphytheusim, quę concessa fuit ad tres generationes, his exactis, Prælatus cogi posset, eamdem in consanguineis ultimi emphytheuthæ renovare. (*yy*)

Post hęc exposita de contractibus bonæ fidei, memor ordinis initio destinati, vocor ad contractus stricti Juris, quales, ut notum est, sunt mutuum atque donatio. Verè in mutuo Ius Canonicum plura invenit emendanda, indictoque veterum Legislatorum oraculis silentio, suis tantum vocibus, imperat, obtemperari. Quænam ejus voces atque decreta? Nimirum, ut mutuum sine usuris constituatur, ut neque ob causam piam licitę reddantur usurę, (*aaa*) ut quoniam in omnibus fere contractibus hæc pravitas latere potest, [*bbb*), caute a contrahentibus agatur. Sed de usuris *L.* 4. tractabitur diffusissime. Interim, quod ad rem magis pertinet, sciendum est Ecclesiam pecuniam in mutuum dare non posse, id quippe recideret in culpam (*ccc*) alienationis; & quoniam mutuum civile est literarum obligatio, verius censendum, lapsum biennii personæ Ecclesiasticæ exceptionem non numeratę pecuniæ non (*ddd*) adimere, quidquid sit de obligatis *in forma cameræ*. Tandem cum ex donatione transferatur dominium, eaque sit contractus, accedente (*eee*) donatarii acceptatione, quam ad substantiam, reor, pertinere; donare prohibetur Ecclesia res immobiles, (*fff*) itemque pia legata, aut hęreditatem recusare, (*ggg*] vel reddere, [*hhh*] etiam ob supervenientium filiorum, cum satis sit, ut filii exorti legitimam recuperent.

Sed jam lora attrahamus; satis spatii decursum est, contractusque expositi fuerunt exemplorum instar, quibus posset ostendi, regulam hanc esse, alienationes rerum Ecclesiasticarum prohiberi, quibusdam tantum casibus exceptis, quos pariter, ubi se tulit opportunitas, indicavimus.

Nunc omnium maximam superaddo exceptionem, quam, utpote magis observandam; dedita opera ad finem hujus Tituli reservavi. En exceptionem. Consulto Romano Pontifice alienationes sustinentur; id decretum in celebri *Extrav. ambitiosa de reb. Eccl. non al.* Cum vero declaret ibi Paulus II. se veteres hac in re canones innovare, & confirmare, & olim quoque causę justitia, & Capituli, & Episcopi consensus exigeretur ad rectam alienationem, distinguendum [*iii*) in hunc modum. Aut enim agitur de alienatione ab Episcopo perficienda, & hoc casu

trac-

tractatus præcedens, & consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis requiritur: aut agitur de alienatione a Rectoribus Ecclesiæ perficienda, tunc Episcopi sufficit auctoritas; nec amplius in usu est solemnitas [*lll*] præscripta in *Auth. hoc Jus porrectum C. de sacr. Eccl.* Ultra illas vero solemnitates semper Apostolicum beneplacitum impetretur necesse est, quod non præsumitur (*mmm*) impetratum; sed vere est impetrandum.

SUMMARIUM.

1 *Clerici sunt tutores, procuratores, administratores Ecclesiæ.*
2 *Exponitur regula, non licere res Ecclesiæ alienare.*
3 *Olim Lex hac probibens alienationes, non erat.*
4 *Series temporum, in quibus variè talis fuit alienatio probibita.*
5 *Ratio prædictæ regulæ.*
6 *Enumerantur pœnæ constitutæ in alienantes, recipientesque res alienatas.*
7 *Expenditur verbum* alienatio.
8 *Laudatur* Illustriss. D. Alexander Marchetti, Abb. Antonius Maria Salvini, Abbas Regnier & D. Corsinius, & D. P. Franciscus Toccius Canonicus.
9 *Disputatio, an contractus de Iure Canonico sint omnes bonæ fidei?*
10 *Defenditur, adhuc de Iure Canonico dari contractus stricti Iuris.*
11 *Bona fides quid significet.*
12 *Conclusio probatur.*
13 *Contraria refutantur.*
14 *Contractus innominati quinam sint.*
15 *Differentia inter contractum* do, ut des, *&* *permutationem.*
16 *Transactio, & permutatio etsi nomen habeant, tamen inter contractus innominatos accensentur.*
17 *Conclusio proponitur, quod super rebus Ecclesiæ transigi non potest.*
18 *Eadem probatur.*
19 *Contraria enodantur.*
20 *Quot modis transactio contingere possit in Beneficiis.*
21 *De permutatione tractatur.*
22 *Laudatur* P. Phebeus *è Societate Iesu.*
23 *Quandonam ad res Ecclesiæ permutandas solemnitas requiratur.*
24 *Permutatio Beneficiorum simoniaca.*
25 *Tractatus tamen permutandi caret simoniæ vitio.*
26 *Quisnam superior permutationis Beneficiorum, & refellitur* Parisius.
27 *Quatenus invicem possint spiritualia permutari.*
28 *Disputatio altera proponitur, an res subiectæ fidei commisso possint permutari.*
29 *Defenditur, res fideicommisso subiectas permutari non posse.*
30 *In alias res utiliores permutari possunt Iudicis decreto.*
31 *Conclusio probatur.*
32 *Contrariis occurritur.*
33 *Casus enumerantur in responsionibus, juxta quos talis permutatio conceditur.*
34 *Agitur latissimè de cambiis.*
35 *Cambium undè dicatur.*
36 *Cambium definitur.*
37 *An cambium aliquid admixtum habeat venditionis.*
38 *In cambio locus non est evictioni.*
30 *De cambio inter præsentes.*
40 *Cambium inter præsentes manuale dicitur.*
41 *Quid sit collybus.*
42 *Lucrum cambii manualis justum esse, probatur.*
43 *An hoc cambium manuale in usu fuerit apud Romanos.*
44 *Interpretatio Textus in* L. 9 ff de edendo.
45 *Cambium per literas, an lucrum justum pariat.*
47 *De cambio nundinali.*
48 *Cambii nundinalis origo.*
40 *Nundinarum origo.*
50 *Quot sint nundinarum tempora.*
51 *Cur nundinæ pro solis cambiis pecuniarum sint instituta.*
52 *Quænam species nummorum in nundinis.*
53 *Quid sint scuta de marca.*
54 *Scutum de marca sola mente concipitur.*
55 *Quale sit pretium scuti de marca.*
56 *Cambium feriarum an differat a cambio nundinarum.*
57 *Quid sit platea.*
58 *Cambium plateale quodnam sit.*
59 *Scutum auri in aurum quinque impressionum.*
60 *Quot nam personæ ad cambium nundinale constituendum concurrant.*
61 *Quid sit solvere sibi ipsi in negotio cambiorum.*
63 *De literis cambiorum.*
64 *Quid significet in literis hisce* a vista.
65 *Cambiū nundinale quatuor modis celebrari potest.*
66 *Quid significet vox* spaccio.
67 *De cambio cum recursa, & varia ejus appellationes.*
68 *Cambium cum recursa duo cambia continet.*
69 *Origo cambii cum recursa.*
70 *Modus perquam tutus cambii cum recursa.*
71 *Debitor recambii in se non debet onus expeditionum ad nundinas faciendi suscipere.*

71 *Cur*

236 *Vera*

236 *Vera sententia est sufficere conjecturas, & quanam sint?*

237 *Conclusio defenditur, quoad mutuum civile etiam de Jure sacro post biennium cessare exceptionem non numeratę pecunia.*

238 *De obligatione in forma camera.*

239 *Obligatio in forma camera excludit hanc exceptionem.*

240 *Prædicta conclusio probatur.*

241 *Solvuntur obiectiones.*

242 *Disputatur, an donatio sit contractus, & an requirat donatarii acceptationem.*

243 *Affirmativa sententia defenditur.*

244 *Varia limitationes conclusionis.*

245 *Disputatur, an donatio immobilium, qua sit remuneratoria, sustineatur.*

246 *Affirmativa sententia defenditur.*

247 *Disputatur, an donatio facta intuitu ingressus Religionis sustineatur.*

248 *Sustineri, defenditur.*

249 *Disseritur de alienatione rerum mobilium, quatenus permittatur Clericis.*

250 *Disputatur, an Clericus fructus Beneficii ad profanos usus impendens obligetur ad restitutionem.*

251 *Negativa opinio defenditur.*

252 *Agitur de repudiatione hereditatis, vel legati, an impune fieri possit a Prælato.*

253 *Aliqua novitas disputatur, an ob supervenientiam filiorum donatio in totum revocetur, & defenditur revocari quoad solam legitimam.*

254 *Intellectus genuinus* can. quicumque 17. q. 4.

255 *Quanam solemnitates in alienationibus requirantur, ultra adductas a* Paulo II. in extravag. ambitiosæ.

256 Authentica hoc Jus porrectum *ab usu recessit.*

257 *Beneplacitum Apostolicum an præsumatur.*

258 *Nova Urbani VIII. constitutio circa hanc præsumptionem.*

259 *In Polonia hac constitutio Urbani non viget.*

EXPLICATIONES.

(*a*) *Tutorum*,

Clerici non possunt alienare res Ecclesia, utpote qui tutorum, & curatorum instar se habeant.

NOn temere canones vocant Clericos tutores, & curatores, & procuratores etiã, hoc enim ipso demõstrare volunt, ab alienatione ipsis
1 esse abstinendum. Nam tutores, & curatores, & procuratores ad sui lucrum res pupillorum, minorum dominorumque distrahere prohibentur: solumque debent esse solliciti, ut potior conditio eorumdem reddatur, *L. tutor 27. ff. de adm. tut. L. qui fundum 7. §. si tutor ff. pro empt.* L. *pactum C. de pact.* L. *procurator. 6. de procur. L. filius ff. de don.*

Et de his appellationibus est Textus *in can. sine exceptione §. Episcopus 12. q. 2. in cap. 2. de don. in cap. edocere 22. de rescript. in can. si privatum 63. q. 1. in can. casellas 10. q. 2.*

(*b*) *Regula*.

Exponitur regula, non licere res Ecclesiasticas alienare.

Quo canone id fuerit pro regula constitutum non licere Ecclesiasticas res alienare, jam paucis est exquirendum.

2 Plane a temporibus Apostolorum usque ad annum reparatę salutis 374. lex hęc non erat; nam constat, ex præscripto Apostolorum Epis-
3 copos rerum omnium Ecclesiæ dispensatores extitisse, *can. 27 Apost.* sic legitur: *Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, & eas dispensato, can. præcipimus 12. q. 2. can. videntes 16. ib. can quisquis 12. q. 2. can. quarumque 10. q. 1.*

Anno 374. Valentinum Concilium sub Da- 4
maso prohibuit donationem, venditionem, vel commutationem rei Ecclesiasticæ, *cap. irrita 1. de his, qua fiunt a Prælato.*

Anno 398. Concilium Carthaginiense 3. sub Anastasio Papa districtius eamdem prohibitionem firmavit, *can. sine exceptione 12. q. 1.*

Anno 502. a Synodos 4. Romana alienatio fundi rustici sub pœna excomunicationis prohibita fuit, *cap. non liceat 20. 12. q. 2. cap. si quis 6. de reb. Eccl. alien.*

Anno 500. Symmachus idem, sub quo habita erat quarta Romana Synodus, in Eupaniensi Concilio can. 9. quid quid alienatum esset imperavit restitui *in can. 9.*

Anno 535. cum prædictæ Leges sacræ essent tantum locales, Justinianus edidit celeberrimam *Authent. de non alien. aut permutandis.*

Anno 737. in septima Synodo sub Hadriano II. prohibita fuit talis alienatio, maxime in Principes sæculares res transferendo.

Anno 863. in Concilio Silvanectensi sub Nicolao I. expressius id prohibitum *cap. nulli 5. de reb. Eccl. al.*

Anno 1106. Concilium Guastalense sub Paschali II. id ipsum vetuit.

Anno 1222. Concilium Oxonense sub Honorio III. inhibitionem eamdem edidit.

Anno 1245. Lugdunense sub Innoc. IV. *sub Tit. de usur.* idem interdixit.

Anno 1274. Lugdunense sub Gregorio X. eodem pacto indemnitati Ecclesiarum prospexit, *cap. 2. de reb. Eccl. in 6.*

Anno 1281 In Concilio Salisburgensi sub Martino IV. idem sancitum est.

Anno 1311. in Concilio Viennensi sub Clem V. idem dispositum, *Clem. I. de reb. Eccl. non al.*

Anno 1468. a Paulo II. edita est celebris *Extrav. ambitiosa tit. de reb. Eccl. non al.*

Mitto recentiores constitutiones *Concilii Trid. sess. 25. de Ref. cap. 11. Julii III. Pauli IV. Pii IV. Pii V.* Interim elucet, quã antiqua sit hæc prohibitio.

Regula hæc tam antiquis initiis, primordiisque instituta: fundamento rationis est superstructa.
5 Bona Ecclesiæ sunt bona pauperum, *can. quia justa, can decima 16. q. 1. can. futuram 17. q. 1.* Egentibus substantiam adimere per alienationem an non horrenda cupiditas? Ut loquitur Textus *in cap. qui res 2. de reb. Eccl. alien.* Accedit, quia non convenit, Prælatum ea dispergere, quæ non collegit, *can. quisquis 39. caus 12. q. 2.* Insuper quia semel Deo dicatum in profanos usus converti non potest, *cap semel de Reg. Jur. in 6. can. nulli, can. prædia 5. q. 2.* Item si alienatio permissa, quid aliud expectandum, quam ut ministri Ecclesiarum mendicare cogantur, *cap 2. de Preb.* quid aliud expectandum, quam ut Ecclesiæ jam bonis spoliatæ deserantur, dum non suppeteret, unde Divinis addicti ministeriis alerentur? Quid aliud hoc esset, quam perjurium patrare? Nam de non alienandis rebus Ecclesiæ, juratur *cap. ut super de reb. Eccl. non al.* Tandem quia, cum bona Ecclesiæ relicta piorum fidelium oblatione non ut cujusquam personæ essent, sed ut Ecclesiæ relicta, quæ communitas est, agnoscuntur ad commune bonum ordinata; nisi prohibitio alienationis accessisset, facile dissipata fuissent: solent enim communia negligi, *L. 2. C. quando, & quibus quarta pars L. 10.* En explicatam regulam.

(c) *Excomunicationem.*

Enumerantur pœnæ statutæ adversus alienantem, & suscipientem res alienatas.

Prohibitionis robur addit pœna constituta. Hic potissimum deterrere, opus fuit eos omnes
6 qui mediis exquisitis, res Deo dicatas, aut usurpase, aut alienare non verebantur.

I. Alienatio est irrita, *can. sine exceptione, vers. irrita, can. Draconi 12. q. 2. cap. 2. cap. ad audientiam, cap. ad nostram de reb. Eccl. alien cap. 2. eod. in 6.*

II. Clericus si quid ejusmodi patraverit, a Regibus, vel Principibus inductus, depositionis, suspensionis, nec non excomunicationis pena afficitur *can. Apostolicos in fine, can. fin. 1. q. 2. cap. 2. eod. in 6. Extrav. ambitiosa ib.* quæ excomunicationem reddidit latæ sententiæ.

III. Clericus alienans compellitur Ipsi Ecclesiæ satisfacere, & damna, quæ intulit de bonis propriis farciee, *can. fin. 10. q. 2. can. manifesta 12. q. 1.*

IV Ecclesia, cum habeat actionem personalem contra Clericum alienantem, *can. Apostolicos 12 q. 2. arg. textus*, quo utitur ad hoc *Vanaxel L. 3. in Decr. Tit. 13. n. 3* eidem Clerico solventi non cedet actiones suas contra possessorem, quia convenitur ex suo maleficio, *L. si plures ff. de adm. tut.*

V Præscribit *Concil. Trid. cap. fin. sess. 22.* ut is Clericus tam diù subiaceat anathemati, quam diù non sit ab usurpatoribus facta restitutio, nec non quibuscumque Beneficiis privatur, & ad quæcumque alia redditur inhabilis.

Et hæc quidem procedunt adversus Clericum alienantem.

Pœnæ vero in eum, qui res alienatas recepit, quænam sunt?

I. Ut acquirens, sive occupans rem Ecclesiasticam, utpote ex inutili contractu, nullam adipiscatur possessionem, *arg. L. pupillus ff. de acq. rer. dom.*

II. Ut teneatur ad restitutionem una cum fructibus, *can. non liceat 3. & ibi Gloss. 12. q. 2. cap. si quis Presbyterorum, & ibi Panorm. n. 1. & 6. hoc Tit.* Fructus verò perceptos, ante quam Ecclesia det de nullitate (ut ità loquar) non cogitur emptor restituere, nam quamdiù Ecclesia tacuit, emptor justè fructus, & redditus percepit, *cap. si quis 12. q. 2. Gonzalez super Reg. Cancel. de mens. & alter. Gloss. 56. n. 94.*

III. Excomunicatus est, qui res suscipit alienatas, *Trid. sess. 22. cap. fin. de Ref. can. Apostolicos 2. q. 2.*

IV Emptor si fuit in mala fide, pretium amittit, quod applicatur Ecclesiæ, *L. jubemus 2. Text. §. 1. & Auth. qui res C. de sacr. Eccl.* nisi prospexerit sibi in contractu de evictione, contra male alienantem *Glossa fin. in cap. ad audientiam hoc T. Vanaxel. ad hunc Titulum n. 42.* Quod si fuit in bona fide, repetit pretium a male alienante, & in defectum ejus ab Ecclesia, quatenus ex pretio locupletior reddita est, *arg. cap. Vulterrana, & ibi Gloss. in verbo emptoribus 12. q. 2. arg. L. prima ff. de depos.*

V. Possessio emptori, seu locatori tradita non est manutenibilis, ut ait *Turricellus in Tract. de reb. Eccl. non. al. cap. 27. n. 63. §. 5. pag. 97.*

(d) *Verbum.*

Alienationis verbum presse acceptum, & lato modo, quem sensum habeat.

Verus sensus verbi hujus *alienationis* est, ut denotet dominii translationem, *L. in re mandata C. mandati L. 1. ff. de fundo dot. L. alienatum ff. de V. S. L. non solum ff. de alien. Jud. mut. caus.* Ergo vera alienatio est venditio, donatio, permutatio, legatum, institutio hæredis 7
L. si quis prioris 8. §. certum C. de secund. nupt. L. peto 69. §. fratres 3. L. Lucius §. matre ff. de Leg. 2. Item usucapio, *L. alienationis 28. vers. vix est ff. de V. S.*

Nil prohibet tamen, quin verbum alienatio significet Juris alicujus constitutionem, notat *Corvinus in Aphorismis L. 2. Tit. 41.* Nam ut loquitur *Turricellus de reb. Eccl. non al. cap. 1. Ecclesia dicitur alienare, quando annectit incorporat, vel dat in administrationem.* Alienare

enim

enim ἀπαλλοτριοῦν, atque ἐκποιεῖν, extra facere, emittere, abiicere, abdicare, ideoque adoptionem, vel arrogationem in alienam familiam ἐκποίησιν, sive alienationem Græci dixerunt, sic enim filius excidit è patria potestate, & in alienam familiam asciscitur. Pullum quoque exclusum ab Ovo ἐκποιηθὲν dicunt. Quare Salmasius in disquisitione de mutuo apud Anacreontem, quo loci conversus ad hirundinem suum queritur infortunium, quod amor nidum in suo pectore congesserit, tutque ova posuerit ad parvorum cupidinum fœtus, ut prolem tam numerosam haud possit excludere, legendum censet ἐκποιῆσαι pro ἐκβῆσαι, quod græcè ἐκποίησις, latinè exclusio fit, & hunc sensum sequi libuit *Illustriss. D. Alexandro Marchetti*, dum lepidis-
8 simum Vatem nostram in linguam transferret, de quo Viro si quæris, quid sentiam; ego quod de scriptis ejus omnibus, quod de ingenii profunditate, quod de perfecta maximarum disciplinarum cognitione sentio, paucis dicam, nihil posse prestantius, sic enim loquendum, quoties de *Alexandro*. Aliorum quoque opera factum est, ut Græcum Poetam versibus Etruscis canentem audiremus, revixitque præsertim Teius Vates opera Illustrissimi Abbatis Antonii Mariæ SALVINI, non tam græcę quam omnigenæ literaturæ fama percelebris: Quis enim musas novit, SALVINIUM non novit? Neque omittam in eodem pulvere cum ingenti gloria desudasse alios summis laudibus abundantes viros Illustrissimos Abbatem Regnier Parisiensem, Petrum Franciscum Toccium Canonicum Ecclesiæ D. Laurentii, Bartolomæum Corsinium.

Sed iam revertar in viam ex qua videor deflexisse: Cum verbum alienare significet excludere, equidem excludit, abdicat, emittit a se Ecclesia cum transfert vel utile dominium, ut per emphytheusim, aut feudum: cum dat in pignus, quo jus in requæritur, cum fundi usus minuitur, veluti per usumfructum, locationemque, elegans Textus *in cap. nulli 5. de reb. Eccl. al.*

Sive autem propriè, sive late alienationem indigitare libeat; semper aliquid translationis in alium significat. Apud Stoicos quidem de hoc ambigebatur, an aliquis sibi dare posset, & ita se ipsum alienationem facere, ut refert Seneca *L. 5. de beneficiis cap. 7.* his verbis„ Quod ut videretur quærendum illa fecerunt. Solemus
„ dicere, gratias mihi ago, & de nullo queri
„ possum alio, quam de me: ego mihi irascor,
„ & ego a me pœnas exigam, & odi me (&
„ paulo post) si nocere, inquit, mihi possum
„ quare non & beneficia mihi dare possum (&
„ infra) Marcus Cato ait, quod tibi deest a te
„ ipso mutuare, quare donare mihi non possum,
„ si commodare possum?

Idem tamen Philosophus egregiè refellit Stoicos *cap 8.* dicens, quod in alienatione aliquis dare debet, aliquis accipere: non est dare nec accipere in dexteram manum de sinistra transferre, Et hęc de nominis notatione.

Ex quo apparet, ad omnes contractus protendi nomen istud alienationis,

[e) Sacrum.

DISSERTATIO I.

In qua disputatur, utrum de Jure Canonico omnes contractus redditi sint bonæ fidei?

Acturi in nostro Titulo de contractibus, subsistimus primum in vestibulo, atque, ut fieri solet, in operis cujuscumque inceptione, generatim de his aggredimur differere, statimque de eorumdem divisione solliciti sumus. Et merito. Quì enim poteram conniventibus oculis præterire quorumdam errorem, qui dum æquitati canonum nimium tribuunt, ipsum canonum sensum pervertunt?

Sunt ergo, & quidem non pauci, qui rigorem Juris, quem proprium contractuum stricti Ju- 9
ris esse cernimus, Jure Pontificio sic corripi, lenirique arbitrantur, ut jam discrimen contractuum bonæ fidei, & stricti Juris fuerit sublatum. Baldus præsertim hujus sententæ antesignanus *in cap. 1. de plus pet. ad finem* ita scriplit: *Ego puto, quod de æquitate Canonica, omnes contractus mundi sunt bonæ fidei.*

Verumtamen, etsi proferendi sententiam suam in re dubia, nemini facultas eripiatur, ego tamen articulum præsentem, dubium haud esse, atque ambiguum, existimo. Quare sit nostra conclusio: Jus Canonicum retinet contractuum antiquam 10
distinctionem, ut quidam sint bonæ fidei, quidam stricti Juris.

Explicatur conclusio. Bona fides in contractibus duos habere potest, quantum video significatus. Primò bona fides significat intentionem rectam, synceram, ac purum animum, ab omni dolo, fraude, versutia remotum, defæcatumque; hæc est illa bona fides, qua præscriptio vacare non debet, *cap. quoniam 2. de præscrip.* hęc illa, quæ non patitur, ut se el exactum, iterum exigatur, *reg. 82. de Reg. Jur. in 6.* Hæc illa, quę non excusat, cum Jus commune adversatur, *cap. 2. de præscrip. in 6.* Hæc itaque bona fides dicitur bona fides intentionis; et si in hoc sensu conclusio accipiatur rursus asserimus, perseverare etiam post canones distinctionem in contractus bonę fidei, & stricti Juris. II. bona fides, quæ contractus bonæ fidei a stricto Jure segregat, secernitque, magis ex parte Judicis, quam ex parte contrahentium consideratur, estque æquitas, quam, & epicheiam appellant, quæ & bonum, & ęquum dicitur, *L. consensu in fine ff. de ob. & act.* nam Judex nil potest arbitrari, ubi pro contractu stricti Juris actio fuerit intentata, neque enim venit in hac actione, nisi quod strictè exigit actionis natura. Quocirca non veniunt usuræ ex mora, nec ad eas Judex condemnare potest, *L. quia tantundem ff. de neg. gestis L. 3. C. de usur. L. 1. ff. de cond. ind.* At in contractibus

bonæ fidei Judex, non exacte libellum, nec verba contrahentium respiciet, nec petitam quantitatem, sed poterit arbitrari, & extendere, & interpetrari mentem contrahentium, & adjudicare actori ea etiam, de quibus nihil inter partes dictum sit, L. *Julianus* §. *ex vendito ff. de act. empt.* L. *mira* §. *in bona fidei ff. de usur.* L. *videamus* §. *actionem ff. eod.*

Sed neutro sensu sublatam esse distinctionem contractuum bonæ fidei, & stricti Juris; jam probatur.

Quod attinet ad bonam fidem intentionis, non ob hanc ipsam arguendum esse, omnes contractus esse bonæ fidei.

Probatur I. Nam etsi quandoque in contractibus bonæ fidei dolus, deceptioque interveni-
12 ret, non ideirco Jus Canonicum statuit, tales contractus bonę fidei esse desinere.

Ergo de Jure Canonico multo minus desinerent esse contractus stricti Juris, si ea natura esset contractuum stricti Juris, ut valerent, servarenturque incolumes, quamtumvis in eos irreperet pravitas animi, versutia, dolus, uno verbo malafides.

Antecedens ostenditur ex cap. cum dilecti de empt. ubi admittitur deceptio; emptio autem est bonæ fidei, §. *actionum autem Inst. de act.* consonat Textus in cap. cum causam de empt.

Probatur II. Nam & Matrimonium contractus est, *cap. præterea* 2. *de spons.* & Sacramentum, *Trident. sess.* 7. *de sacr. can.* 1. *sess.* 24. *cap. un. & can.* 1. *de spons. duor. cap.* 1. Atqui, etsi hic contractus sit Sacramentum, res sacra sit una procul deceptiones, & fraudes; tamen Jure constitutum est, validitati ejusdem fraudem circa qualitatem minime officere, *can.* 1. 29. *q.* 1. *cap. cum in Apostolicam de spons. cap. quemadmodum de Jur.*

Probatur III. Nam, & si quis blanditiis relligiosum habitum susceperit, perseverare in Relligione debet, en verba Textus *in can. constituit* 16. *q.* 7. *Hi verò, qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod ceperunt, perseverare coguntur.* Et quamquam hic Textus varie accipi possit, nam per vim ingressus Relligionem potest ab ea exire, *can. præsens* 20. *q.* 3. *cap.* 1. *de Regul. can. sunt qui Monasteria* 20. *q.* 1. *cap. illud autem de his, qui vi metusq.* Et Gonzales *in cap.* 1. *de his, qui vi, metusq. in fine n.* 12. Ita hunc Textum accipiat, ut suasio non extorserit voluntatem tonsurati absolute, sed secundum quid, interim tamen ex blanditiis, & *circumventione*, ut loquitur Textus, contractus hic spiritualis, qualis dicitur Relligio, non destruitur non concidit.

Quod attinet ad bonam fidem, ex parte Judicis considerari solitam.

Probatur, adhuc vigere distinctionem prædictam I. ex Textibus Juris Canonici expressis *in cap. cum venerabilis* 6. *verbo cum permutatio de excep.* ibi: *cum permutatio in contractibus bonæ fidei computetur*, *in cap. fin. de deposito* ibi: *Depositum est contractus, qui ex bona fide oritur*; Atqui hic loquendi modus, quem canones usurpant, significat, dari alium ordinem, classemque contractuum, qui sint stricti Juris. Etenim cum hęc duo genera contractuum sint correlativa, uno ex correlativis indicato, aliud ponatur, necesse est, *L. fin. C. de ind. vid. coll.* L. 1. *C. de Cupr.*

Probatur II. ex intima ratione, quam inculcat *Lalius Mancinus Genialium Cent. I. cap.* 23. Ab antiquis Reipublicæ moderatoribus intellectum est, quosdam contractus magis esse frequentes, & necessarios, alios minus ad negotia conducere. Contractibus frequentioribus formulas ex bona fide conceptas assignarunt, quibus etiam non exactè servatis, esset facultas Judici supplendi, §. *actionum Inst. de act.* Ceteris minus frequentibus strictiores formulas assignarunt quas egredi ne latum quidem unguem liceret; sed cur nam id è re fore, Prætor existimavit? Nimirum ita factum, ne commercia utiliora unius lapsu verbi interrumperentur, publiceque idcirco expediebat, ut ex bono, & ęquo magis judicarentur, quæ quotidie in hominum actionibus versarentur, L. 2. *& ibi Glossa ff. pro emptore* Quæ cum ita sint; hinc deduco distinctionem adhuc vigere inter contractus bonæ fidei, & stricti Juris; nam & de Jure Canonico prospicitur, ne commercia interrumpantur, *cap. cum dilecti de empt.*

Probatur III. Quia substantialis rei qualitas mutari non potest, sic ut res maneat salva, *L. pacta* 71. *ff. de contrah. stipul.* Cum verò substantialis actionum, & intrinseca qualitas censeatur, quod sint bonæ fidei, & stricti Juris, inferendum est, ex parte Judicis adhuc de Jure Canonico discrimen illud perseverare, nequę expressum est uspiam in Jure nostro, id revocatum fuisse, ergo adhuc viget, *cap.* 1. *de nov. oper. nunc.* ut arguit *Faber* 9. *error. Pragm. cent.* 4. *assert.* 32. *& cent.* 1. *Miscell.* 54. *Hunnius L.* 4. *Tract. P.* 2. *q.* 24.

Probatur IV. Quia major ratio non est, cur Jus nostrum complura alia, quæ stricti Juris sunt recipiat, non vero stricti Juris contractus. Quod vero alia plurima, quæ indubitate sunt stricti Iuris canones admittant, certo certius est. Admittunt strictè procedi in judiciario processu, *cap. cum Ecclesia* §. *verum de caus. poss. & propr.* Admittunt, filium familias non posse, de adventitiis bonis, quoad proprietatem testari, quod ex rigore Iuris Civilis pendet, *cap. licet de sepult. in* 6. Admittunt stricti Iuris esse juramentum, *cap. Clericus* 35. *de Jur.* admittunt idem in odiosis, *Regula odia de Reg. Jur in* 6. Et dubitabimus, recipere canones, hanc speciem contractuum stricti Iuris?

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

I. Objicitur Textus *in cap.* 1. *de locato*; nam 13
juxta literam secundæ collectionis *sub hoc T. cap. un.* qua utitur Gonzales, sic loquitur: *Quocirca nos, qui detestabiles versutias bonæ fidei con-*

tractibus

tractibus inimicas, *non solum in Clericis*; *sed etiam in quibuscumque mere storibus condemnamus*, ergo Pontifex declarat, iam versutias procul fore a contractibus, ergo bona fides semper exigitur.

Pro responsione, primo retorquetur argumentum, nam dum Pontifex assumit in suo ratiocinio partem distinctionis contractuum, aitque: *nos qui detestabiles versutias bona fidei contractibus inimicas*, ex vi correlativorum, sensu quodam tacito admittit aliam partem distinctionis de contractibus stricti Iuris. Deinceps respondetur, plane in specie illius Textus detestabilem esse versutiam, velle ante finitum locationis tempus expellere conductorem. Nam ibi agebatur, de quibusdam potentioribus adolescentibus qui studiorum causa se Bononiam contulerant, & promissa majori pensione dominis hospitiorum, curabant veteres conductores expelli. Hoc verò non solum improbatur Jure Canonico, sed & Iure Civili, *L. si quis domum in. p. ff. locati*, ergo nihil innovatur in hoc Textu.

II. Obiicitur Textus *in can. quisquis 12. q. 2.* his verbis: *Quod si calliditate usus fuerit irrita sit venditio*, ergo de Iure nostro calliditas causa est irriti contractus.

Respondetur, Textum intelligi de calliditate, ac dolo, qui causam dederit contractui bonæ fidei, & hæc deceptio irritat contractum huius generis, *L. 7. ff. de dolo malo*, nec eum confirmat præscriptio, *L. si fraude C. de præscript. longi temporis*. Quocirca cum idem obtineat, serveturque etiam secundum Ius Civile, neque ex hoc Textu ulla conficitur innovatio.

III. Obiicitur, quod notat *Carbalus in Tract. de dolo*, ubi hæc quæstio fuse, lateque examinatur. Fieri non potest, ut de Iure Canonico serveturL. *triticum ff. de V. ob.* ubi si quis triticum dare promiserit, & genus nunquam destinaverit, stipulatio nulla est nihil debetur. Anne id procedere potest secundum canones apud quos constitutissimum est, pacta violari non posse, *cap. 1. de pactis*? ergo stipulatioque stricti Iuris est suam naturam Iure nostro mutavit.

Non inficior, ex hoc Textu in L. *triticum* viros eximios ansam accepisse discriminis constituendi inter Ius Canonicum, & Civile; ita ut *Archidiaconus in can. sunt nonnulli* 1 *q.* 1. & *Antonius de Butr. in cap. ex parte de decim.* & *Alexander Sing. in L. ita stipulatus ff de V ob.* arbitrentur, quod incertitudo vitiet quidem de Jure Civili stipulationem, at ex æquitate canonica secus esse, quia res incerta arbitrio boni viri est declaranda, *arg. Textus in cap. tum tibi de testamentis*, ubi incerta voluntas ultima arbitrio Commissariorum declarari potest; ergo idem jus esse videtur in hac stipulationis incerta quantitate.

Ego vero antiquorum non audeo contemnere opiniones; has tamen adduci non possum, ut amplectar. Quod enim non minus de Iure canonum istæc incertitudo obsistat validitati stipulationis, ut clarescat, solvimus, necesse est, antynomiam, quam facit Textus *in d. L. triticum* cum alio Textu in *§. 1. Inst. de V. obl.* ubi Iustinianus ait, duplicem ex verborum obligatione actionem proficisci, condictionem certi si certa fit stipulatio, ex stipulatu si incerta sit ergo ex incerta stipulatione nascitur actio; ergo stipulatio incerta sustinetur contra decisionem Textus in *d. L. triticum*.

Conciliatur tanta dissensio, hoc distinctionis fœdere. Aut enim res quæ in stipulationem deducitur nullos certos fines habet, ut si quis fundum stipuletur non adiecto nomine, vinum aut triticum sine designatione mensuræ, & tunc non valet stipulatio; quo sensu accipitur *d. L. triticum* vox enim *triticum* nimis generica est. Aut è contrario rei natura finium designatione circumscripta est, ut homo, equus, bos, & similia; tunc stipulatio licet incerta sustinetur; atque ita quotquot opponi solent Textus, explicantur, *L. ubi autem §. qui illud ff. de V. ob. cum similibus, ita Vinnius in dicto §. 1. Inst. de V. ob.*

Jam ad rem nostram. Si verum est, cum nulli certi fines designantur in stipulatione, eamdem esse nullam; id quod etiam obtinet in pretio emptionis & venditionis, *§. pretium 1. Inst. de empt.* Imo generalis regula est incertitudinem omnem vitiare dispositionem, *L. dum sunt Titii 30. ff. de testam. §. incertis inst. T. de leg.* Non vereor asserere, eamdem incertitudinem redigere nullas dispositiones etiam secundum canones; nisi ageretur de re pia, veluti de causa alimentorum. Qua in re non dissentit Ius nostrum a Iure Civili; nam & secundum Leges favore alimentorum incertitudo dispositionem non vitiat *L. si cui ff de adem leg.* L. *Stichus ff. de Leg. 30.* & forsitan favore dotis L. *cum post. §. gener ff. de Iure dot.*

Quod vero etiam de Iure canonum incertitudo actum irritum reddat, et vitiet probat Textus *in cap. dilecti de lib. obl. Text. in cap. pervenit de cens.* quem expendit ad hoc *Hostiensis ib. n. 4.* & quod Legibus consonent canones, quoad stipulationes, patet ex Textu, quem vocat singularem Abbas *in cap. ex parte de confess. n. 16.* ex Textu inquam *in cap. quamquam de cens. in 6.*

IV. Obiicitur *Textus in cap. fin. de Transf.* ubi monetur Iudex semper in humaniorem partem declinare; si semper; ergo etiam cum agitur de contractibus.

Respondetur cum *Pichardo in §. actionum Inst. Tit. de act. q. 5. pag. 227.* in eo rationem tantum æquitatis habendam esse, ubi scriptum Ius non adversatur, ac contradicit; atque idem obtinet etiam de Iure Civili, *L. quod si Ephesi ff. de eo quod certo l.*

V. Obiicitur *Textus in cap. dilecti de Iud.* Ubi in actionibus non subtiliter; sed simpliciter, ac pure procedendum est.

Respondetur Textum intelligi de judiciis summariis,

maris, ut videre est apud omnes Interpretes; neque existimo necessarium verbis aliis claram hanc responsionem dilatare.

VI. Obiicitur Textus *in cap. cum Ecclesia de caus. possess. & proprietat.* ubi id venit in judicium secundum Canonicas Leges, super quo actio non fuit intentata; quid hoc est, nisi ex bona fide procedere? ergo omnia ad bonam fidem redacta.

Respondetur, quod imo litera Textus in §. *verum* contrarium ostendit; nam Innocentius III. hæc habet: *Cum in Iure Civili sit cautum, ut venire in judicium non solum de quo actum est, ut veniret, sed id non venit, &c.* & repugnat illarioni adversariorum Textus *in cap. cum dilectus 6. in fine de arbitr.*

VII. Obiicitur Textus *in cap. cum dilecti de donat.* qui est scopulus, in quem adversarii impegerunt. Ait Textus in contractu donationis plenam esse faciendam interpretationem. Contractus donationis de Iure Civili hoc non patitur; nam est stricti Iuris, *L. cum, qui ff. de don.* ergo Jure canonum erit bonæ fidei.

Respondet Gramaticus, in specie adducti Textus interpretationem benignam fieri ex natura contractus, eo quod intentio donantis conjecturam faciat liberalioris interpretationis. At hæc responsio, quis non videt? vim auget oppositionis. Si ille contractus est bonæ fidei, qui recipit laxiorem interpretationem; talis est donatio, ergo donatio erit bonæ fidei reddita. Laudetur Gonzalez, qui Textum ultra veros suos limites non extendit, aitque, eam donationem factam Ecclesiæ fuisse: hæc autem recipit amplam interpretationem. Interrogo tamen. Credimusne id esse quiddam novum, quiddam inventum a Jure nostro? Fallimur: idipsum servatur etiam secundum Leges, *L. Titia §. Seio ff. de aur. & arg. leg. L. annua §. Actia ff. de ann. leg.*

Instabis contra responsionem per Textum *in cap. ex parte de censibus* ubi etiam in legato pio minuenda est portio relicta.

Respondetur, hunc Textum non pugnare cum antecedenti. Nam procedit in Clericis, ut restringatur donatio, ne Ecclesiasticæ personæ lucris assuescant temporalibus inhiare. Secus est in donatione facta Ecclesiæ in universum.

VIII. Obiicitur Textus in cap. sæpè de rest. spol. ubi, solius æquitatis rationem haberi in judicando, præcipitur.

Respondetur cum supra citatis auctoribus nihil inde posse inferri. Nam, & Jure Civili rigori juris æquitas præfertur, *L. placuit 8. C. de iudic.* nec tamen Jure Civili sublatum est illud discrimen de quo disputatur.

IX. Obiicitur Textus *in cap. cum universorum 8. de rer. permut.* ibi: *simplicitati venia tribuitur*, ergo in contractibus res strictè minime considerantur.

Sed consideranti literam Textus, nihil hic quoque innovari, constabit. Agebatur de decepto in permutatione Beneficii cui parcendum esse decernitur; Quid hic novi statuitur? An non idem decretum est de Iure Civili *in §. hæc autem omnia Auth. de inste. & §. cautè in L. 2. ff. si quis in Ius vocatus in L. 2. §. ult. ff. de ed. in L. si quis ff. de Iurisd. om. Iud.*

X. Obiicitur Textus *in cap. per tuas §. nos itaque de don.* ibi: *nos itaque attendentes, quod Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere.*

Respondetur, male inferri, si dicatur, per illa verba distingui Ecclesiasticum Ius a Iure Civili; ut Jus Civile fraudibus opituletur. Nam et Ius Civile servare profitetur est æquitatem, *L. fraus, L. quod non ratione ff. de Legib.*

(f) Innominatus.

Quomodo transactio, ac permutatio, si nomen habent sint contractus innominati.

Duplicis generis sunt contractus innominati: quidam nomine prorsus carent: quidam demonstrationem appellationis certæ sortiti fuerunt, & sunt transactio, permutatio. Itaque innominati dicti sunt, non quod nomine careant, sed quod unius nominis negotium tantum non habeant, imò ad multa negotia unica appellatione pertineat, nulla data, vel prodita vulgari, vel singulari a lure pro negotio actione. Quo fit, ut præscriptis verbis actione agatur nonnunquam in transactione *L. si pro fun loC. de transf.* & eadem actione fruatur, non minus permutatio *L. rebus 16. C. de rer. perm.*

Sed gravis oritur difficultas, cur actio, quæ oritur ex contractu *do, ut des*, sit stricti Iuris *notant DD. in L. 1. ff. de rer. permut. Harprecht in §. actionum inst. de act. n. 87.* neque enim enumeratur a Iustiniano inter bonæ fidei actiones *in §. actionum inst. de act.* et tamen in eodem §. dicitur bonæ fidei actio descendens ex permutatione? An ergo non est idem permutatio & contractus *do, ut des*? Talis actio, qualis contractus; si ex permutatione oritur actio bonæ fidei, & non propria contractus innominati *do, ut des*, ergo perperam asservimus, permutationem censeri innominatum contractum.

Dedita opera hanc excitavi difficultatem; ut esset occasio exponendi differentiam inter contractum innominatum *do, ut des*, & permutationem. Potest subrogatio rei, pro re, duobus modis fieri. Primo potest permutari genus cum genere, aut genus cum specie. Secundo potest permutari certa, & individua species. Permutatio generis cum genere, aut generis cum specie, non est propriè permutatio; sed contractus innominatus *do, ut des* do aliquid in genere ferri, ut tu des aliquid in genere æris; in individuo quale es obligeris tradere, non decernimus. Hæc, quæ videtur permutatio, est contractus innominatus *do, ut des*, paritque actionem stricti Iuris nempe propriam innominati hujus contractus, *L. 1. ff. de præscript. V.* — Consideremus alio modo permutationem factam, cum species certa, & individua traditur pro alia specie certa, & 15

indivi-

individus; tunc permutatio est propriè dicta permutatio, quæ proinde definitur certæ speciei hinc inde facta præstatio, conventio Iuris gentium, conventio producens actionem propriam Iuris gentium, actionem bonæ fidei §. actionum Inst. de act. L. 1. C. de rer. permut. — Ratio, cur in permutatione propriè dicta, certæ species dandæ, & subrogandæ sint, illa est; quia permutatio propriè dicta emptioni comparatur, L. 1. ff. de contr. empt. L. permutationem C. de rer. perm. Atqui in emptione certa res, certumque esse oportet pretium, L. 1. ff. de contr. empt. §. 1. Inst. eod. ergo certæ species, & individuæ hinc inde in permutatione sunt tradendæ.

Hac superata difficultate, facilis erit cursus ad ea, quæ præsens exigit adnotatio, cur si transactio, ac permutatio, appositum, & elegans
16 nomen sortiti fuerunt a Legibus adhuc innominati contractus debeant appellari?

Victi hac difficultate Accursius, Bartolus, Hotomannus, Ferdinandus Mozius aliique relati a Pichardo in §. actionum q. 27. n. 41. de act. putarunt, permutationem absolute dicendam esse contractum nominatum.

Sed quis hisce viris possit assentiri? Cum expresse permutatio dicatur innominatis contractus L. 1. §. item emptio ff. de rer. perm. in L. naturalis S. ff. de præscr. verb. — Res igitur ita se habet, ut initio attigimus. Differt contractus nominatus ab innominato, non quia nominatus contractus nomen specificum habeat, non quia unius materia sit a reliquis diversa; sed quia Ius Civile contractum illum magis recepit, quem dicimus nominatum, eique ce tam attribuit, nominatamque actionem. Sed quosnam, contractus magis recepit? Utiliores frequentioresque magis recepit, quales sunt Iurisgentium contractus, & quoniam hi frequentiores erant in commerciis, agitatioresque in judicis, fac endum veteris Legislatores putarunt, ut illis actiones assignarent nominatas formataque ad illud tantummodo negotii genus, ne tales actiones, prout vellet populus intentaret atque institueret, L. 2. §. deinde ff. de orig. Iur. Quæ vero conventiones minus visitatæ fuissent, ob nullas actiones præcipue compositas, in generali conventionis nomine manserunt. Ita ex Hotomanno de pactis. & ad mentem ejusdem Pichardus ubi supra. Ergo, ut ad casum transactionis, & permutationis doctrinam hanc accomodemus; pro transactione, pro permutatione non fuit specialis actio composita, adeoque contractus sunt innominati.

(g) Transigi.

DISSERTATIO II.

In qua disputatur, an super rebus Ecclesiæ transigi possit.

Quod dicimus in nostro Titulo, de transac-
17 tione dispositum esse, ut super rebus Ecclesiæ transactio non admittatur; & repeto nunc, & conclusionis instar esse, volo.

Probatur I. Quia transactio est alienatio, L. non solum C. de præd. min. ubi minor nullo titulo potest alienare, nec titulo transactionis; Porro alienatio Clericis interdicta est, cap. nulli de reb. Eccl. ergo &c.

Sed ut recte procedat hoc argumentum, sic ipsum declaro. Transactio fiat super re Eccle- 18
siasticæ, veluti si fundus Ecclesiæ fuerit relictus, & Clericus post litem motam transegerit cum reo, & ex conventione fundum, aliqua summa pecuniæ accepta, reo reliquerit; hæc inquam transactio, utpote damnosa Ecclesiæ, nulla est, cum manifesta alienatio sit; Turricellus de reb. Eccl. non al. cap. 5. n. 9. Quocirca recte arguitur: transactio est alienatio; alienatio Clericis prohibita, ergo, & transactio.

Magis adhuc idipsum argumentum declaro; Nam procedit ratiocinium, cum per transactionem res aliqua deperditur; non enim est transactio gratuita, sed est litis vel præsentis, vel futuræ conventiva decisio, aliquo dato, retento, remisso vel promisso; L. 1. ff. de transf. L. de fideicommisso L. si super L. transactio C. eod. T.

Quod si potius per transactionem aliquid Ecclesiæ acquiratur hæc indubitate valet sine Superioris auctoritate, Axel de transact. n. 3. ex cap. 1. de pact. in 6. eodem namque pacto transigere potest administrator Civitatis, L. Præses C. de transf. vassallus de feudo cap. si vasallus feudum. §. si vasallus de ben. f. si de feud. contr. sit.

Probatur II. Quia super alimentis transigi non potest absque decreto Pretoris, L. cum hi ff. de transf. Fachinaus L. 3. Controv. cap. 21. Atqui Ecclesiæ bona sunt ad Clericorum alimoniam deputata can. Clerici 1. q. 1. cap. quæ res 2. de reb. Eccl. al. vel non ibi: egentium substantiam can. inter. 16. q. 5. ergo super rebus transactio minime admittitur Ecclesiæ damnosa, nisi accedat beneplacitum Apostolicum, Turricellus de reb. Eccl. non alien. cap. 26. n. 12.

Probatur III. ex cap. constitutus 4. ex cap. super eo de transf. ubi apparet, quod in causa spirituali transactio minime admittitur; cõsonat Textus in cap. pen. de in integr. rest. in cap. fin. de pactis in cap quantum de rer. permut. Nam transactio hujuscemodi speciem continet simoniæ. Quæ tamen procedunt, cum litigantes de præstatione, quam propriam transactionem esse, notum est, convenerunt inter se, notat Grananietus in cap. nisi essent 21. de præb. et dig. n. 3. qui præcitatos Textus expendit.

Probatur IV. ex cap. ex parte de transf. cum discordia, ut moris est, orta esset inter virum, & uxorem, atque hi conjuges natione Græci transactionem conciliassent, ita ut censeretur Matrimonium dissolutum, & quilibet alius nuptius sibi conjuleret; illicitam vocat Pontifex hanc transactionem. Verum est valere concordiam duorum, qui clandestinas nuptias contraxerint, ut deinceps verum contrahatur Matrimonium, cap. 2. de cland. despons. Sed, dum asserimus, in Matri-

monio

monio non dari transactionem, intelligimus, non dari transactionem, ad illud dissolvendum, sed dari transactionem, ad illud contrahendum. Atque hoc loco opportune incidit, ut enarremus decisionem elegantem felicis memoriæ *Auditoris Farsetti*, cujus filius *Andreas Illustriss. Dominus meus*, non degener quidem paternæ virtutis, atque prudentiæ, in Rota Florentina summa cum laude personam Auditoris sustinens, Iura exequitur quam decisionem transcripsit *Urceolus in Tract. de Transf.* in causa duorum, qui hoc pactum inierant, ut si quis uxorem duxisset, 20. aureos persolveret. Quidam ex his nuptias contraxit: disputatum acerrime, an deberentur illi aurei? Decisum fuit, non deberi, quia hæc conventio non ad contrahendum, sed ad distrahendum, impediendumque Matrimonium tendebat, ergo ut pote odiosa reiicitur, *L. neque C. de nupt. cap. gemma de spons.* quod magis confirmat distinctionem præadductam de transactione.

Probatur V. *ex cap. veniens de transf.* ubi proponitur frustrà in causa decimarum transigi, consonat Textus *in cap. exhibita de rer. perm.* sed etsi amicabilis compositio fiat super decimis, non sustinetur, nisi Pontificis interveniat authoritas notat Granametus *ex d. Textu in cap. veniens in comm. ad cap. nisi de prab. n.* 10.

Sed in hanc sententiam, quantum sufficit confirmatam, & expositam, non pauca videntur opponi posse.

I. Obiicitur Textus *in cap. de cetero 5. de transf.*
19 his verbis: *de cetero noveris, quod cum aliquis ad extraordinarium Judicem literis impetratis cum adversario suo componit* (& infra) *si compositio non est Iuri contraria, non est a loci Episcopo aliquatenus reprobanda*.

Pro resolutione hujus difficultatis, & faciliori hujus articuli intelligentia, distinguere oportet inter transactionem, & compositionem. Amicabilis compositio pro bono pacis facta, nullo dato, vel retento sustinetur etiam sine Superioris auctoritate, *Axel ad Tit. de transf. n.* 12.

Imo cum litigantes inter se de præstatione nihil tractarunt, etiam si compositio præstationem pariat, tamèn sustinetur, atque ita accipitur Textus *in d. cap. de catero* 5. Ratio est, quia tunc compositio speciem continet simoniæ, cum incipit ab ipsis partibus. Si vero, ut in dicto *cap. de catero* a Iudice proponatur, ab ipsoque fiat, tunc talis admittitur transactio, seu compositio etiam super Beneficio, prout etiam explicatur *Textus in cap. nisi de Preb. Gonz. in cap. praterea* 10. *n.* 8. *de transf. Granametus in d. cap. nisi n.* 2. Nec quidquã obstat quominus unus litigantium alteri etiam amicabiliter cedat, licet enim tunc videatur, obtineri Beneficium; & hoc obtineri nequeat sine institutione canonica, *cap. 1. de Reg. Iur. in 6.* Attamen observare oportet, quod gratuita illa cessio sive remissio, non quidem titulum dat, sed tantum efficit, ut is, qui movet litem renũciet tamquam Ius non habens, *Canisius in cap. constitutus 4. de transf. n.* 3.

II. Obiicitur Textus *in cap. dilectus 28. de sim.* ubi certam pecuniæ quantitatem ad componendam discordiam Archidiacono cuidam datam fuisse, constat; et tamen hæc compositio, seu transactio simoniaca non dicitur, ergo falsum asseritur, quod transactio aliquo dato, & accepto labem contineat simoniæ.

Respondetur quosdam esse titulos, qui a simonia excusant, qualis est etiam ille, de quo agitur in opposito Textu; nam ibi proponitur ad redimendam vexationem pecuniam fuisse traditam. Et planè ex eo Textu scitissime deducit *Canisius ubi supra*, quod si quis jus verum habet in Beneficio, & alteri injuste litiganti aliquid donaverit, ut liti cedat hoc illi permissum est, notat *Brutrius Archidiaconus Sarmientus ibid.*

III. Obiicitur Textus in *Clem. 2. de Jure patr.* Ubi Clemens V. in discordia duorum Patronorum voluit ipsis licere pacisci de præsentando alternis vicibus; hic vero tractatus est trãsactio, *cap. praterea de transf.* Et quod magis est, ait Textus, *libere*, idest sine Superioris auctoritate. Ergo cum Jus patronatus sit res Ecclesiastica, eadem hæc res non excludet transactionem.

Respondetur multis modis contingere posse trãsactionem in Beneficio. I. cum sponte unus ex liti-
gantibus cedit jus, quod habet in gratiam alterius; 20
tunc transactio sustinetur absque ulla Episcopi auctoritate, *Gonzales in cap. praterea 10. de transf. n.* 5. II. potest contingere transactio aliquo temporali jure retento veluti certa pẽsione; & tunc certũ est transactionem hanc a partibus incipere non posse, sed Episcopum posse ita litem dirimere, ut uni Beneficium litigiosum adiudicet, alteri pensionem ex eo, cap. nisi de Prębend. cap. cum venissent de rest. spol. id enim est officium Judicis, cum sunt litigantium jura obscura, *cap. auditis de colluf. det.* III. potest contingere transactio datis ad invicem rebus spiritualibus ut Beneficio pro Beneficio: & in hoc casu potest transactio a litigantibus exordiri, dum Episcopi auctoritas ad negotii consummationem intercedat. Jam vero hic tertius casus dissolvit oppositionem. Cum Patroni tractatum ineunt, ut presentatio sequatur alternis vicibus, aliqui spirituale invicem Patroni tradunt, nempe illud jus præsentandi, quod pene dixerim hinc inde distribuitur, vi tractatus, & ideo valet hæc transactio, quam interpretationem collegi *ex Barbosa in cap. constitutus de transf. ex Gibalino de simonia q. 2. conf. 15. ex Valcron de transf. Tit. 3. q. 6. n.* 51.

IV. Obiicitur. Transactio super decimis absque ullius auctoritate sustinetur, *cap. ex multiplici de decimis*: Atqui decimæ sunt quiddam non profanum, ut per se constat ergo transactio in rebus Ecclesiasticis admittitur.

Respondetur super decimis posse transigi, quotiescumque non transeunt extra Ecclesiam, sed inter Personas Ecclesiasticas remanent. Et generatim quotiès ex transactione cum Ecclesia facta a laico res de qua agitur, remanet apud Ecclesiam, valida est transactio, *Bartolus in L. nulli ff. de transf. Vivianus de Iur. Patron. P. 1. L. 2. cap.*

5. n.

3. *n.* 120. *pag.* 44.

Sed quod attinet ad auctoritatem Superioris distinguere oportet cum *Gonzales in cap. statuimus de transf.* Si transactio super decimis celebratur inter duas Ecclesias, solius Episcopi sufficit consensus, *cap. dilecti de decim. cap. statuimus de transf.* si vero tractatur de decimis, quę inposterum laico sint persolvendę, Pontificis desideratur assensus, *cap. veniens de transf. cap. venerabilis de conf. ut.*

Habes studiose Juris in hac dissertatione demonstratum, quod Titulus noster docet, de transactione dispositum esse, ut super rebus Ecclesiasticis transigi non possit, partim ob simoniæ labem, partim ob damnum, quo afficeretur Ecclesia, & ideo requiri solemnitates debitas docuit *Veral. decis.* 106. *n.* 1. *p.* 1. & *decis.* 318. *n.* 2. *p.* 2. & *recent. P.* 8. *decis.* 229. *n.* 5.

(*b*) *Probibitio.*

Quatenus permutatio permittatur.

Ecclesia res habet temporales, & res habet spirituales. Videamus, quatenus rerum hujusmodi permutatio honestè, ac valide possit contingere.

21 Si velit Ecclesia permutare prędium suum cum altero prædio, ut similis fieri possit subrogatio, requiritur causa, & solemnitas. Causa evidens utilitas, aut necessitas. Solemnitas beneplacitum Apostolicum, *Extrav. ambitiosa de reb. Eccl. non al.* quam & ad permutationem

22 tamquam speciem alienationis pertinere, censendum est *cap. ut super* §. *possessiones de reb. Eccl.* & ita *Probaeus Inst. can. L.* 2. *Tit.* 22. *n.* 2. docet, cujus nomen silentio præterire non possum, cum mihi modus ille scribendi vehementer arrideat; idemque jampridem docuit *Turricellus de reb. Eccl. non alien. cap.* 8. *n.* 53. his verbis: & *in permutatione rerum Ecclesiæ, in qua, & solemnitates recurruntur, & beneplacitum Apostolicum, ut in Romana Palatii relata per Ursellum d. conel. Leg.* 8. *n.* 88. licet adversetur *Choebier de perm. P.* 3 *cap.* 36. *per tot.*

Si velit Clericus permutare suum Beneficium cum alio Beneficio, auctor permutationis debet esse Episcopus, vel Pontifex; aloquin permutatio erit simoniaca, *cap. quæsitum de rer. perm.*

24 *cap. majoribus de prab.*

Ceterum sentiendum est cum *Lessio Tract. de Iust. & Iure L.* 2. *cap.* 35. *dub.* 4. *n.* 3. ejusmodi permutationem non esse proprie simoniacam, sed tantum generali ratione, & imitatione quadam; quasi illi, qui inconsulto Superiore permutant, cum periculo simoniæ exponantur, perinde sint puniendi, ac si veram commisissent simoniam, ut diserte exponit *Ripa in Tract. de simonia.*

Imo si permutare volentes tractatum inierint si contraxerint, etiam publico confecto instrumento, stipulationibus, atque promissionibus in-

25 tervenientibus, dummodo omnia tendant ad auctoritatem superioris requirendam, cujus videlicet ad arbitrium, & nutum omnia referant permutatur, permutatio simoniaca labe infecta non dicitur, ut Textus præcitatos moderatur *Choebier de permut. Benef. cap.* 22. *n.* 4.

At, inquies, quis Superior? Solus ne Pontifex?

Flaminius quidem Parisius *Tractatu de resignatione Beneficior. L.* 5. *q.* 6. *n.* 131. censet, Ordinarios non posse recipere Beneficiorum permutationes propter *Constitutionem* 42. *Pii V.* Hæc enim suspendit facultates Ordinariorum recipiendi resignationes, & permutationes Beneficiorum quousque data non esset forma, nec ejusmodi suspensio videtur esse sublata per aliam Constitutionem Pii V. 58. quæ incipit *Quanta Ecclesia.* 27

Sed verius est, nec suspensam, nec sublatam Ordinarii fuisse pristinam facultatem permutationibus auctoritatem præstandi. Nam in Constitutione Pii V. 58. quæ incipit *quanta Ecclesia, vers. ad hæc* expresse conceditur Ordinariis admittere Beneficiorum permutationes, ut notat *Garcias de Benef. P.* 11. *cap.* 4. *n.* 50. *Choebier de perm. cap.* 2. *n.* 5. Quocirca adhuc vigent antiqui canones, veluti Textus in *cap.* 1. *de reb. Eccl. al. vel non cap. quæsitum de rer. permut. in cap. un. de rer. permut. in* 6. *in Clem. un. eod. Tit.*

Si tandem spiritualia cum spiritualibus permutentur, nulla simoniæ labes, etsi pactum, etsi contractus intercesserit, probat *Gibalinus de simonia* 1. *p. q.* 13. *Gonzales in cap. exhibita dever. permut.* & evidenter colligitur ex *d. cap. exhibita* ubi Gregorius IX. ita loquitur: *cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur.* Ergo non spiritualium rerum improbata permutatio. Ergo jura Patronatus, jura funerandi poterunt permutari licite. Sed quia aliquid temporale admixtum habeat, quod precipue non raro respicitur, Superioris auctoritas exigitur, *Choebier de permutat. cap.* 26. *per tot.* 27

(*i*) *Instar rerum.*

DISSERTATIO III.

An res subjecta fideicommisso queant permutari.

Peregrinus *de fideicommissis art.* 40. *sub. n.* 4. comparat alienationem prohibitam in rebus Ecclesiæ permutationi in rebus fideicommisso subiectis, his verbis: *simile est in rebus Ecclesiæ alienari ex Lege prohibitis.* Quo circa hic locus opportunus est, ad clariorem, uberioremque explicationem nostri Tituli, hanc quæstionem examinandi: an res subjectę fideicommisso permutari possint. 28

Sed dicendum est, res subjectas fideicommisso non posse permutari, nisi in alias res utiliores. Ex qua assertione inferendum est, quod cum agitur de rebus Ecclesiæ permutandis, ut evidenter utilitati prospiciatur Ecclesiæ, Superioris auctoritas exposcatur, alias permutari non poterunt, 29

 ut su-

ut supra demonstravimus. Imo, & in rebus fideicommisso subiectis, monet idem Peregrinus, consultius fore decretum Judicis, cum causæ cognitione interponi, ad veritatem maioris utilitatis comprehendendam, ita *articul.* 40. *d. n.* 31. *& ibi Censalius in addition.* Imo quod sit necessarium, quod Princeps dispenset super subrogatione, & utili permutatione, docet *Mastrillus decis.* 121. *sub n.* 33. *Franc. decis.* 355. *n.* 6. Atque ego, necessariam esse Superioris auctoritatem, verius censeo, etiam in fideicommissis, cum res permutandæ sunt; nam seriò, matureque perspexi, quod Peregrinus, ac Censalius asserentes, non requiri ex necessitate Superioris auctoritatem, nituntur ea ratione, quia nec requiritur in rebus Ecclesiæ permutandis. Atqui hoc falsum esse, apparet ex supradictis *sub n.* 24. *& sequenti.*

39

Ex quibus elucet assertio nostra; quod potius res subiectę fideicommisso per se permutari non possint.

31 Probatur I. Quia permutatio est alienatio, *cap. nulli* §. *alienationis de reb. Eccl. al. vel non.* Atqui res subiectæ fideicommisso alienari nequeunt, L. *fin.* §. *sed quia nostra C. com. de Leg.* Hinc est, quod neque emptor harum rerum acquirit titulum habilem, ad præscribendum spatio longi temporis, L. *nullo C. de rei vind.* Et ad summum, si consisteret venditio, interim, tantum consisteret, & resolveretur per adventum conditionis, L. *sancimus*, §. *cum autem C. ad Tribell.* Quod verum est, cum hæres fideicommisso gravatur sub conditione, vel die incerta, idest, cum ita demum fideicommissum est solvendum, quando dies incertus adveniat, vel conditio existat; sic enim gravatus interim possessor est, & pleno iure Dominus, L. *generaliter*, §. *sub conditione*, *ff. qui*, *& a quibus*, L. *non ideo*, *ff. de rei vind.* L. 1. §. *si servi*, *ff. ad Syllan.* L. *si fur*, *ff. de usufr.* L. *post*, §. 1. *ff. fam. ercisc.* Vera enim dominia in pendenti stare nequeunt, L. *fin. ff. com. præd.* L. *si ex duobus* §. 1. *ff. de in diem addict.* Idcirco gravatus fideicommisso conditionali, vel in diem incertum, potest interim alienare, L. *servo legato* §. *si testator*, *ff. de Leg.* 1. L. *si hæres* §. 1. *ff. ad Tribell.* L. *fin.* §. *sin autem C. com. de L.* & idcirco interim emptor pretium persolvet, L. *habitationem*, §. 1. *ff. de pericul. & com.* L. *post perfectum*, C. *de evict.* At è contrario cum hæres ad certam diem gravatus est, interim alienare non potest, L. *quemadmodum C. de agricol. & cens.* L. 11. nec aliam rationem tradit *Peregrinus ubi supra n.* 5. nisi quia Lex prohibet, L. *nullo*, C. *de rei vind.* Quare sic gravatus si delictum commiserit, bona non cadunt in Fiscum, L. *Imperator ff. de fideic. lib.* ut ex hoc Textu infert Bartolus, aut ad summum res in Fiscum cadit, usque ad adventum diei fideicommissi, L. *Statius*, §. *Cornelio ff. de Jure Fisci* Ex quibus omnibus infero, absolutam alienationem rerum subiectarum fideicommisso non permitti, ergo nec permutationem.

Probatur II. ex *can. ultima voluntas* 13. *q.* 2. qui Textus inculcat, voluntatem ultimam *modis omnibus* esse servandam. Si modis omnibus, ergo reiicitur permutatio; testator enim relinquendo præcise sua bona, & onerando hæredem ad restitutionem, prohibere videtur, ne permutentur, argumento Textus in L. *Marcellus*, §. *rerquæ*, *ff. de petit. hæred. in L. sancimus* 7. C. *de reb. Eccl. al. vel. non.* Nec paret voluntati defuncti, qui rem alienat, expresso Textu in L. *filius familias*, §. *cum pater*, *ff. de Leg.* 1.

Probatur III. simulque pars ultima conclusionis illustratur. Nam verum est, in utiliores res posse contingere permutationem rerum fideicommisso obnoxiarum, veluti pecuniam in stabilia convertendo, expresso Textu in L. *item veniunt*, §. 1. *& seq. ff. de pet. hæred.* idque etiam in rebus Ecclesiasticis procedit, terrulæ possunt in rem utiliorem permutari, etiam irrequisito consensu Pontificis, *can. terrulas* 12. *q.* 2. ibi: *sine consilio fratrum.* Cui non obstat Textus in *cap. ut super* §. *possessiones de reb. Eccl. al.* ibi: *sanioris partis consilio ab assensu alienandi, seu commutandi*; nam hic loquitur Pontifex de rebus respectivè ad alias utiliores, consideratis tamquam minus utilibus, quo casu etiam beneplacitum Apostolicum necessarium est, quidquid contra censeat *Gonzalez in comm. ad d.* §. *possessiones*, quem non sequor, cum vere de res exigui valoris permutatio consistat in res pretiosiores, utilioresque, iad tradita *per Turricellum de reb. Eccl. non al. cap.* 15. §. 3. Sic etiam proceditur in dote; nam pecunia dotalis in aliam, si hoc expediat, commutari potest, L. *ita constante*, L. *seq.* L. *si ex lapidicinis*, *ff. de jur. dot.* itemque eam ob causam reddendi res utiliores, alienatio rei subiectæ fideicommisso permittitur, L. *& si sine virf & districte*, *ff. de min.* L. *verum*, §. *& si locupleti*, *ff. eod.* L. *Divus*, L. *non solum*, *ff. de pet. hær.* L. *Aristo*, L. *ait Prætor ff. de jure del.* L. *mulier* §. *sed etenim*, L. *ubi pure* §. *qui ff. ad Treb. Auth. si quas ruinas*, C. *de sacros. Eccl.*

SOLVUNTUR CONTRARIA.

I. Obstat Textus in L. *quidam* 25. §. *si quis ff. ad Tribell.* quem Textum expendit *Gammarus ad rubricam. de rer. perm.* ibi enim servus per fideicommissum relictus vendi potest. Porro venditionis nomine venit etiam permutatio, L. *sicut*, §. *venditionis*, *ff. quibus mod. pignus vel hypoth.* 32

Responderi potest, id procedere favore libertatis, ut patet ex ipso Textu, ibi: *libertate, favore sui.* Cum autem Textus loquatur de re subiecta fideicommisso universali; secus est in re subiecta fideicommisso particulari, L. *servum ff. de manum. & ibi Glossa*, L. *generaliter*, *ff. qui*, *& a quibus*, L. *servo Legato* §. 1. *ff. de Leg.* 1. *late Peregrinus ubi supra exponens* §. *finalem oppositi Textus n.* 38. *& seq.*

II. Obstat Textus in L. *Titius ff. ad Trebell.* ubi in-

ubi indistinctè hæres gravatus potest res fideicommisso subiectas distrahere.

Resp. observandum esse, quod cum heres, ut in d. Textu rogatur restituere, quidquid tempore ejus mortis superesset in hæreditate, ex tacita permissione testatoris alienare poterit, modò
33 tamen, prout novum Jus disponit *in Authentica rogatus*, C. *ad Trebel.* quartam nobicommissario servet. Fideicommissum ita relictum, ut restituatur quicquid superest, differt a fideicommisso universali simpliciter collato post mortem, L. *Imperator*, §. *fin. ff. de Leg.* 2. quia in hoc tacita non inest alienandi permissio. At in illo adest, quia videtur testator relinquere secundo hæredi tantum, quod supererit, *Censalius ad Peregrinum ib.* Neque enim sic alienans diminuisse videtur fideicommissum, ut loquitur Textus *in L. Imperator*, §. *fin. ff. de Leg.* 2. consonat Textus in L. *sed quod inde*, *ff. eod.*

III. Obstat Textus in L. *peto*, §. *prædium ff. de Leg.* 2. ubi expresse traditur, bona etiam sine utilitate fideicommissarii posse alienari.

Cui satisfaciendum est asserendo, quod pro ære alieno, pro debitis ipsius hæredis bona hæc alienari possunt; quia hæc est alienatio necessaria, ideoque extra pœnam, *cap. quæ propter de Reg. Jur. in* 6. Quod verum est, si alia bona non extent; et allegans venditionem fieri potuisse, id probare debet, fundata enim est intentio fideicommissarii vindicantis, & deducitur ex L. *filius familias*, §. *Divi*, *ff. de* L. 1. & *in L. pater filium ff. eod.*

III. Obstat Textus in L. *mulier*, §. *cum proponeretur*, *ff. ad Sen. Conf. Treb.* & *in Auth. res quæ*, C. *comm. de Leg.* ubi causa dotis fideicommissum minui potest.

Resp. verissimum esse, quod pro dote constituenda, vel restituenda bona fideicommisso subiecta alienari possunt, *Auth. de restit.* & *ea*, *quæ parit*, §. *moriente*, & §. *quamobrem*, L. *Titius*, *ff. ad Treb.* Nam in eversionem fideicommissi id non accidit, sed id patris voto congruit; nam de Jure pater tenetur filias dotare, *L. qui liberas*, *ff. de ritu Nupt.* L. *fin.* C. *de dot prom.* & licet expediat, servari ultimas voluntates, L. *vel negare*, *ff. quem. testamenta aperiant*; attamèn præponderat privato præjudicio fideicommissarii bonum publicum illud, ut Civitas sobole repleatur, L. 1. *ff. sol. matr.* & onus dotandi non est personale, sed reale, quod transit in bona, *L. si quis*, §. *item*, *ff. de lib. agnosc.* a quo non potest se pater eximere, *L. sicut C. de obl.* & *act.* Quod tamèn procedit in fideicommisso ascendenti, *Peregrinus artic.* 40. *n.* 37. nam secus est in fideicommisso transversali, quia transversalis transversalem fœminam dotare non tenetur, *Peregrinus artic.* 40. *n.* 49 & huc pertinent Textus in L. *si servum*, §. *dixit*, *ff. de acq. hær.* L. 4. §. *toties*, *ff. de damno infecto*, ex quibus infertur, Leges prædictas, cum id taceant, ad transversales non porrigi, & extendi.

(I) Contractum.

DISSERTATIO IV.

Quid sit cambium, & ad quod genus contractus redigatur?

Nescio, an ulla sit investigatio difficilior, quæque adeo Theologorum, aliorumque Jurisperitorum torqueat ingenia, veluti hæc de cambiis. Innumeri scripserunt, sed pauci tantum lucis attulerunt quantum rei cognoscendæ sufficiat, nam exercitatione ipsa, usque frequentissimum hoc negotiationis genus facilius percipitur. Quare diu, multumque cogitavi, an satius fuisset admonitioni parere Venusini Vatis, qui in Arte Poetica sic præcipit.

Et quæ desperat tractata nitescere posse relinquit.

Alia ex parte, an obliti sumus, quam Canonistarum propria sit isthæc cognitio, cum de cambiis & Pontificiæ Constitutiones, & Emin. Car- 34
dinalium declarationes variis temporibus emanarint? Et cum agitur de cambiis standum Juri Canonico, asserit *Raphael Turrius de Cambiis disp.* 1. *q.* 10. *n.* 12. *ex Hostiensi*, *aliisq.* An obliti sumus, non proinde despondendum animo, quod via gradiendum sit impeditissima, multisque obstructa difficultatibus; imo laudabiles esse, si qui magnis ausis exciderunt, quoties eorum consilia publicum bonum respiciebant? Audendum est igitur, nec parcendum labori.

Cambium, ut ab ipsa exordiar nominis notatione ἀπὸ τοῦ καμψαι graecè, esse videtur idem, quod permutatio, & inde illa vetera *campsi*, *campsum*, *apud Priscianum* L. 10. *cap.* 2. 35
qui fragmentum ex Ennio adducit *Leucatem campsant*, idest permutant. Hinc, & sæpe in Jure synonima sunt cambium, & permutatio, *cap. cum venerabilis de except.* & cambij verbo pro permutatione usæ sunt feudorum consuetudines *cap.* 1. §. *si quis Tit. quo tempore milit. cap.* 1. §. *cum autem Tit. si de invest. contr.* Nec enim tantum cum res pro re datur, & accipitur permutatio est, sed placuit, pecuniam quoque pro pecunia posse permutari, tametsi Paulus in L. 5. *ff. de præscr. pt. verb.* ubi omnem tractatum *ob rem dati* aggressus est, nullam huius nummariæ permutationis mentionem fecerit, nisi velimus asserere, sub genere *do*, *ut des*, eamdem contineri, ut ait *Leotardus de Usur. q.* 25. *n.* 3. Neque enim pecunia semper, ut rerum venalium pretium consideranda est; interdum quasi corpus quasi res, quasi merx, ac materia negotiationis accipitur. Hac de re non sit, qui dubitet; propterea quod, cur arbitramur posse legari usum fructum nummi, si pecunia non respicitur tamquam merx? Et tamèn legari posse, statuitur in L. *numismatum* 28. *ff. de usufr.* Quid significat Jurisconsultus in L. *sed si certos* 51 *ff. de leg.* 2. dum ait, legari posse nummos, non ut pecuniam, sed ut corpus? Ergo pecuniam, & permutari posse, traditur in L. *receptitia*, §. *pen.* & *ult.* C.

ult. C. *de non num. pecun.* traditur in L. *si cohortalis C. de cohortalibus*, *in L. Cornelia §. eadem ff. ad L. Corneliam de falsis*.

Quæ si mihi conceduntur, jam patefactus est aditus ad cambii definitionem. Quidnam igitur est cambium? Est permutatio pecuniæ cum pe-
36 cunia, aliquo dato, & accepto, quod collybus ex græca appellatione vocatur, & inde campsores vocantur etiam collybistæ; quare Zonaras in Concilio *Trullano. can. 76.* collybistę, ait, dicuntur, qui vendunt minuta æra pro alia pecunia, citatur a *Cujacio L. 10. observ. cap. 14. & Cicero Act. V in Verrem.* de collybo sic loquitur: *ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, pro spectatione, & collybo*.

Hanc definitionem tradunt *Gibalinus de usuris Tomo 2. L. 5. cap. 1. art. 5. n. 2. Marquardus de Jure mercatorum L. 2. cap. 12. pag. 315. Van Axel. ad Tit. decret. de usuris. Mantica de tacitis L. 25. Tit. 3. n. 14. Layman. Tomo 1. L. 3. Tract. IV. cap. 19. Conradus q. 99. suppos. 2. de contr. Bassaeus verbo cambium in Theol. Azorius P. 3. L. 10 de cambiis cap. 1. Navarrus in Manuali cap. 17. n. 294. Scaccia de commerc. §. 1. q. 4. n. 1. qui postea rejicit hanc sententiam*, quemadmodum Turrus de *camb. disp. 1. q. 3. n. 3.* qui multos citat hujus sententię fautores, *Toletus instr. sacerd. L. 5. cap. 50.*

Utque alios omittam, quorum est ingens copia agmen claudet D Thomas L. 2. *de Regim. Princ. cap. 14.* his verbis: *Numisma in campsorio, non propriè ord natur, ut sit mensura rerum venalium sed magis ad permutationes numismatis*. Hinc & in Legibus Bojariorum, *cap. 20. Tit. 8.* ibi: *commutatio, hoc est, quod cambium vocant*.

Veruntamen, si placeat, hoc permutationis genus, ad quam cambium redigitur, admixtum aliquid habere venditionis, in quam sententiam
37 inclinare videtur Raphael Turrius de cambiis *disp. 2.* qui sic definit cambium: *Est conventio ultro citroque obligatoria dandi, reddendique tantumdem, in genere diverso pecuniarum quæ consensu, re, & pretio, non sine temporis dilatione locorumque distantia perficitur*, equidem non repugno; nam & Cujacius vir eximius, *L. 10. observ. cap. 14.* sic loquitur: *Nummos vendit, qui pro nummis, quos dat permutanti alios, lucelli aliquid accipit, idest qui collybum accipit*; idemque habet in *L. si unus 27. ff. de pact.* Et novum non est in Iure nummos vendi, L. 1. C. *Theod. si quis solid. circul. exter.* & argenti venditores dicuntur in L. 32. *C. de cohort Princip.* Nec valdè laborandum censet Leotardus in *quæst. 23. de usur.* utrum appelles cambium permutationem, aut venditionem, aut contractum do, ut des; nam etsi contractus esset innominatus *do, ut des, sive do, ut facias*, ut censet *Marquardus de Jure mercat. L. 2. cap. 12.* attamèn pænitentiæ locum non esse, & fieri necessitatis, docet *Mantica de tacitis L. 1. Tit. 8. n. 19.* Et solum æstimari secundum canones, docet *Turrus de camb. disp. 1. q. 10. n. 12.*

Et pariter, si venditionem cambium affectas, non turbat in cambio locum non esse evictioni; nam 38
neque in omni venditione evictio necessaria censetur, L. *ex empto ff. de act. empti*. Nam contrahentes pacisci etiam possunt, ne venditor ad pretii restitutionem obligetur, L. *emptorem §. qui ff. de act. empti*. Certe, si cambium, ut venditionem concipias, facilius cambia nundinalia percipiuntur, ut infra videbimus.

(m] *Inter Presentes*.

De cambio inter præsentes.

Hactenus est explicata definitio, En a gene- 39
ralibus iam delabimur ad specialia; et primo agendum occurrit de cambio inter præsentes.

Cambium inter præsentes minutum, seu manuense dicitur, sitque græca fide, idest utrinque simul, ac semel diversi generis pecunia tradita 40
atque recepta, juxtà illud *Varronis da, & sume*; ergo in eodem loco, ac tempore aliquis mensario, & nummulario præbebit pecuniam cujusdam formæ, ac materiæ, ut permutetur cum alia diversæ formæ, ac materiæ, maior cum minori, pulchra cum deformi, usualis in hac Provincia cum usuali in alia Provincia, diciturque manuale hoc cambium, quia præsente utroque, & campsore, & campsario, in eodem loco de manu ad manum fit, statim tradita, statim reddita pecunia; et minutum quoque dicitur, propterea quod, ut plurimum minutiores pro maioribus nummis, aut e contra permutantur.

Sed quodnam lucrum mensario provenit ex hac 41
permutatione? Lucrum eius collybus dicitur;
Lucrum eius justissimum est. Vis rationem? Audi; 42
mensarius poterat eam pecuniam, quam reservavit ad permutationes similes faciendas, adhibere ad alias negotiationes; ergo si nunc lucratur collybum; lucratur ob damnum emergens, & lucrum cessans. Considerat *Gibalinus Tomo 2. L. 5. cap. 1. art. 2. de Us.* Mensarius, ut ad permutationum commodum pecuniam reservaret, debuit gravibus oneribus sese subducere. Onus est quærere diversæ impressionis numismata, onus custodire, numerare, famulos in idopus stipendiis affectos detinere. Mensarius exoluit, raram, antiquam, pulchram monetam, quod ipsum caram, æstimabilem eandem reddit. En cur lucrum ex tali permutatione justissimum mensarius reportet.

Tandem justitiam hujus cambii noverunt Romani ipsi veteres. Quid enim erant argentarii illi, de 43
quibus in L. *tabernas ff. de contr. empt. in L. Prætorem 4. ff. de ed.* Nimirum mensarii erant cambium minutum exercentes, notat *Cujacius L. 10. observ. cap. 14.* Et antiquissimum hoc genus cambii esse deducitur ex Aristophane in *Vespis*. Lysistratus namque sibi, & alteri in commune datam drachmam ut dividuam faceret, in macello piscium eam sex obolis permutavit.

Sed quia Paulus Jurisconsultus *in L. 9. ff. de* 44
edendo

edendo ibi: *quia nummularii, sicut argentarii rationes conficiunt*, discrimen inter nummularios, & argentarios videtur constituere; ut cambium minutum, & ille Textus rectius percipiatur, supponendum est, præcipuum quidem argentariis propriumque extitisse cambium, permutationemque nummorum facere, & inde collybum, quem *&* *aspra turam* dicebant, percipere. Illud tamen æquè verum est quod plura alia habebant officia; cum enim argentarii tractandarum in dies pecuniarum usu apprimè essent eruditi, æris argenti, auri, qualitates, pondus, potestatemque omnium optimè assecuti; ad ipsos tamquam peritissimos nummorum æstimatores variis in occasionibus pergebatur. Quænam istiusmodi occasiones? Eas dum numero, eadem opera varietatem officiorum, quæ ipsi subibant, explicavero. Numerationi omnium ferè pecuniarum intererant. Erat aliquis creditor rogatus dare pecuniam in mutuum? Mutuatarius malebat, sibi eamdem erogari è mensa argentariorum, quàm ex arca creditoris. & argentarius id in libris suis scribebat, quo consule data esset, atque accepta pecunia, *Cujacius d.* L. 10 *cap.* 14. Si deinde vendendum erat sub hasta, ante argentarios vendebatur; quod munus in auctionibus, ut facilius expedirent argentarii, servos habebant, qui nummos minutos acciperent ab emptoribus, qui idcirco nummularii dicebantur, seu coactores, eleganter Horatius.

Si Praeco parvum, aut vi fuit ipse coactor.
Mercedes sequerer.

Hic subsisto, alia munera his contentus omittens. Constat enim, cur Paulus nummularios ab argentariis distinguat; nam nummularii erant illi servi, qui colligebant pecunias, & pretia rerum in auctione divenditarum; argentarii erant Domini, argentarii mensis præerant, argentarii cambium inter præsentes exercebant, adeoque convincitur, id cambii genus nec ab ipsis Romanis fuisse reprobatum.

(n] Inter absentes

De cambio locali, sive per literas.

Satis de cambio minuto inter præsentes. Differendum nunc, de cambio inter absentes. Prima species est cambium per literas, quod etiam lo-
45 cale dicitur. In hoc cambio pecunia præsens commutatur, cum pecunia distante in alio loco. Campsor, ab eo, qui iter ad longinquam regionem facturus est, pecuniam recipit, ut eidem per correspondentem restituat tantumdem, traditque literas, quibus correspondenti, a peregrino, & advena oblatis, voti compos reddatur. Res hæc facile intelligitur. Multus, prolixusque non ero.

Solum hoc dico, campsori justum esse aliquid
46 collybi tradere. Justum, quia titulus adest translationis pecuniæ, & licet se ipsa non transferat campsor, tamen quasi transfert, cum omnia faciat, quæ trajectioni æquivalent, cum correspondentes comparaverit, cum tantum commodi campsario præstet, quantum, si reipsa transferret. Justum insuper, quia recipiens campsor pecuniam, in se suscipit periculum, & licet re vera non transferat, quasi transfert, quod industriæ adscribitur. Alios titulos expendunt Layman *Tomo* 1. L. 3. *Tract.* 4. *de camb. Bassaus verbo cambium n.* 10. *& seq.*

(o) Nundinale.

DISSERTATIO V.

De cambio nundinali, quod regulare dicitur, & liberum.

Primùm quidem, ad faciliorem mercaturæ, & peregrinationis usum cambium locale inventum fuit, postea in aegotiationem lucratoriam conversum est, ut notat *Lupus in cap. naviganti n.* 12. *de usur pag.* 137.

Sed quandonam hæc cœperit pecuniæ inter absentes negociatio, incertum admodum. Planè dubiis, obscurisque initiis, ad hanc amplitudinem nostri ævi devenit, utque accidit in fluminibus, quæ magna videmus, ipso enim aucta, & 47
tumefacta progressu, ex rivis tamèn parvulis suam originem non minus ducunt, quam occultant. Pariter quis primus ille fuerit industriæ rivulus, unde in tantum venerit incrementum cambium nundinale, ignoratur. Sed non improbabile, ut cum *Turrio* loquar *de camb. disp.* 1. *q.* 4. *n.* 2. tempore, quo Imperium translatum est ad Germanos, sæculo scilicet 12. suum initium habuisse. Baldus certè, qui floruit sæculo 14. *in consil.* 348. *L.* 1. *& consf.* 190. de cambio scripsit.

Sed iam de hoc cambio nundinali sermonem habiturus, nisi plura præmittam, quæ rei alioquin obscurissimæ lumen inferant, operam ludam, fausti exitus non consequentur; neque enim fieri poterit, ut hujus nummariæ artis latebras denudemus, ejusque arcana reseremus.

Quatuor quantum video, necessario sunt imprimis explicanda, nundinæ, genus nummi, qui adhibetur in nundinis, personæ quæ cambium constituunt, earumque numerus, & literæ, quæ scribuntur.

Quod spectat ad nundinas; paulo altius exordiar. Lugdunum Civitas est in Gallia Geltica, inter Germaniam, Galliam, Burgundiam, atque Italiam, Rhodano, & Arari confluentibus inclusa atque ob tantam loci opportunitatem nobilissimum totius Europæ facta est emporium. Hanc in Urbem quater in annos singulos ad nundinas copia ingens mercatorum confluebat. Nundinæ per 10. dies durabant; ne lapsu 10. dierum aliquid temporis intercideret, cum intra hoc tempus multa competant privilegia *L. un. C. de nund.* ideo, ut emptiones citius expedirentur, ipsa pretia rerum in marchis, idest massis auri, argentive infecti 8. unciarum pondere solvebantur, de quibus est etiam Textus Juris can. *in cap.*

cum

eum pridem de pact. Postea coeperunt non tanta copia merces Lugdunum transferri, quia multi conveniebant, ut solum exigerent, saepe ut solverent, vel ut verterent credita ad alios debitores, destinatæque interdum solutiones debiti ad has nundinas fuerunt. Usuque, & experientia innotuit, nihil magis expedire, quam debitum persolvi in nundinis Lugdunensibus, ubi major erat indigentia pecuniæ ad alias merces comparandas; ideoque cœpit usus cambiendi pecuniam, vertendique, in nundinis; cœpitque ad effectum cambii usus nundinarum. Carolus V. animadvertens id maximo emolumento esse Gallis anno 1537. persuasit Italiæ mercatoribus, ut transferrent similes nundinas Vesuntionem, & quia id protinus exequi cœperunt Genuenses, ideo hoc privilegium consensu quoque mercatorum obtinent, ut Consulis, & Consiliarii electio, qui Jus summum inter mercatores haberet f riarum, è Genuensibus esset, totæque nundinæ a Genuensibus penderent, *Turrius de camb. disp. 1. q. 4. n. 40.*

In Italia igitur quater in annos singulos nundinę Placentię celebrantur, & sunt nundinæ
50 omnium Sanctorum, quæ nunc dicuntur S. Caroli; nundinę apparitionis, quæ nunc dicuntur Purificationis; nundinæ Paschę, quæ nunc vocantur S. Marci; nundinæ Augusti, quę nunc dicuntur S. Joannis Baptistæ, *Mazzius in Tract. de camb. cap. 10. pag. 21.*

Cur verò ad permutandas solas pecunias ad cambia solum, nundinę instituantur, facile factu est explicare. Etenim, ut adversus Antonium
51 Merendam, disserit *Perius in negotiante in respons. 1. part. 1.* si conceditur pecuniæ usum ad tuendam humanam societatem, prospiciendumque vitæ commodis in universum esse pernecessarium; equidem eo ipso intelligimus, nullam excogitari potuisse faciliorem rationem consulendi publicę utilitati, quam nundinas pecuniarum instituendo. In his nundinis faciles, promptæque occurrunt opportunitates ingentem pecuniæ summam celeriter solvendi in locis etiam remotissimis, ut mandata solutionum ad varias Urbes destinentur, ut solutum facile recipiatur, ut pretia numismatum quarumcumque Urbium pro temporum diversitate, vel aucta, vel diminuta, vel permanentia noscantur. Ad nundinas conveniunt diversarum nationum mercatores, aut eorum agentes, neque opus est eò transferre pecuniam, sed est satis libros adducere, in quibus credita, versionesque notentur. In nundinis investigatur quæ pretia sint nummorum variis in Urbibus, & pretia ad mercaturam decernuntur, quominus hæc pendeant ab unius, paucorumque arbitrio, ac voluntate; nec verò omnes negotiatores ad has nundinas admittuntur, sed solum opulentiores, data idonea fidejussione habendi in omnes partes negotia. Qui autem præsunt nundinis, post tertiam diem pretia constituunt; atque hoc triduum impenditur in explorandis multis rebus, in explorandis pretiis aliarum Urbium, in explorando statu mercatorum, ne scilicet desint correspondentes. Durant nundinæ octo dies.

Finis nundinarum primarius fuit utilitas publica, secundarius honestum lucrum mercatorum.

Satis hæc de nundinis. Jam ad nummos, qui 52
in nundinis hisce adhibentur, sermo convertatur. Res mira; nullus in nundinis nummus; et tamen infinitus nummorum numerus in negotiationem nundinarum deducitur. At quomodo, inquies, id fieri potest? Audi. Ait *Turrius in Tract. de cambiis disp. 2. q. 1. n. 20.* bancharios centies centena aureorum millia in quibuslibet nundinis permutare, vix tamen tot afferre pecunias quæ ad expensas victus sufficiant. Illi igitur nummi qui in negociationem deducuntur, sunt *scuti de marca*. Nec verò contrahat quisquam
frontem suam, quasi ob barbarismum. Non a non 53
est vox *marca*, quamquam parum latina; de hac *in cap. non sine de arbitr.* Vox Germanica est, teste *Budæo*; hanc adhibet scriptor vitæ S. Hiduvigæ. Impensarum summa, ut a Procuratoribus compertum est, 30. Marcarum millia plus, minus collegit. Cæsarius Monachus Vallis S. Petri *de vita Engelberti L. 1. cap. 3. utrique tracenta marcha ex redditibus Episcopalibus sunt assignata.*

Numisma promiscuè, pro *scuto* sumitur, nam scuti in more positum fuit vetustissimis temporibus, ut in clypeis, & scutis militaribus imagines, atque insignia virorum illustrium effingerentur, *Plinius L. 35. cap. 3. hist.* eadem ratione cum numismata Regum impressam referant effigiem, scutorum appellationem pariter in ea transmiserunt. Nondum tamen exposui, quid sit id scuti genus de marca, tam usitatum in nundinis cambiorum. Paucis dicam; est nummus imaginarius, sola mente conceptus, in rerum natura non existens, sed ita mente conceptus, perinde
ac si existeret, diciturque de *marca*, sive de *im-* 54
pressione, non una scilicet impressione, sed varia, quã ob pretii renovationem in nundinis decreto Magistratus recipit. Hoc monetæ genus formam consilio inductum est, ut tantummodo esset imaginarium; nam si reipsa hi nummi reperirentur, in manus paucorum longo temporum decursu devenirent, monopoliis deinceps admodum essent obnoxii; nec tanta facilitas ad conservanda penes tam multos mercimonia reperiretur, notat *Mazzius de cambiis cap. 9.* Si quæritur, hujus nummi, scutive *de marca* quantum, aut quale sit pre-
tium, dico, duplex esse, unum invariabile, aliud 55
variabile; sic docet *Perius adversus Anton. Merendam P. 1. cap. 19. pag. 84.* Pretium hujus nummi invariabile est solidorum 67 *& denariorum* 4. ita Bernardus *Justinianus in tractatu de continuat. cambior. q. 1. n. 11. pag. 7.* Solidus in 12 denarios, ut *Mazzius de camb. cap. 9. pag. 19.* supputat, dividitur. Quocirca scuta centum unumque respondent scutis centum auri in aurum ut dicunt, *quinque impressionum*. Sed dum hoc dico, suppono, aliud esse monetæ genus, & monetę pariter sola mente conceptæ, qualis est, scutum *auri in aurum ex quinque impressionibus*.

Rem

Rem explicabo. Sciendum est, cambium quod ad nundinas attinet, aut esse feriarum, aut pla-
56 tearum. Cambium feriarum in nundinis celebratur, & dicitur cambium regulare. Cambium
57 plateale intelligi non potest, nisi declaretur, quid sit platea. Nomine plateæ intelligitur totum mercatorum corpus, qui in quadam civitate negotientur, quod corpus platea dicitur, eo quod in plateis ut plurimum negotia conficiuntur, notat *Mazzius in Tract. de camb. cap. 9. pag.*
58 20. Ergo cambium plateale illud erit, cum ex. g. cambium celebratur Genuæ, pro Civitate Romę idest pecunia est exolvenda Genuę, pro Civitate Roma, idest pro ea consequenda Romæ via cambii. Attenditur autem, quonam pretio cambia fiant tam Genuæ, quam Romæ, pro nundinis Sanctorū Placentiæ ex. g. et an cursus platearum is sit, ut Genuæ puta cambietur solidis 66. cum denariis 6. pro quolibet scuto marcarum, Romæ verò dentur scuti 99. auri de *quinque stampis* ad obtinenda scuta 100. marcarum, quod exemplum adducit *Turrius de camb. disp. 1. q. 4. n. 30.*

Hoc igitur nummi genus, ad cujus rationem in plateis cambiatur, dicitur scutum auri in au-
59 rum quinque impressionum, hoc est quinque locorum *Hispania Genua, Venetiarium, Florentia, Neapolis, Perius in negotiante P. 1. cap. 19. pag. 84.* in his enim locis utūtur mercatores moneta fictitia ad cujus rationem, valoréque scuta de marca deducuntur in negotiationem, *Mazzius de camb. cap. 8.* solvuntque alia moneta idest æquivalens scutorum auri in aurum, *Mazzius ib. Scaccia de commerc. §. 1. q. 5.* Tandem scutum auri in aurum valorem habet solidorum 66. octo denariorum, qui valor est invariabilis, quamquam pretium etiam cresceret ad eum modum, quo hęreditas in duodecim uncias semper dividitur, aut pinguis sit, aut tenuis, *Scaccia §. 9. discursu 1. n. 25.*

Faciendum putavi, ut in explicandis hisce nummis diligentiam adhiberem, nam bis non perce-
60 ptis, in summa cambiorum nundinalium ignoratione versaremur. Promisi me non jam video, explicandum esse, quotnam personæ ad cambium nundinale constituendum concurrant?

Sciendum itaque, quatuor opus esse personis, duabus in loco, ubi cambium fit, ea nimirum, quæ dat, illaque, quę recipit; duabus item aliis in loco, ad quem cambium directū noscitur; ex bis unus erit, ad quem debitor cambii literas cambii dirigit, mandatque, ut solvat debitum, & hic ille est, cui (utar hoc termino) tracta sit, idest mandatum solvendi recipit; & jure me-
61 rito dicitur tracta, quasi trahantur ex ejus arca nummi, notat *Just. de cont. camb. q. 1. n. 15. pag. 12.* alter erit ille, qui in eodem loco, ad quem cambium directum noscitur, a cre. itore auctoritatem nanciscitur, prædictam solutionem recipiendi, & dicitur ille, cui fit *remissa*. Sed quoniam quatuor hujuscemodi personæ non semper interveniunt; hinc non rarò contingit, ut
62 aliquis ex his, duas personas reprehesentet, & in literis mandetur, ut *solvat sibi ipsi.*

Quod tandem attinet ad literas cambiorum, solent in literis hisce apponi hæc verba *ad usum*; quidnam significant? Nimirum, ut correspon- 63
dens, adquem epistola directa fuit, solvat, prout in usu est ejus Civitatis, in qua idem reperitur, in usu nimirum differendi solutionem, aut ad octo, aut ad decem dies, ut interim pecuniam inveniat: epistolam namque acceptam ex se esse profitetur, spondetque, se soluturum, neque ante lapsum decem dierum ex. g. correspondens cogi 64
potest, *ita Justinianus de camb. q. 1. n. 17.* Quod si literæ haberent hōs terminos, ut *primum vides, a visa*, differri non potest solutio.

Satis hactenus immorati sumus in ipsis prę-ludiis, in explicatione videlicet quorundam terminorum; nec quisquam cambia nundinalia percipiet, his ingnoratis.

Dico igitur, cambium nundinale illud esse, quod nundinas respicit; et hisce modis celebrari potest.

Primo cum dantur ad cambium ex. g. Floren-
tiæ centum aurei, ut æquivalens recipiatur in nun- 65
dinis Placentiæ in totidem scutis de marca, prout eorum pretium erit designatum ibidem.

Secundo cum dantur in nundinis 100. aurei, ut in aliqua *platea* (iam dixi, quid sit platea) recipiantur eo pretio, quo in eorum reditu cambia supputantur.

Tertio cum dantur in nundinis 100. aurei, ut aliis in nundinis diversi loci, prout erit designatum pretium scutorum de marca, recuperentur. *Ita Mazzius de cambiis part. 2. cap 20.*

Hęc verò negotiatio innotescit correspondentibus per expeditionem, & per literas. Expeditio, etrusco sermone *spaccio*, denotat epistolam, in qua significantur uberrime negotia, & supputationes cambiorum, per quas mensarii certiores reddunt distinctè negotiorum quorumcumque 66
suos correspondentes, quibus commissiones necessarias imponunt; quę quidem in literis ad cambium fieri non possunt, ut pote quærunt brevissimæ. Hæc docet singula *Justinianus in Tract. de camb. q. 1. n. 1. pag. 3.*

(p) *Cum Recursu.*

De Cambio cum recursu.

Cambium cum recursu, subtilissimum, difficillimum, Bisantinum dictum, quia in ea urbe cæpit, ut ait *Mazzius de camb. P. 1. cap. 10.* 67
interdum Placentinum, ut ait *Gibalinus de usuris Tomo 2. cap. 1. art. 9. L. 5.* interdum recens cambium, ut vocatur a *Leotardo de usuris q. 26.* interdum cambium continuatum, ut appellatur *a Perio in negotiante P. 2. ultima epist. qua respondet Merenda n. 31. pag. 131.* Est a nobis ante omnia vel definiendum, vel describendum, ut, in quo sit positum, innotescat.

Est igitur cambium cum recursu nundinale cambium, cum eodem debitore renovatum, ab eodem creditore, diciturque recambium *a Scaccia de comm. §. 1. q. 4. n. 40.*

Hinc

Hinc eleganter *Perius in nuper citata ultima epistola* ait, cambium cum recursu, esse duo
68 cambia libera, sed continuata.

Atque ut hoc cambium, & definitio tradita quoad ejusfieri poterit, intelligatur, quomodo cœperit hoc cambium, explicabo. Cum eveniret, ut aliquando campsarius, idest debitor bona fide reciperet ad cambium 100. aureos ex. gr. pro
69 proximis futuris nundinis, eosque speraret, se facilè soluturum, cum haberet credita, bona, & socios, qui negociabantur in nundinis, quibus *tracta* ad solutionem dirigebatur; si vero literas acceptare recusarent, debitor non aliud consilium capere poterat, quam ad eumdem, a quo receperat pecuniam titulo câbii, recurrere, eumdem rogando, ut secum novum celebraret cambium, per quod novum cambium, extingueret primum, & ipse creditor daret sibi ipsi, solveretque sibi ipsi, quod non repugnare *supra* docuimus. Ab hac facti contingentia negociatores cautelam sumpserunt, ab initio quoque literas cambii sic efformandi, quibus in pactum ipsa recursi deducta appareat, in ipso cambio contrahendo, *Scaccia de commerc. §. 1. q. 5. n. 94. & n. 85. Mazzius de camb. part. 2. cap. 4.*

Modus autem tutissimus, atque admodum usi-
70 tatus est, ut recurratur ad creditorem, qui curam suscipiat expeditionis epistolam mittendi ad nundinas, aut literas cambii suo correspondenti, cum mandato perficiendi in nundinis scripturam, & remittendi, ob reditum cambium, rationes probè factas, subductas, & consolidatas. Quod omne efficiet creditor; alioquin, expeditione isthac omissa, nihil creditor in foro externo posset exigere, *Mazzius de camb. P. 2. cap. 4.*

Quod vero expeditionem ad nundinas faciendi literasq. mittendi in se susciperet debitor recambii neque usitatum est, & malè tutum, eò quod
71 debitor facillimè ad vitandas impensas, ad nundinas non mittit, quo casu vitiosum erit cambium, & contra Pii V. Constitutionem, quæ incipit *in eam*.

Dicat aliquis, quid opus est, ut debitor recurrat ad creditorem, ut novum, cambium conficiat? Ratio est, quia creditores solent obligare debi-
72 tores, ut acceptam pecuniam detineant saltem pro unis nundinis, *Mazzius de cambiis P. 2. cap. 4.* Cum igitur soleat in nundinis, earum tempore quivis creditor ad solutionem cogere debitores, per correspondentes, rationesque omnes consolidare, debitor ne conveniatur obstringaturque, utque liber sit, nullum remedium ei suppetit quam recambium cum creditore conficere, cui non expedit inutilem habere pecuniam.

Quocirca per scripturam in nundinis res agitur, & correspondens in libro quodam, qui magis ad manum est, duplicem personam gere-
73 re designat, solvitque sibi ipsi, primoque extincto cambio, aliud conficit secum ipse, ut optimè explicat *Perius in ultima responsione ad Merenda epistolam n. 19. pag. 128.* Et ideò in praxi semper pronunciatur, quoties de cambio hoc iterato peragitur, *ad meum*, sivè *ad eumdem*, & 74
significatur, quod debitor ex cambio, qui non est solutus in nundinis debitum, de quo in literis primi cambii, nisi ministerio, & ope novi cambii in nundinis contrahendi, dictum novum cambium inivit cum eodem mensario, cui ex præscripto earumdem literarum prioris cambii solutio facienda est, ita explicat *Turrius de camb. disput. 3. q. 1 per tot.*

(q] Quatenus licita.

DISSERTATIO VI.

In qua disputatur, an cambia inter præsentes, per literas, nundinalia, & cum recursu sint licita?

Sarmientus *L. 7. selectarum cap. 1.* ait avaritiam suis fraudibus uti, sub nomine cambii. Budæus *in adnot. ad L. ult. ff. de pignor.* ait sub
collybi nomine in cambiis, quiddam non dissi- 75
mile attentari. Paulus Comitolus, Antonius Merenda, Justinianus *in Tract. de camb.* ita adversus cambia cum recursu excandescunt, ut hæc turpissimas fœnoris sordes, invidiosissimam, impurissimamque nundinationem appellent.

Sed parcius quæso, parcius ad cambia protinus, & absolutè damnanda procedatur. Cambia sunt usurarum involucra, negamus; si ut Pontificia præscribit Constitutio, & declararunt, reseriò perpensa, Cardinales, contrahantur.

Quod quidem demonstrabitur, excurrendo per supra enumeratas eorum species.

Quod attinet ad cambium manuale; duo sunt, quibus hoc cambium illicitum videri possit; pri-
mo ratione ipsius permutationis pecuniæ, si cum 76
do ob collybum, quem percipere sit injustum. Atqui utrumque permitti, utrumque honestati consonum esse, probabitur. Permissum est pecuniam cum pecunia permutare, quia pecunia non semper pretiũ est aliarum rerum, sed corpus quoddam, sed species interdum meris consideratur. Cur enim legari potest ususfructus nummi, si pecunia non consideratur tamquam merx? Legari ita posse, ait Textus in L. *numismatum 28. ff. de usufr.* Quid significat Jurisconsultus in L. *sed si certos 51. ff. de Leg. 1.* dum ait, legari posse nummos, non ut pecuniam, sed ut corpus? Ergo pecunia permutationis est capax, si ut corpus, si ut merx considerari potest, L. *receptitia §. pen. & ult. C. de non num. pec. L. si cohortalis C. de cohortal. L. Lege Cornelia §. eadem ff ad L. Corneliam de falsis.*

Permissum est ulterius, ex hac permutatione pecuniæ collybum suscipere, & lucrari. Cum usura ex cursu temporis proveniat, L. *lecta 40. ff. de reb. cred.* cumque temporis intercapedo in hoc manuali cambio nulla sit, ergo hoc cambium incusari tamquam usurarium non potest. Ratio enim honestæ susceptionis collybi est titulus sumptuum, laborumque, quos campsor sustinet in redigenda, spectanda, numerandaque

pecu-

pecunia. Quod si fidejussori quidquid in premium tribuitur, lucrum justum a Pontifice dicitur *in cap. pervenit de fidejus.* cur aliquid in præmium mensariis non debeatur, qui in magnis Civitatibus perutiles sunt, *L. quod privilegium 8. ff. depositi*. Interim igitur in tuto positum est manuale cambium.

Nec ad rhombum facit, quod potest opponi, ex Textu in *L. si ita 42. ff. de fidejus.* ubi, si principalis obligatus est ad pecuniam dandam, fidejussor verò se obliget ad mercem, fidejussio non valet. Ergo, quia pecunia tamquam merx considerari non potest.

Resp. in eo Textu tractari de stipulatione, qua fidejussio perficitur. Stipulatio congruam exposcit responsionem; et quidem fidejussor in aliud acceptus non obligatur, *L. græcè §. si quis ff. de fid.* Cum verò de pecunia, cujus propria appellatio ad mensuram aliarum rerum, & pretium refertur fidejussor fuit interrogatus, planè impropria acceptione pecuniæ frustrà respondet. Ille de pecunia signata intellexit, hic verò aliter respondit; atqui in stipulatione, quæ stricti Juris est, proprio sensu respondere oportet, *L. ubi autem §. usque adeo ff. de V. ob.* & proprio sensu, pro merce pecunia non intelligitur, *L. cum autem in principio ff. de auro, & arg. leg.*

Nec refragatur ulterius Textus elegans in *L. cohortalis C. de cohortalibus Princip. L. 12.* ubi trapezzita esse miles non potest, ut omnis honor a contagione amoveatur; trapezzita est mensarius, ergò ejus exercitatio, nempe cambium improbatur.

Resp. tantum hoc significari ab Imperatoribus, non convenire militi merces vendere, ergasteriis adhærere, diversarumque rerum negotiationibus operam dare; non tamen in aliis trapezzitæ munus improbatur.

Et hæc satis de cambio manuali. Jam sermo fit de cambio nundinali.

Rursùs affirmo, cambium quoque nundinale
77 posse licite exerceri.

Probatur I. Fallitur, si quis nundinale cambium recentis memoriæ arbitratur: expendi potest Textus, undè antiquum locale cambium censet *Leotardus q. 22. n. 35. de usur. in L. si filius familias 16. ff. de Sen. Conf. Maced.* ubi, filius familias mandato patris pecuniam accepit, ut eam certis literis in Provincia alia restitueret. Quid hæ literæ? Instar earum, quas ad cambium nunc dicimus. Huc pertinet Textus in *L. si in Asia ff. depositi* in *L. qui Romæ ff. de V. ob.* Ergo, & olim cambium nundinale permittebatur.

Probatur II. Quia non omnis numeratio pecuniæ mutuum facit, sed ea, quæ datur, ut fiat accipientis, *L. 19. ff. de reb. cred. L. 3. §. non satis ff. de obl. & act.* At in cambio locali pecunia datur, ut non fit accipientis; sed ut alibi refundatur, ergo, si initium contractuum spectari debet, *L. 8. in princ. ff. mandati*, hoc cambium a mutuo remotum est; mutuum verò est usurarum fundamentum.

Probatur III. Quia honestas collybi ex hoc cambio provenientis protinus elucet; percipitur enim collybus non titulo mutui, sed pro labore, pro sumptibus, periculisque, quæ in traiicienda pecunia sustinentur, ergo hoc lucrum honestum est, *L. si in Asia ff. de positi*.

Neque obstat Textus difficilis *in cap. naviganti de usur.* ubi, si quis ob pecuniæ trajectionem, velit aliquem collybum titulo periculi lu- 78
crari, usurarius est. Ergo ex hujus Textus sententia cambium locale improbatur.

Resp. ex verbis ejusdem Textus: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod susceptit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Ergo hic Textus agit de mutuo; simul cum mutuo de collybo convenire, etiam ratione periculi, usura est; qua ratione? Quia adstringitur debitor periculum, quod ipse debitor poterat in se suscipere, creditori relinquere, ut creditor lucretur, quæ obligatio pretio est æstimabilis, ergo aliquid ultra mutuum a debitore creditor exigit, ac proinde usurarius censendus. Ita interpetratur hunc Textum *Gibalinus Tract. de usur. Tomo 1. L. 2. cap. 4.*

Plures oppositiones in hoc locale cambium adducit *Scorsia Theorem. 285.* sed supponunt casum in quo literæ reipsa ad locum non mittantur, sed fingantur mitti, quo casu locale cambium siccum dicitur, utpote carens humore justitiæ, & fructus, instar terræ, quam pluvia perrarò admodum irriget, parere, ac progerminare non potest, & hujus generis cambia damnatur a Pio V. *in Bulla in eam* his verbis: *damnamus ea* 79
omnia cambia, quæ sicca dicuntur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu alia loca cambia celebrare simulent.

Remanet cambium cum recursu. Est Euripus 80
fretum illud angustum inter Aulidem Boetiæ portum, & Eubœam Insulam, quod unius diei, & noctis spatio septies recurrit rapidè fluens, refluensque. Causas hujus reciprocantis motus, alternique cursus, fluctibus invicem versis, cum reperire nunquam potuerit Aristoteles, mærore confectus, obiisse fertur. Simile dici potest Euripo cambium cum recursu. Idem cambium ad nundinas properat, recurritque in ipsum campsorem veluti projectum, (utar enim altera similitudine *Raphaelis Turrii disput. 3. in p. de camb.*) quod sursùm vi impressa ferebatur, ea deficiente deficit, & in puncto reflexionis quiescit. Et ideò non minus, quam fluxus, refluxusque maris sollicitavit ingenia hoc cambium, Scriptorum acuit industriam, ut inveniatur an licite ex ipso lucrum comparetur.

Ego verò cambium hoc iteratum, geminatumque, in quo creditor soluit sibi ipsi, cambitque in se ipso, aut in quo debitor sibi ipsi soluit, ut *Scaccia* exponit *de commerc. §. 1. q. 5. n. 83.* reprehendendum, non censeo, ut quidam faciunt, tamquam injustum, inhonestum,

illicitum, usurarium.

Probatur I. Quia Urbanus VIII. *die 27. septembris anno 1631.* mandavit, ut Em. Cardinales declararent, an licitum esset illud cambium in quo veluti per reflexionem, remittitur a nundinis creditum ad creditorem pristinum, & declaratum fuit, *licite id cambium practicari*, si omnia requisita ad actum intervenerint, nec quidquam agatur simulatè, quam declarationem exaggerat *Raphael Turrius disp. 3. de camb. q. 1. in fine.*

71 Probatur II. Nam Pius V. in Brevi Bononiensibus exarato, concedit iisdem, ut cambium renovent, donec a debitoribus sit satisfactum, quod est cambium, & recambium; et sacra Congregatio consulta ab Archiepiscopo Panormitano anno 1584. utrum cambium cum recursu fuisset a Pio V. prohibitum, his verbis censuit: *Congregatio S. D. N. censuit, hujusmodi cambium literis Pii V. felicis recordationis minime comprehendi*, ut refert *Salonius in q. 4. de camb. art. 2. contr. 2. & hinc citat Petrus in epistola ultima, quæ respondet Merenda n. 3. pag. 224 Raphael Turrius disput. 3. q. 5. n. 23.* quam, asserit, candidissimis lapillis esse signandam.

Probatur III. Nam quidnam absurdi reperitur in cambio, cum recursu? An quia vera pecunia, sc tangibilis non intervenìat? An quia idem duplicem personam gerat? Hæc, a juris ratione non dissident. Esto res agatur in cambio cum recursu, per imaginariam pecuniam, hoc absurdum non est; neque enim cum de cambio loquimur, agitur de aliquo contractu, ad cujus substantiam rei præsentis existentia exposcitur, ut in commodato, & precario, *L. res 8. ff. commod.* sed hoc sufficit, ut actio quæratur, *L. ait enim 6. alterum ff. de oblig. & act.* Hæc vero an non quæritur etiam ex hæreditatibus, licèt sint incorporeæ? *L. 2. §. non solum ff. de hered. vel act. vend.* Esto deinde correspondens existens in nundinis, modò gerat unius, modò alterius personam. Hoc quoque recipit, admittitque Juris ratio. An non institor duplicem gerit personam in specie Textus in *L. habebat 13. ff. de inst. act.* An non & mandatarius, *L. si negotia 31. ff. mand.*

Probatur IV. Quia in cambio cum recursu id solum agitur, ut campsor ob recursum ad se factum a debitore, solutum primum cambium velit, sola adnotatione in libris sui responsalis existentis in nundinis, utque hæc adnotatio pro solution sit, primumque cambium remaneat extinctum. Interrogo, ecquid reprehendi potest in hoc negotio? Si primum cambium quadam deductione, versione, novatione, compensatione extinguitur, an non, & Leges, hujusce modi modos approbant debita perimendi? Deductione, seu versione extingui debitum, testatur Jurisconsf. *in L. amplius ff. rem ratam haberi*; novatione pariter *in L. solutum, §. solutam, ff. de pigner. act.* Solutionis verbum ad omnem liberationem pertinet, *L. 4. §. fe visse, ff. de re jud. L. si prior, ff. qui potiores*

Probatur V. Quia, ne hoc quidem repugnat ut campsor sibi ipsi solvat, a se ipso exigat, vel alter, pro illo. A se ipso exigere potest negotiorum gestor, *L. si pupillis §. ult. ff. de neg. gest. L. quod sive ff. eod.* Finge, tutorem esse creditorem pupilli, is a se exigere potest, *L. quoties §. sientis ff. de adm. tut.*

Tandem, & consuetudo est per totum fere orbem hec cambia exercendi, quam reprobatam esse, non constat, Pontificio decreto; Præsules autem qui sedent ad gubernacula Orbis Christiani, qui vitiis, criminibusque extirpandis invigilant, non portolerassent tam multis in regionibus, tantoque in numero mercatores hoc genus negotii agitare, argumento Textus *in cap. novit de jud.* ut arguit *Raphael. Turrius ubi supra.*

Atque his argumentis rectè perpensis difficultates evanescunt, quibus adducti non pauci mordicus tuentur, cambium cum recusu animabus esse exitiale.

I. Opponitur, in cambio cum recursu primam pecuniam primi cambii deservire etiam secundo cambio, quod est absurdum, minimeque ferendum, propterea quod nemo secum eamdem pecuniam permutat, *L. 16. ff. de contr. empt. L. si mandavero §. si hi ff. mandati.*

Resp. mutata causa petendi, mutari quoque rem ipsam, ut habet Jurisc. in *L. & an eadem ff. de except. rei jud.* Jam quantitas quidem pecuniæ eadem est deserviens pro cambio, & recambio, diversitas tamen formę reperitur, quę pecuniam ipsam videtur mutare ob diversas obligationes, quibus ipsa quantitas debetur. Nihil enim impedit; debitorem, qui *tractam* recepit ex primo cambio, adeundo ipsum campsorem, per novum cambium sibi imputare in causam pretii hoc novum cambium, & sic novando obligationem, eamdem pecuniam rursus recipere ad cambium; in quo demum positum est cambium cum recursu. Nec propterea absre per delegationem crediti, & debiti mutari rem, scribit Jurisconsultus in *L. proponebatur 76. ff. de jud.* & quiddam simile colligitur ex *L. si servitutes 14. §. si stillicidium, ff. de servit. urb. præd. ex L. si grege, ff. de leg. 1.*

II. Opponitur Bulla Pii V. quæ incipit *in eam*, cujus verba sunt: *abusu illo prorsus rejecto, cambia pro secundis, & tertiis nundinis exercendi.* An non recambium fit pro secundis nundinis in cambio cum recursu? Ergo est illicitum.

Resp. intelligi Pium Pontificem eo in sensu, vel cum cambii dissolutio differtur lucri majoris intuitu, vel cum nundinæ simulantur, atque in his nullum geitum est negotium, ita *Raphael Turrius in vindicat. V. adversus Leotardum*, qui alias difficultates, sed leviores ex fundamentis, quæ supra jecimus, egregiè dissolvit.

(r) *Decretum.*

Regulares ad cambium accipere non possunt.

Quod

Quod Regulares ad cambium accipere non possint, statutum est in decreto Urbani VIII. teno-
83 ris subsequentis.

Cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis, compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum hujusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; cumque ex hujusmodi contractibus eludatur mens sacra Congregationis, cui imprimis in votis consulere Regularium indemnitati, qui ex impositione censuum hujusmodi plurimum læduntur, S. D. N. approbante, decrevit, ac declaravit, hujusmodi contractus esse contra formam decreti, ut supra editi, ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere; ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere, 21. Martis 1626. notat etiam *Ventriglia Tomo 1. annot. 1. §. 4. n. 1.*

[*f*] *In notis*.

DISSERTATIO VII.

An Clericus possit ad lucrum cambio exponere pecuniam suam?

Experiamur, an theoricè tractari possit ea con-
84 troversia quam vel attingunt, vel pleno calamo examinant ex Pragmaticis non pauci: utrum videlicet Clericus cambio exponere possit pecuniam suam, & inde lucrum comparare.

Scripserunt hac de re Cardinalis *de Luca de cambiis discurs. 18. n. 2. Scarcia de commerciis §. 1. q. 7. P. 2. ampl. 11. n. 6. Raphael. Turrius in disp. 1. q. 14. n. 2. de camb. Stracca de mercat. 1. part. n. 26. de Luca in adnot. ad Concil. Trid. discursu 19. Gonzales in cap. secundum 6. ne Clerici, vel Monach. n. 7. ubi alios citat.*

Ego igitur in hac celebri controversia forensi
85 verum censeo, & canone inspecto subsistere quod Clerici possint cambio exponere pecuniam suam per interpositam aliam personam, contracta quadam societate cum illa. quam sententiam his verbis docet de Luca de camb. *d. discursu 18. licitum est Clerico cambio exponere pecuniam suam mediante aliquo laico*, & Gonzales in *d. cap. secundum hæc habet* Nam ait Clericum posse negotiari per alium habentem rationem causæ principalis: *veluti si campsori dederit Clericus pecuniam, ut societatem ineat mercatore conferente totam operam, Clerico autem pecuniam adhibente, ut contra Molinam, & Gutierez resolvit Theophilus Rainaud. in distept. de Religios. negot. fol. 124.*

Probatur I. Quia concedunt omnes, & usus quotidianus satis edocet, posse Clericos suam pecuniam ad censum dare. Ergo poterunt non minus ad cambium dare. Argumentum, si animo attento sis, non parùm urget. Etenim in censu magis est accessio certa, salva sorte, quam in cambio, in quo sors diminutionem pati potest. Si census est licitus, ergo, & cambium, ut arguit de Luca *ubi supra disc. 18.*

Probatur II. *ex Clem. Diœcesanis de vita, & honest. Cler. ibi: officium publicè, & personaliter exercentes.* Ex quo Textu evidens est, impunitum Clericum non abire, si personaliter lucris ex negotiatione parandis incumbat; ergo extra pœnam est, si per alium, incolumi Clericalis status honestate, negotietur; quam illationem deducit *Menochius de arbitr. casu 412. n. 6.* Confirmaturque ex *Clem. 1. §. porro de stat. Mon.* ubi Monachi si non possunt venari per se, possunt venari per alios. Illa autem Clementina, esto ita *a Glossa* accipiatur, ut nihilominus Clerici per alium negotiantes rei sint peccati gravis, cui tamen assensum negat *Gaietanus relatus a Stephano a S. Gregorio in Tract. de contr. L. 2. cap. 37. n. 6.* hoc tamèn admisso cum distinctione, nimirum de Clericis constitutis in sacris, secus de Clericis constitutis in minoribus, *Stephanus a S. Gregor. ibid.* qui nec culpam incurrunt negotiantes per alium; nihilominus si alius ille, qui adhibetur a Clerico in negotiatione, non sit minister simplex Clerici, sed potius rationem habeat causæ principalis, ipsa Clementina sensu quodam tacito videtur significare, quòd neque peccet Clericus per alium exercens negotia; supponit enim, quod licèt Clericus per alium negotietur, & occultè negotietur, attamèn, Clericus ille sit, cujus imprimis geratur negotium; si ergò societas contracta quadam sit, mercatore conferente totam operam, & honesta erit negotiatio, & honestum lucrum, cum non sit in hoc casu unicè Clericus, cujus imprimis geratur negotium; & ideo in foro conscientiæ Clericum hunc tutum esse, docet *Lessius cap. 21. n. 6 Molina disp. 341. §. utrum, Genuensis in praxi 62. n. 6. Salzedo ad Diaz in praxi cap. 58. §. sed utrum, Navarrus cap. 25. n. 3. Thesaurus de pœnis verbo negotiatio*, & in foro Poli tutum esse, ait *Stephanus a S. Gregor. L. 2. cap. 37. n. 8.*

Probatur III. Quia quoties per alium res agitur, quemadmodum in præcedenti argumento explicatum est, cessant rationes, quibus adducti canones severè negotiationem interdixerunt; cessat ratio Textus in *cap. sed nec ne Clerici, vel Monachi*. Ibi enim: *sæculariter agit*, ne agat Clericus sæculariter, abstinere debet a negotiis. At cum per alium habentem rationem causæ principalis negotium expeditur, sæculariter non agitur; quia id non apparet, cessat omne scandalum, nomen Clerici in obscuro est, & ideo cessat prohibitio expresso Textu *in cap. Sacerdotibus 2. ne Clerici, vel Mon.* cessat quoque alia ratio, cum idcirco sit negotiatio prohibita, ne Clericus officio neglecto, fluctibus sæculi se immergat, *d. cap. sed Clericali ne nec 4. ne Cler. vel Mon. can. consequens dist. 88.* At cum per alium negotiatio peragitur, Clericus ab Ecclesia, a Divinis officiis, a curis rerum spiritualium minimè avocatur, quippè, contracta societate, cura omnis socio incumbit, ergo per alium negotiatio interdicta non est, quod ostendo evidenter; nam etiam

tutor esse Clericus prohibetur ea ratione, ne ab altari avocetur, *cap. neque dist.* 80. per alium tamen tutela non adeo prohibita est; quin imo Episcopus etiam per alium tutelæ officio fungi potest, *can. Episcopus* 7. *dist.* 88. Cessat alia ratio, quòd nempe genius lucrandi abhorreat a Clericali instituto, *can. Clerici* 14. *q.* 4. *can. quoniam ead. c. & q.* Id verum est si quid scandali oriatur, si Di ina officia cessent, si curam rerum spiritualium lucri aviditas obruat, & absorbeat. At cum lucrum est justum, quale, illud cambii, cum totam curam mercator in se suscipit, nil proponitur, cur lucrum adipisci Clerico non liceat, non enim postponitur servitium Ecclesiæ, quod præcipuè canones respexerunt, *can. Eleutherius dist.* 91. ibi: *postposito Ecclesiæ servitio, vacare negotiis;* non agitur de injusto lucro, a quo suis Constitutionibus Legislatores sacri removere Clericos intenderunt. Quod ostendo; nam omnem mercaturam Christianis videntur prohibere, *can. eiciens dist.* 88. ibi: *quia homo mercator vix, aut nunquam potest placere Deo*, ut severiori, strictiorique prohibitione periculum evitetur usurarum; *can. quid est aliud dist.* 88. non quia revera omnis prohibita sit mercatura. Ita & canones omnem prohibent Clericis negotiationem, non tamèn quia omnis sit interdicta negotiatio. Ecce, quis dixerit, prohibitum idcircò esse artificiolo vitam propagare? Id permittunt tamèn canones, *can. Clericus dist.* 91. ibi: *Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo paret; can. Presbyter ib.* idem asseritur. Satis est, ut non contaminant idcircò curam rerum spiritualium, atque id per modos licitos usurpetur, *can. Clerici dist.* 91. consonat Textus in *cap. Presbyter de cel. miss. in cap.* 8. *&* 14. *de hom.* Concilium Coloniense anno 1536. *can.* 3. ibi: *Quibus non suppetit ex Sacerdotio, honesto artificiolo victum quærunt, secuti D. Pauli exemplum*.

Probatur IV. *ex L. omnes* 2. *C. de Episcop. & Clericis* ibi: *at id, quod ex eorumdem ergasteriis, vel tabernis conquiri potuerit collectum, id religionis existiment lucrum; verum etiam hominibus eorumdem, qui in mercimoniis operam habent, &c.* En Textum, qui casum proponit Clericorum, qui ergasteria, & tabernas habent, in his tamèn non adsunt; sed per alium negotia exercent, nec tamèn lucrum improbatur. Hunc Textum non procedere ex mente canonum, ait *Turrecremata ex can. nulli dist.* 44. ubi contrarium omnino habetur; sed verius hunc Textum accipit Granavietus *in cap. Clerici* 15. *de vita, & hon. Cler. n.* 6. ut possit Clericus etiam secundum canones per alios negociari, qui causæ rationem habeant, ita etiam *Acunna in p. decreti parte in d. can. nulli* 44. *dist. Dominicus in cap.* 1. *de vit. & honest. Cler. in* 6. *Salcedus in Praxi cap.* 55. *lit. A.*

Probatur V. Quia in cambio nundinali hoc tantum agitur, ut pro pecunia, quæ erogitur, scuta de marca emantur, & vendantur, *Raphael Turrius disp.* 1. *q.* 27. *n.* 21. & inde sequatur aliquod augmentum. Hoc verò, in casu non dissimili Clericis vitio minimè vertitur, ut patet ex eleganti *Textu in can. si quis* 5. *caus.* 14. *q.* 5. ubi cum Clericos tradit pecuniam, ejus loco recuperare potest frumentum, prout est valor tempore solutionis; atqui plerumque contingit, tempore solutionis minoris valere frumentum, ac proindè majorem frumenti quantitatem comparari, quàm si tempore hiemali ex. c. solutio facta fuisset; eoque magis in nostra specie permittitur, juxta quam non Clericus, sed mercator negotiatur.

Neque his adversatur I. Constitutio Pii IV. *apud Bonaccinam de spoliis T.* 2. *punct.* 2. *n.* 1. 86
edita non. Febr. 1560. *qua incipit decens*, verba Constitutionis hæc sunt: *cadunt sub spolio quomodolibet acquisita negotiatione illicita, aut alias contra sacros canones* ergo, & acquisita per cambium.

Præoccupat *Cardinalis de Luca ubi supra* difficultatem, eique respondet *d. discurs.* 18. *n.* 4. verum esse, quòd si Clericus non contraxerit societatem illam, quam supponimus, & eapo-suimus, quamquam lucrum consequatur, lucrum tamèn retinere non potest, illudque justè aufert jure spolii fiscus Ecclesiasticus. Acquisita enim per Clericum, etiam ex negotiatione laicis permissa, fiunt de ejus dominio, deinde tamquam male quæsita, Ecclesiæ, vel, ut hodiè, Cameræ Apostolicæ applicantur. Addo tamèn eam Pii IV. Extravagantem ad rem nostram non pertinere, loquitur enim de negotiis illicitis, & extat posterior Bulla Pii V. quæ id ipsum tradit, & *declaratio Sacræ Congregationis relata a Nicholio Instit. Jur. C. L.* 3. *Tit.* 1. *n.* 78. *pag.* 150. & Theologorum auctoritas *Stephani a S. Gregorio L.* 2. *de Contr. cap.* 37. *Lessi cap.* 21. *dubio* 1. *n.* 6. *in fine & Medina C. de rest. q.* 3. *causa* 2. *& Salas dub.* 2. *n.* 8.

Nec refragatur II. Concilium Coloniense III. celebratum sub Hermano postea lapso *P.* 2. *cap.* 31. *his verbis: quare multa providentia olim vetitum est, ne Clerici, vel Monachi mercatores (taceamus feneratores) sint lucri causa.* En Textum, qui cambia reprobat in personis Ecclesiasticis. Quod si hic sensus non est, quid significat vox illa *mercatores*, cui additur: *taceamus feneratores?* Cum ergo mercatura Clericis prohibeatur, cambium quoque vi canonis ejusdem prohibitum, dicendum est; nam mercaturæ genus est cambium, & quamquam in laicis honestum sit, cum sine fænore exercetur, semper tamèn abhorret ab honestate Clericali.

Difficultates hujusmodi levissimo ictu concidunt, pluresque hujus generis deducuntur *ex can.* 80. 81. 82. *Apostol. ex can. observandum* 15. *q.* 2. *ex can. placuit* 21. *q.* 3. *ex can. fornicari, ex can. eiciens, ex can. consequens, ex can. Episcopus, ex can. perlatum, ex can. negotiatorem dist.* 88. Quibus, si fundamenta conclusionis, quam tuemur observentur, responsio protinus occurret. Si enim Clerici per se velint negotiari, in nequaquam

quaquam est permittendum; si alium adietint, cum quo societatem contraxetint, ita ut ille se habeat tamqnam causa negotiationis, cum Clericus non videatur negociari, in hoc casu ad rem non pertinent canones, qui de negotiatione loquuntur; Clericus enim stricto, & rigoroso sensu non negotiatur, quia alter causa est negotiationis.

Neque obstat III. Quod, etsi Clericus in nostra specie non abstrahatur a Divinis officiis, attamèn cupiditate correptus videatur lucri, & quæstus; quod tamèn interdicitur canonum providentia. Hinc possessiones Clerici conducere non possunt, *cap. secundum 6. ne Clerici, vel Mon can. fin. dist.* 87. *can. decrevit dist.* 88.

Resp. argumentum nimis probare. Nam dum asseritur, a Clerico evellendam penitus omnem lucri curam, probatur, illicitam esse Clericis omnem prorsus negotiationem; quod tamèn nemo dixerit. Me declarabo. Triplex negotiatio; œconomica, industrialis, & lucrativa. Oeconomica exercetur ad sui, familiæque sustentationem. Hæc Clericis non prohibetur; ideò animalia in propriis pascuis innutrita vendere potest impunè, docet *Gonzal. in d. cap. secundum*, ab Ecclesia possunt prędia conducere, *Antonius de Luca ad Ventrigl. Tom.* 1. *ann.* 13. *n.* 5. & probatur *ex cap. dilectis de decim.* ubi condnctionem factam a quibusdam Monachis non improbat Papa. Vendere vinum ad minutum, dummodò cum decore status Ecclesiastici contingat, non est prohibitum, ut docet *Card. de Luca in miscellan. Eccl. discursu 6. n.* 8. Possunt vendere caseum, & lanam ex suis armentis acquisitam, *Maranta controv. Jur. resp.* 41. *per tot.* Possunt pro cultura agrorum suorum animalia emere necessaria, illorumque fœtus justo pretio, atque honesta ratione vendere, & sues, ut ex glande, quam colligunt in suis silvis, alere, atque distrahere, prout declaravit Sacra Congregatio Conc. relata a *Maranta controv. Jur. P.* 2. *resp. II. in fine*. Et hæc negotiatio est œconomica - Alia species est industrialis, cum res viliores emuntur, & propria industria redditæ pretiosiores venduntur cum lucro; hæc quoque Clericis permittitur, *can. Clericus dist.* 91. III Species negotiationis, est lucrativa, cum merces, emuntur & non mutata forma servantur, ut carius vendantur; hęc verò Clericis prohibita ex dictis.

Jam ad rem nostram. Si ex his tribus negotiationis speciebus, postrema tantum prohibetur, tametsi prima, & secunda species ingerat in animis negotiantium curam aliquam lucri: Eodem modo tametsi dum Clericus exposuit alterius opera pecuniam ad cambium, ab omni lucri cura vacuus dici non possit; tamèn, ut prima, & secunda species negotiationis vitio verti non potest, ita nec cambium, quod, ut exposuimus, exerceatur.

Neque obstat IV. *Textus in can. sicut non suo dist.* 47. ubi: sicut non suo, ita nec alieno nomine potest Clericus negociari.

Resp. id procedere in delictis; in quibus sicuti non suo, ita nec alieno nomine quidquam geri potest, *regula quod alicui de Reg. Jur. in* 6. Delictis exceptis, quod suo nomine non licet, alieno tamen licet. Exemplum est *in can. Episcopus dist.* 88. *in cap. Episcopus ne Clerici, vel Monachi in* 6.

In opposito Textu tractatur de fœnore. Nos agimus de re licita, de negotiatione, quam exercendam non propriè Clericus assumit; sed mercator.

Non obstat V. Textus *in can. quicumque* 14. *q.* 4. *juncto can. Clerici ead. caus. & quæst.*

Resp. ibi tractari de monopolio, quod prohibetur, ut *Petrus Gregerius notat in Syntagm.* L. 51. *cap.* 1. *n.* 10.

Tandem notat *Raphael. Turrius disput.* 1. *q.* 14. *n.* 14. tam falsum esse, ut a cambiis omni prorsus ratione abstinere debeant Clerici, quia potius Magnates Ecclesiastici te ipsa habeant in nundinis multa scuta de marca, ut cum iis indigeant, ut contingit, in Curia Romana, commodissima, & compendiaria via, in loco indigentiæ ea ad ipsos perveniant.

(t) Tuti.

DISSERTATIO VIII.

An census sit licitus, utpote species emptionis? Et strictim census materia tractatur.

Hactenus de contractibus innominatis. Nunc ad eos sermo, & industria dirigenda, qui præclarum & elegans nomen in Jure sortiti fuerunt. Ex his quidam consensu contrahuntur, talisque est emptio, & venditio, & ad hunc Titulum pertinet hic contractus; nam volumus alienationum honestatem dispicere. Est enim emptio alienatio; imo Lex 1. Tabularum omnem alienationem emptionis verbo complectebatur, L. *statuliberi §. quintas. ff. de statulib.* L. *sicut §. venditionis, ff. quibus mod. pign.* Ac ne evagemur extra præscriptos fines, a censu ducemus initium, de quo duplex incidit inspectio; Prima, an sit licitus, secunda, an & quomodo super rebus Ecclesiasticis possit imponi. 87

An ergo sit licitus census, pugna est inter catholicos, & hæreticos. Hæretici, ut solent, eo devenerunt audacię, ut censum usurarum merum involucrum asserent. Nostrum est vocem stultitiæ ipso elisam in gutture comprimere, tantamque audaciam retardare.

Sit igitur nostra conclusio: Census adeò nostris temporibus usitatus ne minimum quidem usurariæ labis involvit.

Explicanda ante omnia conclusio; tum verò ad argumenta descendemus.

Ad explicationem conclusionis pertinet summaria census notitia. Olim census nil erat aliud quàm descriptio, & ęstimatio patrimonii, quod cuiusque esset. Describebantur enim, ęstimabanturque

banturque in eum finem patrimonia, ut congrua Reip. tributa solverentur, atque inde census a verbo censeo appellatur. & hinc patrimonium ipsum *census* vocabatur, prout apud Ovidium.

Turpe thori reditu censûs augere paternos.
& alibi:

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Census amicitias, pauper ubique jacet.

Quin & liber ipse, ubi Patrimonia describebantur, census per synecdochem dicebatur: *L. census, ff. de prob.* & vulgo liber æstimi vocabatur, *Mancinus differt.* 53. *cap.* 1.

Census tamen, qui ad nos pertinet, est jus percipiendi annuos redditus ex re alterius. Qua in definitione nulla obscuritas, si seriò perpendatur; non quòd Jus, nam quicumque est rei fructiferę dominus, jus habet inde fructus percipiendi, *L. fructus* 33. *ff. de rei vind.* Non quoad fructus ex re aliena percipiendos, nam antequam prædictum jus fit census, tale jus reperitur penes Dominum fundi; at cum census constituitur, idem jus transfertur in erogantem pecuniam census, qui dicitur emptor.

Ut vero ad alia exponenda gradum faciamus, dico, quòd hæc definitio tantum census consignativi naturam elucidat. At quid opus est hoc admonere? Hoc admonemus, quia census dividitur, in consignativum, & reservativum. Census reservativus, hoc modo contrahitur; cum aliquis totum dominium, quod habet in re sua, alteri concedit, impertitque, dummodo, qui prædium accipit, fructuum portionem concedenti reservet. Si census hujusce reservativi quæris exempla, videtur esse reservativus census pensio, quæ ex Beneficio renunciato reservatur renunciant, *cap. constitutus*, §. *cum autem de Relig. dom.* & de hoc eodem censu videntur loqui Textus in *L. quicumque* 7. *C. de omni agro def.* L. 10. Et porro illa fructuum annuatim persolvenda Pharaoni ab Ægiptiis, apud quos Joseph cum hac reservatione terras transtulit, census reservativus fuisse, videtur *Leotardo in Tract. de usur.*

Quæstio præsens versatur circa censum reservativum. Hunc licitum esse, asseruimus, & conclusio nostra.

Probatur I. ex Bulla celebri Pii V. quæ incipit *cum onus*; hæc enim declarat tantummodo fæneratitium censum, si a forma, quæ ibi præscribitur recedat; quoties ergo formæ præscriptæ consentiat, census erit licitus. Quod verò solum illicitus fit census, cum recedit a Piana forma, probatur; nam in Bulla Pii S. Pontificis comprehenditur quædam forma circa prædium, in quo constituitur census, circa pretium, quo census emitur. Quod attinet ad rem ipsam, non aliter approbatur census, quam si res immobilis fit, quæve pro immobili habeatur, ut sunt vectigalia, quæ in portis Civitatum, quæ in transitu pontium solvuntur. Quo circa per hanc primam conditionem sublati sunt census in fructibus pendentibus; sed non sufficit, rem esse immobilem. Non aliter quoque approbatur census, quam si res sit fructifera natura sua, nec aliter a fænore alienus diiudicatur, quam si res, in qua census fundatur, sit certa, & designata suis finibus, ut scilicet re pereunte, census quoque pereat. Et hæc, quoad rem ipsam. In pretio autem forma hæc observanda præscribitur, ut ematur in pecunia reipsà numerata, ut pretii numeratio fiat coram testibus, & tabellione, ut pretium sit justum, ut in ipso actu contractus pretium recipiatur. Paucis Piana forma exposita est. Referam nunc verba, quibus Legislator suam Constitutionem absolvit: *contractusque sub alia forma post hac celebrandos fæneratitios judicamus.* Ergo si non recedatur a forma prædicta, census erit permissus.

Probatur II. Quia census nihil est aliud, quàm emptio, & venditio *Extravag. regimini de empt. & vend.*

Probatur III. ex *Auth. ut hi, qui se oblig. hab. perb. res min.* §. *quoniam in fin.* unde constat, licitum esse curatoribus annuos redditus pecuniarios emere.

Probatur IV. Nam jus percipiendi redditus est quiddam pretio æstimabile, ergo tamquam res vendi potest, & fundans censum erit ejus juris venditor, erogans pecuniam erit emptor. Antecedens probatur; quia si emitur ususfructus, quod est jus, *L. necessario* §. *ult. ff. de periculo & com.* §. *ult. de usufr.* cur illud jus, in quo census est positus, vendi, emique non poterit? Facit *Clem. exivi*, §. *cumque de V. S.*

Probatur V. Quia usura tantum in mutuo consistit, aut vero, aut simulato, in quo creditori cōpetit repetitio, & condictio sortis suæ pro libitu; atqui creditor census, ad condicendum pretium, sive sortem, caret actione, ex dicta Bulla Pii V. quæ incipit *in eam*; non enim cogitur venditor census, illum redimere; sed tantum potest redimere, si velit; ergo census longè abest a mutuo.

Sed reclamant adversarii, quibus satisfaciendum est.

I. Opponunt, quod in hac emptione, & venditione census, videtur si non verum, & patens mutuum, saltem fictum, & interpretativum inesse, in quo æque lucri accessio interdicta est, atque in vero mutuo, *cap. ad nostram de empt. & vend. cap. in Civitate de usuris.* Etenim si in contractu mutui debitor obligatur ejusdem generis pecuniam reddere, *L.* 2. *ff. si cert. pet.* In censu quoque si venditor velit censum redimere, debet pecuniam acceptam refundere. Ergo asserere, censum esse emptionem, & venditionem, est invenire mendacia subdola, & diverticulum dolis.

Sed certe adversarii declinant extra viam veritatis. Maximum intercedit discrimen inter mutuum, & censum. In mutuo sors necessario restituenda est, eo quod sors est in obligatione. In censu non cogitur unquam venditor sortem restituere, neque talis adest obligatio, ut sors restituatur; sed obligatio in hoc solum posita est,

ut red-

ut redditus annui persolvantur fideliter, & satisfiat conventioni. Neque dicatur, quod juxta Bullam Pianam, debitor census illum redimere potest. Quid vis inde inferre? Solum inde colligitur, quod venditor non cogatur reddere pecuniam acceptam in pretium census, sed quod possit, si velit. Debitor mutui non habet hoc arbitrium reddendi, & non reddendi; sed cogitur, sed compellitur reddere. Quo circà dicendum est, contractum censualem esse emptionem, & venditionem; cum pacto de retrovendendo implicito; hoc enim agitur in census contractu, ut scilicet ille, qui emit, quandocumque placeat venditori, pecuniam, pretiumve census restituere, cogatur emptor illud jus annui redditus vendere. Legem autem revenditionis esse licitam, patet ex *L.* 2. *C. de pact. inter empt.*

Objicitur II. Quominus censum dicamus emptionem, & venditionem, illud suadet, quod ad emptionem, & venditionem, res, & pretium, ac de his consensus, sufficiat, *L.* 2. *ff. de contr. empt.* Atqui Pius V in Bulla *cum onus* ultrarem, & pretium alia supra in primo argumento enarrata requirit, & ita requirit, ut his omissis nullus sit census, ergo census ab emptione, & venditione degenerat.

Resp. dum de emptione, & venditione dicitur, de re, et pretio convenire satis esse, id ita accipiendum, ut neque verborum; neque scripturæ desideretur proprietas, *L.* 2. *ff. de obl. & act.* Quod verò in censu quædam alia requirantur, id non mutat emptionis naturam. Etenim eodem pacto Lex præscribit in rebus minorum vendendis cautiones quasdam, veluti ut adsit decretum Magistratus, *L. non solum, C. de præd. min.* Eodem pacto pignora capta in causam judicati, nonnisi præsente pecunia distrahi possunt, nec tamen eorum distractio vera emptio desinit esse, *L. a Divo Pio, §. sed si, ff. de re jud.*

III. Insurgunt alio argumento, quod ex eo conficiunt, quia res emendi in censu in rerum natura non reperitur. Esto, inquiunt, pretium interveniat, esto consensus non deficiat: ubi tamèn, obsecro, res est, quæ emi debet? Fundus non emitur, quia prius nus Dominus suum cōservat dominium. Fructus non emuntur, quia tempore census ad maturitatem non pervenerunt; etenim pro futuro tempore census constituitur. Persona non emitur, quia in commercio non est; ergo nihil est, quod ematur in censu, ergo emptio non est.

Resp. neque fundum, neque fructus, neque personam in censu comparari. Si quæris, quid ematur, dicimus, emi illud jus percipiendi annuos redditus; nec novum est, jura emptione comparari, *L. necessario, §. fin. ff. de peric. & com §. si quis, Inst. de servit.*

Instabis, ergo in censu emitur ususfructus causalis; atqui hoc dici non potest; quia his temporibus invaluit, ut census in pecunia, non in fructu prædii solvatur, ut docet *Mancinus diss.* 13. *cap.* 4. *n.* 5. Duo pro responsione tenenda sunt. I. sicut evenit in prædiis locatis, quæ annuum redditum in pecuniaria pensione præstant, *L. licet C. de locat.* ita posse evenire, ut loco fructuum pecunia proveniat, quę loco rei sine difficultate succedit. *II.* & illud tenendum est, quod propriè census non est servitus; nam cum servitus, aut realis sit, aut personalis, *L.* 1. *ff. de servit.* census non est realis servitus, nam hæc vulgo definitur, jus quoddam prædio inhærens, quod dominantis utilitatem auget, servientis libertatem minuit. Duo itaque prædia requirit hæc servitus. At ubi nam in nostra specie sunt duo prædia? Non est etiam census propriè servitus personalis, quæ in eas species dividitur, ususfructum, usum, & habitationem. Ususfructus cum persona debet extingui: Census ad heredes transit. Ususfructuarius possidet fundum: Censu isti semper a fundo censito remotus est. In usufructu prædium fructuario servit: In censu nihil tale; sed solum censualista habet in illo fundo hypothecam ex *Bulla Pii V. traditque late Mancinus diss.* 13. *cap.* 9. Quę dicta sunt, ut innotescat, ad summum in censu rem, quæ emitur dici posse usumfructum causalem.

Ex his selectioribus, quæ adduximus, & quibus aliæ innumeræ oppositiones nullo negotio solvuntur, explicatum remanet, quod in Titulo posuimus, nempe, laicos esse tutos, si censum contrahant.

(*a*) *Clerici.*

DISSERTATIO IX. 88

An Clerici possint in fundo sui Beneficii censum constituere.

Post superiorem dissertationem vocamur ad exquirendum, ecquid de censu in rebus Ecclesiæ imponendo sentiendum sit.

Sit nostra conclusio. Clericus in fundo suæ Prębendę censum imponere non potest, at in fructibus, sua vita durante potest. Ita *Redoanus in Tractat. de reb. Eccl. non al. Duard. de cens. quæst.* 22. §. 1. *Cencius q.* 24 *per tot. pag.* 43. *Burattus decis.* 410. *n.* 8. *Turricellus de reb. Eccl. non al. cap.* 1. *n.* 8. *Rota P.* 1. *divers. decis.* 489. *n.* 13. *in fin.* Probemus utramque partem conclusionis. 89

Quod attinet ad fundum; non diù immorabor, ut ostendam, censum in fundo Beneficii imponere esse prohibitum, nisi forte accedat beneplacitum Apostolicum, ut rem temperat *Rota decis.* 314. *n.* 1. & 2. *post Tractatum Cencii de cens. Turricellus de reb. Eccl. non al. cap.* 8. *n.* 4. *pag.* 17.

Probatur enim ex decreto Sanctæ Congregationis, quo census perpetuus prohibetur in rebus Ecclesiæ, de quo *Turricell. ubi supra.*

Probatur, quia fundus Beneficii est res Ecclesiæ, *cap. cum secundum de Prabend.* atqui res Ecclesię alienari non possunt, idque eveniret per

consti-

constitutionem census, quippe Prębenda diminuta ad successorem perveniret, quoad fructus. Insuper fundus præbendæ hypothecæ supponeretur ex *Const. Pii V. in eam*; alienationis autem verbum continet etiam hypothecam, *cap. nulli de reb. Eccl. al.*

Probatur, quia in *Clem. 1. §. novos de excess. Prael. in cap. prohibemus de censib.* censum Ecclesiæ imponere prohibitum est, observat ex his Textibus *Granantet. in d. cap. prohibemus*.

Et quæ de fundo Prębendæ dicta sunt, accomodari, transferrique debent ad patrimonium Clerici, si ad ejus titulum fuerit ordinatus. Sacrosanctum namque Concilium Trid. ita de patrimonio loquitur *sess. 21. cap. 2. atque illud deinceps sine licentia Episcopi, alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possit*. Ergo cum census sit alienatio, in patrimonio, ad quod Clericus fuerit ordinatus, non poterit census constitui, atque ita differit per eum Textum Concilii *Cencius de cens. d. q. 22. ubi supra*.

. Quod verò attinet ad commoditatem, ad fru-
90 ctus; in his affirmat conclusio nostra, censum
imponi posse, vita Clerici durante, etiam sine
ulla solemnitate, quam deduximus ex *Rota P.
2. divers. decis. 480. n. 2. 3. in fin. ex Turricellio
de reb. Eccl. non al. cap. 8. n. 42.*

Probatur, quia in fundo subiecto restitutioni, qualis est etiam fundus Ecclesiæ, *cap. pen. de pecul. Cler.* eatenus imponi potest census, quatenus detrahitur a gravato hærede, *L. fin. §. sed quia nostra C. de Leg. Pacionius alleg. 122. n. 2. ubi quod pluries ita resolvit Rota*, ergo nihil proponitur, cur & in fundo Præbendæ quoad fructus census imponi non possit, qui ad Clericum pertinent.

Probatur ulterius; quia fructus Ecclesiæ, & Prębendæ vendi, alienarique possunt, & libere possunt, cum sunt res quæ servando servari non possunt, *Extravag. ambitiosa Tit. de reb. Eccl non al.*, & ideo prohibitus alienare, fructus alienare non prohibetur, *cap. vestra de locato*, ergo fructus poterunt censu gravari.

Probatur insuper; quia cessat ratio prohibitionis in hac specie. Ratio, cur in fundo Prębendę census absolutè nequeat imponi, illa est; ne successori detrimentum obveniat, *cap. querelam de Preb.* atqui, si vita durante Clerici census durare debeat, in comperto est vitari detrimentum successoris, ergo &c.

Probatur adhuc, quia census idem non est, ac locatio, sed emptio, & venditio, ut probatum est; atqui solum prohibentur Clerici locare ultra triennium fundum Præbendæ, redditusque, *Extrav. ambitiosa Tit. de reb. Eccl. non al. notat Turricelius de reb. Eccl. non al. cap. 27. n. 45.* ergo cum de censu quoad fructus, & commoditatem talis non extet prohibitio, licite in fructibus, census imponi poterit: quamquam enim hoc sit vitalitium, & inde Bossius *Tit. de alien. bonis Eccl. n. 284.* nec licere putet censum in fructibus vita Clerici durante, attamèn ob parem incertitudinem lucri, & damni census vitalitius est lici-
tus, *L. si ea C. de usur. ut ex hoc Textu firmat
Covarr.* neque apparet in Jure ulla quoad fructus 91
prohibitio, neque id repugnat naturę census,
nam commoditas rei immobili ęquivalet, *Duaedus de cens. q. 22.*

Quocirca *Covarruvias L. 2. var. cap. 16. n. 6.* ait, nihil ad rem pertinere locationem ad triennium, censum enim posse constitui, apparet.

Neque obstat, quod commoditas isthęc annexa sit Beneficio, adeoque sit spiritualis, & ob id ipsum respuat alienationem, instar ipsius Beneficii, *reg. accessorium de Reg. Jur. in 6.*

Resp. a *Duaedo d. q. 22.* jus, & commoditatem fructuum percipiendorum annexam esse Beneficio nemine adhuc possidente; at post investituram novi Rectoris, Rectori commoditas annexa est, adeoque ipse quemadmodum fructus, sic commoditatem hujusmodi alienare non prohibetur.

(ξ) *Ad Creditum.*

DISSERTATIO X.

De Venditione ad creditum pro expositione Textus in cap. in Civitate de usuris.

Administratores Ecclesiæ vendere non possũt ad creditum, *Rota in una Lucana Terrarum Veneris 16. Maii 1693. coram Ludovisio.*

Vendit ad creditum, qui sine habita de pretio 92
vendit. Quotidie subnascens dubitatio esse potest,
utrum liceat ad creditum vendenti pretium 93
augere.

Conclusio nostra erit clarissima Textus con- 94
stitutio *in cap. in Civitate de usuris*. En verba,
quæ ad nos pertinent: *Nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt*. Quinam venditores? Antea id ipsum declarat Textus: venditores, qui merces vendunt carius ob dilatam pretii solutionem.

Conclusio hęc, non modo procedit in vendi-
tione mercium idest rerum mobilium, *L. mer-
cis, ff.* de V. S sed etiam procedit in venditio-
ne rerum immobilium, ut ex *Saliceto in Auth.
ad hac n. 8. C. de usur. censet Canisius de usur.* 95
cap. 3. n. 1. Ac rursus conclusio hæc, de pecca-
to usurario accipitur, ut ostendo *ex cap. con-
suluit 10. de usur.* ibi enim Urbanus VIII. agens 96
de usurario delicto ait, hoc delicto implicari eum quoque, qui *merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixi temporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretium persolvatur*. Atqui hoc mutuum, quod supponitur in Textu nostro, est mutuum pręsumptum palliatum simulatum occultum, de quo in *cap. illo vos de pignor. in cap. ad nostrum de empt. in cap. naviganti hoc T.* Neque enim figura verborum inspicienda est, sed substantia obligationis, & quod geritur a contrahentibus *L. 38. ff. de V. ob. L. 1. & per tot. C. plus valere quod agitur*.

Probatur I. conclusio ex fundamento, cui innititur

nititur

nititur *Guttierez L. 1. can. QQ. cap.* 30. Nulla
97 Resp. ejusdem rei diversa pretia, ad creditum unum, & alterum ad præsens constituit; ergo cariùs vendens injustè agit. Anteo. probatur, quia si res exponitur, & non reperiuntur emptores nisi pro tali pretio, sequitur, valorem esse talis pretii; ergo augens pretium æstimationi publicæ adversatur. Hæc Guttierez.

Probatur II. Quia lucrum ob solam temporis dilationem usura est, *cap. consuluit* 10. *de usur.* atqui nullo alio titulo juvatur venditor, quàm dilationis, ergo ab usura excusari non potest.

Probatur III. Fundamentum usuræ est mutuum: atqui in hac specie mutuum brevi manu reperitur, & id facile ostenditur ex *L. singularia* 15. *ff. de reb. cred. si cert. pet.* ibi: *ut cum ex causa mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, & a me ad te profecta.* Videtur ergo venditor in actu tradendi merces, tradidisse pretium emptori, ut ipsum quasi sortem retineat, solvatque inde augmentum in pecuniam. Quid hoc augmentum, nisi usura? *can. plerique, can. putant* 14. *q.* 3.

Antequam ad contraria enodanda descendamus aliquid de consuetudine, & de circumstantiis excusantibus, dicendum est.

98 Quod attinet ad consuetudinem; Sabellus *in verbo emptio* docet, ex generali observantia omnes fere mercatores vendere carius ob dilatam pretii solutionem. *Paludanus* verò *in L. Procuratores, §. si plures, ff. de tribut. act. & Soccinus cons.* 87. *Vol.* 5. asserunt, mercatores Florentinos non vendere nisi ad tempus, ut car us ita merces distrahantur; sed hoc quemadmodum procedat, ex circumstantiis, quas jam explicabo, deducendum est.

Quod attinet ad circumstantias; circumstantia esse potest lucrum cessans, & damnum emer-
99 gens; quia mercator nimirum pecunias otiosas relinquere non potest, quo pacto excusat Florentinos, de quibus præcitati Authores *Stephanus a S. Gregorio in Tract. de contr. L.* 2. *cap.* 41. *n.* 11. *pag.* 264. Ceterum consuetudo non excusat, ut idem firmat *eodem loco*. - Alia circumstantia est periculum. Sed cave a doctrina Medinæ *in C. de restit. q.* 39. ubi docet, res carius vendi posse ad creditum, quia mudus vendendi auget pretium, etenim contingere potest, ut debitor fiat impotens, vel malignus ad pretium solvendum; sed convulsa est omnino hæc sententia ex nostri Textus decisione; neque enim Pontifex tali periculo contentus est, ad excusandum mercatorem vendentem ab usuris, propterea quod tale periculum est fictitium; periculum ab usura excusans est verum periculum amittendi totum, vel partem pretii, ut deducit ex eo Textu *Stephanus a S. Gregorio L.* 2. *de contr. cap.* 40. *n.* 4. *pag.* 262. Tunc igitur aliquid ultra sortem poterit venditor accipere, non ratione venditionis, sed ratione periculi. Ratio est, quia venditor posset petere fidejussorem; sicut ergo fidejussor aliquid inculpate potest accipere *cap. pervenit de fid.* ita etiam venditor, qui, & fidejussoris vices gerit. Et ne invitus sit emptor, tenetur venditor emptorem de causa talis lucri admonere, *Stephanus a S. Greg. ubi supra multicitatis*. Alia circumstantia traditur in Textu nostro, & est ambiguitas, & incertitudo, an pretium mercium majus, minusve sit tempore solutionis pretii conventi, & quod tempore contractus non esset venditor venditurus. Hæc circumstantia, quæ exprimitur *in cap. fin. de usuris* cum incertitudine jungenda est, docet *Gonzales in cap. in Civitate de usur. n.* 5. *Covarruvias L.* 2. *var. cap.* 3. *n.* 6. aliique *ex cap. naviganti de usuris* ubi duarum hujuscemodi conditionum fit satis expressa mentio; tametsi *Gaietanus* 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad sept.* probare conetur, priorem conditionem absque posteriore satis sufficere adipsius contractus justitiam. Sed absonus est sensus, quem Gajetanus tribuit Pontifici *in cap. naviganti de usuris*, qui ait, ibi non tractari de pecunia credita, sed statim soluta. Verum, ut ait Covarruvias, absonus omninò est hic sensus, qui tribuitur a Gajetano *d. cap. naviganti*.

Objicitur I. Hoc pretium auctum ob dilationem solutionis, licet excedens videatur, attamen est lucrum in spe ex parte venditoris dum tradit merces ad creditum; lucrum in spe minus est, quàm lucrum verum, *L. solidum ff. de solut. L. sicut* 12. *ff. de V. S. notat Bonacci na de contract. disp.* 3. *q.* 2. *puncto* 4. Ergo reipsa non lucratur venditor plus justo.

Augetur difficultas. Quis enim dixerit, non posse vendi carius tempore caritatis, & inopiæ? Textus est in *L. pretia rerum, §. nonnullam, ff. ad L. Falcid.* Res aliquam habens obligationem minoris valet, *L. fundi partem, ff. de contr. empt.* ergo circumstantiæ variant pretium.

Respondetur, lucrum in spe minus videri, positis circumstantiis præadductis, absolutè loquendo falsum est; imo & quod incertum est, & in spe tantum, certam habet æstimationem, *L. si jactum, ff. de act. empti, L. nec emptio, ff. de contrab. empt.*

Præterea falsum est, hoc lucrum esse in spe postquam enim conventum est de re, & pretio, ad pretium competit actio, re tradita.

Neque obstat augmentum difficultatis; neque enim versamur in illis circumstantiis, quæ in difficultate expenduntur, quæ planè si adessent, lucrum justè compararetur.

Objicitur II. Licitum est venditori emptorem decipere, *cap. dilectus de empt. & vend. L. in causa, ff. de minor.* & planè deceptio supponit, meliorem fieri decipientis conditionem; si deceptio permittitur, ergo & permittitur venditori ob dilationem pretii, lucrari.

Resp. egregiè a Gonzales, permitti deceptionem, dum intra metas, & leges ipsius contractus deceptio contingit, non verò ubi verbis

unus contractus celebratur, & alius simulatur, ut in specie nostra contingit: nam mutuum sub larua venditionis celebratur.

Obiicitur III. non videtur illicitus hic contractus, quia redigi potest ad æqualitatem, detracto excessu vitioso. Ratio est, quia utile per inutile non vitiatur, *reg. utile de Reg. Jur. in 6.* Accedit Textus hanc ad rem accomodatissimus *in L. placuit*, *in L. pecunia*, *ff. de usur.* Nec deest exemplum in donatione, quæ si facta sit ultra 500. solidos, excessus tantum vitiatur, non donatio, *L. sancimus*, *C. de don.* ergo valere debet emptio in nostra specie.

Resp. quod, etsi negari posset, valere venditionem saltèm quoad pretium justum, quia caret venditor consensu, quippe qui consensit in majus pretium; contractus verò non excedunt mentem contrahentium, *L. omnis 19. ff. si certum petatur*; nihilominus cum in summa majori contineatur minor verius est, sustineri venditionem arg. Textus in L. 1. § *si stipulanti*, *ff. de V. obl.* *in L. rogatus 33. ff. cert. petatur*. Non ergò valet venditio ità, ut emptor ad augmentum pretii propter dilatam solutionem sit obligatus.

Et hæc de venditione ad creditum, quæ quidem apud Græcos in usu non fuit, notat *Cujacius L. 12. observ. cap. 19.* & ideo Plato L. 12. *de Legibus* jubet, res venum expositas stato loco venire, præsenti utrinque traditione; hinc *Græca fide* mercari, nihil est aliud, quàm præsenti pecunia, quo sensu accipitur illud Plauti *in Asin. Actu 1. Scena 3.*

Græca mercantur fide.

(x] *Monopolia.*

DISSERTATIO XI.

De Monopoliis, quæ præsertim Clericis prohibentur.

Sunt, qui abutuntur hoc venditionis contractu, in quo explicando variis dissertationibus adhuc sumus occupati, & abutuntur monopoliis. De his jam agendum. Qui tractatus discen-
100 tibus Canonica Jura non erit inutile; nam de
monopoliis extat Constitutio Canonica Pii V. in Bulla in eam, *apud Scacciam de Commerc. §. 1. q. 7. p. 3. lim. 10.* his verbis: *eos verò, qui conspirationes fecerint, vel congestam undique pecuniam, ita ad se redegerint, ut quasi monopolium paruniæ facere videantur, pœnis, quæ a Iure contra facientes monopolia constituta sunt, teneri, sancimus.* En canonem, qui approbat quidquid Jus Civile adversus monopolitas constituit.

Sed explicemus ante omnia terminos ipsos, ne in incertum evagetur oratio.

Committunt ergo monopolium, qui conspi-
101 rant, ut aliquas merces carius vendant, seu vi-
lius emant; vel qui emunt omnes merces, ut eas soli vendant, vel qui impediunt, ne aliæ merces advehantur. *Nicholius in Inst. Cæsar. L. 3. Tit. 24. n. 18. Petrus Gregorius in syntagm. L. 25. cap. 14. n. 6.* Vocantur autem in Jure monopolitæ *dardanarii in L. annonam*, *ff. de*
extraord. crim. in L. dardanarios 37. ff. de pœ- 102
nis, ita vocati, a Dardano, qui fraudem annonæ per monopolia attentavit. Quare monopolium est unius venditio: nam *Μονός solus* Græce est, *πωλή venditio.*

Sed explicatius, ac distinctius explicemus modos, quibus monopolia fiunt.

Primus modus est ratione privilegii a Principe
concessi, cum vi ejus, tantum aliquis vendere 103
potest certum genus mercium; hoc vero monopolium juncta causa, ut quia aliter nullus dictas merces invehere potest, vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico, justum est, Stephanus *a S. Greg. L. 2. de Contr. cap. 41. n. 12.*

Secundus modus est, cum multi mercatores inter se conveniunt, ut nullus eorum, nisi sub pretio ab ipsis constituto merces vendat, quod pariter injustum non est, si pretium legale non excedant, id tamèn cum charitate pugnat, quia possunt emptores emere medio, vel infimo pretio, *Salonius Tomo 2. ad finem de monopolio n. 5.*

Tertius modus multò perniciosior in societate hominum ille est, cum unus, pluresve merces emunt alicujus generis, ut deinde urgente inopia carius vendant; hoc verò non tantum charitati adversatur, sed et contra justitiam est, quæ idcircò ad restitutionem obligat, quamquam, non adversari justitiæ, doceat *Molin. disp. 345. n. 5.* Lessius probabilem sententiam dicat L. 2. *cap. 21. n. 151. Bonaccina disp. 3. de contr. q. 2. punct. 5. n. 4.*

Quartus modus, cum impediuntur merces, ne ex regionibus exteris advehantur, ut proptereà carius vendantur, cui simile est anticipate emere merces, ne ab aliis emantur, ut ipsæ postea vendantur carius, & ex securiori sententia non modò contra charitatem, sed contra justitiam quoque peccatur, Rebellus *L. 0. q. 7. n. 6. Salonius de monopol. ubi supra n. 8.* Tametsi non desint, qui asserunt, eos non peccare, quos citat *Molina ubi supra.*

Nec verò ad hoc delicti genus pertinet supprimere merces suas usque ad tempus, quo ma-
jori pretio vendantur, quia ita supprimens utitur 104
jure suo, nisi tempus sit caritatis, aut indigentiæ, Navarrus L. 3. *cap. 2. n. 80. Stephanus a S. Gregorio de contract. cap. 41. n. 10.*

Quintus modus est in cambiis. Res ita se habet. In nundinis, ubi cambia contrahuntur, debitores restituere oportet pecuniam a campsoribus receptam, & solvere cambium, & solvere in scutis de marca, *Turrius disp. 1. q. 27. n. 21. de camb.* Si ergo unus pluresve campsores, communicato consilio emant omnia scuta de marca, tunc committitur monopolium in cambiis, coguntur enim debitores emere carius prædicta scuta; penuria namque ob monopolium secuta est.

His præmissis, cognitisque, nihil erit, quod cursum disputationis remorari possit. Disputa-

mus ad

mus ad ſcholaſticam quamdam exercitationem, an monopolia ſint licita.

Dicendum eſt, ac defendendum, monopolia eſſe illicita, ſive Leges, ſive canones conſi-
106 deres.

Probatur I. *ex L. unica C. de monopoliis*, ubi clariſſimè monopolia interdicuntur, verbum autem in Textu *pecten*, non ſignificat inſtrumentum textorium, de quo Virgilius I. *Georg.* 50. *arguto conjux percurrit pectine chordas*. Neque illud, quo explicamus capillos; ſed pectines ſunt piſces, qui ſe aqua jaculantur in modum ſagittæ qui a Plinio dicuntur conchæ ſtriatæ teſtis bivalvibus.

Probatur II. ex pœnis: etenim in fine prædi-
107 ctæ Legis hæc habentur: *Quod ſi quis monopolium auſus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus perpetuitate damnetur exilii. Primates autem ceterarum profeſſionum, ſi convenientes hiſce conſpirationibus ſtare compulerint quadraginta librarum ſolutione percellantur.*

Probatur III. ex aliis pœnis præſcriptis in L. *annonam*, *ff. de var. & extr. cognit.* ibi: *& extra ordinem vindicari placuit*: ex quo Textu Pragmatici, quos dabit *Sabellus verbo monopolium*, *docent*, monopolitas pœna extraordinaria Judicis arbitrio puniri, conſonat Textus *in L. in dardanarios* 37. *ff. de pœnis in L.* 2. & 3. *ff. ad L. Juliam de ann. in L. ſolet*, *§. fin. ff. de fer.*

Probatur IV. *ex can. non ſanè* 14. *q.* 5. ibi: *Qui vero contra jus ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, invaſionibus abſtulerit, reddenda potius quàm donanda, cenſemus*. Siſto in verbo *oppreſſionibus*. Oppreſſionibus aufertur; idque in monopoliis verificatur.

Probatur V. *ex can. quicumque* 14. *q.* 4. Quicumque, ait Textus, tempore meſſis, vel vindemiæ, non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum de duobus denariis, & ſervat uſque dum vendatur denariis quatuor, hoc turpe lucrum eſt.

Probatur VI. ex Bulla Pii V. quæ incipit *in eam*, cujus verba initio protulimus, & clarè prohibeat monopolia, pœnas e lege conſtitutas approbando.

Antequam oppoſitiones enodemus, illud proponimus obſervandum; multò magis monopolia Clericis prohiberi; cum ſit monopolium tur-
108 piſſima negotiatio.

Opponitur I. Textus in *L. coiri* 7. *ff. pro ſocio*, ibi: *coiri poteſt ſocietas hunc in modum, ut ſi quod lucrum ex emptione, venditione deſcendat, communicetur*. Ergo mercatorum conſpira-
109 tiones non prohibentur.

Reſp. ex verbis Textus in *L. quod ſæpe*, *§. veneni*, *ff. de contr. empt.* ibi: *Veneni mali quidam putant, non contrahi emptionem*. *Quia nec ſocietas, aut mandatum flagitioſæ rei ullas vires habet*. En igitur quomodo oppoſitus Textus ſit accipiendus. Tunc conſpirationes admittuntur ſi non ſint flagitioſæ; at monopolia utpote charitati, atque juſtitiæ contraria ſunt flagitioſa.

Opponitur II. Textus in *L. nullus* 55. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur*, nec de Jure Canonico aliud judicatur, *cap. cum Eccleſia de elect.* & unuſquiſque poteſt, ſibi prodeſſe dummodo non foveat animum alteri nocendi, *L. ſi in meo*, *ff. de aqua pluvia arcenda*. Qui monopolia inſtituunt utuntur jure ſuo; ergo perperam improbantur monopolia.

Sed reſpondetur, totum argumentum negando; et licèt forſitan animus nocendi deeſſet, attamèn effectus inſpicitur, quo attento omnino ſunt monopolia charitatis, juſtitiæque inimica; quod ſi exercerentur monopolia, ut melior Reipublicæ conditio redderetur, in hoc caſu eſſent licita, ut rem temperat Turrius *q.* 27. *de camb. diſp.* 1. *n.* 18. Neque enim dolus bonus vitioſus erit, *L.* 1. *§. non fuit*, *ff. de dolo malo*.

Opponitur III. *Geneſeos cap.* 41. ibi enim Patriarcha Joſeph de quo eſt *Textus in can. ſicut & ibi Gloſſa* 1. *q.* 1. ſeptem annis fertilibus congregavit tantum frumenti, ut numerus videatur inexcogitabilis, ergo ejus exemplo genus hoc monopolii permittitur.

Reſp. id factum in ſumma abundantia, abſque minimo Reipublicæ detrimento; imo tempore famis, quæ univerſam terram in ſummum diſcrimen adduxerat, hoc frumentum eduxit, extremæque ſubvenit calamitati. Quid hinc infertur? Infertur, quod eodem modo ſi quis in ſumma abundantia frumentum comparet, proprium expectando tempus, quo carius vendat, non ſit iniquum, ut docet *Molfeſius de contr. cap.* 4. *Tract.* 12.

[aa) *Retractus*.

DISSERTATIO XII.

De retractu, quatenus afficiat Clericos ad expoſitionem Textus in cap. conſtitutus de in integr. reſt.

Magis Pragmaticorum videbitur hæc diſputatio propria, quàm Theoreſim perſequentium. Ego tamen ut meum ſenſum expromam, nunquam ſatis percipere potui, cur nonnulli ità praxim a rebus ſcholaſticis disjunctam velint, perinde ac ſi una alteram excluderet, tamquam ignis undam, calor frigus, lux tenebras. Quin imò praxim theoreſis, tamquam filiolam exoſculatur ſuam. Id planum faciam in hac de retractu diſſertatione.

Quid eſt retractus? Eſt redemptio rerum venditarum, pretio refuſo, voca redhibitionem, 110
voca jus prælationis, non repugno. Apud Patavinos hoc jus *præſentationis* dicitur, *Benedellus de jure pro tomiſ. pag* 4. *n.* 7. Utcumque vocetur, certe retractus in reſcindenda venditione jure prælationis conſiſtit. Tituli autem, cur aliquis inſurgat, petatque, reſcindi venditionem, & præferri quibuſcumque aliis, varias inducunt ſpecies retractus.

111 Nonnunquàm rescindi postulant, venditionem, atque præferri vicini, nonnunquàm socii, nonnunquam cohabitantes, nonnunquàm consanguinei. Jus vicinis competens vocatur *jus congrui*; jus istud debitum sociis, & cohabitantibus vocatur *jus retractus*; jus pertinens ad consanguineos, agnatosve vocatur *jus protomiseos*. Atque ita variæ species retractus per diversa nomina secernuntur ex usu quodam.

-- *Quem penes arbitrium est et Jus, & norma loquendi.*

Quæstionis est non omittendæ, an retractus
112 soli consuetudini, statutove sit tribuendus?

Vera sententia hæc est, a nulla Lege jus retractus constitui, atque decerni. Conclusio hæc
113 est contra Paulum Christinæum, qui in *Decis.* 281. Juris communis esse retractum, docet, & Gonzales *in cap. constitutus de in integr. rest. n.* 15.

Probatur I. auctoritate Textus in L. *dudum C. de contrah. empt.* Quæ Lex sustulit facultatem, vi cujus proximis, consortibusque concessum erat extraneos ab emptione removere; quod idem est ac jus retractus. Ratio Textus, ne quis invitus cogatur cui velit vendere. Pugnat ergò retractus cum libertate commerciorum; & jam nulla Lex est, quæ de retrahendi facultate disponat.

Probatur II. Quia consuetudini Jus retractus
114 tribuendum esse, apparet ex Textu Juris Canonici *in cap. constitutus de in integr. restit.* ibi: *juxta municipii Parrosinensis consuetudinem approbatam*; Cum enim quidam, emancipatis filiis suis, bona ad eos spectantia vendidisset, itaque bona ad se tamquam patrem pertinentia; filii quoad partem patris, qui successerat cum filiis, matri, respectivè conjugi suæ, ratione enim quæstus conjugalis bona communicantur, *cap.* 2. *de don. inter vir. & uxor.* petierunt Pontifici, retrahi, rescindique vigore juris protomiseos vigentis in Perusiensi Civitate, secutam venditionem; nec turbet, Textum uti his verbis: *municipii Parrosinensis*; perdoctè enim Gonzales legendum, censet Perusiensis *in not. ad hunc Text.* ergo jus retractus non est Juris communis: quid enim opus fuisset consuetudine?

Probatur III. ex L. *falsò* 3. *Cod. de commun. rerum alien.* ubi falsò sibi persuadere, ait Textus, eum, qui putat, socios habere jus retractus. Ergo nec ratione sociorum amplius dici potest, retractus esse Juris communis.

Multa quidem possunt opponi, quæ tamen facilè solves, si derogationem ex novo Jure spectabis, vel posteriorem Legum dubiam aut certis regionibus definitam auctoritatem, non verò in universum se se extendentem.

Oppones I. Textum in fine Codicis, a Gothofredo typis impressi, ubi inter alias Constitutiones Imperatorias ponitur Novella Romani junioris, qui *in cap* 3. *T. de prelatione* hæc habet: *si qui communes ædes, fundum, vineam,*
115 *aut quamvis aliam rem soli habeates* (& infra) *ne prius hæc alienanto, quàm testatum iis fecerint quos in sua prærogativa κατάταξιν hoc est ordine succedentes dicimus, ut primi, inquam, vocentur permixtim quoquo gradu juncti* (& infra) *vel invitus cogetur iis vendere, quibus prærogativæ jus est*. En expressè dispositum de retractu.

Insuper est Constitutio Michaelis *in d. fine Codicis T. de prælatione in Antichresi* his verbis: *Potior est propinquus externo in rerum soli Antichresi.*

Et alia insuper Nicephori Phocæ T. 3. *de prælatione* ibi: *dum distrahitur prædium a potentioribus* (& infra) *succedat persona quæpiam potestate prædita.*

Ergò perperam asseruisse videmur, non esse retractum a Jure communi stabilitum.

Sed non multùm solliciti esse debemus de hisce Imperatoriis Constitutionibus, quippe ad solum Jus Orientale spectant, quorum et meminit *Harmenopolus L.* 3. *prompt. Jur. Tit.* 3. & ita censet Petrus Gregorius *in Syntagm.* L. 26. *cap.* 1. *lit. m* & forsitan consuetudinem illis in partibus olim vigentem ad regulam placuit redigere, quemadmodum postea talis circa retractum consuetudo inducta est in Gallia fere tota, Cassanæus *in comment. ad Consf. Burgund. Tit. de retract.* §. 1. & Lutetiæ Aquitaniæ, & in Germania teste Nicolao Boer *in comm. ad consf. Biturigum Tit. de retr. Linager.* §. 1. aliisque in locis, ut Florentiæ, ad eum modum, quo et in feudis consuetudo principem locum vindicat; & tamen de retractu ibidem ita disponitur, L. 2. *feud. Tit. per quos fiat investitura*, ibi: *Sed etiam res, cujus alienatio prohibitur, nec per beneficium dari conceditur, nisi in casibus: ut ecce si quis ex agnatis suis rem, quæ a communi parente per successionem ad eum pervenerit alienare voluerit, non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alii eam vendere, nisi sibi.*

Objicitur II. celeberrima Constitutio Friderici *in cap. sancimus L.* 5. *feudorum* ibi: *sancimus modo in omni Provincia, & in omni Civitate*, en Constitutionem universalem. Quid verò hæc statuit? Ut extranei emptores omnino expellantur, ibi: *& extranei emptores omnino expellantur.*

Resp. hanc Legem in Codice Justiniani non reperiri. Quia auctor ejus, conditorque est Fridericus Imperator, qui sceptrum tenuit post compilationem Codicis Justinianæi. Refertur tamen, & explicatur diligenter ab Afflicto. Ceterùm dicam cum *Canisio in cap. constit. de in int. rest. Apud me parva hujus Constitutionis est auctoritas*; quia eadem prolixior extat apud Afflictum brevior apud Cujacium *in L.* 5. *de feud. in fin.*

Objicitur III. Imo Jure novo hoc Jus renovatum apparet L. 1. C. *non licere habitatoribus* 116
Metrocomiæ L. 2. ibi: *sed si quis ex hisdem vicariis loca sui Juris aliena voluerit, non licere ei, nisi ad habitatorem adstrictum eidem metrocomiæ*. Est metrocomia inter vicos, ut Metropo-

polis inter Urbes, a suisque coloniis agnoscitur; est enim metrocomia vicus, unde in alios vicos ductæ sunt coloniæ, quæ ad primum illum vicum, veluti ad matrem suam referunt originem, de qua voce Jurisconf. *L. ult. ff. de exact. Trib.* latinè matrix villa dici potest. Qui vult ergo alienum facere, idest alienare, debet preponere ceteris omnibus, in eadem matrice villa habitantes, Quid hoc est, nisi jus retractus?

Resp. hunc Textum anteriorem esse *Legi dudum C. de contr. empt. Gonzales in cap. constitutus de in int. rest. n.* 15. Quocirca, & si Lex Codicis sit, attamen posteriora derogant prioribus. Eodemque modo satisfaciendum est anctoritati Textus *in L. 1. C. de natur. lib.* ibi: *totum retractum reddatur;* nam et hæc Lex, utpote Constantini, antecedit *L. dudum C. de contr. empt.* Et dum *L. 1. C. de fundis rei priv.* L. 11. excipit a retractu solos fundos a fisco comparatos, videtur quidem ceteris in venditionibus admittere retractum; sed hęc quoque Lex est Imperatoris Constantini, adeoque anterior.

Neque obstat IV. Bulla Pii V. quæ incipit
117 *cum onus*; quæ mandat Domino fundi censiti, ut in ejus venditinne præferat censualistam, Ex quo inferri posse videtur, saltem de Jure Canonico vigere retractum, nec esse soli tribuendum consuetudini.

Resp. non ita censualistam esse præferendum, ut si non præferatur, venditio corruat, cum talis alienationis in extraneum prohibitio, non fuerit a Pontifice per decretum irritans concepta, quo casu contractus esset irritus, *L. non dubium C. de Legibus*. Quare censualista verè non habet jus retractus, ut rem declarat *Cencius de Cens.* P. 2. Q. 1. *n.* 7. *pag.* 142.

Non obstant V. innumeri Textus in *L. si cui fundus. ff. de Leg.* 3. *in L. ad officium C. comm. divid in L. si in emptorem, ff. de minor. ita* L. *in fundo* 38. *ff. de Rei vind. in L. si in emptione ff. de min. in L Lex qua vers. nec vero, ff. de admin. tut.* Quibus in locis retractus statuitur, ergo falsum defenditur.

Resp. paucis. esse supervacaneum has, & similes Leges opponere; his enim eodem modo respondemus, eas amplius non vigere utpote correctas; non insistam in responsione prolixius, omnia enim in idem revoluuntur.

Non adversatur VI. Quod retractus non potuerit a recentiori Jure removeri, quippe re-
118 tractus Iuris Divini videtur, & naturalis. Iuris Divini, ut patet *ex cap.* 25. *Levit.* ibi: *si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat, & Hieremia cap.* 3. *& Ruth. cap.* 4. idem habetur. Juris naturalis, ut patet ex eo; quia miserum est avitis bonis spoliari, familiaria misceri: quare Horatius L. 1. *Satyr.* 2. *vers.* 61.

Rem patris oblimare malum est ubicumque. *L. in fundo* 38. *ff. de rei vind.* L. *si in emptionem ff. de minor.*

Resp. falsum esse utrumque. Nam & si olim hac ex parte vigeret Jus Divinum; attamen quoad retractum id erat judiciale preceptum ut respondet *Tiraquellus in præfat. de retr.* Negamus deinceps, ad Jus naturale retractum pertinere. Quin potius multò æquius est in re sua quemlibet esse arbitrum, ac moderatorem. Et quoniam nec Juris Divini, nec Juris naturalis est retractus, hinc ad praxim inferendùm est, juri retractus posse renunciari, *Afflictus de jure prot. in princip.* Leg. *n* 30. *in fine Mangil. de evict. q.* 137. *n.* 1. *Gratian. discept.* 672. *n.* 1. *Pacionius alleg.* 3.

Non refragatur VII. Textus in L. *qui Roma §. cohæredes ff. de V. ob.* ubi coheredes pacto valent convenire, ut unus alteri solum rem vendat.

Nihil enim ex hoc Textu probatur; etsi enim pactum inter duos iniri possit, ut extraneo non vendatur, *L. cum pater, §. libertis, ff. de Leg.* 2. *L. peto, §. fratre ib.* Non hinc sequitur, rescindendam esse venditionem; hoc solum sequitur, quod pactum minimè observans, possit ad interesse condemnari, ita *Marta de jurisd. cas.* 30. *p.* 4. & eodem modo respondendum est ad Textum *in cap. ad aures de reb. Eccl. non alienand.*

Et hæc satis, quoad primum articulum, an retractus sit Juris communis?

Venio ad aliam controversiam. Cum enim 119
jus retractus sit præter, aut contra Jus commune, cumque statuto, vel consuetudine in aliqua regione possit introduci, ut verè introductum apparet; nam in Gallia fere tota gentilitiæ redibitiones in usu sunt; apud Patavinos servatur jus congrui, item in Urbe Roma est Bulla Sixti V. *de ædific. & nov. operibus* quę extat *in L. 6. statut. fol.* 29. Itemque in Urbe Florentiæ, *Sabellus in sum. verbo jus congrui* item in Urbe Perusii, de quo retractu noster Textus *in cap. constitutus de in integr. rest.* non frustrà neque inutiliter, operam impendemus in exquirendo, an statutum retractus, aut consuetndo, personas afficiat Ecclesiasticas?

Sit nostra conclusio. Si statutum retractus in ejus executione gravet Clericum, nullo modo ad Clericum pertinet.

Explico conclusionem. Tres casus occurrunt observandi cum *Guttierez Practic. Quæst.* L. 2. *cap.* 156. I. Quando laicus vendit rem laico, est tamen Clericus consaguineus vendentis, & Cle-
ricus vult retrahere. Secundus casus est, quando 120
Clericus vendidit rem laico, quam alter laicus vel Clericus vendentis consaguineus vult retrahere. Tertius casus est, quando laicus vendidit rem Clerico, a quo laicus alter vult retrahere. His præmissis.

Quod attinet ad primum casum, quando laicus vendit rem laico, est tamen Clericus consan-
guineus vendentis, & vult retrahere, non est 121
ambigendum, id permitti Clerico. Permittitur

Clerico

Clerico uti statuto laicali in sui utilitatem. Si quis tamen dubitat, argumentis convincam.

Probatur I. Nam meritò Clerici exempti a laicorum jurisdictione dicuntur, ne inde ullis afficiantur oneribus, *cap. non minus de immun.*
122 Ergo cum cessat gravamen, quin potius resultat utilitas, poterit Clericus statuto retractus uti.

Probatur II. Quia & Lugduni consuetudo a laicis introducta vigebat capiendi possessionem per *festationem*, nempe per glebam terræ pallio involutam; hac consuetudine impunè uti poterit Clericus: id omne habetur in *cap. 2. de consuet.*

Probatur III. ex *can. si in adiutorium dist. 10.* ibi: *si in adiutorium vestrum, etiam terreni Imperii Leges sumendas putatis non reprehendimus.* Quid clarius?

Probatur IV. Quidni enim uti possint Clerici in sui favorem statutis Principum, si Principes privilegia Clericis concedere, compertum est: sic narratur, Theodosium Imperatorem, & Carolum Regem indulsisse, ut ex privilegio causas laicorum tractarent, *cap. novit vers. sic illud de Jud. cap. cum laicus de reb. Eccl. al. can. generaliter 16. q. 1.*

Sed quid opus aliis argumentis? Noster Textus, qui est scopus, ad quem collimant omnia, rem omnem in apertum ponit in *cap. constitutus de in integr. rest.* Hæc Gregorii Lex concedit Clerico Perusino, uti posse statutó ejus Urbis, vi cujus laici redhibere rem alienatam poterant.

Satis multa de primo casu dixisse, videmur. Quod attinet ad casum secundum; quando Clericus vendit rem patrimonialem, vel avitam
123 laico, ab emptore poterit consanguineus retrahere. Cur ita? Duobus argumentis planum faciam.

Probatur I. Quia in præjudicium Clerici, qui
124 jam rem distraxit, id nulla ex parte redundat; qui retrahit, reddit pretium; ergo emptor non habet regressum, adversus Clericum; interim ergo Clericus non remanet sine pretio. Retinet pretium Clericus; res in familia conservatur. ergo retractus, juxta hunc casum, non gravat Clericum.

Probatur II. Quia licet res Clerici gaudeat privilegio exemptionis a laicali statuto, *cap. quamquam de censib. in 6.* Attamèn ex quo Clericus vendidit, translato dominio in laicum, res exuit eam qualitatem, § *per traditionem Inst. de rer. divis*; si ergo retrahit Clerici consanguineus, non quoad rem ipsam Clericus læditur.

Quod attinet ad tertium casum, quando Cle-
125 ricus a laico rem emit; justa hunc casum, illud fixum, ratumque esse debet, non posse in Clericum retrahi, *Murga de Benef. q. 10. sect. 1. n. 31.*

Probatur I. Quia tunc statutum, aut consuetudo læderet Clerici volentis emere libertatem. Id permittendum non est, *cap. Ecclesia S. Mariæ de const. Auth. cassa, & irrita. C. de Sacr. Eccl.*

Probatur II. Quid enim esset retrahere a Clerico, nisi illum adstringere, nisi illum urgere, nisi illi imperare? At quis imperabit? Laica potestas. Absurdum manifestum, *cap. si Clericus de Jud. cap. nullus eb.*

Probatur III. Quia licet retractus sit ob innovationem, quæ habetur in Codice contra Jus commune, attamen olim retractus Juris communis erat. Adveniat statutum redigens omnia ad Jus commune; res enim quæque de facili ad suam redit originem. Clericusne Jure communi uti non poterit? Non poterit libere emere, prout disponitur in L. *nec emere C. de Jure deliberandi*? Ergo prægravabitur persona Ecclesiastica, ejus læditur libertas.

Sentio quid protinus dicturus sis cum Guttierez contrariá sententiam in hoc tertio casu mordicus defendente; dices, Jus retractus rem afficere, non personam ex L. *via 33. §. si fundus, ff. de servit.* Res autem quamquam in Clericum transeat, cum suo onere transit, si illud reale sit, *cap. quanto de Jud.* 127

Jam respondetur, imprimis falsum esse, retractum esse onus reale, quin potius ex retractu oritur personalis actio. Deinde respondetur, retractum rem ipsam afficere quousque potest, cum ejus vis tota pendeat ex Juris potestate. Ac proinde simul ac res induit qualitatem nobiliorem, propter qualitatem possidentis, non sequitur effectus, qui in laico possessore locum haberet, ut *Marta respondet ubi supra.*

Ex quibus elucidatus remanet Textus in *cap. constitutus de in integr. rest.* etenim non procedit quoad hunc tertium casum; quippe statuto hoc tantum uti possunt Clerici in sui favorem, *Antonellus de jur. & on. L. 1. p. 2. cap. 12. n. 4.*

(bb) Sub hasta.

DISSERTATIO XIII.

De venditione sub hasta; an hac necessaria dum res Ecclesiæ sunt vendendæ pro expositione Textus in can. cū enim 10. q. 2.

Falcem in messem alienam non mittimus, dum sermonem de venditione sub hasta instituimus cujus tractationem ad solos Pragmaticos fortè aliquis arbitrabitur pertinere. Imo & ad Canonistas in rebus Theoricis occupatos hæc quoque disquisitio pertinet, cum de hac venditione sit Textus in *can. cū enim 10. q. 2.* ad quem explicandum plurimum conferre poterit hæc dissertatio. 128

Hasta, ut hinc exordiar, erat apud Romanos insigne Imperii, symbolumque justitiæ administrandæ. Proconsules namque, de Civilibus Provincialium causis cognoscentes, hastam pro Tribunali erigebant, veluti symbolum supremæ potestatis. Hinc prisci Reges, ante usum Diadematis, parvas quasdam hastas gerebant, easque pro sacris venerabantur, neque alia sceptra stringebant. Græci hoc genus sceptri invenisse perhibentur;

sed glo-

sed gloriæ studium fecit, ut gemmata tandem, atque aurea gestarentus. Quin&in coniug is apud Romanos nova nupta comebatur cælibari hasta in signum, quod viri imperio subiaceret. Præterea eo dementiæ antiquitas prolapsa est, ut hastas pro Diis immortalibus venerarerur. Hinc apud Ægiptios baculus surrectus Divinitatis symbolum habebatur, *Cal. Rodbig.* L. 12. *cap.* 27. Quoniam proinde potestatis symbolum erat hasta, cum erat aliquid vendendum publica auctoritate, in hastarium merces adducebantur. Hastarium locus erat, ubi hasta ponebatur, ad indicandum, illum actum venditionis esse publicum, *L.* 1. C.
129 *de fide & Jure hasta fiscal.* & publicatio vocatur in *L. si fundus ff. locati*.

Si queris finem introducendi genus hoc venditionis, equidem non leves effectus inde pro-
130 manant.

I. Venditio habitis hastis facta publica, & solemnis vocatur, *Auth. hoc Jus porrectum*, C. *de*
131 *sacr. Eccl.* ibi: *quo subsecuto, per 20. dies rem Ecclesiæ venalem esse publicè, notum sit*.

II. Venditio sic peracta majori roboratur firmitate, L. *si quis* C. *si propter publicas pensit.* ibi: *sub hasta* distracti perpetuam accipiant emptionis firmitatem. Quare subhastatio tollit omnem fere conquerendi occasionem, *L. si hypothecas ad fin. C. de remis. pign.*

III. Presumitur, in venditione sub hasta justum pretium intervenisse, L. *si quos* C. *de rescind. vend.* & hæc venditio æquiparatur Judicis cognitioni super valore bonorum, *Mangil. de subhas. q.* 38. *n.* 8

IV. Ut id redundet in favorem vendentis. Quis enim ignorat, augeri pretium, dum publice sic venditur? Quocirca subhastatio auctio appellatur, *L.* 4. C. *de fide, et jure hasta fisc.*

En expositum finem. Ex quo probè intelligitur, cur quidam necessariò sub hasta vendere debeant. Quinam hi sunt?

I. Non possunt nisi sub hasta vendi fiscalia bona, *L.* 2. *C. si propter publ. pens.*

132 II. Res Civitatis distrahi tam solemni debent venditione, *L. res C. de div. præd. Urb.*

III. Putat *Mangillus jam laudatus*, idem de prædiis minorum dicendum, licitationes enim, utpote animosæ fructuosę sunt, *L. locatio ff. de publ. & vectig.*

Nunc, ut descendam ad quęstionem, ad quam prædicta referuntur, quid est dicendum de rebus
133 Ecclesiasticis? Id quærit Mangilius, id Niger, id Redoanus in *Tract. de reb. Eccl. al. vel. non.* an res Ecclesię vendendæ sint sub hasta?

Verumtamèn, & praxis, & ratio suadet, ne-
134 cessariam hanc solemnitatem non esse ad res Ecclesiæ distrahendas.

Probatur I. Quia jam ex consuetudine non est præcisa necessitas vendendi hac solemnitate, *Gratianus cap.* 470. *in Discept. n.* 9. potest enim nihilominus dici de nullitate, si enormis intervenerit læsio. Cum igitur etiam paratum sit Ecclesiæ læsæ remedium, *cap.* 1. *de in integr. rest. cap. cum dilecti de empt. & vend.* non est hæc solemnitas necessariò adhibenda.

Probatur II. expendendo Textum in *Authentica hoc Jus porrectum C. de sacros. Ecclesiis*. Hic Textus, ut cuivis literam legenti manifestum erit, per viginti dies rem Ecclesię venalem esse oportere publicè, ut plus offerenti detur, & hoc inscribendum esse, nihil damni in ea re factum Divinæ domui, decernit.

Idem hic Textus amplius non observatur, ut tradit *Turricellius in Tract. de reb. Eccl. non al. cap.* 3. *n.* 2 *ex Rota in Decis. p. n.* 2. *de consuet. in ant.* Ergo non est amplius, etiam inspecta Cæsarea Lege, venditio publica, ex necessitate.

Probatur III. Quia unica forma alienationis præscripta est in *Extravag. ambitiosa Tit. de reb. Eccl. non al.* quam unicè servandam esse, ita ut penis, quibus erant Jure canonum antiquo obnoxii Clerici alienantes sublatis, abrogatisque, standum sit decisioni huic recentiori, non dispositioni Textus, *in can. si quis* 10. *q.* 2. *in can. Apostolicas* 12. *q.* 2. *in can. nullus* 17. *q.* 4. *in can. Abbatibus* 12. *q.* 2. docet *Ventriglia Tomo* 1. *annot.* 1. §. 4. *n.* 13. ergo cum in d. Extrav. nulla sit publicæ venditionis indicata necessitas, hæc omittenda est.

Probatur IV. *ex cap. cum laicis hoc T. de reb. Ecc. al.* ubi quidquid laica Lex circa venditiones rerum Ecclesiasticarum constituit, decernitur, non tenere; atqui cum nusquam Lex propriè Ecclesiastica de venditionis publicæ necessitate constituat quidquam, si talis solemnitas exigeretur, id procederet ob Legis Civilis dispositionem; ergo nullatenus hæc necessitas admittenda est.

Sed urget in contrarium. Textus in *can. ea enim* 135
10. *q.* 2. ubi necessitas vendendi publicè res Ecclesiasticas præscripta noscitur.

Sed respondendum cum *Redeano in hoc Tract. pag.* 155. eum canonem ad rem non facere. Quippe est Lex Civilis ibidem transcripta, nempe Textus in *Auth. hoc Jus porrectum C. de Eccl.* quem ab usu recessisse, docet *Turricellius in Tract. de reb. Eccl. non alien. cap.* 3. *n.* 2. & prędictum Textum non observari, docet Canisius *in Tract. de differ. utriusq. Jur. differ.* 20. *Gonzales in cap.* 1. *de his, quæ fiunt a Prælat n.* 7.: nullam enim huiusmodi prohibitioni auctoritatem præbere potest Lex sęcularis. *cap. fin. de his, quæ fiunt a Præl.* Qua etiam ratione dictum Basilii Præfecti Prętorio editum anno 483 *teste Baronio Tomo* 6. *eod. an.* licet rerum Ecclesiasticarum alienationem prohiberet, nullius momenti declaratum est in *can. bene quidem* 96. *dist.*

Eodemque modo respondendum est ad Textum in L. *jubemus* 14. C. *de sacros. Eccl. & in Novell.* 7. *Just. & in L. privilegia* 17. *C. de sacros. Eccl.* Nihil enim Lex civilis expers jurisdictionis potest quoad res Ecclesiasticas decernere, exornat *Castillo de usufr. L.* 1. *cap.* 34. *n.* 14. *Sarmient de reddit. Eccl. L.* 1. *cap.* 2. *Grananietus in cap. ult. de reb. Eccl. al. vel non.*

(cc) Res.

Res, quæ servando servari non possunt, alienari possunt sine solemnitate.

146 Adducam verba *Extrav. ambitiosæ Tit. de reb. Eccl. non al.* ibi: *præterquam in casibus a Jure permissis* (& infra) *ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt.* Quemadmodum id ipsum conceditur tutoribus. Hi enim vendere possunt res, quæ modicum durant, L. *Lex*, *quæ* 22. §. *cum ergo C. de admin. Tit.*

Quod verò est in d. Extravaganti: idipsum statuitur *in can. terrulas* 12. *q.* 2. & passim omnes consentiunt.

(dd De retrovendendo.

DISSERTATIO XIV.

De Retrovenditione, quatenus permissa sit etiam in rebus Ecclesiæ.

137 Solet venditio nonnunquam cum pacto celebrari, ut emptor cum primum videt, sibi pretium restitui a venditore, rem reddat titulo emptionis acquisitam. Hæc venditio dicitur cum pacto revenditionis, seu retrovenditio, *Fachinaus* L. 2. *Contr. cap.* 12.

Et quod attinet ad res Ecclesiæ, planè retrovenditio celebrari non potest sine solemnitate ab Admi-
138 nistratoribus rerum Ecclesiasticarum: eò quod retrovenditio verissima est alienatio, sive Ecclesia emat, ut restituat, sive Ecclesia vendat cum tali pacto, notat *Ventriglia Tomo* 1. *Annot.* 1. §. 2. *n.* 24. *ex Marescotto variar. Resol. L.* 1. *Resol.* 90. *n.* 2. *ex Riccio in Praxi* 1. *Parte Resol.* 40. & si contradicat *Turricellius de reb. Eccl. non al. cap.* 8. *n.* 51. & 52. aliique, de quibus infra *in ultima difficultate*.

Sed, an per se contractus hic retrovenditionis
139 honestati consentiat, conflictus est non levis inter Interpretes.

Dicendum est, pactum de retrovendendo esse
140 licitum, nisi aliæ occurrant circumstantiæ, unde arguatur usura. Explico conclusionem. Circumstantiæ sunt duę, quę si concurrant, pactum revendendi æquo jure defendi non potest, pretii modicitas, & consuetudo fœnerandi. Pretium ergo traditum ab emptore non debet esse modicum, sed justum: nam alias videtur velle fructus rei lucrari, quasi in fraudem usurarum: itemque suspicio crescet, si emptor solitus sit fœnerari, ut præclare docet, rejectis omnibus aliis opinionibus, Fachinæus *L.* 2. *Contr. cap.* 12. Qua explicatione præmissa.

Probatur I. conclusio *Levitici authoritate cap.* 25. *his verbis: Dominus hæc dicit filiis Israel, & cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*, at hoc pactum redemptionis est illud, de quo agimus, ergo perperam improbata retrovenditio censetur.

Probatur II. ex *cap. illa vos de pignor.* ibi: *quamvis possit per conditionem* resolvi. Ergo vi pacti resolutivi admittitur venditionem dissolvi.

Probatur III. ex *L. si fundum C. de pactis inter empt.* ubi Textus ait, contractus fidem esse servandam, si ea lege venditum sit, ut reddito pretio res restituatur.

Probatur IV. ex Textu *in L. si a te C. de pactis inter empt.* ubi expressum est, jure non peti ut aboleatur pactum retrovenditionis.

Probatur V. ex Textu in *L.* 3. *ff. de contr. empt.* & *in* L. 2. *ff. de addict. in diem*, ubi non dissimilis invenitur sententia.

Constat igitur pactum de retrovendendo approbari. Et subtilius quam verius *Faber de error. Pragm. decad.* 22. *error.* 1. distinguit inter pactum de re restituenda, & pactum revendendi, cui adhæret Costa L. 2. *select. cap.* 23. *Piebardus in §. si fitum Inst. de off. Jud. a num.* 195. *Corras.* L. 3. *miscell. cap.* 9. Nam pactum hoc communiter ab Interpetribus ex vi prædictarum Legum agnoscitur, teste *Gonzales in cap.* 5. *de empt. sub n.* 3. & videre est *apud Fachinaum* L. 1. *cap.* 13. 14. 15. 141

Et potest etiam id probari ex *L.* 2. *C. de pactis inter emptor.* ubi legislator jungit verbum *restituere* cum verbo *pretii*: ergo vox restituere, adeoque pactum illud attinet ad veram emptionem: *pretii* vox relativa est; uno ex correlativis posito, aliud ponatur, necesse est, L. 2. *ff. de usufr. L. si super delicto C. de relat.* Accedit, quod si, ut prædicti Interpetres arbitrantur, non ad revendendum emptor, sed ad interesse tantum compelleretur vi hujus pacti, detorqueretur pactum ad alienum sensum, quàm qui in mente fuerit editoris. Quis enim sibi persuadeat, venditorem non optasse rem recuperare? Quis non videt, venditorem decipi, si in eo laborare debeat, ut id, quod sui int rest, demonstret. Ex quibus constat, nil differre pactum de re restituenda reddito pretio a pacto retrovenditionis, adeoque adductæ a nobis auctoritates egregiè probant propositam conclusionem.

Nec turbat Textus in *L. cum manu in fine ff. de contr.* ibi: *nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat; sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus*. En Textum, qui negat retrovenditionis pactum admitti, cum potius locatio sit.

Sed respondetur non tractari de retrovenditione, sed de ea emptione, in qua dominium non debet ad emptorem transire, quo casu emptio secuta non dicitur. At in nostra specie vera sequitur venditio, ita tamen, ut dominium recuperetur, si pretium reddatur. Hinc si per alluvionem aliquid accreverit fundo jam vendito, erit emptoris: nec cum sequitur redditio pretii, augmentum beneficio alluvionis acquisitum restituetur, L. *id quod ff. de periculo & com. rei vend.* L. 1. C. *eod.* latè Fachinęus L. 2 *contr. cap.* 6.

Neque in nostram conclusionem jam satis expositam, ac defensam contraria argumenta quid-

quam

quam ponderis habent.

Non obstat I. Textus *in cap. illo vos de pignor.*
243 ubi pactum retrovenditionis expressè tamquam usurarium exploditur.

Resp. pactum de retrovendendo improbari, cum illæ duæ occurrunt circumstantiæ adductæ in explicatione cōclusionis, nempe modicitas pretii, & consuetudo fœnerandi, ad quam refertur hic Textus, ut ex lectione literæ constabit.

Non obstat II. Textus in *cap. ad nostram de empt.* ubi pariter pactum hoc retrovenditionis labe infectum usurariæ declaratur.

Resp. & in hoc Texto de prædictis circumstantiis tractari; et quidem si magna sit læsio circa pretium rei venditæ, & pactum adsit revendendi, nil aliud suspicari libet, quam contractum initum fuisse in fraudem usurarum, ut idem *Fachineus* respondet *ubi supra*.

Non obstat III. Textus in *cap. nulli 5. hoc nostro Tit.* ubi alienationis prohibitę verbum continet etiam *conditionem*, idest pactum resolutivum, quod apponi consuevit in hisce venditionibus.

Me expedirem facili negotio ab hac difficultate dicendo, verbum *conditionem* perperam in Textum irrepsisse; cum legendum sit *conductionem*.

Sed aliter occurram difficultati. Ut supra in eadem hac dissertatione notavi ipso initio, retrovenditio in rebus Ecclesiasticis sine solemnitate celebrari non potest, ita *Cirontius in prædicto Textu*; quare intelligitur, quid sibi velit ille Textus, habetur enim in eo singularis nostræ conclusionis exceptio; quamquam contrariam sententiam multi docuerint, *Larrea Tomo 1. decis. 40. n. 70.* aliique, quos adducit *Gonzales in notis ad oppositum Textum n. 6. Olea de cess. Jur. L. 2. q. 2. per tot.*

Sed quominus his adhęream, illud facit, quia
244 etsi dominium, quod transfertur, sit revocabile attamen hinc non sequitur, etiam sine solemnitate retrovendi posse a Clerico; alioquin posset etiam pignori dare, quod tamen falsum est, *cap. 1. de pign. Covarr. var. cap. 16. L. 1. Redoan. de reb. Eccl. q. 2. cap. 6. Bellett. disquis. Cler. part. 2. de pan. Cler. § 34. n. 2.*

[ee) *Sistat.*

DISSERTATIO XV.

De Evictione, & quis Judex competens in causa evictionis in persona Clerici.

Rescinditur venditio per retractū, per retrovenditionem, quos præcipue modos, aliis posthabitis, placuit considerare, sed et rescinditur per evictionem.

Evictio liberatio est rei distractæ, *Doctores*
245 *in L. 8. C. de evict.* evincere idem ac vincendo extorquere, Virgil. L. 4. Æn.

Tu lacrymis evicta meis,

Plus est evincere, quàm vincere, sicuti plus est emigrare, quàm migrare, plus eradicitus, quam radicitus Plautus in mostel.

Omnia ego male male facta reperi.

Nec radicitus quidem, sed eradicitus.

Ille igitur, qui in prædio vendito dominium vel hypothecam habet, talique jure confisus extorquet a possidente prædium, dicitur evincere. Et definitur evictio, rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisiverat, per Judicem justa recuperatio, *L. 24. L. 56. & seq. ff. de evict.*

Ut ad alia descendam, quæ ad notitiam evictionis pertinent. Si fuerit emptori, præter suam expectationem, prædium per evictionem ablatum, non tamèn omni de stituitur remedio. Habet emptor actionem ex empto, non solum ad pretium recuperandum, sed etiam ad id, quod interest, *L. evicta re 70. ff. de evict.* quod remedium, profluit ex ipsa natura contractus, *L. 6. C. de evict. L. 1. ff. de aut. empt.* Aliud remedium est actio ad simplum pretium, vel duplum, vel triplum, vel quadruplum, si dictum fuerit vendendo, ut in casu evictionis vel simplex pretium reddatur, vel duplum pretii, vel triplum, teneturque venditor vi stipulationis, quæ idcirco vocatur stipulatio simplæ, duplæ &c. *L. si dictum 56. ff. de evict. L. si in venditione 60 ff. de evict.*

Sed si nihil in conventione, instrumentove venditionis dictum sit de evictione, attamèn regressus ad pretium recuperandum emptori datur in venditorem, *L. non dubitatur C. de evict. L. 66. ff. de contr. empt.* Differt tamèn actio simplæ ab actione duplæ; nam in actione simplæ deoptuntur, & pretium, & interesse particulare, *L. 60. ff. de evict.* Duplæ verò actio non recipit augmentum, quia in illa non consideratur interesse, sed ejus loco duplicatum pretiū ex stipulatione exigitur, *L. 64. ff. de evict. L 44. ff. de act. empti.*

Verumtamèn regressu destituitur emptor, evictione secuta, si litem contra se motam auctori suo, aut heredi denunciare neglexerit ante condemnationem, *L. 29. §. 2. ff. de evict. L. emptor C. de evic. cap. si venditiun. de empt. & vend.*

Sed in controversiam revocari solet, an Ecclesia emptrix suum recuperet pretium, etsi litis molestiam venditori non denuntiaverit. 246

Sit nostra Conclusio. Ecclesia regressum habet evictione secuta, licet omiserit denunciationem.

Probatur I. quia Ecclesia utitur jure minoris, 247
cap. 1. cap. auditis de in integr. rest. atqui in minoribus illud est receptum, ut regressum habeant etiam lite non denunciata, *L. in minorum C. in quibus cauf. in integr. rest. necess.* & dispositum in uno æquiparatorum, dispositum censetur in alio, *cap. si postquam de elect. in 6.*

Probatur II. Ecclesię enim subvenire spectabat ad venditorem, quem in hac conclusione supponimus litis notitiam aliunde comparasse, *Fachinaus L. 2. Contr. cap. 38.* atque idem scire debebat, Ecclesiam strepitus forenses aversari,

 nea Di-

ne a Divinis officiis avocetur, *cap. te quidem* 11. *q.* 1. Ergo in mora est venditor, cum legitima excusatione tueri se nequeat, *reg.* 65. *de Reg. Jur. in* 6.

Probatur III. Quia cum agitur de re Ecclesiæ, novum non est, ut sine interpellatione mora inducatur, *cap. potuit in fine de locato*.

Neque his obloquitur I. Textus in cap. brevi de jurejur. ibi: *requisitus*: requirere est in-
148 terpellare, ergo & de Jure Canonico interpellatio exigitur.

Resp. in eo Textu non quæri, an interpellatio sit necessaria; sed quæri, an si quis juraverit defendere Ecclesiam, perjurus sit, si non defenderit non interpellatus, & perjurus esse deciditur. Quæritur ergò de perjurio, non de simplici promissione, aut obligatione defendendi.

Neque II. obicias, moram non committi absque interpellatione, *L. mora ff. de usur.*

Resp. enim, id generatim dici non posse ob Textum in *cap. si inimicus dist.* 93. Deinde, cum regula excipiatur in casu minoris, idipsum ad Ecclesiam transferendum est, quippe quę gaudet jure minoris, *cap. auditis de in integr. rest.*

Plura alia dabit Covarruvias *L.* 3. *var. cap.* 17. *Fachinaeus ubi supra*, *Marta de jurisd.* P. 4. *casu* 34. *n.* 7. ubi de communi testatur. *Antonicellus de jur. & oner. L.* 1. *part.* 5. *cap.* 64. *n.* 49. qui intelligit hanc sententiam, quando Clericus
149 emerit nomine Ecclesiæ; nam Clericus, ut Clericus non gaudet jure minoris.

His explanatis, jam, quæ in nostro Titulo posita sententia est, examinabitur.

Sententia nostra hęc est. Quod Clericum
150 in causa evictionis se sistere coram Judice sæculari & repræsentare oporteat, non vero possit avocare causam ad forum Ecclesiæ.

Ut id intelligatur; supponimus, Clericum esse venditorem, Clericum de evictione promisisse, Clericum esse auctorem laudatum, idest ei ab emptore molestiam litis fuisse denunciatam, quod est *auctorem laudare*, *L. auctore lau-*
151 *dato C. de evict.* Auctorem enim eum vocabant Romani, a quo quis habuisset jus, causamque possidendi, cujusmodi est venditor, L. *Pomponius* §. 1. *ff. de acq. poss.* laudare autem idem est, ac citare, nunciare, appellare, *Aulus Gellius L.* 2. *noct. cap.* 6. Et hæc denunciatio ita fieri debet, ut mittatur venditori copia libelli, in publica forma, per quam certior ipse auctor de lite reddatur, *L. nomen C. quæ res pignori*. Jam ergo, cum in controversiam revocari soleat, an Clericus, cui lis fuerit denunciata ad defensionem accedens trahere possit causam ad forum Ecclesiasticum, sequimur communem, veramque sententiam, quæ talis est, Clericum auctorem laudatum defendere debere emptorem coram Judice laico. Ita innumeri, quos citat Fachineus L. 2. *Controvers. cap.* 38. & *Oliva de foro Ecclesiæ P.* 2. *q.* 30. per totam.

Probatur I. Quia expressa adest auctoritas,
152 quæ Clericis etiam accomodatur in *L. venditor ff. de Judiciis*, ibi: *Venditor, ab emptore denunciatus, ut eum evictionis nomine defenderet, dicit, se privilegium habere sui Judicis. Quæritur, an possit litem ab eo Judice, apud quem res inter petitorem cœpta est, ad suum Judicem revocare. Paulus respondit, venditorem emptoris Judicem sequi solere*. Si hic venditor auctor laudatus emptoris Judicem sequitur, ergo Clericus, qui vendiderit laico emptori, non debet causam trahere ad forum Ecclesiasticum.

Probatur II. Quia cum auctor laudatus suscipit defensionem emptoris, est instar procuratoris emptoris, ergo in tribunali emptoris se sistere oportet, *L. sed & hæ* §. *non solum ff. de procur.*

Probatur III. Quia actio non fuit intentata in Clericum sed in possidentem, L. *in rem C. ubi in rem actio*; ex quo Textu sequitur, non esse jurisdictionem Judicis proprii emptoris intervertendam, ut ipse Textus deducit in casu venditoris laudati, ergo verissimum est nostrum assertum.

Probatur IV. Quia Clericus in controversia judiciali potest declinare forum laicale, quotiescumque sit reus, *cap. si Clericus laicum de foro competenti*; atqui in nostro casu non est reus sed defensor; ergo declinare forum non debet *Clem. Religiosus de Procur.*

Probatur V. Quia jus tertii defensoris regulatur a jure principalis litigantis, *cap. cum super de re jud.* atqui principalis litigans est laicus; ergo ejus forum Clericus sequi debet.

Probatur VI. Quia forma petitionis est attendenda, cum agitur de competentia, *L. cum quadam puella*, §. *quoties*, *ff. de jurisd. omn. Jud. L. fin. C. de appell.* atqui petitio in nostra specie dirigitur ad emptorem laicum; ergo non potest Clericus opponere declinatoriā; secus esset, si contumace emptore Clericus in se causam evictionis susciperet, tunc enim opponeret declinatoriam *Auth. qua in provincia* §. *eo autem C. ubi de crim.*

Contraria non obstant, imo facile his funda- 153
mentis perpensis, superantur.

Non obstat I. Clericum habere præscriptionem fori, *cap. si diligenti de foro compet. can. nullus* 11. *q.* 1.

Resp. distinguendo: Clericus habet fori declinatoriam exceptionem, quando convenitur, ut Clericus, vel quando convenitur super rebus Ecclesię, concedo; at quando Clericus coram Judice sæculari gerere debet personam defensoris, nulla ratio est, cur debeat forum sæculare declinare; imo cum sit procuratoris instar, atque consors litis coram Judice sæculari se sistat, necesse est, *Clementina Religiosus de Procur*. Neque enim suo nomine Clericus causam agit. Quod si forte vellet suo nomine litigare, tunc declinandum esset forum laicale, atque ita Textum in cap. si diligenti intelligit *Oliva P.* 2. *de foro Eccl. q.* 30. *n.* 11.

Nec obstat II. exemplum Fisci *in L.* 3. *C. de jure fisci L.* 10. ibi enim traditur, quod Fiscus

in causa

in causa evictionis non alium Judicem competentem habet, quam Judicem fiscalem.

Duplici responsione occurritur. Pr. respondetur, quod privilegium Fisci quoad aliqua uberius est privilegio fori, quo gaudent Clerici. Ecce; Clerici non gaudent privilegio fori quando sunt actores, & ut nos impræsentia tuemur, quando sunt defensores motæ litis in causa evictionis; at Fiscus sive actor, sive reus sive respondens, sive assistens habet privilegium insigne, ut coram Judice fiscali sit litigandum, docet *Curtiada Tomo V. decis.* 251. *idque ad mentem Textus in L. ad Fiscum*, *in L. hac C. ubi caus. fiscales*. Secundo respondeo, quod Fiscus, ubi agitur de defensione, utitur jure privati, præterquam in casibus expressis, Glossa in L. *item veniunt* §. *in privatorum ff. de petit. har.* at privatus quisque debet coram Judice emptoris defendere, L. *venditor ff. de Jud.* ergo etiam Clericus.

Nec refragatur Textus adductus in contrarium in L. 3. C. *de Jure Fisci* L. 10. Interpetror Textum. Casus est hujusmodi: Fiscus habebat rem pignori obligatam per suum debitorem. Fiscus pignus post certum tempus vendidit, Fiscus deceptus fuit ab emptore, & minoris vendidit, quam oportebat. Id cum rescisset Dominus, cœpit a Fisco petere, ut ab emptore res fraude comparata sibi redderetur, & quantitatem debitam Fisco reddidit. Interim venditor Fiscus mandat, ut causa hujusce venditionis rescindendæ tractetur coram Judice fiscali. In hac specie non adest Judicium evictionis. Fiscus non est auctor laudatus; non adhibetur Fiscus ad defendendam venditionem, quin potius ad rescindendam. Ergò non probat Textus, quod Fiscus in causa evictionis suum forum sequi tantummodo debeat. Ita *Cujacius in comment. ad d. L.* 3. *vide Barbos. de Jur. un. L. 1. cap. 39. n.* 155.

[*ff*] *Ad Firmam.*

Quid in nostro Jure contractus ad firmam.

Contractus locationis aliquando idem est apud canones, ac contractus *ad firmam*, *cap. vestra de* 154 *locato*, *cap. ex literis de Jure Patronatus*, *cap. secundum ne Clerici*, *vel Mon.* Cujacius *in cap. vestra de locat.* ait, hanc vocem esse Saxonicam, quæ significat mercedem locationis, & latè de firma *Tomassinus in discipl. Eccl. P.* 1. L. 2. *cap.* 28.

(*gg*) *In sola pecunia.*

DISSERTATIO XVI.

An merces locationis operum in sola pecunia esse debeat?

Dum locatio definitur, contractus, quo personarum, vel rerum usus pro certa aliqua mercede conceditur ex *L. si tibi*, *ex L. si quis do-* 155 *mum*, ex L. *si merces per locati* L. ex *conducto*, §. *cum quidam ex L. si in lege ff. eod. ex L. item quæritur*, ex L. *in operis*, *ff. 10. ex L. merces ff. de V. S.* exurgit implacabile dissidium inter Magistros Legum, canonumque; an merces, quæ in locatione requiritur, constituenda necessario sit in pecunia?

Duæ sunt omnium ferè Interpetrum sententiæ invicem contrariæ, ac repugnantes. 156

Quidam in sola pecunia mercedem locationis esse oportere, contendunt. Alii quidam victi difficultate Textus in L. *si olei C. de locato*, ubi expressè mercedem locationis in oleo posse constitui, decernitur; liberum esse, statuunt, pensionem cujusque locationis, aut in pecunia, aut in fructibus destinare.

Mihi quidem sollicite causam quærenti tam sævi dissidii, cogitantique, an id esset gravis momenti, post seriam causæ discussionem, compertum est, inanem curam ab Interpretibus non susceptam; nam ex pensionis constitutione pendet distinctio locationis a ceteris contractibus; debet autem inter unum, & alium contractum discrimen intercedere, §. *qua de causa inst. de loc.* L. 2. *ff. si certum pet.* L. *cum manu* 80. *ff. de mort. C. dom. cap. ad quæstionis de rer. perm.* Ergo quidnam pro pensione sit solvendum, decernere, ad vitandam contractuum confusionem, permagni interest.

Cum verò non possint absque violenta interpretatione, redigi ad concordiam Leges tam multæ, quæ modò mercedem locationis esse volunt in pecunia, modò in fructibus posse constitui decernunt; alia via incedendum est, quam non tenuerunt magna Interpetrum pars; cumque duplex sit locatio, alia fruendi, & alia faciendi, Cujacius *in Paratl. ad Tit. ff. de locat.* idcirco jam quid sentiam, depromam.

Sit nostra conclusio; In locatione faciendi pensio esse debet in sola pecunia; pensio locationis fruendi, & statui, & solvi, vel in fructibus, vel in pecunia potest.

Protuli veram sententiam, quam primus omnium excogitavit Salicetus L *si olei* 9. *de locato*, *eumq. Gregorius Lopez sequitur in L. singulari animadv. cap.* 15. *Pecchardus in princ. inst. T. de locat. Hilingerius in Donell. enuel. L.* 13. *cap. 6. tit. 1. Rithmerus decad.* 11 *q. III. q.* 1.

Probatur I. Quia nullus adduci potest Textus qui in locatione operarum, fructus pensionem esse oportere decernat; imo constanti tenore Le- 158 ges omnes hac de re sermonem inducentes, negant, si fructus solvendi sint, locationis esse contractum. Exemplis rem elucidabo. In L. 1. §. *si quis servum*, *ff. depositi* habetur, quod si quis servum in pistrinum conicerit mercede conventa cum pistrinario pro operibus servi, in pecunia, erit locatio, in fructibus, erit contractus innominatus. In L. *insulam* 8. §. *in operis*, *ff. locati* Labeo Jurisconf. monet, quid sit promittendum pro pensione locationis operis; ita enim loquitur: *In operis locatione pecuniam conductor promiserat.* In L. *ea Lege* 51. §. *locavi*, *ff. locati* Javolenus ait, quod locari possunt operæ, vel ad certum tempus, vel in singulos dies, &

ex tali locatione oritur actio, si pro pensione pecunia fuerit constituta. In L. *naturalis* §. *at cum do*, *ff. de prascr. verb.* Paulus ita loquitur: *At cum do, ut facias, si tale sit factum, quod locari soleat, puta ut tabulam pingas: pecunia data locatio erit, sicut superiori casu emptio; si res, non erit locatio*. Negat ergo Jurisconsultus, fore locationem, si aliud, quàm pecunia detur, pro pensione. Quiddam simile habetur in L. *idemque* §. *iden: Labeo ff. Mandati*.

Probatur II. Quia inevitabilis foret confusio locationis faciendi, cum innominato contractu *do, ut facias*, nisi in sola pecunia ejus pensio constitueretur, atqui confusio talis vitanda est, *d. §. qua de causa Inst. de locat. cum aliis antea adductis*; ergo sola pecunia erit pensio. Quod argumentum necessario dilatandum est. nam, ut notat *Hotom. de pactis*, *Mendozza* L. 3. *cap.* 3. *Piebardus ad Tit. de act. q.* 27. ii contractus elegans meruere nomen, illudque sortiti sunt, quos norunt Legislatores magis in hominum societate frequentes, usitatosque. Itaque eorumdem actiones, eo quod ipsi contractus in judiciis, atque commerciis admodum frequentes essent, certis formulis, solemnibusque verbis comprehensę emanarunt, ne eas populus, prout vellet, instrueret, L. 2. §. *deinde ex his* 6. *ff. de or. Jur.* fusius id prosequitur *Brissonius L.* 5. *de form.* E contrario, qui contractus minus erant frequentes, in generali nomine, in puris terminis conventionis remanserunt, unaque omnibus fuit actio accomodata ad præscriptum conventionum dicta præscriptis verbis *toto Tit. ff. de præscript. verbis*. Quę si mihi concedantur, facile erit cursus ad reliqua; facilè intelligetur, ut locatio faciendi, solam exigat pro pensione pecuniam. Etenim locationem faciendi ita celebrare, ut pro mercede, loco pecuniæ dentur fructus, est improprium, inusitatum, rarum, infrequens. Cur ita? Quia libentius recipit operarius pecuniam, cuius est facilior usus ad expensas, quam fructus. Hinc Sycophanta apud Plautum in Trinummo sic loquitur *Act.* 4. *scena* 2.

Huic ego diei nomen trinummo faciam: nam ego operam meam.

Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.

Quod si operarius, nil aliud reciperet, quam fructus, dum curaret distractionem, a suis operibus avocaretur. Rarò igitur eveniet, ut is conveniat de fructibus, pro sua mercede. Quod ipsum experientia, ne hac in re diutius immorer, aperte declarat. Ex his sequitur, cur cum hic contractus locandi operas pro fructibus, sit infrequens, non locatio, sed contractus innominatus a veteribus fuerit dictus. En verba Textus in L. *naturalis* 5. §. *at cum do*, *ff. de praescr. verb. At cum do, ut facias, si tale sit factum, quod locari solet, puta, ut tabulam pingas, pecunia data locatio erit: sicut superiore casu emptio, si res, non erit locatio*. Sed erit contractus innominatus *do, ut facias*. Ergo nisi detur pro mercede pecunia, non distinguetur locatio operum a contractu innominato *do, ut des*. Quæ distinctio cum sit necessaria, sequitur, in sola pecunia pensionem esse constituendam.

Probatur III. Quia, in locatione fruendi, cum liberum sit, vel in pecunia, vel in fructibus pensionem assignare, facilè percipitur; locatio enim isthæc commisceri cum contractu innominato *do, ut des*, nunquam poterit. Omnis enim contractus *do, ut des*, vel est venditio, vel permutatio, d. L. *naturalis*, §. 1. *ff. de praescr. V.*; atqui ab his locatio fruendi semper distinguetur, sive pro pensione fructus, sive pecunia persolvatur. Habet enim venditio, & permutatio insitum quoddam indicium distinctionis. Nam locatio non transfert dominium, *L. non solet ff. locati*, venditio, & permutatio transfert, §. *vendita*, §. *interdum de rer. permut.*

Neque obiicias I. Imprimis falsum, esse, quod contractus illi nomen elegans fuerint sortiti, qui 159
frequentiores erant. Hanc enim Hotomani alioramque observationem evertit exemplū permutationis. Hæc est contractus innominatus, L. 6. *C. de rer. permut.* Et tamèn quis, obsecro, priscis temporibus contractus extitit frequentior? L. 1. *ff. de contr. empt.* Exempla plurima profert *Cal. Rodhig.* L. 3. *cap.* 27.

Sed eximitur hic scrupulus facili negotio. Neque enim quidam sunt contractus nominati, quidam innominati de Jure gentium; nam *Jus* gentium cum sit summa ratio naturę non poterat, cum in utroque genere contractuum implendo eadem sit æquitas, *L. cum amplius §. his natura ff. de Reg. Jur. L.* 1. *ff. de const. pec.* actionem propriam huic largiri, alteri denegare. Dicendum igitur, quod cum Romanę Leges prodierunt, jam invento pecuniæ usu, permutationis contractus ceteris olim validor, abierat fere in desuetudinem, & propterea innominatus remansit, ut pote redditus infrequens.

Non obstat II. Textus in *Novella de formula artificum collat.* 9. *Tit.* 5. ibi: *Qui ludos literarios exercent, nauta, & artifices pretia, & mercedes plus justo exigere non possunt;* consonat Textus in L. *mercedes ff. de har. petitione*.

Resp. distinguere Textum pretium a mercede; nam cum agat de diversis personis, de nautis, aliisque operariis; his debetur merces tamquam pretium; Exercentibus verò ludos literarios debetur merces tamquam honorarium, L. 1. §. *proinde*, *ff. de var. & extraor. L. cum plures §. cum Tutor ff. de adm. tut.* Non ergo in id tendit distinctio, ut alicui artifici aliqui fructus loco pecuniæ dandi sint. Textum *in* L. *mercedes* explicat *Fachinaus* L. 7. *contr. cap.* 96.

Non obstat III. Textus in L. *sed addes* §. *si dominus*, *ff. locati*, ubi Judex in actu solutionis pensionis arbitrari potest, ut una res pro alia solvatur. Ergo pensio locationis faciendi necessariò in pecunia esse non debet.

Resp. disputationem non versari circa contractus executionem, sed respicere initium. De fa-

cto in

ctio in actu solutionis possunt loco pecuniæ persolvi etiam pecora, *L. pretii causa C. de resc. ven.* alind enim pro alio solùm invito creditore solvi non potest. Itaque satis est, ut initio convenerit de mercede in pecunia pro constitutione locationis faciendi. Quod si ita non esset, utique at pro loci consuetudine pensio taxari non posset, cum tamen possit, *L. licet, C. de locato*, *L. exceptio* 18. *C. eod.* idque apparet etiam cum sunt compensandi fructus cum abundantia *cap. propter de locato*: præclare *Vinnius in §. præterea de locat.*

Non obstat IV. Textus in *L. si merces* §. *vis major ff. locati* ibi: *apparet, de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit, alioquin partiarius colonus, quasi societatis jure lucrum cum Domino dividet*; ergo præcisa potiùs necessitas est pecuniæ in locatione fruendi, non in locatione faciendi, consonat Textus in *L. si apes* §. *fin. ff. de furtis* ibi: *colonus, qui nummis locat.*

Resp. non indicari in adductis Legibus præcisam necessitatem locandi res sub onere pensionis in sola pecúnia erogandæ. Diximus, liberum esse aut in pecunia, aut in fructibus pensionē in hoc genere locationis constituere, ut patet ex *L. si decem ex L. si. quis conduxerit, ex L. quod si domi, ff. locati, ex L. si pascendi* 8. *C. de locato, ex L. si convenerit ff. com. divid. ex L.* & *hac distinctio* 35. *ff. locati, ex L. licet C. eod. ex L. si olei* 21. *C. eod.* quam sententiam docuit *Salicetus in d. L. si olei*. Nec mirum; nam diversis aliis regulis locatio utraque, & faciendi, & fruendi innititur. Locatio rei non transfert dominium, *L. non solet ff. locati cap. dilectos de fid. instr.* sed transfert locatio faciendi, ut notat, alius adductis exemplis, *Greg. Lopez ubi supra*.

Non obstat V. in nulla locatione fructus pensionis vices posse sustinere; quia pensio certa esse debet, §. & *qua iuf. de locat.* Atqui fructus incerti sunt, *L. ubi autem*, §. *usque adeo ff. de V. ob.*

Resp. male argui a stipulatione, quæ stricti Juris est, ad locationem, quæ est bonæ fidei. Cum enim stipulatio præcisam exquirat responsionem, non dubiam, non incertam; planè congruè non respondet, qui stipulanti frumentum bonum Africum, respondet promitto; nam boni appellatio non est certę rei, quia bono melius inveniri potest; ubi autem non apparet, quid, quale, quantumve est, incerta stipulatio est. Emptio autem, ac propterea etiam locatio incertæ rei sustinetur, *L. si jactum ff. de act. empti.*

Ergo hoc fixum, ratumque sit, menti Juris consentire, ut sola locatio faciendi exigat pro pensione pecuniam.

(*bb*) *Extenuanda.*

DISSERTATIO XVII.

Pensio conductori quatenus remittatur ad expositionem Textus in cap. propter de locato.

Textus in *cap. propter sterilitatem, de locato* hæc habet: *propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei sine culpa coloni 160 seu casu fortuito contingente, colonis Ecclesiæ, pro rata est pensionis remissio facienda.*

Ex quibus hanc conclusionem defendendam mihi propono: Locus est remissioni pensionis, 161 si propter sterilitatem vel fructus integri deficiant, vel eorumdem pars dimidia, adeo ut conductor solvendo pensionem remaneat læsus ultra dimidium justi pretii.

Quæ conclusio sic concepta ad mentem melioris notæ Interpetrum, ad vectigalium, & hospitiorum conductores, non incommodè transfertur ubi propter bellum, aut aliam casum inopinatum vectigalia diminuta, aut hospitia minus frequentata fuerunt; ita Canisius *in d. cap. propter ex L.* 4. §. 1. *ff. de cens. ex L.* 15. §. 4. *vers. hoc idem ff. locati.*

Rursus conclusio procedit, si in unum tantum annum locatio facta sit, non verò si in annos plures; nam si in annos plures, & sequatur damnum, inspiciendi erunt anni subsequentes, vel præcedentes, utrum ex eorum ubertate sterilitas damnumue compensari possit, ut Textum nostrum intelligit *Canisius n.* 6. *ex L.* 15. §. 4 & *ex. L.* 8. *C. de locato.* 162

Pariterque conclusio intelligitur, cum damnum vis infulit extrinseca; nam si ex ipsis fructibus damnum, profectum est, ut si vinum coacuerit vel segetes herbis, sive ramis corruptæ fuerint, cum non hæc accidant casu fortuito, remissio pensionis locum non habet; idem *Canisius ex d. L.* 15. *ubi supra*. Erudite autem more suo vim hanc extrinsecam explicat Gonzales inquiens, has esse vel Cæli virium, vel divinam vim, vel humanam aliamque casum fortuitum, *L. ex conducto* §. *si vis ff. locati*, *L. excepto C de locato*. His præmissis, 163

Probatur I. conclusio. Quia locatio, & conductio contractus est bonæ fidei, §. *actionum* 20. *Inst. de act.* in quo omnia secundum æqui, bonique regulas fiunt: ut quod quisque sibi desiderat, & ipse teneatur alii exhibere, *L.* 1. *ff. quod quisque Jur. L. bona fides, ff. depositi*, quæ bona fides in contractu quoque locationis desideratur, *L. ex conducto ff. hoc T.* Ergo pensio, si fructus deficiant, minuanturve, erit remittenda. 164

Probatur II. Quia noluit conductor se ad mercedem obligare nisi in compensationem fructuum *L. si olei C. de locato*; ergo nullis fructibus, vel diminutis, remittenda erit pensio, sequimur enim in contractibus mentem contrahentium, *L. contractus* 23. *ff. de R. Jur.*

Probatur III. Nam si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non est, expresso Texto in *L. ex conducto* §. 1. *ff. locati*; consonat Textus in *L. si merces* §. *vi major. ff. eodem* & *in L. licet* 8. *C. de locato.*

Probatur IV. Exemplo pensionis impositę super Beneficio; nam Canonistę inductione Textus in *L. si servus*, §. *qui quinque, ff. de Leg.* 1. 165

affirmant,

affirmant, fructibus aliquo anno deficientibus ex Beneficio, pensionem integram non esse solvendam, *Brittus ad hunc nostrum Text. in cap. propter n.* 14.

Probatur V. *ex L. item quaritur §. exeunitu, ff. locati, ex L. excepto, C. eod. ex L. 1. ff. de jure emphyth.* quas expendit *Granutius, Gonzalez, aliique omnes in hoc nostro Textu. Fachineus L. 1. Controv. cap.* 88. *Cenedus in Collectan. hoc T.*

Objicitur I. Locatio, & venditio aisdem regulis ferè nituntur, L. *naturalis, §. at cum do, ff. de praescript. verb.* Atqui perfecta emptione, ac venditione, periculum est emptoris, non venditoris, L. *necessario ff. de peric. & com. rei vend. §. cum autem Inst. de empt.* ergo si emptori conductor comparatur, conductoris erit detrimentum, nec erit remissione pensionis ipsi subveniendum.
166

Omissis aliorum responsionibus, mihi unicè satisfacit Brittus *ubi supra*. Nam ut argumentum de emptione, & venditione, ad locationem, & conductionem procedat, comparanda est res rei. Res, quam acquirit conductor, sunt fructus. Fingamus ergo ad similitudinem appositam non quamcumque emptionem, sed emptionem fructuum futurarum, & tunc par erit ratio emptoris, & conductoris. In emptione fructuum futurorum hoc Juris est, ut periculum non sit emptoris, sed venditoris, quippe est emptio conditionalis, si fructus nascantur, & nisi nascantur, emptio evanescit, L. *nec emptio, vers. sed si ff. de contr. empt.* Nunc omnia rectè procedent. Nam in locatione quoque hoc agitur, ut nisi fructus nascantur, percipianturque, perinde sit, ac si nulla esset contracta locatio. Veneror aliorum responsiones, sed hac sopire videtur facillimè oppositionem.

Objicitur II. Textus *in L. cum certus ff. de tritico vino* Ubi cum certus numerus amphorarum vini legatus esset, ex eo quod in fundo Semproniano nasceretur, & minus natum esset, non amplius deberi; placuit. Ergo nec plures fructus conductori debentur, quam qui nascantur, etiam si petrenues nascantur ob sterilitatem.

Resp. ideo legatarium ob minorem amphorarum numerum supplementum non petere, quia videtur testator reliquisse id taxativè quod natum esset; at conductor non videtur contraxisse ita cum locatore, ut fructus tales, quales nascerentur, perciperet, sed pensioni correspondentes, ac proinde si hi fructus ob sterilitatem pensioni minimè consentiant, pensio erit remittenda, aliter respondet *Granansetus*, sed vim oppositionis meo judicio non infringit.

Objicitur III. Ob nimiam ubertatem pensio non augetur, L. 25. §. 6. *ff. locati*, ibi: *cui immodicum lucrum non aufertur*, ergo nec minui debet ob sterilitatem, alias contractus claudicaret, cum potius aequalitas inter locatorem, & conductorem esse debeat, arg. L. 10. *ff. de aed. empti, & L. fin. ff. de accept.*
167

Resp. quod etsi non defuerint, qui propter ubertatem contingentem aliquo anno, putarint augendam esse pensionem, ut *Gomez. var. resol. cap.* 3. *n.* 18. attamen nimis clare negatur in *d. L.* 25. Quocirca, ut respondeam, sufficit, rationem differentiae assignem, cur ob sterilitatem pensio minuatur, non augeatur propter ubertatem. Dico igitur, disparitatem obviam esse. Conductor petendo, remitti pensionem certat de damno vitando; locator ob ubertatem petens, pensionem augeri, certat de lucro captando. Non ita favorabilis est causa certantis de lucro captando, ac de damno vitando, *L. in 1033. de R. Jur.*

Instabis contra responsionem ex L. 2. *C. de alluvionibus* ibi: *his, quos inundatio Nili fluminis reddidit detiores, pro terris, quas possident tributorum praestationem agnoscant.*

Resp. loqui Textum de augmento ipsius agri, ut declaratur ex *L. sequenti C. de alluvion.* ibi: *ea, qua per alluvientem sive in Aegipto per Nilum acquiruntur.* Cum igitur aliquid accreverit agro majora tributa solvenda sunt. 168

(ii) Triennium.

DISSERTATIO XVIII.

An Clerici locare debeant ad solum triennium; et an, si locaverint ad quadriennium, locatio penitus irrita sit?

Clericis ad triennium locare permittitur. Est expressum Textum in *Extravaganti ambitiosa de R. Eccl. non al.* ibi: *omnium rerum, et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur concessionem, hipothecam, locationem, & conductionem ultra triennium!* & infra) *hac perpetuo valitura Constitutione praesenti fieri, prohibemus.* Quae Extravagans declaravit tempus modicum intra quod locare res Ecclesiae Clericis permittitur in *Clem.* 1. *de reb. Eccl. non al.* ex quo abrogatur sensu tacito Textus Juris Civilis in *Auth. de al. & emphyt. cap.* 3. *ubi ad* 30. *annos* locatio haec permittitur. 169

Ratio hujus praefiniendi temporis ea fuit, ne si locatio ad longum tempus fieret, contingat, & fluxu temporis perire memoriam, & re sua Ecclesiam privari, quam ob causam precariae quoque de quinquennio in quinquennium sunt renovandae *cap.* 1. *de precar.* hac de causa, ut tutiùs in locatione ageretur, Ecclesia hoc tempus contraxit ad triennium, ut ratiocinatur *Zoesius ad Tit. de locat. n.* 4.

Et haec quidem certa sunt. Illud incertum an locatio ultra triennium saltem subsistat ad triennium.

Quam controversiam agitant *Ciarlinus controv. for. cap.* 105. *Riccius in Praxi* 1. *part. Resol.* 117. *Anten, de Marin. quotid. resol. cap.* 6. *Marescotus variarum Resol. L.* 2. *cap.* 25. *Gargias de Benef. Tom.* 1. *part.* 2. *capit.* 1. *n.* 48. *Bossius de alienbon. Eccl. n.* 231. *Mantica de Tacitis L.* 5. *Tit.* 4. *n.* 2.

4. *n.* 2. *& seq. Bevius cons.* 178. *Turricellius de reb. Eccl. non al. cap.* 27. §. 21. *Zoesius ad Tit. de locat n.* 5. *Ventriglia annot.* 1. §. 1. *n.* 8. *Antonellus de jurib. & on. Cleric. P.* 3. *cap.* 38. Ex quibus alii affirmativam, alii sustinent negativam sententiam.

170 In puncto Juris verius est, locationem ultra triennium factam, in totum irritam esse.

Probatur I. ratione. In illis enim quæ pendent a voluntate duorum, & agitur de contrahenda obligatione, si actus non valeat, ut agitur, non valet quoque, ut valere potest, ne contra mentem ad aliquid teneatur altera partium in sui dispendium, cui non est tam commodum, pro triennio tantùm habere rem conductam, cum sumptus faciendi etiam in plures annos possint proficere, nec proficient si ultra triennium locatio non sit valitura, impensæ enim ultra necessitatem repeti non possunt, *L. Dominus*, §. *in conducto*, *ff. locati*, *L. colonus*, *ff. eod.*

Individuum autem consideratur etiam ex partium intentione, quando quis alias non fuisset contracturus, *L. in conventionibus* 219. *ff. de V. sign. L.* 3. §. *conditio*, *ff. de adim. leg.* L. *fin.* C. *quæ res pignori Verallus decis.* 206. *P.* 2. *n.* 6.

Probatur II. ex verbis *Extravag. ambitiosæ* ibi: *si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis, & rebus eiusdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypoteca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi nullius omnino sit roboris, & momenti*. Notetur ibi: *nullius omnino sit roboris*. Quæ verba sunt decretum irritans, ergo formam inducunt, L. *cum hi* 8. §. *si Prætor ff. de Trans.* Ut alias quando apponitur decretum irritans forma inducitur, *cap. Messana de el. Clemen. cum rationi de elect. Concil. Trid. sess.* 24. *de Reform. Matr. cap.* 1. *cap. innotuit in fine de elect.* L. 1. C. *de præd. decur.* L. 11. *can. in venditione* 17. *q.* 4. Verbum enim omnino omnes annos indistinctè comprehendit, notat *Pilaia Tom.* 1. L. 2. *decis.* 6. *de reb. Eccl. non al. Barbosa de dict. dict.* 106. probatur arg. Textus in L. *gratè* §. *illud commune*, *ff. de fid.*

Objicitur I. Textus in *Auth. de al. & emph.*
cap. 3. ibi: *locationes verò ab ipsis venerabili-*
171 *bus domibus fieri, concedimus, in quantoscumque*
contrahentibus annos placuerit, non transcenden-
tibus videlicet 30. *annorum temporibus*, ergo
ultra triennium locatio a personis Ecclesiasticis
facta valida est.

Respondetur, hunc Textum corrigi primo in *cap. querelam, ne Prælati vices suas*, deinde in *Clementina prima de reb. Eccl. non al.* & expressius in *Extravaganti ambitiosa*. Quibus addimus, perperàm Imperatores, similes edidisse Constitutiones in Codice, propterea quod Legibus cavere, de rebus, personisve Ecclesiasticis ad eos non pertinet, *cap. Ecclesia S. Mariæ de Const.*

Objicitur II. Utile per inutile non vitiatur, *reg. utile de Reg. Jur. in* 6. L. 1. §. *sed mihi*, *ff. de V. ob.* L. *diligenter*, *ff. de min.* Atqui tempus triennii, quod est a Jure permissum ad Ecclesiasticas res locandas est utile, & separabile a tempore excedente triennium, ergo saltem utilis erit locatio pro triennio.

Resp. argumentum procedere in iis, quæ separationem facilè admittunt, & cum mens partiũ non refragatur. Insuper præcisio hæc locum habere non potest, cum non præexistit, quod separari possit. Ut separetur validum ab invalido, id, quod validum sit, præexistat oportet. At quidnam in hac locatione *ex c. ad* 6. annos validum invenias? *Rectè Romanus Consil.* 60. Quemadmodum, ait, statuto decernente, ut electio ad annum fiat, & non ultra, si ad biennium eligatur, caret electio roboris firmitate; ita constituente canone locationem ad triennium fieri, hæc tota corruat, necesse est, si proferatur in longius.

Objicitur III. subtilis inductio ex L. *si decem*
52. *ff. locati*, ubi locator intelligit, in actu cele- 172
brandi contractum locare pro *decem*; conductor
intelligit pro 20. valet locatio in *decem*; alia
decem tamquam superflua non vitiant universum contractum. Jam par ratio de quantitate ad quantitatem; pecunia est quantitas, L. *hæc enunciatio* 232 *ff. de V. S.* Tempus est quantitas, L. *more ff. de fer.* L. *cum bissextum* 98. *ff. de V. S.* ergo tempus superabundans non vitiat locationẽ.

Hæc difficultas mera æquivocatio est. De tempore statuere non possunt contrahentes. Tempus enim a Jure præfixũ fuit pro locationibus, L. *fundi partem* 70. *ff. de contr. empt.* L. *super C. de præscript. long. temp. Auth. de al. & emph. cap.* 8. Quãntitas pensionis pendet ex voluntate contrahentium, L. *locato* 2. *ff. locati* Insuper dico, rationem esse, cur si locator intelligat locare pro *decem*; cõductor intelligat conducere pro 20. aureis, sustineatur locatio in decem. Quia nimirum cum fructus debeant pensioni respondere, *L. si olei C. de locato cap. propter eod. Tit.* cognoscens locator, rem suam, quam alteri locat, non alios producere fructus, quàm qui pensioni decem aureorum æquivaleant, nec tam locatorem, quàm conductorem damno, & læsioni cujusquam assentiri præsumatur, redigitur ex eorum præsumpta voluntate, & ex natura contractus, res ad æqualitatem; ac propterea valebit locatio in 10. In nostra specie potiùs læsio sequeretur conductoris, si sustineretur ad triennium locatio, ut in primo fundamento nostræ assertionis demonstratum fuit.

Objicitur IV. Textus in *Auth. de non alien. coll.* 2. *cap.* 3. In ejus principio Textus ait, ad duas generationes emphytheusim esse constituendam, & in vers. aliter ait: *aliter autem agi emphytheusim, nullo permittimus modo: neque quod sit habere aliquid penitus roboris, sinimus*. Atqui in §. *neque illud* in fine asseritur, ultra duas generationes factã emphytheusim sustineri.

Ex quibus ita argumentari licet. Par ratio de locatione, & emphytheusi Ecclesiastica. Atqui licèt per decretum irritans prohibita sit emphy-

theusis

thensis ultra duas generationes, *d. cap.* 30. tamen sustinetur, *d.* §. *neque illud*, ergo falsum defenditur.

Ego quidem totum caput tertium prædictæ Authenticæ diligenter perlegi. Et licet vim habeat, quod est in fine dicti §. *neque illud*, ubi supponitur, valuisse emphytheusim pro duobus hæredibus, & si ultra duas generationes factam, ait enim: *duobus hæredibus cessantibus, ecteris tradere*, cessarunt ergo duo hæredes; ac proinde ad emphytheusim factam ultra duos hæredes admissi fuerunt. Nihilominus ea verba accipiuntur de emphytheusi contracta cum clausula, utror sint emphytheusus, quot fuut paria hæredum. Planius dicam, Ibi non agitur de unica emphytheusi, sed de duabus; de una ad duas generationes contracta usque absolutis, & extinctis, de renovanda emphytheusi in aliis; quo casu remanet contractus validus, rejecto pacto a Jure reprobato, *L. voluntas*, C. *de fideicom.* Eodem itaque modo, si in locatione clausula apponatur, ut tot sint locationes, quot triennia, vel ut finito primo triennio, censeatur res Ecclesiæ locata pro alio, erit quidem invalida locatio quoad reliquum tempus, ultra primum triennium; sustinebitur tamen pro primo. Cum enim sint distinctæ locationes locum habet regula: utile per inutile non vitiatur; tunc enim versamur in re dividua, L. 1. §. *Trebatius*, *ff. de aqua quot.* Quæ interpretatio in eo fundatur etiam, quia non potest intelligi Authentica de unica emphytheusi, quæ penitùs irrita declaratur, *d. cap.* 3. nec de perpetua, quæ pariter nullius roboris existit, *cap.* 7. *ejusdem Auth.* quod ad hoc expendit *Covarr. L.* 2. *var. n.* 5. *verf. tandem*. Atque ita senserunt *Zoesius ad Tit. de Emphyt. n.* 6. *Sarmientus select. Interp.* 8. *ad L.* 1. *n.* 2. *de Leg.* 2. *Marescottus var. Resol. L.* 2. *cap.* 25. *n.* 19. & 21.

Obiicitur V. Textus in *L. sancimus C. de don.* ibi „ si quid autem supra 500. solidos fuerit donatum, hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere, reliquam verò quantitatem, quæ intra Legis terminos cõstituta est, in suo robore perdurare. Sed hoc pro non scripto vel pro non intellecto esse, credatur; ideque habetur in *L. pen. in fin. C. de don.* Ex quibus ita arguitur. Donatio, cujus certa summa a Jure præfinita est ad 500. solidos, si eos excedat, non vitiatur in totum; nulla igitur afferri potest ratio, cur non sustineatur in nostra specie locatio saltem pro triennio.

Resp. prohibitionem donandi ultra 500. solidos non esse a Jure conceptam ad modum decreti irritantis. Decretum irritans hoc modo concipiendum fuerat: donetur usque ad quingentos solidos, aut donatio nullius momenti sit. Quo casu quantitatis assignatio formæ speciem induevet, sicuti nos in casu locationis defendimus. Egit quidem Justinianus de forma insinuationis; formam hanc ad quantitatem non extendit; cum enim voluerit dividi ibi: *hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere*, non ergo agit ibi de forma, quia forma est individua, L. *si is, qui* §. *quidam ff. ad L. falc.* L. *cum hi* §. *si Prætor ff. de Trans. L. si ita* §. *ult. ff. de oper. lib.*

Obiicitur VI. Falsum videtur, quod, cum formam locationis induxerit decretum irritans *dictæ Extrav. ambitiosæ*; idcirco non possit saltem pro triennio valere locatio facta pro novem annis *ex. c.* Etenim ea non forma fidejussionis est, ut quæ summa debetur a principali, promittatur adamussim a fidejussore? L. *si testamento* 49. *in fin. ff. de fidejuss.* ibi „ fidejussor contra Juris formam, in duriorem causam acceptus intelligitur. Et tamen in L. *rogatus* 35. *ff mandati* rogatus ut fidejuberet in minorem summam, si fidejusserit in majorem, pro summa concurrente solùm obligatur; ergo &c.

Omissa celeberrima quæstione, an si fidejussor se obliget ad majorem summam, fidejussio pro summa concurrante sustineatur: solum hoc dico, in omni quæstione ad principia mentem esse convertendam, quæ supponuntur, & quibus tota superstructio fulcitur. Jam verò si placet defendere, fidejussionem corruere, nec valere pro quantitate a principali debita: supponendum est, urgendumque firmissimè illud principium, quod ad formam fidejussionis spectet, ut nec tantillum quidem excedat in quantitate fidejussoris obligatio principalis obligationem. Si contrarium libeat defendere, illud fixum permaneat, ad formam non pertinere diversitatem quantitatis, quam contigit promitti. At, inquies, vere ad formam pertinet uniformitas quantitatum. Hic subsisto. Etenim ex d. L. *si testamento* 49. *in fin.* id non probatur: Textus ait, Fidejussorem aliud respondentem, contra formam respondere. Dum verò plus promittit, aliud non respondet, L. 1. §. *si stipulanti*, *ff. de V. ob.* L. *cum furti* 9 *ff. de in lit. jur.* L. *qui concubinam ff. de Leg.* 3. L. *inter stipulantem* §. *diversa*, *ff. de V. ob.*

(kk) Interusurium.

Quomodo usura latere possit in contractu locationis.

Usura sub contractu locationis, veluti quodam involucro occultatur.

173 De Jure Civili ex mora conductoris in pensione solvanda usuræ debetur, L. *cum quidam* §. *ex locato*, *ff. de usur.* L. *adversus* a. C. *de locato*, L. *Prases* 17. C. *eod.* quia post moram nummi steriles esse non possunt, L. 7. *ff. de usur.* Verum Jura nostra, istthæc superabundantia exploditur, *cap. putant* 14. *q.* 3.

174 Insuper usuræ labes, per contractum locationis serpit, quotiescumque conductor anticipatè pensiones solvit multorum annorum, ut vilius conducat, Mastrillus *decis.* 106. *Canedus in cap. naviganti de usuris n.* 34. *Leotardus Q.* 8. *de usur.*

Accedit, quod fœnoris inest turpitudo in locatione, cùm quis animal æstimatum locat eo

pacto,

pacto, ut pereunte animali, locatór pretium cum lucro consequatur, *Rodericus de ann. redd. q. 3. n. 64.* quo spectat Textus in *L. si ut certo, §. nunc ff. commodati.*

Atque ille casus pariter occurrit, quo locatio turpisudine inficitur usuraria, cum locator paciscitur, ut quamdiù conductor in pensionis solutione cessat, ad annua quinque obligetur, *Gibalinus de usur. cap. 8. consect. 2. art. 8.* Ratio est, quia, cum in locatioua præstetur pensio ad fructus compensandos; si ultra illam locator aliquod interusurium in conventionem daducat, exegisse videbitur dupliecem ejusdam rei compensationem contra æquum, & bonum, *L. 55. in fin. ff. de re Jud.* L. 2. *§. si idemnitas, ff. de admin. rer. ad Civ. pert.*

(ll] Locatio.

DISSERTATIO XIX.

Utrum locari possit domus meretrici hæretico, Judeo, Usurario?

Hactenus de locatore. Nunc de conductore sermo instituendus; de quo illa difficilis occurrit
175 investigatio, qualis nam conductor esse debaat, an personis atiam ob crimina aliqua bonorum oculis infestis, locari possit fundus.

Videmus, id in usu esse, ut in Civitatibus mari adiacentibus, ubi cum Catholicis degit admixta hominum colluvio mercaturæ gratia, locationes hujusmodi non denegentur. Id verò quonam
176 pacto procedat, Legibus inspectis, explicabo.

Locator quidem non tenetur ire obviam peccato meretricis, & impedire, quod videt a Republica, ne deterius contingat, tolerari, *can. hac ratione 31 q. 1. can. is, qui non habet 34. dist.* Domus autem locata remotè se habet ad nefarium scelus, quod patratur. Et licet scandalum vitandum sit; tamen cum adest in ea aliqua intentio recta, cum est cooperatio secundum se moraliter bona, aut saltem indifferens, cum proximi peccatum alioquin impediri nequis, propterea quod is est paratus alibi patrare delictum; malitiæ potius facinorosi hominis peccatum penitus adscribitur, quæ doctrina a Layman accepta *de charitate L. 3. Tract. 3. cap. 13.* consona est menti canonum, ut patet ex *cap. nisi cum pridem, §. sed inter scandalum de ren.*

Ex quibus probatum ramenet, cur impunè personis, quę male audiunt apud integarrimos, inculpatosque homines, domus locari possit, secta enimast locatoris inteotio; ideoque, & Ecclesia locare potest meretrici, *Ventriglia Tom. 2. annot. 40. §. un. n. 15.*

Confirmatur ex *cap. 1. vers. nemo illis de usur. in 6.* ubi, quatenus talis locatio prohibeatur, expressum invenitur.

Accedit, quod Judęis ad Synagogam domum concedere, permittitur in *cap. consuluit de Iudæis*, dummodo unam in Civitate Synagogam detineant.

Neque obstat Textus *in cap. cum ex iniuncto, §. super eo de nov. oper. nunc.* ubi accepta inhibitione, ædificium prosequi non licet propter 177
scandalum; ergo propter scandalum domus meretrici eodem modo locari non poterit.

Resp. scandalum esse duplex, ut docet Pontifex *in cap. nisi cum pridem, §. sed inter scandalum de ren.* Aliud datum, sive activum, aliud acceptum. Scandalum per canones prohibetur. At si adsit intentio recta, si cooperatio sit secundum se moraliter bona, aut saltem indifferens, si proximi peccatum aliis impediri non possit, res tunc contra charitatem geri minime videtur, ut docet *Layman ubi supra.*

Nec refragatur, quod Christiani locare suas operas Judæis non possint, *cap. ad hæc, cap. Iudæi, de Iudæis*; ergo nec domos.

Resp. discrimen summum intercedere inter unam, alteramque locationem. Operarum locatio multis de causis prohibetur, quę in locatione domus non militat. Præcipuè vero, ne ob familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem Judæi simplicium animos inclinent. Quam ob causam non potest Christiana fęmina infantes Judæorum nutrire, *cap. Iudæi de Iud.* Neque Judæi Medici vocandi sunt a Christianis, *Greg. XII. Const. 70. antiqua.*

Nec officit sententiæ nostrę Texus *in cap. sicut ait Leo de hær.* ubi, domi hæreticos detinere, sub interminatione anathematis prohibetur.

Resp. cum Pignattello *Tom. 2. Cens.* 143. hunc Textum Jura quidem veteri, cum omnes excommunicati erant vitandi, rectè processisse; sed post Extravagantem Martini V. *ad evitandum*, non incurri pœnam, hæreticos hospitio recipiendo, non enim sunt specificè denunciati; cavendum tamen ab eorum consuetudine.

Non obstat Textus *in Auth. de len. §. quosdam verò, & in L. 4. C. de spectac. publ. lib. 11.*

Resp. ibi agi de domibus propè Ecclesias, *Ventriglia ubi supra n. 15.*

(mm) Resilire.

DISSERTATIO XX.

De successore locatòris, ac præcipue de Clerico, an tenetur in locatione perseverare.

Nunc de locationis rectè constitutæ exitu verba faciemus. Iamque se offert illa celeberrima controversia, in qua moram impendemus, an si locator moriatur, qui succedit, a contractu resilire possit?

Equidem magna iniuria videtur, conductorem ante finitum locationis tempus expellere. Hinc Marcus Cicero acriter in Verrem invehitur, quod is Nymphodorum a prædiis cõductis anta tempus expulisset; cumque Nymphodorus venisset Ethnã, orâssetque, sibi prædia restitui, Verres, ut ęrat ad inclementiam vehementer propensus, hominem corripi, suspendique, imperavit in oleastro quadam; quo scelere inflammatus *Cicero Orat.*

8 in Vetrem, crudelitatem minimè ferendam exaggerat, qua solet, ubertate verborum. Et plano regula est, expelli conductorem, nondum expleto locationis, & conductionis tempore, non posse. Sed diiudicandum est, quid Juris in successore.

Ne quis error esse possit, distinctio hæc adhibenda: alius namque est successor universalis, alius est successor singularis. Universalis succes-
178 sor, est hæres, L. *hæres ff. de acq. hær. L. nihil est aliud* 123. *ff. de V. S.* Est filius, qui Jure Prætorio testamentum rumpit. Est emptor hæreditatis, *cap. cum seculum de Jur Patr.* Est ejusdem generis, qui ab intestato succedit, *cap.* 1. *de success. ab intest.* Itemque fideicommissarius universalis ad classem successorum universalium aggregatur. Successor particularis est domus locataæ emptor, est legatarius, L. *nihil proponi* 120. §. *fructus ff. de Leg.* 1. L. *emptorem C. de locato*, aliæque similes personæ.

179 Secundum hanc distinctionem, quasi lumine quodam præeunte, haud est arduum decidere, numquid successor perseverare in contractu locatio is obstringatur. Res ita se habet. Successor universalis utique obstringitur; qui verò dicitur successor singularis, impunè, ac libere conductorem poterit expellere.

Quod attinet ad universalem successorem, non valdè laborandum ut suadeam obligationem, qua obstringitur permanendi in contractu locationis. An non in illum omnes actiones activæ, & passiæ pertranseunt? §. *sed neque hæres* 10. *cuncto* §. *legatariis de test. ord.* L. *qui in Jus* 177. *ff. de Reg. Jur.* Ergo sicuti conductor, actionem, si re exceptionem habuisset in locatorem expellentem, habebit eamdem in successorem universalem locatoris.

Quod attinet ad successorem particularem; is expellere conductorem potest, & sæpè a Jure definitum, L. *emptorem* 9. *C. de locato*, L. *qui fundum* 32. *ff. eod.* L. *nihil proponi* 120. §. *ult. ff. de Leg.* 1. *C. arbores* 50. §. 1. *ff. de usur.* Quamquam locator conductori teneatur ex conducto in id, quod interest, L. *ex conducto* 15. §. *ubicumque*, L. *si in Lege* 24. §. *colonus*, L. *si merces*, §. 1. L. *qui insulam*, L. *si fundus*, *ff. locati.*

Ex quibus liquet etiam, quid de Clerico locatore sentiendum sit; finge locaverit ad triennium. Interim fatis concedit, quæstionis est, an successor resilire a contractu possit?

Sit nostra conclusio, successorem Clerici ex-
180 pellere posse conductorem.

Id regulariter obtinere, docet Antoniellus *de juribus*, *& oneribus cler. L.* 1. *part.* 3. *cap.* 39. *per tot. Zoesius hoc Tit. de loc. n.* 14. *aliique plures apud Manticam de Tacit. Tit.* 22. L. 5. *apud Guttierez Can. Q.* L. 2. *cap.* 36.

181 Probatur I. Quia enim Jus restrictum est ad vitam tantum, ultra vitam locari, aliove ratione transferri in alium non potest, L. *fin. in fine ff. de contr. empt. & per hunc Textum Zoesius ubi supra.* Atqui Jus, quod habet Clericus in re spectante ad Præbendam, ad vitam tantum est restrictum ejusdem Clerici; habetur enim loco fructuarii, *cap. fin. de pecul. Cler.* ergo qui succedit in Præbendā, poterit conductorem expellere.

Confirmatur, quia morte fructuarii locatoris finitur locatio, L. *non utitur*, *ff. de usufr.* L. *si quis domum*, §. *hic subiungi*, *ff. locati.*

Probatur II. Quia licet Jus sacrum arctissimo vinculo sibi comitem adiunxerit æquitatem; hoc tamen cum æquitate non pugnat. Ratio petenda ex L. *si quis domum*, §. *idem quæri in fine*, *ff. locati. Quia conductor hoc evenire posse, prospicere debuit.* Ergo conductor sibi imputet, qui scire debuit, ultra vitam locatoris Clerici locationem minimè protendi.

Probatur III. Clericus enim succedens in Præbenda non potest vocari successor universalis; quia in bonis patrimonialibus succedunt *agnati*, *cap.* 1. *de success. ab int.* nec idem, qui succedit, repræsentat defunctum, quia cum Beneficium sine collatione Episcopi nemo possit obtinere, *cap. concurrente de off. Ord.* novum erit jus Clerici successoris, novusque titulus, nam ab eo preciſè Divina officia sunt peragenda, *cap. cum secundum de Præbendis*; ergo in Clericum successorem actio ex contractu prædecessoris intentari non potest, L. *si merces*, §. *qui fundum*, *ff. locati.*

Probatur IV. Quia nullatenus diminuta Præbenda ad successorem pervenire debet, *cap. un. ut Ecclesiast. Benef. sine dim.* Et proinde, quemadmodum diminutio isthæc contingeret, quoties Episcopus proventus sibi retineret, collato Beneficio, *cap. un. de Eccl. Ben.* quoties onus imponeretur, *cap. significatum* 11. *de Præb.* ita Præbenda diminuta perveniret ad successorem, si hoc onere persistendi in locatione gravaretur. Quinimo mortuo Rectore, fructus ad successorem pertinere, statuitur in *cap. præsenti de off. Ord. in* 6. *in cap. relatum de testam.*

Probatur V. Quia mirum videri non debet, ante finitum locationis tempus expelli conductorem. Etenim conductoris jus perimitur aliis in casibus, nondum expleta locatione, & conductione. Potest conductor expelli, si velit Dominus in domo conducta propriam ipse habitationem desigere, *cap. propter*, §. *verum de loc.* L. 3. *C. de locato.* Item expelli potest, si perversè domum incolat, L. *ede* 3. *C. de loc.* Item si conductor, sit lentus, & negligens in solvenda pensione, L. *quæro*, *ff. locati*, *can. ea enim*, §. *qui rem* 10. *q.* 2. & olim ob non solutam pensionem tabulę domibus affigebantur; L. *cum Domini*, *ff. locati* ad hypothecam significandam. Et mirabimur, successorem singularem, qualis est Clericus, expellere conductorem? An non hoc jure utitur Fiscus, L. *si fundus ff. locati*; an non emptor, L. *emptorem*, C. *eod.* an non legatarius, L. *qui fundum*, *ff. locati*: an non fructuarius, L. *arbores*, §. 1. *ff. de usufr.* Maneat ergo, ab æquitate non esse alienam simi-

lem

lem expulsionem.

Obiicitur I. Valet locatio facta a Clerico quo-
182 libet ad triennium, *Extrav. ambitiosa de reb. Eccl. non. al.* Conductor ergo fretus hac canonis permissione consentit locationi ad triennium, quis non videt, quod si expellitur a successore Clerici locatoris, qui intra triennum forte occubuit, conductor decipitur canonis auctoritate. Hoc iniquum, *L. 1. C. de his, qui veniam, can. hujus placiti 12. q. 2.*

Resp. ex verbis Textus in *L. si quis domum, §. idem quæri, ff. locati, quia conductor, hoc evitare posse, prospicere debuit.* Prospicere debuit, quod si Clericus, qui locavit ad triennium, intra hos annos decessisset, poterat expelli. Quod si vitare expulsionem voluisset, impetrandum erat beneplacitum Apostolicum, quia tunc successor tenetur stare locationi, *Bellett. disq. Cler. P. 1. Tit. de Cler. deb. §. 4. n. 6. 16. & seq. Antoniellus de jur. & oner. Cler. ubi supra limit. 1.* Ceterum conductor non læditur ulla ex parte, nam cessant pensiones, & si expensas fecerit, successor pro eo anno, pro quo impensæ factę sunt, tenetur stare locationi, *Bellettus ubi supra, Bichius decis. 452. n. 14.* & probatur ex *L. si in area, ff. de cond. ind.*

Obiicitur II. Beneficiarius dicendus est successor universalis, ipse namque dicitur hęres, *can. conventor, §. Nabuthe 23. q. 8.* & maxime si sit Beneficium duplex, *cap. significavit de rescript. cap. cum ad sedem de rest. spol. cap. quoniam Abbas de off. del.* Atqui successor universalis stare debet locationi; in eum namque actiones omnes transeunt, *L. ex contractibus, ff. de ob. & act.* & in terminis probatur *ex L. viam veritatis, C. de locato, ex §. ult. Inst. de locat.* neque successor universalis factum defuncti mutare potest, *L. cum a matre, C. de rei vind., L. ex qua persona, ff. de Reg. Jur.*

Quod impræsentia respondebimus, meretur diligentem observationem; nunc enim declarabitur conclusio, ad vitandas omnes æquivocationes.

Dico igitur, quod etiam si admitterem, Prælatum esse successorem universalem, attamen argumentum vix quidquam urgeret. Ita differo.
183 Pluribus modis fieri potest a Prælato fundi, domosue locatio. Interdum locare potest nomine propriæ personę, hoc est nomine tantum privato. Interdum locare potest ad utilitatem Ecclesiæ. Interdum nomine sui officii, videlicet suæ dignitatis. Si Beneficiarius nomine tantum privato locet, erit casus nostrę conclusionis, & oppositio ad hunc casum non pertinet.

Si Beneficiarius locet ad utilitatem Ecclesiæ, quod contingit, ad persolvenda debita, *can. sicut 12. q. 2. ut considerat Mantica ubi supra*, vel si alia ratione, non solum Clericus, sed Ecclesia ex tali locatione receperit commodum, *Gratianus decis. Marc. 99. n. 17. Seraphinus decis. 1125. n. 5. Bichius decis. 452. Sperellus decis. 70.* conductor expelli, non potest, *Antoniellus de jur. & on. Cler. L. 1. part. 3. cap. 39. n. 5.*

Ratio est, quia etsi videatur Clericus locasse, tamen in hoc casu Ecclesia ipsa videtur obligationem contraxisse, ut contingit in deposito, *cap. 1. de depos.* & facit, quod habetur *in cap. 1. de sol.* Si Prælatus locaverit nomine sui officii, suęque dignitatis, successor conductorem expellere non poterit. Sic neque pupillus locationem a tutore factam rescindit, *L. tutor 23. ff. de adm. tut. L. 1. ff. quando ex facto tut.* neque Dominus locationem factam a procuratore, *ut differit Mantica ubi supra*. Eodemque pacto, si Prælatus, qui est tutor, procurator, administrator, *cap. edoceri de rescript.* nomine sui officii, dignitatisve locaverit, durat in successore locatio. Officia enim, & dignitates non moriuntur, *cap. si gratiose de rescript. in 6. can. dudum 18. q. 2.* Quo in sensu argumentum oppositum recte procedit, *can. hac hujus placiti 12. q. 2. L. annua §. fin. ff. de an. leg.* nec de hoc casu disputatur impræsentia.

Obiicitur III. Colonus partiarius a successore expelli non potest, L. *colonus ff. de vi, & vi arm.* Ratio est, quia qui impensas in fundo fecit, habet fundi retentionem, *L. si in area, ff. de cond. ind.* Et sicut ipse habuit actionem in locatorem, *L. Dominus §. 1. ff. locati* eamdem pariter in successorem poterit intentare; etenim actio personalis in subsidium sequitur etiam bona, *L. plane, §. 1. ff. de leg. 1. L. fluminum, §. adicitur, ff. de damn. infecto*; ergo perperam asseritur, successorem posse conductorem expellere.

Esto concedatur, colonum partiarium expelli non posse, ut docet *Mantica ubi supra*; id tamen singulare est in colono partiario, quia portio fructuum colono debetur, pro cultura, & cura, *L. fructus, ff. sol. Matr.* & propter impensas tacita inducitur hypotheca, *L. interdum, ff. qui pot. L. 1. ff. quibus mod. pign.* Praterea, idcirco id singulare est in colono partiario, quia inter eum, Dominumque societas quædam intercedit, *L. si merces, §. vis major, ff. locati*, vi cujus ob inchoatum negotium durat in successore obligatio, *L. Titius §. altero, ff. de adm. tut. L. actione in fine princ. ff. pro socio, L. nam & servius, §. si vivo ff. de neg. gest.* 148

Obiicitur IV. ad impugnandam distinctionem de successore universali, & singulari. Successor singularis mariti est mulier; & tamen hæc recuperans domum dotalem jam a marito locatam, a locatione recedere non potest, *L. si filio familias 25. §. fin. ff. sol. Matr.* Item quem nam appellabimus creditorem missum in possessionem fundi sui debitoris, nisi successorem singularem, & is tamen conductorem expellere prohibetur *in L. venditione, §. 1. de bonis auct. Jud. poss.* ergo fallax est illa distinctio.

Respondetur, esse in arbitrio singularis successoris, vel stare locationi, vel ab illa recedere. Quomodo, inquies, id intelligitur? Si velit successor singularis stare locationi, veluti mulier in adducto Textu, debent cautionem indemnitatis ma-

 rito

tio praestare, Cujacius L. 36. *Pauli ad edictum. Tit.* 10. *q.* 2. *n.* 8. & 9. *Pichardus in §. mortuo* 7. *Inst. T. de loc. Anton. Faber de error. decade* 24. *error.* 4.

Obiicitur V. Textus in L. *emptorem C. de locato*, ubi successor singularis a locatione non potest resilire.

Resp. limitari ex hoc Textu nostram assertionem. Nam si successor singularis ita sit contentus, eaque lege emerit, ut conductorem non expelleret, utique pactum servandum erit. Imo etiam tacitè interdum consensit, veluti si pensiones recipiat, L. *si praeteritas, ff. de bon. poss contr Tab.* L. *si proponas, ff. de inoff. test.* vel si jus recipiendi pensionis sibi legatum agnoverit, *L. arbores*, §. 1. *ff. de usufr.* L. insulam *ff. locati*.

(*nn*) *Necessarias*.

DISSERTATIO XXI.

De impensis a conductore repetendis.

Non rarò accidit, conductores impensas in re conducta facere. Examinandum est ad explicationem eorum, quae in nostro Titulo dicta sunt, an spes erepta sit conductori impensas recuperandi. Ecce, ędes vetustate laborantes reficit, struit aggerem, ad vim fluminis avertendam, pistrinum, horreum adjicit Insulae, hortum fundentem inutiles herbas redigit ad viridarium amaenissimum, parietum incrustationes, picturae, loricationes, in tricliniis, in conclavi cernuntur. Videndum igitur, an tot impensae reficiendę sint a locatore?

285 Sed ante omnia sunt certa ab incertis distinguenda. Certum est, impensas aut necessarias esse, aut utiles, aut voluptarias. Impėsae necessarię, cum, his omissis, res aut periret, aut deterior fieret, L. & *in totum, ff. de imp in res dot.* L.
286 *impensa, ff. de V. S. L. interdum*, L. *idemque, ff. qui potiores*, L. *utiles, ff. de pet. har d.* L. *domus, ff. de Leg.* 1. - Impensae utiles, quibus res melior, aut fructuosior efficitur, L. *impensa*, §. *utiles, ff. de V. S. L. quod dicitur*, §. *fin. ff. de impens. in res dot.* L. *utiles, ff. de pet. har. L. fructus*, §. *si vir, ff. sol. Matr.* - Impensae voluptariae cum speciem dumtaxat ornant, non etiam augent, L. *voluptariae ff. de impensis in res dot.* Certum est deinceps, a conductore necessarias, & utiles impensas jure repeti, aut exonerari pensionem, L. *Dominus*, §. *in conducto, ff. locati*, L. *colonus, ff. eod.* ex quo tamèn deducit *Lectardus de usur. q.* 14. *n.* 29. augendam esse conductori pensionem a locatore.

De voluptariis igitur disputatur in scholis, & in foro.

Defendo tamèn, voluptarias impensas a conductore non posse repeti, *Pacionius de locato cap.* 34. §. 3. *n.* 63. *Grlebenius in tract. de impens.* sed tantum quatenus abradi possint, repetuntur; quod tamèn negant plures apud *Britum de locat.* 2. *part. pag.* 147.

Probatur I. quia Textus *in* L. *Dominus*, §. *in conducto*, & *in* L. *colonus, ff. locati*, dum articulus discuteretur de impensis a conductore repetendis, disponit, posse conductorem, & necessarias, & utiles repetere; voluptariae silentio supprimuntur. Qua ratione, nisi quia earum denegatur repetitio? Nam Lex *Dominus* auctorem habet Paulum: idem Paulus impensas in hujusmodi tres species diviserat in L. *impensa, ff. de V. sig.* Si ergo solum necessarias, & utiles deberi conductoribus, pronunciat, ipsum silentium de voluptariis, eas non deberi, declarat.

Probatur II. ex L. *in voluptariis, ff. de impens. in res dot.* ubi: *in voluptariis Aristo scribit, exactionem non parere*. At inquies, ibi agitur de impensis, quae factae pronunciantur a marito. Sed meritò Interpetres ad casum nostrum Textum accomodant. Dos subiecta est restitutioni, sicut res conducta. Praeterea extra casum mariti est Textus *L. ex duobus, ff. de neg. gest.*

Quod verò abradi possint a conductore impensae voluptarię, probatur ex L. *un.* §. *taceat vers. quod si voluptaria C. de rei uxor. act.* ex L. *utiles* 39. *ff. de pet. har.* Pictura verò, quam nudus paries excepit, cedit in dominium locatoris, §. *ex diverso Inst. de rer. divis. L. culpa, ff. de R. Jur.* is enim, qui fecit in alieno, censetur donare, *L. donari* 20. *ff. de don.* Cum contra in necessariis, & utilibus, nemo liberalis reputetur, L. *rem legatam, ff. de adim. leg.*

Quam sententiam non evertit I. Textus *in* L. 1. C. *de aedif. priv.* L. 10. ubi marmora ex domibus detrahere, Vespasiani edicto prohibetur; ex quo arguitur, voluptarias impensas abradi non posse.

Distinguimus pro responsione, *cum Pacionio ubi supra*. Si voluptarię extrinsecus ornant domum, atque inde civitas aliquid assequitur venustatis, voluptariae impensae abradi non possunt; interest enim, Civitatem quam ornatissimam esse.

Nec secundò quidquam proderit, opponere Textum in L. *pro voluptariis, ff. de impens. in res dot. ubi: pro voluptariis exactio datur*.

Pro responsione, sciendum, nonnunquam 288
voluptarias impensas redigi ad utiles. Idque accidit, si Dominus easdem impensas erat ipse facturus, L. *in fundo, vers. finge ff. de rei vind.* Ex quo sic Textum oppositum accipias, ut voluptariae impensę habeant exactionem, cum redduntur utiles, *L. voluptarias ff. de impens. in res dot.*

(*oo*) *Teneatur*.

DISSERTATIO XXII.

De Damnis, ad quae conductor tenetur.

Ob negligentiam is tenetur, quem diligentem 289
esse, oportebat. Negligentię culpa diligentiae op-

pon

ponitur. Et quia hic magis, ille minus ad diligentiam adhibendam obligatur; hinc varii culpæ gradus, sive negligentiæ: Aut enim est culpa lata, aut levis, aut levissima. Lata culpa est omnium maxima negligentia, *L.* 1. §. *hac actio*
190 *ff. si mensor falsum mod.* L. 1. §. *si Præses*, *ff. de magistr. conven. L. lata*, *de V. S* diciturque hominis deperditi culpa, L. 1. *de Jur. & fact. ign.* & dolus, L. *nerva ff. deposit* - Levis culpa inducitur non adhibendo eam, quam frugi homines solent accurrationem, L. *eum res*, §. *culpa*, *ff. de Leg.* 1. - In levissimam incidit culpam, qui obligatus ad diligentiam exactissimam præstandam, eamdem pretermittit, L. *socius*, *ff. pro socio*.

Chesius quidem *cap.* 45. *Interpetr.* ingenii sui fretus acumine incredibili conatur, defendere, la-
191 vissimæ culpæ gradum perperam ab Interpretibus admitti, nulloque ex Iure deduci; cui tamen prælaxerunt Joannes *Suarez ad* L. *Aquiliam* L. 3. *cap.* 6. aliique. Sed quominus recedamus a communi dividentium in tres gradus culpam traditione, facit Textus in L. *in Lege Aquilia* 44. *ff. ad* L. *Aquil.* his verbis: *In Lege Aquila & levissima culpa venit*.

Transeamus ad alia. Ut cognoscamus, ad quam culpam conductor obligetur, notandum est, ex contractibus quosdam solius dantis gratia celebrari, veluti depositum; tunc verò dolas, & lata culpa a recipiente dumtaxat præstatur, §. *præterea Inst. quib. mod. re contr. ob.* Quidam alii utrinsque gratia celebrantur, ut emptio, & venditio, nam utriusque utilitas in hoc contractu inest. Tunc verò dolas, lata, & levis culpa præstatur, L. *si ut certo*, §. *nunc est*, *ff commod.* §. *cum autem Inst. de empt* L. *venditor*, *ff. de act. empti*. Atque hujus generis est locatio & conductio. Ergo conductor tenebitur de dolo, de lata, & levi culpa, non ultra preterea, *L.* 3. §. 1. *ff. nauta*, L. *si quis*, §. *Celsus ff. locati*, nisi res quam maximam exposcat sedulitatem. Ecce; transportandam columnam conduxisti; si, dum ea tollitur, fracta sit, periculum ipse præstabis, *L* 2. §. *qui columnam*, *ff. locati*.

At si ædes incendio correptæ, consumantur neque an culpa conductoris fuerit exortum incendium, diiudicari possit, an dum movetur a
192 locatore actio, spectet ad conductorem probare, culpam suam, suorumque abfuisse, an potius onus locatori incumbat probandi, conductoris negligentia infortunium accidisse, semper disputatum fuit, hodieque disputatur.

Ego censeo, conductori favendum esse in
193 hac causa.

Quod primo demonstratur. Quia incendium est casus fortuitus, L. *si ut certo* §. *quod vero*, *ff. commod. L. in rebus*, *ff eod.* § 2. *Inst. quib. mod. re contr. obl.* L. 3. *ff. de R. Jur.* atqui fortuiti casus a nullo præstantur, *L. contractus*, *ff. de Reg. Jur.* ergo &c.

Deinceps & illud plurimum habet momenti, quod industrius præsumitur quilibet, donec de eius negligentia, culpaque doceatur, L. *quotiens* § *qui dolo ff. de prob.* ergo tamdiù conductor industrius præsumetur, quamdiù non fuerit contrarium demonstratum.

Denique conductorem de nullo casu fortuito teneri, docet Textus *in* L. *in judicio* C. *de locat.* *Textus in* §. 1. *Inst. eod* Textus in L. *si merces*, §. *qui colonum*, *ff. locati*.

Obiicitur I. T xtus a nemine, quem viderim, consideratus in L. *si quis domum* §. *Imperator*, *ff. locati*, qui Textus conductorem probare oportere, decernit, ibi enim: *Imperator Antoninus cum patre, cum grex esset abactus, quem quis conduxerat, ita rescripsit: si capras latrones citra tuam fraudem abegisse probari potest: judicio locati casum præstare non cogeris*; ergo ne conductor de casu fortuito teneatur, ipse probare debet, dolum abfuisse

Resp. ibi agi de grege conducto ad stercorandum agrum, ut bene Acursius notavit Et quod attinet ad onus probandi; planè nullo bonæ fidei judicio casus, in quibus est aggressura latronum, præstentur, L. *quæ fortuitis* 6. C. *de pignor act.* L. *cum duobus* 52. §. *datur*, ff. *pro socio*. Verba igitur oppositi Textus hunc habent sensum, ut qui gregem conduxit ab initio, dum gregem restituit diminutum, probare debeat abactum esse, quod deest; dolum verò abesse, probari non debet a conductore, sed locatori id probandi onus incumbit, ita intelligit Textum *Brunemannus in d. L. Hillingerus ad Donell. L.* 4. *cap.* 24 L. C. *Anton. Taber in ration. in d. Lege*. Ex quo sequitur, distinguendum esse inter probationem abactionis, & probationem diligentiæ Diligentiæ suæ se non defuisse, conductor probare non debet, sed negligentia probanda est a locatore.

Obiicitur II. Textus in L. *nam salutem*, §. *cognoscit*, ff. *de off. Præfid.* ibi: *& quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium*, & Alphenus Jurisconf. in L. *si vendita*, ff. *de periculo*, *& comm. rei vend.* disertè ait: *cum incendium sine culpa fieri non possit*. Ergo tenebitur conductor de incendio, nisi probet, culpam suam, suorumque abfuisse.

Resp. hanc præsumptionem, quæ conductori noceret, satis esse incertam, cum de persona, quæ incendio causam dederit, non constet. Præterea indeterminata persona, præsumptionem certam non facit. Ergo præsumptio hæc nec solida, nec sufficiens est ad condemnationem, ut respondet *Engel in coll. can* L. 3. *Tit. de locat. reiiciens Fachinaeum* L. 1. *Controv. cap.* 87. Et sanè res ipsa loquitur, & experientia testatur sat abunde, incendium sine culpa inhabitantium contingere, ut si quis incendiarius inferat ignem in ædes, si favilla ex face servi per viam transeuntis ceciderit in stipulas.

Illa quidem tenuis primum, similisque meranti.
Incedit, mox ut paulatim increvit eundo,

Tollitur,

Tellitur, *&* *victrix*, *&c. ut Fracastor. eleganter* L. 1. *Syphil.*

Deinde si ædes fulmine tangantur, ignemque concipiant, et alii casus possunt non dissimiles contingere.

195 Objiciuntur III. loco varii Textus Juris Canonici, *in cap. si quis demum*, *in cap. si egressus de iniur. in cap. in literis derapt.* per quos deciditur, damnum ignis esse farciendum. Sed prædicti canones tractant, de incendio non casu fortuito excitato, sed culpa, sed voluntariè, quo casu, tres annos pæniteat incendiarios, necesse est, & excommunicationem incurrunt, circa quam distinguitur. Incendiarii Ecclesiarum, vel locorum religiosorum sunt ipso facto excomunicati. Incendiari aliorum locorum sunt excomunicandi. Sed tam hi, quam illi, quoties fuerint declarati ab Ordinario excomunicati, excomunicatio erit Papæ reservata, quod licet aperto Jure non probetur, est tamen ex consuetudine receptum, de *qua Layman* L. 4. *Tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 19. *Tannerus Tomo* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 18. *Barbosa in cap. tua nos de sent. excom. n.* 4.

(pp) A Zenone.

De lege Zenoniana, qua nomen indidit proprium contractui Emphytheutico.

196 Ante Zenonem Imperatorem celebrabatur illud contractus genus, quo prædia perpetuò fruanda aliis tradebantur, ut quamdiù pensionem pro his præstarent, ea illis auferri non possent. Et sanè non apud Romanos dumtaxàt hic contractus erat in usu, sed etiam apud Byzantios, quibus in more erat positum, sterilia prædia in perpetuum locare, certa in annos singulos constituta mercede, teste Aristotele L. 2. *Iconomicon*, & ex *Geneh cap.* 47. *vers.* 24. ibi: *dixit ergo Joseph ad populos; en, ut cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis.*

Et *ex Josepho L.* 2. *antiq. Judaic. cap.* 4. eruditè *Connanus* L. 7. *comm. cap.* 12. *n* 1.

Sed Zeno Imperator huic contractui proprium nomen indidit, eumque Græco vocabulo *emphytheusin* vocavit, ita nimirum ab emptione, & locatione eumdem secernens; formam verò pristinam Zeno prorsùs immutatam reliquit, deducitur *ex §. adeo Inst. de locat.* ex ipsa Zenonis constitutione *in* L. 1. *C. de jure emph.* per hæc verba: Conceptionem, & definitionem habere propriam, quæ significant, tantùm propria appellatione contractum hunc fuisse donatum.

Canones hunc contractum recepisse, non indiget probatione, patet ex *Tit. Decretalium, ex T. de reb. Ecel non alien. in Extrav. ambitiosa*, in qua cum emphytheusin nomine alienationis venire, statuatur; meritò & de hoc contractu aggredimur differere.

[qq] Recognitionem.

De Canone emphytheutico, in quò differat a pensione, quæ a conductore persolvitur.

Emphytheuta canonem non propter rei usum, sed in dominii recognitionem exolvit. Emphytheusis enim, pro modica pensione regulariter conceditur, atque ita magis dominii, quàm fructuum ratio habetur, L. 2. *&* 2. *C. de jure emphytheut.* Imo etiam in uno nummo canonem constitui posse, sentit *Connanus* L. 6. *Comm. cap.* 12. *Valanus de jure emphyth. q.* 1. *n.* 11. 19. cui tamen obsistit *Bocerus classe* 2. *disp.* 14. *Thesaur.* 32. *edit.* 2. cum tamen nec emptio, nec locatio uno nummo celebretur, L. *si quis ante* 10. *§. fin. ff. de acq. vel am. poss.* L. *sicut* 20. *§.* 1. L. *si quis conduxerit* 46. *ff. locati*, L. *si quis donationis* 38. *ff. de contr. empt.* Hinc in locatione, in qua pensio pro compensatione quadam fructuum exolvitur, L. *si olei C. de locato*, pensio ob sterilitatem remittitur *cap. propter de locato.* Emphytheutæ propter sterilitatem pensio non est remittenda, L. 1. *C. de jure emphyt.* ubi dicitur, damnum, ex quo tota rei substantia non perit, ad emphytheutam pertinere, ut optime Fachinæus ex dicto Textu probat, L. 1. *Contr. cap.* 89. Magna verò, an modica pensio solvatur, an fructibus etiam attemperata, parum interest; nam emphytheusis esse non desinit, *§. quia verò levis*, *Auth. de non alien.* per quem Textum ita statuit *Fachineus ubi supra in fine.* Porrò annuus hic canon interdum dicitur *vectigal.* L. 1. *&* 2. *ff. si ager vectigalis*, L. *Lex vectigalis* 31. *ff. de pignor. & hypoth.* & quatenus differat eruditè Connanus exponit L. 7. *Comm. cap.* 12. Quandoque dicitur *canon* L. 3. *§. necessitatem, C. de Jure emphyth. Auth. qui rem*, *C. de sacros. Eccl.* L. *privata C. de excus. mun. cap. potuit de locato.* Aliquando *reditus*, *§. adeo Inst. de locat.* nonnunquam *emphytheuma*, ut in Synopsi Basilicon, L. 20. *Tit. de emphytheus. Constit* 2. Interdum τέλος, hoc est tributum *ab Harmenopol.* L. 3. *epitom. Tit.* 4.

Imo modus cognoscendi locationem ab emphytheusi est mentem convertere ad pensionem; 199 si hæc fructibus respondeat, præsumitur facta locatio, *Ruinus conf.* 161. *n.* 25 Nam in emphytheusi solvitur quid minimum in recognitionem dominii, *Bellon. senior. Conf.* 21. aliique, quos perdoctè ad hoc allegat *Pacionius alleg.* 141. *n.* 1. 2. *&* 3.

(rr) Utile.

DISSERTATIO XXIII.

An utile dominium transeat in Emphytheutam.

Notissimum est, emphytheutam prædii accepti dominium utile comparare; ideoque illud vendere, donare, aut dotis nomine dare potest,

§. *adeo autem*, *Inst. de locat. & cond.* quę alienationes dominium praerequirunt, *L. alienatum*, ff. *de Reg. Iur.* et ideo emphytheuta Dominus utilis dicitur, *L. possessores* 12. *C. de fundis Patr* L. 11. *L. si quis*, *C. de divers. prad. urb.* L. 11. *L. fundi patrimonialis* 4. *C. de fund. patr.* L. 11. L. 1. C. *de fund. rei priv.* L. *fin. C. de locat. prad. civil.*

Atque ab hac sententia, quae statuit, in emphytheutam dominium utile transferri, neque in consulendo, neque in judicando ullatenus recedendum esse, certum est.

200 Si verò quaeritur, an in puncto Juris omnium sit sententia concors, quod emphytheuta Dominus utilis efficatur, planè *Corrasius in Miscellan.* L. 6. *cap.* 20. *Duarenus* L. 1. *disp. cap.* 17. *Parladorius* L. 1. *rer. quot.* contendunt, stricta disputandi ratione, veriusesse, nec directum, nec utile dominium transire in emphytheutam. Quę sententia.

Probatur I. Nam divisio illa, ad quam Interpretes decurrunt, in dominium utile, ac directum mere commentitia est, & Jurisconsultis incognita. Quod facilè ostenditur; nam directum, & utile differentias continent actionum, quae in jure directae, vel utiles dicuntur; Et emphyteutae quidem competit utilis rei vindicatio. At utilis rei vindicatio interdum ei quoque competit, qui dominio destituitur, L. *idem* §. *de arbore*, ff. *de rei vind.* L. *adeo* L. *sed si*, ff. *de acq. rer. dom.* L. *eum*, *qui* §. *pen.* ff. *de const. pecun.* L. *quia actionum in fine*, ff. *de prascript. verb.* L. *si quis diuturno*, ff. *si servitus vind.* L. *qui mortis*, 30. ff. *de mort. caus. don.* ergo nihil proponitur, unde haec distinctio dominii deducatur. Cur enim si hęc dominii distinctio datur, non datur etiam servitus utilis? *L.* 1. *in fine* ff. *de aqua*, *& aqua*.

Quin potius in L. 1. §. *qui in perpetuum*, ff. *si ager vectigalis*, negat Jurisconsultus, esse Dominos emphytheutas. Ait enim, eos, qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt Dominos non effici. At qui in perpetuum fundum fruendum conduxit, est emphyteuta, L. 1. ff. *de superficieb.* L. *sciendum*, ff. *qui satisd. cog.* ergò mens Jurisconsulti est, emphytheutam dominium nullum acquirere; nam verbum dominium utpote generale, species sub se comprehendit utilis, & directi (si hae species dantur) L. *si quid earum*, §. *inter emptorem*, ff. *de Leg.* 3.

201 Adversariorum verò argumenta, tam infirma sunt, ut magis, hanc distinctionem esse commentitiam, persuadeant.

Pro communi illa partitione, solet adduci Textus in §. 1. *Inst. de usufr.* ubi ait Imperator, proprietatem esse inutilem quamdiù, apud alios est ususfructus. Atqui proprietas nihil est aliud, quàm dominium, *L. si procurator* 13. *L. corpus* 36. ff. *de acq. rer. dom.* Si igitur dominium proprietatis est inutile, praesupponendum est, aliquod dominium esse utile, quale est dominium emphytheutae,

Sed illicò se offert, quid respòdere dabeat. Nam parum legitima illatio est. Dominium aliquando inutile est Domino; ergo eodem tempore aliud reperitur, quod Domino sit utile; utilitas siquidem aliquando apud alium, qui non sit Dominus, reperiri potest. At diversa sunt dominiam, & utilitas.

Nec deinceps in tuto ponunt adversarii sententiam suam ex L. *possessores* 12. *C. de fund. patr.* L. 11. ex L. *ult. C. de cens.* ex L. 1. ex L. *qui agros*, ex L. *locorum*, C. *de omni agro deserto*, in quibus cum emphytheuta disertè Dominus vocetur, manifestum est, emphytheutam dominium aliquod habere; non directum, ergò utile.

Resp. ex *Pichardi observatione in d.* §. *adeo*, Textus oppositos procedere in emphyteusi à Principe recepta, vel a Fisco, quę vicem habet perfectae alienationis, *Auth. de non alien.* §. *alienationis coll.* 2. ideoque, qui eam accipiunt, vocantur domini, & quidem direct, licet aliquid ejus nomine Fisco praestetur, L. *fin. C. si sine censu.*

Nec movet, quod emphytheutę competat in rem actio ad recuperandam emphytheusim, & tamen actio in rem dominium praerequirit, L. 1. §. 1. ff. *de acq. rer. dom.* L. *in rem actio*, ff. *de rei vind.*

Nam respondetur, rei vindicationem illisquoque tribui, qui dominium habent ususfructua, sed veri Domini non sunt, L. 1. §. 1. ff. *si ager vectigal.* Et propterea, cum loco Dominorum sint, locum habet utilis rei vindicatio, L. *tutor* 16. §. *ult.* ff. *de pignor. act.* Pari ratione fructuarii minus proprie domini sunt, L. *in venditionem*, ff. *de reb. auct. Iud. poss.* sunt enim Domini, non prędii, sed ususfructus, L. *falsus* ff. *de furtis*, & habent rei vindicationem ex aequitate.

Sed hęc ad notitiam quamdam dicta sint; neque enim a communi sententia, quae dominium utile admittit in emphytheuta, existimo, esse recedendum, quidquid contra exclamet *Ant. Faber. de laudem. decad.* 1. *error.* 1.

[55] *Laudemium*.

DISSERTATIO XXIV.

De Laudemio, & disputatur, an laudemium sit de substantia emphytheusis.

Cum primum emphytheusis ad perfectionem 202 redacta est, satisque pactorum conventione concepta, more, qui ubique invaluit, aliquid pecuniae pro ingressu est persolvendum, quod *laudemium* dicitur. De nominis ethimo dissentiunt viri eruditi, an dicatur laudemium a *laude*, quod 203 approbare veteribus significat, *Gellius* L. 2. *noct. artic. cap.* 6. quasi a Domino directo novus emphyheuta approbetur, ut observat Cujacius in L. 1. C. *de jur. emphyth.*

An quod laudativum sit donatio, ut ait Alciatus in L. *in conventionibus* ff. *de V. S.* Omittamus ishęc. In re ipsa conveniunt omnes, quod

sit lau-

fit laudemium pecunia debita Domino directo, in recognitionem, & admissionem novi possessoris fundi. Est laudemium antiquissimum. Nam *Plinius* L. 10. *epist.* 113. Trajanum consulit, an novi Senatores, & Decuriones aliquid in ærarium debeant *ex L. Pompeia* inferre. Deinde Justinianus *in L. ultim. C. de jure emphytheut.* sanxit, pro investitura novi emphytheutæ quinquagesimam pretii esse solvendam Domino directo, id est ad rationem duorum aureorum pro centenario, supputando pretium, & æstimationem prædii, ut *Redoanus docet in hoc nostro Tract.*

An verò sit laudemium de substantia contractus emphytheutici, non est exploratum. *Albericus*, *Fulgosius*, *Hostiensis*, laudemium ad substantiam contractus hujusce pertinere, defendunt.

Contraria sententia nobis arridet, quę negat,
204 laudemium emphytheusim perficere. Ea quam opinione, quam tuemur, inferendum est ad praxim, quod in dubio, an aliquis contractus sit locatio, vel emphytheusis, ex pacto solvendi laudemium non deducitur, esse conceptam emphytheusim, ut egregiè Pavonius *alleg.* 141. *n.* 15.

Et hæc nostra sententia firmissimis nititur fundamentis: quia nullo Jure cautum reperitur, per-
205 fici ex pacto de laudemio solvendo emphytheusim, ut videre est in §. *adeo*, *Inst de locat. in* L. 1. *& toto Tit. ff. si ager vectig. in L. itemque in L.* 1. *&* 2. *C. de jur. emphyth.* non debemus autem nostra interpetratione plus ad substantiam alicujus actus exigere, quàm Lex ipsa requirat, *L. illam* 19. *vers. superstitibus C. de coll. ita Fachinaus arguit* L. 3. *cap.* 72. *controv.*

Præterea, vana fuisset, & insipida veterum dubitatio, an contractus emphytheuticus locationi, & conductioni esset adscribendus, si is contractus ad sui perfectionem certum ab initio pretium exposceret; quoniam iis etiam, qui a limine Jurisprudentiam salutassent, notum erat, locationem ad sui substantiam certum pretium ab initio præstandum non requirere. Quid ergò dubitabatur, an emphytheusis esset locatio? Jamque adeò dari aliquid pro ingressu, consuetum esse, admittimus; aliquid verò necessariò daudum esse, negamus.

Maximè cum totus iste contractus legem a pactionibus, accipiat, quæ firma, atque illibata debent custodiri, L. 1. C. *de jure empyt.* Ergo hoc pacto deficiente dandi aliquid pro ingressu, valebit tamèn contractus emphytheuticus. Res, ni fallor, clarissimè patet.

Nec adversatur huic nostrę decisioni Textus in L. *fin. vers. pen. C. de jur. emphyth.* ubi traditur, quinquagesimam partem pretii ab emptore fundi emphytheutici pro impetranda investitura Domino præstandam esse. Ergo pretium in ipso limine contractus necessariò præstandum; nam hoc verbum præstandum indicat necessitatem, L. *obligationum*, *ff. de obl. et act*

Pro responsione, & vera hujus Textus interpretatione, supponendum est, laudemii duplex
206 esse genus; unum, quod solvitur a novo emphytheuta, simul ac investituram consequitur, de hoc non loquitur Textus. Est aliud quoddam
laudemium, quod non præstatur ab emphytheuta; 207
sed si emphytheuta emphytheusim vendiderit, eamque transtulerit in alium, prout *in specie ex. potuit de locat.* emptor quinquagesimam partem pretii conventi Domino directo debebit erogare; ita ut si emptor convenerit de pretio mille aureorum, quoniam quinquagesima pars mille aureorum est summa 20. aureorum, hi debentur Domino directo pro inductione in possessionem. Hoc quoque laudemium vocatur: de hoc laudemio loquitur illa Constitutio, *Donellus* L. 9. *com. de Jure Civil. cap.* 14. quod laudemium alias vocari solet laudativum, ex eo fortè, quod Dominus approbet, laudetque contractum, *Amadaus a Ponte de laudem. q.* 1. *per tot.* Atqui hic ipse contractus factus ab emphytheuta dicitur propriè livellus, Iason *in* L. 1. C. *de jure empyth.* P*arladorus diff.* 71. *n.* 3. *Nicolius Inst. Civilium* L. 3 *Tit.* 15. *de libello*. Quę vox *libellus* a feudorum libris tracta est, ut patet ex Constitutione *Corradi* L. 5. *de feudis*, ibi.. ut nulus senior de beneficio .. suorum militum, cambium, aut precarium, .. aut libellum sine eorum adsensu facere præ- .. sumat. Ceterum neque hoc laudemium spectat ad substantiam emphytheusis, seu libelli; hinc multis in regionibus non solvitur, prout
testatur *Blancardus in notis laudimialibus nota* 208
48. nonnullis aliis in locis imminutum laudemium solvitur, *Chopp. de morib. Paris.* L. 1. *Tit.* 3. *n.* 5. *Natta cons.* 49. *n.* 18. *L.* 1.

Apertiùs rem explicabo. In contractu emphytheutico, sicut & in ceteris, quatuor pervulgata reperiuntur, substantialia scilicet, naturalia, accidentalia, solemnia. Laudemium inter emphy-
theuseos naturalia reponendum esse, constat, 209
Surdus decis. 31. *n.* 6. aliique adducti *a Blancardo ubi supra nota* 1. *n.* 4.

Neque obsistit deinceps nostrę sententię Textus in L. *privata*, *C. de excus. mun.* ubi cum Imperatores agerent de prædiis jure perpetuo consignatis, id est de empyth. decernunt, ut talia bona, præter primum delegationis canonem, nullis aliis afficiantur impendiis. Quis hic primus canon, nisi laudemium? Ergò laudemium necessariò solvendum est.

Resp. hunc Textum accipi de annuo canone, qui in recognitionem dominii directi præstatur, non verò de laudemio. Si tamèn quantitas soluta pro ingressu valorem pensionis excedat, venditionis potius, quàm emphytheusis contractum censeri, tradit *Valanus q.* 10. *n.* 7. *Eggerorut in Synopsi juris emphyth. concl.* 42.

Pariter nihil obest Textus *in Auth. qui res*, *C. de SS. Eccl.* ubi ratione contractus empytheutici aliquid datum fuisse, certum est.

Nam concedimus, emphytheutas ad id obstringi Juris communis sanctione, L. *ult. C. de jure emphyth.* sed tantùm abest, ut ad substantiam laudemii solutio pertineat, ut prorsus tolli arbitrio contrahentium possit, quoniam naturalia

contra-

contractuú, dummodò substantiam non respiciant, in arbitrio contrahentium sita sunt, *L. pacta 72. ff. de contr. empt.* egregie *Blancardus ubi supra not.* 1.

[*tt*) *Quindennium.*

De Quindennio, & quid sit, & qui illud solvant.

Ecclesia dicitur manus mortua, capitulum,
210 collegium, fratria, communitas; ita autem manus mortuæ dicuntur, quod nunquam mori
211 dicantur, quia semper eadem sit Ecclesia, idem capitulum, idem collegium, eademque communitas, L. *proponebatur, ff. de judic.* Et proinde quemadmodum mortui sunt expertes vicissitudinum hujus sæculi, cum tamen viventia multis, ac penè infinitis mutationibus subiiciantur, utpote sub perpetuo motu degentia, §. *ut autem Lex de non alien. reb. Eccl.* ita Ecclesiæ, collegia, capitula communitates, in eodem statu permanent, proindeque manus mortuæ dicuntur, ut explicat *Petrus Gregorius in Syntagm. P.* 2. L. 15. *cap.* 38. *Nicholius Inst. Civ.* L. 3. *Tit.* 25. *n.* 6. *Pacionius alleg.* 86. *n.* 7. quibus præluxit *Polydorus Virgilius* L. 17. *histor. Anglicæ in Edoardo.*

Bona igitur, quæ ab illis tenentur, & possidentur, veluti mortua dicuntur, sunt enim inalienabilia, *Petrus Gregorius ubi supra sub. n.* 5.

Quorsum hæc, dicat aliquis? Nunc audi. Ecclesia, sive hæc manus mortua privilegium habet, ut si velit loco laudemii, solvat quindennium, singulis nempe quindecim annis, non u-
212 tem una vice. Ex Bulla Sixti V. quæ incipit *Camera*, & ex Bulla Pauli II. quæ incipit *decet*, est quindennium dimidium fructuum unius anni. De quo quindennio *Gibalinus de usuris* L. 4. *cap.* 4. *art.* 3. *Rota Romana Part.* 9. *recent. decis.* 274. *Rota post Cherbier de permut. Beneficior. decis.* 10. *Rota coram Ubaldo decis* 98 *n.* 11. & 12. *Corradus in Praxi Beneficiorum* L. 2. *cap.* 8. *n.* 64. *Pacionius alleg.* 42. *n.* 7.

Quocirca etiam quando bona empytheusis Ecclesiasticæ transeunt ad alium locum pium, nempe aliam manum mortuam, debet solitum quindennium persolvi, *Sacra Congregatio* 1466. *Calena* 25. *Maii* 4. *apud Nicholium Inst. Civil.* L. 3. *Tit.* 25. *sub n.* 6. *pag.* 208.

Neque obstat, quod Fulgosius *consilio* 6. sentiat, introduci non posse, ut varietur a, Lege illa Justinianea, quinquagesima præfixa.

Nam, ut omittam, quod respondet *Blancardus in notis laudimial. not.* 4. *n.* 3. dicendum est, quod licet *Marta de jurisd. n.* 4. *cent.* 1. *casu* 17. tantopere rem laudemio affici, arbitretur, ut ne Ecclesia quidem sit immunis, attamen hæc Martæ sententia sic se habet. Etsi enim prestationi laudemii sit obnoxia Ecclesia, non tamen vi constitutionis sæcularis; sed magis ex ipsa approbatione Pontificia. Pro consecutione verò laudemii hujusce Clericus erit conveniendus coram sua Judice, *Amadaus a Ponte de laudem. q.* 51. *n.* 5.

(*uu*) *Præscriptioni.*

DISSETARTIO XXV.

An canon, & laudemium subiaceat præscriptioni, & circa solutionem canonis quærit differentia inter Leges, & canones.

Ergo, ut patet ex dictis (omnia enim connexa sunt, & invicem cohærent) obligatur emphytheuta ad canonem, & laudemium. Amittit Dominus directus laudemium, si intra duos menses requisitus, & testato conventus novum emphytheutam non admiserit; his enim elapsis, 213
valet alienatio juris emphytheutici, non est necessaria susceptio, neque danda est quinquagesima illa pretii, quam dicimus laudemium, *L. ult.* §. *ult. & ibi Cujacius* C. *de jure emphyth.* Nam qui sinit, tempus labi, dicitur renunciare concessionibus, & privilegiis intra tempus impartitis, L. *si unus* 28. §. 1. *ff. de pact.* limitatique temporis ea vis est, ut postea inducat contrariam dispositionem, L. *fratres, ff. de pænis, Blancardus in notis laudim. nota* 17.

Quod attinet ad canonem. Si in laicali emphyteusi differatur canonis solutio per triennium, emphyteusis amittitur, idest caducatur, L. 2. *C. de jure emphyth.* Si verò sit emphyteusis Ecclesiastica satis est, si moram emphytheuta fecerit biennio, incidit ipse in caducitatem sui juris *cap. potuit de locato.* Concedunt tamen canones moræ purgationem, *cap. fin. de locat.* ibi: *nisi celeri satisfactione sibi consuluisset.* Ubi aliqui celerem satisfactionem eam vocant, quæ fit ante citationem judicialem, quod non ferunt verba *d. cap. fin.* Quocirca moræ purgatio ad modicum tempus referenda est, quod decem dierum est, *argum. Textus in L promissor*, §. 1. *de const pec. Zoesius ad Tit. de loc. n.* 17. Jus Civile asperius, talemque respuit moræ purgationem, L. 2. *vers. omnimodo* C. *de jur. emphyth.*

Sed an canon, & laudemium præscriptioni subiaceat, mira contentione Interpretrum disputatur.

Qua in re, ne diu Studiosum Juris nostri morer, pronunciandum, defendendumque existi- 215
mo, emphytheutam neutrum pro futuro tempore posse præscribere.

Probatur I. Quia canonis solutio, est emphytheusis tam propria, ut sicuti conductio non est sine pensione, ita emphytheusis non sit sine canone, alioquin degeneraret in precarium, vel commodatum, §. *item is, cui Inst. quibus modis re contr. obl.* L. 1. *ff. de precar.* Ergo effici non potest præscriptione, ut canon emphytheuticus minime solvatur.

Probatur II. Quia non valenti agere, non currit præscriptio, L. 1. C. *de Annal. præscript.* L.

cum notissimi, §. *illud*, C. *de præscript.* 30. *vel* 40. Atqui emphytheuta, qui se obligavit ad canonem consequentium annorum, non potest conveniri, nisi pro canone elapsi anni, actionem ergo habet Dominus pro anno iam præterito, adeoque pro futuris annis cessat actio. Quamobrem quonam pacto, in Dominum directum non valentem agere pro futuris annis, emphytheuta præscribet solutionem canonum? Cum nata non est actio, non potest tractari de actione præscribenda. Verum est, admitti præscriptionem 30. vel 40. annorum curriculo expleto, *L.* 1. §. 1 *C. de an. except.* sed veluti ignis evigilat, consumpto ligno præexistente, sic actio præexistat, necesse est, quam cursus annorum 30. vel 40. consumat. Si ergo sunt elapsi anni 30. *vel* 40. pensiones hujusmodi annorum ad summum erunt præscriptæ. At non poterit emphytheuta contendere ultra annos 40. actionem Domini directi evanuisse vi præscriptionis.

Probatur III. exemplis. Si ususfructus alternis annis legetur, non potest non utendo amitti, quia plura sunt legata, L. *si usufructus* 28. *ff. quib. mod. ususfr.* pro primo anno legatum est purum, pro sequentibus conditionale, & quia in obligationibus, & debitis conditionalibus non incipit præscriptio, nisi a die purificatæ conditionis, *L. si filius familias*, *ff. de tutela*, *& rat. distr.* ideo si fructuarius aliquo mense non utatur, non amittit ususfructum, d. *L. si ususfructus*. Ex quo infert *Cencius de censibus P.* 3. *q.* 8. nec Dominum fundi censiti præscribere exemptionem a solutione census futurorum temporum, quia cum nondum cesserit dies, ante diem obligationis non currit præscriptio, L. 1. C. *quando dies legati vel fid.*

Ac proinde vulgatum est, receptumque in praxi in annuis præstationibus tot requiri præscriptiones, quot sunt anni, ut sæpe respondit *Rota* P. 7. *recent. decis.* 21. *n.* 19. *& decis.* 154. *n.* 12. *prope finem vers. unde*, *& n.* 13. *& decis.* 265. *n.* 20. *& Put. decis.* 253. *n.* 2. *P.* 1.

Eodemque modo de laudemio differendum est. Si emphytheuta pluries jus suum alienasset, præs-
216 criptio procederet quoad casus præteritos, secus in futurum, *Amadaus a Ponte de laudem. q.* 47. Blancardus quamuis hac in re perplexus *in not. laudemial. nota* 47. Huc quoque pertinet ratio Textus in L. *cum notissimi*, §. *ult.* C. *de præscr.* 30. *vel.* 40. *in* L. *si certis*, C. *de pactis*, *& in cap. sancimus* L. 1. *feud. Tit.* 21.

Non obstat I. Textus *in* L. *ult.* C. *de fund. rei privat.* Lib. 11. quo utitur *Corbulus de Jure emphyth. cap.* 15. *lim.* 31.

Resp. Textum non dicere, pensionem annuam 40. annorum spatio præscribi ab emphytheuta; solum hoc dicit: Si quis emerit fundum rei privatæ Principis ea lege, ut canonem solvere non teneatur, non posse se tueri præscriptione temporis nisi 40. annorum, ut notat *egregie Fachinaus* L. 8. *contr. cap.* 99. nos hac de re non disputamus.

Non obstat II. Textus in *L. sicut*, *in L. omnes C. de præscript.* 30. *vel* 40. *an.*

Quia accipiuntur de præteritis præstationibus, non autem de præstationibus consequentium annorum.

Nec turbat III. decimarum exemplum. Jus enim decimandi etiam pro futuris annis præscribitur, *cap. ad aures* 6. *de præscript.* & tamèn est jus annuæ præstationis.

Resp. cum *Canisio in Tract. de decim. cap.* 9. 217
n. 10. decimarum præstationem non profluere ex contractu, vel ultima voluntate, sed ex dispositione sacrorum canonum, a quibus in modum regulæ statuitur, ut ex omnibus fructibus decimæ solvantur. Quæ regula, cum & una sit unamque, & simplicem obligationem inducens, non variam, & multiplicem, ut contingit in censu, in emphytheusi; idcircò una sufficit contra decimas præscriptio.

Nec absterret a nostra sententia quarto loco quod regeritur ad adversariis, quod ad annuas præstationes agi possit etiam pro futuro tempore, L. 1. C. *de Fideic.* *L. libertis* §. 1. *ff. de alim. & cib. leg.*

Resp. Fachinæus *ubi supra*, verum esse, creditorem alimentorum agere oportere pro alimentis quoque futurorum temporum, sed hoc introductum est, ne res male geratur in judicio, quia valde absurdum esset, ut pro singulis pensionibus novus institueretur processus, *L. male agitur C. de præscript.* 30. *vel* 40.

(??] *Alienationem.*

Libere conceduntur in emphytheusim, quæ concedi solita sunt.

Sanè si res Ecclesiastica in emphytheusim dari solita ad Ecclesiam fuerit reversa, quin Prælatus eam concedere iterum in emphytheusim possit 218
dummodo conditio Ecclesiæ deterior non fiat, nequaquam ambigitur, Textus est *in cap* 2. *de feud.* ibi: *ex parte tua nostro est Apostolatui reseratum, quod sæpius dubitasti, utrum cum contingit vassallum tuum decedere, & ad te feudum ipsius redire, feudum ejus alii liceat tibi dare, quamvis juramento tenearis obstrictus non infeudare de novo*, Romano Pontifice *inconsulto* (& infra) *In primo ergo casu feudum decedentis libere, si videris expedire, concedas*; consonat Textus in L. 1. *feud. Tit.* 26. §. *in Clericorum*, *&* L. 2. *feud. cap.* 2. *Tit.* 32. *& cap.* 2. ibi: *conditionem Ecclesiæ meliorare potest Tit. de donat.* At inquies, quid hoc significat: dummodo Ecclesiæ conditio deterior non fiat? Exemplum esse potest, 219
utputa, si emphytheusis, quam detinuit persona singularis, daretur a Prælato Civitati, aut Collegio, vel potentiori, deterior redderetur Ecclesiæ conditio; Civitas enim, & collegium nunquam moritur, L. *an ususfructus* 26. *ff. de usufr.* L. *si ususfructus* 8. *ff. de usu*, *& usufructu leg.* Huc pertinet Textus de Lege Corradi Tit. 34. §. *similiter* a. *Rota in Romana devol. domus* 4.

Decemb.

Decemb. ann. 1651. §. *final. coram Bichio*, *& innumeri apud Turricell um de reb. Eccl. non al. cap.* 15. *n.* 14. §. 2. Adeo ut nec solemnitates de Jure com muni requisitæ, nec beneplacitum Apostolicum exigatur, *Rota P.* 6. *recent. n.* 18. *decis.* 282.

Ratio, quia consuetudo alienandi convertitur in naturam, & non dicitur amplius alienatio, ex quo res semel exivit de mensa, sed potius executio antiquę alienationis, quæ ratio traditur a *Turricellio ubi supra*.

Curandum est igitur, ne quiddam novi adjiciatur, alioquin nova concessio censebitur, & proinde solemnitatibus alienationum opus erit.

220 Novi aliquid adjicitur, cum prima investitura magis est restricta posteriore, puta in prima tantum masculi comprehenduntur, in posteriore utriusque sexus descendentes; puta, in prima concessione adest pactum, ne emphytheusis transeat ad extraneos, in posteriore hic transitus admittitur. Aut etiam mutatio fit quoad canonem, isque minuitur in nova concessione. Quæ, & alia ejusdem generis exempla adducit *Turricellius cap.* 15. *de reb. Eccl. non al.* §. 2. E contrario autem canonem augendo, nihil contigisse mutationis, existimatur, *Turricellius ubi supra n.* 31.

Probatur verò, rem esse solitam alienari per duas locationes minus solemnes cum cursu 40.

221 annorum, aut per unam, quam solemnitas omnis præcesserit, ex communi opinione apud *Duran. decis.* 250. *n.* 18. *& seq. & Turricell. ubi supra n.* 43.

(xx) Terrulas.

Quid significet terrulas, quæ libere dari potest in emphytheusim pro expositione Textus in can. terrulas 12. *q.* 2.

Alienatio prædii valoris exigui sustinetur absque solemnitatibus, & beneplacito Sedis Apostolicæ, ex dispositione celeberrimi Textus *in can. terrulas* 12. *q.* 2. quem canonem non fuisse abrogatum nec *per Extravag. ambitiosæ*, nec per Synodum Tridentinam, Sacra Congregatio censuit *die* 21. *Jan.* 1506. relata a Rota *P.* 4. *recent. Tomo* 2. *decis.* 444. *n.* 40. *in add. a Turricellio de reb. Eccl. non al. cap.* 15. §. 3. *n.* 51. *a Fagnano in cap. nulli hoc Tit. n* 25.

En verba præcitati canonis: *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.*

Quid verò nomine *terrulæ* intelligatur, sollicitè

222 quærunt nostri Scriptores. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium decrevit prædictum canonem terrelligi debere de valore 25. Ducatorum auri de Camera, qui constituunt summam 37. Scutorum monetæ, ut loquitur *Pa-*

223 *sionius de locato cap.* 14. §. 3. *n.* 8. Incredibile dictu est, quam olim in hoc articulo variarent Interpretes, ut videre est apud *Ventriglianı Tomo* 2. *annot.* 1. §. 2. *n.* 2. apud *Thesaurum de pænis P.* 2. *cap.* 1. *pag.* 71.

Hinc cum mobilia pretiosa alienari nequeant absque solemnitate, declaravit Sacra Congregatio apud *Dianam* 4. *Tr.* 4. *Ref.* 223. ea dici pretiosa, quæ excedunt valorem 25. aureorum, *Nicholius Inst. Civil.* L. 2. *Tit.* 1. *sub. n.* 24.

Gratianus tamèn *disceptat. forensium cap.* 452. *n.* 10. defendit, modicum esse prædium, cujus valor pertingit summam aureorum 40. monetæ Romanæ; sed de valore 25. aureorum intelligi canonem, patet etiam ex aliis declarationibus *apud Nicolium in Inst. Civil. L.* 2. *T.* 2. *pag.* 76.

Intelligendus deinde ille Textus in hunc modum, ut ejus vigore, non possit alienari modica pars magni prædii Ecclesię. Nam si hoc permitteretur, sensim contingere posset totius prædii alienatio in fraudem Extravagantis, notat Genuensis *in Praxi Curiæ Archiepiscop. cap.* 75. *n.* 6. Insuper intelligendus ita est ille Textus; Etsi enim non requiratur ad terrulæ alienationem Apostolicus consensus, est tamèn necessaria Episcopi licentia, prævia causæ cognitione super requisitis. Episcopus verò esse debet ille, in cujus Diœcesi situm est Beneficium, ad quod terrula spectat, probatur ex *Auth. hoc Jus porrectum C. de Sacros. Eccl. Ita Ventriglia Tomo* 1. *Annot.* 1. §. 2. *n.* 5. *in Praxi*; non est tamèn opus decreto, *Pasionius de locato cap.* 14. *n.* 10. 224

Requisita verò in termınis nostri Textus in *d. can. terrulas* hęc sunt: non enim sufficit, rem esse modici valoris; sed requiritur etiam copulativè, ut non sit utilis Ecclesiæ, & quod alienatio fiat ex necessitate, patet ex verbis ejusdem Textus, & interpetratur in hunc sensum *Marescott. var. resol.* L. 1. *resol.* 25. *n.* 13. *Quaranta in summa Bullarii verbo alienatio n.* 41. *Genuensis in praxi cap.* 75. *n.* 3. & necessitas hic intelligitur pro omni justa causa *Ventriglia ubi supra n.* 1. 225

Tandem intelligitur in hunc sensum Textus, ut data in emphytheusim re sterili ei, qui illam reddidit fertilem, possit in perpetuum concedi, ex dispositione *cap. ad aures de reb. Eccl. non alien.* qui conjungendus est cum *can. terrulas*, ut censet *Turricellius de reb. eccl. non al. cap.* 15. §. 3. *n.* 58.

(yy) Renovare.

DISSERTATIO XXVI.

De Renovatione emphytheusis, & examinatur, an Prælatus finitam emphytheusim pro se retinere volens, cogatur ebsanguineis ultimi emphytheutæ renovare.

Cum multę quęstiones nequaquam satis, a Magistris canonum decisę hactenus fuerunt; tum illa magnoperè perplexa, & ambiguitatis plena, & magno dissidio, conflictuque vexata controversia est: Utrum Prælatus, vel quivis alter Dominus directus, finitam emphytheusim, volens

pro se retinere prædium emphytheuticum, cogatur, ac debeat renovare consaguineis ultimi emphytheutæ.

Ego censeo, non cogi Dominum directum, ac præsertim Prælatum emphytheusim finitam renovare.

216 Probatur I. ex Textu expresso *in Novella* 7. *cap.* 3. § *neque illud Tit. de non alien.* ubi dicitur pactum non valere, quo cavetur, ut Ecclesia teneatur, finita generatione, proximioribus ultimi emphytheutæ consanguineis renovare emphytheusim. Si vero Ecclesia, finita generatione, ad renovandum compelleretur, volens pro se retinere, nulla posset afferri ratio conviucens, cur pactum hujusmodi non valeret, ac subsisteret, arg. *L. non impossibile* 50. *ff. de pactis*, ubi quod fieri vi legis potest, idipsum & fiari potest per pactum, & è converso, si quid per legem prohibetur, id ipsum prohibetur per pactum.

Probatur II. Nemo enim rem suam cogitur alienare: nemo Dominus cogitur vendere, L. *invitum*, *C. de contr. empt.* *L. dudum C. de contr. empt.* *L. ne cui C. de Jure emph.* huc spectat regula *rei suæ de Reg. Jur. in* 6. *L. in re mandata C. mandati*. Cur ergo Dominus directus iam finitam emphytheusim renovare compellendus erit?

Probatur III. Quia cum emphytheusis Ecclesiastica ad certas generationes limitata sit, §. *emphytheusim*, *Auth. de non al.* & id pro regula attendi, dicat *Merlinus decis.* 410. *n.* 9. *& seq.* *Turricellius de reb. Eccl. non al. cap.* 27. *n.* 51. Equidem si necessariò renovanda esset, generationibus expletis, limitata non videretur, L. 1. *feud. Tit. de alien. feudi*. Idne cogamur contra Juris regulam affirmare, asserendum erit, ad renovationem hujusmodi, directum Dominum nequaquam compelli, ut argumentatur *Sarmientus infra citandus*.

Probatur IV. Quia sitientibus agris tuis, ad usum aliorum prædiorum, ut tuas aquas erogaris propagare, crudelitati proximum est, L. *Præses C. de servit. & aqua*. Quid hine deducitur? Deducitur, utilitatem nobis ipsis primum esse quærendam. Ergo non solum Dominus directus volens ex emphytheusi reversa quidquid utilitatis potest ipse percipere, prohibendus erit?

Probatur V. exemplo feudi; valet enim argumentum, a feudo ad emphytheusim. Dominus directus feudum reversum non compellitur iteratò concedere, *cap. ex parte de feud.*

Tandem quia conceditur prædium in emphytheusim, ut melioretur; si Prælatus cogeretur renovare, hoc beneficium meliorationis nunquam sentiret.

Atque hanc sententiam tuetur *Fachineus* L. 1. *contr. cap.* 100. *Sarmientus* L. 3. *select. cap.* 7. *n.* 2. *Gailius* L. 2. *observat.* 148 *n.* 2. *Zasius cons.* 21. *n.* 8. *Riminaldi.* *cent.* 1. *Miscell. ass.* 41. *Hunnius ad Treutl. vol.* 1. *disp* 20. *q. ult. aliique innumeri ex Italis; Caballus consil.* 174. *in fine & n.* 8. *Ho* *ex de Menu ad decis.* 41. *Gana Genuensis in Praxi Ecclesiastica q.* 79. *Caputa decis.* 303. *Benintendus decis.* 19. *Hondedeus cons.* 53. *n.* 41. *Gizzarellus decis.* 6. *n.* 3. 4. 5. *Gratianus discept. for. cap.* 88. *a n.* 5. *ad* 23. *Vela diss.* 16. *n.* 47. *Rota coram Mantica* L. 22. *Tit.* 30. *n.* 19.

Non obstat I. Textus *in* L. 1. §. *permittitur*, *ff. de aquæ quot. & æst.* quo ex §. primus omnium Bartolus deduxit jus renovationis petendæ, ut notat *Pineirus de emphyth. disp.* 7. - Agitur in adducto Textu, de jure aquæ deducendæ in fundum privatum ex Castello. Hoc jus habet aliquid similitudinis cum emphytheusi; ut enim in emphytheusi res a Domino directo recedit, sic & aqua recedit a loco publico. Emphytheuta aliquod jus in prædio nanciscitur; nec minus etiam jus habet aquæ ducendæ, qui talem impetravit facultatem; atqui ille, qui jus habuit aquæ ducendæ ex Castello, si moriatur, renovari eadem facultas in successore debet, *d.* §. *permittitur*, ergo & jus obtinendæ renovationis habet emphytheuta. 217

Resp. ibi tractari de servitute reali, quæ transit in successorem, & si cœperit ab eo, qui mortuus est. Successori namque debetur, & ideò non est beneficium, sed injuriæ genus, nisi successori concedatur, quam interpretationem coadjuvat Textus in L. *pecoris*, *ff. de servit. rust. præd.* servitutis realis commodum transit in successorem quia & fundus transit in successorem; at finita emphytheusi, nemo dixerit in successorem fundum pertransire; nec docere potest consanguineus ultimi emphytheutæ, eam ad se pertinere, sibique esse debitam.

Non obstat II. Textus in *L. cotem* §. *qui maximus*, *ff. de publican.* ubi Paulus disertè statuit, compelli posse conductorem vectigalium finitam conductionem renovare. Ex quo tale conficitur argumentum. Contractus claudicare non debet L. 3. ff. *mand.* L. *si dolo* 5. *C. de rescind. vend.* emphytheuta, seu conductor ex d. L. 10. compelli potest renovare. Ergo etiam Dominus directus, ut par sit utriusque conditio.

Resp. quod imo est apud *Ratam coram Mantica* L. 22. *Tit.* 30. *n.* 19. argumentum ex diametro contrarium. Ita enim se habet: Sicut Ecclesia non potest cogere agnatos non comptehensos in estitura, ad renovandam emphytheusim, pariter ut servetur æqualitas, non debet Ecclesia pro se volens retinere, ad renovandum compelli. Quid igitur respondendum ad exemplum conductoris vectigalium? Omnes, qui a Fisco conducunt, publicani vocantur, L. 1. §. *hic Titulus ff. de public. & vect.* Redemptores ii pariter dicuntur; notat ex L. *Cæsar ff. de publ. & vect.* *Petrus Gregor. in Syntag.* L. 37. *cap.* 1. *n.* 8. Textus oppositus de his redemptoribus loquitur, in quibus singulare est favore Reip ut compellantur renovare conductionem, si ea finita vectigalia tanto locari non possint, quippe qui ex redemptione vectigalium maximos fructus fuerant consecuti. Vectigal enim, de quo

agit

agit Textus, est id, quod Fisco ex rebus, quæ veneunt, penditur, propter usum viæ publicæ; L. 21. ff. de don. inter vir. Quoniam Principes planam, & tutam commeantibus viam præstare debent, L. 13. ff. de off. Præf. Et hinc est, quod talis vectigalium locatio, per licitationem fit, quo magis utilis Fisco reddatur, L. locatio 9. ff. de pub. & vect. Et quemadmodum Fiscus multis fruitur privilegiis; ita non mirum, hanc quoque renovationem locum habere. Ceterum si circumstantiæ non concurrant, quæ in opposito Textu dilucent, potius regula est, ad conducendum vectigal neminem invitum compelli, L. locatio §. ad conducendum, ff. de publ. & vect.

Non obstat III. Textus in L. quicumque 7. C. de omni agro deserto, L. 11. ibi: quicumque desertum fundum patrimonialem exercuerit, & fertilem, idoneumque præstiterit, salvo patrimoniali canone, perpetuo, ac privato jure defendat, & veluti domesticum, & avita successione quæsitum sibi habeat (& infra) neque eum quisquam excludat.

Ergo emphytheuta, quia durum est, impensas in ærarium alienum refundi, justè petit renovationem.

Pro responsione. Plane in idem collimant alii Textus in L. quicumque 3. C. de fund. patrim. L. 11. in. L. 1. in L. fin. C. de locat. præd civil. Verum Antonius Pechardus quiddam notat, quo facilè vis corruit oppositionis. Hic igitur eximius Interpres in §. adeo autem Inst. de loc. animadvertit, diversam esse rationem in fundis illis concessis a Principe, nam ea concessio veram continebat alienationem; patet expressè ex L. fundi 4. C. de fund. patr. L. 11. ibi neque enim magis commodamus nostra, quam tradimus ea jure dominii, ita tamen, ut ea, quæ in nostra possessione positi præstiterint, & imposterum solvant.

Non obstat IV. Textus in cap. ad aures de Reb. Eccl. al. vel non.

Nam respondetur; aliud esse inquirere, an Dominus iam certus, iamque deliberans alteri tradere fundum in emphyteusim, debeat ex quadam necessitate veteres præferre conductores; aliud esse differere de Domino, pro se volente fundum retinere. De primo casu Textus aperte loquitur; nos de secundo casu disputamus. In primo casu dicimus, æquum esse, veteres præferri conductores; cum enim emphytheuta reddiderit fundum fertilem, Ecclesia grata esse debet; atque huc spectat Textus in L. congruit C. de locat. prædior. civil L. 11. eamdemque recipit interpretationem Textus in L. jubemus 3. §. filios 5. C. de advocatis diversorum Jud. ubi dicitur quod si officium advocatorum per eorum mortem fuerit finitum, ipsorum liberi renovationem officii justè petunt; justè petunt, quia concedens pro se tale officium retinere non vult; sed est officium publicum, non verò Jus privatum. Eodem modo interpetrabimur Textum in L. 1. ff. de privil. cred. in L. imperator 60. ff. de pactis ubi in emptione bonorum debitoris, cognati anteferuntur extraneis. Neque enim hic agitur de quoquam volente pro se retinere. Simile quiddam respondendum ad Textum in L. si in emptionem 35. ff. de min. ubi minor rem suorum majorum recuperat.

Non obstat V. Textus in L. 1. in fine C. de metallar. ubi conductor, qui jus effodiendi metallum a Fisco conductum habuit, tenetur metallum Fisco vendere; ex quo infertur, cogi aliquem ad contrahendum.

Omissa interpetratione Fachinei, distinguendum est in hac coactione ad contrahendum, quid pro regula obtineat, quid loco exceptionis habeatur. Regula est, quod nemo cogitur locare, L. locatio §. ad conducendum ff. de public. & vect. nemo cogitur vendere, L. invitum C. de contr. empt. ad quem Textum plura dabit Covar. L. 3. cap. 14. var. Scimus quam magnis animis Chrysostomus invectus sit in Eudoxiam Augustam, quæ villam suburbanam viduæ Theognisti optimi viri sibi abstulerat, oblata ejus æstimatione, narrat Georgius Alexander in vita Chrys.

Verumtamen esse potest causa, ob quam invitus aliquis vendere obstringatur.

I. Causa est bonum universale, L. civitatum 2. C. ut nemini liceat in emptione specierum; coemebat enim undique Fiscus a Provincialibus species annonarias usui publico, veluti exercitui necessarias, quæ coemptio Syconin vocabatur græca appellatione. Indicto igitur Syconito, nemini licebat a venditione se excusare, quippe respiciebat hæc venditio publicam utilitatem, notat Gibalinus Tomo 2. de negot. Hinc pariter in Concilio Turonensi, can. 5. sub Pelagio 1. tempore publicæ indigentiæ, compellitur quisque vendere, consonat Textus in cap. 1. de empt. & vend.

II. Causa est favor Relligionis. Ut enim favore libertatis, qui partem habet servi, eam vendere cogitur, L. 1. C. de com. servo; sic ad constructionem Ecclesiæ potest Dominus ad vendendum compelli, arg. Textus in L. 2. §. locum, ff. de Rell. & sumpt. fun.

III. Causa est æquitas quædam naturalis, ut in casu L. ult. C. de Jure emphyt. in casu rei censui subjectæ, in cujus venditione præferendus est censualista, Pius V. in Bulla cum onus & in casu Textus in L. fin. ff. de servit. urb. præd.

Textus ergo oppositus pertinet ad primam causam. Nam Reip. multis ex causis interest, metalla, præsertim auri, & argenti penes Fiscum esse constituta.

Non obstat VI. quod ad renovandam ephytheusim Ecclesiasticam novo beneplacito opus non sit, & propterea cogatur Prælatus renovare; propterea quod in casu feudi id expressum videtur in L. 2. feud. Tit. 7. in fine.

Nam literam Textus oppositi accurate legenti constabit, ibi casum proponi longe diversum a nostro. Tractatur enim de renovata investitura quam necessario sequi debet immissio in possessionem,

Quibus

Quibus difficultatibus jam superatis dicendum arbitror, quod docet *Leonius in Thesauro Fori Eccl. P. 4. cap. 1. n. 20.* quod &si cõtraria sententia videretur Juri communi consona; attamen Jus antiquum reformatum fuit per *Extravag. ambitiosa Tit. de reb. Eccl. non al.* cum enim Paulus II. admodum sollicitus fit de Ecclesię utilitate in alienationibus, & utilitate evidenti, potius inutile redderetur Ecclesiæ prędium emphytheuticum, quod redactum supponitur in meliorem conditionem; si, ne finita quidem emphytheusi, illud Ecclesia posset retinere, ut differit *Gratianus discep. for. cap. 88. n. 5.* cessat enim prima causa concessionis; nam causa fuit, ut res sterilis melior efficeretur. Cum vero res reddita melior ad Ecclesiam revertitur, fine impleto, cessabit jus cogendi ad renovationem, *cap. cum cessante de appell.* ut differit ad ostendendam correctionem, quæ habetur in *Extravag. ambitiosa Leonius in Thesauro P. 1. cap. 15. n. 3.* Hinc in feudis a Romana Ecclesia concessis indubitatum est, si finitis generationibus, ad jus, & possessionem, & dominium pristinum redierint, nõ posse jure peti renovationem, ex Constit. Pii V. *de non infeudandis*, confirmata ab Innoc. IX. prout latè *Leonius dict. cap. 15.*

Imo &si possit Prælatus concedere renovationem, & servare debeat æquitatem Bartoli in *d. L. 1. §. permittitur ff. de aqua quot.* præferendi scilicet proximiores; non tamèn ad id cogitur Sedes Apostolica, sed potest huic æquitati derogare, ut fusè traditur *in decis. 45. post Antonellũ de jur. & oner. Cler. per tot.* Jus verò petédæ renovationis, ne remotiores præferantur, est per annum, & diem, ut docet *Rota post Anton. decis. 4. n. 40.*

(aaa) Usura.

DISSERTATIO XXVII.

An ob quam causam usura possint exerceri, & de monte Pietatis.

In scholis Philosophorum vulgatissimum, & solemne illud est, actiones a fine distingui. Finge 229 igitur, ex fine redimendi captivos, ædificandi monasterium, alendi pauperes, mutuum contrahi sub usuris; an credimus, usuras reddi lucrum honestum, concessumque?

Dicendum est, ex fine piæ causæ usuram suam non exuere turpitudinem.

Neque enim sunt facienda mala, ut bona contingant, *can. non ita 22. q. 2. can. cum humilitatis ib. can. faciat ib. can. si dicat 39. q. 5.*

Clarius idipsum appatet *ex cap. super eo de usur.* his verbis: *prohibendus est quis, ne pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur.* Nec minus id quoque elucet ex *can. nolite 14. q. 5.* ibi: *nolite velle eleemosinas facere de fænore, & usuris.*

Ratio est, quia usuræ sunt prohibitæ omni Jure. Ex pia causa redditur licitum, quod est Jure positivo improbatum, argumento Textus *in cap. cum esses de testamentis.* At Jus naturale, & Divinũ perpetuũ est, *can. sunt quidam 25. q. 1.* Pondus præterea addit assertioni nostrę Textus *in can. non est putanda 1. q. 1.* ibi: *non est eleemosina, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur.*

Nec dicatur, montem pietatis a *Concilio Trid. in sess. 22. cap 8. 9. & 11. & a Bulla Sixti IV. Innoc. VIII. Julii 2. Leon. 10.* inter alia approbatissima recenseri; qui tamèn, lucrum ex pignore comparatur. 230

Nam respondetur, duplex esse genus montium; nullum eorum improbandum. Primus mons pietatis, quem olim Cæsar Augustus, & Tiberius, si Suetonio credimus, induxerant, est acervus pecuniæ, quę gratis datur indigentibus in mutuum; ipsi tamèn pignus relinquere obligantur. Datur pignus, non tamèn pecunia desinit esse gratuita, *L. 8. in quib. caus. pign.* Secundus mons ille est cum pecunia publica datur in mutuum idigẽtibus ea lege, ut aliquid modicum præstent ultra sortem, ad solvenda stipendia eorum, qui montem regunt, & hoc genus montis, an esset licitum olim disputabatur; sed omnem amovit dubitationem *Leo X. in Concil. Later. V.* qui *in sess. 10.* tam licitos esse tales montes, declaravit, ut ejus usum damnantes, usuræque insimulantes, incidant in excomunicationem latæ sententiæ, quia si mutuatarii aliquid collybi persolvunt, id non tendit, nisi ad compensandos labores ministrorum montis, preclarè *Zoesius ad L. V. Tit. 19. de usur. n. 52.*

Nec dicatur deinceps licitas reddi usuras ex causa justa, prout probatur, ex *can. ab illo 14. q. 4.* ibi: *ab illo usuram exige, cui merito nocere desideras.*

Resp. hunc Textum Divum Ambrosium authorem habere, qui dum explicaret sacram scripturam, pronunciavit, usuras a nocentibus extorqueri posse in compensationem damni accepti. Loquitur ergo de Judæis, qui dum revertebantur ab Ægypto in terram promissionis, invenerunt eam occupatam ab alienigenis. Chananæis nempe, & Amorrhæis. Ergo in compensationem damni, quod ob invasionem acceperant, usuras accipiebant, sed hęc, usura vere non est, sed potius compensatio, *can. dixit 14. q. 5.* & ita illum Textum accipit *Gonz. in cap. quia de usur.*

[bbb] Potest.

An, & quomodo serpant usuræ per omnes fere contractus

Variis involucris contecta ferox hæc usurę bellua, quæ vulgo dicitur palliata, latere potest 231 in omnibus fermè contractibus.

Latet interdum in contractu emptionis, ut si quis carius vendat ob dilatam pretii solutionem, *cap. in civitate de usur.*

Latet in contractu pignoris, cum creditor ob mutuum creditum, recepto pignore, paciscitur lucrari fructus pignoris, quod pactum dicitur antythre-

tythieticum, *cap. significante de pignor.*

Latet in societate, cum socius collata pecunia in commune, pacifcitur, salvam fore suam pecuniam, & tamèn venire in partem lucri, *Leotardus de usur. q. 11.*

Latet in locatione, ut supra ostendimus hoc *Tit. n. 173.*

Latet in cambio, cum literę ad nundinas non mittuntur, ex Bulla *Pii V. qua incipit*: in eam.

Latent in censu, cum non servatur constitutio *Pii V. quę incipit cum onus.*

Imo & usura comitti potest in ultimis voluntatibus, veluti cum testator legat pecuniam alicui, mandans interim, donec solvatur legatum, aliquid prestari ab hærede, si sit in facultate legatarii exigere, *Gratianus discep. cap. 34. n. 3. Sabellus verbo usura n. 5.*

(ccc) In culpam.

DISSERTATIO XXVIII.

An Ecclesia pecuniam in mutuum cum effectu obligationis possit recipere.

Salmasius in *Libro de usur. cap. 7. & passim alibi* contendit, mutuum non esse alienationem. Nec mirum. Eò namque spectat hæretici hominis versutia, ut de licita usura, & fænore hæresim, ab Ecclesia Romana damnatam, cujus est ipse infestissimus hostis, alicujus rationis colore cohonestaret. Gibalinus obsistit conatibus ejusdem *in Tractatu de usuris Tom. 1 cap. 1.*

232

Equidem mutuum est alienatio. *L. ejus, qui ff. de reb. cred.* L. 16 *ff. eod.* Imo inde mutuum sortitum est suam appellationē, quod ex meo tuum fiat, *L. 2. ff. de reb. cred.* Alienatio autem actus est, per quem dominium transfertur, *L. alienatio ff. de contr. empt. L. alienatum ff. de V. sig.* Ideo pupillus in mutuum dare non potest sine tutoris authoritate, quia alienare non potest *L. obligari, ff. de auct. tut.* Ideò socius propriam pecuniam in mutuum dare possit, quia propriam pecuniam alienare potest, *L. si socius, ff. de reb. cred.*

Quoniam ergo mutuum est alienatio; videamus, quomodo in hac specie alienationis persona Ecclesiastica se gerere debeat. Ecclesia in mutuum

233 pecuniam dare non potest, quia in *Extravag. ambitiosæ* omnis prohibetur alienatio. Porrò pecunia, quæ invenitur penes Ecclesiam, aut est fructifera, qualis illa, quæ in montibus posita est, vel censibus, & hęc, cum pro immobili habeatur, dari in mutuum sine solemnitatibus non potest, *Ripa in L. 1. §. quæsitum ff. ad Trebell. Ventriglia Tomo primo in praxi annot 1. §. 1. n. 23.* aut ad Ecclesiam provenit ex venditione bonorum immobilium implicanda in similem emptionem; & hęc pariter sine solemnitatibus in mutuum dari non potest, *Ventriglia ubi supra*; aut pecunia, quæ est in Ecclesiæ proprietate nullum parit fructum, & hęc pariter sine solemnitate in mutuum dari non potest, *Rota Romana in una Venetiarum nullitatis contractus 13. Nov. 1601. coram Pamphilio relata a Riccio in Praxi P. 1. Resol. 70. n. 3.* aut est pecunia quę in dies ex fructibus venditis recipitur, & hęc dicitur quidem res mobilis, *Thesaur. decis. 160. Abbas in cap. nulli de reb. Eccl. non al.* & sine solemnitate alienari potest; vereor tamèn, an in mutuum dari possit sine solemnitate. Nam expendi pecunia ad utilitatem Ecclesię potest; at verò si data sit in mutuum, interim nulla utilitas est Ecclesię, cum pecunia Ecclesię sterilis sit quę in manu debitoris existit. Contrarium docet *Ventriglia annot. 37. §. un. n. 17.*

Quod si agatur de mutuo accipiendo ab Ecclesia; regula est, Ecclesiam obligari ex mutuo, quando illud versum est in ipsius utilitatem prout *in §. præterea Inst. quod cum eo*, & successor tenetur Textus *in cap. quod quibusdam de fideius.* Ad similitudinem civitatis, *L. civitas ff. si certum petatur, Auth. hoc Jus porrectum, C. de sacr. Eccl.* Quod cum dico, id significo: quod scilicet non teneatur Ecclesia mutuum restituere, nisi creditor probet mutuum versum esse in Ecclesię utilitatem, *Nicholius Inst. Civil. L. 3. Tit. 15. n. 7.* Prælatus tamèn, qui nomine Ecclesię contraxit, licèt non probetur versio ejusve hæres obligatur ex tali contractu, nec auditur, dicens, contractum non tenere, quem ipse celebravit, *cap. ex diversis de Cler. con. Gratian. discept. for. cap. 196. n. 6. & 7.* Non est tamèn necesse, ut creditor repetens mutuum hanc versionem probet variis in casibus I. quando pecunia recepta est a Prælato cum consensu Capituli si agitur de alienandis bonis mobilibus minimè pretiosis ipsius Ecclesię pro restitutione mutui. *Menochius de Arbitr. casu 432. n. 3. & seq. ex Saliceto in d. Auth. hoc Jus* II. quando creditor agit contra Prælatum, qui recepit mutuum, ut satisfaciat de fructibus Ecclesiæ, cum eorum liberam habeat administrationem, *cap. cum nobis de elect. cap. is, cui de el. in 6. Genuensis in Tract. Eccl. q. 140. n. 2.* 234

Disputatur, quomodo sit hęc versio probanda, an requiratur vera probatio, vel sufficiant conjecturæ. 235

Verior sententia est, sufficere conjecturas, quam docent *Genuensis ubi supra Ventriglia dicta annot. 37. §. un. n. 8. Turricellus de reb. Eccl. non al. cap. 31. n. 28.* 236

Ratio est, quia materia probationum coarctari non debet, *L. quoniam C. de haret.*

Probatur quoque a simili; quia consanguinitas, carnalis copula, violentia, & plura alia satis ardua probantur conjecturis, *cap. licet ex quadam, cap. licet ex quadam, cap. preterea de test. cap. literis de præsumpt. L. si quando C. unde vi.*

Non obstat *Textus in cap. quod quibusdam de fidejus* disponens, hanc versionem esse probandam manifeste.

Resp. quod probatio per conjecturas adhuc dicitur manifesta, *L. licet Imperator, ff. de Leg. 1. Mantica de Tacitis Lib. 8. Tit. 12. Genuensis ubi*

supra

supra dicens; quod si exigeretur probatio tam rigorosa; Ecclesia tempore necessitatis non inveniret quemquam, a quo pecuniam in mutuum posset accipere.

Distinguit tamen Turricellius hunc in modum; vel enim Prælatus habebat mandatum a Capitulo, seu consensu ad mutuum contrahendum, & tunc procedit hæc sententia, vel accepit pecuniam in mutuum absque mandato, & versio tunc plenè probanda est, *citatque varias decisiones n. 29.*

Conjecturæ autem, & præsumptiones, quænam sint, si quæras; præsumitur hæc versio si probetur, tempore mutui Ecclesiam indiguisse, *arg. Text. in L. fin. ff. de alim. publ. præst. L. ult. ff. de exercit. act.* cui tamen conatur respondere *Fachinaus L. 2. contr. cap. 76.* Præsumitur versio si probetur, post receptum mutuum Ecclesiam aliquod ædificium refecisse, ut ex dicta *L. fin. deducit Ventriglia dicta annot. 37. n. 9.* Præsumitur versio, si probetur post mutuum Ecclesiam emisse fundum utilem, *Albericus in d. Auth. hoc Jus, quem citat Ventriglia ib.* Præsumitur versio, si probetur, administratorem Ecclesiæ, qui recepit pecuniam, esse præditum prudentia probitate, ac dexteritate in aliis negotiis egregiè peragendis, *Glossa in can. hoc Jus 10. q. 2. Turricellius ubi supra n. 37.*

Tandem si quærimus, an ad pecuniam accipiendam in mutuum solemnitatibus opus sit? Certum est, eas non requiri. Quamquam *Covarr. L. 2. var. cap. 17. n. 3.* ita loquitur: *Tutius erit, mutuam pecuniam ab Ecclesia recipi præmissis tractatibus, & solemnitate, quæ necessaria est ad rerum Ecclesiæ alienationem.* Rationem tradit, quia tunc præsumitur versa pecunia in ejus utilitatem. Hic loquendi modus Covarruviæ demonstrat consultius fore uti solemnitatibus.

(ddd) Non adimere.

DISSERTATIO XXIX.

An de Jure Canonico post lapsum biennii locum habeat exceptio non numeratæ pecuniæ, & agitur de obligatione in forma Cameræ.

Duplex mutuum, naturale, & civile, ut notat *Fachinaus L. 11. controv. cap. 55. vers. ultimo movetur.* Naturale, in quo vera sequitur pecuniæ numeratio; civile, in quo secuta fingitur, nempe per chirographi scripturam, in qua scriptor confitetur, se recepisse pecuniam, quam vere non recepit. Satis de mutuo naturali disseruimus. Jam sermo dirigendus ad hoc civile mutuum, prout etiam vocatur *a Petro Gregorio in Syntagm. P. 3. L. 24. & a Ferrario in Tit. de forma libelli.*

De hoc mutuo civili extat *Tit. Inst. de liter. obl. & Tit in C. de non num. pecunia* cum ergo soleat scriptura hunc usum habere, probandi, confirmandique obligationes, quantum ad fidem, & solemnitatem rerum gestarum pertinet, ut fraudibus facilius occurratur, *L. contrahitur ff. de pignor.* per se verò antiquitus nullam induceret obligationem; placuit, quando esse scripturam, quę per se obligationem induceret, solis ex literis, & characteribus, nullo alio auxilio concurrente, non consensu, non re, non verbis; sed sola Legis auctoritate. Quare contra Hunnium verum pronunciat Cujacius, ante Principes nullam scripturam fuisse contractum, ut sola, & potestate Legis. Ergo hic cōtractus in hoc consistit, ut debitor ipse futuræ numerationis scribat chyrographum, in quo confiteatur, se certam pecuniæ summam, vel in mutuum, vel dotem recepisse, quam nondum verè recepit. *Emanuel Costa in L. si ex cautione 3. C. de non num. pec.* plurefque alii putant, idipsum contingere posse in aliis contractibus; posse venditorem scribere, se pretium recepisse, quod vere non recepit; locatorem se recepisse pensiones, depositarium depositum, Dominum directum canonem emphypheuticum, cum tamen vera non contigerit numeratio. Sed alii censent, in mutuo, & in dote verificari literarum obligationem ex *L. adversus 5. ex L. pen. C. de non num. pecun.*

Effectus hujusce chirographi est, ut plane, qui confessus eit per scripturam, se recepisse pecuniam, quam non recepit, obligetur ad instātiam creditoris ei restituere, perinde ac si re vera recepisset. Verumtamen quia durum, asperumque videbatur, ut quis restitueret, quod nunquam accepisset; legibus comparatum est, ut intra biennium posset debitor, qui scripsit chyrographum, antevertere actorem, & chyrographum repetere in modum querelæ, ante quam a creditore conveniatur, *L. si quasi 7. C. de non numerata pecunia.* Aliudque intra biennium remedium suppetit debitori, nempe exceptio non numeratæ pecuniæ, qua exceptione creditor petens intra biennium repellitur, *tot. Tit. Inst. de lit. obl.*

Ut iam ad quęstionem descendam; sciendum, quod è contrario debitor amittit hæc remedia, si biennium effluere passus sit, *§. olim Inst. de lit. obl.* cogitur enim ille scriptor, nulla amplius succurrente exceptione, satisfacere creditori.

Sed quid dicendum est de Jure Canonico? Esto hæc procedant juxta Leges sæculi; at ex canonica æquitate etiam post annos mille, debitor esset audiendus, ut loquitur *Romanus cons. 138.*

Nihilominus nusquam mihi reperire contigit canonem Juri Civili quoad hunc articulum derogantem.

Sit igitur conclusio: etiam de Jure sacro post biennium cessat exceptio non numeratæ pecuniæ.

Conclusio tamen indiget explicatione, per quam una, eademque opera quæ posita sunt in Titulo, explicata remanebunt. Præclare *Antonellus de tempore legali cap. 45. L. 2.* distinguit, quinam sint illi, qui chirographum scripsere. Potuit scribere Monachus, vel Clericus. Si Monachus dissentiente Capitulo exaravit, si Clericus 137

Ecclesia

Ecclesia repugnante, equidem & Monasterium, & Ecclesia, etiam post biennium exceptionem habent non numeratæ pecuniæ. Ratio traditur quia ad creditorem spectat probare, pecuniam in utilitatem Monasterii, vel Ecclesiæ fuisse conversam. Ergo ad hanc probationem debet induci per exceptionem, *cap. fin. de deposito, cap. quibusdam de deposit.* Imo creditor non petet per actionem mutui, quia ut ipse Antoniellus docet, cum Monacho, cum Clerico, inconsulto Monasterio, & Ecclesia, mutuum constitui non potest ad ipsa loca obliganda, & ideo aget de in rem verso *L. 1. ff. de in rem vers. Ita etiam Nicholius Inst. Civil.* L. 3. *Tit.* 22. *ampl.* 3.

Insuper quod spectat ad obligatos in forma Cameræ; verum est, in obligatione camerali locum non habere exceptionem non numeratæ pe-
228 cuniæ; sed qui confessionem exaravit se obligans
230 in forma Cameræ, debet etiam intra biennium probare, sibi pecuniam non fuisse numeratam, docet *Nicholius* L. 3. *Tit.* 22. *lim.* 6. *Inst. Civil.* & L. 3. *Tit.* 13. *sect.* 1. *ampl.* 10. *ib.* Est autem obligatio in forma Cameræ formula quædam ex multis juridicis cautionibus, incerto auctore conscripta, diuturnoque Romanæ Curiæ usu comprobata; quæ contractuum instrumentis adiecta validissimè obstringit, cessantesque adimplere facilius admodum coguntur per Judicem stare promissis; continetque sex clausulas. I. Continet hypothecam generalem omnium bonorum. II. submissionem Curiæ causarum Cameræ Pontificiæ, & omnibus aliis Curiis Ecclesiasticis, & sæcularibus. III. omnimodam executionem a Judice faciendam in debitorem, qui ita se obligavit. IV continet renunciationem cuilibet exceptioni. V. constituit procuratores omnes notarios, procuratores Romanæ Curiæ, & aliarum Curiarum ad confitendum debitum; sed hodie *ex Const. Pii V. & Pauli V.* non potest constitui procurator ad confitendum debitum; nisi constituatur etiam ad defendendum. VI. continet juramentum observandi prædicta. Varia autem hujusmodi apocharum exempla, quibus obligatio in forma Cameræ consurgit transcripta sunt *apud Nicholium* L. 3. *Tit.* 14. *Inst. Civ.*

Hac præmissa explicatione, ut intelligeretur, nostrum theorema eos casus excludere; jam quibus fundamentis nitatur, videamus.

240 Probatur I. Nam testatur *Jason in L. quamvis* 10. *C. de Juris*, & *facti ignor.* itemque *Abbas* Clementem IV. contra Treverensem Episcopum pronunciasse, quod post biennium non possit opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ. *Baldus etiam in L. cum quis C. de Juris, & f. ign.* affirmat, alium Pontificem idem decrevisse inquæstione quorumdam mercatorum. Idem affirmat *Speculator in Tit. de except.*

Probatur II. quia cum negari nequeat, Jus Pontificium admittere literarum obligationem, eo ipso admittet, quod est proprium literarum obligationis. Atqui id proprium est, ut ultra biennium extinguatur exceptio, §. *olim Inst. de lit. obl.* ergo &c.

Probatur III. Quia præscriptiones de Jure Canonico admittuntur, *cap. de quarta, & tot. T. de Prescr.* cum ergo hæc exceptio non numeratæ pecuniæ opponi possit per modum querelæ, L. 7 C. *de non num. pecun.* cumque ob lapsum temporis præscripta sit de Jure Civili, idem dicendum de Jure Canonico.

Probatur IV. Quia etiam de Jure Canonico punitur negligentia, *cap.* 1. *de Jud.* & mora unicuique nociva est, *cap. moram de Reg. Jur. in* 6. ergo cum denegetur ex Civilis Juris dispositione talis exceptio ad moram puniendam, cur volumus aliter obtinere de Jure Canonico?

Probatur V. Quia alius quoque finis observabatur oculis Legislatorum, qui post biennium exceptioni opponendæ obstiterunt, nempe ne mercatores, quibus syngraphæ hujusmodi frequentius scribebantur, litibus a mercatura abstraherentur, §. *olim Inst. de lit. obl. & ibi Manzius*. Atqui hac de re non minus solliciti sunt canones, *cap. cum dilecti* 6. *de empt. ergo &c.*

Video tamen, contraxisse frontem adversarios, nec sibi temperare amplius posse. Probandum inquiunt, est adhuc suppositum: supponunt hæc argumenta, de Jure Civili non audiri scriptorem chirographi; Hoc verò falsum est.

Sed nos omni asseveratione affirmamus, imo de Jure Civili scriptorem chirographi, post biennii lapsum non amplius audiri, etiam si probare velit, pecuniam sibi non fuisse numeratam. Cur ita? Quia expresse ait Textus in *L. in contractibus* 14. §. *super ceteris C. de non num. pecun. non licet dicere non fuisse pecuniam numeratam*. Quia negantis nulla est probatio naturaliter, *L. asseveratio C. de non num. pecun. cap. bona propè finem de el.* Quia omnimodo solvere debet scriptor syngraphæ, *L. si intra C. de non num. pec.* Quia post biennium jusjurandum a scriptore deferri non potest creditori, L. 14. §. 3. *C. de non num. pecu.*

SOLVUNTUR CONTRARIA.

Obiicitur I. a *Bellencino in cap. si cautio de fid. instr.* Duo, inquit videntur a Legibus sæculi disponi in literarum obligationibus, unum debitori favorabile, aliud contra debitorem. Debitori conceditur, ut intra biennium possit opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ; contra debitorem disponitur, ut lapso biennio hoc remedio destituatur. Atqui Leges sæculi recipiuntur ab Ecclesia, quatenus personis favent Ecclesiasticis, *cap. Ecclesia S. Mariæ de const. can. si in adjutorium* 10. *dist.* respuuntur autem, quatenus non favent. Ergo, etsi canones contractum ex literis admittant; attamen eatenus admittunt, quatenus Clerico, qui scripserit chyrographum favebit, adeoque quatenus eripitur Clerico exceptio, contractus ille non recipitur.

Resp. quod etsi actio de in rem verso competat creditori, adversus Ecclesiam, pro qua scriptum est chyrographum, adeoque Ecclesia competat

petat exceptio non numeratæ pecuniæ etiam post biennium, ut in explicatione conclusionis dictum est; attamen non omne privilegium competens Ecclesiæ, competit Clerico, & ideo si chirographum pro se scripserit, verum est, lapso biennio carere exceptionis remedio, ex responso Clem. IV. aliorumque Pontificum, prout diximus *in primo argumento*. Lex enim Canonica admittit præscriptiones, admittit pœnas negligentiæ, quamquam debitori Clerico haud sint favorabiles. Notat *Genevæ differt. can.* L. 3. n. 8. *Abbas in cap. 1. de in integr. rest.* ubi privilegium restitutionis in integrum competit Ecclesiæ, non tamen Clerico.

Obiicitur II. Textus in §. *idem Juris Inst. de exceptionibus.* ibi: *sed quia iniquum est, eo nomine te condemnari, placet, exceptione non numerata pecunia te defendi debere*. Si ergo juxta hunc §. exceptio non numeratæ pecuniæ provenit ex æquitate; Jus Canonicum servantissimum æquitatis admittet eamdem exceptionem post lapsum quoque biennii. Augetur difficultas, quia præsertim Jus Canonicum non patitur, quemquam cum alterius jactura locupletari, *regula locupletari de Reg. Jur. in 6.* an non recipere pecuniam nullo jure debitam, quia non ante numeratam, est locupletari cum jactura debitoris? ergo &c.

Resp. iniquum esse debitorem condemnari intra biennium, tunc verò futurum, ut creditor damno debitoris ditaretur. At veluti præscriptione secuta per lapsum definiti temporis talis cessat iniquitas & tale damnum non perpenditur, id ipsum cogitatione transferendum est ad creditorem, qui si exigit pecuniam in confessione chirograhi expressam, juste lucratur. Legis enim auxilio suffultus lucratur. Qui enim Juris auctoritate nititur, non peccat *can. qui peccat* 23. *q.* 4.

Obiicitur III. Creditor est in in mala fide, ergo exceptionem, de qua agitur præscribere non potest, *cap. quoniam de præscript.*

Resp. creditorem hunc nostrum longissime abesse a mala fide. Scit, hanc exceptionem non numeratæ pecuniæ non esse solum exclusivam actionis, sed posse opponi per modum querelæ a debitore, etiam si ipse non ageret, quo casu illi biennium non noceret, L. *in contractibus C. de non num. pec.* Scit præterea, eumdem debitorem habere aliud remedium, intra biennium nempe condictionis sine causa, *L. quasi C. de non num. pec.* Scit, biennium non esse angustum terminum; sed ideo assignatum, quia solent boni patres familias quotannis omnis suæ substantiæ rationem inire, & percommodè secundo anno actiones intentare, *ut notat Manzius ad Tit de litt. obl.* ergo si debitor hæc neglexerit, juste credit ipse creditor, se posse jure suo uti, & pecuniam exigere vi chirographi debitam.

Obiicitur IV. Textus in §. *item verborum Inst. de inut. stipul.* ubi scripturæ, seu instrumento stipulationis credendum est, donec contrarium probetur; ergo chirographum, cum semper chirographum sit, admittet probationem in contrarium etiam post biennium.

Resp. diversam esse utrobique causam. Nam instrumentum, de quo ibi agitur, non est confectum a promissore, ut chirographum ab ipso debitore. Instrumentum illud deinde infringi nequit, quia alienum est, nisi fuerit oppositum: at literarum obligatio, sive chirographum per condictionem repeti potest, *L. si quasi 7. C. de non num. pecun.*

(eee) Contractus.

DISSERTATIO XXX.

An donatio sit contractus, & an ad ejus substantiam acceptatio donatarii requiratur.

Quemadmodum in viridario floribus fructibus herbisque selectioribus virentibus undequaque amœnissimo, omnia sunt in areolas disposita, ut videatur in exiguis illis terræ portionibus natura quiquid eximium ubique haber, inclusisse, placerque discolor illa amænitas: pariter in hoc amœnissimo de alienationibus tractatu occurrunt passim variæ inspectiones, quæ veluti distinctæ areolæ suos includunt flores, & quacumque mentis oculos circumferas, voluptas cum utilitate coniuncta innascitur. Vidimus de venditione, de locatione, de emphytheusi, itemque de mutuo, tam naturali, quam civili: jam aliquid de donationibus est delibandum, cognoscendumque imprimis, an donatio sit contractus, atque ad sui substantiam donatarii requirat assensum. 242

Ego censeo donationem esse contractum, & assensum donatarii esse necessarium. 243

Prima pars conclusionis innotescit ex his fundamentis.

Probatur I. Nam communis loquendi usus verbis, & appellationibus proprietatem elargitur, *L. 7. vers. nec mirum, ff. de supell. leg.* Atqui ex communi loquendi usu donatio contractus vocatur, *cap. præterea de Jur. Patr. cap. cum dilecti 6. de don. L. in omnibus, ff. de obl. & act. L. fin. C, de fide instr. L. ult. in fin. C. de don. L. pen. C. de don. inter virum, L. si quis C. de præscript. 30. vel 40.*

Probatur II. Quia donatio parit actionem propriam nominatæ conventionis, *L. si quis argentum, C. de donat.* propriam obligationis ex justitia commutativa, ut differit *Onnates Tomo 2. de contr. Tit. de don.*

Probatur V. Quia est donatio ultro, citroque obligatio, atqui ultro, citroque obligatio contractus est, *L. Labeo, ff. de V. S.* ergo &c. Major probatur, quia qui donat, obligatur tradere, *d. L. si quis argentum*; is verò, cui donatur, ad alendum donatarium obligatur, *L. & exhæredatum 47. ff. de re jud. L. alimenta 61. ff. de agnos. lib. L. Decurionibus ff. de Decur.* ergo donatio est ultro, citroque obligatio.

Ac proinde

Ac proinde hanc sententiam tuentur *Anton. Faber de error. decad.* 44. *err.* 98. ut multos omittam, quos congerit *Antunez Tract. de don. Reg.* L. 1. *pralud.* 1. *n.* 36. *Riminaldus in Rubr. Inst. de don. Onnates in Tract. de contr. disp.* 29. *Tom.* 2.

Secunda pars de acceptatione donatarii defenditur a *Cujacio* L. 12. *observ. cap.* 28. *a Sperello decis.* 168. *n.* 14. *& decis.* 81. *a Gomez Valasco aliisque, quos citat Antunez pral.* 1. *ubi supra; defenditur ab Ant.* Fabro *de error. pragm. decad.* 47. *error.* 2.

Probatur I. Quia si quis donaverit; donec tamen agnoverit, assensumque præbuerit donatarius, nulla est donatio, ut sunt casus in L. *nuda ratio*, *ff. de don. in L. si cum filius*, *§. sed si quis ff. de don. in* L. *hoc jure* 19. *§. si quis*, *ff. de don. in L. nec ambigi*, C. *eod. T. in* L. *si ego §.* 2. *ff. de jure dot. in L.* 8. *ff. de bon. libert.* quos Textus id decernere notat *Ant. Faber de err. pragm. decad.* 47. *err.* 1.

Probatur II. Nam donatio ex supra traditis est contractus; arqui contractus duorum exigit consensum, *L.* 1. *§. & est pactio ff. de pactis* L. *in omnibus*, *ff. de obl. & act. L. quacumque*, *ff. eod.*

Probatur III. Quia donatio nondum excepta simplex est pollicitatio, L. *hoc jure* 19. *ff. don.* Quid enim est, nisi pollicitatio, absenti, & taciti facta donatio, *L.* 1. *ff. de poll.* Cum ergo pollicitatio sit inefficax ad agendum *d.* L. 1. *ff. de poll.* donatio producat actionem, an non in hoc distinguetur a pollicitatione donatio, quod hæc assensum requirat donatarii?

Probatur IV. Quia datur in Jure donatio perfecta, & imperfecta, *L. si quis ancillam C. de cond. ob caus.* At quomodo nam imperfecta erit donatio inter vivos, nisi cum deficit assensus donatarii? Tunc enim perfecta donatio est, cum sine revocationis metu res donatario acquiritur, *L. si repetendi C. de cond. ob caus. L.* 3. *C. de contr. empt.* ergo acceptatio substantiam pertingit donationis.

Nihilominus hæc conclusio suas habet limitationes.

244 I. Singularis exceptio est in L. *si quis donaverit*, C. *de sacros. Eccl.* ubi si quis donaverit, nemine acceptante ad pium opus; possunt tamen hæredes conveniri, notant hunc Textum *Cujacius*, *Covarr.* L. 1. *var. cap.* 14. *Sperellus decis.* 168.

II. Singularis exceptio est in dote, ut sine acceptatione acquiratur puellę, etiam si ab extraneo data sit, *L. un. §. accedit*, *C. de rei ux. act.* & ratio apud Sperellum, quia dotis causa privilegiata est, *L. cum in §. mulier*, *ff. de cond. ind.*

III. Limitatio est in mortis causa donatione, in qua non exigitur donatarii consensus, sed quinque sufficiunt testes, L. *cum de mortis causa* C. *de don. mort. caus.* L. *cum pater*, *§. surdo*, *ff. de Leg.* 2.

Iam igitur jacta sunt fundamenta theorematis nostri, quoad utramque partem. Majoris negotii est superare difficultates, quæ solent ad prosternendam hanc sententiam, ab adversariis quorum est copia ingens, adduci.

Pars prima conclusionis displicet *Hieronymo de Oroz in Tract. de apic. Jur.* displicet *Harprecto*, *innumerisque ab eo adductis ad Tit. Inst. de don. n.* 14. argumentis nos premunt innumeris.

I. Opponunt Textum *in* L. *interdictum* 14. *ff. de precar.* ibi: *quia precarium est donatio, non contractus*, ergo perperam contractibus donatio accenseretur.

Resp. sensum Textus esse quod qui concessit precario rem, ad eam recuperandā, Juris Civilis careat actione, quia precarium, utpote donatio impropria, contractus esse non potest. Quod autem precarium sit impropria donatio, patet ex *L.* 1. *§. & distat*, *ff. de precar.* Quemadmodum & impropriè commodatum est precarium, L. 1. *§. & est simile ff. eod.* sic & legatum non potest dici contractus, quia legatum est quidem donatio sed *quadam* donatio, idest impropria donatio, *§.* 1. *Inst. de Leg.* & donatio dicitur, quia proprietatem quamdam habet donationis, uempe *liberalitatem*, ut perdoctè *Illustris. D. Didacus Lopez in Tract. de Legat. diss.* 7. *n.* 36. nos autem dicimus, esse contractum proprium donationem in qua sic datur, ut amplius recuperari non possit, quod datum fuerit.

II. Opponunt, quod donatio nullum habet admixtum negotium, solusque voluntate donantis perficitor, *§. alia Inst. de don.* non est ultro citroque obligatoria; ergo falsum defenditur.

His responderi posset; quod neque ex mutuo, ceterisque negotiis, quæ re perficiuntur, mutua nascitur obligatio. Quis tamen dixerit, mutuum extra numerum contractuum reperiri? Textus verò in *§. alia autem Inst. de don.* unum dicit, aliud non excludit. Cum enim Justinianus a donatione mortis causa ad donationem inter vivos sermonem transtulisset voluit protinus in *d. §. alia autem* adnotare differentiam utriusque donationis. Mortis causa donatio est, cum magis se quis vult habere, quam eum, cui donat; tum resumit in *§. alia autem*, quod è contrario donatio inter vivos est, cum donatot suam voluntatem scriptis, vel sine scriptis manifestaverit; quia tunc revocare non potest quod dono dederit. Opus erat igitur ad indicandam differentiam utriusque donationis, ut Justinianus potissimè de donatore loqueretur, & demonstraret, quod in donatione inter vivos donator vult habere eum, cui donat. Hoc dicit. Non tamen negat, quod & donatarii consensu opus sit. Imo id supponit; quid enim significat illud *manifestare*, nisi notum facere donatario? Quod si donatio manifestata distinguitur a pollicitatione; jam sequitur, manifestationem significare assensum quoque donatarii, quo in sensu etiam perfecta dicitur donatio in L. *perfecta*, *C. de don. qua sub modo*. Quod verò donatio sit ultro, citroque obligatoria, supra in argumentis ostendimus.

tendimus.

Neque obstat, quod donatio producat actionem habeatque plenissimum, & perfectum robur, ex L. *si quis argentum*, C. *de don.* adeoque non sit contractus, qui Juri gentium deberet adscribi L. 1. §. *ex hoc Jure*, *ff. de Iust. & Jure*.

Nam exemplum contractus emphytheutici difficultatem prosternit, quippe emphytheusis a Zenoniana Lege plurimum est mutuata, & tamen quis dixerit, emphytheusim idcirco excludi a numero contractuum?

Antequam hinc recedamus, audiamusque adversantes alteri conclusionis parti, notari postulo, quæ hactenus dicta sunt, procedere in donatione inter vivos; nam donatio causa mortis censetur speciés ultimæ voluntatis, L. *ult*, C. *de don. cauf. mort.* L. & *fideicommissum*, *ff. de Leg.* 3.

Pars altera conclusionis de consensu donatarii, ad donationis substantiam spectante, variis impugnatur argumentis.

I. Opponitur, quod filiis nondum natis rectè donatur, L. *quoties*, C. *de don. quæ sub modo*, L. *inter ff. de pact. dot.* L. *Divi*, §. *pactis C. de natur. liber.* Per se patet, in hoc casu consensum donatarii deficere; ergo nulla est acceptationis necessitas.

Resp. in iis locis non dici, donationem fuisse directam in nondum natos; sed pactionem in donatione fuisse appositam, ut is, cujus in persona donatio consisteret, postea filiis natis restitueret. Qua de re latè *Covarruvias L. 1. var. cap.* 14. *Facchinaeus L.* 8. *controv. cap.* 88. & 89. Dicique potest, per alium faciendam esse approbationem, *L. ult. ff. de cur furioso dand.*

Non obstat II. *Textus in* L. *absenti in fine ff. de don.* ubi cum donatur servo, ignorante domino, domino tamèn acquiritur.

Sed facilis responsio est; nam servi consentire possunt; quippe consensus naturalis est; tantumque pro mortuis habentur quoad ea, quæ sunt Juris Civilis, *L. quod attinet* 72. *ff. de Reg. Jur.*

Non obstat III. quod beneficium interdum in invitum conferatur, L. 5. *ff. de lib. cauf.* L. *non tantum*, *ff. de appell.* L. *solvendo ff. de neg. gestis* ex quo sequitur, donationes, quæ beneficium quoddam sunt, consensum donatarii indistinctè non postulare.

Resp. uno regulam esse, quod invito non datur beneficium, *L. invito* 69. *ff. de Reg. Jur.* sunt tamèn nonnulli casus, quibus etiam in invitum beneficium confertur; idque maximè tum obtinet, si tertii cujusdam utilitas, in re versetur; vel si publica causa concurrat, vel quando homines, contra propria commoda laborare inveniuntur. L. *si pater* 1. C. *de spons.* L. *illud* 5. L. *seq. ff. de tut.* & *cur.* & juxta hos casus oppositi Textus intelliguntur.

Non obstat IV. donationes non rarò præsumi, ut in L. *cum is* 31. §. *si mea ff. de cond. ind.* in L. *si vero*, *ff. mandati* in L. *Campanus ff. de oper lib. in Auth. ut Ecclesia Romana vers. habeat*.

Hæc difficultas, nos conjicit nihil tale opinantes in gravissimam controversiam, an donatio præsumatur, de qua *Menoch. de arbitr. QQ. casu* 88. *per tot. Mascard. de prob. Concl.* 554. *Diana P.* 8. *Tract.* 6. *Resol.* 114. sed nos censemus, neminem ità esse animatum, ut præsumatur, rem suam velle familiarem profundere donando, *cap. sollicitè de rest. spol. cap. is*, *qui de sol. L. cum de indebito vers. qui enim solvit*, *ff. de prob.* L. 2. *in fine ff. ad* L. *Rhod. de jactu.* Nihilominus observandum est, præsumi tamen donationem in hisce casibus; si nempe vel adsit pietatis causa, vel favor talis, quo recedi solet a stricto Jure, vel amplitudo, & excellentia donantis, vel remunerandi studium, vel geminata voluntas, vel postremò odium delicti, contingit donationem præsumi. Ecce, in *L. cum is* 32. §. *si mea*, *ff. de cond. ind.* cum de dote agatur, cujus causa pia est, L. *si mulier ff. de cond. ind.* favore dotis præsumitur donatio, L. *un.* §. *accedit vers. imo* C. *de rei ux. act.* Insuper in opposita L. *si verò ff. mandati*, prout docet *Mascardus ubi supra* præsumitur donatio in odium delinquentis adolescentis, qui libidine correptus fuerat, ac proinde fidejussor meretricis regressu privatur. Nec quidquam dissimile invenias in *L. si servus*, §. *si olivam*, *ff. ad.* L. *aq.* in *L. si pupilli*, §. *sed etsi*, *ff de neg. gest.* Ulterius in opposita *Lege Campanus*, adest casus remunerandi præmium libertatis, & vi remunerationis donatio præsumitur, L. *si vero*, §. *inde ff. mand.* Tandem *in d. Auth. ut Ecclesia Romana* agitur de Principis munificentia, quæ præsumptionem hujuscemodi non excludit, prout notat *Menochius supra citatus*.

(fff) Res immobiles.

DISSERTATIO XXXI.

An donare prohibeatur Ecclesia res immobiles, ubi & de rerum mobilium alienatione.

Certum est, cum Clerici sint Ecclesiarum administratores, procuratoresve simplices, quidquam rerum immobilium alienare non possunt, poteritque successor, quidquid contra Juris dispositionem fuerit alienatum, revocare, *cap.* 2. *de don.* per quem Textum id notat *Zoesius ad Tit. de don. n.* 2. locumque habebit in integrum restitutio, *Anaxel. ad Tit. de don. n.* 3. Clarissime autem talis interdicitur donatio in *cap. nulli de reb. Eccl non al.* ibi: *alienationis verbum continet conductionem*, *donationem &c.* Nam quid aliud donare est quàm perdere? L. *filius* 7. *ff. de don.* L. 2. *Cod. de cons.* L. 12. Ideoque neque inter vivos, nec causa mortis hujuscemodi sustinetur alienatio rerum immobilium, nec si Episcopus donet, *tota Auth. de Eccl. rer. imm. al.* Imo qui rem donatam recipit, & rem illam amittit, & de sua substantia tantumdem, §. *si*

quis

quès d. Auth.

Disputatur, an saltem donatio immobilium,
145 quæ sit remuneratoria aliarum rerum, quæ fuerint Ecclesiæ donatæ, sustineatur.

Affirmativa sententia defenditur a *Redoano de reb. Eccl. q. 51. n. 21. a Gargia de exp. cap. 20. n. 13. a Tiraquello in L. si unquam n. 37. C. de revoc. don.*

Negativa verior, quam sustinet *de Retez de don. cap. 12. n. 2. Pinellus in L. 1. 3. part. n. 58. de*
146 *bon. mat.* & alii, quos *cumulat Gonzalez in cap. 3. de don. n. 9.*

Ratio non deest, tum quia antidoralis donatio minuit facultates Ecclesiæ; tum quia esset voluntaria alienatio, præterquam in specie Textus in *L. si non fortem 26. §. si libertus, ff. de cond. ind. ut notat Donell. L. 14. com. cap. 11.* adeoque solemnitates alienationis vitari non possunt; tum quia si hæc donatio non est vera donatio, tamèn est permutationis species, *L. sed si Leges, §. consuluit, ff. de pet. her.* Permutatio autem interdicitur, sine solemnitatibus, *cap. 1. de his, quæ fiunt a Prel. can. fine exceptione 12. q. 2.*

Contraria, ex his cumulatis rationibus distinctione desumpta, levi ictu concidunt.

Opponitur quidem Textus in *can. quicumque 66. 12. q. 2. in can. fin. 16. q. 6. in cap. per tuas de don.*

Quos respondetur, eo sensu intelligi, ut solemnitas requiratur ad donationem remuneratoriam legitimè perficiendam, prout *diserte Gonzales ubi supra*; non ergo procedunt absolutè loquendo.

Disputatur deinde, an donatio alteri facta intuitu ingressus Relligionis, absque solemnitate præscripta a Concilio in *sess. 25. de Reg. cap. 16.*
147 valida sit?

Statum quæstionis explico. Decretum *Concilii in dicto cap. 16.* tale est: Qui ingreditur Relligionem, renunciare volens bona, quæ ad se spectabant degentem in sæculo, ut renunciatio valida sit, non poterit renunciare, nisi intra duos menses proximos professioni, talisque renunciatio sine Episcopi, ejusve Vicarii licentia perfici non potest. Fingamus iam, nondum habitu suscepto, volentem ingredi Relligionem, ob ejus cogitationem fratribus in sæculo remanentibus bona sua donare; quæritur, an hæc donatio, seu renunciatio valida sit?

Dicendum, hanc donationem esse validam, cum
148 innumeris, quos citat *Barbosa de univ. Jur. L. 1. cap. 42. n. 235.*

Ratio est, quia in donatione facta ab eo, qui cogitat de ingressu in Relligionem, adhibenda est solemnitas Legis, seu statuti sæcularis, ut declaravit sacra Congregatio Concilii *anno 1698. 18. Martii apud Gallemart ad d. locum Concil.* Item est alia declaratio apud Barbosam ubi supra *anni 1626.* & ob expressas declarationes jam, iamque disputationi huic amplius insistendum non est.

Quod verò ad fructus pertinet, seu res mobiles, Episcopus parvam in vita quantitatem, maximè adiuvante consuetudine, donare potest etiam 148
aliis extra Ecclesiam, *cap. ceterum 2. de don. ut ex hoc Textu Granietus in cap. 2. de don. n. 2.* Pauperibus verò profusè donare potest, *can. quisquis 11. q. 2. Trid. sess. 24. cap. 1.* Verumtamen causa mortis idem Episcopus nihil donare potest *cap. relatum 12. de test.* - Tametsi *Julius III. an. 1594. in Extrav. cupientes*, quam refert Navarrus *de spolio §. 4. n. 1.* omnibus Clericis in Curia degentibus permiserit testamentum facere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, & hodie Presbyteri Cardinales virtute privilegii de omnibus bonis disponunt, ut refert *Cohelius in not. Cardin. cap. 16. priv. 18. Gonzales in cap. ad hæc de Testam.*

Clericus verò simplex fructus sui Beneficii donare an possit, ut intelligatur, recepta utemur distinctione. Fructus ex Beneficiis provenientes, quoad eam partem, quæ ad eorum sustentationem congruam est necessaria, donare libere possunt, si quid per parsimoniam ex hac sibi subtraxerint, aut ex patrimonialibus se sustentent, istam proventuum partem ad usus quoque profanos poterunt applicare. Partem verò, quæ congruam excedit sustentationem, si donant ad usus profanos, validè donant, sed non licite; quæ distinctio recepta est apud *Layman. L. 4. Tit. 2. cap. 3. n. 2. Gargiam de Benef. P. 1. cap. 1. n. 5. cum iis, quos citant.*

Disputatur, an si a Clerico fructus, qui congruæ sustentationi supersunt, donentur, præterquam ad causas pias, obligentur malè impensa restituere puta pauperibus; latè hac de re Cabas- 150
sutius in *Scientia Canonica cap. 13. L. 6. Fagnanus in cap. si quis de pecul. Cler. Diana P. 8. Tract. 6. Resol. 15. Antoniellus L. 1. P. 1. cap. 8. n. 6. de juribus, & onerib.*

Non teneri Clericum ad aliquam restitutionem, verius est. 151

Probatur I. quia radix restitutionis est justitia commutativa, deducitur *ex can. si res aliena 13. q. 6. ex can. comperimus ex can. hi, qui cad. c. & q. ex cap. 1. verf. ad ipsius de in int. rest.* neque enim ex defectu charitatis ad restitutionem obligamur, ergo justitiæ congruit subtracta restituere. Atqui non subtrahuntur tales fructus cuiquam; nàm in divisione bonorum Ecclesiæ pars fuit assignata Clericis, divisa a parte assignata pauperibus *can. vobis, can. Volaterrana, can. de redditibus 12. q. 2.* & eadem hæc pars Clericorum in Beneficium pertransiit per tempora *Concilii Moguntini anno 813. in cap. 1. de Eccl. ad.* Pars verò pauperum Episcopis cessit cum onere pauperes alendi. Ex quo sequitur, quod hac parte si abutatur Episcopus, restituere obligatur; at non Clericus, ut arguit *S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7.* Hinc Clerici domini dicuntur, *Clem. quia contingit de relig. domib. Trident. sess. 22. cap. 6. cap. 2. de fid. cap. 2. de arb. cap. venerabilis de Preb. cap. pro illarum 22. de Preb.*

Non obstat I. Textus in *cap. Episcopus 24. 12.*

q. 2. ubi

q. 2. ubi relicta a Clerico in testamento, ab hæredibus restituuntur.

Resp. differere Textum de Episcopo, in quo diversam esse rationem, ex fundamento, cui nititur nostra sententia, jam satis elucet. Præterea Episcopus quidquam in morte ex bonis Ecclesiæ relinquere non potest.

Non obstat II. Textus in *can. Diaconi* 12. *q.* 2. ubi si quid donetur a Clerico restitutio virari non potest.

Resp. eum Textum tractare de rebus pretiosis, quæ distrahi, alienarive a Clerico non possunt. Longè aliud contingit in fructibus.

[*ggg*] *Recusare.*

Repudiari hæreditas, legatumve Ecclesiæ relictum non potest.

Dum quæritur, an Prælatus repudiare hæreditatem, legatumve possit; distinguendum est. 252 Si enim, an id sit licitum, statuere volumus, dicendum est, id planè non permitti; quia non solum prohibitum est res Ecclesiæ alienare, verum etiam jura illi competentia, *cap.* 2. *hoc T. Clement.* 1. *ib. latè Gibalinus Tomo* 2. *de negot. L.* 4. *cap.* 8. *sect.* 5. *Rodoanus de reb. Eccl. q.* 2. *cap.* 12. *Gratianus disc. cap.* 674. *Valeron. de Transf. Tit.* 4. *q.* 1. *ex n.* 7. Hinc sequitur, Prælatum sine causa, & temere repudiando hæreditatem, ac legatum, cum damnum inferat Ecclesiæ, damnum ex propriis bonis sarcire teneri, quippe ex officio, & propterea ex lege justitiæ tenetur benè administrare; bonæ autem administrationi adversatur repudiatio; idque omne probatur ex *can. quicumque* 12. *q.* 4. & argum. Textus in *L. quiquid C. arbitr. tut. Zoesius ad Tit. de rebus Eccl. non al. n.* 7.

Si verò tractatur, an repudians hæreditatem, legatumve pœnas incurrat *Extravag. ambitiosæ*. certum est, pœnas hasce evitari ad tradita per *Ventrigliam ann.* 1. *Tomo* 1. *in praxi* §. 3. *n.* 2. Cum enim repudiatio non sit alienatio, *L. qua autem. ff. quæ in fraud. L. si sponsus*, §. *si maritus, ff. de don. inter vir.* non extenditur prædicta Extravagans ad repudiantes; ideo nec solemnitas in hac repudiatione requiritur, *Turricellius de reb. Eccl. cap.* 15. *n.* 92.

[*hhh*] *Vel reddere.*

DISSERTATIO XXXII.

An donatio facta Ecclesiæ per supervenientiam liberorum revocetur in totum, vel potius quoad solam legitimam, pro expositione Textus in can. quicumque 17. *q.* 4.

Quoniam ergò repudiatio non est alienatio; videamus, an, si quis sua bona donaverit Ecclesiæ, tum nuptias contraxerit, prolemque susceperit, totum ob liberorum supervenientiam ab Ecclesia sit restituendum?

Paucis dicam, quid sentiam. Verius puto, reddendam ab Ecclesia solam legitimam liberis post donationem exortis, ut putat præter cæteros 253 *Cabassutius in Scient. Can. L.* 6. *cap.* 28.

Probatur I. ex *can. quicumque* 17. *q.* 4. ibi enim: quidam exhæredato filio, Ecclesiæ res suas donavit; nati sunt ei filii postea, *in potestate habebat Episcopus non reddere sed Jure fori, non Iure poli*. Probat hic Textus, ab Ecclesia totum non esse reddendum. Quoad forum externum certum est ex ipso Textu. Sed addo, nec totum reddendum Jure poli, idest in foro poli. Quamvis enim id neget citatus canon; notandum est tamèn, quo in sensu neget. Neque enim forum poli unius est generis; aliud est forum poli respiciens consilium, moralemque honestatem: aliud obligans sub peccato. Non ait Textus, totum esse reddendum ad gravem culpam vitandam; sed intelligitur ex quadam honestate morali, totum esse reddendum, ut præclare notat *Covarruvias L.* 1. *cap.* 19. *var. n.* 11. Imo antiqua tempora respicit ille Textus, dum Jure poli totum reddi oportere, decernit. Quia Jure veteri, ne videretur Ecclesia hæreditates appetere passim legitur, Ecclesiæ Præsules hortari consuevisse parentes, ut filios Ecclesiæ minime posthaberent, ut in *can. si quis* 13. *q.* 2. Qua præsumptione aviditatis cessante, iisque circumstantiis, quæ canones ad hoc consilium præbendum restituendi totum liberis exortis movent, cessantibus, optimè concluditur, ex canone adducto prolem susceptam post donationem Ecclesiæ factam integrum totumque non recuperaturam; sed solam legitimam.

Probatur II. Quia quod Ecclesiæ traditur liberaliter, non simplicis retinet donationis naturam, sed remuneratoriæ donationis vicem sustinet ob innumera beneficia, quæ in dies ab Ecclesia proveniunt in fideles, *cap. cum inter de V. S.* atqui remuneratoria donatio est irrevocabilis, *can. sunt qui opes* 17. *q.* 4. ergo in totum revocari non potest liberis exortis, quod fuerit Ecclesiæ donatum, ut *arguit Diana P.* 8. *Tract.* 6. *Res.* 64.

Probatur III. Quia si pater dum Monasterium ingreditur totum largiri Monasterio potest, reservata filiis remanentibus in sæculo legitima, *cap. cum simus de Regul. can. si qua mulier* 19. *q.* 3. *Auth. ingressi C. de Sacros. Eccl.* an non pia causa operatur, ut legitima contenti filii esse debeant? Quid mirum igitur si idem contigerit, dum proles nascitur post piam donationem.

Probatur IV. ex *L. si totas C. de de inoff. don.* ubi ex hac donatione filii recuperant, *quod consequi debent*, atqui legitima tantum vere ipsis debetur utpote Jure naturæ debita, *Auth. de triente, & semisse* §. *aliud quoque capitulum*, *Auth. ut cum de appell. cogn.* pater enim reliquum potest etiam extraneo relinquere, *L. Parentibus C. de inoff. test.* §. *igitur Inst. de inoff.* & ideo dum vult filium exhæredare, satis est, ut auferat legitimam, *L. inter cetera, ff. de lib. & posth.*

Supponimus

Supponimus autem donationem non esse inofficiosam re, & consilio, idest eo proposito, ut filiis damno sit, ut distinguit *Cabassut. ubi supra*.

Non obstat I. *L. si unquam C. de revoc. don.* ibi; *totum, quidquid largitus fuerit, revertetur*, non ergo revertitur sola legitima; idemque constitutum fuisse ante Constantinum in *L. tale pactum, §. ult. ff. de pactis*, putat *Faber L. 7. conject. cap.* 14.

Resp. Pragmaticos quidem, in quos depugnamus, Legem hanc, quæ de solis Patronis donantibus loquitur, ad alios quosqiam omninò extraneos porrigere, atque extendere attentasse; jamque in omnibus Tribunalibus insonuit hæc *Lex si unquam*; quem tamèn communem errorem, & modis omnibus explodendum, ait Donellus, ejusque dissimus in hoc sectator *Mancinus triplicis Juris diss. 16. per tot.* Verum, cum libertis donatur a Patronis totum esse reddendum si Patrono proles obveniat, justè decernitur in d. Lege. Debet enim libertus velle omnia in favorem Patroni, ne videatur ingratus, *L. ingratus, ff. de Jure Patr. L. si quis §. solent, ff. de lib. agnosc, §. sed nostra Inst. de success. lib.* At hęc ratio cessat in donatione extraneis facta. Quin potius, cum filii sint nati, ex facto donatoris, utpote ab eo procreati, nemo facto suo actionem, atque exceptionem donatario quæsitam potest auferre, *L. debitorem ff. de pign.* nemo alterius conditionem deteriorem potest efficere, *L. solvendo, ff. de negot. gest.* Quę regula eo magis obtinet in donatione, quæ semel perfecta amplius revocari non potest, *L. cum ancillam, C. de condict. ob caus.*

Resp. insupèr cum *Diana P. 8. Tract. 6. Res.* 64. nos agere de donatione facta Ecclesiæ, quæ remuneratoria censetur, ac proinde eam regulis Cęsarearum Legum metiri non oportere.

Non obstat II. *Textus in L. cum acutissimi C. de fid.* ubi revocatur fideicommissum ne videatur testator alienas successiones propriis antepofuisse consonat Textus *in L. cum avus* 101 *ff. de cond. & dem.* ergo idem dicendum in donatione.

Pro responsione dicimus, ultimę dispositioni convenire, ut pietatis ratione fideicommissum revocetur; non convenire tamèn donanti Ecclesię ob sobolem ex insperato susceptam, hujuscemodi revocationem. Ratio differentiæ quænam est? Quia quod in ultima voluntate relictum est, unius voluntate regitur, *L. verbis Legis, ff. de V. S.* Ergo contraria unius volutate nempe ipsius Testatoris revocari poterit, *L. 3. §. ult. ff. de adim. Leg.* unumquodque dissolvi potest eo prorsus modo quo fuerit colligatum. Non eadem potestas in donatore, quia donatio assensum quoque postulat donatarii; utriusque ergo consensu revocanda erit, *L. cum ancillam, L. si repetendi C. de cond. ob caus.* quocirca non erit Ecclesia, cui donatum sit invita rebus donatis privanda.

Quod si regeras, saltem ob pietatem in filios revocationi deferendum esse; dicimus, pietatis quoque censeri conjecturam, cum Ecclesiæ quis se exhibet liberalem. Imo hæc pietatis conjectura, alteri præponderat, *Authentica si qua mulier, C. de Sacros. Eccl.* Nam pietatis hujusce intuitu concessa nunquam indebita censentur, *L. cum is §. mulier, ff. de cond. ind.* Neque in contractibus piis habet locum pęnitentia, *L. si quis pro redemptione C. de don.* Anima enim rebus omnibus prævalet, *L. sancimus, C. de Sacros. Eccl.*

Non obstat III. quod *Faber* notat *L. 3. conject. cap.* 17. rescisso testamento per querelam inofficiosi, non legitimam tantum, sed totum deberi, *L. mater* 19. *ff. de inoff. testam.* Ergo idem obtinere in querela inofficiosæ donationis, ut totum recuperetur; hæc enim ad instar querelæ inofficiosi testamenti introducta est, *L. ult. C. de inoff. don.* ergo totum recuperatur, quod sit Ecclesiæ donatum.

Resp. falsum esse suppositum; nam supponitur, ita esse inofficiosam donationē, sicuti est inofficiosum testamentum. Concedimus, inofficiosum esse totum testamentum, cum quærela inofficiosi intentatur; nam fingitur ad eum venisse casum, a quo incipere non potuit. Non poterat testari pater insanus; et plane insanus censetur genitor, qui nulla proprii sanguinis habita ratione, filium pręterire non dubitavit, *§. 1. Inst. de inoff. test.* Furiosus autem frustrà testatur, *§. praeterea, Inst. quibus non est permiss.* Negamus tamen, donationem factam Ecclesiæ omni ex parte esse inofficiosam; sed tantum quoad eam partem, quæ legitimam filiis debitam attingit, inofficiosa est; integramque legitimam revocari, ultro fatemur; nam si ad similitudinem quærelę inofficiosi totam donationem revocari contendas, quis non videt eo ipso, delabi te ad dicendum insanum patrem, qui Ecclesiæ pro remedio animę donavit, si quod de testamento inofficioso dicimus adamussim ad inofficiosam donationem erit transferendum? An non hoc evidens absurdum èst? Nil addam ultra.

Non obstat IV. Textus *in L. Titia Seio* 87. *§. Imperator, ff. de Leg.* 2. Avia duos habebat nepotes, uni sua omnia donavit. Rescripsit Imperator Alexander, nepotem alterum revocare posse donationem pro dimidia parte; non ergo solum pro portione legitimæ.

Resp paucis, revocari donationem pro dimidia quarta, non pro dimidia omnium bonorum. Quia duo nepotes non habent singuli quartam sed in stirpes succedunt, argumento Textus in *L. si mater. C. de inoff. don. Cujac. L. 5. observ. cap.* 14

Non obstat V. iis, qui possunt venire ab intestato, totum ipso naturæ Jure deberi *L. scripto §. fin. ff. unde L. ult. C. quorum liberi bonorum* ibi; *Lex ipsa natura, L. 1. C. unde vir, & uxor, Levitici* 25. *vers.* 47.

Resp quodam in sensu hæreditatem Juris naturalis posse vocari, quatenus nempe continet alimenta, quibus filii privari non debent, sed relicta filiis legitima, reliquum extraneo potest a

patre

patie relinqui, *Auth. ut cum de appell. cogn. §. aliud quoque capitulum*.

Eodem modo relictum Ecclesiæ, dummodo filii post donationem exorti recuperent legitimam, apud Ecclesiam remanebit; nam licet etiam filiis reliquisse causam habuisset pietatis, L. *nam etsi* 15. *ff. de inoff. testam.* præponderat tamèn pia causa, quæ Deum respicit, animæque remedium. Et ideò verum est, injustè exhæredatos recuperare bona ex Jure naturali, *L.* 1. *&* 2. *ff. de inoff.* & dum filii nascuntur post substitutionem factam extraneo, hæc revocatur, & plus dictum, quam scriptum videtur, *L. cum generaliter*, §. *cum autem*, *C. de inst.* At id procedit, vel cum res redacta fuerit ad causam intestati, quo casu nemo potest prævertere, ac superare filios in successione, vel si factum sit testamentum, fulgeatque in illo conjectura contrariæ voluntatis, supervenientibus liberis, æquum est, eosdem præferri; quia testamentum unius testatoris voluntate regitur. At diversum est in donatione, quæ donatoris, & donatarii consensu perfecta fuit.

Non obstat VI. quod semper in contractibus id, quod honestum est, debeat observari, L. *semper in contractibus, ff. de Reg. Iur.*

Resp. honestum esse Ecclesiæ reliquisse, dummodo filiis legitima reservetur. Plures alios Textus Juris Canonici, quos congerit *Tiraquellus de privil. piæ C. privil.* 118. §. *verum*, constat, procedere ex consilio, atque ex quadam honestate morali.

(*iii*) *Distinguendum*.

Ultra beneplacitum Apostolicum, quænam requirantur solemnitates ad validam alienationem

255 Distinctionem in nostro Titulo positam adducit Turricellius in *Tract. de reb. Eccl. non al. cap.* 3. Ait igitur; Quod si alienatio sit ab Episcopo facienda, requiritur tractatus præcedens, & consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, *cap.* 2. *de reb. Eccl. non al. in* 6. *can. sine exceptione* 12. *q.* 2. poterit tamèn Episcopus alteri committere, ut cum capitulo tractet, *decis.* 5. *de reb. Ecclesiæ non alien. in antiq.* Si verò alienatio per Rectores Ecclesiæ facienda sit, tunc sufficit auctoritas, & consensus Rectoris, & Episcopi, *Clem.* 1. *eod. Tit.*

Ceterum si quærimus, an si defecerit tractatus, aliæque solemnitates, & solum intervenerit beneplacitum Apostolicum, valeat, subsistatque alienatio?

Dicendum est, validitati alienationis non præjudicare carentiam prævistam, dummodo sit impetratum beneplacitum sanctæ Sedis, ut docet *Turricellius de reb. Eccl. cap.* 4. *n.* 4. *ex decis.* 1801. *n.* 1. *part.* 1 *recent.*

In hac verò *Extravaganti ambitiosæ* tam sæpè a nobis indicata, aliæ solemnitates fuerunt introductæ, nempe committitur alicui receptio testium, qui commissarius dicitur, *Barbosa hoc Tit. de universo Iure, cap.* 30. *n.* 25 *in fin.* ut probetur veritas narratorum, & evidens Ecclesiæ utilitas, *Turricellius ubi supra cap.* 7. *n.* 2. Neque enim beneplacitum Apostolicum sub alia forma expeditur, quam sub solita conditione, quatenus alienatio versura sit in evidentem Ecclesiæ utilitatem, *decis.* 41. *n.* 19. *P.* 8. *recent. Turricellius ibid.*

Quæ solemnitates etiam in exemptis volentibus alienare requiruntur, sed eorum Prælatus loco Episcopi assentitur, *Cochier p.* 4. *de Iur. in exempt. q.* 1.

(*lll*) *Solemnitas*.

Authentica hoc Ius porrectum quatenus non observetur.

In Authentica hoc Ius porrectum, *C. de sacros. Ecclesiis* ad alienationem exigitur, rem venalem esse, publice per viginti dies denunciari, ut plus offerenti detur, & hoc inscribi: nihil damni Ecclesiam retulisse. Verum nec venditionem solemnem hodie requiri, nec scripturam, observantia docet; contractus enim etiam per testes probari potest, ut respondit *Rota decis.* 1 *n.* 1. *de consuet. in antiquis*, *Turricellius ubi supra cap.* 3. *n.* 2. *Canisius de differentiis utriusque Iuris differ.* 20. 256

(*mmm*) *Non præsumitur*.

Beneplacitum Apostolicum nunquid præsumatur, & de quadam Polonia consuetudine. 258

Digladiabantur acerrime Pragmatici inter se, dum hunc articulum explicabant, an beneplacitum Apostolicum præsumatur. Ceterum nos ideo negavimus, quia Urbanus VIII. *Const.* 152. sustulit quamcumque beneplaciti præsumptionem, 258 nisi deducta fuisset præsumptio ex centenaria præscriptione. Quæ nova Urbani Constitutio adducitur a *Rota post Antonellum de jur. & onerib. Cler. decis.* 27. *n.* 7. In Regno tamen Poloniæ locum non habet dicta Constitutio; nam ex capitulis dicti Regni ob immemorabilem consuetudinem Episcopi alienant cum consensu sui Capituli, absque beneplacito Apostolico; per sacram Congregationem Em. Cardinalium S.Conc. interpetrum declaratum refert *Rota p.* 10. *recent. decis.* 200. *in fine Turricellius ubi supra cap.* 14. *in fine*. Licet ergo de hac præsumptione olim acerrimè disputaretur, ut patet ex traditis a Fachineo *L.* 13. *contr. cap.* 44. *&* L. 10. *cap.* 67. *apud Zoesium ad hunc Tit. n.* 14. *apud Redoan. hoc Tit. q.* 39. *apud Bossium de alien. bonor. Eccl. n.* 81. jam tamen prædicta Urbani VIII. Constitutio disputationem hanc amputavit.

DE

DE PECULIO CLERICORUM, RELICTIS, ET SUCCESSIONIBUS EORUM.

TITULUS. XXX.



ES, quarum Clericus est administrator, eumdē alienare nefas est. Quid dicendū de rebus, quarum sit dominus? Nemo dubitet, permitti Clericis rerum dominium; neque enim, dum promoventur ad sacros gradus, vovent paupertatem (*a*): quin etiam eosdem mendicare, dedecus (*b*) censetur. Sunt ergo rerum domini. At quarum rerum? Dicam, quarum rerum sint domini, eademque opera notum faciam, quemadmodum de his disponendi facultate potiantur.

Admonendi sumus, Clericorum peculium quintuplex [*c*] constitui. Primi generis est, quod ex bonis constat, quæ perindè ac si esset laicus, vel retinet Clericus, vel consequitur; quod adventitium, vel quasi castrense dici potest, de quo libere (*d*) potest disponere, *cap. quia nos*, *cap. relatum* 2. *Text. vers. cęterum de testam. can. fixum* 12. *q.* 5. Neque enim a bonis privatorum, sive sęcularium distat. Secundum peculii genus magis Ecclesię est, quam Clerici; ejus liberum, absolutumque dominium penes Ecclesiam est, aut sit rerum mobilium, aut immobilium, quæ ad Ministros Ecclesiæ conservandos fuerunt destinatæ, *can. nulli*, *can. sequenti* 12. *q.* 2. Quod in hoc peculio conceditur Clericis, sola est fida administratio; nil ultra prætera, *cap.* 2. *de don. can. manifesta* 12. *q.* 1. Tertium (*e*] peculii genus ratione ministerii Ecclesiastici comparatur, non tamen titulo alicujus Beneficii Ecclesiastici, cujusmodi sunt illa omnia, quæ Clerici simplices acquirunt concionando, Missas celebrando, exercendo funeralia officia, tamquam Capellani, Æconomi, aut Vicarii temporales, horumque libera dispositio penes Clericos reperitur, prout distinguit Barbosa *de universo Jure L.* 3. *cap.* 17. Quartum peculii genus constat ex redditibus Beneficiorum, de quibus solet illa receptissima tradi distinctio. (*f*) Si enim loquamur de fructibus ex Beneficio provenientibus, quoad eam partem, quæ congruam attingit Clerici sustentationem, velitque Clericus tanta parsimonia vivere, ut ex hac parte aliquid superfit, vel ex solis patrimonialibus bonis sese aluerit, poterit hunc proventum etiam ad usus profanos applicare, & de his quoque testari. Si verò loquamur de fructibus, qui ultra congruam sustentationem supersunt, de his validè quidem, sed non licitè disponere potest ad usus pro-

fanos. Quintum peculii genus ex distributionibus [*g*] constat, quas lucrantur, qui solum Divinis intersunt officiis, paucis quibusdam exceptis; in his verò plus juris, & dominii consequuntur Clerici, possuntque de illis testari, *Vanaxel ad Tit. decr. de pecul. n.* 1.

Constat, quotuplex peculium Clericorum sit, & quomodo de illo queant disponere. Si tamen ab intestato decesserint sine consanguineis, tunc succedit Ecclesia, [*h*] Jure novissimo Camera Apostolica, ubi usus spoliorum (*i*] receptus est; in fructibus pendentibus novus Beneficii Rector succedit, [*l*] *cap. quia sæpe de el. in 6.* Si postremo omnia Clerici bona ita sunt [*m*] confusa, ut quid patrimoniale sit, vel Ecclesiæ secerni non possit, in quatuor partes ea dividentur, & una pars Ecclesię, altera Episcopo, tertia pauperibus, quarta parentibus idoneis assignabitur, *cap. 2. de succes. ab int.* ut hunc *Textum accipit Sannig, Corvinus Juris can. Aphorism. L. 2. Tit.* 43. *§. si omnia*; dissentit Barbosa de universo Jure *L.* 3. *cap.* 17. *n.* 52.

SUMMARIUM.

1 *An olim Clerici voverent paupertatem.*
2 *Negativa sententia verior.*
3 *Clericos mendicare, vetant Canones.*
4 *Quanam hac in re distinctio.*
5 *Peculii divisio, quanam verior?*
6 *Peculium Clerici quintuplex.*
7 *Peculium patrimoniale quale sit.*
8 *Omne peculium patrimoniale Clerici est quasi castrense.*
9 *Peculii patrimonialis usufructus patri non quaritur.*
10 *Limitatio; quando ante Clericatum pater habebat usumfructum, eum post Clericatum non amittit.*
11 *Filius Clericus de eo libere testatur.*
12 *Ut hanc prærogativam habeat peculium, non sunt necessaria requisita Concilii Tridentini.*
13 *Ordo sacer non liberat filium a patria potestate.*
14 *Disputatur, an peculium profectitium filii Clerici evadat quasi castrense, sicuti dictum est de adventitio.*
14 *Defenditur, etiam peculium profectitium transire in quasi castrense.*
16 *Donatio facta a patre filio Clerico non imputatur in legitimam.*
17 *Donatio facta a patre filio, ut is ordinetur, an sit ob causam.*
18 *Bona ad hunc effectum donata sunt libera a collectis.*
19 *Rebus ita donatis post mortem Clerici, non succedit Ecclesia sed consanguinei.*
20 *Si Clericus deliquerit, hac bona confiscantur ab Ecclesia.*
21 *Bona patrimonialia non sunt in libera dispositione Clerici, in casu Bulla Pii V.*
22 *In dubio, an bona relicta sint peculium quasi patrimoniale, vel patrimoniale; pro Ecclesia præsumitur.*
23 *Quodnam sit peculium quasi patrimoniale.*
24 *Disputatur, an oblationes spectent ad peculium quasi patrimoniale.*
25 *Item disputatur, an pensiones ad hoc peculium spectent.*
29 *Explicatur quotuplex sit pensio, & quanam competat Clericis titulo temporali.*
27 *Hanc esse peculium quasi patrimoniale, probatur.*
28 *Disputatur, an commenda Equitum militum vocentur, & sint peculium quasi patrimoniala.*
29 *Affirmativa sententia probatur.*
30 *Antinomia duorum Textuum tollitur.*
31 *Defenditur, Clericos esse omnino dominos fructuum qui sunt intra mensuram congruæ sustentationis.*
32 *Contrariis occurritur.*
33 *Disputatur, an fructus excedentes congruam sustentationem sint in Clerici dominio.*
34 *Qua utilitas resultet ex hac disputatione.*
35 *Esse dominos defenditur.*
36 *Fuit tempus cum nemo laicus, vel Clericus quidquam propris possidebat.*
37 *Aliud fuit tempus, cum cœperunt laici bona propria detinere.*
38 *Aliud insuper tempus, cum cœperunt Clerici patrimonia parentum detinere.*
39 *Quartum tempus, in quo divisa fuerunt Parochia, & assignata bona Clericis ex divisione quadripartita.*

40 *Quin-*

EXPLICATIONES.

(a) Paupertatem.

Clerici paupertatem non vovent.

Olim quidem, dum in communi vita Clerici degerent paupertatem vovebant, *can. non dicatis* 12. *q.* 1. ibi .. Cum hujus
1 .. nostræ Congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa ,, ordinationis susceptione renunciaverunt; consonat Textus *in can. non dicatis* ead. C. & q. Adeoque ex hisce auctoritatibus, in Ecclesia Occidentali Clericos olim vovisse paupertatem, defendit Petrus Gregor. *in Synt. L.* 42. *cap.* 7. *n.* 3. nec enim illi canones, prout etiam Textus *in can. illa autem* 12. *q.* 1. possunt intelligi de Monachis, qui olim Clerici non erant, *can. generaliter* 16. *q.* 1.

Sed alia fuit sententia Glossarii *ad can. Clericos* 12. *q.* 1. existimantis, Jura illa loqui ex 2
consilio, & secundum prisca tempora, quando laici quoque propriis renunciabant.

Utcumque sit, Gregorius Magnus scribens Anthemio Campaniæ Subdiacono *in cap. quorumdam de testamentis* ostendit, iam suis temporibus hoc votum paupertatis Episcopos, Clericosque non obstrinxisse, cum proprium habuisse Pontifex eosdem commemoret. Verum est igitur, quod in nostro Titulo dicitur, Clericos non vovere paupertatem. Olim verò communem vitam duxisse, patet *ex can. videntes* 12. *q.* 1. *ex can. deinç* 16. *q.* 1.

(*b*) *Dedecus*.

Clericos mendicare, dedecus est.

Abhorrent canones mendicitatem in Clericis; nam desolatium eumdem publicam a quolibet
3 deposcere alimonium, ignominiæ genus est; despicitur enim ab his, qui vident, officium Sacerdotale, pront differit Textus in *can. Diaconi* §. *nunc autem*, *dist.* 93. Ergo Concilium Tridentinum, ne Clericus egestate oppressus in opprobrium Ordinis mendicare cogeretur, vetat *sess.* 21. *de Refor. cap.* 2. quemquam ad sacros gradus promoveri, qui vel Beneficium, vel patrimonium non habeat. Reiiciuntur idcirco ab ordinatione Clericali, qui obærati sint per Bonifacium primum summum Pontificem, teste *Sabello*, & *Sigiberto apud Petrum Gregor in Syntagm.* L. 15. *cap.* 22. *n.* 8. Perm fit id tamen Leo Imperator, ut obærati in numerum Clericorum reciperentur, L. *quisquis* 27. L. *officiales* C. *de Episcop.* & *Cler.* At adhibenda distinctio est Concilii Chartaginiensis *in cap.* 1. *de oblig. ad ratioc.* Eamdem ob causam Clericis concessum est
4 privilegium deducto ne egeant, *exp. Odoardus de solut.* Hinc neque etiam Romulus, in Sacerdotium quemquam deligi voluit, nisi censum haberet sufficientem, *Dionis. Halicarn. in* 2. *histor.*

(*c*) *Quintuplex*.

Peculium quod habent Clerici quintuplex.

Divisio peculii variè adducitur a nostris. Mihi arrisit divisio, qua utitur *Barbosa de Jure uni-*
5 *verso* L. 1. *cap.* 17. Nam aliorum partitiones, vel confusæ sunt, vel parum accuratæ; cum silentio supprimant, quæ necessario dicenda videbantur. Ecce, Canisius L. 2. *Tit.* 31. *in summa* peculium triplex constituit proprium Clerici, proprium Ecclesiæ, aliudque constans exacquisitis prospectu Ecclesiæ, quamquam nostra utatur divisione in *cap.* 1 *de sucr. ab int. n.* 5. Vanaxel Summæ Hostiensis religiosus asseclа *in* L. 3. *Tit.* 25. *de peculio* aliud facit peculium Clericis profectitium, aliud adventitium. Confundit Canisius in summa peculium, quod ex fructibus Beneficii comparatur a Clerico, cum peculio, quod constat ex rebus, quas adipiscitur Clericus ratione ministerii, non titulo Beneficii, & cum peculio, quod positum est in distributionibus; et tamen hujusmodi acquisitionum diversum est jus, ut infra demonstrabitur. Vanaxel dum brevior ceteris esse laborat, obscurus fit. Vera igitur divisio illa est, quam Barbosa proponit *ex Navarro de redd. Eccl. q.* 6
1. *monitu* 10, *ex Molina de justit. Tract.* 2. *disput.* 142. quibus assentitur *Ventriglia Tomo* 2. *in praxi ann.* 16. §. 1. *n.* 2.

(*d*) *Libere*.

DISSERTATIO I.

Tractatur de prima peculii Clericalis divisione, idest de bonis patrimonialibus Clerici.

Primum peculii genus constat ex bonis, quæ Clericus obtinet, non tamquam Clericus, sed ea ratione, quæ sibi cum laicis communis est, 7
ut jure hæreditario, successione, donatione, aliove contractu, atque hoc peculium patrimoniale vocatur.

De hoc peculio sunt Textus clarissimi *in can. placuit* 12. *q.* 3. ibi.. si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit; faciat inde quod eorum proposito congruit: *in can. quicumque ead.* C. & *quaf.* ibi enim statuitur, quod si *per scriptura seriem aliquid meruerint accipere*; *in rebus Ecclesiæ non poterit numerari*; consonat Textus *in can. obitum*, *in can. fixum* 12. *q.* 5. *in cap. quia nos de testam.*

Verumtamen observandum est, hoc peculium patrimoniale si a Clerico filio familias detineatur, non esse adventitium; sed omne peculium 8
patrimoniale Clerici filii familias est quasi castrense, *Auth. Presbyter C. de Episcop.* & *Cler.* L. *sacrosancta C. eod.* L. *fin. C. qui testam. facere poss.* Quid hinc sequitur? Equidem dum Jura statuunt, a Clerico filio familias bona acquisita aliunde, quam ab Ecclesia, censeri quasi castrensia.

Primo sequitur, ut bonorum hujusmodi ne 9
ususfructus quidem patri acquiratur, *L.* 6. *C. de bonis, quæ liberis* ibi.. exceptis castrensibus.. peculiis, quorum nec usumfructum patrem, .. vel avum, vel proavum habere, &c. In his 10
verò bonis, quæ antequam fieret Clericus filius habuit, pater usumfructum habet; neque per testamentum filii, fit in tali usufructu patri præjudicium, ut docent *Covarruvias in cap. quia nos de testamentis n.* 2. & *Paschalis de viribus patr. pot. p.* 1. *cap.* 3. *per tot.* & *cap.* 6. *n.* 36.

Secundo sequitur, Clerico licere, quamquam 11
sub patria potestate sit, de hisce bonis testari, ex L. *fin. C. qui testamenta facere poss. ex Auth. Presbyteros C. de Episcop.* & *Cl.* Notat *Canisius*, *ut solet ex doctrina Covarruviæ in cap.* 1. *de testam. n.* 11. idque multo magis erit Episcopo permissum, ut idem censet.

Tertio sequitur, quod cum Clericatus sufficiat ad hanc castrensium, aut quasi castrensium bonorum prærogativam, non sit opus, ut Cle- 12
ricus habeat requisita Concilii Tridentini; sed simplex etiam tonsura sufficiat, notat *Covarru-*

vias

viat in cap. quia nos de testamentis n. 4.

Hæc autem omnia de Clerico filio familias
13 decidenda tot Legibus fuerunt; neque enim Ordo etiam sacer filium liberat a patria potestate, *Auth. Presbyteros*, C. *de Episcop. &c.* Etenim in Jure decisum invenitur, solam dignitatem Episcopalem a patria potestate liberare, *Auth. Episcopalis Ordo C. de Episcop. & Clericis*, ibi: *Episcopalis Ordo liberat a fortuna servili*, ergo multò magis a potestate patria. Quamquam hæc Textus inductio, qua utuntur nonnulli, mihi omnino non probatur; cum in *cap. per venerabilem extr. qui filii sint legitimi*, expressum sit, Ordinem sacrum eximere a servitute, & tamen non eximit, ut certum est, a patria potestate. Puto igitur, id clarius probari ex *Authentica sed Episcopalis dignitas, C. de Episcop. & Cl.* ibi: *sed Episcopalis dignitas solvit jus patria potestatis*. Quid clarius? Contra verò filius Presbyter dicitur adhuc sub patria potestate *in Auth. Presbyteros*, C. *de Episcop. & Cl.* ibi: *licet sub parentum potestate sint*.

Sed esto verum sit peculium adventitium filii familias Clerici, quamquam is ob Ordinem non eximatur a patria potestate, ex privilegio quodam sortiri naturam quasi castrensis peculii; quæri potest tamen, an etiam peculium profectitium hanc subeat conversionem,
14 in peculium quasi castrense?

Diù, multumque dubii resolutionem penes gravissimos Auctores quæsivi, et cum diffiderem reperire aliquem, qui meis votis satisfaceret, cumque, omissam hanc quæstionem fuisse, suberreret, eo quod peculium profectitium concedi soler a patre, ut in potestate adhuc filius industriam administrandorum bonorum, & negociandi exercere possit, §. 1. *vers. sancitum, Inst. per quas personas cuique acq.* L. *profectitia* 5. *in princ. & §. si Pater* 5. *ff. de jure dot.* L. *eum, qui* 3. *ff. de interd. & releg.* L. *cum oportet* 6. *in princ. C. de bonis, quæ lib.* L. *ut liberis*, C. *de coll.* L. *quoniam*, C. *de inoff. test.* Clericus autem a negotiis abstinere debet, *toto Tit. ne Clerici, vel Monachi negot. secular. se im.* ac proinde non videatur contingere posse, ut hoc peculium profectitium in Clericis consideretur.

Nihilominus hunc articulum attigisse, inveni, *Didacum Covarruviam in cap. quia nos de testamentis in fine num.* 1. Qui censet, peculium quoque profectitium Clerico filio familias concessum transire in naturam peculii quasi castren-
15 sis. Verba summi Interpetris hæc sunt: *Paulus Castrensis post alios in d. L. sacrosancta. Regia L. 3. Tit. 10. part. 1. Qua idem dicit de bonis quæ Pater donavit filio existenti in patria potestate, Clerico tamen quod ipse intelligerem in donatione facta prætextu militiæ Clericalis*; adducit verò hæc verba Covarruvias ad comprobandum, quod generatim antea dixerit de quasi castrensi peculio, & ex dicta Lege Regia ostendit. Hoc verò, quod a patre donatur filio, est peculium profectitium, L. *ut liberis C. de coll.*

Nec dicta Lex Regia quiddam statuit contrarium Juri communi; quin potius in L. *sacrosancta C. de Episcopis, & Clericis* decidit expresse, dici quasi castrense peculium: *Quæcumque in eodem Clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint*; ergò etiam quæ a patre Clerici filii familias habuerunt.

Comprobatur, quia patrimonium quoque, ad quod ordinatur Clericus filius familias, ut vere obtineatur, quemadmodum exigit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* debet esse, vel ei donatum a patre, vel ab alio. *Garcias de Benef. P.* 2. *cap.* 5. *n.* 91. & 92. Hoc verò, quod fuerit donatum a patre, habet privilegia, quæ conceduntur a Jure bonis ceteris Clericorum, donec extinguatur per adeptionem Beneficii, *Menochius de recuper. rem.* 15. *n.* 21. *Gratian. discept. for. cap.* 159. *n.* 27. *Cened. Pract. L.* 1. *q.* 11. *n.* 9. Et quod hæc donatio sit sufficiens, ut possit Clericus ad ejus titulum ordinari, firmat *Sacra Congregatio Episcop. & Regul. in Eugubina* 22. *Maii* 1590. *apud Barbosam L.* 1. *cap.* 33. *de un. Jur. n.* 154. Ergo ejus peculii profectitii Clericus erit absolutus dominus.

Quod ulteriùs confirmo, quia tale patrimonium constitutum filio Clerico usque adeo efficitur ipsius filii, ut separatum sit a re patris. Etenim patrimonium hoc non imputatur filio in legitimam ex veriori sententia, quam recipit *Lotherius de re Beneficiaria L.* 1 *q.* 2. *n.* 43. *Gratianus discept. cap.* 159. *ex n.* 31. *Roi. de success. cap.* 7. *a n.* 46. *Azaeudus L.* 10. *n.* 29. & 30. *Mendoz. de Castro in L. cum oportet n.* 165. *C. de bon. quæ lib. Cald. Pereira in L. si curatorem verbo læsis*, *Merlin. de legit. L.* 2. *Tit.* 2. *q.* 23. *Barbosa de off. & pot. Ep. P.* 2. *all.* 19. *n.* 64. *Antoniell. de jur. & oner. Cler. L.* 1. *p.* 3. *cap.* 42. *n.* 6. Qui solidis fundamentis hanc firmat, & contrariis respondet: idque deducitur ex L. *si quando*, §. *& generaliter*, C. *de inoff. test.* cujus Textus sententia videtur, donationem a patre factam filio non imputari in legitimam, 16
nisi hoc a patre donante fuerit dictum, & hùc pertinet Textus in L. *omni modo*, §. *imputari*, C. *de inoff. test.* prout inducitur a *Covarruvia in cap. Raynaldus* §. 2. *de test. n.* 7. Quippe hæc donatio non est, neque potest dici ob causam, 17
sed simplex Aymon *Savill. cauf.* 136. Etenim illa dicitur donatio ob causam in tractatu collationis, quæ habet necessariam causam, *Paulus, & Decius in L. ut liberis*, C. *de coll.* hæc verò necessariam non habet causam, ex qua pater donare teneatur. Quocirca in collationem non venit ex prædictis. Quod cum obtineat in castrensi aut quasi castrensi peculio, ut scilicet in collationem non veniat, L. 1. §. *nec castrense*, *ff. de coll. bon.* L. *fin.* C. *eod.* L. 52. §. 8. *ff. pro socio.* Jam luculenter demonstratum erit, in Clericis profectitium peculium evadere quasi castrense.

Hinc est, quod bona ad hunc effectum donata sunt libera a collectis, & oneribus laico- 18
rum

rum, *Macerat. var. Resol.* L. 1 *Resol.* 88. *per tot.*

Hinc etiam sequitur, quod si hæc donatio facta pro suscipiendis sacris Ordinibus suam non
19 habuerit effectum, eo quod decessit donatarius ante Ordinum susceptionem; donatio ad hæredes donatarii transit, non ad donantem revertitur, *Anton. de Marinis quot. Resol. cap.* 87. *n.* 4. *Lother.* L. 1. *q* 2. *n.* 25.

Hinc pariter infertur, Episcopum posse fisco suæ Cameræ bona hæc patrimonialia Clerici, qui deliquerit addicere, prout Bellettus statuit,
20 probatque *disquisit. Cleric. prima P. Tit. de bon. Cler.* §. 14. *n.* 7. *Peregrinus de Jure Fisci* L. 1. *Tit.* 1. *n.* 104. *Grassus effectu* 31. *n.* 8. *Ventriglia Tom.* 2. *annnot.* 16. §. 1. *n.* 30.

Porrò etsi jam pateat, quæ sint bona patrimonalia Clerici, & super his liberam potiri facultatem disponendi; attamen facultas concessa Clericis disponendi de bonis suis patrimonialibus, inter vivos, & causa mortis restringitur ex *Constitutione Pii V. die* 5. *Martii an.* 1572. *in Bulla, quæ incipit ad Romanum in Bullar. pag.* 1159. ut facultatem tamèn non habeat Clericus
21 disponendi, nec in vita, nec in morte de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus in favorem filiorum spuriorum, nisi tantùm quoad alimenta.

Rursus in dubio, an peculium relictum a Clerico sit aliunde quæsitum, vel potius ex fructibus Ecclesiæ; erit pro Ecclesia præsumendum, ut ad hæredes defuncti non transeat, *can. quicumque in fine* 12. *q.* 3. ut ex hoc Textu notat *Barbosa de universo* Jure *L.* 3. *cap.* 17. *n.* 52.

(e) Tertium.

DISSERTATIO II.

Tractatur de tertio peculii Clericalis genere, nempe de rebus intuitu personæ acquisitis.

Omissa secunda specie peculii Clericalis, quod constat ex bonis Ecclesiæ; nam de illorum alienatione quid Juris sit, satis, superque præcedenti Titulo videtur expositum; hæc dissertatio ea complectetur, quæ ad tertiam peculii speciem
23 exponendam pertinent.

Est igitur species alia bonorum, quæ potest habere Clericus, non ratione juris percipiendi fructus beneficiales; sed solum ratione Clericalis Ordinis, vel officii. Hujus generis sunt eleemosinæ, pro Missis dari solitæ, pro concionibus habendis, confessionibus audiendis, vel mercedes officii Capellani, Vicecurati, Vicarii temporalis, prout hos casus, atque exempla recenset *Leonius in Thesauro P.* 1. *de bonis Cler. cap* 12 *n.* 11. *ex Holtensi in summa de peculio* - Hùc spectant, quæ docendo Clericum acquisivit, hæc quoque sui laboris intuitu adeptus est, non ratione juris percipiendi fructus beneficiales, notat *Zoesius ad hunc Titulum n.* 2. & licet magister Beneficium ad hoc habens, ut doceat, pretium aliquod a discipulis exigere non valeat, *cap.* 1. *de magistr.* sponte tamen oblata eo casu a discipulis exigere non prohibetur, *can. priscis* 10. *q.* 3. *can. de Eulogiis dist.* 18. *can. quicquid, can. placuit* 1. *q.* 1. Ejusdem generis est quicquid lucratur Clericus tamquam Economus, notat *Barbosa de universo Jure L.* 3. *cap.* 17. *n.* 1. Quicquid pro funeralibus comparat, idem Barbosa *ubi supra*.

Disputatum video, an oblationes referendæ sint inter bona, quæ hoc quasi patrimoniale pe- 24
culium constituunt?

Vanaxel *ad Tit. de peculio n.* 1. putat, censeri instar fructuum Beneficii, adeoque ad hoc peculium quasi patrimoniale non pertinere.

Hostiensis *in summa in fine n.* 3. adducit rationem defendentium oblationes ad Clericum pertinere tamquam res intuitu personæ acquisitas. Ratio est, quia Sacerdoti offeruntur, tametsi Ecclesiam non habeat.

Sed verius est, oblationes non intuitu personæ, sed potius intuitu Ecclesiæ, adeoque ipsius Beneficii Parochialis comparari, ut probat Textus in *cap. requisivisti de testamentis*. Sunt enim oblationes instar decimarum; decimæ pariter jure percipiendi fructus beneficiales comparantur; notat *Pirringhus ad tit. de pecul. in fine* §. 1.

Neque obstat ratio in contrarium excogitata. Nam respondetur, non jure fieri, si oblationes Sacerdoti offerantur, tametsi Ecclesiam non habeat, *cap. ut dominus de Parochiis*, *cap.* 1. *de sepult.*

Disputatur ulterius, an pensiones collatæ Clerico ex justa causa, ad hoc peculium, de quo
impræsentia tractatur, sint referendæ? 25

Sunt hinc inde pro affirmativa, ac negativa sententia magnæ existimationis Auctores.

Equiparari pensionem Beneficio, adeoque ad peculium hoc quasi patrimoniale non pertinere, statuit, defenditque *Gigas de pens. q.* 52. *n.* 2. *Covarruvias in cap. cum in officiis de test. n.* 6. *Menochius de arbitr. casu* 171. *Azor. Inst. Mor. P.* 2. *L.* 7. *cap.* 9. *q.* 12.

Contrariam sententiam tuetur *Gargias de Ben. P.* 1. *cap.* 5. *n.* 161. *Redoanus de spoliis q.* 3 *n.* 12. & *in Tractat. de reb Eccl. rubr.* 33. *q.* 1. *ad fin. Gonzales ad Reg. Cancell. Glos.* 5. §. 5. *n.* 25. *Pax. Jordan.* L. 11. *Tit.* 10. *n.* 18. *Antoniellus de jur. & oner Cler. L.* 1. *P.* 11. *cap.* 8.

Quid igitur in tanta varietate sentiendum est? Ego censeo verius, pensionem Ecclesiasticam, quæ conceditur ad titulum Beneficii, aliquo onere spirituali adiecto, æquiparari Beneficio, neque ad peculium quasi patrimoniale esse referendam; pensionem verò, quæ non conceditur ad talem titulum, ad hoc peculium pertinere.

Conclusio explicatur. Jam convenit apud recentiores Interpetres, distinguendam esse pensionem in eam, quæ titulum habet temporalem, 26
& in eam, quæ titulum habet Ecclesiasticum. Temporalem titulum habere dicitur pensio, quæ laicis datur, veluti Decano Parophrænariorum Papæ, vel Cardinalium, Chirurgo, Sacristæ, Thesaurario, Campanarum pulsatori, præfecto

infir-

infirmorum, cum hac, vel simili clausula. *Tibi quod pensio per præsentes reservata loco Beneficii Ecclesiastici non cedat*, &c. quam addncit *Barbosa de univ. Jure L. 3. cap. 11. n. 16. & posse* evenire, ut interdum quoque Clerico detur pensio temporalis in stipendium, non loco Beneficii, patet ex his, quæ tradit *Gargias p. parte cap. 5. n. 76. juncto numero 50. & 75.* Neque enim tunc istiusmodi stipendium Clerico assignatur, ut Clerico, clarius idem Garcias *ubi supra n. 8.* Lælius Mancinus *dissert. 5. cap. 8. n. 1.* ibi .. sed merè temporalis, cujusmodi ex sunt, .. quæ ob patrocinia, pulsandas campanas, aperiendas Ecclesiæ valvas, ceteraque hujusmodi munia ex fructibus Ecclesiasticorum bonorum, non quasi Clericis, sed quasi operariis .. quibuslibet erogandæ, & stipendii, seu mercedis nomine extrahuntur. Vides, supponi in hoc verborum contextu, pensionem habentem titulum temporalem Clericis etiam concedi. Non moror in altera parte distinctionis. Quas videmus pensiones reservari in resignatione Beneficiorum, vel ex opimo aliquo Beneficio auctoritate Romani Pontificis delibari, prout sunt exempla plurima in dies, vel cum lis inter duos nomine alicujus Beneficii orta esset, concordiæ causa sic res deciditur, ut unus Beneficium obtineat, alteri aliquid annuum præbeatur ex illo Beneficio, *cap. nisi essent de Præb.* vel juxta alios casus expressos *in can. possessiones 16. q. 1. in can. quicumque 1. 12. q. 2.* Has pensiones equiparari Beneficio, deciditur in *cap. ad audientiam de rescriptis* ibi: *Recipientes ab eis annuas pensiones, seu alia Beneficia*. Jam ergo, in nostra conclusione jure optimo verius esse, pronunciamus, quod pensio titulum habens temporalem spectet ad peculium quasi patrimoniale.

27 Probatur I. Quia si quidquid lucratur Clericus tamquam œconomus, quamquam id lucrum proveniat ex fructibus Beneficii vacantis, ad peculium pertinet quasi patrimoniale, ac de tali œconomo Textus est *in cap. cum vos 4. de off. Jud. deleg. in can. hac hujus, in can. non liceat in can. charitatem in can. de laicis, in can. illud, in can. non liceat 12. q. 2. in can. sicubi 12. q. 5. in can. redditus, dist. 75. in can. quoniam dist. 21. in can. in nova 16. q. 7. can. 5. & 6. dist. 89* Congruæ verò, quæ debetur œconomo est duorum aureorum in singulis mensibus docet *Nicholius Inst. Can. L. 3. Tit. 5. sub. n. 17.* Atque huc pertinet Textus *in cap. præsenti q. de off. Jud. ord. in 6.* Par omnino ratio est in pensione, quæ ut congrua œconomis debita, ex fructibus Beneficii exhauritur.

Probatur II. Quia talis pensio temporalis non est materia simoniæ; est enim res temporalis pretio æstimabilis, & quamuis sit portio fructuum, ex quo tamen separata fuit a titulo spirituali, amplius ut portio fructuum eo modo, quo a Clerico percipitur, non consideratur, docet Layman *L. 4. Tract. 10. §. ult. cap. 5. n. 46. Barbosa de univ. Jure L. 3. cap. 11. n. 19.* Atqui peculium quasi patrimoniale, ut supra firmatum est, constat ex bonis, quæ alio titulo, quam Beneficii Clericus acquirit; ergo pensio temporalis pertinet ad peculium quasi patrimoniale.

Neque obstat, quod de stylo Curiæ talis pensio vendi non possit, ut narrat *Barbosa de univ. Jure L. 3. cap. 11. n. 20.* adeoque non sit penes Clericum pensio temporalis, instar peculii quasi patrimonialis, de quo libera disponendi facultas esse debet, ut infra dicemus.

Nam respondetur, hunc stylum inductum fuisse, non quia hoc peculium non sit quasi patrimoniale; sed ut hoc modo omnis vitaretur simoniæ suspicio, *Azorius Inst. mor. P. 2. L. 8. cap. 10. q. 10. Reginaldus in praxi Fori Panit. L. 23. n. 276.* & alii, quos citat Barbosa *ubi supra*. Idemque *L. 3. cap. 17. de nu. Jure n. 33.* docet, quomodo de hac pensione possit disponere pensionarius.

Disputatur præterea, an Commendæ, quas lucrantur Æquites Militarium Ordinum, sint ad hoc peculium quasi patrimoniale referendæ? 28

Sit nostra conclusio, Commendatarios esse veros Dominos quorumcumque bonorum ante, vel post professionem acquisitorum, adeoque de redditibus Commendæ eosdem posse libere disponere.

Probatur I. Quia redditus Commendarum titulo sæculari his dantur, nempe titulo militari; opus autem militiæ est opus temporale pretio æstimabile, quod æstimationem suam non amittit etiam si fiat ex voto, & ad cultum Dei referatur, Barbosa *de universo* Jure *L. 3. cap. 7. n. 12. & 19.* quocirca bella carnalia dicuntur bella militum quorumcumque, ad differentiam spiritualium bellorum, quæ adversus spirituales adversarios desudantur in *can. nisi bella 23. q. 1.* eodem spectat Textus in *can. noli ead. c. & q.* ibi: *pro temporali salute*, *Textus in can. Maximinus 23. q. 3. Textus in can. pro membris ead. c. & q. ibi corporaliter pugnavit*, ibique agit de Petro, qui ferrum pro Christi nomine strinxit. Et S. Moyses tentamenta bellicæ fortitudinis non omisisse, perhibetur *in can. non inferenda 23. q. 3.* quod tamèn opus militiæ temporale fuit. Et simile quiddam habetur ex Concilio Cartaginiensi, quod adversus potentias divitum, defensores cum Episcoporum provisione petiit, ab Imperatoribus delegari, prout narratur in *can. ab Imperatoribus 23. q. 3.* Et a pari laicam agi vitam, cum quis Clericus militiæ nomen dat, ait *Concilium Turonense 1. can. 5.* ibi .. si quis Clericus, relicto officii sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ dederit, excomunicationis pæna feriatur. Addò clarissimum Textum in *can. quicumque 23. q. 8.* ibi: *non possunt simul Deo, & sæculo militare*. Hinc neque in diebus sanctitate festis licet bellare, quantumuis bellum sit justum, *cap. 1 de tregua, & pace*, quidquid sit de consuetudine, ex qua non observari iam talem 29

canonem

canonem notavit *Covar.* L. 2. *var. cap.* 16. *n.* 6. *Leander de observ. dierum fest. disp.* 4.

Probatur II. Quia etsi ex Ecclesiæ institutione officio militandi adstringantur Equites, & opus militiæ ad Ecclesiæ spectet defensionem; attamen non sequitur, Commendæ fructus esse Beneficium. Nam etiam Syndicus, Æconomus, Cymbalista Ecclesiæ percipiunt portionē aliquam redditaum Ecclesiasticorum, & tamèn vere Beneficiarii non sunt probat *Barbosa in Tract. de Canonic* 12. *n.* 14. *Quintinus Æduus in cap. de multis de Praebend. n.* 8. *& a n.* 163. *ad* 165. Capax enim Beneficii non est qui non est Clericus, idest tonsuratus, *cap. ex literis de transf. cap.* 2. *de Inst.* quos Textus ad hoc expendit *Garcias de Beneficiis P.* 7. *cap.* 1. *n.* 9. Tonsura autem carent Equites. Et ideo cum Pius V. prohibeat, ne Clerici, vel Regulares taurorum agitationi intersint, quod refert *Navarrus in Man. cap.* 15. *n.* 19. *Guttierez can. QQ.* L. 1. *cap.* 7. Idcirco Gregorius XIII. declaravit, Milites S. Jacobi Alcantaræ, & similes in hac prohibitione non contineri, refert *Azorius* L. 13. *cap.* 4. *in. fin. Inst. M.* eosdemque non esse vere Regulares ex eo constat, quia tria vota, quæ ad substantiam Relligionis pertinent, exceptis Equitibus Melitentibus, aliisque paucis non emittunt prout Equites Illustrissimę Relligionis D. Stephani, quam astris inserit meritissimis laudibus Vivianus de Jure Patron. L. 4. *cap.* 2. *a n.* 16. Tria autem vota ad substantiam Relligionis pertinere, patet ex *can. non dicatis* 12. *q.* 1. *juncta Auth ingressi C. de sacrosf. Eccl. Clem.* 1. *de Relig. dom. Extravaganti ratio de Rell. dom.* Et Equites D. Stephani non esse veros Relligiosos, censuit sacra Congregatio die 10. Nov. 1609. *quam adducit Cardin. Seraphin. decis.* 587. *& nos eamdem quaestionem fusè discutiemus* L. 3. *ad Tit. de foro compet.*

Probatur III. Nam Innocentius VIII. & Clem. VII indulserunt, ut Commendatarii Equites de fructibus Commendarum possent libere testari non minus, quam alii saeculares, comprobatque facultatem eamdem receptissima consuetudo, de qua testatur *Barbosa* L. 3. *de univers. Jure cap.* 7. *n.* 13.

Neque obstat *I.* Pium V. relatum *a Barbosa ubi supra* revocasse literas militaribus Equitibus concessas ad testandum.

Nam respondetur, ejusdem Pontificis motum proprium receptum non fuisse quoad alios Commendatarios, praeter quam *S.* Joannis, & illum expresse revocasse Gregorium XIII. qui his concedit testandi facultatem secundum pristinam consuetudinem, *Motta in Tract. de confirm. Ord. mil.* L. 2. *cap.* 2. *§.* 18. *n.* 8. Additque Molina de Justitia *Tomo* 3. *disp.* 604. posse etiam tales Commendatarios de utrisque bonis patrimonialibus, & Commendę Majoratum instituere. Illud non omittam Commendatarios militiarum non gaudere privilegio militum in testando, nisi actu sint in bello, seu in castris contra hostes, *L. miles, C. de mil. testam.* §. *illis*, §. *sed. hactenus*, *Inst. eod.*

Non obstat II. quod obijci solet *ex can. duo sunt* 12. *q.* 1. duo tantum genera esse personarum, aut laicos, aut Clericos; Equites militarium Ordinum non sunt laici; ergo sunt personæ Ecclesiasticæ. Nam respondetur, latiore vocabulo dici posse personas Ecclesiasticas; non tamen presso, & rigoroso sensu. Similes sunt personæ Ecclesiasticæ; nullum simile est idem, *L. Lucius* §. *quaesitum*, *ff. de Leg.* 3. *Sarmientus de reddit.* 4. *Parte cap.* 1. *n.* 13. *Guttierez practicar.* L. 2. *q.* 11. *n.* 2. *L asserte de decim. vendit. cap.* 19. *n.* 92. & de his Commendis *Lotherius* L. 1. *q.* 6. *n.* 52.

His expositis, discussisque ad abundantiam, cum constet, quęnam sint Bona quasi patrimonialia, ex quibus conflatur, componiturque peculium, quod hujus dissertationis scopus est; remanet, ut paucis admoneamus, hoc peculium in libera esse facultate Clerici, instar peculii patrimonialis, ut patet *ex cap. quia nos de testam. can. sint manifesta* 12. *q.* 1. atque obiter notetur, hunc postremum Textum antinomiam facere cum Textu *in can. Episcopus* 4. 30
12. *q.* 2. nam in hoc *can. Episcopus* dicitur, Episcopum in bonis patrimonialibus extraneum aut nepotem instituere non posse; longe aliter deciditur in d. *can. sint manifesta.* Conciliatur hic, & ille Textus, detrahendo, expungendoque ex dicto *can. Episcopus* dictionem *non* prout in *Polycarpo* L. 1. *Tit.* 12. sine hac negativa legitur, similisque lectio reperitur in *Hispalensi Concilio cap.* 1. *notat Granancet. in cap.* 1. *de testam. n.* 12. Atque hactenus tradita de facultate disponendi de bonis hisce quasi patrimonialibus, quæ sequuntur naturam bonorum patrimonialium, tam in vita, quam causa mortis, receptissima esse, docet *Ventriglia Tomo* 1. *in praxi aun.* 16. §. 2. *n.* 33. *ubi plures cumulat.*

(*f*) *Distinctio.*

DISSERTATIO III.

In qua agitur de redditibus Beneficiorum ubi plura in disputationem revocatur ad scholasticam exercitationem.

Arduum opus aggreditur quicumque de reddituum Ecclesiasticorum dominio suscipit investigationem. Audendum tamen, & quemadmodum ex aliis fluctibus disputationum emersimus, sic bene sperandum in hoc articulo, qui proponitur explicandus.

Quę in Titulo diximus, ea studiose Juris, certiora putato, peccarem enim in tua commoda, si falsa pro veris obtruderem, quod nec feci hactenus, omnique imposterum contentione, ne id, contingat, curabo diligenter.

Eam igitur distinctionem, quam sum amplexus sequuntur *Gargias de Benef. P.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. *Diana P.* 8. *Tract.* 6. *Resol.* 13. *Laym.* L.

4. *Theol.*

4. *Theol. Tr.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. & hanc communem opinionem vocat *Antonellus de jur. & oner. Cler. P.* 1. L. 1. *n.* 3.

Quod Clerici domini sint, & liberi, & absoluti, & dispotici domini reddituum, qui congruæ inserviunt sustentationi, patet *ex can.* 1,
31 §. *ordinandus, vers. quamodo etiam dist.* 24. ibi:
aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur; ergo quod Clerico necessarium est, alienum non est: ergo ejusdem est proprium.

Ratio est, quia hujusmodi fructus, qui intra mensuram congruæ sustentationis existant, traditi censentur Clerico tamquam merces laboris qui impenditur: sicuti proinde liberum est operario mercedem insumere, in quos voluerit usus, ejus enim dominium in accipientem transfertur, *can. quicumque* 12. *q.* 2. *L. Attilius ff. de don. L. si remunerandi* L. *salarium, ff. mand. L. cum plures* §. *fin. ff. de administr. tut. L. qui plium ff. ubi pupillus educari .d. L. Titia harede* §. *qui Marco, ff. de ann. Leg. L. medicos, C. de Professoribus*, L. 10. L. *ambitiosa, ff. de decret. ab Ord. fac. L. post duas*, C. *de Advoc. divers. Jud. L. si quis*, C. *de proximis sacr. scrin.* L. 11. Ita liberum erit Beneficiario fructus necessarios ad congruam vitę sustentationem, in quem libuerit usum prodigere, si fortè eos ex parsimonia reservarit, vel si patrimonialibus bonis cõsumptis in annos singulos, prędicti fructus intacti remanserint, paremque esse de salario, & redditibus Beneficiorum rationem, ostendit expressus Textus *in can. quisquis* 12. *q.* 2. *in can. concesso ead. c. & q.* ibi: *pro officiorum suorum sedulitate*.

Ulterius nostrum assertum comprobat egregie D. Bernardus *epist.* 2. ibi: *quidquid prater necessarium victum, & simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est, quem locum citat Covarr. in cap.* 7. *n.* 7. *de test.* ergo a contrario sensu Clerici est, quod ad sustentationem ejusdem spectare noscitur.

Sed nobis adversatur *Zoesius in* L. 3. *Tit.* 35. *de peculio ad decret. ex Abbate in repet. cap. cum esses* 10. *n.* 27. *de test. ex* Sarmiento *de reddit.*
32 *Eccl. P.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. *& P.* 3. *cap.* 5.

I. Opponitur, quod quæ supersunt congruæ sustentantioni, non sint in libera Clerici dispositione (*ut infra ostenditur*) atqui, quæ ex industria necessariç sustentationi corraduntur, dicuntur congruæ sustentationi superesse, ergo in pios usus sunt insumenda.

Respondetur, quod pars isthæc congruæ sustentioni respondens, ab antiquis canonibus fuit Clericis constituta in proprietatem exemptam ab omni obligatione, quasi sua industria, laboreque promeritam, partamque, *Navarrus de reddit. Eccl. q.* 1. *n.* 19. *&* 81. *Azorius Inst. mor. P.* 2. L. 7. *cap.* 0. *q.* 1. *Covarruvias in cap. cum in officiis de test.* Diversa ratio est in fructibus excedentibus congruam sustentationem, quibus inhæret onus injunctum erogandi pauperibus, quæ superexcreverint, prout decisum est *in can. ultimo in princ.* 16. *q.* 1. ibi: *quidquid habent Clerici est pauperum, in can. quod autem* 23. *q.* 7. *in can. sicut dist.* 47. *Concilium Trident. sess.* 23. *cap.* 1. ibi: *pauperibus loci erogare*.

II. Opponitur a *Zoesio ubi supra*, quod sordidus animus sibi subtrahens non debeat esse melioris conditionis, quam liberalis, qui pro dignitate sua vitam ducere peroptat.

Respondetur, industriam dominium minime mutare. Si Clericus bonorum, quæ suæ sustentationi sunt destinata, permissu canonum est dominus, parum interest, an ea consumat, vel reservet, quippe si habeat patrimonium in bonis, eo uti poterit, & fructus ex parsimonia sibi reservare. Ut enim dedecet Clericum sordidum animum gerere, ita dedecet in prodigalitatis vitium, reprensionemque incurrere, quod vitium exsecrantur canones Textus in *cap. ex parte de consuet.* Præterquamquod sordidus dicitur, qui turpiter lucris inhiat, ut sit pecuniosus; at verò industria non improbatur, *can. Presbyter dist.* 91. *can. Clericus ib.* luxuria improbatur, seu prodigalitas, *D. Hieronymus relatus a Gratiano in princ.* 44. *dist.*

III. Opponitur, falsum esse, quod Clericus habens patrimonium sufficiens uti possit, illo reservato, fructibus Beneficii *ex can. pastor, ex can. Clericos* 1. *q.* 2. *ex can. & si illi* 12. *q.* 2. ergo perperàm pro responsione traditum est, fructus Beneficii congruæ sustentationi destinatos ad dispoticum Clerici dominium spectare.

Resp. in hoc sibi contrarium esse *Zoesium n.* 7. ubi supra, nam cum hanc quęstionem excitasset, an Clericus patrimonium sufficiens habens, illo reservato, licitè utatur fructibus; defendit, eum uti licitè. At hoc nonnè adversatur iis, quæ antea docuerat, scilicet *n.* 5. ubi statuit, reservatos fructus ad pauperes pertinere? Si Clericus hos fructus sibi debitos reservare potest, ergo pauperibus non debentur. Textus igitur oppositi non obstant. Verissimum est, Clericum posse uti patrimonio, fructibus reservatis, *can. charitatem in fin.* 12. *q.* 2. Ad jura allegata respondetur, ea potius continere consilium, quam præceptum; vel referenda sunt ad pristinum Ecclesiæ usum, quo distributio fiebat in Clericos indigentes causa alimentorum, vel accipi possunt de maxima pauperum egestate, ut præclare docet idem *Zoesius prædicto num.* 7.

Examinata, quantum oportet, prima distinctionis parte, quam in Titulo posuimus, jam progrediamur ad aliam.

Secunda distinctionis pars, quam volumus instar esse conclusionis, hæc est: quod de fructibus, qui ultra congruam sustentationem super-
sunt, validè, sed non licitè Clericus ad usus pro- 33
fanos disponat.

Vides, nos quidem defendere, horum quoque fructuum Clericum esse dominum, sed non omninò liberum dominum, propterea quod eorum dispositio fuit per sacros canones limitata, atque restricta, quod novum non est; nam non

omnibus dominis alienare licet, *Princip. Inst Tit. quibus alienare licet* Fideicommissarius pariter etsi dominus alienare non potest, L. *fin. §. fin. autem C. commun. de Leg.* & alia exempla adducit *Gonz. in cap. ult. de pecul. suo n.* 7.

Sed quia sunt, qui defendunt, Clericos non esse dominos fructuum excedentium congruam sustentationem, sed solum esse dispensatores, ex quibus non paucos recenset *Azorius Inst. mor. P. 2. L. 7. cap. 8. Gonzales in cap. 5. Lelius Mancinus dissert. 5. cap. 13. Garcias de Benef. P. 2. cap. 1. n. 4. Leonius in Thesauro P. 1. cap. 22. n. 15.* paulò diligentius insistemus in hac parte distinctionis, quam Titulus noster indicat.

Status igitur quęstionis, quæ gravissima est ob tam magnum Interpretum dissidium, ut intelligatur, supponito, studiose Juris, maximi momenti esse alterutrum sustinere. Nam si nullum dominium in his bonis Clerico tribuas,
34 Clerici, qui non distribuunt hæc bona pauperibus, locisque piis, obligati erunt ad restitutionem, quia, ut egregiè docet *D. Thomas quodlibeto 6. q. 8. art. 12. ad 3. dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, tenetur ad restitutionem, tamquam defraudator rei aliena in sua distributione;* radix enim restitutionis est justitia. Ergo incolumi conscientia Clericus tales fructus ad usus profanos insumere non poterit, & ulterius ad restitutionem obligabitur, si dominio Clericum carere, constituatur. Si verò Clericus sit dominus quantumvis non omninò liber dominus; tametsi abutatur hisce fructibus non obligabitur ad restitutionem, quod solum contra charitatem deliquerit, notat *Barbosa de univ. Jure L. 3. cap. 17. n. 10. Cabassutius in Scientia Canon. L. 6. cap. 13.*

Nostra autem sententia, Clericos fructuum excedentium congruam sustentationem esse do-
35 minos.

Probatur I. ex multiplici Textuum copia, ex *cap. volumus cum seq. ex can. indicatum* 80. *dist. ex cap. 1. de Cler. non resid. in 6.* ducto ibi argumento a contrario sensu cum *Lelio Mancino Barbosa, Garcia ubi supra ex cap. pervenit de fidejus., ex cap. super quibusdam eod. Tit. ex Extrav. suscepti regiminis, ne Sede vacante, ex cap. venerabilis de script. ex cap. pro illorum de Præb. ex cap. 2. de Arbitr. ex Tridentino sess. 25. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. ibi: quos ratione etiam Præbenda, ac residentia fecit suos, ex Concilio Lateran. ult. sess. 0. can. 0. ex constitutione Pii V. quam adducit Gargias de Ben. 2. Part. cap. 2. n. 5. ex Auth. Presbyteros, C. de Episc. & Cl.*

Probatur II. ratione. Quia divisionis titulus dominium transfert, L. 1. C. *comm. utriq. Jud. §. ult. Inst. de off jud. §. quos autem Inst. de bonor. poss.* Atqui post divisionem bonorum, quę olim erant Ecclesiarum communia, portio redituum fuit Clericis assignata, *can. vobis, can. Vulterana cum sequentibus, can. quatuor, can. de redditibus, can. cognovimus, can. mos est, can. sancimus 12. q. 2. cap. 1. de Eccl. ædif.* Augetur vis argumenti; nam licèt quarta, quę pauperibus obrigit recepta cōsuetudine fuerit abrogata; attamèn post divisionem celeberrimam cessavit obligatio justitiæ quoad pauperes, solumque misericordiæ, & charitatis vinculum mansit, nec quia quarta illa pauperum cessavit, lex tamèn justitiæ revixit, ut notat *Lelius Mancinus dissert. 5. cap. 13. n. 36.* quamquam eam quartā consuetudine tolli non posse, docet *Barbosa de universo Jure L. 3. cap. 17. n. 8.*

Probatur III. Quia fidelium, qui bona Ecclesiæ contulerunt, conferuntque in dies si voluntates conjectemus, non semper donant sub hoc onere pauperes alendi, donant ut plurimum pro redemptione suarum animarum, Divini cultus amplificatione. Pauperum verò alimoniam Episcoporum arbitrio commisisse, censentur, ut constat ex multis *canon. caus. 12. q. 1.* ergo his ex Lege justitię dominium fructuum competere non constat, sed ex misericordiæ vinculo, & charitate bona esse impertienda. Quod si ex justitia fructus Beneficiorum pauperibus deberentur; quæ nam esset isthæc Episcoporum providentia, & cura, ut sinerent, quod pauperum esset ad pauperes vix ulla mora interjecta non pervenire? An credibile est, Ecclesiam tam gravem injustitiam admittere, peccatumque fovere contra id, quod dicitur in *Extr. unam sanctam de major. & ob. ut arguit Mancinus ubi supra n.* 38.

Non prius ad refutanda contraria progrediar, quam si quędam prænotanda tibi, studiose Juris, indicaverim.

Notetur ergo quorumdam temporum distinctio; nam ex temporum diversitate diversum circa fructuum, bonorumve Ecclesiæ dominium jus effulget. Quinque ergo sunt observanda tem- 36
pora. Primum cum neque Ecclesia, neque Clerici neque Christiani aliquid proprium detinebant, ad perfectionem Evangelicam, *can. sumus can. habebat 12. q. 1.* sed omnia vicissim omnium inserviebant necessitatibus; notat *Barbosa ubi supra, notat Grananiel in cap. quorumdam primo de testam.* Secundum tempus cum laici Christiani cęperunt bona propria retinere ob numerum summoperè fidelium excrescentem; Cle- 37
rici verò, & Ecclesię adhuc communem traducebant vitam, retinentes prędia a fidelibus donata, quibus præsidebant Episcopi, ut ex redditibus Clerici sustentarentur, *can. videntes, can. expedit, can. duo sunt 12. q. 1.* Tertium 38
tempus, cum cæpere Clerici detinere patrimonia parentum, ut bona aliunde quæsita, ita tamen, ut si quid proprium haberent, non caperent quidquam ex bonis deputatis pauperibus *can. Clericos, can. Pastor Ecclesiæ, can. si quis 12. q. 2.* Quartum tempus illud fuit, in quo divisæ fuerunt Parochię singulæque singulis assigna- 39
tæ Presbyteris, bonaque Ecclesiarum in quatuor partes distributa, nam una Episcopo, altera Parocho, tertia fabricæ, quarta hospitibus peregri-

nis,

nis, & pauperibus obtigit, *can. vobis*, *can. Vulterana*, *can. quatuor*, *can de redditibus*, *can. agnovimus*, *can. mos est*, *can. sancimus* 12. *q.* 2. *cap.* 1. *de Eccl. ædific.*

Quintum tempus hodiernum est. Jam Episcopi habent tertiam partem fructuum, in plerisque Ec-
40 clesiis; reliquas partes habent Rectores Ecclesiarum, sed ipsis Rectoribus incumbit onus fabricæ circa ornamenta necessaria, vestes sacras, vasa, & similia: et denique circa eam partem Ecclesiæ, quæ dicitur Sancta Sanctorum, & hac de re latius *Barbosa ubi supra n.* 7.

Nunc argumenta dissentientium sunt diluenda.
I. Quidem Lelius Mancinus *dissert.* 5. *cap.* 13.
41 *n.* 53 *&* 54. subtiliter conatur ostendere, adhuc post quadripartitam illam divisionem vigere justitiæ obligationem alendi pauperes. Nam causam illi divisioni præbuere Episcopi, qui cum soli essent Ecclesiasticorum bonorum administratores, avaritiæ plus, quam par esset studere videbantur (ut censet idem Mancinus) Ergo divisio facta est in hunc finem, ut pauperibus consuleretur. Divisio non sustulit jus, quod pauperes antea habebant in illis bonis. Quod si ita esset cur ergo in *can. vobis* 23. *caus.* 12. *q.* 2. postquam actum est de illa divisione dicitur ut ex redundantia fructuum ematur prædium, quod utilitates respiciat communes? Sed hoc argumentum quod tanti facit Mancinus non valdè persuadet. An non pauperibus quoque per illam divisionem consultum fuit? An non illi suæ portionis dominium nacti sunt? Cur ergo etiam Clericis non profuisse dicamus, ad effectum dominii, eamdem divisionem. Esto redundantia fructuum ex præcitato canone debeat ad communem converti utilitatem. At communis utilitas est eunt tam Clericis quam pauperibus, quam Ecclesiæ necessitatibus prospicitur. Præterea nihil movet Textus, an ex justitia, vel potius ex misericordiæ Lege pauperibus, sit ex fructibus Beneficii subveniendum.

Poterat urgere Mancinus *ex Clementina quia contingit de relig. dom. in p.* ibi: *cum tamen ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium converti*; ergo divisio non potuit bonorum, quæ communia erant mutare naturam, adeoque pauperes pristinum conservant eorumdem dominium.

Respondetur, adductum Textum ibidem excipere Pontificis auctoritatem. Pontifex enim commutare potest defunctorum voluntates; ergo data causa, Pontifices talium bonorum potuerunt immutare naturam, ac proinde divisio, quæ communia erant, privati juris reddidit. Præterea admittendo, ut liberaliter agimus, divisionem non potuisse rerum communium immutare naturam, retorquetur argumentum. Quid enim sibi voluit res fuisse communes? An ut soli pauperes his fruerentur? Nemo id dixerit; imo ut Clerici, ut Prælati, ut Ecclesiæ, & pauperes rerum earum redderentur participes, facta est divisio. Si pauperibus sua pars obtigit, an non eodem pacto, dum Clerici sua parte fruuntur, ad earumdem rerum communionem vocantur pauperes? Bona fuerunt a principio Ecclesiæ donata cum onere, ut in Ecclesiarum ministrorum, & pauperum cederent alimoniam. Adhuc post divisionem donatorum finis observatur. Ubi nam igitur hæc Lex justitiæ obligans Clericos ad restituendum pauperibus?

II. Opponitur locus Lucæ *cap.* 11. ibi: *verumtamen quod superest, date eleemosinam*. Ergo Divinam Legem obligantem distribuere pauperibus quod superest.

Rejecta responsione Sarmienti Suarez, Soti, quam reprobat Barbosa *de universo Jure L.* 3. *cap.* 17 *n.* 19. cum S. Thoma 2. 2 *q.* 32. *art.* 5. *&* 6. dicendum est, solummodo in unico casu præceptum obstringere, data scilicet extremæ necessitate, ex parte recipientis; quæ tamen nec in dante, nec in suis contingit; in ceteris verò aliis speciebus de consilio procedit; et ideò non obligat transgressorem, arg. *Textus in cap. nullus de Reg. Jur. in* 6. Insuper addo, locum illum generalem esse, nec tam intelligi de sæculari quam de Ecclesiastica persona, quæ responsio est *Barbosa ubi supra*.

III. Opponuntur Textus in *can.* 1. 12. *q.* 3. *in can. ultimo in princ.* ibi: *quidquid habent Clerici est pauperum* 16. *q.* 1. *in can. sicut* ibi: *esurientium panis est* 47. *dist. in can. quod autem* 23. *q.* 7. *in can. ult.* 1. *q.* 2.

Resp. Jura hæc, & similia procedere ante illam divisionem, quam antea explicavimus, antequam, bona omnia Ecclesiastica communia erant nec ministri poterant aliquid accipere ultra propriam sustentationem. Et nonnunquam ad majorem exaggerationem bona pauperum dicuntur, ut magis Clerici in officio contineantur, prout intelligit Textum *in can. sicut* 47. *dist. Cardinalis in cap. cum in officiis de Testam. n.* 11. *Covar. L.* 3. *var. cap.* 14. *n.* 5.

IV. Opponitur, quod dominium bonorum Ecclesiasticorum sit penes Christum, *cap. cum secundum de Præb. cap. tua nobis* 26. *vers. cum enim de decim. can. Salvator* 1. *q.* 3. *can. convenior* 23. *q.* 8. Atqui penes duos dominium esse non potest, *L. si ut certo* 6. *si duobus ff. commodati* ergo penes Clericos esse non potest.

Resp. distinguendo minorem, dominium ejusdem generis, concedo; diversi generis, negatur. Triplex dominium. Unum plenum, & absolutum, maximum, supremumque: hoc soli Deo competit, d. *cap. tua nobis de decimis*. Secundum quod homines habent in re propria, prout accipitur *in ff. de acq. rer. dom.* Hoc dominio fruuntur Clerici instar laicorum in bonis patrimonialibus, & in redditibus Beneficiorum. Tertium illud est, quod dicitur jus disponendi de re, Lege non prohibente, in bonum tantum communem. Hoc habet S. Pontifex in Beneficiis bonisque Ecclesiæ, ut ea in bonum commune distribuat, quæ distinctio, quam sequitur *Gonz. in cap.*

in cap. ult. de peculio, docetur a Barbosa *ubi supra n.* 14. Apparet ergò penes plures quomodo redditum Ecclesiasticorum dominium esse possit, penes Christum, penes Clericum, penes S. Pontificem.

Habes, studiose Juris, meo judicio, paucis explicatam rem contrarietatibus canonum, conflictu opinionum, varietate interpretationum impeditissimam.

Quoniam ergo stabilitum remanet, Clericos fructuum excedentium congruam sustentationem esse dominos. Videamus, an de his possint testari. Videamus, an creditores Clericorum in causam judicati hos fructus possint percipere. Videamus, an consanguinei hi fructus possint distribui. Multa, ut vides, propono: omnia polliceor examinare, non tamen tam prolixè, ut tædio quodam, ab his legendis abalieneris.

Quod attinet ad facultatem testandi; equidem canones, ut soli Ecclesiæ bona, Clerici testamen-
42 to relinquant, disposuere Textus in *cap. 1. cap. relatum 2. de testam. in cap. cum in officiis, in cap. ad hæc in cap. quia nos eod. Tit. in can. sunt manifesta 12. q. 1. in can. quia Joannes, in can. fixum 12. q. 5. in Auth. licentiam, C. de Episcopis, & Clericis* idipsum statuitur.

Hæc tamen prohibitio non est Juris Divini, sed tantum Legis humanæ, *can. 77. Apostol. Toma 1. Concil. cap. ultimo hoc nostro Tit. can.*
43 *Episcopi 12. q. 1. can. res in Episcopatu 12. q. 2.*

Nec obstat Textus in cap. cum in officiis de Testamentis ibi: *antiquis canonibus*.

Nam resp. cum Barbosa de *univers. Jure L. 3. cap. 17. n. 43.* ibi hæc verba accipienda esse, non de prohibitione Legis ullius Divinæ, sed solum humanæ; nam Pontifices quando aliquid Lege Divina prohibitum reperitur, ejusdem expresse meminerunt, ut in *cap. cum esses, in cap. relatum de testam. in cap. usur. de Jud. in cap. in omni de testib. in cap. Paro branos 14. de decim. in cap. quamquam de cens. in 6.*

Jam verò cum possit consuetudo introduci, quæ Juri Divino non repugnet; et re ipsa hodiè ex generali totius orbis usu inductum fuisse videamus, ut de fructibus hisce Clericus testari valeat, hic articulus est discutiendus, an talis consuetudo sustineatur?

Si forte al cujus animo cura innascatur legendi, quid sentiat de hac consuetudine Cabassutius; ille quidem detestatur hanc consuetudinem, per quam sacram illam disciplinam testari
44 interdicentem concidisse, non veretur pronunciare L. 1. *Scitita can. cap. 13.* - Lælius Mancinus *cap. 19. dissert. 7. n. 9.* acrioribus verbis in hanc consuetudinem (vocat ille usurpationem) invehitur.

Ego Covarraviam, virum non minoris existimationis, in hoc sequar, qui in *cap. cum in officiis de testamentis* talem consuetudinem defendit ea tamen moderatione, quam adhibet in verbo. *hoc vero.*

Quibus verò argumentis, non corruptelam, sed consuetudinem hanc esse probatur?

Probatur, quia, si tantum Jure humano testandi prohibitio inducta est, ut paulò ante declaravimus, nihil proponitur, cur possit isthæc damnari consuetudo, per quam Juri humano derogari posse, certum est, ut arguit *Zoesius ad Tit. de Testam. n. 7.* si non foveat consuetudo malitiam, aut peccatum, qualis hæc, cum nihil mali in se involvit disponere de rebus suis, quod Jure communi permissum, ad quod reditur, per istam consuetudinem. Quid enim est, ex quo aliquid mali involuere dicatur ista consuetudo? An quia non valet consuetudo Ecclesiæ gravamen inducens, ex Textu expresso *in cap. 1. de consuetud. in can. mala dist. 8. in can. usus, in can. consequens dist. 12. in can. omnia dist. 12. in cap. cum terra de elect. in cap. ex frequentibus de Inst.* At dico imprimis, hanc consuetudinem ad summum personis, sed non Ecclesiis inferre gravamen, ut notat *Gargias de Benef. P. 2. cap. 1. n. 16. ex cap. præsenti de off. Ord. in 6.* Dico ulterius, quod etiam si admittatur, hanc consuetudinem Ecclesiæ gravamen inferre; attamen per summum Pontificem reprobata non est ita, ut idcirco dicendum sit, per hanc tacitam approbationem esse derogatum celeberrimo Textui *in cap. cum in officiis de testam.* prout articulum hunc de gravamine exponit *Gonzales in cap. 2. n. 14 de consuet.* An hæc consuetudo mala vocabitur, quasi occasionem avarè congerendi præbeat? Vanum perfugium dissentientium. Videant, an occasio hæc data sit, vel potius accepta. Acceptam occasionem appellat Zoesius fautor nostræ sententiæ ad *Tit. de testamentis n. 7.* accepta occasio non inficit consuetudinem bono nixam fundamento. Videant, an si deficeret consuetudo, deficerent tamen, qui pecuniis coacervandis essent addicti; hominis ergo hoc vitium est, non rei, aut consuetudinis. Si Clericus contractu fructus alienet, non rescinditur propterea contractus, neque est invalidus, ex communi D. D. opinione; cur volumus, esse invalidum testamentum? Abusus licentiæ non ponit Juris iniquitatem, *Zoesius ubi supra*. An igitur se possunt dissentientes tueri, quasi consuetudo, quam vitii expertem asserimus, non sit Pontificis approbata consensu? At non hæc dicerent adversarii, si id Covarruvias, si id Barbosa audirent. Quonam pacto, inquiunt, hi doctissimi Interpretes æquo jure dicemus deesse tacitam Pontificum approbationem? Passi ne igitur sunt tot Sanctissimi Christiani Orbis Præsules, tot animas illaqueari, & in peccato mori? An cum indubitate nossent, & consuetudinem hanc, & controversiam tam acriter agitatam, eam non diremissent, declarando statum periculosum, & consuetudinis deformitatem, qui tam multas alias pravas consuetudines extirparunt, ut patet *ex tota Tit. de consuetudine*? Quid Reges? An Carolus Cæsar Hispaniarum Rex anno 1523. Conciliis totius Regni Pintiæ habitis cap. 47. jussisset, hanc consuetudinem uti legi-

timè

timè inductam servari? An passus fuisset, Judices tam graviter peccare, qui in Christiana Republica hæredi ex tali testamento bona adjudicarent?

Probatur ulterius auctoritatibus, quæ mirificè id comprobant, easque expendit *Gonzales in cap.* 12. *de testamentis*, prout ipse eas viderat, expendit a *Barbosa de universo Jure L.* 3. *cap.* 17. *n.* 67. Sunt ergo auctoritates, Textus *in cap. cum tibi* 18. *de V. S. in cap. præsenti* 9 *ibi*, *vel consuetudine iam præscripta*, *& ibi consuetudine*, *seu alia de off. Ord. in* 6. *in Extravag. susceptis* 2. *de elect.* in quibus habetur, valere consuetudinem, quæ introductum est, fructus Beneficiorum vacantium, per aliquod tempus ad alias personas, præter Ecclesiam spectare; ergo & consuetudine introduci potest, ut idem in testamento fiat. Canisius quidem, ut vidit Covarruviam *in cap. cum in officiis n.* 9. *vers. nec solvit*, egregiè confutasse quandam responsionem Panormitani, ad aliam confugit in *cap.* 1. *de testam. in fine*, aitque, hæc procedere, si fructus per aliquod tempus retineat persona Ecclesiastica, non laicalis, dicens, ita *Glossam* interpretari Textum *in d. Extravaganti*. Ego vero adducam Glossæ verba, ut appareat, quam probabilis sit isthæc responsio. *Si intelligas de Ecclesiasticis planum est*, *quod ad eas fructus tales spectare possunt de consuetudine*, *&c. Si intelligas de sæcularibus*, *poterunt ne tales fructus*, *& ipsorum perceptio ad ipsos pertinere? Dic*, *quod sic speciali privilegio Papa*. Sed licet Glossæ sensus esset, ut placet Canisio; jam tamèn, si correctum esse dicimus, ex consuetudine Textum in *cap. cum in officiis de testamentis*; multò magis Glossam.

Probatur insuper; nam quæ possunt ex privilegio concedi, possunt consuetudine introduci, *cap.* 1. *de priv. in* 6. *cap. super quibusdam de V. S.* Atqui hoc adest privilegium, ut nonnulli Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testentur. Nam Julius III. anno 1540. in Extrav. cupientes, quam refert Gonzales ubi supra, omnibus Clericis in Curia degentibus ita testari permisit, & hodie Presbyteri Cardinales, ex privilegio de omnibus bonis disponunt, *Cohel. in not. Cardin. cap.* 16. *privil.* 18. ergo non debet improbari etiam consuetudo. Et de hac facultate testandi, quam elargiri potest Pontifex, fate *Mancinus dist.* 5. *cap.* 20: *Facbinaus L.* 5. *contr. cap.* 90.

Probatur tandem, hanc invaluisse consuetudinem ex maximorum Interpetrum testimonio *ex Viviano Tomo* 1. *opin.* 41. *ad fin ex Cenedo ad Decretal. collect.* 21. *n.* 1. *ex Garcia* 2. *Part. de Benef. cap.* 2. *cum innumeris*, *quos citat n.* 19. *ex Barbosa de univers. Jure L.* 3. *cap.* 17 *n.* 67. *ex Gonzales in cap.* 12. *de Testam. n.* 2. *ex Covarruvia ubi supra n.* 9. *ex Zoesio ad Tit. de Testam. n.* 7. supponiturque ab Antoniello talis consuetudo L. 1. *p.* 2. *cap.* 10. *n.* 4. *de Jur.* Talem consuetudinem vigere in Gallia, & in Hispania, testatur Barbosa *de univers. Jure L.* 3. *cap.* 17. *n.* 67. *Ventriglia Tomo* 2. *in Praxi annot.* 16. §. 2. *n.* 11. testatur, alibi vigere, & Florentiæ talem quoque vigere consuetudinem, compertum est. Tametsi Moneta satis dubius in hac re sit *de distr. P.* 3. *q.* 2. *a n.* 5.

Non obstat I. Consuetudinem hanc præjudicio esse Ecclesiæ, ideoque dicendam corruptelam, *cap. t. de cons.* & quod sit gravosa Ecclesiæ, quis dubitet? An non in bonis a Clerico relictis succedit Ecclesia? *cap.* 1. *de suc. ab int.* ergo consuetudo toleranda non est.

Resp. prout in primo argumento diximus addimusque consuetudinem sustineri, propterea quod reducitur testandi facultas ad Jus gentium, juxta quod libera testandi facultas est, ut ait *Gonz. ubi supra*. Quid quod reducitur ex hac consuetudine testandi facultas ad antiquum Jus Canonicum? Nam prioribus Ecclesiæ sæculis fuerat Episcopis etiam Monachismum antea professis testamenta condere. Ex Latinis enim adhuc testamenta supersunt sanctorum Episcoporum Cæsarii Arelatensis, & Remigii Remensis: ex Græcis verò Gregorii Nazianzeni, dum esset Constantini Ecclesiæ Episcopus; quanquam intermediis sæculis id Episcopis, & Clericis vetitum fuerit, notat *Cabassutius Scient. Can. L.* 1. *cap.* 23. *n.* 4. 45

Non obstat II. Textus in *cap. ad hæc de Prebend. nam* juxta primam collectionem sub *Tit. de Testam. cap.* 7. ita legitur, prout apud Gonzalez: *ad hæc licet consuetudo illa non sit consona rationi*, *quam Clericus*, *si a Kal. Mart. usq. ad Kal. Nov. decesserit*, *totum fructum Beneficii*, *quod debet anno illo percipere*, *secundum suam voluntatem largitur: quia tamèn in multis Ecclesiis observatur*, *eam satis in Episcopatu tuo poteris tolerare*. Ergo toleratur consuetudo testandi, non verò inculpata dicitur.

Resp. quodimo hoc probat, ex assensu Pontificum hanc consuetudinem invaluisse. Nec canones ullam consuetudinem permittunt, quæ peccatum inducat, ut fusè ostendimus *L.* 1. *Tit.* 6. *n.* 10. & hunc Textum tam probare nostram sententiam, ait *Sarmientus de reddit.* 4. *p. cap.* 2. *n.* 12. ut illi succumbat *Navarrus in Apol. q.* 3. *monit* 8 *n.* 7.

Non obstat III. validissimum argumentum, quo nititur *Canisius in cap.* 1. *de testam. n.* 18. Quomodo nam, inquit vir summus, potuit huic consuetudini suum assensum Pontifex accommodare, si Pontifex Paulus III. Julius III. aliique Christianorum regimini præsidentes, spolia induxerunt? Quid sunt spolia, nisi reservationes bonorum, quæ fuerint ex redditibus Ecclesiæ quæsita; quæque post Clerici mortem ad Cameram Apostolicam devolvuntur? Si bona ad Cameram devolvuntur ex decreto Pontificum, ergo non assentiuntur Pontifices, ut Clerici validè testentur de his bonis. 46

Resp. hoc argumentum probare ad summum, quod ubi spoliorum jus obtinet, testandi consuetudo vigere non possit. At paucis in locis hoc,

jus

jus obtinet, & ideò argumentum non probat, in universum consuetudinem, de qua disputatur, improbari, prout notat Cabassutius *in Scientia Can.* L. 1. *cap.* 23 *n.* 4. & 5. Hinc Nicholius *Inst. Civ.* L. 3. *Tit. de hered. qua ab. int. n.* 83. conclusionem, quam ipse *n.* 81. proposuerat, quod nimirum ubi jus servatur spoliorum, Camera Apostolica in fructibus Beneficiorum succedat, limitat his verbis: *III. limitatur conclusio nostra non, habere locum in locis, ubi consuetu-*
47 *dine receptum est, ut beneficiarii testentur, & usus non viget spoliorum; ut esse in Provincia Mediolanensi, testatur Bonacetna de var. Tr. disp.* 4. *pun.* 2. *n.* 2. *T.* 1. Interim tamen ipse etiam Canisius alibi, nempe *in cap.* 1. *de success. ab intest. n.* 69. *vers. verum cum in Germania* fatetur, in Germania nunquam persoluta fuisse spolia Clericorum Sedi Apostolicę. Insuper neque in Gallia, neque in Belgio, neque in Lusitania non esse jus illud spolii receptum fatetur *Cabassutius in Scientia Canonica* L. 1. *cap.* 23.

Et de consuetudine, quę Neapoli, & in quibusdam Apulię Ecclesiis invaluit, locuti sumus *Lib.* 1. *Tit. ult. n.* 40. Sed neque eorum, qui in Urbe Roma decesserint, aliquid nomine spoliorum Romana Sedes percipit, ut testatur *Barbosa de univers. Jur.* L. 3. *cap.* 17. *n.* 63.

Quod si Paulus III. in Extravaganti edita anno 1552. *in Bullar. cap.* 31. fatetur, antiquissimo tempore, atque adeò longè ante XV. sæculum spolia fuisse a Camera Apostolica exacta, eamque legem vigere, declaravit in quibuscumque Regnis, & dominiis tam citra, quam ultra montes, & maria consistentibus, ut est apud Leonium *in Thes. de spol. Cler. P.* 3. *cap.* 3. *a n.* 3. E contrario, cum constet, quàm paucis in regionibus jam spoliorum jus observetur; an non inde inferendum est, consuetudine, quam Pontifices norant invaluisse, ut Clerici testarentur, suum tacitum præbuisse consensum, si tam multis in regionibus spoliorum jus cessare, permiserunt?

Quod verò quarto loco obiicit Glossa in *Extrav. suscepti, §. cum itaque, verbo vel personis*, irrationabilem esse hanc consuetudinem, quia æquum non est, laicos res Clericorum, ex testamento obtinere, cum laici Clericis infesti sint, *can. laici* 2. *q.* 7. parum urget.

Hoc enim argumentum nimis probat. Quis enim non videt, ex hac ratione Jura Patronatus fore laicis deneganda, & quæ emolumenta cum Jure Patronatus conjuncta sunt? Itemque pensiones temporales, & alia hujus generis. Qua in re ulterius immorari tædet. Responsionem dilatare supersedebo.

Ut exequar perfecte, quę sum pollicitus, hac quæstione examinata, me video necessitate compulsum examinandi aliam illam controversiam; an creditores Clericorum in causam judicati possint Beneficiorum fructus percipere?

Statuendum est, redditus Beneficii capi posse in
48 causam judicati non in perpetuum, sed ad tempus, donec satisfactum sit creditori.

Probatur assertio. Solum namque canones prohibent, redditus Beneficiorum a Judice creditoribus assignari in perpetuum, *cap. pervenit* 3. *de arbitr.* ubi *Abbas n.* 2. *cap.* 2. *de locato cap. ult. ne Præl. vices suas, cap. de cetero, cap. veniens de' transf. cap. nisi essent de Prab. cap. præterea* 8. *de cens. cap.* 2. *de fid. cap. Odoardus de sol.*

Probatur ratione. Quia si in perpetuum ejusmodi fructus capi possent, id speciem involveret alienationis, ut notat Barbosa *L.* 3. *de univ. Jur. cap.* 17. *n.* 42. ubi idipsum tuetur, quod nos in conclusione posuimus, & *Gonzales in cap. nisi essent de Prab. n.* 10. & *per tot. Lotherius de re benef.* L. 1. *cap.* 42. *Salgad. Labyr. cap.* 42. *per tot.*

Neque obstat, stipendia militum non posse capi in causam judicati, *L. stipendia C. de exeq. rei jud.* ergo nec Clericorum, ad tradita *in cap.* 1. *de ren.*

Resp. omissa interpetratione Forcatuli in *Cupidine Juris cap* 20. Textum *in L. stipendia, & in L. spem, C. qua res pignori*, qui eamdem sententiam continet, exponendum esse cum distinctione ex antiquitatis notitia deducta. Qui in publicis certaminibus victoriam retulisset, victorię premium coronam consequebantur; annexaque coronæ erant præmia alia, stipendia annua, privilegia publica, *Plinius* L. 10. *epist.* 119. & 120. de quibus Papinianus in L. *commodis* 40. *ff. de re jud.* obsonia, cibaria. Hæc præmia vel jam relata sunt, vel sunt in spe, cum, jam paratur certamen. Diversa ratio est de præmiis, quæ jam debentur ob certamen felici conatu perfectum, & de his, quæ sperantur. Præmia in spe non possunt pignori dari, vel capi in causam judicati. Pręmia jam debita possunt. Ita accipit oppositum Textum *Petrus Faber Agonistico* L. 2. *cap.* 17. *pag.* 303. qui ait, quod his ignoratis, vix est, ut Legum Magistri prædictam Legem stipenda possint explicare.

Quod attinet ad ultimam controversiam, quam pariter examinare constitui, an consanguineis 49
fructus congruam sustentationem excedentes possint impertiri, a Clerico; quem articulum latius expendit *Marca in add. de redd. Eccl. a n.* 140. Audiatur sacrum Concil. *Trid. sess.* 25. *de Reform. cap.* 1.: *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiasticis consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, qua Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sunt, ut pauperibus distribuant; consonat can.* 39. *Apost.* & *can. res Ecclesiarum cum seq.* 12. *q.* 2.

Præclarum est Benedicti XI. exemplum, qui nullum ex suis propinquis ad aliquod Ecclesiæ 50
munus accersivit, dicere namque solebat, Pontifices propinquos non habere, *Matth. Tymp. in Speculo Eccl. signo* 104.

Non minus illustre exemplum est Clementis IV. qui cum nepotem Clericum haberet possiden-

tem tres

tem tres Præbendas, unam, ceteris dimissis, retinere coegit. *Pelag. de Planct. Eccl. L. 2. cap 15.*

Quid Pius V? Nepoti suo Cardinali Alexandrino, & aliis propinquis parca manu subsidia contulit, *Gabut. in ejus vita L. 6. cap. 14.*

Quid Innoc. XI. XII. & Clem. XI. qui tanta omnium admiratione sceptrum Christiani Orbis moderatur, an non hi omni studio ad augendam Catholicæ Religionis dignitatem annixus

51 plane publicus parens universos fideles in locum liberorum adoptasse sibi videtur, ut *de Valerio Publicola* dixit *Annaus Florus* L. 1. *cap.* 9. nec precibus aliorum, vel flagitationibus defatigatus a constantia illa deflexit, non augendi divitiis consanguineos, non recedendi a Constitutione quam edidit *Innoc. XII. & est post opera Card. de Luca*. Talem esse gloriamur, quem Divini Proregem Numinis adoramus. Obstinatum enim fuit non suscipere Imperium orbis terræ, nisi fervandum fuisset. Pugnandum diù fuit cum modestia ejusdem, precibus querelis, lacrymis avertere a se fortunam contendentis. Vicit publica faustitas, admiratique sumus attoniti magni animi insolitum documentum. Vive diù Imperator, & Parens generis humani. Confugit in finum tuum concussa calamitatibus fidelium multitudo, teque protegente securitatem expectat.

(g) *Ex distributionibus.*

DISSERTATIO IV.

In quâ distributionum materia tractatur, & varia examinantur controversia.

Quintum peculii Clericalis genus sunt distributiones; id cum Barbosa traditum est in nostro

52 Titulo: id meretur diligentem explicationem. Age, ut ordo servetur videamus hæc tria, quid sint distributiones, quibus debeantur, & quale illarum dominium.

Ut definitio distributionum commodè, & sine errore percipiatur, paulò altius initia sermonis

53 repetam. Invenies, studiose Juris, hæc nomina *victualia, portiones, sportula, beneficia manualia diaria*: ne diù hæreas in ancipiti cura, quid nam hæ voces significent. Tam victualia, prout vocantur *in cap. un. de Cler. non resid. in 6 in cap. de cetero de Cler. non res.* quam portiones, prout dicuntur *in cap. dilectus prim. Text in fine de Præb.* quam etiam sportulæ, prout appellantur a *Stephano Durando de rit. Eccl. Cath. L.* 3. *cap.* 15. *n.* 3. nec non manualia, quale nomen est *in cap. olim de V. S. ut in d. cap. un.* pariterque diaria, ad quam appellationem pertinet Textus in *Novella Iust.* 12. 6. 30. nihil aliud sonant, si inspexeris rei substantiam, quam distributiones quotidianas. Sed quenam rei substantia? Hanc indicat definitio. Et ceteris omissis, sic distributiones quotidianæ sunt definiendæ, cum *Barbosa de universo Jure* L. 3. *cap.* 18. *n.* 5. ut sint stipendia quædam personalia, quæ ex redditibus Ecclesiæ, præter Præbendam, aut portionem certam pro Beneficio competentem, Divinis officiis interessentibus tribuuntur. Quotidianæ dicuntur, quasi sint diurnum stipendium. Quæ definitione prout nobis innotescit distingui distributiones a redditibus Beneficii, a fructibus, a proventibus qui ratione personalis servitii percipiuntur. Distingui a redditibus Beneficii, ostendit Textus *in cap. licet de Præb.* Distingui a fructibus, declarat *Concil. Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 10. Distingui a proventibus intuitu personalis servitii perceptis, demonstrat Textus in *cap. licet vobis de Præb.* Et sacra Congregatio Concilii apud Corradum *L.* 2. *de Benef. cap.* 16. *n.* 30. declaravit: his verbis: *Concilium gravat non profitentes, ut non faciant fructus suos, quorum fructuum appellatione distributiones quotidianæ non veniunt.* Est tamen casus, in quo 54 distributiones veniunt nomine Præbendæ, cum nempe fructus cōsistunt omnes in distributionibus quotidianis, & non sunt obnoxiæ restitutioni, & sic esse stylum, & communem practicam Rotæ, quod in condemnatione Canonici, eo quod non emiserit professionem fidei, nec condemnetur nisi in fructibus perceptis, sub verbo *fructus* comprehendantur distributiones quotidianæ, cum Canonicatus caret Præbenda, testatur *Pyrrhus Corradus ubi supra n.* 32.

Ad majorem definitionis elucidationem, quatuor quantum video, sunt distributionum species, quæ ad nostram definitionem possunt referri, quæque hac opportunitate sunt expendendæ.

Prima species indicatur *in Extravaganti cum nonnullæ* 11. *Tit. de Præb. & dign. inter comm.* 55 earum nempe distributionum, quæ ubi non sunt distinctæ Præbendæ, sed omnia communia sunt, impertiuntur Clericis illi Ecclesiæ deputatis, & inservientibus, aut in pecunia, aut alia in quantitate; *Moneta de distr. P.* 1. *q.* 3. *n.* 2. *Tondutus QQ. Benef. Tom* 1. *cap.* 12.

Secunda species earum est, quæ & *grossa* dicuntur, cum nempe sunt in aliqua Ecclesia 56 Præbendæ distinctæ. Est præterea mensa communis, ex qua dantur distributiones etiam illis, qui non intersunt Divinis officiis, dummodo sint in loco *Extravag. postulasti,* 6. *licet autem, & dicta Extr. cum nonnulla.* Grossa dicuntur, & portio privilegiata, *Moneta ubi supra n.* 5. *&* 6. *Garc. de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 440. & sunt in usu in Hispania, & in Basilicis Urbis. *De Luca in ad. n. ad Trid. disc.* 15. *n.* 8.

Tertia species traditur *in cap. licet de Præb in cap. un de Cler. non resid. in 6. in Clem. ut ii de at. & qual. in Extravag.* 10. *&* 11. *sub Tit. de Præb. in Concil. Trid sess.* 21. *cap.* 3. *& sess.* 24. *cap.* 12. *&* 15. *de Reform.* nempe earum distributionum, quas obtinent, qui solum diurnis, nocturnisque horis, & choro actu intersunt.

Quarta species est quodvis aliud emolumentum, quod dividitur inter eos, qui certis sacris interfuere, hisque actionibus, ut anniversariis, funeribus, aliisque, de quibus *in cap. un. de Cler. non resid. in 6. in cap. fin. de Testam. in cap. ex parte 3. Text. de V. S. in Clem. ut ii de at. & qual. ord.*

prout

prout accipit hanc *Clem. Petrus Gregor. de Benef. cap.* 15. *n.* 9. quem tamen refellit *Moneta de distr. P.* 1. *q.* 4. *n.* 12.

Videamus, post definitionem, quibusnam distributiones, prout ad tertiam speciem attinent, debeantur; hoc enim secundo loco polliciti sumus explicare.

Res ita se habet; debentur illis, qui choro
adstricti sunt, qui personaliter Divinis officiis
intersunt. Sed quosnam hos esse, dicemus? Non
57 quidē debentur Rectoribus Ecclesiarum Parochia
lium, non Capellanis, aut similibus Beneficiatis,
sed tantum Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Clericis, *cap. un. de Cler. non resid. in 6. Clem. ut si de at. & qual. Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 3 *& sess.* 24. *cap.* 12. *§. praeterea.* Et hi sunt Canonici, aliique dignitates, personatus, officia obtinentes, *Clem. ut si de at. & qual. Extrav. nonnulla, §. praeterea de Praeb. cap. licet de Praeb. Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 3. *cap. dilectus de Praeb.* Ceteris quoque Beneficiatis earumdem Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum competere distributiones, palam est ex *d. cap. un. de Cler. non resid. in* 6. ibi: *consuetudinem, quam Canonici, & alii Beneficiati, seu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum distributiones &c. cuncta Clem.* 2. *de at.* prout docet *Barbosa de univers. Jure* L. 3. *cap.* 18. *n.* 25. *Moneta ubi supra P.* 2. *q.* 1. *n.* 15.

Numerus autem Canonicorum quando est praefinitus, ac certus, qui superadduntur, dicuntur
supernumerarii; quibus an competant distribu-
58 tiones, ut innotescat; distinguendum est. Ut Ca-
nonicus supernumerarius jus habeat obtinendi dis-
59 tributiones, vel Pontifex mandabit eum recipi in
60 Canonicum cum plenitudine Juris Canonicalis;
distributiones obtinebit *cap. cum M. Ferrarensis de
const. Barbosa ubi supra n.* 20. Vel Canonici intra nu-
61 merū eum recipiēt, receptio namque ultra numerū
in simplici ventoso nomine consistit; atque adeo
receptio intra numerū consistit in assignatione stal-
62 li, & loci in Capitulo effectusque est obtinere dis-
tributiones, & alia emolumenta ob servitium Eccle-
siae. Textus est, *in cap. relatū de Praeben.* prout ex
hoc Textu docet *Lotther. de re Benef* L. 1. *q.*
29. *n.* 4. 5. & 6. quamquam hic non sit Canonicus
praebendatus, sed simplex, *can. sanctorum, §. om-
nino dist* 70. Nam isthac receptio frangit nume-
rum, nisi aliter se Canonici declarent, ut *Lotherius*
63 *idem n.* 46. & est Textus *in cap. dilecto de Praeb.*
quem ad hoc expendit *Barbosa de un. Iur.* L. 3.
cap. 18. *n.* 25. Nec vero jus impetratum in prae-
dicto casu ob assecutionem Praebendae extinguitur
cap. fin. de concess. Praeb. in 6. Alter receptus
Canonicus distributiones non lucratur.

Clerici ergo Cathedralium, & Collegiatarum
Ecclesiarum sunt illi, quibus distributiones quo-
tidianae debentur; quod extenditur etiam ad coa-
64 diutores datos obtinenti dignitatem, Canonicatum
aut portionem in Cathedrali Ecclesia, huic enim
pro expensis possunt assignari a coadiuto suę dis-
tributiones, earumque capax erit coadiutor,
argum. Textus *in cap. de Rectoribus, de Cler.
agrot. Trid. sess.* 21. *cap.* 6. *de Ref.* prout Moneta
ubi supra *n.* 31. *arguit ex dictis* 1. 2.

Hic nondum finis. Hi Clerici, quibus interesse
diximus ad distributiones, debent interesse Di- 65
vinis officiis, ut distributiones lucrentur. Pri-
vatim dumtaxat canonicas horas recitans, easdem
non acquirit, *cap. un. de Cler. non res. in* 6. *Extrav.*
11. *de Praeb. Trident. sess.* 21. *cap.* 3. & *sess.* 24.
cap. 12. Opera igitur personalis, corporalisque 66
praesentia, illa est, quę *interessentia* dicitur.
Haec exigitur ad jus distributionum, ad diffe-
rentiam fructuum Beneficii. Fructus ad alimoniam
Clericorum sunt instituti, sunt enim vocati in
sortem Domini, neque ad hęc, vel illa onera
sustinenda ob id obligantur; at distributiones,
sunt laboris actu suscepti compensationes, ut
eleganter explicat *Gonzalez in cap.* 7. *de Cler. non
resid. n.* 7.

Aptè hoc loco incidit, ut examinetur quaestio an Canonici psallere in choro teneantur?

Moneta *de distrib. P.* 2. *q.* 2. *n.* 7. certum sibi 67
esse pronunciat, defenditque, non teneri, quod
nullus canon, nulla constitutio, nulla ratio ad
id compellat eosdem, eumque plurimi sequuntur
quos citat *Barbosa L.* 3. *de un. Iure cap.* 18.
n. 80.

Nostra sententia sit; quod cum non interes-
sentes dicantur, qui vel absunt a choro, vel
in choro non canunt, ut loquitur *Barbosa* 16 Ca- 68
nonici a psallendo abstinere non possunt. Audi
nunc, an ullus sit canon id praecipiens.

Probatur assertio ex *can. si quis* 9. *dist.* 92. ubi in Concilio Martini decretum est, deponi a Clero, si quilibet Clericus *ad quotidianum psallendi officium* (& infra) *non convenerit*; ergo ad psallendum omnes convenire debent. Addo Textum *in Clem.* 1. *de celebr. Miss.* ad quod probandum adducit Antoniellus *de jur. & oner. Cler.* L. 2. *p.* 4. §. 2. *cap. ult. n.* 95. clarissimè non minus Concilium *Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* cum supra egisset etiam de Canonicis ait: *omnes vero Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia* (& infra) *atque in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter distinctè, devoteque laudare*, ex quo Textu id probari, notat *Gallemart ibid. cum sexcentis, quos citat.* Rursus *in can.* 130. *Concilii Aquisgran.* 1. *sub Stephano V.* ibi: *a Canonicis in choro religiosissime laudandum, & psallendum.* Huc pertinet *can. Concilii Senon. anni* 1527. ibi: *nemo ibidem cum hora in communi cantantur, legat, vel dicat privatim officium.*

Atque adeo hanc sententiam docuere innumeri apud *Antoniellum ubi supra n.* 92 *apud Gonzales in cap.* 7. *de Cler. non resid. sub. n.* 5. *apud Barbosam* L. 3. *cap.* 18. *de un. Iur. n.* 80. Qui adducit declarationem sacrae Congreg. *sub die* 20. *April. an.* 1602. Et re vera Ceremoniale Episcop. *Clem.* 8. *Lib.* 1. *cap* 5. *de off. mag. cer.* sic ait: *sed nec libros, aut ipsum Breviarium, aut diurnum in manibus habeant, ut ex illis privatim*

horas

horas, *aut orationes recitent*, quod cæremoniale, ad hoc adducit *Garcias de Benef.* 3. *Parte cap.* 2. *n.* 513. *in fin.* De Canonicis S. Petri, teneri ad psallendum, octo Cardinales censuerunt *Pign.* T. 9. *conf.* 95 *n.* 17.

Neque obstat, quod obiicit Diana, Navarrus,
69 Medina, ex *cap. licet de Preb.* ibi: *qui intersint horis canonicis*; Solum hoc sufficere, ait Textus. Cui consonat *Trid. sess.* 24. *cap* 14. & *Textus in cap. un. de Cler. non resid. in.* 6. ergo non obligantur Canonici ad psallendum.

Sed respondetur, interessentes dici, qui in choro sunt, & psallunt. Nisi cantus præsentiam comitetur, presentia non est, notat *Barbosa de universa Jure L.* 3. *cap.* 18. *n.* 80. quidquid contra dicat *Medina in summa L.* 1. *cap.* 14 §. 11.

Illud non inficior, iam ex inveterata consuetudine in Ecclesiis, ubi adsunt Mansionarii, Ca-
70 nonicos non psallere; de qua consuetudine testantur *Moneta de distr. P.* 1. *q.* 2. *n.* 8. *Garcias* 3. *P. de Benef. cap.* 2. *n.* 514. his verbis: *& ita videtur esse consuetudo, & praxis Ecclesiarum*, quam valere etiam post *Trid.* & *Pii Constit.*
71 docet *Barthol. a S. Fausto de bor. can.* L. 3. *q.* 14. *per tot.* Quæ consuetudo fundatur in dignitate Canonicatus. Canonici enim sunt Clerici selec-
72 tiores, quos olim assumebat Episcopus, ut secum in clausura manerent, ex *Toletano Concilio* 2. *cap.* 1. & *Beata Augustino ferm.* 22. *de communi vita Cler.* & *ferm.* 36. *ad Presbyt.* hoc conferunt Textus *in can. fermus*, & *can. qui tua*, & *can. necessaria* 12. *q.* 1. *Cutae. in cap. quoniam de vita & hon. Cler.* Conspicitur honor, & præeminentia Canonicorum, ex eo etiam, quod consiliarii Episcopi sunt, *cap. novit cap. quanto de his, quæ fiunt a Prel.* Pfis tamen Canonici psallunt, notat *Vivian. de Jur. Patr. P.* 3. *L.* 15. *cap.* 3. *n.* 80.

Quamvis autem interessentia sit causa prærequisita ad obtinendas distributiones; accidit tamen interdum, eos quoque distributiones lucrari qui vere præsentes non sunt. Qui nam hi ea sunt?
73 Audi. Quidam quamquam absentes distributiones lucrantur; vel titulo necessitatis, vel utilitatis, vel privilegii.

Titulo necessitatis absentes dicuntur infirmi, & hi easdem lucrantur, *cap. un. de Cler. non*
74 *residen. in* 6. & male Francus hunc Textum accipit in casu, quo sit consuetudo, ut absentes quoque lucrentur easdem, quem confutat, *Pignattell. Tom.* 9. *conf.* 95. *n.* 51. & Sacra Congregatio censuit statutum Capituli, ut infirmi ad
75 eas non admittantur, esse irrationabile, *Pignatt. ibid. n.* 53. locumque habere, etiam jus accrescendi pro ægrotis, censuit Sacra Congreg. apud eumdem Pignatellum *n.* 54. Et ad podagram, ad cæcitatē extēdi dispositionem Textus *in d. cap. un.* censuit Sacra
76 Congregatio apud eumdem Pignattellum, *n.* 58. & 50. quem nec teneri choro interesse sancivit; nec enim horas recitare, aut audire tenetur, ut respondit Sacra Congregatio, apud Pignatellum *n.* 61. *Similiter extendi ad senectutem*, Sacra Congregatio declaravit *ibid. ut ex cap.* 1. §. *verum de Cler. ægrot. in* 6. Ultra hæc, ad titulum necessitatis referri debet injusta in carcerem detrusio, ut censuit Sacra Congreg. apud Pignattellum *ubi supra n.* 68. & tempore interdicti specialis, eas Canonici lucrantur, quod per ipsos non stat *arg. cap.* 2. *de const.* Antoniellus *L.* 2. *part.* 6. *de jur.* & *on Cl.* § 3. *n.* 130.

Titulo utilitatis absens pro præsente censetur.
Finge, abest aliquis Canonicus missus a Capitulo, ut consulat eidem, vel Ecclesiæ; hic eas 77
lucratur, *cap. un. de Cler. non resid. in* 6. *Sacra Congr. Cancellis* 31. *Ian.* 1602. ut si sit procurator Capituli, Sacra Congreg. *rit. in Senon.* 21. *Aug.* 1604. *apud Barbos. ubi supra n.* 53. vel si litiget pro suo Beneficio, S. Congregatio apud Garciam *in ad. ad Tract. de Ben. P.* 3. *cap.* 2. *n.* 48. Sed antinomiam facit Textus *in cap. cum non deceat de el. in* 6. qui ob utilitatem Ecclesiæ absenti deberi, negat distributiones. Variæ fuerunt Interpretum conciliationes. Sed Sacra Congregatio Concilii maturè articulo discusso, intellexit Textum in *cap. cum non deceat* in eo casu, in quo ex consuetudine absentes ob Ecclesiæ utilitatem non percipiunt distributiones, & Congregationis sententiam approbavit Paulus V. ut refert Pignattellus *Tomo* 9. *conf.* 116. *n.* 72. & 73.

Titulo privilegii absentes, pro præsentibus ad hunc effectum, judicandi sunt Auditores Rotæ
Romanæ ex *Const. Clem VII. convenit* Inquisitores hæresum, ex privilegio Paul. III. & Pii V. 79
apud *Rotam de privil Inquis. n.* 420. Collectores spoliorum ex Const. Sixti V. *sub dat.* 8. *Maii* 1590. Canonicus habens Præbendam Theologalem in diebus, quibus legit, ut sanxit Greg. XIII. apud *Barbosam d. L.* 3. *cap.* 18. *n.* 43. Canonicus missus ad visitanda limina Apost. idem Barbosa *n.* 48. Hoc vero Privilegium lucrandi distributiones in absentia concedere non potest Capitulum, ut censuit Sacra Congregatio Episcop. die 20. Maii anno 1586. apud *Pignat. Tomo* 9. *conf.* 116. *n.* 86.

Superest, ut tertium articulum initio hujus dissertationis propositum examinemus: quale sit distributionum dominium.

Ego sic statuo, distributiones acceptas, esse Incra quasi patrimonialia, sunt enim extra fruc- 80
tus Beneficii, & ratione canonice competunt, *cap. dilectus, cap. pro illorum de Preb.* sunt mercedes laborum. Et ideo non est imitarum, ut in fructibus earum dominium, *cap. unico*, §. *qui verò de Cler. non resid. in* 6. *ut ex hoc Textu Barbosa* 81
de univ. Iur. L. 3. *cap.* 17. *n.* 31.

Infertur proinde, de his Clericos liberè posse testari, quamvis Beneficium nullos alios haberet redditus, quam distributiones, Moneta *de dist.* P. 3. *q.* 2. *n.* 12. & *per tot.*

Neque his adversatur I. quod distributiones possint ex fructibus coalescere. Si enim in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis nullæ sint distributiones quotidianæ, mandat *Concil.*

Bbbb *Trid.*

Trid. sess. 25. *de Reform. cap.* 3. tertiam partem fructuum ex Beneficiis Ecclesiæ separari ab Episcopo, & converti in distributiones. Ergo cum fructus Beneficii non sint in libero dominio Clerici, nec etiam distributiones.

Resp. ex doctrina Monetæ *de distr. P.* 3. *q.* 1. *n.* 23. tunc ex Concilii, & Pontificia dispositione, quam exequitur Episcopus, ut delegatus converti fructus in diversam speciem, nec amplius fructuum naturam sortiri; adeoque verum dominium esse penes Clericum, *idem in P.* 1. *q.* 3. *n.* 7.

Neque obstat II. quod objicit *Navarrus in com. nun.* 1. *de Re. n.* 11 nimirum statuta ad unum finem contra illum operari non posse, *cap. fin. de V. S. L. legata, ff. de adim. leg.* Finis, ut proventus comparentur titulo distributionum, fuit, ut Clerici religiosiores essent; ergo non debent inde majorem aucupari licentiam, veluti testandi.

Resp. finem præcepti, non tamen esse in præcepto. *S. Thomas* 1. 2. *q.* 160 *art.* 9. *&* 10. Ulterius etsi permittatur Clericis libertas testandi, tantum abest, ut avertantur a Divinis officiis, quin potius spe præmii distributionum alliciantur; aliter etiam respondet Moneta ubi supra *P.* 3. *q.* 1. *n.* 24.

(*b*) *Ecclesia*.

Clericis decedentibus ab intestato, an, & quomodo, succedat Ecclesia.

Est ne, ut dicimus, Clerico ab intestato decedenti Ecclesiam succedere? Ne dubites, studiose Juris. An non audisti ex Jure Civili, legitimis successoribus deficientibus, fiscum in subsidiũ succedere *L.* 1. §. *Divus ff. de Jure fisci L.* 1. *C. de bonis vacant. L.* 10. - Eodem modo bona Clericorum decedentium absque herede deferuntur Ecclesiæ, *cap.* 1. *de success. ab int. can. quicumque* 12. *q.* 5. *cap. cum tibi de testam. cap.* 2. *de panis, L. si quis Presbyter, Auth. licentiam, C. de Episc. & Cl.* Sed qua ratione deferuntur Ecclesię? Ex conjectura voluntatis Clerici, qui si consanguineis deficientibus testatus esset, hæredem Ecclesiam reliquisset, *cap. cum in officiis de testamentis.* Insuper si uxor succedebat sponso nullis extantibus mariti consanguineis, *L.* 1. *C. unde vir.* an non conveniet, & Ecclesiam sponsam sui Rectoris, illi succedere? Ut argumentatur *Gonzales in cap.* 5. *de success. ab int. n.* 7. Cum vero dicimus, ab intestato in bonis Clericorum succedere Ecclesiam, nullam bona distinguimus; quare non erras, si absolutè dixeris in omnibus bonis defuncti Clerici, Ecclesiam succedere. Ergo ne etiam in patrimonialibus, & quasi patrimonialibus? Rursus dico; in omnibus Ecclesia succedit, *can. quicumque* 12. *q.* 5. *Barbosa de universo Jure L.* 3. *cap.* 17. *n.* 58. *& seq.* Hęc solum distinctio, ne qua sit inter Ecclesiasticos difficultas, præ oculis habeatur. Aut enim Ecclesia, cui fuit adscriptus Clericus defunctus, est Collegiata, seu Conventualis; et eo casu Collegium ipsum, vel Conventus, aut Congregatio succedit, non autem Episcopus, vel successor in Beneficio succedere intelligitur *can. illud* 12 *q.* 2. *cap. relatum Text.* 2. *vers. nomine de testam.* Aut Ecclesia est simplex, & tunc successor in Beneficio illius Ecclesiæ, vel Capellæ solus pro Ecclesia illa succedit. In bonis verò Clerici, qui Beneficium obtinuit absque Ecclesię alicujus, aut Capellæ administratione, Collegium, vel Conventus, aut Congregatio, ad quam ille pertinebat, vel tandem succedet Episcopus, ea deficiente, cap. requisivisti in fine de testamentis. *Barbosa ubi supra L.* 3. *cap.* 17. *n.* 6.

82 (left margin, beside "se Juris"); 83 (left margin, beside "nibus Ecclesia succedit"); 84 (right margin, beside "defunctus")

Attigimus casum huc usque, in quo sine legitimis heredibus decedat Clericus. Sed fingamus decedere ab intestato Clericum, relictis consanguineis; an succedet in fructibus Beneficii Ecclesia. 85

Inspecto Jure communi in fructibus Beneficiis seu aliis redditibus Ecclesiasticis præter distributiones quotidianas, sicut & in bonis ex fructibus acquisitis, non consanguinei succedunt ab intestato, sed Ecclesia. Textus sunt apertissimi *in cap. Episcopi cum duob. seq.* 12. *q.* 1. *& q.* 3. *cap. cum in officiis, & cap. relatum* 2. *Text. de testam. juncto cap. præsenti, § porrò de off. Ordin. in* 6.

Sed hodie consuetudo pluribus in locis invaluit, ut succedant consanguinei, de qua testatur *Zoesius ad Tit. de success. ab intest. n.* 3. *Moneta de distrib. P.* 3. *q.* 3. *Canisius in cap.* 1. *de succes. ab int. n.* 48. *Rojas in Epitom. success. cap.* 34. *n.* 4. *Columna in Tract. de reddit. Eccl.* 3. *Part. cap.* 36. *Molina de Iust. & Jur. Tract.* 2. *disp.* 147. *per tot. Nicholius Inst. Civil. L.* 3. *Tit.* 1. *n.* 74. *Covarruias in cap. cum in officiis n.* 14. *de Testam. Othobonus decis.* 235. 86

Sed disputationis est, an consanguinei etiam ab intestato succedant Clerici in ipsis distributionibus, quando eę adhuc exactę non fuerint tempore obitus; quam theorice etiam examinat, discussis affirmantium, negantiumque argumentis, *Moneta de Distrib. P.* 3. *q.* 3. *a n.* 13. Ipse tamen sententiam sustinet affirmativam. 87

[*i*] *Spoliorum*.

Hodie multis in locis Camera Apostolica spoliorum jure succedit Clericis morientibus ab intestato.

Quale est hoc jus novissimum, quod in nostro Titulo indicavimus? Est jus spoliorum. Pontifex hoc jure sibi reservavit bona Clericorum decedentium ab intestato, voluitque, ad Cameram Apostolicam pertinere. Diximus hoc jus novissimum, prout dicitur a *Nicholio Inst. Civ. L.* 3. *Tit.* 1. *n.* 81. Ceterum Paulus III. in sua Extravaganti edita anno 1552. antiquis temporibus spolia fuisse recepta, commemorat; recentiori tamen Jure plura alia circa spolia fuisse 88

dispoſi-

dispofita, constat ex adnotatione nostra *ad Tit. de vita & hon. Cler. L. 1. n. 25. & seq.* Cui adnotationi non pauca hæc adiicimus.

Quamvis enim ex reservatione ob Jus spolii succedat Camera in bonis relictis a Clericis; attamen ubi etiam jus spolii viget, evenire potest, ut Clericis testandi jus sit. Ecce; in Diœcesibus fieri potest compositio, seu transactio cum Ca-
89 mera Apostolica prout est Pisis *Vivian. de Jure Pat. 1. cap. 1. n. 47.* vi cujus quotannis certa tantum summa Cameræ Apostolicæ solvatur, ne Clerici Diœcesis fobucian tur spolio; tunc verò consanguinei succedunt, sive Beneficia excedant 30. aureos, sive, non; sive fructus sint pendentes, & inexacti, sive iam exacti. Nicholius *Inst. Civil. L. 3. Tit. 1. sub n. 80.* Insuper Cumales, & incolæ almæ Urbis facultatem habent testandi de redditibus, & proventibus quorumcumque Beneficiorum, & si non dispofuerint succedunt consanguinei, modo in Urbe, vel in ejus dis-
90 trictu reperiantur ad 10. milliaria, nec alibi Beneficium habeant personalem requirens residentiam. In his proinde bonis locum non habet jus spolii, adeò ut ne prætextu quidem illicitæ negotiationis, eorum hæredes vexari possint, Julius III. 1549. Pius IV. 1561. Pius V. *Const. litera nostras quam refert Azorius 2. p. L. 8. cap. 2.* Paulus V. *Const. in eminenti* 8. *Aprilis* 1606. Quod tamen privilegium ad Regulares non extenditur, *Bonacc. de var. Tract. disp. 4. punct. 5. n. 2.* Adde ulterius, nec bona Eminent. Cardinalium subiici spolio, quocumque in loco decedant, nisi forte Episcopatum habeant, ibique, dum moriuntur, non resideant, Pius V. *in Const. literas nostras.*

Verum è contra sub spolio cadunt omnes fructus Beneficiorum vacantium, quorum collatio
91 sit Sedi Apostolicæ reservata a die vacationis usque ad provisionem, *Pius IV. in Bulla eadem die 7. Decemb. anno* 1560. *in Bullario cap.* 29. de qua *Leonius in Thesauro P. 3. de spoliis Clericorum cap. 3. n.* 43.

Ceterum notandum est, in Gallia Regem Jure Regaliæ, mortuo Episcopo, sibi vindicare omnia pretiosa mobilia, videlicet mortui Episcopi teamnum, cum inclusis gemmis, & pecuniis, omnia mobilia pretiosa, adeò ut nihil in
92 Episcopali Palatio pro futuro successore super esse debeat, nisi communis supellex, & instrumenta domus, & agrorum, idque vel piorum locorum fundat one, vel antiqua consuetudine, *cap. generali §. fin. de el. in 6. Philippus Prob. de Jure Regaliæ q. 2. n. 4. Arnulphus Ruz de Jure Regaliæ priv. 54. Vanaxel ad Titulum de pecul. Cler. n. 16.* Qualia Jura Regaliæ remiserunt, asseruoique Ecclesiæ Atrebatensi Philippus Rex Galliæ anno 1391. reservata singulis annis procuratione Regibus, quando Atrebati existunt, idem *Vanaxel ubi supra.* Tametsi aliter sit dispositum postea in *cap. generali, §. fin. de el. in 6.* ad quem Textum Glossa in casus positione compilationem libri 6. in Gallia non recipi, pronunciat.

(l) Succedit.

In fructibus pendentibus novus Beneficii Rector succedit.

In illis locis, in quibus Jus spolii non viget Beneficiorum redditus idest fructus tempore obitus Beneficiati, vel pendentes, & a solo nondum separati, vel separati, & adhuc non exacti, ad successorem in Beneficio spectant, *cap. quia sæpe 40. de el. in 6. Julius III. Const. 7.* quam confirmavit Urbanus VIII. *Const. 8. æternus, Rota in una Romana, seu nullius pecuniarum 4. Junii & 19. Novemb.* 1503. *coram Pania; late Ventriglia Tomo 2. ann. 16. §. 2. n. 32. Matta in add. redditum Eccl. n.* 34. 93

(m) Confusa.

Dum non constat, quæ bona ex fructibus, quæ ex patrimonialibus provenerint, quid faciendum in retentione?

Dum adeo confusa sunt, omnia Clerici bona, ut quid patrimoniale, vel ab Ecclesia sit, secerni non possit, diximus, quæ divisio facienda sit ex Sanig, & Corvini sententia, simulque diximus, Barbosam ab hac sententia dissentire. Ait igitur Sanig, & Corv. in dubio, an peculium relictum a Clerico sit de bonis Ecclesiæ, an verò potius aliundè quæsitum, pro Ecclesia esse præsumendum, *can. quicumque in fine 12. q. 3. Matta de Jurisd. P. 4. casu 24. n. 10.* Quod si Clericus aliquid propi um obtinebat ignoretur autem de quibus rebus in specie, vel cujus quantitatis sit peculium quæsitum, quod in morte ipsius reperitur, erit inter Ecclesiam, & heredem defuncti dividendum, *can. 1. in fin. 12. q. 4. arg. cap. sancto, & ibi Hostiens. de success. ab int.* 94

Ceterum ad ambiguitates tollendas Beneficiarius præsertim Episcopus teneretur inventarium facere, in quo res adnotentur, quæ patrimonio comparaverit, *can. Syracusana 13. dist. 28 can. manifesta eum seq. 12. q. 1. & can. 1. 12. q. 3. Nicholius L. 3. Inst. civ. Tit. 1. sub n. 81. Barbosa de un. Iur. L. 3. cap. 17. n.* 53.

Quod si non fecerit, præsumitur in dubio, quod omnia fuerint intuitu Ecclesiæ comparata, quemadmodum de hærede non conficiente inventarium probatur *ex Textu in §. sancimus vers. patet Auth. de har. & falc. videatur Text. in cap. 1. de pecul. Cler. Nicholius L. 3. Tit. 1. inst. Civ. sub. n.* 81.

Videatur Lælius Mancinus de his fructibus inter successorem, & Beneficiarii hæredes dividendis, *Dissertatione* 20. ubi hinc, indè rem examinat.

DE PRÆBENDIS,

ET ALIIS BENEFICIIS

TITULUS. XXXI.



UM de ordine follicitus. Hunc magis videntur fervare, qui propriam faciunt Libri fecundi Beneficiorum materiam. Dicam libere. Inexpectatum argumentum eft Prębendarum Tractatus, cum agitur de Perfonis: aptius hoc loco, & tempore.

Prębenda fic dicta quafi prius habenda, quam aliquis ordinetur, eft jus percipiendi redditus Ecclefiafticos ratione Divini officii, cui Clericus infiftit. Voca eam Beneficium, voca titulum, voca canoniam, non repugno; dummodò illud teneas, Præbendam dici Beneficium, quod gratis datur; non ob pecuniam; Item vocari titulum, prout *in cap. Epifcopus IV. de Præb. in cap. 3. de Cler. conjug.* quod cum nemo olim ordinaretur, nifi Ecclefiæ, cui deferviret, adfcriberetur, *can. Epifcopi* 80. *dift.* atque inde in fui laboris compenfationem ftipem haberet ad victum neceffariam, Ecclefia, titulus, ipfaque ordinati Clerici adfcriptio, vocabatur intitulatio (*a*) Tandem etiam appellari canoniam, & in Jure confundi *canoniam*, ac *Prębendam*, notat Lęlius Mancinus *Diff. V. cap. Tripl. Jur. dij.* quod cum canonica portio in eos tantum divideretur, qui ex ordine Canonicorum effent, reliquis autem infra hunc ordinem Clericis aliquid ex piorum oblationibus, prout quifque meruiffet, nulla certa lege indulgeretur; poft quam erecta fuerunt Beneficia, cum pariter inter Clericos omnes, quafi Regularis quædam, atque ordinata fructuum portio diftribuatur, meritò canonię voce portio fructum, quæ Præbenda dicitur, indicatur; *Mancinus ubi fupra n.* 8. Propriè tamèn canonia eft jus habendi fedem in choro ad canendum, & vocem in Capitulo, proveniens ex electione, feu receptione in fratrem, *cap. in Genefi, cum Gloffa, de elect.* imo canonia per fe Beneficium non eft, *cap. fin.* §. *in illis de conc. Præb. in 6. can. in noftra* 34. *de refcript. Cujacius ad hunc Tit. in Rubr.* Vides, quo fenfu in idem recidant hęc nomina.

Cupio, omnia perfectè, atque a fuis initiis intelligi. Iam ergo de origine Beneficiorum; tum de variis eorumdem fpeciebus erit fermo. Ut de origine primum loquar, translato Sacerdotio in fidem Chrifti, Hierofolymis Chriftiani omnes, tum Clerici, tum laici communem agebant vitam, afferebantque finguli rerum, quas fpontè vendidiffent, ad Apoftolos pretia, ad publicam difpenfationem, *can. dulciffimis*, *can. fcimus* 12.

q. 1. At

q. 1. At excreſſente in horas, ac momenta Chriſtianorum numerò, laici patrimonia ſibi habere cęperunt, & apud ſolos Clericos communis vitæ ratio conſtitit. Sed et Clericis ſenſim communem convictum deſerentibus, cæperunt Epiſcopi ex piorum hominum oblationibus, & aliis Eccleſiæ bonis quadripertitam ferè portionem facere, quam poſtea S. Simplicius anno Chriſti 467. ubique ſervari voluit; quippe unam Epiſcopo alteram fabricę, tertiam Clericis, quartam pauperibus aſſignatam, voluit, *can. un.* 13. *q.* 1. Interim igitur Clerici ab Epiſcopo portionem accipiebant certis temporibus, *can. Præſulum* 16. *q.* 3. Tandem hęc quadripertita diviſio ceſſavit; nam portio pauperibus aſſignata Epiſcopis tributa eſt, cum onere ſubveniendi pauperibus; et portio Clericis impertiri ſolita ab Epiſcopis, fuit illis in titulum Beneficii aſſignata, ut ſcilicet jus ad fructus haberent perpetuum, ratione ſpiritualis officii; primumque poſita Benefici vox in Concilio Moguntino, relato *in cap.* 1. *de Eccl. ædif.* Hæc primęva origo Beneficiorum auctorem primum Silveſtrum habuiſſe, cenſet Mancinus *diſſ.* 5. *cap.* 4. *n.* 11. Alii circa annum 813. contigiſſe hanc Beneficiorum formam, arbitrantur, *Marſil. de Eccl. Red. orig. p.* 1. *cap.* 8.

At dum agitur de erigendis Beneficiis, ex bonis pia fidelium diſpoſitione relictis, ut in dies contingit; eorum auctor, & cauſa efficiens, aut Pontifex, aut Epiſcopus erit in ſua Diæceſi, interdum quoque Capitulum. Pontifex majora erigit Beneficia, (*b*) ut Epiſcopatus, *cap. ſicut unire* 8. *de exceſſ. Prælat. cap. quod translationem* 4. *de off. leg.* Cathedrales ac Collegiatas Eccleſias inſignes, aut non inſignes, itemque novas dignitates inuſitatas ibidem (*c*) conſtituit, Rectorem Eccleſię Parochialis amovibilem perpetuum efficere poteſt, mutando conditiones in limine fundationis adiectas; (*d*] ex regularibus Beneficiis ſæcularia facit, *can. quę ſemel* 19. *q.* 3. Canonicatum ſupernumerarium creat, *cap. dilecta* 25 *de Pręb.* in locis exemptis alia Beneficia dat, [*d*) *cap. auctoritate* 4. *de Privil. in* 6. Epiſcopus [*e*) in ſua Diæceſi minora omnia Beneficia erigit, *can. nemo* 9. *de conſ. diſt.* 1. Ex ſęculari regularem facit [*f*) *can. ad audientiam de Eccl. ęd.* non contra *d. can. quæ ſemel.* Dignitates uſitatas in aliis, & in ſua Eccleſia creat, *cap. cum olim* 6. *de conſ.* Capitulum tantum Præbendam in ſpecie dictam creat. & ſuppreſſam dignitatem reſtaurat, *cap. cum acceſſiſſent* 8. *de conſt. cap. dilectus* 19. *de Pręb.* Interim igitur, ſi talis auctoritas deficiat, ex qua in titulum pia donatio erigatur, res eſt in pendenti, [*g*] nec aliquod Jus Patronatus quæritur fundatori.

Erecta verò Beneficia in varias diſtribuuntur ſpecies. Summa diviſio hæc eſt, quod alia ſunt ſæcularia, alia regularia. Ad ſęcularia non datur niſi ſæcularibus Clericis [*h*] acceſſus; regularia Regularibus (*i*) conferuntur, *cap. cum ſingula de Præb. in* 6. *Clem.* 1. *de elect.* Rurſus alia ſunt ſimplicia, [*l*) quibus non eſt annexa adminiſtratio, vel Clerus, vel popu-

lus: et

lus: et alia duplicia, quibus aliquid horum annexum est, quæ & curata vocat *Garcias P.* 1. *de Benef. cap.* 6. *n.* 3. Ideoque Beneficium duplex, aut habet simplicem curam [*m*) animarum, & jurisdictionem administrandi Sacramenta, aut dignitatem annexam, aut officium, aut personatum. Ad dignitatem refertur Episcopatus, Cardinalatus, [*n*) Abbatiæ, Decanatus, Præposituræ, Archidiaconatus, Archipresbyteratus. Officio inhæret administratio sine ulla jurisdictione; hujuscemodi sunt Canonicatus, (*o*) Præbenda [*p*) Theologalis, Thesaurarii, Custodis, sive Sacristę inferioris officium, atque Oeconomi. (*p*) Personatui cohæret præeminentia supra Clerum sine jurisdictione, ut in Pręcentore, Primicerio, Sacrista primario. Ex his autem, quædam dicuntur Consistorialia, [*q*] quæ in Consistorio nimirum conferuntur, *de Luca discurs. V. Rel. Rom. Curiæ*. Ultra hæc quædam Beneficia manualia vocantur, quædam de mensa. Manualia (*r*) sunt Beneficia regularia, & præceptoriæ, & Commendæ Militarium Ordinum. De mensa, nempe cum ad mensam [*s*) Episcopi spectat aliqua Parochia, eamque confert non in titulum, sed ad simplicem administrationem, *Clem.* 1. *de suppl. negl. Prał.* Præterea, quædam dicuntur Beneficia affecta. (*t*] Affectionem inducunt commenda, *cap. ut nostrum de appell.* ut si Pontifex det alicui facultatem detinendi Beneficium in commendam, quod in titulum obtinebat. Item hanc inducit mandatum factum electoribus, ne ad electionem procedant, *cap. si eo tempore de elect. in* 6. Item Beneficii privatio facta Pontificis auctoritate, nec non etiam si de Beneficio vacaturo provideat Pontifex. Hic nondum divisionum finis. Quoddam aliud Beneficium Præstimoniale [*u*) dicitur, constans ex portionibus abstractis ab Ecclesiasticis redditibus, de quo *in cap. ult. de conceff. Preb. in* 6. *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 9. Quoddam aliud monoculare, cujus scilicet singularis collatio est, & extra consuetum modum. Tandem quoddam est Beneficium, seu Pręb enda honoraria, quæ Principibus aliquandò concessa, invenitur. Itaque Hispaniarum Rex hanc habet in Ecclesia Legionensi, *Lobera in histor. Legion. pag.* 12 Rex Galliæ Canonicus est honorarius in Pictavensi, & Cenomanensi Ecclesia, *Chopinus L.* 2. *de sacr. Polit. Tit.* 5. & Cæsar, secuta Romę Imperiali consecratione solemniter installatur in Canonicum S. Petri, & S. Pontifici vices Subdiaconi ministrat, *Durandus in Rat. L.* 2. *Tit.* 8.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit intitulatio.*
2 *Olim erat adscriptio ordinati certæ Ecclesiæ.*
3 *Ratio, ut subsidia ex oblationibus perciperet.*
4 *Id subsidium sportula dicebatur.*
5 *Loco sportulę sub Simmaco prædia Clericis assignata, & aliqua inducta Beneficiorum species.*
6 *Olim Ecclesiæ dicebantur tituli.*
7 *Quando nam cessaverit intitulatio.*

8 *Nunc*

84 *Epis-*

174 *Agi-*

274 *Agitur de Beneficiis præstimonialibus.*
275 *Disputatur, an præstimonium sit Beneficium.*
276 *Cum distinctione conclusio proponitur.*
277 *Oppositioni respondetur.*
278 *In Hispania præstimonium habet annexum obsequium spirituale.*
260 *Agitur de Beneficio monoculari.*
189 *Exemplum Beneficii monocularis.*
281 *An Beneficium monoculare comprehendatur in regula 8. mensium Apostolicarum.*

EXPLICATIONES.

(a) *Intitulatio.*

De intitulatione, quid olim esset? quid Clerici sportulantes? quid iam sit ordinari ad titulum.

1 In præludiis utilissimi Tractatus de Beneficiis, inter cetera hoc dicimus in nostro Titulo, Beneficium vocari *titulum*, ut monet etiam Lotherius *de re Beneficiaria* L. 1. q. 2. n. 5. Diverso modo olim quis ad *titulum* ordinatus dicebatur, diverso modo his temporibus. Utrumque iam explico.

Prisco canonum Jure *titulus* erat locus tributus Clerico in Ecclesia, cui adscribebatur in ipsius
2 ordinatione. Non licebat Episcopo quemquam ordinare, nisi protinus eumdem certæ Ecclesiæ manciparet cum alicujus assignatione ministerii, *can. 1. dist. 79. can. Episcopi dist. 80.*

Ratio hujus adscriptionis traditur *in cap. Epis-*
3 *copus 4. de Præb. & dign.* ibi. *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vita percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, &c.* Indicat hic Textus, eam fuisse rationem talis adscriptionis, quo Clericus in compensationem sui muneris stipem perciperet ad victum necessariam, *cap. cum secundum de Præb prout ex hoc Textu Lotherius ubi supra*. Ea verò quota ad victum sportula dicebatur, & Clerici spor-
4 tulantes, *D. Cyprianus epist. 34. & epist. 67.* adducta a Baronio *in anno 57. sub n. 70. & a Spondano in epitome n. 22. a Cujacio in Rubr. de Præb.* ejusque sportulæ vice successerunt sub Simmaco anno 502. prædiorum temporales assigna-
5 tiones; nam sub Consulatu Probi, data reperitur epistola ad Cæsarium Episcopum Arelatensem, qui more majorum eumdem summum Præsulem de nonnullis consuluerat, prout ex epistola ad illum exarata notum fit; atque imprimis illud, ne possessiones Ecclesię distrahantur, nisi forte Clericis, vel Monasteriis, aut peregrinis concedantur ad tempus, reversuræ eædem postea ad Ecclesiam. Ex quibus monet Spondanus anno 502 *n. 6.* tum primum inductam aliquam Beneficiorum speciem fuisse.

Mirum autem non sit si talis Ecclesię deputatio titulus, & intitulatio diceretur; nam ut diximus hoc Lib. Tit. 20. n. 97. Ecclesiæ ipsæ tituli dicebantur; nam veluti signum aliquod,
6 seu nota rebus fiscalibus apponebatur *Novell. 28. cap. 3. Auth. de Prætore Paphlagoniæ cap. 4. Auth. de Prætons. Cappad. §. 8. in fine L. 1. cod. Theodos. de Incorpor.* Ita in ædibus, in quibus fideles Synaxes agere consueverunt, Crucis signum nota erat, ac titulus, *L. decernimus, C. de Episc. & Clericis can. 1. can. nemo de cons. dist. 1.* Inde in Concilio *Brachar. 1. can. 32.* ibi: *Præsbyteri, qui in titulis consecrantur*; *Concilium Meldense can. 11 L. 1. feud. Tit. 6.* Inde titulus pro Ecclesia sumitur *in cap. dilectus de Capell. Mon.*

Sed his temporibus aliud sonat *ordinari ad titulum*. Sonat ordinari cum jure percipiendi pro- 7
ventus ex prædiis, & possessionibus Ecclesiæ; invaluitque hęc appellationis diversitas, varias ob causas. Primo quia Textus intitulationem præcisæ Ecclesiæ pręceptam *in can. 2. 70. distinct.* utpote Concilii Orientalis Calcedonensis, malè fuit translatus ex Greco in Latinum, & pro illis verbis: *nisi propriè in Ecclesia Civitatis, vel pagi* reposita sunt illa. *in Ecclesia Civitatis, vel possessionis*, & ex verbo *possessionis* significari, constat, *fundum, prædium, L. interdum 78. ff. de V. S.* facilèque hic error ut in Legem transierit, notat *Cujacius ad L. 11. Pauli ad Edictum in L. eum mandato 23. ff. de min.* Secundo, quia irrumpentibus in aliena stipendia alienis, & plerumque indignis, opus fuit propriis Clericis providere, cum omnibus non sufficerent Ecclesiæ & ideo necessitas ad titulum ordinandi cessavit et indultum, ut etiam ad patrimonium ordinaretur, *cap. Episcopus, cap. tuis de Præb Lotherius de re Benef. L. 1. q. 2. n. 21.* Quare his temporibus dicimus alio sensu, quam antiquitus *ordinare ad titulum Beneficii, ad titulum pa-* 8
trimonii.

(b) *Beneficia.*

DISSERTATIO I.

In qua agitur de erectione Cathedralium, & Collegiatarum, & quæ sint Collegiatæ, insignes nempe, vel non insignes.

Illustrabo hac dissertatione, quæ breviter, ac strictim de erectione Episcopatus, & Cathedralium, & Collegiatarum insignium, & non insignium, ad servandam legem proponentium prima Juris rudimenta, tradenda fuerunt in nostro Titulo. Addam plurima; sed omnia ad suum scopum collimabunt.

Opto primum integre, perfectèque intelligi principium traditum de Episcopatuum erectione. Episcopatum solus Pontifex erigere potest. Auc- 9

toritates canonum adduxi: illud addo, summa ratione Episcopatuum erectionem solius esse Pontificis; nam ejus potestas eminentior est ceteris *Extrav: unam sanctam de major. & ob.* & supra ipsas Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, *Extrav. & si temporalium de Prebend. Extrav. Sancta Romana de el. Extrav. ex debito de el. Extravag. ad regimen. de Preb.* Et hæc erectio est de causis majoribus.

Ergo solum Pontificem Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus erexi e, in comperto est Ut vetera exempla omittam, a Paulo III. dicitur Patriarchatus erectus in Indiis,
10 *teste Matta de caus. Consistor. sect.* 1 *n.* 23. Atque ad novi Patriarchatus erectionem, docendum est, de sufficienti Archiepiscoporum numero, qui saltem decem esse deberent, cum tot requirantur Ecclesiæ ad Archiepiscopatum erigendum, *can. sestote. 6. q.* 3. de congruenti dote tam pro Ecclesia, quam pro ipso Patriarcha, dignitatibus, Capitulo, & ministris; docendum de amplitudine, honore, positu, opulentia Civitatis, nobilitate, splendore Cleri tam secularis, quam regularis, ad tradita per Mattam *ubi supra n.* 23.

11 Insuper Metropolitana Ecclesia, constitui a solo Pontifice debet. Pius II Senensem Ecclesiam in Metropolitanam erexit, eidemque Suanensem Clusianam, & Grossetanam Ecclesiam, quæ priùs ad Romanam Provinciam pertinebant suffraganeas constituit, *Const.* 3. *in Bullar. nov. Tom* 1. Gregorius XIII. Bononiensem Ecclesiam erexit in Archiepiscopalem eidemque suffraganeas constituit Placentinam, Parmensem Regiensem, Mutinensem, Immolensem, Cerviensem, & Cremonses Ecclesias, a Metropolitanis Mediolanensi, & Ravennatensi dismembratas, *ut est ejus Const.* 20. *in Bull. nov. Tomo* 2. quę tamen Immolen. & Cervienf. Archiepiscopo Ravennatensi restitutæ fuerunt a Clem VIII. *in ejus Constit.* 116. *Bull. nov. Tomo* 3. Haud aliter Sixtus V. ad decorandam Firmianam Ecclesiam eamdem in Metropolitanam erexit, eidemque Maceratensem, quæ priùs nulli suffragabatur; Tolentinam Montis alti, & S. Severini Ecclesias a se priùs in Cathedrales erectas, suffraganeas assignavit, prout ex ejus *Constitutione* 95. *Bull. Tomo* 2. Et Gregorius XV. Parisiensem Ecclesiam in Archiepiscopalem erexit Carnotensi Aurelianensi, & Meldensi Ecclesiis, quæ erant Archiepiscopatui Senonensis suffraganeæ, Parisiensi attributis. Martinus V. absoluto Concilio Constantien. Romam rediens, ex itinere cum Florentiam divertisset, ibique splendidè, ac magnificè fuisset
12 exceptus, admiratus urbis splendorem Cathedra Archiepiscopali Ecclesiam, quæ Episcopalis fuit a temporibus Melchiadis, decoravit die v. Maii anno 1410.

Episcopatuum erectio eadem ratione ad supremum Præsulem pertinet. Cathedrales erigit Pontifex vel in locis nuper ad Catholicam fidem conversis, *cap.* 1. *de V. S. in* 6. prout in Indiis, refert, *Solorzanus de Jur Ind. Tomo* 2. *L.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. erectas fuisse sex Metropolitanas, 13
eisdemque adjectas triginta duas suffraganeas Ecclesias, quæ ducentas dignitates, trecentos, & 80 Canonicatus, totidemque Portionarios, Parochias plures cum aliis minoribus Ecclesiis, quæ septuaginta millium numerum excedere, perhibentur. Vel erigit in locis jam olim Catholicis, sed nullius Diœcesis exemptis, & nullius Episcopatus jura tangendo, quemadmodum Sixtus V. in Civitatem erexit insigne Laureti Oppidum, ejusque Ecclesiam Collegiatam, & exemptam in Cathedralem, ut in ejus *Const.* 24. *Bullar. nov. Tom.* 2. Si erigatur nova Cathedralis 14
in loco nullius Diœcesis & prorsus exempto in quem viciniori Episcopo nullum jus competat, solum pro causa id exponitur fidelium pietatis augmentum, Sixtus V. *Const.* 24. *& infertur ex cap. ex parte de const.* Quod si vicinior Episcopus, sibi ius esse aliquod, contenderet, & justè contenderet, ejus consensus requireretur, ex *regula* 14, *quod nostrum de Reg. Jur in* 6. Hinc factum, ut Oppidum *Altamura*, tametsi quinquies causa in sacra rerum Consistorialium Congregatione proposita fuisset, obtinere non potuit erectionem Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem *Matta de caus. Consist. sect.* 3. *n* 14. Dos insu 15
per assignari debet Episcopo saltem mille aureorum ex Concilio *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 13. *Matta ubi supra sect.* 4. *n* 8. nec minor esse debet, ad imprimendam in animis populorum Episcopalis dignitatis celsitudinem. Et quia Episcopo solemniter celebranti non minus 20. personis opus est; ideò ultra mensam personis hisce, ac ministris centum aurei erunt assignandi 16
pro prima dignitate, octoginta pro Canonicis, ducen a pro quatuor mansionariis, sexaginta pro duobus Sacristis, & alia sexagi ita ad fabricam Ecclesię, & sacristiæ, prout *Matta de Consist. caus. sect.* 4. *n.* 18. *& seq.* In erectione verò novarum Cathedralium, quando fit ad Regum, & Principum postulationem ipsis pro dote redditus vectigalium, & proventuum fiscalium assignare consueverunt, de qua re *idem Matta n.* 34. qui, id sibi displicere, non veretur pronunciare.

Venio ad Collegiatarum Ecclesiarum erectiones. Quod Ecclesia sit Collegiata, solum efficit privilegium Apostolicum *can. omnes* 22 *dist.* Neque audiendi sunt, qui censent, Episcopum quoque posse erigere Collegiatam ex Texto *in* 17
cap. quoniam de vita, & hon. Cler. & ibi Butrius, Panormitanus, Imola, ibi enim Gregorius IX. dat Episcopo facultatem, ut possit cer- 18
tum numerum Clericorum in Ecclesiis imponere, & statuere, ut bona eorum veniant in communione. At quid est collegium nisi plurium in unum corpus collectio? *Varro L.* 5. *de ling. Lat. L. collegarum* 173. *ff. de V. S. L. Narratius* 85. *ff. eod.*

Interpretatio vera, ac genuina talis Textus ea est, ut universi Episcopi, tam Occidentales, quam Orientales ex Gregorii mandato in-

diceret

dicerent Clericis propriæ Ecclesiæ, ut intra claustra in communi dormitorio, ac refectorio viverent, ut illis sæculis moris erat, *can. summus, can. qui tua, can. necessaria* 12. q. 1. Gonzal. ad hunc Text. *Loth. de re Benef.* L. 1. q. 14. n. 46. Quapropter non attingit casum erectionis Ecclesiæ in Collegiatam; nam cum Collegiata Ecclesia sit dignitas, eo quod jus prælationis circa administrationem tam spiritualium quam temporalium est in ipso Capitulo, idest canonicis, *cap. novit, de his, quæ fiunt a Prel. Lotherius ubi supra n.* 83 *& seq.* Episcopus dignitatem erigere non potest, *can. omnes dist.* 22. Et fieri non posse Episcopali auctoritate Collegiatæ erectionem, declaravit *sacra Congregatio super Concilio in una Conversana* 27. Junii 1626. *apud Lother.* L. 1. q. 14. n. 48.

Duplex Collegiata Ecclesia, alia insignis, alia non insignis, ut supponitur in *Clem. gravis de sent. excom. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de Ref.*

19 Insignis illa est, quæ habet has qualitates. I. ut sit matrix Ecclesia. II. ut sit in nobili, & celebri loco. III. ut sit antiqua. IV. ut præcedat aliis. V. ut structura ædificiorum sit conspicua. VI. ut sit in ea Præpositus, decem Canonici, quindecim Cappellani, Curatus, Sacrista, & duo Clerici. VII. ut sit multitudo fidelium ad eam confluentium, ut optime declarat *Corradus in Praxi Benef.* L. 1. *cap.* 1. n. 27. Ergo in diiudicatione hujusmodi insignitatis attenditur loci qualitas, prout decisum fuit a sacra Rituum Congregatione *in una Collegiata Ecclesiæ S. Pauli Civitatis novæ Firmana* Diœcesis apud *Barbosam in Collect. ad cap. ult. de V. S.* n. 3. Et nil magis pro firmando arbitrio Judicis valet, ut ju-

20 dicet, Collegiatam insignem, quam si ad eam frequens populus confluere assueverit, quo sensu locum insignem judicat Textus *in Clem.* gravis *ubi Vital.* n. 56. *de sent. excom. & notat Lotherius* L. 1. q. 15. n. 9. *de re Benef.* Atque etiam si fit Canonicorum numerus non exiguus, quem Canonicorum numerum necessarium esse ad Collegiatam Ecclesiam, diximus, atque hanc observationem proponit Corradus *in Praxi Benef.* L. 2. *cap.* 1. n. 22.

Contra, non insignem esse Collegiatam, pro-

21 batur ex numero Canonicorum exiguo, ex modicis redditibus, ex qualitate servitii, ex depositionibus testium, notat *Barbosa de un. Jure* L. 2. *cap.* 6. n. 15. Qui notat, id non esse a Jure decisum, decretumque, quæ nam insignis, aut non insignis Collegiata dicatur.

22 Ceterum id noscere ad præeminentiam permagni interest. Nam Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit aliis Collegiatis, quamvis etiam antiquioribus, ut censuit sacra Rituum Congreg. *in una Firmina* 24. *Martii* 1612. *apud Barb. ubi supra n.* 16.

Collegiatarum insignium exempla sunt Florentiæ Ecclesia D. Laurentii Mediceæ pietatis ac munificentiæ exemplum illustre, ac gloriosum. In Regno Siciliæ Collegiata Oppidi, quod Civitas nuncupatur. Et Clem. VIII. Ecclesiam S. Mariæ sanitatis in Oppido Summæ 23 Nolan. Diœcesis erexit in Collegiatam. In Municipio Emporii Florentinæ Diœcesis extat Collegiata pariter insignis. Alia exempla hujus generis sunt apud *Corradum ubi supra*.

Notetur, omnem Cathedralem Ecclesiam esse etiam Collegiatam, *cap. novit de his, quæ fiunt*, *Rota P.* 12. *recent. decis.* 143. n. 37.

(c) *Ibidem.* 24

DISSERTATIO II.

An novas dignitates in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis constituere spectet ad solum Pontificem?

Fas sit dicere. Dum soli antiqui Interpretes manibus teruntur, non omnium rerum notitia comparatur. Siquæ usui esse possint etiam ex Pragmaticis arripienda, Multa, præsertim in re Beneficiaria, aut reservationibus, aut stylo Curiæ Romanæ innovata. Ne longius faciam, id elucet in hoc articulo de novis erigendis dignitatibus.

Si vacat, ne grave tibi videatur oculos defigere *in Butrium, Zabarellam, Abbatem in cap. cum olim de consuet.* Hi affirmant, inconsulto R. Pontifice novam posse Episcopum erigere dignitatem. An id credendum? inquies credendum planè. Nam Episcopus Castrimaris in sua Cathedrali plures erexisse dignitates perhibetur, ad tradita per Zerolam *in Praxi Episcop. verbo Beneficium* P. 1. p. 24. Credendum insuper, ex Textu in *cap. cum olim de consuetudine* ubi Londoniensis Episcopus Præcentorem in sua Ecclesia constituit, nec Pontifex repugnavit, cui scripserat ad cautelam.

Ceterum id teneas tamquam certum in Jure, & praxi Romanæ Curiæ confirmatum, erectio- 25 nem novarum dignitatum frustrà absque Pontificis auctoritate fieri.

Primoquia Textus *in can. omnes dist.* 22. *Omnes* ait, *sive Patriarchæ cujuslibet apices, sive Metropoleon Primatuum, & Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia*.

Secundo quia cum hujusmodi erectiones sint frequentes in Curia, multoties in ipsa Dataria tales novarum dignitatum erectiones ab Episcopis factæ omninò fuerunt rejectæ, nec confirmatæ a Pontifice, nisi prius erectionis negotio 26 maturè discusso in sacra Congregatione sive Concilii, sive Episcoporum, ubi tales discutiuntur erectionum causæ, *Corradus in Praxi* L. 2. *cap.* 2. n. 35. *& seq.* addens insuper, non attendi in Curia Rom. distinctionem *Barbosæ de Potest. Epis. add. ad all.* 68. n. 8.

Neque obstant contraria. Ad Zerolæ exemplum respondet Corradus ubi supra, supponen- 27 dum esse, tales erectiones a Sede Apostolica confirmatas; nam Jura hanc facultatem Episcopo

non tribuunt, nec praxis id suadet; nec observantia, quæ est Legum interpres, L. *si de interpretatione*, *ff. de Leg. L. item si L. sed.* & *Julian.* §. *perinde*, *ff. ad Maced.*

Ad Textum in *cap. cum olim de conf.* dicimus potius probari ex eo Textu, novas dignitates erigere extraneum esse ab Episcopali auctoritate.

Nec ulterius obstat *epistola* 70. L. 2 *Regestri* 14. ibi: *Cum præter decem, & 8. Præbendas, quæ in Ecclesia tua esse nascuntur, duas de novo de redditibus mensæ tuæ creare disponas, & de tuorum Canonicorum assensu statuere, ut 10. Canonicorum numero Ecclesia tua sit contenta* (& infra) *constituas, quod animarum saluti, & ejusdem Ecclesiæ utilitati, videris, expedire.*

R sp. ex hoc Textu solum probari, novos Canonicatus Episcopum erigere posse, quod ultrò concedimus, id enim Episcopo permittitur, etiam absque Sedis Apostolicæ licentia, *cap. cum M. Ferrariensis de const. Corradus in Praxi Ben. L.* 2. *cap.* 3. *n.* 61. omnia enim Episcopo concessa intelliguntur, quæ ei non sunt expressè a Jure prohibita, *can. Lex* 27. *q.* 2. *cap. nuper* §. *in secundo de sent. excom.* Et ita sacra Congregatio censuit 25. Febr. 1617. *apud Barbosam in coll. ad Bull. verbo Canonicus*, *pag.* 05 declarationis verba sunt. *Canonicatuum erectionem ab Episcopo*

28 *fieri posse*, &c. Quare cognoscitur, quam perperam adducatur dicta epistola 70. a Gonzales *in cap. cum olim de const.* ad probandum, ad cautelam requiri consensum Pontificis in erectione dignitatum.

Duo notentur prius, quam hinc recedamus. Primo posse Episcopum de consensu Capituli

29 dignitates antiquas restaurare, *Lottherius*, L. 1. *q.* 5. *n.* 16. aut, quæ Juris sint, posse erigere Lal *Mantinus cus differt.* 9. *n.* 4.

30 Secundo ad Pontificem tantum spectare Canonicatuum erectionem quando Pontifex Ecclesiam erigit in Collegiatam, *Corradus L.* 2. *cap.* 3. *in Praxi Benef. n.* 61.

[d] *Adiectas.*

An Rectorem Ecclesiæ Parochialis amovibilem, perpetuum facere spectet ad solam Apostolicam Sedem.

Quasi divinarem, cum primum quis viderit hujus adnotationis titulum, nos errore lapsos,

31 suspicabitur. Rector Parochialis amovibilis? Ubinam hic Parochus amovibilis? Si Parochiæ in perpetuum conferri debent, expresso Textu in *cap.* 1. *de Capellis Monachorum in* 6. ibi: *cum debeant esse perpetuæ.* Non enim Beneficia dantur

32 ad tempus, *can. Sanctorum dist.* 70. quia sicut Matrimonium carnale non contrahitur ad tempus, *cap. fin. de cond. appos. cap. actus de Reg. Jur. in* 6. sic nec spirituale inter Parochum, & Ecclesiam, & sic fuit declaratum per sacram Congreg. Concilii super sess. 24. cap. 13. de Refor. ut testatur *Gonz. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 6.

Nihilominus nec muto dictum, nec retracto, Potest Rector Ecclesiæ Parochialis esse interdum amovibilis. Potest id contingere ex fundatione, statuto, aut consuetudine, *Corradus in Praxi* 33 *Benef.* L. 2. *cap.* 1. *n.* 1. & 2. Præterea an non ex præscripto legis adiectæ in limine fundationis cura potest esse penes Monasterium, & mandari, ut exerceatur per aliquem ex Regularibus sobiectis amovibiliter, & ad nutum? Notar Lotherius *de re Benef. L.* 1. *q.* 33. *n.* 90 & 96. Jure ergo singulari id potest induci, & est præscriptibile spatio 40. annorum *cap. cum de Benefi io de Preb in.* 6. *Rata apud Seraph decis* 050. *n.* 2.

Et in Hispania, & Italia sunt plures Collegiatæ, & Parochiales Ecclesiæ, quæ reguntur per omnes de Collegio singulis hebdomadis, 34 *Murga de Benef. quæst.* 2. §. 2. *n.* 351. *qui varias adducit decisiones*. Et cum fuisset Parochialis Ecclesia annexa Monasterio Ordinis Premonstratensis, emanavit decisio apud eumdem *Murgam n.* 336. quaque indulgetur Monachis eligere Vicarium amovibilem.

Quod verò unus Pontifex valeat mutare conditiones in limine fundationis adiectas per Patronos, certum est *ex Clem. quia contingit de relig. dom. L. si quis ad declinandum*, *C. de Episcop. & Cler. Carradus in Praxi Benef.* L. 3. *cap.* 1. *sub. n.* 4. & L. 2. *cap.* 12. *per tot.*

[d] *Dat.*

Solus Pontifex indulget, ut exempti in locis exemptis Capellas erigant.

Paucis rem absolvam. Audi verba Textus in *cap. auctoritate* 4. *de privil. in.* 6.. Inhibemus 35 .. insuper, ne in locis etiam exemptis hoc ipsi .. exempti facere audeant. nisi super his licen- .. tiam, vel privilegium habeant Sedis Aposto- .. licæ speciale. Ratio est, quia sicuti Episcopus est Diœcesanus in loco non exempto; sic 36 & Papa est Diœcesanus in loco exempto: et sine Diœcesano erigi Beneficium non potest, *cap.* 42. *d. el. in* 6. Nec verò id ita strictè est accipiendum ut non sufficiat etiam auctoritas Legati de latere argum. *Text. in cap. veniens de V. S. in* 6. *in cap. si Abbatem de el. ib.*

Contra si exempti Ecclesias erigant in Diœcesi Episcopi sine ejusdem licentia, cedit dominio, & jurisdictioni Episcopi, *cap. cum olim* 2. *de* 37 *privil. Cochien de Jurisd. in exempt. P.* 1. *q.* 36.

Imo nec testator fundans Beneficium potest Capellam eximere ab Episcopi potestate, *can. sic quidam, can. noverint* 10. *q.* 1. *can.* 1. & 2. 10. *q.* 3. *cap. in Lateranensi in fine de Preb. Man.* 38 *dos. de signat. grat. Tit. exemptiones col.* 2. *vers. amplia.*

(e) *Episcopus.*

Episcopus quæ nam Beneficia possit erigere in Diœcesi, an, & qui fulgent auctoritate quasi Episcopali, hoc jus habeant. An cōsensus Capituli exigatur. Cur interdum auctoritate Apostolica opus sit.

Errat

Errat, si quis putat, Beneficia, irrequisito
39 Episcopo, constitui. Aliquando Pontificia quidem auctoritate opus est, & quando opus sit, ex prædictis noscitur. Sed nunc sic statuo, dum Episcopi desideratur auctoritas, erectum non dici Beneficium, Textus sunt *in Clem. 2. de decim. in can. nemo, in can. nullus de consf. dist. 1. in §. illud, Auth. de Monach. in can Episcopi dist.* 80.

Placet proinde Felini dictum *cons.* 45. n. 3. non sufficere, ut appareat, aliquem prædiis designaris, & altari addidisse: *se ita creare, & instituere Beneficium Ecclesiasticum*. Beneficium suam consequetur existentiam ex auctoritate Episcopi. Cur ita?

Ratio est, quia jus spirituale proprium Beneficii emergit ex legitima temporalium dedica
40 tione Deo facta, per quam effectum est aliquid sacrum, *§. sacra, Inst. de rer. divis. Textus in cap. dilecto* 25. *§. præterea de Præb.* Ergo hujusmodi spiritualis juris creatio ad alium spectare nequit, quam ad habentem jus Pontificale. Agno-
41 vere, & Civiles Leges hanc necessitatem, *Auth. ut nulli Fabr. Orat. Dom.* Ita, rejecta ratione *Gargia P. 1. de Benef. cap.* 2. *ex n.* 7. eleganter docet *Lotherius L.* 1. *q.* 5. *n.* 42. *& seq.*

Jus hoc Pontificale ex duobus efformatur, videlicet jurisdictione, & Ordine, *cap. is, cui de elect. in* 6. & per huoc Textum *Lotherius ib. n.* 47. Ergo inferior Episcopo, etiam si sit exemptus, ut in *præcedenti adnotatione* monui, auctorizare non potest in erectione Beneficii, nisi ex Episcopi suffragio, vel Sedis Apostolicæ, *d. cap. auctoritate de privil. in* 6. vel nisi polleat
42 quasi Episcopali auctoritate. Hic tamen parumper subsisto. Nolie existimare, sufficere ad auctoritatem quasi Episcopalem, ut Abbas ex. c. sit Juribus Episcopalibus insignitus. Tunc ita insignitus habebit quasi Episcopalem auctoritatem
43 cum erit eiusdem jurisdictio diffusa extra Collegium per totum aliquod territorium certis limitibus finitum, adeo ut hæc vigeat in Parochos, & Parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi, ita perdocte Lotherius *L.* 1. *q.* 5. *n.* 51. *de re Benef. & Oliva de foro Eccl. P.* 3. *q.* 15. *per totam*.

Neque obstat, Episcopos ungendos esse sacro ritu, ut possint Jura Episcopalia exercere, ve-
44 luti ordinare Clericos, *cap. un. prope finem de sacra unct.* ibi: *Archiepiscopos, & Episcopos tuos similiter ungas, & eos facias manus Sacerdotum inungi oleo benedicto*, atqui Abbates unctionem propriam Episcopi non recipiunt; ergo &c.

Resp. com Lotherio ubi supra *n.* 52. *ad* illam dedicationem temporalium pro Beneficio Ecclesiastico, jurisdictionem quasi Episcopalem sufficere, quæ non pertinet ad Ordinem, quatenus ejus subjectum est consecratio per delini-
45 tionem Chrismatis, sed quasi ad Ordinem, cum sufficiet verbalis dedicatio, atque hæc facultas videtur transfusa per concessionem insignium Pontificalium, quæ si deficerent, utique nec tale jus dedicandi competeret, *§. sacra quoque Inst. de rer. divis.*

Disputatur an generaliter Beneficia erigere solus Episcopus possit absque Capitulo?

Sententia affirmativa verior est, eaque probatur Jurium argumentis *a Lambertino de Jur.* 46 *Patr. P.* 1. *L.* 1. *q.* 2. *art.* 15. cui adhæret *Vivianus de Jure Patr. P.* 1. *L.* 4. *cap.* 1. *n.* 22. quamquam dissentiat Corvinus *in Aphor. L.* 2. *Tit.* 28. *§. Episcopus*.

Verum nisi Capitolo per novam erectionem ullum præjudicium contingat, prout limitat hanc opinionem *Lælius Manen dist.* 17. *n.* 14. nulla ratio est, cur Capituli consensus exigatur.

Cum vero iam constet, esse in libera Episcopi potestare, irrequisito capitulo, Beneficia erigere; mirum videri potest, cur sæpe numero tales erectiones fiant Apostolica auctoritate? Ut 47 testatur Corradus *in Praxi Benef. L.* 2. *cap.* 3. *n.* 87.

Ceterum cessare debet admiratio. Id enim evenire potest, cum hæsitatur ab Episcopo, an com hac, vel illa solemnitate, aut conditione possit erectio Beneficii admitti, cum uniendum est aliud Beneficium, cum ipse Episcopus constanter renuit ad erectionem hanc devenire *extra dictis ab eodem Corrado ubi supra*.

(*f*) *Facit*.

Episcopus, ex sæculari Beneficio regulare facit ex regulari sæculare non potest facere.

Satis videbatur auctoritates, id quod in Titulo dicimus, comprobantes adduxisse. Sed hic locus uberiorem efflagitat dictionem.

Primo, ut confusio vitetur, illud fixum, ratumque sit, ad Pontificem solum pertinere Benefi- 48 cium ex regulari cōverter in sæculare; nam cum non jure, quæ semel dedicata sunt, Monasteriis, eodem in statu perpetuo manere, oportet, *can. quæ semel* 19. *q.* 3. *can. pervenit* & *q.* 2. At Pontifex, qui in Beneficiis summum, & illimitatum jus habet, ex regulari sæcularem potest Ecclesiam efficere. Clemens VIII. Cæsaraugustanam Eccle- 49 siam, quæ regularis erat per literas Nuncio Apostolico directas in partibus Hispaniarum mandavit, ad statum sæcularem reduci, ut habetur *in una Cæsaraugustana jurisd. penes Farinac. decis.* 208. *n.* 7. *Tomo* 1. narratur *a Corrado in Praxi Benef. L.* 2. *cap.* 9. Similiter Ecclesia S. Mariæ Villæ Belrrandi Gerundi Diæcesis, quæ regularis erat, auctoritate Apostolica erecta fuit in Collegiatam sæcularem, narratur in *decis.* 252. *divers. P. V. in recent apud Corradum n.* 5. *ib. notat Corvinus in Aphor. L.* 2. *Tit.* 28. *Petrus Greg. in Syntag. L.* 17. *cap.* 5. *in fine*.

Insuper Beneficium regulare in statum sæcularem præscribi potest *post annos* 40 *cap. cum de Beneficio de Præbend. in* 6. *notat Cabassut. in S. tent. Can. L.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. *Despeisseus de Benef. Tit.* 50 3. *n.* 31. idque verum est, quando constat de vera qualitate Beneficii, & anteriori statu, neme fuisse regulare, nam si non constet, præsumitur

51 mitur sæculare. *Petrus Gregorius de Benef. cap.* 10. *n.* 11. *Gargias eod. Tract.* P. VII. *cap.* 10. *n.* 34. Ratio est, quia cum S. Dyonisius omnium Beneficiorum titulos instituerit, & ipse non re-
52 gularis, se sæcularis fuerit, talia præsumuntur omnia, qualis fuit eorum auctor, ut eleganter *Barbosa de Jure universo* L. 2. *cap.* 3. *n.* 41.

Secundo, ex diverso potest Episcopus ea sæculari Beneficium in regulare transmutare, *cap.*
53 *ad audientiam* 5. *de Eccl. ædific. can. si quis vult.* 16. *q.* 7. *can. si Episcopus* 12. *q.* 2. Sed quæ nam
54 ratio discriminis? Nimirum quia favorabilior mutatio est sæcularem Ecclesiam in regularem transferre, *d. can si Episcopus*, ex quo id notat *Gonzales in cap.* 5. *de rell. dom. in fine numeri* 2.

Sed obstat vehementer huic doctrinæ, ex qua
55 diversitatem inter unum, & alium casum insinuavimus Textus in *cap. inter quatuor V. de rell. domibus* ubi Episcopo permittitur Ecclesiam de regulari, in sæcularem convertere.

Resp. primò Innocentium III. hanc conversionē transmutationemque Ecclesiæ mandasse Constantinopolitano Patriarchæ, atque adeò facta dicitur auctoritate Pontificis. Præterea supponit Innoc. III. casum necessitatis. At inquies, cujus necessitatis? Scito, temporibus Innocent. III. cum fuisset a Latinis capta Constantinopolis, plures ex ipsis Ecclesiis regularibus mansisse Canonicis regularibus destitutas; ac proinde etsi perfectior fuisset Canonicorum regularium professio; attamen consultius visum est, apponi in hisce Ecclesiis Canonicos sæculares: utilius quippe est honoribus præfici minus idoneos, quam omninò nullos, L. 3. §. *spurios ff. de Decur.*

[g] *In pendenti.*

Parum refert, aliquid fuisse pia donatione ad Beneficium deputatum. Sine auctoritate Episcopi non definit esse quid temporale. An sint jurisdictionis laicalis hac bona relicta.

Audisti nostrum assertum; res est in pendenti non verò Beneficium, si quid ad Beneficium eri-
56 gendum fuerit relictum, & deficiat Episcopi auctoritas? Sed erravi, vocans id nostrum assertum, Imo scriptores omnes, magistrique canonum id tamquam certum deprędicant. Unus, quem videris, Zerola *in Praxi Episcop*, P. 1. *verbo Beneficium* §. 1. *in fine* ait, esse alienum a Jure, ut Capellaniæ non sint Beneficia, propterea quod non sint per Episcopum approbatæ. Atqui id alienum a Jure non esse demonstravimus *supra n.* 27. *hoc eod. T. addimusque Textum in cap. Apostolica* 8. *q.* 1. quo Textu nititur ad id probandum Corradus in *Praxi Ben. L.* 1. *cap.* 2. *n.* 49. Textum *in cap. sic quidam* 10. *q.* 1. *in can. noverint ead. c.* & *q.*

Non definit pia donatio esse quid temporale nec aliquod Jus Patronatus quæritur fundatori,
57 *Felinus in cap. ex parte Textu* 2. *n.* 7. *de rescript. Rota decis.* 361. *n.* 3. P. 2. *recent. Barbosa de univ. Jur. L.* 2. *cap.* 4 *n.* 16. quoties deficiat hæc Episcopi auctoritas; et esse quid laicale, ait Corradus *ubi supra n.* 29.

Ceterum non hoc dico, quod hęc bona cum onere Missarum relicta, non gaudeant privilegiis Ecclesiæ, & non sint sub Ecclesiæ regimine, argum. Textus in L. *annua* §. *Attia ff. de ann.* 58
leg. Gargias P. 1. *de Benef. cap.* 2. *sub n.* 107. *Mancinus ubi supra dissert.* 5. *n.* 11. Sed cum sint stipendia, & salaria quædam in his non residet illud jus, quod dicitur spirituale inducens simoniam, si pactum aliquod intercedat, *argum. Textus in cap. ad quæstiones de rer. perm.* Gonz. *Glossa* 5. *n.* 25. & *seq. in princip.* 59

[b] *Clericis.*

DISSERTATIO III.

Quoad sæcularia Beneficia quæ tantum sæcularibus conferuntur.

Jam de Beneficiorum divisione. Primum sermo sit de Beneficio sæculari. Quodnam est Beneficium sæculare? Illud est nimirum, quod Clerico sæculari confertur, *cap. cum de Beneficio* 6. *cap. cum singula* 32. *de Preb. in* 6. *Clem.* 1. *de suppl. negl. Pral. Clem.* 1. *de el. Concil. Trid. sess.* 14 *de Reform cap.* 10.

Meritò videbis, in hoc ipso Titulo dictum esse summam divisionem Beneficii hinc esse; ut omne Benefi-
cium aut sęculare sit, aut regulare; nam hac divisi- 60
one personæ indicantur quibus Prębendę, seu Beneficia conferuntur; nam quemadmodum solum Clerici sunt Beneficiorum capaces. Clerici verò, aut sunt sæculares, aut regulares, *can. duo sunt* 12. *q.* 1. ita summa Beneficiorum divisio, quoad statum personarum, ut alia sæcularia, alia regularia sint eleganter *Lotherius* L. 1. *de re Benef. q.* 34 *n.* 6. & 7

Beneficia sęcularia esse, aut clare constat, aut versamur in dubio,

Clare constat tribus modis. Primo fundatione *can. qua semel* 19. *q.* 3. Secundo conversione, 61
ac mutatione status ex regulari in sæcularem, *cap. ad audientiam de Eccl. ad.* Tertio longa consuetudine, ac præscriptione, quatenus per tempus legitimum regularia per sæculares Clericos possessa fuerunt, *cap. cum de Beneficio de Preb. in* 6. & hæc pariter signa sunt ad discernendum Beneficium sæculare distinctum a regulari, *Cabassutius in Sent. Can. L.* 2. *cap.* 1. *n.* 3.

Ergo si ultimus status appareat, hic attenden-
dus. Apparet ex ultimo statu Beneficium sæ ulare? 62
tale censendum, ut arguit Lotherius *L.* 1. *q.* 34. *de Benef. ex cap. cum de Beneficio de Preb. in* 6.

Ratio est, quia pręsens status consideratur, tamquam subiectum possessionis existentis apud Ecclesiam, ac proinde commodo possessionis Ecclesia privari non debet, §. *commodum Inst. de interd.* L. 1. *ff. uti possid.* L. 1. *ff. uti possidetis*.

Hoc tamen verum est, nisi probetur status contrarius legitimè impressus, ut colligitur ex

Textu

Textu in *cap. cum de Beneficio de Prab. in 6.* *ubi Gloss. in verbo post*, *Lotherius* L. 1. *q.* 34. *n.* 38.

Sed quod dicimus, verum esse, exceptionem quamdam proponentes, videtur repugnare aliis Textibus.

63 Repugnare videtur auctoritati Textus in *cap. querelam de elect.*

Non minus videtur adversari Constitutioni Textus *in cap. consultationibus de Jure Patr.*

Uterque Textus, aliique similes in *cap. cum in Ecclesia*, *in cap. cum olim de caus. poss. in cap. cum Bertoldus vers. licet de re jud.* suppositionem habent, quod ultimus status adeò sit attendendus, ut nihil prosit, adduci in contrarium anteriorem possessionem, seu proprietatem alterius, ut jam pridem notavii *Lotherius de re Benef.* L. 1. *q.* 24. *n.* 26. Quomodo igitur asserimus, ultimum statum Beneficii posse facilè subverti ex probatione status contrarii?

Ut vitetur confusio in re alioquin subtili, distinguendum est inter statum Beneficii, quem metimur ex parte impetrantis, & statum Beneficii, quatenus collatio consideratur, seu persona conferens. De hoc secundo casu accipiendi sunt, intelligendique oppositi Textus. Meritò, cum agitur de quasi possessione conferendi non
64 attenditur status anterior contrarius; nam hic est conflictus antiquioris, & recentioris possessionis, atque adeo, cujus est recentior possessio, attenditur, uniceque consideratur, eaque prævalet. Et facilè contingit, recentiorem esse possessionem; hęc enim unica præsentatione acquiri-
65 tur, *cap. cum olim* 7. *de caus. poss.* & sufficit, L. 1. §. *quod autem ff. de aqua pluvia*, ibi; *vel una die, vel nocte*, *Posthius de manut. observ.* 32. Cum autem conflictus est anterioris possessionis cum recentiori, disputatio est, quis ma-
66 nutenendus sit? Ad manutentionem verò ultimum statum attendi, palam est, idest recentiorem possessionem, §. *retinenda Inst. de inter. cap. licet* 9. *de prob. cap. cum Bertoldus* 18. *vers. licet de re jud.* Neque exceptio anterioris posses-
67 sionis, aut proprietatis admittitur, *L.* 2. *ff. uti possid.* Nam cum actu possidentis varia sint commoda, §. *commodum*, *Inst. de interd.* & fructus rei possessę spectent ad bonæ fidei possessorem, L. *bona fidei*, *ff. de acqu. rer. dom. cap. gravis de rest. spol.* nisi detegatur dolus, aut mala fides existentis in quasi possessione conferendi, non poterit ab ea legitime turbari.

68 At verò in primo casu, qui respicit ipsam impetrationem Beneficii, tota res circa pręsumptionem versatur, & quia impetrare volens non possidet, non adest possessionum altercatio, sed potius altercatio præsumptionis cum veritate. Jam verò cum facilè præsumptio cedat veritati *L. continuus*, §. *cum ita*, *ff. de verb. obl.* L. *ult. in princ. ff.* quod *met. caus.* proinde si probetur status anterior legitime impressus, nullo modo attenditur status ultimus præsumptus, ità eleganter *Coccinus decis.* 737. *n.* 6. *P.* 2. *recent.*

In dubio tandem omnia Beneficia sęcularia pręsumuntur, nisi ex adverso regularia probentur; quia, ut antea dixi, cum S. Dyonisius Pontifex summus Beneficiorum omnium titulos instituerit *cap. Pastoralis* 9. *de his, quæ fiunt*, & ipse non regularis, sed sæcularis fuerit; talia præsumuntur Beneficia omnia, qualis eorum auctor extiterit, prout ratiocinatur *Barbosa* L. 2 *cap.* 4. *de un. Jur. n.* 41.

[*i*] *Regularibus.*

De Beneficiis regularibus, quot ea sint quæ eorum causa, quid si regularis eligatur Episcopus]

Secundum Beneficii genus est regularium. Regularia Beneficia sunt Abbatia regularis, *cap.* 69
quanto de off. Ordin. cap. cum ad Monasterium de statu Mon. Prioratus conventualis, *Clem.* 2. *de refer.* Prioratus claustralis, *Clement. ne in agro eod. Tit.* Capellaniæ fundatę in Monasterio Regularium, Monachatus ipse *ex Petro Gregorio in Inst. nov. rei benef. cap.* 10. *n.* 17. Canonicatus regularis *ex Viviano de Jure Patr.* P. 1. L. 1. *cap* 1. *n.* 84. Parochialia Beneficia regularibus unita seu annexa regularia sunt, prout defendit *Pellizarius in Manuali Regularium Tomo* 2. *P.* 1. *Tract.* 8. *cap.* 4. *n.* 105. & 113. et ideò in his deservitur per Monachos ad nutum amovibiles ab Ordinario examinatos, ex decreto sacræ Congregationis approbato ab Urbano VIII. cujus verba profert *Murga de Benef. q.* 2 *n.* 204. Breve autem Urbani VIII. fuit pro illius confirmatione editum *die* 6 *Sept. anno* 1638

Causa autem Beneficii regularis refertur aut ad fundationem, aut ad institutionem aut ad con- 70
suetudinem, aut ad præscriptionem, *Corrasius de Benef.* 1. *Parte cap.* 5. *n.* 6. *Petrus Gregorius in Inst. Benef. cap.* 10. *Garcias de Benef. P.* 7. *cap.* 10. *per tot.*

Censentur regularia Beneficia, quę per solos 71
Regulares regenda sunt, *Clem. un. de suppl. neglig. Præl. cap. cum de Beneficio de Prab. in* 6.

Ratio est, quia disparis conditionis, vel habitus personæ Ecclesiis præfici non debent, *can.* 9. 16. *q.* 7. *Clem.* 1. *de el.* Quod adeò verum est, ut regularia Beneficia ne Novitiis quidem sint conferenda, *cap. nullus de el. in* 6. *Clem.* 1. §. *sanè de statu Mon.* Confert moderatio Con-
cilii Trid. sess. 24. *cap.* 10. *de Ref. sacra Congre-* 72
gatione Card. 12 *Decemb.* 1585. ibi „ Præter „ Papam Ordinarii collatores possunt conferre „ regularia in titulum regularibus professis provideri consueta etiam sęcularibus, qui illius „ Ordinis habitum suscipere, & professionem emittere teneantur, &c.

Ad dignitatem tamen Episcopalem possunt Monachi, & Regulares evehi ex Juris disposi-
tione, *Textus in Clem.* 1. *de el. cap. pen. in fin.* 73
de vita, & hon. Cler. cap. nullus de el. in 6. Qua facta status mutatione, liberantur a jugo Regulę, *cap. un.* 18. *q.* 1. licet ad tria vota substan-

tialia,

tialia, & ad habitum Regulæ aliquatenus deferendum obligentur *can. de Monachis* 16. *q.* 1. *Barbosa de univ. Iure*, L. 1. *cap* 1. *n.* 3.

74 Episcopatus verò est seculare Beneficium, docet *Barbosa L.* 2. *de Iure un. cap.* 4. *n.* 47. & 49.

Quæri solet, an Monachus factus Episcopus quidquid acquirit, id cedat Monasterio, vel potius Ecclesiæ, cui præest?

75 Et certum videtur, Monachum factum Episcopum non amplius Monasterio acquirere; sed Ecclesiæ, cui præest, quæ & ipsi succedit ab intestato, *can. statutum* 18 *q.* 1. ibi: *postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur secundum sacros. canones, quidquid acquirere poterit, restituat*, *Zoesius ad Tit. de Regul. n.* 31.

Plura, quę ad Beneficia regularia spectant, dicta sunt in *Tit. de canonibus*, & *in Tit. de Capellis Monach. hoc eodem Libro*.

(I) Simplicia.

DISSERTATIO IV.

De Beneficiis simplicibus quid sint, & quotuplicia, & quæstio perutilis discutitur.

Ecce iam, quę sub illa divisione summa Beneficiorum comprehenduntur species, prout in nostro Titulo fuerunt enunciatæ, in his explicationibus, & Textuum confirmatione, & variis illationibus, & Interpetrum observationibus declarabuntur.

Exordiamur a simplicibus Beneficiis. Nomen
76 hoc Beneficii *simplicis* ne merum inventum Interpetrum existimes. Appellatio, isthęc est in *cap. cum olim de Preb.* ibi: *cum pro simplici Beneficio iussio nostra manat.*

Si poscis, ut clarius, quam in Titulo dictum est, explanetur quæ nam sint simplicia Beneficia, dico, simplex esse Beneficium, quod specialem aliquam, ac solemnem Juris, qualitatem annexam non habet, qualis est animarum cura, jurisdictio, præeminentia, administratio, *Phœbeus in Inst. Can. L.* 1. *Tit.* 11. *pag.* 107. *Zoesius ad Tit. de Preb. n.* 5.

77 Quid hinc infertur? Infertur, quod afferenti, Beneficium esse liberum a cura animarum, non incumbit probatio talis negativæ, quia Jus commune pręsumit, nullum Beneficium habere curam, nisi habeat populum, vel Clerum, *cap. fin. hoc T. cap. cum illis de Preb. in* 6. *Vanaxel. ad Tit. Decr. de Pręb. n.* 13 & hac de re diligenter *Vivianus de Jure Patr.* P. 1. *L.* 1. *cap.* 1. *n.* 78.

78 Simplex Beneficium subdividitur in merè simplex, in servitorium, in Sacerdotale, in illud, quod solis constat stipendiis, quæ subdivisio adducitur a *Vanaxel ubi supra*.

Merè simplex Beneficium vocatur, cum illud
79 obtinens non tenetur ad residentiam, quidquid sit de Jure, *cap. conquerente de Cler. non resid.*

Quod barbara voce servitorium dicitur, est illud simplex Beneficium, quod habet aliquod 80
onus annexum, ut Missæ, ut iuvandi Curatum in canendo, *cap. significatum de Preb.*

Sed disputatur acerrimè, an si in fundatione Beneficii disponatur, ut Rectores Missas celebrent
possit Rector per substitutum oneribus Missarum 81
satisfacere?

Non posse, censet *Rodriguez QQ. Regul.* 2. *Tomo q.* 122. *art.* 2. *Berons Cons.* 5 *n.* 14. *Rota coram Pamphilio* 14. *Nov.* 1586. *Navarr. cons.* 6. *de Cler. non resid.*

Verius est, per substitutum oneribus Missarum satisfieri 82

Probatur I. Nam recepta ubiq. consuetudo est, ut simplex Beneficium non exigat residentiam, *dicemus infra ad Tit. de Cler. non resid. Emanuel Sa ex Congregatione Concilii verbo Beneficium n.* 28. ergo satis provisum videtur voluntati fundatoris, si per alium Missæ celebrentur.

Probatur II. ex declarationibus Cardinalium; nam sacra *Congregatio super cap.* 5. *Concilii Trid. sess.* 25. *de Ref.* his verbis censuit „ Potest conferri simplici Clerico Capella habens onus „ celebrandi Missas, nisi in fundatione cautum „ sit, ut per se ipsum celebret, adducitur a *Garcia in P.* 7. *cap.* 1 *n.* 03: *de Benef.* & etiam indicatur ab *Antoniello de jurib. & on Cler. L.* 1. *part.* 2. *cap.* 19. *n.* 11.

Et alia insuper declaratio in una Parmensi apud eumdem Garciam n. 87. his verbis „ Episcopus „ non potest cogere obtinentem Capellaniam, „ ut ipsemet celebret, licet in ejus fundatione „ disponatur, quod Rectores celebrent, nam „ istis oneribus Missarum recte per substitutum „ satisfit.

Probatur III. Quia licet Beneficium erectum sit cum obligatione Missarum, conferri tamèn potest ei Clerico, qui sit tantum insignitus tonsura, *cap. cum contingat de at. & qual. can.* 121. *dist.* atqui Clericus simpliciter tonsura pręditus per alium oneri Missarum satisfaciat, necesse est, ergò per alium adimpletur fundatoris voluntas.

Probatur IV. nam verba apposita in fundatione: *celebret quotidie Missas*, aut *tot Missas*, non respiciunt factum Rectoris personale, alioquin, eo decedente, Beneficium ex voluntate fundatoris cessaret, sed respiciunt obligationem, & onus, quod ipse fundator ponebat; nam planè differentia est inter casum, in quo fundator pręcisè obliget Rectorem ad celebrandum per se, & inter casum, in quo isthęc obligatio silentio involvatur, ut benè argumentatur *Gonzalez ad Regul. de mens. Glossa* 5. *n.* 72. Nam & casus hosce distinguit sacra Congregatio Concilii *apud Gargiam ubi supra n.* 09.

Obiicitur I. argumentum Navarri *ubi supra*
Ait igitur, quod verbum *intersit*, *serviat*, in 83
fundatione Beneficii positum, idem sonat, idemque significat, atque *resideat*. Probari id potest ex Textu expresso in *cap. un. de Clericis non resident. in* 6. ubi idem esse, apparet, interesse, ac residere: ergo quemadmodum interessentia sub-

roga

rogationem excludit ad percipiendas quotidianas distributiones, ita obligatus ad inserviendum, cum onere celebrandi Missas, per substitutum voluntati disponentis non satisfaciet.

Resp. cum *Garcia p. 7. de Benef. cap. 1. n. 80.* ubi in fundatione imponitur ea inserviendi obligatio, quæ interessentiæ, & residentiæ chori respondeat, censetur injuncta obligatio personalis, & in hoc sensu admitti posset argumentum Navarri. At, cum præcisè fundator se de onere Missarum sollicitum ostendit, nec de persona, quæ celebrare debet tantopere curat, per substitutum quin ejus voluntas impleatur, nihil impedit.

Objicitur II. Textus in *cap. cum in cunctis, §. inferiora de el.* ex quo Textu infertur, quod qui obligatus est ad curam animarum, ad Missas celebrandas, eo tempore, quo Beneficium impetratur, habilitate ad hæc exercenda carere non debet, ergo ipse per se curam gerere debet.

Sed respondetur, in eo Textu non absolutè pronunciari, ut actu sit Sacerdos, qui Beneficium obligans ad curam animarum impetrat; nam post annuam conversionem tantum obligatur ordinari ex eodem Textu, qui respicit *ad can. 6 Concilii Arelat. 3. & ad can. 6. Aurelian. 3.* Hodie antem post Concilium Lugdunense, de quo in *cap. licet de el. in 6.* & Bonifacium *in cap. si it de const. in 6.* & Clementem in *Clement, ut ii, §. quia vero de atat. & qual.* intra annum a die obtentæ Parochiæ sacer Ordo sumendus.

Nec tunc obstat Textus in *cap. nemo de el. in 6.* ubi sacerdotium expressè requiritur.

Nam respondetur, ibi tractari de commendanda Parochia, non de collatione ejus tamquam Beneficii. Commendatur Parochia, cum alicui ad tempus cura animarum committitur; hic vero sacerdos esse debet, notat *Gonzal. in cap. cum in cunctis, §. inferiora n. 14. de el.*

Quamquam hęc ad abundantiam dicta sunt; nam casus oppositus longè est a nostro diversus, neque enim in Beneficio Parochiali, aut sacerdotali versamur.

Quinimo etiam si fundator in erectione Beneficii disposuisset, ut provisus in actu impetrationis esset sacerdos, quo casu Beneficium dicitur sacerdotale; attamen neque in tali casu Rector obligaretur per se celebrare, *Antonellus de jur. & oner. Cler. L. 2. P. 6. cap. 6. n. 17. 18. & seq. cum innumeris citatis.*

84 An verò possit Episcopus dispensare cum Presbytero obligato vi erectionis Beneficii ad celebrandum in tali Ecclesia, ut satisfaciat celebrando alibi? Quæritur a nostris. Et quod possit ex justa causa, puta ob absentiam propter studium, resolvit *M nera de com. ult vol. cap. 5. q. 11. n. 368. & alii apud Barbos. P. 2. alleg. 24. n. 36. in fin. aliiq. apud Antonellum ubi supra n. 23.*

Deleximus parumper è via. Jam revertamur explicaturi cęteras subdivisiones Beneficii simplicis.

Ultra hęc simplicis Beneficii species est etiam Beneficium sacerdotale. Quod nam hoc Beneficium? Nempe illud, quod nonnisi Sacerdoti confertur, *Clementina, ut ii, qui, & ibi Glossa in verbo Prabendas de atat. & qual. Vanaxel ad Titul. Decret. de Preb. n. 17.* 85

Tandem & illa species recensetur Beneficii simplicis, nempe quod stipendiis consistit, in mera temporalitate consistit. Hæc stipendia in Hispania dicuntur pręstimonia, & obligia, & obedientiæ in Germania, quæ non dantur in titulum; nec censentur Beneficia Ecclesiastica, nisi solita sint in titulum dari, aut habeant annexum aliquod onus, inserviendique obligationem, *cap. fin. de conces. Preb. in 6. Vanaxel ubi supra n. 14.* & hac de re distinctius loquemur *infra hoc Titulo dissert. 11.* 86

(m) Curam.

DISSERTATIO V.

De Beneficiis curatis; de foro Pænitentiali; de Parochorum origine, de fermento sacro; interpretatio Textus in can. Ecclesias 13. q. 1. & quæritur, an Episcopus sit Parochiarum Rector, tum quæ sint Parochia requisita.

Non parcam labori. Nunc de Beneficiis curatis, Cuperem integram, perfectamque notitiam tradere, simulque optarem tædium brevitate minuere. An votis exitus sit responsurus in re tam latè patenti vehementer pertimesco. Expectar tamen.

Quidnam Beneficium curatum? Est illud, cui annectitur animarum cura sive sit cura animarum propriè dicta, & quoad forum internum, qualem habet Parochus respectu Parochianorum suorum, de quo sermo *est in Clem. 2. §. verum de sepult.* sive sit cura animarum impropriè dicta, & quoad forum externum, & contentiosum, qualem habent de Jure comm. Archidiaconus, & alii inferiores Prælati. 87 88

Quod clarius adhuc exponam. Quemadmodum in morbis, quibus corpus hoc fragile conflictatur, non una ratio medendi conveniens est, seu alii sola victus ratione curantur; alii manuum opera solerti expelluntur; sic animę ęgritudo, quam intulit peccatum, aut solum occulta correctione, quæ attinet ad forum pænitentiale curatur, *cap. 1. de pæn. can. quem pænitet de pæn. dist. 1.* aut opus est ob scandalum, ut quod peccatum in publicum prodivit, publica, idest fori judicialis emendetur correctione, *can. quaras de pen. dist. 3.* Ergo rei criminis ejiciantur ab Ecclesia, puniantur excommunicatione, vel interdicto, id quoque ad curam pertinet; nam, & excommunicatio medicinalis est, *cap. 1. de sent. excom. in 6.* Cæterum cura jurisdictionalis, idest fori judicialis, vix est, ut cadat in aliis Ecclesiis, quam in Collegiatis habentibus Prælatos, quibus secundum diversitatem eorum officiorum competit 89

petit, ut Archipresbyteris, *Lotherius de re Be-*
nef. L. 1. *q.* 20. *n.* 22. E contra alia illa curæ
species, quæ versatur circa forum penitentiale, idest
interius, in quo Deus est Judex, cujus vicem
90 Sacerdos exhibet, *can. verbum Dei* 51. *de pæn dist.*
1. est Parochia simplex.

Quæ verò differentia sit inter forum conscien-
tiæ simpliciter, & forum pænitentiale, quam-
quam conscientiæ forum in illo comprehenda-
tur, tradit *Sanchez de Matrim.* L. 8. *disput* 34.
n. 20. *Gallegos de cognat. spirit. cap.* 23. *n.* 2. *Ema-*
91 *nuel q. Reg. Tomo* 1. *q.* 61. *art.* 10. *Oliva de foro*
Eccl. P. 1. *q.* 1. *n.* 16. & 17.

Non est autem hic proprius locus agendi de
cura animarum, quam Pontifex, ceterique Præ-
lati dicuntur habere, *cap. tua de Cler. ægrot.*
qui superiores animarum Rectores, proprio no-
mine Pastores dicuntur, *can. Pastor* 1. *q.* 2. *Cle-*
mentina in plerisque de elect. & ibi Glossa in ver-
bo de Pastore. Solum de Parochis sermo est.

Et ne origo curati Beneficii, ac Parochiæ igno-
retur; sciendum est, quod translato sacerdotio
in fidem Christianam, aucto credentium numero
92 cum Prælati ipsi per se sacramenta tam multis
administrare non possent Parochiæ fuerunt in-
troductę *Petrus Gregor. in Syntagm.* L. 2. *cap.*
22. *n.* 4. Nam primò Evaristus per loca distri-
buit curitos anno 100. divisione Parochiarum
cum suis limitibus Romæ facta, teste *Anastha-*
sio Biblioth. in eod. ac ne Parochiarum facta di-
visio videretur officere christianorum omnium
unitati, neve Parochiani viderentur ab Episco
porum potestate revulsi, quoties Rom. Pontifex
sacris operabatur, toties *fermentum sacrum* per
omnes Ecclesias mittebat ferendum ab Acolytis.
En verba Innocentii *in epistola ad Decentium:*
De fermento vero, quod die Dominica per titulos
93 *mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum*
omnes Ecclesiæ nostra intra Civitatem sint consti
tuta, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter
plebem sibi creditam nobiscum convenire non pos-
sunt; idcircò fermentum a nobis acceptum per
Acolytos accipiunt, ut se a nostra communione
maximè illa die non judicent separatos.

Post hæc Dionysius 25. Pontifex post B. Pe-
trum anno Christi 200 propagavit hanc Paro-
chiarum divisionem, ut nullus scilicet alterius
invaderet terminos, ut est hac de re Textus ipsius
Dionysii *in can. Ecclesias* 13. *q.* 1. Explico hunc
Canonem. Hæc enim distinctio prius in Urbe
94 fuit; sed monuit Dionysius alios Episcopos, ut
idem quisque faceret in sua Dięcesi, quamquam
non omnibus confestim id fuerit intimatum,
Lotherius de re Benef. L. 2. *q.* 20. *n.* 71. & 72.
Severo Episcopo Cordubensi præsertim id fuit
intimatum, ut patet *ex d. can.* atque hoc ter-
tio sæculo, & sequentibus observatum legimus,
Gonzal. in Concil. Illib. L. 2. *cap.* 45. & ma-
nifestus est error Platinæ in vita Dionysii, dum
95 scribit Diœceses Episcopales a Dionysio pri-
mum fuisse divisas, quem errorem imbibit ex
hoc canone non satis discusso, & ex Glossa *in*
can. nec numerus in verbo aut 10. *q.* 3. Nam
canon loquitur de distinctione Parochialium,
non de Diœcesi. Ceterum hinc constat, Paro- 96
chiarum divisionem fuisse quidem a Pontifice
inductam, & imperatam, ipsis tamen Episco-
pis, qui, prout consultius videbatur, termi-
nos assignarunt, est adscribenda, Textus in *cap.*
ult. de his, quæ fiunt a Præl. sine cons. cap. Hinc
per ipsos Episcopus Parochiæ nunc quoque con-
stituuntur, *can. Episcopi dist.* 80. Ex qua perspecta
origine, sequitur Episcopum fundare suam in-
tentionem pro quarta decimarum quæ olim ante 97
divisionem integre ad Episcopum pertinebant,
can. 1. §. *has vero decimas* 16. *q.* 7.

Sed in controversiam revocari potest, an ubi
sunt distinctę Parochię, & in qualibet earum
proprius Rector est constitutus, Episcopus tamen 98
totius Diœcesis Rector dici possit?

Sit nostra conclusio, Episcopum totius Diæ-
cesis non esse Rectorem. 99

Probatur I. Quia animarum cura divisa est,
& assignata singulis Parochis, ita ut unus Pa-
rochus in alterius fines irrepere non possit, *can.*
Ecclesias 13. *q.* 1. Quomodo ergò hæc divisio
servabitur, si æquè ac Parochus, dicatur Epis-
copus Parochiæ Rector?

Probatur II. Quia inter Parochum, & Eccle-
siam; tamquam inter sponsum, ac sponsam
quoddam est legitimum conjugium, *can. sicut*
can. præcipimus 21. *q.* 2. Unus autem cum debeat
esse sponsus, intelligitur, Episcopum totius Die-
cesis non esse Rectorem, *cap. un. de spons. duor.*

Probatur III. Quia nemo plura curata Bene-
ficia obtinere potest, ex Textu in *cap. de mul-*
ta de Præb. Clementina gratia de Rescript. Extrav.
execrabilis de Præb

Probatur IV. Quia ex divisione illa Diony-
sii creatus est novus titulus, & jus separatum
ac proprium Rectoris Parochiæ *can. Ecclesias* 13.
q. 1. ergo Episcopus, & titulum Episcopatus, &
titulū Parochiæ simul obtinere non potest, cum
hi tituli in eodem sint incompatibiles.

Objicitur I. Textus *in can. quæcumque* 10. *q.*
1. ibi: *cum judicio, & potestate Episcopi, cui* 100
totius plebis animæ videntur esse commissa; con-
sonat Textus *in can. præcipimus* 12. *q.* 1. *in can.*
1. 16. *q.* 7. *Textus in can. cognovimus* 18. *q.* 2.

Fateor, hos canones prima fronte non parum
sententiæ nostræ adversari: quem tamen sensum
habeant, iam explico, Dum canones prædicti
sic loquuntur, significant quod etsi Parochus
tantum sit suæ Parochię Rector, adhuc tamen
non censetur solutum jus Episcopale, quomi-
nus nimirum Episcopus, quatenus cura totius
Dięcesis sibi est demandata, in ipsa se ingerat
& quin possit in ea se occupare, si velit; ipse
enim principaliter, & universaliter curam agere
dicitur, *can. regenda* 10. *q.* 1. ad hanc etenim
tenetur ex voto in consecratione emisso, *cap. ego*
Episcopus de Jur. cap. cum Venerabilis, & ibi Joan.
Andr. versiculò item in consecratione de cens.
At hoc dicimus, propriè Episcopum non esse

Paro-

Parochum, cum fit diverfus titulus Parochia,
& Epifcopatus, & hæc duo fint incompatibilia
ut feite *Præpofitus in can. quæcumque n. 2. q.
1. Lotherius de re Benef.* L. 1. *q.* 20. *n.* 60.

Obiicitur II. Poteft annecti Parochialis Eccle-
fia alteri Ecclefiæ Parochiali, & tunc unus eft
utriufque Parochus, nam alteri ex duabus hisce
Ecclefis preficitur Vicarius, *cap. extirpanda* 30.
de Præb. ergo corruit precipua ratio noftri af-
fumpti, nempe incompatibilitas.

Refp. Beneficium unitum non dici amplius
Beneficium, fed ejus fequi naturam, cui unitum
nofcitur, ficut portio accrefcens affumit naturam
ejus, cui accedit, L. *fi ex toto* 8. *ff. de* Leg. 1 *L. inter*, §.
cum inter ff. de pactis. Quare cum utraque Ecclefia
pro unica habeatur, ceffat ratio incompatibilita-
tis. Viget tamen in cafu noftri affumpti, in quo
fupponimus, Parochiam, & Epifcopatum effe
duo diftincta, ac feparata Beneficia.

Et hæc quoad originem. Jam de requifitis
ad Parochialem Ecclefiam difcernendam ab aliis.

Requifita hæc funt. Primum, ut in ea fit
facerdos habens ligandi poteftatem. Secundum,
101 ut certos fines habeat. Tertium, ut nomine
fuo curam exerceat. Quartum, ut folus, &
non cum aliis adminiftret *Barbofa de Jure uni-
verfo* L. 1. *cap.* 20. *n.* 18. Breviter de his re-
quifitis aliqua videamus.

I. Dicimus, Parochum preditum effe opor-
tere poteftate ligandi. Id patet ex *can.* 1. 9.
q. 2. ibi: *nullus alterius terminos ufurpet, ne
alterius Parochianum, judicare, aut excomu-
nicare præfumat*, &c. Patet ex *cap. cum Eccle-
fiarum de off. & pot. Jud. ord* patet ex *cap.* 1.
de eo, qui furtivè, ex can nemo 1. *q.* 6. *ex
can. meram* 2. *q.* 6. Ratio eft, ut per coerci-
tionem poteftas fpiritualis, qua Parochus pollet,
executioni mandetur, *argum. Text. in cap ex
literis de off. deleg.* Quamquam ex confuetudi-
ne Parochus poteftatem hanc excomunicandi,
non exerceat, ut docet, & obfervat *Sotus de
Cenfur.* quidquid contrarium defendere nititur
102 Gonzales *in cap. cum ab Ecclefiarum de off. Jud.
ord. n.* 1.

II. Requifitum eft, ut Parochia certos limi-
tes habeat. In quo, fic diftinguo. Aut Paro-
chiæ certi fuerunt fines defignati, & hi funt
fervandi, ita ut ab alia Ecclefia præfcribi ne
quidem poffint, *can. licèt* 16. *q.* 3. *cap. fuper
eo de Paroch. Concil. Trid. feff.* 14. *de Refor cap.*
9. *& feff.* 24. *de Ref. cap.* 13. Multis autem mo-
dis fines Diœcefum probantur, prout patet ex
can. caufam 13. *de prob. & latè Barbofa de Jure
un.* L. 1. *cap.* 20. *n.* 31. *& feq.* Aut non funt
certi; tunc verò hi præfcribuntur fpatio 30.
annorum, *can.* 1. 16. *q.* 3. & trium annorum fpa-
tio præfcribit Epifcopus Diœcefim converfam
103 ad fidem Catholicam, *cap.* 1. *de præfcript.* Cæ-
terum extra præfcriptionis cafum, Parochiæ li-
mites ii effe debent, ut nimirum Parochia fit
certa pars Diœcefis, quæ conftet ad minus ex
decem familiis, ut tradit *Pacianus de Prob. L.*
2. *cap.* 31. *n.* 23. In hac diftinctione limitum
infiftendum eft, quafi non fufficiat, fi facri Baptif-
matis fontem habeat, ac fepeliendi actus exer-
ceatur, *Murga de Benef.* Q. 2. *n.* 37.

III. Requifitum eft, ut Parochus curam exer- 104
ceat proprio, non alieno nomine, *cap. extirpanda
§. qui vero de Præb.* ut late *Murga pluribus ad-
ductis decifionibus ubi fupra n.* 349. Hinc cum
unitę funt Parochię, cura penes unum refidet;
Vicarius folum habet curæ exercitium, *Murga
ib. n.* 350.

IV. Requifitum ut Parochus folus curam exer-
ceat animarum; nam in Ecclefia unus debet 105
effe facerdos, & fponfus, & Rector, *cap. in
apibus* 7. *q.* 1. *can. ficut una* 21. *q.* 2 *cap. cum
non ignores de Præb.* Una enim fponfa non po-
teft plures habere fponfos, *cap.* 1. *de fponfa duor.*
fic neque Ecclefia duos curatos *d. cap. cum non
ignores*. Et quando contingat penes Epifcopum
refidere curam animarum, qui proptetea com-
mittat cui voluerit ex Clericis curam; ille
habebit curæ exercitium, folus Epifcopus erit
Rector, nullo enim apparente Rectore, Epifco-
pus eft Curatus totius Diœcefis, *cap. nullus de
Parochiis*, notat *Vivianus de Jure Patr.* L. 2.
cap. 8. *n.* 30.

[*n*] *Abbatiæ.*

DISSERTATIO VI.

*De Abbatia, de nomine ipfo Abbatis; quanta fit
ejus dignitas; quot Abbatum genera; de electione,
confirmatione, benedictione ufque Pontificalium.*

Profequor explicationem Beneficiorum, quæ
duplicia dicuntur. Nunc de Abbatia. Abba-
tis nomen (ne quid antiquitatis ignoretur) pri-
mum fuit tributum Monachis, & folitariis ve-
nerationis caufa, ab iis, qui fe tamquam filios 106
edoceri, & haberi noverant. Sollicitudinis ita-
que magis hæc, quam honoris appellatio *Gloffa
in cap. tuam de ætat. & qual.* in dignitatis no-
men converfa eft, quod non admodum probaffe
in nonnullis *D.* Hieronymum *in epift.* 4. *ad Ga-
lat. cap.* 4 manifeftum eft; et prifco nomine a
Græcis Abbas Archimandrita vocabatur, L. *nec
reddentes* C. *de fum. Trin. & fid* Cath. Jam ve-
rò poft Epifcopum Abbatia prima dignitas eft, 107
Parifius de Prob. L. 2. *cap.* 27. *n.* 87. probat
Caffineus in *Cathal.* P. 4. *conf.* 32. *ex cap. de-
cernimus de Jud. ex can. in nomine dift* 23. *ex
Auth. habita* C. *ne filius pro patre, ex cap. fin.
de off. del. in* 6. - Abbates funt Prælati, *cap.
decernimus, de Jud. cap. præfenti de off. ord. in*
6. *cap. ut Apoftolica, de Priv. in* 6. *Clement.*
1. *de refer. cap. fin. de Reg.* & difputat hinc inde 108
Caffineus *ubi fupra* an Abbates debeant præce-
dere Capitula Ecclefiarum Cathedralium *confid.*
32 *per tot. Lotherius* L. 1. *cap. de re Ben.*

Abbatum verò, quidam funt feculares, qui-
dam Regulares, ut indicatur *in cap. transmiffa
de ren. in cap. cum ad Monafterium de ftatu. Mon.*

Saecularis est ille, qui Beneficium impetrat cum Abbatiæ titulo, *cap. cum de Beneficiis de Præb.*
109 *in 6. & ibi Gloss.*

Saecularium Abbatum variæ species - Quidam non solum in Clericos, verum etiam in Laicos sibi subjectos quasi Pontificalem exercent jurisdictionem, & Pontificalibus utuntur, annullo,
110 mitra, Baculo Pastorali, *Barbosa de Jur. Eccl. L. 1. cap. 17. n. 10.* & deducitur *ex cap. 1. & 2. de statu Monach. ex cap. sicut de sim. ex cap. significasti de foro compet. Chokier. de permutat. Benef. cap. 15. n. 5.*

Alii sunt Abbates, qui licet Abbatiam ut dignitatem retineant, non tamen Episcopi dignitatem proximè sequuntur, ut notat idem *Barbosa ubi supra.*

Rursus, & inveniuntur Abbates saeculares in quibusdam Cathedralibus Ecclesiis, qui inter digni-
111 tates locum habent, sed Collegio Canonicorum non præsunt, prærogativa contenti in choro, & comitiis, ut cum in Ecclesiis Collegialibus erant Præpositi, seu in Conventualibus Præfecti Monachorum, cumque hi Conventus, & Collegia statum mutarint, ipsi, ut Abbates in Cathedrales transierunt, *Barbosa ib.*

Quidam alii Abbates saeculares sunt com-
112 mendatarii. Dicam, quid hoc significet. Clerici saeculares juxta canones, haud poterant monasticorum conventuum esse Rectores, ac proindè cum non possent Abbatias Regulares in titulum detinere, titulo Commendæ cœperunt retinere. Ergo Beneficia regularia commendari cœperunt tempore Leonis IV. ut patet *ex can. qui plures 21. q. 1.* Sed Clemens V. exhorruit has commendas, *Extrav. 2. de Præb.* Sed rursus introductæ fuere ab Urbano VI. & Bonif. IX. & Paulo II. Talisque saecularis Abbas commendatarius dicitur Prælatus, modo perpetuus sit, *Lotherius de re Benef. L. 1. q. 15. n. 9.*

113 Ex his Abbatiis saecularibus reservatæ sunt Sedi Apostolicæ, quæ valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedunt, ex tenore Bullæ Alexandri VII. §. *Item reservavit generaliter*, apud Nicholium *Inst. can. L. V. Tit. 41. n. 2.*

Venio ad regulares Abbatias. Quidam Regulares Abbates locorum ordinarii dicuntur, quales sunt Abbates Casinenses, & S. Mariæ Tremitanæ Congregationis Lateranensis, Insulæ in Mari Adriatico prope Theatinam Diœcesim, Cluniacensis, Ripolen. Ordinis S. Benedicti in
115 Cathalunia, S. Dionysii Parisiensis ejusdem ordinis, & S. Genovefæ Virginis Canonicorum Lateranensium, & S. Trinitatis de Cava, Ordinis S. Benedicti S. Ambrosii Mediolanens. ac S. Mariæ de Morimundo ejusdem Diœcesis, aliique plures, qui similiter territorium proprium habent, in quo Episcopalem jurisdictionem, & aliquando temporalem exercent, & locorum Ordinarii dicuntur - Quidam alii regulares tantum subditos habent, *cap. cum ad Monasterium*
116 *cap. in singulis de stat. Mon.* Olim Abbates hi superiorem agnoscebant Episcopum, *can. Abbates, can. Monasteria 18. q. 2.* Sed postea, ab his privilegio Pontificum exempti, obtemperant summo Abbati in Religione, qui Gentralis est supremusque Prælatus - Quidam postremo nomine tenus Abbates, regulares subditos non habent, ut cum Monasterium est alicui saeculari Clerico commendatum, latè *Barbosa, ubi supra n. 24.*

Et quod attinet ad eorum electiones Abbates electi olim confirmabantur ab Episcopo, nisi fuissent 117
exempti, *cap. si Abbatem de elect. in 6. cap. cum ad Monasterium eod. Tit.* Deinde cœperunt a solo Pontifice omnes confirmari. Tum verò ex speciali concessione Sedis Apostolicæ quidam impetrarunt, ut statim electi intelligerentur per Pontificem confirmati, ut concessit *Eugenius IV.* Cisterciensi Ordini, *Clemens IV.* Fratribus Minoribus, et Julius II. Fratribus Minimis S. Francisci de Paula, *Barbosa ubi supra n. 40.* Hodie tamen Abbates per electionem Conventuum non creantur, sed a Generali una cum definitorio providentur, confirmandi tamen sunt, *Barbosa ib.* Postremo & Abbatias, & Præposituras & alias dignitates conventuales confirmandas esse a Pontifice, statuit Pius IV. in *Constit. Sanctissimus* apud Quarant. in summa *Bull.* & est in Bullario novo *Tomo 2. const. 86.*

Contingit etiam, in Consistorio provideri Ab- 118
batias, & Monasteria, veluti cum præter curam, & regimen Monachorum, est in populum jurisdictio spiritualis, vel temporalis; expressa est hac de re Constitutio Gregorii XIV. quæ incipit *onus Apostolicæ sub dat. Romæ 15. Maii 1591.* quam adducit *Barbosa ubi supra n. 41.* Nam talis provisio est reservata Sedi Apostolicæ per Regulam IV. Cancellariæ, *Matta de Consistorial. caus. sect. 19. §. 3. n. 53.*

Ultra confirmationem exigitur, ut Abbas omnis perpetuus, qui Monachis præest, a proprio Episcopo benedicatur, *cap. 1. de suppl. negl.* 119
Præl. cap. cum contingat de æt. & postulanda est intra annum ab electione computandum, *Clem.*
2. §. statuimus de stat. Mon. Tambur. de Jure 120
Abb. Tomo 1. disp. 0. q. 7. Quod si Episcopus requisitus sine causa renuat; Abbas non expectata benedictione suum potest exequi officium, minores Ordines conferre, & alia præstare, quæ 121
sui sunt muneris, *cap. 1. de suppl. negl. Præl. Cochier. de Jurisd. in Ex. P. 4. q. 8. n. 1.* Atque id concessit maxime Cisterciensibus. Eugen. IV. Julius II. & Camaldulensibus Leo X. *Collector Privil. Cisterc. verbo Abb. §. 4. & 5. S. Congregatio sub die 26. Febr. 1619. & 8. Maii 1627.* Abbas enim est quis ante benedictionem *cap. meminimus de Acc. Clem. attendentes, §. statuimus de statu Mon.* Idque hodiè ante benedictionem servari, docet *Barbosa L. 1. cap. 17. n. 47.* ut nempe Abbates omnes actus omnes proprios exerceant. Hinc Eugenius IV. id concessit Congregationi S. Justinæ de Padua, Julius II. Monachis, & Abbatibus Olivetanis, Pius V. Abbatibus Canonicorum Regularium, *Tambu-*

rinus

rinus ubi supra Tom. 1. disp. 21 q. 14. Et singulare est in Abbatibus Congregationis Cælestinorum, & in Abbatibus S. Pancratii Florentiæ Ordinis Vallis umbrosæ, ut possint a quocumque Antistite benedici, Tamburin. Tom. 1. disp. 11. q. 0. & 10. - Quomodo verò benedicantur explicavimus L. 1. Tit. 18. n. 61. & seq.

212 Quidam Abbates habent usum Mitræ, & Baculi Pastoralis, quæ sunt Episcopalia insignia, cap. ut Apostolica de privil. in 6. Mitræ triplex genus, una gemmata, altera sine gemmis, sed cum auro, altera omnino simplex sine auro, prout fuerit ex privilegio concessa, latè Barbosa L. 1. cap. 17. de univ. Jure n. 54 Baculo uti nequeunt extra proprias Ecclesias nisi ex Privilegio, prout Abbatibus Canonicorum Regularium Congregationis Lateran. concessit Urbanus VIII. ut est in Libro priv. ejusdem Congr. pag. 214. Nec pariter Mitram posse gestare extra proprias Ecclesias, censuit Sacra Congregatio in Tonnacens. II. Augusti 1631. sine licentia Ordinariorum, & alias declarationes adducit Barbosa ubi supra n. 59.

213 Usum Pontificalium, qui exercetur in benedictionibus vestium, ornamentorumque Ecclesiæ sibi subiectæ, habet Abbas, cap. ut Apostolica; de Privil. in 6. Sacra rituum Congreg. die 14. Augusti 1606. apud Gavant. in com Rubr. Missæ, consecrationem vero, in qua unctio requiratur, efficere, sui juris non est, ità declaravit Sacra Congregatio, cujus verba refert Barbosa ubi supra n. 63. Ergo Abbas calicem, patenam, pixidem, & similia vasa nequit consecrare, nec altaria, nec campanas, cum Chrismatis unctio requiritur, Tamburinus Tom. 1. disp. 23. q. 2. & seq.

Alia de ordinationibus ad minores gradus diximus L. 1. Tit. 11 n. 7 & seq.

(o) Canonicatus.

DISSERTATIO VII.

De Canonicatu. Cur Canonici sic dicti. Quid Canonia, quid Præbenda Canonicalis. Quæ Canonic cum dignitas, & prærogativa: quid optio.

Post Abbatias enumeramus quidem in nostro Titulo alias duplicium Beneficiorum species, Decanatum, Præpositurani, Archidiaconatum, Archipresbyteratum; sed de his Beneficiis sermo habitus jampridem quantum oportet in Libro 1. Tit. 18. in explicationibus.

Nos ordo jam vocat ad Canonicatum. Tractemus hoc quoque argumentum, aliqua sedulitate.

214 Originem nominis scrutantur Magistri Canonum; dissentiunt tamen inter se non parum. Ego in 1. Lib. Tit. 0. n 16 suppresso auctoris nomine, utpote errore lapsi in materia jurisdictionum, nempe Jacobini Stefani unde notitiam paraveram, qualiscumque illa sit, censebam, Canonici nomen tractum esse a juramento quodam quatuor servandi canones primorum Conciliorum Generalium. Cum enim in Cathedrali Ecclesia, Episcopi docerent fidei rudimenta, una cũ Presbyteris selectioribus, hi verò in canones quatuor Cõciliorũ jurarent, a tali juraměto Canonicos, arbitrabar fuisse appellatos. Alii a canone, seu stipendio dictos, autumant, Canonicos. Canon namque, ut apud Leg s, est certus frumenti numerus plebi, aut militibus distribui viritim solitus, ut patet ex Legibus sub rubr. de can frum. de frum. urb. Const. de annon. atvel in cod. Lib. 11. Ita Canonici dicti Clerici, quibus pensio, stipendiumue ex Ecclesia, cui sint inscripti, debetur, Donat in pranct Can. L. 1. cap. 1. n. 9. Non displicet, quod ingeniose profert Cælius Rodiginus L. V. cap. 11 var. lect. Canonicos dictos ità, quod primi sint in Ecclesia, & supra mansionarios; nam & a Pythagoricis dicebantur κανονικοὶ illi harmonici, qui primas in judicando partes, longeque ratas maximè rationi adscribebant. Quare & canonica nuncupantur, quæ in navibus cataphractæ vocantur, & catastromata habent, idest pavimenta superiora.

Sed ego potiorem ceteris nomenclaturæ rationem judico, quam Tit. superiori indicavi in explicat. n. 62. Canonicos dictos a clausura illa quæ remansit sublata bonorum communione; hanc enim diù servavit Episcopus cum quibusdam selectioribus Presbyteris can. diligentissimis 12. q. 1. qui a canonica seu loeo illo clauso, in quo canonice vivebatur, Canonici dicti sunt; adduxi varias auctoritates id comprobantes, quas non repetam. Satis de nominis origine. 215

Canonicus sæcularis, de quo tantum agemus is dicitur, qui jus habet canonic, & Præbendæ in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia. can. dilectus de Præb.

Canonia, de qua non nihil supra diximus in ipso contextu, est jus spirituale, per quod quis habet non solum stallum in choro, & locum, sive vocem in Capitulo, proveniens ex electione, seu receptione in fratrem, cap. in Genesi de elect. cap. 2. de Ren. Barbosa de canon. & dig. cap. 11. n. 10. - Stallum exedra est in choro seu in peristiliis, cap. eam de rescript. cap. ne Dei de sim. & installare est in exedra hac ponere, quæ sedes symbolum est adeptæ possessionis, cap ut nostrum, de off. Ord. cap. dilectus 19. cap. pro illorum de Præb. & de hac Canonia Petr. Greg in Syntagm. L. 15. cap. 23. n. 12. 216 217

Præbenda ulterius requiritur; nam Canonicus solam habens Canoniam, non dicitur Canonicus Præbendatus, sed simplex, can. sanctorum 5. omnino 70. dist. Lotherius de re Benef. L. 1. q. 19. n. 6. Etsi enim habens Canoniam percipiat distributiones, cap. relatum de Præb. non tamen perficitur Beneficium Canonicale, nisi per assignationem Præbendæ, ut eleganter Lotherius ubi supra n. 10. Quantumvis etiam ad titulum talis Canonicatus, qui non habeat Præbendam, possit ipse Canonicus ordinari; nam distributiones tunc sufficient ad congruam sustentationem, & ideò poterit ordinari, idem Lotherius 218 219

rius ubi supra n. 6. Canonia verò nunquam erit
Beneficium, *cap. fin.* §. *in illis de concess. Preb.*
in 6. cap. in nostra 23. *de Rescript.* Sed facilè
est errore labi, nisi distinguatur, quę nam sit
130 hęc Præbenda Canonicalis. Nam Beneficium ge-
neratim sumptum respicit titulos, ex quibus
ratione officii spiritualis Clericis competit jus
percipiendi redditus Ecclesiasticos. At Præbenda
Canonicalis accipitur pro jure illo, quod com-
petit Canonico ad percipiendas distributiones,
& alios reditus Ecclesiasticos ratione sui Ca-
nonicatus, *cap cum in Ecclesiis de Preb. in* 6.
est igitur hæc Prębenda qualificata, *cap. tua* 32.
ff. de V. S. *Barbosa de can. cap.* 12. *n.* 24. quo-
camque alio Beneficio præstantior, *cap. statutum*
de Preb. in 6. quę competit tamquam uni de col-
legio, ut notari vult *Lotherius de re Benef.* L.
2. *q.* 19. *n.* 27. *Mancinus dissert.* 5. *cap.* 1. *n.* 56.
& seq. Initium, seu titulus hujusmodi juris est
collatio, *cap. cum in Ecclesiis de Preb. in* 6.
Titulus Canoniæ est receptio in fratrem, notat
Barbosa ubi supra n. 20. Post collationē proinde, ut
Canonicatus suum habeat implementum, Cano
nia parit Præbendam, nec enim Canonicatus
diu sine Prabenda esse potest, *can. si quis obie-*
cerit 1. *q.* 3. *cap. relatum*, *cap. dilectus de Preb.*
Gonzales Gloss. 5. §. 2 *n.* 15. *& seq*

Hinc intelligitur, quid sit Canonicus, quem
dicunt *in herba*, qui nempe caret Prębenda, &
131 nomine tantum Canonicus est. Et olim quidem
in Canonicum extra numerum quis recipiebatur
cum expectatione futuræ Præbendæ, ut patet ex
quampluribus Juribus Decretalium; sed post
Concilium Tridentinum id amplius non licet,
sess. 24. *de ref. cap.* 19. ut etiam declaravit Sa-
cra Congregatio, cujus verba profert *Gonz. in*
Proemio §. 1. *n.* 64. his verbis: *Ex hoc decreto*
expectativarum abrogatarum, colligitur, non pos-
se erigi Canonicatum supernumerarium ad fu-
turam Prebendam.

Attamen in Ecclesia Salmantina consuetudo
132 extat immemorabilis a Pio IV. motu proprio
confirmata, qua ante quam vacet aliquis Cano-
nicatus, cujus electio spectat ad Canonicos, eli-
guntur a Capitulo præcedente licentia Episcopi
duo, vel tres expectantes locum ultimi Cano-
nici sine Prębenda vacaturum, ad quem juxta gra-
dum expectantis denuò a Capitulo eligitur unus,
& admittitur Episcopi consensu; Consulta sa-
cra Congregatio censuit hanc consuetudinem
non comprehendi in illo decreto, quam decla-
rationem adducit *Garcias P.* 6. *de Benef. cap.*
2. *n.* 5.

Cognita Canonicatus definitione; videamus,
133 an Canonicatus sit dignitas?

Dicimus, quod propriè, & stricto modo lo-
quendo, Canonicatus non est dignitas, sed quasi
dignitas, & honor in Ecclesia præcipuus, ad
tradita per *Barbosam de Canon. cap.* 19. *per tot.*
per Mancini dissert. 17 *n.* 8. *&* 9. *Sperellus decis.* 167.

Ratio est quia ea Ecclesiastica Canonicatus in-
stitutione, nulla est ipsi annexa jurisdictio, *cap.*
2. *de ren.* ubi Canonicatus Beneficium tantum
appellatur, ut arguit *Barbosa de Canon. cap.* 10.
n. 3. *Murga de Benef. q.* 3. *n.* 60.

Ulterius Concilium *Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de*
Reform. dum ita loquitur: *Neminem etiam de-*
incepi ad dignitatem, Canonicatum aut portio-
nem recipiant, nisi qui eo ordine, &c. signifi-
cat, Canonicatum non esse propriè dignitatem.

Alia ex parte aliquo modo Canonicatum esse
dignitatem, ex eo constat, quia Bonif VIII. &
consequenter quoque Tridentina Synodus, iisdem
Canonicis id concessit, ut tertio loco relati sint
inter personas habiles, & idoneas, quibus rectè
delegari possint causæ Ecclesiasticæ, *cap. statu-*
tum de Rescript. in 6. & id rationem habet, quia
ut plurimum Canonici sunt personæ honorabi-
les, erudite, & qualificatę, ut differit *Ste-*
phanus Vtecim. ad Const. 24. & qui in Ecclesia
judicant, sunt Prælati *cap.* 2. *de Jud*

Cessatque omnis disputatio in illis Cathedra-
libus, in quibus Canonici alias insuper obtinent
prærogativas, ut Florentiæ, ac Pisis. Floren-
tiæ namque Canonici Cathedralis Ecclesiæ sunt 134
etiam Protonotarii participantes. Ac si quæris
quid sibi velit, esse Protonotarium participan-
tem paucis dicam, Protonotarius, idest Notarius
Pontificis est in dignitate, *can. cum Redemptor*
§. *hanc autem* 12. *q.* 2. ut ex hoc Textu asserit
Cassaneus in Cathalogo quarta Part. cons. 29.
diciturque Protonotarius, idest primus Notarius
Apostolicæ sedis. Ipse Clemens I ad Sancto-
rum gesta perquirenda, & exaranda *instituit* No-
tarios anno 98. septem *ex Gomesio in Proæmio*
ad Reg. Cancell. n. 1. prout septem erant Urbis 135
Romę regiones, quibus cum essent distributi ad
describendas res Martyrum gestas, regionarii id-
circo etiam dicti, & scriniarii, quod Antherus
I. Martyrum gesta conscripta scriniis Ecclesiæ ser-
vari, jussisset anno 238. Tum cessantibus per-
secutionibus, quæ ad Ecclesiam pertinebant scri-
bere ceperunt, *Damasus in vita Julii*, & literas
etiam Apostolicas. Deinde crescentibus opi-
bus, & honore ad differentiam aliorum urbico-
rum Notariorum, dicti Protonotarii idest primi
Joan. de Platea in L. 2. *C. de Prim.*, L. 1 *Petrus*
Gregor. in Syntagm. L. 15. *cap.* 42. *a n.* 12.

Ex his quidam dicuntur participantes, quidam
non participantes. Participantes sunt septenarius
ille numerus, qui usque ad Sixtum V. servatus
est; ipse verò anno 1586. ad duodecim ampliavit
cum multis prærogativis. Hi sunt omnes parti-
cipantes *Lotherius de re Benef q* 20 *n.* 43.

Non participantes sunt extraordinarii, idest
titulares, qui tamen dignitatem habent, & præ-
feruntur quibuscumque Clericis & gerunt Ro-
chettum, cum habitu coloris violacei, ut censuit
sacra Congregatio Rituum 18. Julii 1626. apud
Barbosam de Jure universo L. 1. *cap.* 23. *n.* 17.
possuntque imponere pileum supra stegmata, ut
censuit sacra Congregatio *in Chomaren. & Neo*
castren. 21. *Aug* 1601. apud *Barbos. ib. n.* 30.
& de eorum exemptione Concilium *Tridens.*

sess.

sess. 24. *de Reform. cap.* 11. Nam si est in dignitate Notarius Principis, *L. maximarum* 12. *C. de excus. mun.* *L.* 10. *L. si quis* 1. *C.* & *mand. Princip.* *L. neq. cod. de Decur.* *L.* 12. multo magis Notarius Pontificis, ac proinde gaudet privilegio fori, etiam si non sit addictus servitio alicuius Ecclesiæ, habet enim dignitatem Ecclesiasticam, *Lochbier P.* 1. *q.* 18. *Lotherius ubi supra n.* 50.

Jam verò Leo X. anno 1516. privilegio singulari Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Florentinæ decoravit, ut honoribus, & facultatibus Protonotariorum participantium gauderent, *teste Scipione Ammirato L.* 10. *P.* 2. *histor.* nempe iis, qui expressi postea fuerūt in Bulla Sixti V *Romanu*, spurios legitimandi ad successionem honorum, statuta pro Collegio condendi, restand de acquisitis ex bonis Ecclesiæ pro ducatis s. mille, creandi unum Notarium, utque locum in equitatu habeant &c.

Pisis autem, Capitulū habet Jura quædā Episco-
136 palia, nam quędam Beneficia ad institutionem Capituli pertinent, & ad illius liberam collationem, *Vivianus de Jure Patr P.* 1. *L.* 4. *cap.* 1. *n.* 24. & *L.* 12. *cap.* 5. *n.* 14. ubi prærogativę aliæ enumerantur.

Apparet igitur, Canonicus qua dignitate potiatur. Quę etiam detegitur Sede vacante; nam
137 in jus universum Episcopale subintrat, & potest omnia facere, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, ut docent *cap. illa ne Sede vacante*, *Guttierez can. QQ. L.* 1. *cap.* 11. *n.* 10. *Pavin. de off.* & *pot. cap. sede vacante P.* 1. *q.* 1. *n.* 3. & *q.* 5. Absoluit ab excomunicatione, *cap un. de major.* & *ob. in* 6. visitat universam Diœcesim, *cap. Ecclesia de suppl. negl. Pral. in* 6. post lapsum anni, *Sacra Congregatio in Pampilon.* 3. *Februar* & 10 *Decembr.* 1610. *apud Barbosam de Can. cap.* 42. *n.* 71. dispensat in casibus in quibus dispensat Episcopus, *cap.* 1. *de fil. Presb. in* 6. *Tridentinum sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. Cognoscit de causis in prima instantia *vigore Concilii Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. Præficit œconomos *cap. cum vos de off. Ord.* Instituit præsentatos a Patronis, *cap.* 1. *de inst. in* 6. Quę, & similia, de quibus lato calamo scripsit *Barbosa ubi supra*, vera sunt in casibus, in quibus jure aliquo speciali non competat facultas aliqua Episcopo, ut est exemplum in *cap.* 2. *de sede vacante*, *in cap. quanto*, *in cap. ea noscitur de his, quæ fiunt a Pral.*

Quæ omnia probant assumptum initiu propositum, quod Canonici aliqua dignitatis prærogativa fruantur. Qua de re latissimè *Cassaneus in Cathalogo P.* 4. *consid.* 32.

Comprobatur, quia Canonici dicuntur fratres Episcopi *cap. quanto de his quæ fiun a Pral.* ad fratres autē extenditur dignitas, ut paternus honor ad filios *L. famina*, *L. filium L. liberos*, *ff. de senat. cap.* 2. *de convers. infid.*

Addo insuper, Cathedralem Ecclesiam, cujus pars est constitutiva Capitulum, tam præ-
est ceteris Ecclesiis, ut appellatione Ecclesiarum non veniat, *cap. quamvis*, *§. quamquam de Præb. in* 6.

Ex his fundamentis per se concidunt, quæ opponi solent, eaque idcircò omittimus, quæ videri possunt apud *Sebast. Cæsar. de Eccl Hierarchia disp.* 12 *§.* 6. *aliosque citatos a Barbosa de Can. cap.* 19.

Satis jam de dignitate Canonicorum. Agendum nunc esset de Canonicorum speciebus, ex his enim quidam est Pœnitentiarius, de quo tamen differuimus *hoc Libro Tit.* 5. *n.* 65. Quidam est Canonicus Theologus, seu Lectoralis, de quo *in sequenti adnotatione* sermo erit.

His igitur nunc omissis, de Jure optandi non nihil attingemus, quod præcipuè ad hunc tractatum de Beneficiis pertinet.

Jus optandi nititur facultate, quæ conceditur *in cap. ult. de consuet. in* 6. Quęnam hæc facultas? Cum Præbendę, sive potius Præbendalia consistant in mera, & nuda temporalitate, uticonflata ex prædiis annexis cuicumque Præbendę, ideo inter ipsos Canonicos possunt permutari: Bonifacius VIII. *in dicto cap. ult.* jubet, observari consuetudinem, qua antiquiores Canonici gradatim possunt, si voluerint, cum vacant, per se, vel alium meliores Prębendas decedentium optare, hoc est suas deteriores cum melioribus vacantibus permutare *Moneta de optione Canon. cap.* 1. Optio ergo tribuitur consuetudini *Barbosa de Canonicis cap.* 30. *n.* 2. 138

Sed ne qua sit ex ignoratione terminorum confusio, scias, studiose Juris optionem interdum exactionem significare, *L. super C. de Jure Fisci L.* 10. Aliquando electionem, *ff. de opt. Leg. §. optionis*, *Inst. de Leg.* In sensu præsenti accipitur pro iure ascendendi ad majores, pinguioresque Præbendas *cap. cui de Præb. in* 6. *Gonzal. in Reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 32. 139

Antiquior autem dicitur, qui majori fulget servitii prerogativa, ut *d. cap. ult.* interpretatur *Gonzalez ib. n.* 40. *Barbosa ubi supra n.* 9. *Ventriglia Tomo* 1 *annot* 6. *§ un. n.* 5.

Imò etsi Canonicus antiquior nondum sit in sacris, & vocem in Capitulo non habeat, tamen optare potest *Clement.* 2. *de ætat* ut ex hoc Textu arguit *Glossa*, *Gratianus Tomo* 4. *discept. forens. cap.* 483 *n.* 21.

In Beneficiis tamen reservatis optio locum non habet neque in vacātibus in Curia *d. cap. ult. Barbosa ubi supra n.* 20. & 21. *Ventriglia ubi supra n.* 16. 150

(p) *Theologalis.*

DISSERTATIO VIII.

De Præbenda Theologali pro expositione Textus in cap. quia nonnulli, §. jane de Magistris.

Modis omnibus prospexere canones fidelium utilitati. Imperitia Sacerdotes dedecet *can. Sa-*

tuimus

tuimus 61. dist. præfertim Divinę Legis, & sacræ sapientię. Christianos item indigere, palam
141 est iis cognitionibus, quę ad vitam æternam, atque ad ejus, ut ita dicam, vehicula pertinent. Ergo in Concilio Generali Innocentius III. decrevit, ut Metropoles Ecclesia Theologum haberet, qui Sacerdotes, aliosque in sacra pagina doceret, in hisque præsertim, quæ ad curam spectant animarum, Textus est in *cap. quia nonnulli, §. sanè de Magistris* Idipsum comprobat, confirmatque *Concilium Trid. sess. 5. cap. 1. de Reform* ne cælestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceret, disponens, ut si non sit Prębenda, *Præstimonium*, aut stipendium destinatum pro Canonico deputato ad lecturam sacrę scripturę; Prębenda primo vacatura, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta, & deputata intelligatur. Sin verò nulla foret in Cathedrali, aut aliis Ecclesiis (ubi legi Scripturam, disponit Concilium) Prębenda sufficiens, providebit Episcopus hoc modo, nempe alicujus simplicis Beneficii fructus ad id deputabit. Sive jubebit, Beneficiatos suę Civitatis, & aliorum contribuere, quantum sit satis, vel provideat Episcopus alia ratione, ut ait Concilium *vers. vel alias*.

Et tam sollicitus est Pontifex de hac sacræ scripturæ interpretatione, qua veluti cælestiore uberiores æternę vitæ fructus sperare licet, ut ait in *formula erectionis Corradus L. 2. in Praxi cap. 5. n. 8.* ut cum providetur Ecclesiæ Episcopali de novo Pastore, ac in illius statu non
142 enarratur, Ecclesiam habere Thologalem, & Pœnitentiariam Præbendas, in literis hujusmodi promotionis tale adiiciatur decretum: *Volumus autem ut Theologalem, & Pænitentiariam Prabendas, ad præscriptum Concilii Tridentini quamprimum erigas, & montem pietatis fieri, cures, conscientiam tuam super hoc onerantes, adducitur a Corrado ubi supra n. 21.*

Curabit tamen Episcopus, non deputare in Præbendam Theologalem Beneficium vacans in
143 mense Apostolico, vel alias reservatum; nam sacra Congregatio declaravit, talem deputationem irritam esse, quam declarationem adducit *Gargias de Benef. P. 5. cap. 4. n. 128. Ventriglia Tomo 2. in Praxi annot. 12. §. 1. n. 19.*

Quod si nulla sit Prębenda in Cathedrali, sed omnes fructus consistunt in distributionibus quotidianis, poterit Episcopus ad Lectoratum Theo-
144 logalem tot distributiones, quot sufficere, judicabit, ipsi assignare, ut declaravit Sacra Congregatio *apud Garciam P. 5. cap. 4. de Benef. n. 128.* his verbis: *Tertio intelligitur etiam Praebenda cujus fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis, sicut reliqua &c.*

Insuper, si Prębenda vacans esset insufficiens, poterit Episcopus, vacante alteri ambas appli-
143 care pro lectione sacræ scripturæ dummodo Canonici sufficiens habeant stipendium, ex declaratione *sacra Congregat. die 16. Febr. anno 1619. apud Barbosam de Canon. cap. 26. n. 8.*

Addendum, ad uberiorem explicationem erectionis hujusce Prębendæ, quod licet *in cap. ult. de conf. in 6.* facultas optandi Canonicis conce-
datur, prout in præcedenti dissertatione docui- 146
mus; attamen sic erectam Theologalem Canonici optare non possunt, en verba declarationis *Card. apud Gonz. in Gloss. 34 n. 80. non potest optari Prabenda, qua fuit erecta, & deputata in Theologalem pro Theologo a sequenti Canonico*, sicuti nec ipse Canonicus Theologus aliam optare potest Prębendam, ex *declaratione sacra Congreg. 7. Junii 1601. apud Ventrigliam Tomo 2. annot. 12. §. 1. n. 20.*

Satis hęc de erectione Prębendę Theologalis. Jam verò audi studiose Juris, quiddã valdè notabile.

Si in Ecclesiis tenues sint redditus, & exiguus Clericorum numerus, & populi, ac proinde lectio sacræ Scripturæ haberi non possit ibidem;
præcipit Concilium, haberi saltẽ magistrum gram- 147
maticę, per Episcopum eligendum, qui Clericos aliosque seculares gratis doceat, cum stipendio vel ex fructibus alicujus Beneficii deducto, vel aliunde prout videbitur Episcopo consultius.

Atque id ipsum disponitur *in cap. quia nonnulli de Magistris*, prout intelligit Textum *Ventriglia ubi supra n. 21.*

Venio ad concessionem Prębendæ Theologalis. Si cupis intelligere, quis eam conferre debeat?

Dicimus, quod si vacaverit in mense Aposto-
lico, vel alias esset reservata collatio, ad Pon- 148
tificem spectabit, ita rejecto *Zerola*, qui unicè, collationem ad Episcopum pertinere censet, *Barbosa de Canon cap. 27 n. 13.* Si verò vacarit in mense proprio Episcopi, ad eum spectat collatio, *Gonzal. Glos. 9. §. 2. n. 83. Ventriglia ubi supra n. 12.*

Circa materiam sacrę scripturę, hęc arbitrio Episcopi relinquitur, *Barbosa de potestate Episcopi P. 1 all. 56. n. 6.* Sacra tamen Congregatio sic censuit: quod, *satisfit Concilio ritam Theologiam scholasticam legendo, adducitur a Garcia P. 5. cap. 4. n. 156.* quia Concilium indifferenter loquitur de Scriptura, ac Theologia, & deducitur ex Textu sępe adducto *in cap quia nonnulli de Magistr. ex Concilio Provinciali Compostel. act. 2. decret. 26. ex Concilio Provinciali Toletano act. 2. decret. 28. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. discursu 2. n. 17.*

Scripturam verò non aliter Canonicus interpetrabitur, quam quomodo Ecclesię luminaria
in suis scriptis exposuere, juxta decretum Con- 151
cilii Constant. cap. 19. Trident. sess. 4. de ed. & usu sacror. Libr §. praterea.

Circa tempus, hoc quoque arbitrio Episcopi
remittitur, *Barbosa de Canon cap. 27. n. 27.* Po- 150
test tamen Canonicus hic cessare tribus mensibus Julii, Augusti, & Septembris, *Garcias P. 5. cap. 4. n. 157.* qui adducit circa arbitrium Episcopi verba declarationis Cardinalium. Hoc tamen verum est, nisi alia sit consuetudo, vel pactum. In Ecclesia Capuana semel in hæbdo-

mada

mada explicatur Sacra Scriptura, narrat *Ventriglia ubi supra n. 28.*

Tandem Canonicus Theologus per se ipsum legere debet. Quod si infirmitate laboret, dis-
153 tinguitur. Aut enim est sanabilis, tunc ad ponendum substitutum compelli nequit, si sanabilis non est, cogi potest, *Barbosa de Canonicis cap. 27. n. 32. Garcias de Benef. P. 5. cap. 4. n. 159.*

(p) Æconomi.

DISSERTATIO IX.

Oeconomi officium; quotuplex æconomus, quæ eius nomina, quis æconomus Beneficium habere dicatur?

Dum ad Beneficii species libuit in nostro Titulo œconomi officium aggregare, secutus sum divisionem Murge de *Benef. q. 2. n. 322.* Silvestri *in verbo Beneficium 1. n. 2.* neq. dubitem pronunciare, cum his auctoribus, potius hoc officium Beneficii duplicis naturam mutuari.

At inquies, quis hic æconomus? An idem quod procurator? An idem quod Præpositus? prout vocatur *in cap. quamvis de verb. sig.* An idem quod intercessor? ut in *can. constitutum 7. q. 1.*

Ne turberis, indagando tam varia nomina, Rem omnem a suis initiis repetitam explanabo, ut innotescat hoc officium æconomi. Sunt æconomi, quibus res Ecclesiæ gubernandæ mandantur, *L. jubemus, C. de Sacros. Eccl. L. omnes, §. praterea, C. de Episcop. & Cl.* Olim quidem vacante Sede Episcopali mandabatur cura Ecclesię a Metropolitano uni ex Provincialibus Episcopis, qui intercessor dicebatur, *can. constitutum 7. q. 1.* In Italia Pontifex vacanti Ecclesiæ deputabat æconomum, qui visitator dicebatur, ut Gelasius Stonensi Ecclesiæ, *can. Presbyteri dist.*
155 *24.* ut Gregorius Panormitanæ Ecclesię, *can. obitum dist. 61.* ut Pelagius Papa Catinensi Ecclesiæ, *can. Catinensis ead. dist.*

Sed non vacante quoque Ecclesia Episcopali æconomus constituitur. Immò Episcopus ex canonum præscripto debet æconomum habere; audi Textum in *can. quoniam 16. q. 7. Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere æconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas.* Hoc verò officium laico committi non potest, *can. in nova ead. c. & q.* ibi: *ut unusquisque nostrum secundum Chalcedonensium Patrum decreta, ex proprio Clero æconomum sibi constituat; indecorum enim est, laicum esse Vicarium Episcopi.*

Officium hujus æconomi est, prout describitur ab Isidoro Hispalensi in Epistola ad Ludifredum Cordubensem Episcopum: reparare Basilicas, tributa accipere, curam gerere agrorum,
158 victum domesticorum Clericorum parare, & stipendia Clericorum, viduarum, & devotarum pauperum, ad ipsum curare pertinet; videndus *Dartis in dist. 89.*

Jam quis neget vicedomini officio posse Beneficii genus constitui, & quidem duplicis? Hinc 159
& major domus Episcopalis, qui vicedomino assimilatur, dignitas est in quibusdam Ecclesiis, ut Vercellis in Ecclesia Sanctæ Mariæ; & hac de re Textus in *can. volumus dist. 80. & Glossa in verbo & majorem.*

Est alter æconomus, quem debet Episcopus instituere in Ecclesiis inferioribus vacantibus,
etiam si Ecclesia sit Patronata, expresso textu 160
in cap. cum vos de off. Jud. ordin. ibi: *si quando in illis vacantibus Ecclesiis in quibus Ecclesiastica persona præsentationem non habet, vel quæ persona minus idonea vobis præsentantur (& infra) ponatis æconomos.* Licet enim Patroni sint defensores Ecclesię, *cap. 1. de reb. Eccl. non al. in 6. Clem. 2. eod. Tit.* Attamèn laicis æconomis esse non licet, ex prohibitione *Concilii Chalcedonens. can. 23.* secus esset, si de Patronis Ecclesiasticis ageremus, *cap. cum & plantare, §. in Ecclesiis de Privil.* ut ex hoc Textu *Vivianus de Jure Patr. L. 7. cap. 8. n. 1.* Ideòque Episcopus in Ecclesia patronata tunc æconomum non constituet, ut idem *Vivianus ib. n. 1.* Quod tamen in Parochialibus cujuscumque patronatus corrigitur a *Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 18.* Episcopi enim jus est statim in ea vicarium idoneum constituendi. Qui æconomus, seu vicarius congruam recipiet, nempe portionem fructuum, quæ erit duorum circiter aureorum in menses singulos, reservatis aliis fructibus illis, quibus jure debentur, *cap. præsenti fin. de off. Ord. in 6.* ut notat ex hoc Textu Nicholaus *Inst. Can. L. 3. Tit. 5. n. 2.*

Iam verò talis æconomus non dicitur ob æconomiam beneficiatus, *ad tradita per Barbosam de un. jur. L. . cap. 7. n. 11 per Quaratinum Ædituum in cap. de multis de Præb. n. 8. & 163. dixi in superiore Tit. in explicat. sub n. 29.*

[q] Consistorialia.

Quæ nam sint Beneficia Consistorialia, & quomodo concedantur.

Beneficia Consistorialia ea sunt, de quibus Pon-
tifex disponit in Consistorio secreto, præsentibus 161
Cardinalibus, & sunt descripta, & taxata in libris Cameræ Apostolicæ, & in quibus etiam requiritur, ut formetur processus super qualitatibus promovendi, & statu Ecclesię, ut sunt Episcopatus, Abbatiæ, & Monasteria, de quibus præviæ præconizatione in uno Consistorio fit postea relatio in alio Consistorio per Cardinalem protectorem, *Sarnen. de infir. resign. q. 14. n. 3. Parisius de resignat. Benef. L. 2. q. 2. & L. 8. q. 6.* Atque idem Cardinalis protector signat schedulam, & Vicecancellarius officialis a Pontifice deputatus signat contra schedulam, cui statur, & super ea literæ Apostolicæ expediuntur, *Puteus decis. 310. L. 1. Vanaxel ad Lib. 3. Decret. n. 57. Tit. de Præb.*

Ad obviandum namque plurimis, quæ in electione capitulari contingebant, scandalis, Episcopalium præsertim Ecclesiarum Pont fices provisiones sibi reservarunt. Primo quidem Clemens V. reservavit Cathedrales, quas apud Romanam Curiam vacare contigisset. *Extrav. & si temporalium de Præb.* Deinde earum quoque Ecclesiarum, quæ Clero, & populo carerent, *Clem. in plerisque de elect.* Benedictus XI. quatuor reservavit Patriarchales Ecclesias, *Extrav. sancta Romana de elect.* Joannes 22. pro visioni suæ reservavit Episcopales, & superiores Eccl sias vacantes apud Sedem Apostolicam, *Extravaganti ex debito de el.* Benedictus XII. reservavit omnes Patriarchales Ecclesias sim liter vacantes apud Sedem Apostolicam, *Extr. ad regimen. de Præb.* Tum generatim omnes Ecclesiæ Episcopales reservatę fuerunt in Regula secunda Cancellariæ, *Lottherius de re Benef.* L. 2. *q.* 27. *n.* 107. *Matta de Consistorial. causis in Proemio n.* 20. *& seq.*

163 Est ergo Consistorium sacer Cardinalium cœtus coram Pontifice, in quo proponuntur, & deciduntur controversiæ electorum ad hæc Beneficia Consistorialia. Atque hi olim bis quidem in hebdomada, tum semel tantum conveniunt, *Petrus Greg. in Syntagm.* L. XV. *cap.* 4. *n.* 15. & luculentius idipsum explicamus L. 1. *Tit.* VIII. *n.* 30.

(r) Manualia.

DISSERTATIO X.

De Beneficiis Manualibus, ubi de Præceptoriis Æquitum militarium.

164 En vocem subobscuram prima specie: *manuale beneficium*. Ades dum, studiose Juris, paucis te volo. An non audisti quid sit in Jure Civili precarium? Quadrat precarium manuali tatis. Precarium concedentis voluntate, dic. sodes an non adimitur L *precarium* 1. *ff. de precario*? Ergo nunc manuale Beneficium dico, quod Superioris, qui illud contulit, arbitratu, idest manu, & potestate adimitur. Est ergò aliquid similitudinis inter precarium, & manuale Beneficium. Manus namque potestatem significat: Hinc illud Pomponii in *L.* 2. *§. & quidem ff. de orig. Juris*: *omniaq. manu a Regibus gubernabantur*. Inde manumissio, L. 4. *ff. de Just. & Jure*, & emancipatio, *§. praterea Inst. quib. mod. Jus patr. pot.* sunt liberationes a potestate dominica, vel paterna.

Age iam, quæ nam sunt hæc Beneficia manualia? Non cunctabor, quorquot ea sint, enumerare.

165 Primo quidem manuale dicitur, cum a Pontifice ad tempus, sive ad suum beneplacitum concceditur, hinc beneficiasus eligitur Episcopus, ut beneficium possit retinere usque ad suum beneplacitum, concedit Pontifex, & potest concedere Pontifex, *cap. si gratiosè de Rescriptis in* 6. Episcopus non potest ad suum beneplacitum beneficium concedere, *Glossa in cap.* 2. *de elect. Murga de Benef. q.* 3. *n.* 473. *Vanaxel ad Tit. de Præb.* L. 3. *n.* 47.

Secundo omnes Præceptoriæ S. Joannis Hierosolymitani sunt beneficia ad nutum, & amovibilia, *Gonz. in Reg.* 8. *Gloss* 5. §. 6. *n* 54. quamquā non prorsus huic doctrinæ meum suffragium attribuo. Imo tales Præceptoriæ aptitudine sua sunt perpetuæ, licet obtinentes potius ratione obedientiæ, & ex vi professionis, quam ex natura earum possint removeri ad nutum Superioris, *Barbosa de un. Jure cap* 1. L. 3. *n.* 4. & ideò Gregorius XIII. Præceptorias hujusmodi Ordinis S Joann. Hierosoly itani vacare sta uit per promotionem ad Episcopatum, Const. 82. quę incipit *controversia* 3. *Kal. Maii* 1583. *in Bullario novo Tomo* 2.

Tertio Regularia Beneficia ut plurimum manualia sunt, qualia in Ordine Humiliatorum, & Præmonstratensium tradit esse *Joannes Andreas in add. ad Glossam in cap. un. de Capell. Mon. in* 6. Rebuffus verò *in Tract. de pacif. poss. n.* 273. scribit Abbatem Sancti Sulpitii apud Bituricenses triennalem esse, & singulis trienniis eligi. Hinc & Clemens V ex Concilio Viennensi *in cap. un. de supplenda neglig. Prał. in* 6. ait, Priores, & administratores Beneficiorum, quæ sunt de mensa Abbatis, vel Monasterii, posse liberè ad claustrum cum oportuerit, revocari. Quod intelligitur de Beneficiis, quorum administrationes conferuntur ab Abbatibus, non quando per electionem ad ea vocantur, Petrus *Gregorius in Syntagm. L.* 15. *cap.* 36. *n.* 3. Priores enim manualia habent Beneficia: alii nequaquam, *cap.* 2. *de statu Mon.* qui sitularii sunt, nec aliorum more, ad regimen tantum Ecclesiarum, vel Prioratuum deputantur, *cap.* 1. *§. in eos de Privil. in* 6. Nam per electionem ipsis Beneficium conceditur, & propterea ad nutum Superioris non est revocabile, *d. cap.* 2. *§. Priores de statu Mon.* & ex hoc Textu *Lotherius L.* 1. *q.* 33. *n.* 73. & 74. Ratio est, quia ut potè electus, jus, quod hic habet, non recognoscit ab eo, cui est obedientiarius, sed illud habet a majore quadam vi, & potestate, nempe ab ipso Collegio *can.* 3. 4. & 5. §. *defuncto vero* 18. *q.* 2. Talis, est Abbas, aut Prior Conventus, *can. nullum ead. c.* & *q.* Repetenda sunt, quæ diximus *hoc Libro Tit. de Capellis Monachor. in explicat.*

Quarto manuale Beneficium est ex voluntate testatoris, cujus ordinatio fuerit ab Ordinario confirmata *can. laici, can. inventum* 16. *q.* 7. qui sic dotavit Capellaniam, ut possent hæredes, & successores Rectorem pro libito removere, *Corradus in Praxi Benef. L.* 1. *cap.* 6. *n.* 269. *& seq.*

Nihilominus hęc amovibilia Beneficia, quæ ad hanc divisionem rediguntur, a Pontifice in perpetuum, ad vitam videlicet oratoris concedi 166 possunt, sicut pluries in Dataria Apostolica contigisse, refert *Corradus ubi supra n.* 201. & effectus est; ut sic provisus ab inferiori non possit revocari, ut *Joan. Andreas in cap. præsenti de*

off. Ord.

off. ord. in 6. & in cap. cum singula de Prab. in 6. Atque adeò cum Paulus V. contulisset ad vitam Dyonisii Paleotta anno 1617. curam Ecclesiæ S. Justinæ, contendebat Episcopus Castrensis removere Beneficiatum, & fuit Episcopo rescriptum per Advocatum Aulæ Consistorialis, se non posse, narrat Corradus in Praxi Benef. L. 1. cap 6. n. 198.

167 Tandem Cabassutius in Scientia Canonica L. 2 cap. 1. n. 10. asserit ex Rebusso, in Gallia nulla esse Beneficia manualia.

(f) Ad mensam.

De Beneficio, quod dicitur de mensa

Accidit interdum, Beneficia quædam esse mensalia. Mensalia Beneficia sic dicuntur, quia sic pleno Jure, quoad temporalia, & spiritualia unita fuerunt mensæ, aut monasterii, aut Pre-
168 laturæ, aut dignitatis, ut si a Monasterio, Prelato alteri concedantur, ifque intereat, non vacent, *Clem. 1. §. quidam de excess. Prel.* & de his mensalibus Beneficiis ibi tractatur. Finge, curam unitam fuisse mensæ Monasterii, ità ut cura animarum resideat in persona Prælati, & deserviat per Vicarium temporalem: hoc Beneficium curatum dicitur de mensa; Rectori verò sola conferrunt administratio, *Clem. quia contingit in principio, & §. ut pramissa de reli dom.*

Cognoscitur, an aliquod Beneficium mensæ unitum sit, cum Prælatus ad quem mensa pertinet, fructus Beneficii uniti in suos usus potest
169 convertere, *cap. cum & plantare, § in Ecclesiis, & ibi Glossa de privil. cap. quoniam, & ibi Glossa ib. Vanaxel ad Tit. de Prab. P. 1. n. 50.* De his Beneficiis mensalibus latè *Murga de Benef. q. 3. n. 148.*

(t) Affecta.

DISSERTATIO X.

Quid Beneficia affecta esse, significet. Quanam ea sint?

Nemo credat, inventum esse Pragmaticorum Beneficii affecti nomenclaturam. Audi verba Textus in *Extravag. ad Romani 14. §. Romani*
170 *de Prab. ibi per hujusmodi reservationem, & decretum remansisse, & remanere affecti.*

Pro expositione hujus Textus, & intelligentia Beneficii affecti, sciendum est, reservationem Beneficii non parum a Beneficii affectione distare. Reservatio respicit verbalem actum, atque expressionem, ut si Pontifex, aut lata Constitutione, aut verbo solo reservet suæ collationi aliquod Beneficium. Affectio respicit realem actum factumque, ex quo tacita inducitur reservatio, ut cum apponit manum idem Pontifex super dispositione alicujus *Beneficii*, ità ut inferior amplius se nequeat in hujus collatione Beneficii ingerere, *cap. ut nostrum de appell. cap. cum nobis, in fine de elect. cap. is cui, & ibi Glossa verbo confirmatus de el. in 6. cap. 1. & 2. de conf. firm. utili.*

Nec desunt exempla. Finge, clausula ponitur in gratia, qua Ordinarii dispositio impediatur irriteturve juxta *cap. si soli de concess. Prab. in 6.* 171
cuncta Clem. 1. de conc. Prab. Manum apposuisse censetur Pontifex. Finge, mandat Pontifex electoribus, ne procedant ad electionem, is quoque modus est afficiendi Beneficium, *cap. si eo tempore de elect. in 6.* Finge, dat Pontifex Beneficium in commendam, vel in eo administratorem ponit; an non, & hæc est appositio manus Pontificis? & de Commendis est Textus *in can. qui plures 21 q. 1.* Finge, concedit alicui Pontifex mandatum *de providendo* de certo Beneficio etiam ante vacationem; tale Beneficium remanet affectum, *Extravag. ad Romani §. Romani de Prab.* ut ex hoc Textu *Gonzales in Glossa 52. n. 53.* Aut si Pontifex committit alicui executionem literarum Apostolicarum, super alicujus Beneficii provisione; tunc enim alius etiam legatus, se se nequit ingerere, *cap. 2. de off. de leg. ut ex hoc Textu Vivianus de Jure Patr. L. 15. cap. 1. n. 78.* Atque ut alia exempla fando exponam; contingit etiam remanere Beneficium affectum, si quis illud Pontificis in manu renunciet, nullus namque Ordinarius illud conferre potest, *Gonzales in Regul. 8. Glossa 51. n. 56.* Ulterius quædam officia Sedis Apostolicæ, ut collectorum, & subcollectorum affecta sunt, *Vanaxel ad Tit de Prab. P. 1. n. 54.*

Nec mirum videri debet, si hæc, & alia similis generis Beneficia affecta remaneant, ob manuum appositionem Pontificis.

Sic enim manus appositio in Ordinibus minoribus impedit, ut nemo alter etiam si sit Ordinarius, possit tali Clerico majores Ordines conferre *cap. cum in distribuendis de tempor. ord. D. Greg. L. 4. epist. 30. indict. 13.* Si enim ob reverentiam Episcopo debitam, non licet Presbytero Missam in eo altari celebrare, ubi Episcopus eodem die sacris est operatus, *can. ult. de cons. dist. 2.* quanto minus super altari vivo, ubi Pontifex Ordinis contulit Sacramentum? non est quidem Clericus ob id exemptus, a jurisdictione Episcopi, *cap. per tuas de major. & ob.* attamen quoad depositionis causam exemptus est, *cap. omnis 1. de Reg. Jur. Gonz. in cap. cum in distribuendis de tempor. ordin.* 172

Sic pariter cum Pontifex cæpit de aliqua causa cognoscere, tacitè illam avocat ab omnibus Judicibus, *cap. licet de off. deleg.* ut ex hoc Textu *Vivianus ubi supra n. 76.*

Ne dispari ratione cessat potestas executorum, quos dedit Pontifex, cum primum idem rerum sacrarum Antistes summus manum voluit super executione apponere, *cap. suscepti de off. deleg.* ut ex hoc Textu *Gonzalez Glossa 52. n. 30.*

Effectus hujusce affectionis, ultra ipsam collationem Beneficii, quæ solius est Pontificis, ille valdè singularis, ut quamquam Tridentinum Conc. *sess. 24. cap. de Ref.* restringens Textum 173

in cap. ult. de foro comp. decreverit, causas primę instantię coram Episcopis, non coram Romano Pontifice, si quæ in Diœcesi exoriuntur, agitari; attamen, si causa circa hæc affecta Beneficia sit discutienda, in Curia etiam in prima instantia judicium esse efformandum, ut praxis observat, & fuit a sacra Congregatione declaratum his verbis: *De affectis, aut reservatis Beneficiis si agitur, tunc causa in Curia committitur*, quę adducit *Gonzalez Glossa* 52. *n.* 37.

(*u*) *Præstimoniale.*

DISSERTATIO XI.

De Præstimonialibus Beneficiis. Quid olim esset Præstimonium. An his temporibus Præstimonia, Beneficia censeantur.

Est & de Præstimoniis non nihil prolatum a Jure Canon co; nec propterea vox hæc Prágmaticis
174 unicè tribuenda. Olim Præstimonia nil erant aliud, quàm portio ex reddititibus ... ex redditibus Beneficiorum Cathedralis Ecclesiæ, ... eam in finem, ut præstarentur juveni literis operam danti, vel militiæ munera propterea sanctæ ... obeunti. Et Canonici approbabant eum, quem frui hoc genere subsidii, concedebatur. *Paulus Hieron. in Practica Cancell. Apostolica inter notabil. inter vac. verf. quando provideatur citatus a Lotheria* L. 1. q. 35. *de Benef. n.* 7. Et hæc origo ipsi arridet, quemadmodum etiam *Mancino diff.* 5. *cap.* 9. *n.* 9. *Barbosa de univerfo Jure L.* 3. *cap* 8.

Hac omnino, quam indagasse, nec inutile duxerunt Interpretes, nec nihi in mentem venit,
175 hunc modum tradendi disciplinas, perfectam mirum antiquitate, improbandi. Recolere prisca tempora, resque præteritas, labori quidem, sed qui maximo cum fructu compensatur. Hi enim adjumentis quæ videntur obvoluta in obscuro, multoties illustrantur, errores se produnt, controversiæ implacabili glifcentes dissidio, componuntur.

Exemplum est in promptu. Solet disputari, an Præstimonium sit Beneficium?

Si spectetur origo prædicta, Præstimonium a ratione Beneficii alienum est: ex quo tamen in perpetuum dari cepit, jure optimo inter Benefi-
176 cia passim adnumeratur.

Probatur I. assertio, nam quamvis alia esset olim Præstimonii natura, nihil tamen proponi potest, quin decursu temporis. & usu Prælatorum, & quod caput est, confirmatione Pontificis mutarint Præstimonia suam naturam, & ad vera Beneficia redacta sint, ut arguit *Suarez* L. 4. *de Rel* 1. *Tomo* 2 *cap* 21. *n.* 10 At inquies, hoc probandum est, Pontificem id confirmasse, ut Præstimonia, & sint, & habeantur pro Beneficiis. Non despondemus animo, dum in hanc necessitatem dissentientium cupiditate conjicimur. Si Bonifacii VIII valet aliquid auctoritas, ut apud eos quoque valere debet, ipse *in cap. ult. de concess. Prab. in* 6. hæc habet: *Super Canonicatibus, dignitatibus, Prabendis, personatibus, officiis, portionibus, Præstimoniis Ecclesiis Parochialibus, ruralibus, & aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis vacaturis quocumque nomine censerentur* ergo mens Bonifacii est, Præstimonium esse Beneficium. Ulterius S Pii V. Constitutio pariter pondus habet in hac causa qua de re nemo dubitat, en verba Extravagantis, quæ incipit *ex primo*, quę integrè transcripta invenitur apud Navarrum *in Manuale cap.* 25. *n.* 121. ibi: *declarantes Præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri.* Ex qua Extravaganti jam cessare omnem disputationem, an Præstimonium sit Beneficium, ait *Garcias de Benef. P.* 1. *cap.* 1. *n.* 119.

Probatur II. ex Concilio Tridentino *cap.* 9. *sess* 14. *de Reform* ibi: *Beneficia unius Diœcesis, etiam si Parochiales Ecclesiæ, Vicaria, seu Præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, alterius Diœcesis, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio non uniantur*, & *cap.* 18. *sess.* 23. post medium, ibi: *nec non Beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis, vel etiam Præstimonia &c.*

Probatur III. ex *cap conquerente de Clericis non resid.* ubi de quadam a Beneficio disjuncta portione agitur, quæ non nisi Præstimonium esse potest, & nihilominus Beneficii appellatione donatur, notat *Mancinus in hac quæstione diff.* 5. *cap.* 9. *n.* 7.

Neque obstat, quod ignoretur, incertumque sit officium annexum Præstimonio. Atqui Beneficium datur propter officium, *cap. cum secundum de Prab.* ergo &c.

Resp. exemplo pensionis titulatę; Hęc Beneficium; cur non etiam Præstimonium? 177

Dicimus autem, juberi a Pio V. in præcitata Extravaganti, Clericum ob Præstimonii titulum horas Canonicas persolvere, ergo apparet officium annexum Præstimonio; licet enim Præstimonium habens, non obligetur ad residendam postea sed chorum intrare, & Ecclesiæ tamquam Præstimoniarius inservire, ad tradita per *Barbosam de univ Jure L.* 5. *cap.* 8. *n.* 16. Nihilominus an non plurima sunt Beneficia, quę ab onere residendi exempta sunt? Hoc ego pluris facio ad cognoscendum, an aliquod sit Beneficium, certo sciri, Præstimoniarium obligari ad horas Canonicas; Præstimonium ab Episcopo conferri, non ut olim a solis Canonicis, *Lotherius de re B nef. L.* 1. *cap.* 35 *n.* 7. *& seq.* Præstimonium vendi sine labe simonię non posse, *Suar Tomo* 1. *de Relig. L.* 4. *de simon. cap.* 25. *n.* 4 Præstimonium habentem gaudere privilegio fori, *Barbosa de off. & potestate Ep.scopi P.* 2. *all.* 12. *n.* 11. Præstimonium ab illegitimo obtineri non posse, *Sebastian. Cæsar. de Eccl. Hyerarchia* 6. 5. *n.* 5. ut non potest Beneficium, *Concil. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 15.

In His-

178 In Hispania vero Prestimonia habent annexum ultra horarum Canonicarum obligatio em aliquod etiam obsequium spirituale, ut asserit *Barbosa de universo Jur.* L. 3. *cap.* 8, *n.* 5.

(*x*) *Monoculare*.

Quod nam sit Beneficium monoculare.

Monoculare Beneficium dicitur, cujus tantum
collatio est in Ecclesia, & ideo ut lumen ocu-
179 lorum diligitur, qui loquendi modus usurpatur
in Clem. 1. 6. *in cessationibue d. sent. excom.* ibi:
quia ipsos hoc unico lumine (& infra) *privare nolumus, nec debemus, & in L. ill citas* §. *nec tenuis, ff. de off. Præsidis*.

Exemplum est in Beneficiis curatis, quę ut
plurimum sola sunt, & monocularia in Paro-
chiatibus, *Gonzales Glossa* 0. §. 4. *n.* 18. ac de 180
Beneficiis monocularibus *Van xvel ad Tit. de Præb.* P. 1. *n.* 60. *Vivianus L.* 1. *cap.* 1. *de Jure Patron. n.* 120.

Disputari solet, an Beneficium monoculare
comprehendatur in reservatione mensium ex Re- 181
gula 8. Cancellarię? Et obtinuit, monoculare Beneficium sub reservatione mensium comprehendi, *Simonett. de reservat. q.* 85. *n.* 4. *quem citat Gonzales Gloss.* 9. §. 4 *n* 14. Nam Clemens VIII. in Regula 8. *qua incipit item cupiens*: suæ collationi reservat Beneficia quæ vacant in mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris. Ergò si Beneficium monoculare in his mensibus vacaverit, ad collationem non Ordinarii, sed Pontificis spectabit, *Vivianus ubi supra n.* 120.

DE COLLATIONIBUS.

TITULUS. XXXII.



AM tempus de collatione Beneficiorum differendi, quoniàm, & eorundem origo, & erectio, & variæ species innotuere. Est aliquid similitudinis inter legatum, & Beneficium, quòd ut Legatum de manu hæredis necessariò capiendum est, §. *legatum Inst. de legat. ff. de leg.* 2. *L.* 1. *ff. quod legat.* Sic Beneficium non nisi ab alio, nimirùm a legitimo Superiore est impetrandum. Snerabile non est succedere in Beneficium jure (*a*) sanguinis; manifestum scelus in illo (*b*) intrudi; temerarium invadere; [*c*] facinus detestabile profano pecunię munere Præbendam comparare. Cum Tudetchinus natione barbarus, & Joannes quidam temporibus Alexandri II. rem venalem esse Beneficium, disseminassent, prodiit ejusdem Pontificis constitutio plena minarum in *can. ex multis* 1. *q.* 3. notat *Spondanus ad Baronium anno* 1065. *n. IV.* Beneficium ergò canonica prævia institutione [*d*) obtinendum est, non [*e*) a laicis.

Collatio est Beneficii vacantis ab eo, qui jure conferre liberè potest, facta (*f*) concessio. Quis nam verò sit is, qui conferre jure potest, ut percipiatur, sic differo. Principiò Romanus [*g*] Pontifex jus hoc, pro summa in universa Ecclesia potestate, plenissimum habet; et olim sunt, qui asserant solum ipsum Beneficia contulisse, *Gonzales ad Reg. Canc.* §. 1. *proœm n.* 3. Quare habet in his effusas, laxasque habenas, ità ut ubicumque constet de illius voluntate, frustrà quæratur de potestate. Confert proindè Beneficia, vel jure concursus, vel jure devolutionis, vel jure præventionis, vel jure reservationis, vel simplici juris via.

Jure

Jure concursus. [*b*] Et si enim Episcopis, quibus ante reservationem Regulæ *octavę* jus erat quolibet mense vacantia Beneficia conferre, reliquerit Pontifex facultatem conferendi quatuor in mensibus; penes ipsum tamen major remansit potestas, *cap. dudum de Præb. in* 6. Ideòque in mensibus etiam propriis Episcopi, quin conferat Beneficia vacantia, nemo est, qui valeat impedire. Si ita conferet, jure concursus conferet. Ac ne jus alteri quæsitum, si is fortè jam Præbendam ab Episcopo comparaverit, provisio auferat Apostolica, consueta a Pontifice clausula ponitur: *dummodo tempore data præsentium, non sit specialiter alicui jus quæsitum. Lotherius de re Benef. L.* 2. *q.* 23. *n.* 1.

Jure devolutionis. [*i*] Cum namque canonum regula sit, Beneficia intra sex menses, ab Episcopo esse conferenda, *cap. de multa de Pręb. cap. quia de conc. Præb.* si collator ex negligentia semestre labi patiatur; provisio devolvitur ad Metropolitanum, ex hoc ad Primatem, & hinc ad S. Pontificem, *cap. ult. de suppl. negl. Præl. cap. nulla de conc. Præb.* non tamen gradatim, sed illicò ad Rom. Pontificem collatio devolvitur, si qui debuit conferre sit exemptus, *cap. licet de suppl. negl. Præl.* At in Clementina quia *Regulares de suppl. neglig. Præl.* disponitur, Episcopum tamquam delegatum Apostolicę Sedis supplere super hoc exempti negligentiam.

Jure præventionis. (*l*) Quoditâ accipiendum est, ut hoc conferendi modo Pontifex vacationem Beneficii pręveniat. Modus hic providendi, ante Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 19. quàm fuerit frequens, ostendunt dilucidè tam multi canones sub rubrica tam *extra* quàm in 6. & in Clementinis de *concess. Præb.* Ex quo tamèn gratias expectativas prohibendas districtiùs censuit Concilium, Romani Pontifices pro summa eorum sanctitate abstinuerunt, etsi probè scirent, non indè sibi plenitudinem potestatis esse diminutam, *cap. proposuit*, §. *licet de concess. Præb.* Dant autem, sic præveniendo vacationem, coadiutorem cum futura successione, quod nec vetuit Concilium *sess.* 25. *cap.* 7. & Ecclesiæ utilitas respicitur.

Jure reservationis; (*m*) & reservatio involuit interdictum Pontificis, quo inferioribus usus potestatis providendi impeditur. Cum Innoc. III. nonnullas reservationes super primo Beneficio vacaturo induxisset, ut colligitur *ex cap. cum dilectus de Jure Patr.* fuit usu deinceps introductum, ut Beneficia in Curia Romana vacantia summo Pontifici reservata intelligerentur. Consuetudinem hanc Clemens IV. Constitutione lata firmavit *in cap.* 2. *de Præb. in* 6. eamque Bonifacius VIII. *in cap. pręsenti eodem Tit. in* 6. extendit ad Beneficia vacantia extra Curiam intra duas *dietas*, quæ constant 40. milliariis, *Lotherius de re Benef. L.* 2. *q.* 27. *n.* 73. Dicuntur autem Curiales, qui Pontifici, aut Cardinalibus inserviunt, aut occasione Curię in Urbe morantur, *Barbosa de un. jure L.* 3. *cap.* 13. *n.* 24.

n. 24. Hæc tamen Beneficia nisi Pontifex intra mensem a die vacationis contulerit, collationes fortè ab Ordinariis factæ subsistunt, *cap. statutum de Prab. in 6.* Ultra hæc, reservationes aliæ silentio prætermittendæ non sunt. Joannes XXII. in *Extrav. ex debito de elect.* Benedictus XII. *in Extrav. ad regimen de Prǣb.* dispositioni Apostolicæ reservarunt Beneficia electiva, & quę per obitum Cardinalium, & quorumcumque Officialium Curiæ Rom. vacarent, & quæcumque alia item vacantia ob promotionem ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, ob depositionem, privationem, translationem, ob impetrationem Prioratuum, Dignitatum Personatuum, Officiorum, Canonicātuum, Præbendarum Apostolica auctoritate provisarum. Idemque Joannex XXII. *in Extrav. execrabilis*, §. *qui verò*, & §. *quę omnia de Prab.* reservavit Beneficia vacantia per execrabilitatem, cum secundum *scil.* Beneficium cum primo est incompatibile, & vacat utrumque. Præterea in Regula 1. *Cancell.* reservantur Beneficia, quæ contra Concilii Trid. decreta Episcopus contulerit. In Regula 2. reservantur Prælaturę, & Beneficia spectantia ad Prælaturas vacantes, *Lotherius L. 2. q. 34. per tot.* Itemque in Reg. III. omnes dignitates maiores, & dignitates conventuales, & ceteræ aliæ in Cathedralibus, aut Collegiatis post Pontificales, quæ decem florenorum auri valorem excedant. In Regula 4. reservantur Beneficia collectorum, & subcollectorum. In Regula 5. reservantur Beneficia Curialium, quos dum Curia Romana de loco in locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit. In Regula 6. reservantur Beneficia cubiculariorum, & cursorum. In Regula 7. reservantur Beneficia Ecclesiarum S. Joannis Lateran. & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris Urbis, & Beneficia Titulorum Cardinalium, a Curia absentium. Regula 8. (*n*] est Regula Mensium. Clemens VIII. in hac Regula *item cupiens* sibi reservat collationem omnium beneficiorum, quæ vacent in Mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris. Quod si Episcopi verè, ac personaliter residere velint apud suas Ecclesias, quod acceptare alternativam dicitur, tunc alternis mensibus, & ipsi conferre poterunt, Februarii scil. Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris. Regula 9. non est reservatoria, *Sed de literis in forma rationi congrue expediendis*. Regula 10. reservat Ecclesias, & Beneficia affecta, extenditque, quod disponitur in *Extravag. ad Roman. de Prǣb.* Pius V. in Constitutione *cum ex Apostolatu Kal. Februar. anno* 1567. reservat Beneficia vacantia ob crimen hæresis; Idemque *in Constit. intolerabilis Kal. Jan.* 1569. reservat Beneficia quæcumque recepta in confidentiam. Gregorius XIII. *in Const. in Ecclesiis idibus Nov.* 1580. reservat Beneficia collata personis ex statuto locali prohibitis.

Alexander VI. *in Const. in eminenti* reservat Beneficia, quæ vacant ipso

jure,

jure, eorum, qui offendunt litigantes in Curia Romana, vel Iudices eorum, vel Advocatos, vel Procuratores, Testes, Notarios. Gregorius XIV. reservat *in Constit. humano* Beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationum. Clemens V. *in Clem. un. §. si quis autem de seq. poss. & propr.* reservavit Beneficia vacantia in pœnam violati sequestri, dum his in Romana Curia penderet.

Simplici Juris via confert Pontifex Beneficia ubivis locorum existentia, cum suggerit aliquis Romano Pontifici, contra canones Beneficium detineri a Clerico. Effectus est, ut suggestori Beneficium conferatur, Lotherius *L. 2. de re Ben. q. 42. in pr.* & de his oppositoribus, qui impetratores dicuntur, Textus sunt, *in cap. 1. in cap. ut circa de el. in 6. in Clem. Constitutionem eod. Tit.*

Satis de collatione, quæ ad Romanum Pontificem pertinet. Jam de ceteris collatoribus. Cardinalium Collegium, Sede vacante, Beneficia non posse conferre, deducitur, ex *cap. ne Romani de elect. in Clem.* Legatus a latere, qui Cardinalis est, jus habet conferendi Beneficia, ex prærogativa quadam *cap. 1. de off. Leg. in 6.* etiam si sint Jurispatronatus Ecclesiastici, *cap. dilectus de off. Leg.* Ceteri Legati carent hac facultate, *cap. literas de suppl. negl. d. cap. 1. de off. Leg. in 6.* At ex consueto Ordinarius collator est Episcopus Beneficiorum suæ Diœcesis, quidquid sit, an ea, accedente Capituli consensu, aut etiam eo non expectato, valeat conferre, qua in re pro locorum diversitate, aut privilegio Capitulorum variatur. Hinc accidit, ut & Capitulum, Episcopo irrequisito, conferat, *cap. cum Ecclesia Vulterana 31. de el.* & alii interdum inferiores conferunt, ut Abbates, ut Priores. *cap. fin. de Inst. Clem. 1. de suppl. negl. Prel.*

Nondum vela contrahano; nec disjicere debet, si hujus Tituli magnitudo longius procedit. Vix dici potest, quantæ sit utilitatis perfecta rei Beneficiariæ cognitio. Indulgendum brevitati, ac perstringenda omnia, cum parum fructuosa tractantur. Sed jam nostram operam, industriamque adhibemus, ut discatur, quod in rem conducit. Si indictum vellem, & inexplicatum paterer relinqui modum, quo Beneficia sunt conferenda, tempus observandum, qualitates providendi, quid hoc esset, nisi inchoatum ædificium non perficere, quid nisi post aliquot lineamenta manum de tabula removere, quid nisi reliquam supellectilem parsimonia quadam intempestiva celare?

Modus ergo, quo Beneficia sunt conferenda, quisnam est? Ut palam, videlicet coram testibus fide dignis fiat collatio, *cap. quia propter, §. fin. de el. ut ex eo Text. infert. Pax Jord. Tom. 2. L. 10. T. 11. n. 299.* Ut gratis (*o*) fiat, non præmio, ac mercede, *can. ordinationes 1. q. 1. can. si quis obiecerit, can. salvator q. 3.* Ut sine [*p*] diminutione Præbendæ fiat *cap. un. ut Eccl. sine dim. Ben.*

Ut

Ut palam (*q*) fiat *cap. un. ut Eccl. Benef. sine dim.* Ut plura Beneficia uni conferantur. (*r*) At Parochiale Beneficium prævio concursu, & examine, coram tribus saltem examinatoribus, ad hoc ut Episcopus eum ex concurrentibus præferat, quem noverit, esse digniorem, conferendum est, *Concil. Trid. sess. 24. de Ref. cap.* 18. alioquin erit irrita (*f*) provisio, *ex Const. Pii V. 32. in conferendis.*

Tempus quoque in collationibus spectandum est ab Ordinariis. Nam intra sex menses a die vacationis computandos, ad provisionem deveniant, necesse est, *cap. nullus 2. de conces. Præb. cap. licet de suppl. negl. Clem. 1. eod. Tit.* Atque idipsum servatur quoque in collatione Parochialium, cum spectat ad Ordinarium collatio; quod si ad inferiores pertinet, persona magis idonea per concursum eligi, & præsentari intra quadrimestre debet, *ex præcitata Const. Pii V.*

Qualitates demum, in Beneficium obtinente, ad rectam collationem exiguntur. Non enim capax est Beneficii, qui non sit Clericus, *cap. cum adeo de Rescr. cap. 2. de Inst.* nec ille, qui legitima careat ætate, atque olim, etsi septennium sufficeret, attamen Ius antiquum abrogans Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de Ref.* annum 14. exposcit. Ad canonicatum in Cathedralibus, abrogato iam per *Concil. Trid. sess. 24. cap. 12.* Textu *in cap. 1. de æt. & q. in 6. alisque similibus*, ætas requiritur annorum viginti duo eademque ætas exigitur, ex eodem Concilio, si quis velit dignitatis, personatus, officii esse capax. Cupientem verò ad Parochiale Beneficium promoveri, annos 24. peregisse, oportet, *Trid sess 24. cap. 12.* talisque ætas Vicariorũ pariter esse debet, *Clem. 1. de off. Vicar.* Ad Canonicatum Pœnitentiariæ ille adspirare poterit, qui sit 40. annos natus, *Trid. sess. 24. cap. 8. de Ref.* Ad Episcopatum trigesimus annus requiritur, *Trid. sess. 7. cap. 1.* Cum Emin. Cardinales, aut Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi sint, saltem Cardin. Diaconus annorum 22. esse debet, ex Bulla Sixti V. *apud Paleot. de sacr. Cons. Consult. 4. p. q.* 1. Ad Pontificatum nulla ætas præfinita invenitur. De requisitis aliis obtinentium Beneficia satis in Libro I. disseruimus *Tit.* 22. *&* 23.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium conferendum, non jure successionis comparandum.*
2 *Probatur id variis rationibus.*
3 *Difficultas proponitur de patre, qui in filium pensionem transfert.*
4 *Item aliæ difficultates* ex can. petiisti 7. q. 1. ex can. si transitus dist. 79. ex cap. 11. de off. del.
5 *Pensionarius ultra suam vitam in alium transferre pensionem potest solo indulto Pontificis.*
6 *Latè discutitur articulus de translatione pensionis.*
7 *Quis modus adhibeatur in translatione pensionis.*
8 *Aliæ dubitationes in nostrum assumptum, quod in Beneficio jure sanguinis non succedatur, tolluntur.*
9 *De intrusione in Beneficiis.*
10 *Intrusus privari non potest Beneficio sine prævia citatione.*
11 *Variæ intrusionis species traduntur.*
12 *Quæritur, an intrusus obligetur ad solvendam pensionem.*
13 *Intrusus non facit fructus suos.*

14 Intrusus est excomunicatus.
15 Intrusio aut vera, aut præsumpta.
16 Interdum ex post facto nascitur intrusio.
17 Invasio quid sit.
18 Invasionis exempla.
19 Quid sit institutio Beneficii.
20 Explicatur regula de Triennali possessore.
21 Historica disquisitio de laicis, quatenus olim conferrent Beneficia, & de privilegiis quibusdam.
22 Quando sibi Imperatores arrogare cœperint investituras.
23 Quæ damna ob hanc usurpationem.
24 Huic usurpationi semper canones restiterunt.
25 Quando nam destiterint Imperatores jus investiturarum sibi abrogare.
26 Exponitur Textus in can. Hadrianus dist. 63.
27 Referuntur privilegia Principum circa Beneficiorum provisiones, plurimis relatis exemplis ex historia.
28 Hæc privilegia Principum non sunt referenda ad collationes, sed ad nominationes.
29 Quid sit collatio copiose explicatur.
30 Latissima in Beneficiis potestas penes Pontificem.
31 Beneficia conferendi potestas D. Petro non Apostolis concessa fuit.
32 Solus Pontifex olim Beneficia conferebat.
33 Refellitur Tomasinus.
34 Cujus nam potestatis sit conferre Beneficia, Ordinis ne, vel potius jurisdictionis?
35 Explicatur Textus in can. pervenit 11. q. 1. & Textus in can. ecce dist. 99. & Textus in can. Basilice, in can. nullus 16. q. 7.
36 Latissimè tractatur de collatione facta a Pontifice jure devolutionis.
37 Devolvitur ad Pontificem jus conferendi, si Episcopus per semestre non conferat.
38 Unde nam numeretur hoc semestre.
39 Mora conferendi purgationem excludit.
40 An jus devolutum regrediatur ad Ordinarium.
41 Tractatur diffusissimè aliud argumentum de modo conferendi, quo utitur Pontifex jure præventionis.
42 Mandata de providendo quandò nam incœperint.
43 Qua causa fuerit introductum, ut Pontifex concederet expectativas?
44 Concilium Tridentinum sustulit expectativas.
45 An post Concilium Pontifices gratias expectativas concesserint.
46 Cur nihilominus etiam post Concilium coadjutoria cum futura successione constituantur?
47 Materies reservationum late discutitur.
48 Reservatio involvit interdictum.
49 Ob hanc reservationem impedit Pontifex, ne Ordinarii conferant, potestatem tamen non aufert.
50 Ratio traditur hujus impedimenti.
51 De reservatione Beneficiorum in Curia vacantium.
52 Quando nam cœperit hæc reservatio.
53 Refellitur Tomasinus.
54 Quomodo in Romana Curia Beneficia reservata conferantur.
55 Quæritur, an idem sit vacatio apud Sedem Apostolicam, & vacatio in Curia.
56 Singillatim recensentur Beneficia, quæ in Curia vacare dicuntur.
57 Explicatur Extravagans ex debito de elect.
58 Dissertatio de regula mensium.
59 Verba regulæ Clementis VIII.
60 An regula mensium sit octava.
61 Summa prædictæ regulæ mensium.
62 Quinam menses sint Pontifici reservati.
63 Ratio reservationis mensium.
64 Ante Clem. VIII. reservatio mensium durabat ad quinquennium.
65 Ex vi prædictæ regulæ quatuor in mensibus confert Episcopus.
66 Qui nam hi sint.
67 Olim Episcopus semper conferebat.
68 Ratio elegans ex notitia vetustatis traditur.
69 Fœminæ jus conferendi non habent.
70 Historia adducitur, qua id limitatur.
61 Si Episcopus alternativam acceptet, confert in sex mensibus.
72 Quid sit alternativam acceptare.
83 Episcopus per trimestre abesse potest a residentia.
74 Cum habuit Episcopus alternativam verè, & personaliter residere debet.
75 Formula verba pro acceptanda alternativa.
76 Elegans historia, ad explicandum, quam sit necesse, ut Episcopus accepta alternativa resideat.
77 Dissertatio proponitur ad ostendendum, Beneficium gratis esse conferendum.
78 Nihil accipi pro Beneficio a quoquam potest: varii canones elucidantur.
79 Quæstio discutitur, an si ex utraque parte non sit impletum pactum simoniacum, provisio Beneficii nulla sit?
80 Nullam esse, quæ rationes convincant.
81 Verior sententia, non induci pœnam nullitatis
82 Hæc sententia posterior probatur.
83 Contrariis occurritur.
84 Dimidiata Beneficia conferri non debent.
85 Casus enumerantur, in quibus cum diminutione Beneficia conferuntur.
86 Episcopus nil potest suæ mensæ reservare ex Beneficio, quod confert.
87 Casus, in quibus id licet.
88 Præbenda dividi potest, cum necessitas suadet.
89 Diminutio est supprimere Beneficia.
90 Ex causa tamen suppressio valet, accedente consensu Apostolico.
91 An forma ulla servanda sit in collatione Beneficiorum.
92 Privatim conferri potest Beneficium.
93 Litera collationis conficienda.
94 De aliis requisitis.
95 Provisus professionem fidei recitabit.
96 Provisus quomodo possessionem adipiscatur.
97 Dissertatio de pluralitate Beneficiorum.
98 Olim nemo plura Beneficia poterat detinere.
99 Quando nam cœpit hæc pluralitas in Ecclesia.

100 Plu-

EXPLICATIONES.

(a) Jure Sanguinis.

DISSERTATIO I.

In qua probatur, quod in Beneficiis non succeditur jure sanguinis. An idem in pensionibus: variique canones explicatur.

Beneficium conferendum est. Non ergo jure
1 successionis in quemquam transit. Cur id voluere Canones? Hi variis ducuntur rationibus.

2 Prima ratio est *in cap. ad decorem, 5. de Inst.* ibi: *nec sanctuarium Dei convenit haereditario jure possideri*; quod ipsum repetit *Textus in cap. ad haec de decim.* Nam Beneficii dominus Deus est; Clericus fructuarius, cujus morte ususfructus cum proprietate consolidatur, *§. finitur Inst. de ususfr. cap. pen. de pecul. Cler.* Quae verò Dei sunt, jure humano vindicari non possunt, *can. plerique 8. q. 1.*

Secunda ratio, est in *can. Episcopo 3. & 4. in fine 8. q. 1.* Ut nimirum certum sit, *eum, qui dignus extiterit, promoveri*; quod ipsum tradsitur *in can. licet ead. c. & q.* Si hic aditus succedendi in Beneficia jure sanguinis pateret, quis sciret, quis certo sibi polliceri posset, successorem esse dignum?

Tertia ratio, ne spes jure sanguinis succedendi, ullam praebeat occasionem optandi mortem possidentis, quod canones summoperè cavent, *cap. accepimus de pactis, cap. ex trasmissa de fil. Presbyt.* quam rationem notat *Granantet. in cap. 1. de Praeb. sub. n. 2.*

Contra tamen obstant plurima, quae prima specie regulam obturbant.

Si namque verum est, Beneficium jure sanguinis non obtineri; cur pater habens potestatem transferendi pensionem, eam, quae nil aliud tandem est, quàm Beneficii species, *cap. ad audientiam Text. 2. de rescript. ut ex hoc Textu* arguit
3 *Barbatias*, potest in filium transferre? Prout docet *Gonzales ad reg. Canc. Gloss. 5. §. 5. n. 22.* - Cur Zacharias Papa permisit, Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum hora, qua se de praesenti saeculo migraturum novisset, sibi succes-
4 sorem designare? narratur *in can. petiisti 17. caus. 7 q. 1.* Cur Symmachus Papa, in Synodo Romana prima dixit, nisi in transitu ex hac vita Episcopus successorem delegisset, in unum convenientes Clericos suum eligere Pastorem, oportere? prout refertur *in can. si transitus 10. dist. 79.* - Cur successio in Jure Patronatus consanguineis permittitur? ut habetur *in cap. ex literis de Jure Patr. in Clem. 1. eod. Tit. in can. filiis, 16. q. 7.* - Cur nepotem in Beneficium avi successisse, proponitur, nec improbatur *in cap. ex parte 12. de off. deleg.*?

His non obstantibus, in dictis persistimus. Regula est, in Beneficiis non succedi jure sanguinis. At inquies: quomodo igitur conglobatae illae dubitationes explicantur? Singillatim de singulis differam.

Si pensio a patre in filium transfertur, ut
5 etiam Cabassutius tradit *in Scientia Can. L. 2. cap. 12. n. 10. Rota post Vivianum decis. 93.* hoc regulam non infringit. Nam non nisi Pontifice concedente, translatio isthaec permissa est, *Garcias de Benef. p. 1. cap. 5. n. 142. Gigas de Pens. in fine tract. pag. 423. & 424* qui formulam concessionis adducit; et *Rota* de hac translatione *P. 5. recent.*

terent. decis. 153. *n.* 15. Ratio est, quia transla-
tio pensionis est contra ius, quandoquidem pen
6 sio reservatur ad tempus, adeoque extinguitur
morte pensionarii. Ergo cum translatio sit quæ-
dam pensionis perpetuatio, non nisi auctoritate
Pontificis, qui Jus dispensare potest, concedi-
tur *Caputaq. decis.* 303. *n.* 14. P. 2. Quocirca
Pontificum, quibus placuit concedere translatio-
nem istam, exempla passim occurrunt, Clem.
VII. super fructibus mensæ Episcopal. Lucien.
reservavit pensionem in favorem Cardinalis de
Spinula cum potestate transferendi, & vere fuit
pensio translata in favorem Cardinalis de Cor-
tona, narratur *in decis.* 0. *Mohed. apud Corrad.*
in Prax. Benef. L. 5. *cap.* 5. *n.* 5. Leo X. fa-
cile ad facultatem hujusmodi translationis descen-
debat, narrat *Gigas de Pension. q.* 12. *n.* 2. *pag.*
51. - Clem. VII. difficiliorem se se exhibuit in
hac concessione, *Pyrrus Corrad. ubi supra n.* 25.
At cœperunt Paulus III. & alii successores per
rarò admodum id indulgere, *Gigas ubi supra n.*
2. Gregorius XIII. & Sixtus V. nemini istud
nisi S. R. E. Cardinalibus attribuit, teste *Pariseo*
de Resign. Benef. L. 6. *q.* 4. *n.* 24. & extat Con-
stitutio Urbani VIII. de facultatibus transferen-
di pensiones reservatas super Beneficiis per S. R.
E. Cardinales obtentis, quæ incipit *Urbanus*,
quæ statuit, pensiones, quas ipsi persolvant,
non transferri a pensionario, prout integre ad-
ducitur *a Carrado ubi supra n.* 24.

Sed modus, quo Pontifex præscribit, uten-
dum esse in translationis actu peragendo, cla-
7 rius ostendit, regulam nostram translatione non
infringi. Quis hic modus? Jam dicam.

Cum Pontifex id alicui indulget, ut possit
transferre pensionem, declarat in Brevi cujus
tenor per extensum traditur a *Corrado ubi supra*
n. 11. ut qui vult transferre, eligat tamquam
executorem Brevis Ordinarium, seu Canonicum,
qui ad hunc effectum dicitur in dignitate posi-
tus, *cap. statutum de rescript. in* 6. Executor
Apostolica auctoritate pensionem transferendam
cassat, & extinguit, ut loquitur formula, & sic
extinctam iterum reservat, pro translatario. Sed
quænam ratio hujus formæ? Eam tradit *Lotbe-*
rius L. 1. *de re Ben. q.* 40. *n.* 13. Extinguenda
est pensio prius quam transferatur, ut species
cujuscumque hæreditariæ successionis excludatur,
cap. ex transmissa ad finem de fil. Presb. cap. con-
suluit de Jure Patron. Interdum tamen sufficit,
primam extingui pensionem implicitè; equipol-
let enim implicitum explicito, *cap. nonne de*
Præsumpt. L. *ult. ff. si ex noxal. caus. ag.* &
hæc est ex iis formis, quæ possunt adimpleri per
æquipollens, *Lotberius L.* 1. *q.* 40. *n.* 45. Quare
cum in articulo mortis indubitate extinguatur
præcedens pensio, satis esset notarius, & testes,
tametsi etiam hic casus admittat executores, li-
cet ex abundanti, *Lotberius ib. n.* 55. *Corradus*
ubi supra L. 5. *cap.* 6. *n.* 45. Ex quibus elucet
altera responsio nuper indicata, nam si extin-
guenda est prior pensio, ut vires habeat transla-
tio pensionis, ergo non datur pensio alteri jure
successionis. Primæ ergo dubitationi cumulate
satisfactum est.

Altera dubitatio, qua nostræ regulæ insidias
struebant adversarii, de Zacharia Pontifice, qui 8
permisit, Bonifacium Moguntinum Archiepisco-
pum sibi eligere successorem, *d. can. petisti* 7.
q. 1. superatur facili negotio. Nam Zacharias
id permisit Bonifacio, quæ permissio sic intel-
ligitur, ut successor, quem ipse designasset, com-
probaretur, atque ordinaretur a S. Pontifice, ut
notat *Coriolanus in summa Concil. in annot. ad*
Concil. Rom. 2. *sub Bonifacio pag* 450. Dico iam,
certum esse, Pontificem id posse indulgere ob
plenam, absolutamque in Beneficialibus potesta-
tem, *cap.* 2. *de Præb. in* 6. *can. sicut*, 6. *ecce*
can. cum autem 7. *q.* 1.

Atque hac responsione quiescit dubitatio al-
tera de Symmaco Pontifice; addimusque cum
Baronio anno 409. *n.* 8. olim quidem Episcopos
consuevisse, dum morti se viderent proximos,
de successore deliberare; attamèn, id magis con-
sultationis, quam electionis vicem obtinebat.

Quid dicendum de successione in Jure Patro-
natus, quæ consanguineis permittitur? Miraris,
id permitti in Jure Patronatus? Ego verò non
miror. Nam Pontifices in suis Constitutionibus
ex privilegio concessum voluere jus succedendi
in Patronatu, ut eorum exemplo, qui id obti-
nuerunt, ob fundatas, dotatasque Ecclesias,
alii identidem ad similem allicerentur liberali-
tatem erga Ecclesias, ut respondet *Granenietus*
in cap. 1. *de Præb. n.* 17. Jus enim Patronatus
antecedit collationem. Quod ergo succedatur in
Patronatu, ex prædicta ratione concedi potuit;
at succedere in Beneficiis inconcessum est?

Quod verò *in cap. ex parte* 12. *de off. del.* pro-
ponatur, nepos avo in Beneficio successisse, fa-
ciles id habet explicatus, inspecta litera; nam
benignitate Pontificis id impetratum fuisse, co-
gnoscitur. Plura alia erudite ad rem explicat
Emanuel a Schelestrate *in Concil. Antiochenum*
can. 23. *cap.* 20.

(*b*) *Intrudi.*

DISSERTATIO II.

Ubi traditur, quod intrusio in Beneficiis damna-
tur, quis sit intrusus, an citandus intrusus, an
is ad pensionem obligetur? An fructus restituere
obligetur. Intrusio vera, & impropria.

Intrusio est iniusta occupatio, absque legitima
causa, & qui sine Superioris auctoritate nancis- 9
citur Beneficium, intrusus dicitur, *cap. quia di-*
versitatem de concess. Præb. ibi. *& postmodum*
etiam quidam se præter ejus auctoritatem in ipsas
intruserant; consonat Textus, in *cap. cum iam-*
dudum de Præb. in cap. cum venissent de in in-
tegr. rest. in cap. ex frequentibus de Inst. in cap. cum
qui de Præb. in 6. *in cap. ad aures de excess.*
Præl.

Quo

Quo circa intrusi non intrant per ostium, idest sine canonica institutione, *cap. relatum de Jure Patr.* Interrogati namque, cur possideant, nil habent aliud, quod respondeant, quam quod possideant, prout in simili est in L. *qui interrogatus ff. de pet. har.*

10 Attamen intrusus privari non potest sua possessione, absque praeventiva citatione, nisi ex actis constet de notoria intrusione, *Rota Romana post Corbier in Tract. de comm. Benef. decis.* 3. *n.* 2. & 3.

Nec verò desinit esse intrusus, si quis etiam ab Ordinario provisus extiterit; quando videlicet Ordinarius ei contulerit Beneficium Pontifici reservatum, *Vivianus de Jure Patr. P.* 2 *L.* 13. *cap.* 8. *n.* 108. & *seq.* ex *cap. tantum de excess. Prael.*

Item intrusus dicitur, qui Beneficii non vacantis possessionem assumpserit, *Marta de claus. claus.* 38. *P.* 1. *n.* 3.

Itemque, si quis electus sine confirmatione superioris possessionem acceperit, *Marta ubi supra* nisi ex necessitate Ecclesiae id fecerit, *cap. avaritiae de el. in* 6.

12 Quaestionis est non parum difficilis, an intrusus obligetur ad solvendam pensionem?

Quae tamen affirmativè decidenda est. Nam ad effectum pensionem exigendi, non consideratur titulus, quo planè caret intrusus, sed possessio, quam ipse retinet, fructuumque perceptio, *Barbosa in Praxi exig. pens. q.* 10. *n.* 13. & *seq.* Nam pensio est onus reale cohaerens Beneficio ad notata *in cap querelam de elect. Rota P.* 1. *recent. n.* 1. *decis.* 352. *Corradus in Praxi Benef. L.* 5. *cap.* 7. *n.* 15.

Porrò intrusus non facit fructus suos, imò ad Beneficium inhabilis redditur, fructusque male

13 perceptos restituere obligatur, vel se super illis cum Camera Apostolica componere, *cap. cum jamdudum, cap. per inquisitionem, cap. quisquis de elect.* ut ex his Textibus *Nicholius Inst. Can. L.* 3. *Tit.* 13. *n.* 40.

Intrusus est excommunicatus ipso Jure, *Trid. sess.* 22 *cap.* 11. *de ref.*

14 Insuper quaeritur, an qui aliqua censura illaqueatus detinet Beneficium dicatur intrusus?

Et hunc dici intrusum, sustinet *Diana* 5. *Tract.* 9. *Res.* 101. *Nicholius ubi supra sub. n.* 41.

Recentioribus Constitutionibus aliquid insuper statuitur circa intrusos.

Nam Bonifacius VIII. *in Extrav. iniunctae* 1. *de el.* decernit, nec proventus percipi, nec actus validos esse eorum, qui promoti a Sede Apostolica sine literis signatis recedunt, & hunc Textum de intrusis quoque accipit *Nicholius Inst. Can. L.* 3. *Tit.* 13. *sub. n* 41.

Pius V. in Constit. 33 quae incipit *in conferendis* declarat intrusum eum, qui Parochiale Beneficium accipit, non servata forma Concilii Trid. ibi .. praeter & contra formam ab eodem .. Concilio Trid. praesertim in examine per concursum faciendo praescriptam factas (& in- .. fra) nullas, ac nullius roboris, vel momenti .. fore, & esse, notat *Mossonius in Lib. de majest. mil. Eccl. P.* 3. *cap.* 2. *pag.* 418.

Illud non omittam, quod licet variae sint species intrusionis, prout per extensum traduntur *a Nicholio ubi supra, a Garcia P.* 11. *de Ben. cap. ult.* attamen intrusio omnis, aut vera est, 15

aut impropria. Vera intrusio, cum quis vel propria auctoritate, vel sine titulo ejus, qui potest conferre, Beneficii possessionem invadit, *cap. quia diversitatem de concess. Praeb. Othobon. decis.* 120. *n.* 7. Atque huc pertinent Textus *in cap. ad aures de excess. Prael. in cap. cum quo de Praeb. in* 6. *Thesaurus de panis verbo intrusio cap.* 1.

Praesumptiva intrusio est, veluti cum quis etsi per ostium ingressum habuerit, nempe collatione, habet tamen vitium, propter quod meretur Beneficio privari, *Lotherius de re Benef. L.* 2. *q.* 10. *n.* 82. & *seq.* ut si Superior fiat, dum contulit, excommunicatus, aut suspensus vitandus, *cap. fin. de excess. Prael. Felinus in cap. in nostra de Rescript. Thesaurus de panis cap.* 4.

Imò ex post facto nascitur intrusio, ut si quis post privationis sententiam, a qua non appellavit, pergat retinere Beneficium, *Nicholius ubi supra sub n.* 41. 16

[c] *Invadere*.

Invasio Beneficii damnatur. Quid invasio, & in quo nam differat ab intrusione.

Invadere est repente, & cum impetu occupare, ut si expellatur a propria sede Episcopus, aliusque intrudatur, *can. Episcopi* 3. *q.* 1. *can. audivimus* 3. *q.* 2. & de invasione loquitur Textus in *can. oportet* 3. *q.* 2. 17

Quamuis autem omnis Invasor Beneficii sit etiam intrusus, ut supponit *Lottherius de re Benef. L.* 2. *q.* 10. *n.* 82. Non tamen omnis intrusio, est invasio. Et hanc distinctionem innuit Textus *in cap. eum, qui de Praeb. in* 6. ibi .. eum, qui .. Beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter iniuste intrudit in eo, decernimus, ipso jure fore privatum Beneficio; & ex eadem litera inferius id ipsum constat, & ex *can. placuit* 17. *q.* 1.

Exemplis invasio potest elucidari. Paulus Dyaclinae Civitatis Episcopus, cum fuisset justè depositus, Nemesion sibi subtitutum ab Episcopatu projecit auxilio saecularium; narratur *in can. Iator* 2. *q.* 7. & paena ibidem statuitur. 18

Insuper Malcitana Urbis Parochia hostilitatis discrimine retinebatur ab Ecclesiis Astigitana, Elibertana, & Aegrabensi a Concilio Hispalensi 2. sublata fuit haec divisio, & in pristinum restituta; narratur *in can prima actione* 16. *q.* 3.

(d) *Institutione*.

Institutio quid significet; explicatur, & regula de triennali possessore.

Non sit, qui arbitretur, institutionem tantùm appel-

appellari collationem factam ab Episcopo ad no-
19 minationem Patroni. Institutio quamcumque provisionem significat, ut declarat *Panormitanus in Rub. & in cap. auctoritate de Inst. aliiq.*

Verba in nostro Titulo adducto, fermè eadem sunt *in can. Beneficium* 1. *de Reg. Jur. in* 6. ibi.. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri.

Quare Canisius ad hunc Textum hæc habet.. Canonica dicitur receptio ad ipsum Beneficium Ecclesiasticum, juxta præscriptum sacrorum canonum; veluti, quæ fit per legitimam electionem, vel postulationem, & confirmationem, per collationem simplicem, sive ad præsentationem Patroni Ecclesiæ, sive Ecclesiastici Beneficii. Hæc enim nomine institutionis Ecclesiasticæ veniunt, *ut toto Tit. de Inst. cap.* 46. *de his, quæ fiunt a Prœl. cap. cum Ecclesia* 31. *de el.*

Hujus regulæ ratio est, quod in Ecclesiam Dei non debet alius ingressus esse, quàm per ostium, cujus clav. s Præfecti Ecclesiarum committuntur. Quare hoc est, ex initiis ad cognoscendum Beneficium, si collatum sit, *Pan. cons.* 47.

At inquies, an non est regula de triennali possessore, quæ statuit, ut si quis per triennium pacificè possederint Beneficia, *super eisdem Be-*
20 *neficiis taliter possessi molestari nequeant*? Cujus verba attulimus *L.* 1. *Tit.* 5. *in expl.* rationem triennii adducentis in *notis* ad prædictam regulam.

Respondetur, exigi in ipsa regulâ Callixti Pontificis, ut triennales possessores *se non intruserint* imò ut, ex *institutione illorum*, ad quos collatio pertinet, Beneficii possessionem nacti sint: aliter respondet *Cabassutius in Scientia Can. L.* 6. *cap.* 29. *n.* 1.

(e) Non a laicis.

DISSERTATIO III.

In qua ostenditur, laicos non conferre Beneficia. Exceptiones adducuntur, nempe privilegia summis Principibus concessa, & agitur de Investituris.

Quæ adhuc explicamus, sunt præparatoria quædam, quibus gradatim præcognitis, scopum collationis legitimæ dabitur attingere. Legitima collatio non est, si Beneficium ex manibus laici in Clericum perveniat. Hic articulus jam pertractandus. Ac primo abusus anteactis sæculis canonum ordinationibus explosi sunt enarrandi; deinceps privilegia summis Principibus jure optimo concessa, non reticenda.

21 Jamque, ut initium sit; plane absque commiseratione audiri non potest, quantum libertas Ecclesiastica minueretur iis sæculis, in quibus audacia jus alienum invadere, pro temporum opportunitate, non cessabat. Contendere cœperunt Imperatores, & quidem iniuria, nonnullique Principes, ut quoniam prædia Beneficiorum sita erant in eorum terris, esset ab his accipienda investitura, quæ est quædam quasi Juris præcedentis confirmatio, Abbas *in cap. auctoritate de Inst.* 22
Quantæ autem perturbationes Imperio, & Ecclesiæ indè excitatæ sint videre est ex historia Henrici 4. & 5. & Ottonis IV. Friderici I. & II. ac eissque factio familiæ Gibellinorum, & Guelforum, quorum hi Pontificium, illi Cæsaria partes tam in Italia, quam in Germania dira perturbatione sequebantur. Inde quoque accidit 23
ab Imperatoribus, ad quos id jus investituræ nunquam pertinuit legitimo Jure, Episcopatus fuisse collatos personis minus idoneis. Hinc Conradus Imperator Episcopatum Monasteriensem simplici homini consulit, a quo uum per nemorum recessus oberraret, hospitio fuerat exceptus; narrat *Granturus in L.* 2. Ambitiosam hanc usurpationem semper Concilia damnarunt. In Synodo Nicæna secunda, quę sanxit canones 22. 24
investituras alienas esse a laicis, vel ex canone 3. Apostolorum probatum reperias.. ita enim loquitur Concilium *in can.* 3. Omnem electionem, quæ fit a Magistratibus Episcopi, vel Præsbyteri, vel Diaconi irritam manere ex *can.* 3. *Apost. dicente*.. si quis Episcopus sęcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur, ac segregetur, &c. ut ex hoc Textu notat *Spondanus ad Baronium anno* 787. *n.* 8.

Gregorius VII. fortissimus Ecclesię Dei vindex scribit in epistola ad Hugonem Diensem Episcopum, ut in Concilio habendo, cui ipse ut Legatus Apostolicę Sedis præfesturus erat, ut canonem 22. octavæ Synodi generalis renovaret, curaret, quo prohibetur laicis, ne se in electione admisceant Episcoporum, notat Bellarminus in *Apologia ad Librum Jacobi magna Britannia Regis pag.* 46. Et in Synodo Romana idem Gregorius hæc pronunciavit, decrevitque, prout habetur in *can. quoniam* 6. *q.* 77... Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta S. S. P. P. a laicis personis in multis partibus cognovimus, fieri, & ex eo plures perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Religio Christiana conculcatur, decernimus, ut nullus investituras Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personę viri, vel fœminę suscipiat, &c. Idemque *in can. si quis* 16. *q.* 7.

Paschalis II. excommunicatos declarat, qui per laicos Ecclesias obtinent, *can. si quis* 16. *q.* 7. *can. constitutiones, can. nullus ib.*

Alexander II. id ipsum improbat in *can. per laicos* 16. *q.* 7.

Urbanus II. graviter commotus est in Ivonem Episcopum Carnotensem, quod licitè, absque religionis crimine fieri posse, contenderet, ut Daimbertus Archiepiscopus Senonensis de manu Regis investituras accepisset, narrat *Spondanus ann.* 1099. *n.* 1. & 2. & in Concilio Claramontano

can. 16. tales investituras prohibuit.

Privilegium illud, quod Henricus IV. extorserat a Paschali II de investituris; ab eodem Pontifice in libertatem educto, literis ad universum orbem scriptis, utpote per vim concessum, abrogatum est, & in Basilica Lateranensi coacta Synodo anno 1116. Henrico a cōmunione fidelium resecato, privilegium combustum est.

Imò Guido Archiepiscopus Viennensis, qui fuit postea Callixtus Papa; tunc autem erat Legatus habita Viennæ Synodo laicorum investituras hæresim judicavit, ipsumque Henricum excomunicavit, *Spondanus anno* 1111. *n.* 3. *& seq.*

25 Sed post tam diuturnas tempestates pax orbi Christiano illuxit; nam Lateranensi generali Concilio interveniente sub Callixto II. Henricus in manus Legatorum ejus, omne prætensarum investiturarum jus rescidit per annulum, & baculum, *Cabassutius sęculo XII n.* 4. *in Not. Hist.*

Et Innocentius III. has laicorum concessiones *in cap. quod in dubiis* 8. *de Ren.* reprobat.

26 Neque obstat Textus in *can. Hadrianus* 22. *dist.* 63. dum ait, quod Hadrianus Pontifex cum universa Synodo, Carolo Regi ultra alia concessit, ut Archiepiscopi, & Episcopi, per singulas Provincias ab eo investituram acciperent.

Nam Gratianus nimis credulum in hoc scribendo se exhibuit. Sigibertus quidem in chronico hæc tradit, quæ non nisi post annos 338. nempe anno D. 1112 nullo penitus antiquioris ævi auctore citato monumentis consignavit: nimirum hæc fuit mera impostura in gratiam Henrici Imperatoris schismatici adornata, cujus partes fovit Sigibertus. Hanc totidem verbis Gratianus exscripsit; sed deceptus est; nam ipse Carolus in *can. sacrorum dist.* 63. deducto ex L. 1. Capitulorum Caroli, ex Jure canonum Ecclesiam suo honore libere potiri, testatur. Notat *Gretserus Apolog. Baron cap.* 1. *& contra replicat. Goldasti L.* 2. *cap* 1. *&* 2. Insuper de facultate Episcopos nominandi ab Hadriano Carolo concessa, ob insignia beneficia in Apostolicam Sedem id fatetur ad summum posse intelligi *Barbosa de un. Jur. L.* 1. *ca.* 8 *n* 65 & ultrò cogitur etiam *Anisaus* in *Doctrina Politica Tomo* 1. *de Jure Majestatis cap* 6. *pag* 103. quamquam is auctor scateat erroribus innumeris, & fætido ore nares ad illum accedentium offendat, cogitur, inquam, fateri, Textum in *can. Adrianus* tam repugnare cum *can. sacrorum*, ut ab hoc revocatus videri possit. Nos etiam de simplici nominatione id accepimus L. 1. *Tit.* 9. *n.* 9. 10. *&* 11. *in expl.*

Nunc ostendēdum remanet, quę nam privilegia Principibus, quoad Beneficiorum collationes concessa reperiantur.

27 Occurrit Textus in *cap. dilectus de Preb.* ibi .. quod præfatus Decanus, ex donatione Regis Prebendarum ejusdem Ecclesię collationem .. haberet. Agit Textus de Rege Galliæ. Verba transcripta demonstrant, Regem hunc Decano ipsius Ecclesiæ Macloviensis jus erogandi Prebendas concessisse. Ergo collatio ad Regem spectabat. At inquies, quo jure? Interpretes mirè se involvunt, ut, quo jure Gallię Reges collatione isthac prædit essent, declarent, ut videre est apud Gonzales ad eum Textum; cujus expositio nobis arridet posthabitis cæteris. Jus ergo, dum quæritur, dicimus, Galliæ Reges Præbendas, & Beneficia, de quibus agit ille Textus, jure Regalię, & Patronatus conferre potuisse. Nimirum ius illud in fundatione sibi retinuere prædicti Reges, & summus Pontifex id approbavit, ut explicat *Petrus Gregorius in Syntagm.* P. 2. *L.* 17. *cap.* 7. *n.* 2. *littera K.*

Occurrit Textus in *cap. generali de elect. in* 6. qui adducitur a *Cabassutio Scientia Can. L.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. in præsidium Regaliarum Galliæ; ibi .. qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel antiqua consuetudine iura hujusmodi sibi vindicant, ab .. illorum abusu sic prudenter abstineant, &c. Narrat autem laudatus auctor, quid sit hoc Jus Regum Francię, quod vocatur Regalia, nempe duo complectitur, ut ait ipse, privilegia; primum ut Rex vacante Episcopatu æconomum constituat, qui fructus regio nomine colligat, in utilitatem, & decus Ecclesię consumendos, futuroque successori reservandos. Secundum, ut Rex conferat Beneficia simplicia interim vacantia, dum est viduata Ecclesia, non tamen Parochialia; et quia in hæc Regalia obiici posset Textus in *can. si quis deinceps* 16. *q.* 7. contenditur ab eodem, hunc, similesque canones antiquos per Gregorium VII. in d. cap. generali forte fuisse, vel limitatos, vel explicatos. Insuper Galię Reges aliud jus circa Beneficia potiuntur concessum ab Eugenio IV. & Paulo III. ut nimirum Prælati collatores semel dumtaxat in vita sua provideant Indultario de proximè vacaturo Beneficio, scilicet illi, cui id Rex indulget rescripto, seu Schedula; hic verò est supremus Regni Cancellarius, Præsides, & Consiliarii Parisiensis Parlamenti.

Ultra hæc, occurrit Textus in *cap. dilecto* 40. *de testibus*, ex quo Textu putat *Petrus Gregorius in Syntagm.* L. 17. *cap.* 7. *n.* 18. ostendi, quod Comitissa Flandriæ ex privilegio Beneficia conferret; quod tamen falsum est. Nam verè Comitibus Flandriæ ratione Juris Patronatus competebat præsentatio in quibusdam Ecclesiis sui Comitatus, ut constat, *ex cap. ult. de concess. Preb. ex cap.* 1. *de re jud. in* 3. *Collect.*

Urbanus II. Petro Regi Aragoniæ, quod Mauros expugnasset, depulissetque, omnia Beneficia Juris Patronatus ejusdem esse, voluit, ut ipse, ejusque successores, quibus vellet, conferre posset, Episcopatibus exceptis, *Franciscus Tara L. de Reg. Hispan. in Alphonso* 6.

Regem Apuliæ hoc privilegio potitum, narrat *Glossa in can. imperium dist.* 10. ut Beneficia conferre posset.

Item in fœdere inito inter Clementem VII. & Carolum V. anno 1529. datam fuisse facultatem

eidem,

vide n, tamquam Regi Neapolis, perhibent,
nominandi Prælatos ad 24. Ecclesias Regni Nea-
politani, *Marta de Jurisd. P. 2. cap.* 40. *n.* 5.

Imperatorem frui privilegio nominandi unum
pro qualibet Ecclesia Alemanniæ, Speculator re-
fert in Tit. de Præb. §. restat col. fin. & Im-
perio vacante Palatinum Rheni præsentare ad ea
Beneficia, cautum esse in Bulla aurea Caroli IV.
testatur *Restaurus in Tract. de Imperat. q.* 8.

Porrò privilegia hujus generis sunt potius pri-
vilegia nominationis, quam collationis, ut do-
28 cet, notatque Joannes *Andreas in addit. ad specul.
in Tit. de Præb.* §. *restat*. Atque ad vitandos er-
rores, id perquam diligenter adnotare oportet.
Quemadmodum, & observare oportet, neque
Beneficia narrantur fuisse laicæ collationis, sint
Beneficia profana, ut observat Tomassinus *de
vet. & nova Ecclesia discipl. P.* 2. *L.* 1. *cap.*
55. *n.* 12.

[*f*) *Concessio.*

Definitio collationis Beneficii.

Exigimus in hac definitione tracta a Lancel-
lotto in fine Tit. de Præb. §. *conceduntur a Gar-
cia P.* 4. *de Benef. cap.* 1. *n.* 3. concessionem,
& liberè fieri, & Beneficium conferendum va-
29 care. Cur ita? Quia etiam institutio collatio Be-
neficii est; non tamen libera, imo necessaria,
præsentante patrono, ut probari videtur *ex cap.*
2. *de Instit. in* 6. Etiam concessio facta nomina-
to collatio est, prout nominatio pro indultariis
in Galliis, ut in præcedenti dissertatione expo-
suimus n. 47. contingit; non tamen libera.
Quod verò vacatio requiratur, certum est, nam
Beneficium nondum vacans conferri non potest,
promittive, ne inducatur votum captandæ mor-
tis, *cap.* 2. & 3. *de conc. Præb.* notat Vivianus
P. 1. *de Jure Patr. L.* 1. *cap.* 1. *n.* 203.

(*g*) *Pontifex:*

Pontifex plenissimum in Beneficiis ius habet.

Pontifex plenè, ac libere de Beneficiis omni-
bus disponere potest, *Clementina*, 1. *ut lite pen-
dente cap.* 2. *de Præb. in* 6. Et ideò Juri confe-
30 rendi potest adiicere onus, quod velit, ut di-
xit *Archidiaconus in cap. statutum sub n.* 3. *de
Præb. in* 6. & in sequenti dissertatione, id ipsum
uberius demonstrabitur.

[*b*] *Jure.*

DISSERTATIO IV.

*De Provisione Beneficiorum facta a Pon-
tifice jure concursus.*

Paulò altius initia sermonis repetenda sunt.
Omnis jurisdictio, ac potestas disponendi de Be-
neficiis a principio non Apostolis, sed Petro il-
31 lorum Principi a Christo Redemptore noscitur con-
cessa; nam etsi Beneficiorum institutio S. Dio-
nisio, ac Simplicio tribuatur; attamen venera-
bilis Apostolus Petrus, ex quo recepit supre-
mam omnium Ecclesiarum dispositionem, eo
ipso Beneficiorum quoque liberum jus impetra-
vit, *can. quis nesciat dist.* 11. *can. in novo dist.* 21.
ut notat ex his Textibus Joan. *And. in cap. ex
eo sub n.* 19. *de pæn. & rem.* Iam & in Eccle-
siæ Orientalis primordiis, solus Pontifex di-
gnitates ejusdem, & Beneficia instituit, *can. om-
nes dist.* 22. ut ex hoc Textu probat *Gonzales in
Reg. Canc.* §. 1. *proæm. n.* 2. 32

Nec abs re dicitur *ab Joanne Selva de Benef.
P.* 2. *q.* 22. *n.* 3. ad solum Pontificem Benefi-
ciorum spectasse collationem, argumento Textus
in cap. admonet de ren. Quare multoties Ro-
mani Pontifices Episcopis dum scribunt, com-
memorant, plenitudinem Ecclesiasticę jurisdictio-
nis residere in capite Ecclesiæ, & inde in lon-
gè plurimos dispergi rivos, ut *in can multum
3. q.* 6. ibi „ Vices enim nostras ita tuæ credi-
„ mus charitati, ut in partem sis vocatus solli-
„ citudinis, non in plenitudinem potestatis.
Et Vigilius Papa *in can. qui se scit* 2. *q.* 6. hæc
scribit „ Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est
„ ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit lar-
„ giendas, ut in partem sis vocatus sollicitu-
„ dinis, non in plenitudinem potestatis. Gre-
gorius omnibus per diversas Provincias eumdem
fere usurpat sermonem, ut patet in *can. decre-
to* 2. *q.* 6. Et sane partitio Diœcesum volven-
tibus sæculis facta, per quam Episcopi suum ter-
ritorium sunt consecuti, nec fieri, nec perpetuari,
nisi consensione Sedis, in quo est centrum, &
cardo Ecclesiasticę unitatis, potuit. Principatus
a Christo Sedi Apostolicę collatus ejusmodi fun-
damentum est, cui potestas tanta quomodo ni-
tatur facilè prętermissa majori explicatione in- 33
telligitur. An assentiemur Tomassino, qui in P. 1.
L. 1. *cap.* 47. *de vetere, & nova Eccl. discipl.*
sentire videtur, hanc conferendi Beneficia ju-
risdictionem, in Episcopos ex immortali capi-
te Christo derivasse? ut clare loquitur *n.* 4. *ib.*
Dico iam, potestatem Ordinis, qua fulgent Epis-
copi, immediate a Christo manasse. At potes-
tas jurisdictionis dimanavit a Petro, non quidem 34
in cæteros Apostolos; his enim Christus omnem
immediate contulit jurisdictionem, hac conditio-
ne, ut Petrum pro suo capite agnoscerent, eique
subessent, cui tamen jurisdictioni, quæ extraor-
dinaria fuit, non succeditur; cum tamen Petri
dignitas una cum ipso non interierit, sed ei suc-
cedatur per noviter creatos Pontifices; ex qua
doctrina, quam probat, *Cabassutius in Not. Hist.
Eccl. Diatriba ult. ante Concil. Romense* perspi-
cuum est, Episcopos cònferendi Beneficia facul-
tatem acceptam referre oportere Romano Ponti-
fici; nam collatio isthęc actus est jurisdictionis,
non Ordinis, *cap. nostri de elect.* Ideo dum Epis-
copus ea, quæ sunt Ordinis, exercere potest,
attamen, a collatione Beneficiorum interdum
in pęnam suspenditur, *cap. postulastis de Cler.
excom. min.* Ideò in pœnam negligentiæ colla-

tionis

tionis jus ad Pontificem regreditur, *cap. ult. de supplend. negl. Prӕl.* Et collationem Beneficiorum actum esse voluntariӕ jurisdictionis, qui tamen aliquam requirat causӕ cognitionem, docent communiter Scriptores *apud Garciam, a Parte 7. de Benef. ad 9. Oliva de foro Eccl. P. 3. q. 10. n. 25. & 27.* Ergo manavit in Episcopos jus collationum a Pontifice.

Quocirca Gregorius IX. ad Fridericum II. scripsit his verbis, quӕ sunt apud Rainald. ann. 1236. n. 1. *Esto quod in collatione Beneficiorum morientibus succedas Episcopis, majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem, nec nos ob id, qui eis viventibus conferre Beneficia non collatâ potuimus, Apostolica amittimus amplitudinem potestatis.*

Nec obstat quod Tomassinus contendit P. 2. L. 1. *cap.* 35. *n.* 8. *de vet. & nov. Ec. disc.* Beneficia esse spiritualia, adeoque spirituale jus illorum ab Ordine Episcopali dimanare. Insuper primӕva Beneficia nil aliud extitisse, quam Ordines, & Ordinibus indivulsè coherentia officia, nempe intitulationes, & jura quӕdam obtinendi aliquid temporale, *can. Episcopi* 80. *dist.* quod desumpsit, ut puto, ex *Abbate in cap. transmissam de elect. n.* 4.

Nos quidem in prӕcedentis Tituli explicatione diximus, Beneficium ab Episcopali auctoritate vim, naturamque suam consequi, quatenus jus illud spirituale, non solum ex relatione ad Divina officia tale est, ut putat *Garsias de Benef. P.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. sed prӕcipuè, quod emergit ex legitima temporalium dedicatione Deo facta, per quam effectum est Beneficium, quid sacrum, *§. sacra, Inst. de rer. div.* At aliud est constituere Beneficium, aliud conferre; actum côferêdi esse actum jurisdictionis, asserimus, illudque argumento irrefragabili esse potest, quod Episcopus electus, & confirmatus, nondum tamen consecratus Beneficia conferre potest, *cap. transmissam* 15. *de elect.* & per hunc Textum *Barbosa de un. Iure L.* 1. *cap.* 12. *n.* 23. *Lsvor. var. lucubr. Tom.* 1. *Tit.* 4. *cap.* 25. *n.* 10. Sed quid opus argumentis? Clarissimus occurrit Textus in *cap. nosti* 19. *de el.* ubi, solum electus conferendi jus non habet, at confirmatus habet: & consonant Textus *in cap. qualiter* 17. *in cap. nihil, in cap. cum in cunctis eod. Tit. in cap. avaritia ib. in* 6. *in Extravag. injunctӕ de elect. in can. in nomine dist.* 23. & neminem vidi hoc de articulo dubitantem.

Hoc prӕstructo fundamento, quod conferendi potestas a Pontifice dimanet, tamquam a fonte, fluatque in Episcopos, nulla injuria afficiuntur iidem, si Beneficiorum, quӕ vacant in mensibus propriis Episcoporum, libuerit ipsi Petri successori ad collationem devenire, qui modus conferendi dicitur *jure concursus*, ut in puncto *Lotherius de re Beneficiaria L.* 2. *q.* 22. *n.* 61.

Non obstat Textus in *can. pervenit* 11. *q.* 1.
35 ibi .. Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio .. non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per .. nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit .. ordo, confundatur; ex quo infert *Lucas de Penna in L.* 2. *n.* 5. *c. de execut. & exact.* L. 10. vix posse Pontificem jure concursus Beneficia conferre.

Sed perperam; nam Sedes Apostolica super omnes mundi Ecclesias obtinet auctoritatem vi sui Principatus, *can. cuncta* 9. *q.* 3. Totus Orbis illi est pro Diӕcesi; ergo in Ecclesiasticis Beneficiis dispositio eidem plenaria competit, *cap.* 2. *de Prӕb. in* 6. Ergo utitur jure suo, cum de Beneficiis quantumcumque in alienis Diӕcesibus providet, *can. nunc verò* 9. *q.* 3. Hinc fit, ut in concursu collationis factӕ per inferiorem eodem tempore, prӕvaleat collatio Pontificis vi amplioris prӕrogativӕ, *can. si a Sede* 31. *de Prӕb. in* 6. *Clem.* 1. *ut lit. pend.* Nam etsi Episcopis amplam concesserit facultatem suis in Ecclesiis; ipse tamen ampliorem retinet, *cap. dudum, §. nos de Prӕb. in* 6. Textus igitur oppositus in dicto *can. pervenit* facilè ex his explicatur; neque enim qui utitur jure suo, alterius juri detrahit; & addo, Textum illum non loqui de Pontifice, sed de defensore Siciliӕ; hic solam habebat facultatem bona pauperum, & Ecclesiarum defendendi, sed cum sibi judicandi etiam arrogaret facultatem, Gregorius ad eumdem scribens monet, ut se intra assignatos fines contineat, fuerant enim hi officiales ab eodem Gregorio recenter creati, *Baronius anno* 508. *n.* 3.

Non obstat etiam Textus in *can. ecce dist.* 99. ibi: scribens Gregorius Pontifex Eulogio Patriarchӕ Alexandrino hӕc habet .. Si enim univer- .. salem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat, .. se hoc esse, quod me fatetur universum; sed .. absit hoc. Ex his verbis colligi posse videtur, non tam amplam Pontifici esse potestatem in Beneficia, ut supra ostendimus.

Jampridem hunc Textum explicarunt Bellarminus *de Summo Pontif. Suarez in Lib. defens. fid. cath. P.* 3. *cap.* 19. aliique innumeri. Verus ergò sensus hic est, ibi damnari dumtaxat arrogationem immediatӕ potestatis, per quam nihil cӕteris relinquatur, ut ibidem declarat Turrecremata, *Gomez in cap.* 1. ex *n.* 36. *de Const.* nimirum quoad Ordinem; etenim inspecto Ordine, Pontifex Episcopis par est, neque supra illos vult, optatque extolli; at inspecta jurisdictione, & regimine Ecclesiӕ, locum tenet summi legislatoris Christi, & universalis Pastor est. Prӕclare Innocentius III. in *L.* 2. *epist.* 206. quӕ incipit *Apostolica Sedes* .. Dicitur enim universa- .. lis Ecclesia, quӕ de universis constat Eccle- .. siis, quӕ grӕco sermone Catholica nomina- .. tur, & secundum hanc acceptionem vocabuli .. Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed .. pars universalis Ecclesiӕ, prima videlicet, & prӕ- .. cipua, veluti caput in corpore, quoniã in ea ple- .. nitudo potestatis existit, ad cӕteras autem pars .. aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur uni- .. versalis Ecclesia illa una, quӕ sub se côtinet Ec- .. clesias universas. Et secũdũ hãc nominis ratio-

.. nẽ Romana tãtũ Ecclesia universalis nũcupatur .. quoniam ipsa sola singularis privilegio digni- .. tatis cæteris est prælata &c.

Quocitca non mirum, si tanta sit penes Pontificem potestas in rebus Beneficialibus, ut possit Episcopos antevertere in collationibus, *cap. 1. ut lite pendente in Clement. cap. 2. de Præb. in 6.* Petrus enim Christo fuit hęres ex asse, alii verò tamquam legatarii, ut ex *Innoc. I. sermone I. in festo S. Gregorii loquitur Dartis Tract. de Benef. sect. 3. cap. 1. pag. 31.*

Nec obstat Textus in *can. Basilica, in can. nullus 16. q. 7.* ex quibus infertur alienæ dictionis Beneficia conferenda non esse.

His quidem Textibus utitur *Quintinus Æduus in cap. de multa de Præb. §. si quoq. n. 92.* qui jus hoc concursus non omninò approbat. At negamus, alienæ ditionis Pontificem Beneficia hoc jure concursus conferre; cum satis demonstratum sit, Pontifici totum Orbem esse Dięcesim ut ait *Felinus in cap. gratia de off. Ord. n. 2* Nec verò Pontifex hoc jure unquam abutitur. Ea est S. Pontificis modestia, ut etsi omnia Beneficia ei sint obedientialia, tamquam universali administratori, nunquam omittat ea conferendo jure concursus, clausulam consuetam, *dummodo tempore data præsentium non sit specialiter alicui jus quæsitum*, per quam præservatur jus competens ex præoccupatione, *Lotherius L. 2. q. 23. de re benef.*

De hoc Jure, quatenus Legatis competat, Textus est *in cap. 1. de off. Leg. & in cap. si a sede de Præbend. in 6.*

(*i*) *Iure.*

DISSERTATIO V.

De Collatione Beneficii facta a Pontifice, jure devolutionis.

Explicabimus in hac dissertatione collationem
56 Beneficiorum, quę fit a Pontifice jure devolutionis, quę devolutio locum habet propter collatoris Episcopi negligentiam, eo quod tempus a sacris canonibus præscriptum præterlabi, ex incuria permisit.

Res ita se habet. Is, ad quem spectat collatio Beneficiorum, elapso semestri, illa conferre non valet, & si conferat, collatio est nullius momenti, ac negligentiam supplet Superior, & Pontifex, *can. postquam 50. dist. can. obeuntibus dist. 63. cap. cum accessissent de const. cap. ne pro defectu, cap. ult. de elect.* Hæc verò Juris conferendi devolutio gradatim fit ab Episcopo, ad Metropolitanum, donec ad Romanum Pontificem perventum sit, *cap. quamquam de elect. in 6* Huic verò ad conferendum nullum tempus præfixum est, cum non habeat Superiorem, qui possit ejus negligentiam supplere, *can. aliorum 9. q 3. Vallensis de Benef. L. 2. Tit. 18. pag, 274.*

Nec mirum, ob negligentiam, talem contingere devolutionem. An non idem in aliis quoque negotiis operatur negligentia? Quęris exempla? Ea in promptu sunt. Si quis neglexerit vindicare mortem defuncti, cum obligaretur; anno elapso, successionis petendę jus devolvitur ad substitutos, *Auth. hoc amplius C. de fideicom.* Singulis, qui petere bonorum possessionem possunt, certa tempora sunt præstituta; hæc si elabantur jus petitionis devolvitur ad alios, *L. 1. ff. de success. edicto;* Mater tutores petere potest nisi petat, ad proximos jus devolvitur, *L. 2. §. si mater, ff. ad S. Cons. Tertil.*

Cur verò potissimè sex mensium negligentia sufficiat, & ab hoc tempore eadem se prodat; rationem reddere difficile est; nisi dicamus, in
alius quoque negotiis ut plurimum negligentiam 37
per hunc temporis lapsum convinci, ut in absentia Clericorum a residentia, *cap. ex tua de Cler. non res.* ut in ædilitio edicto, *L. cum sex. ff. de ædil. edict. ut in dilationibus L. 1. C. de dilat.* ut in appellationibus, *L. sancimus, C. de app.* Addatur, quod cum Episcopi debeant Ecclesias visitare, ac Provinciam singulis annis, *cap. 1. & fin. de cens. in 6°* saltem bis in anno jure decretalium, *cap. cum venerabilis de cens.* ergo in semestri certiores reddi possunt de vacationibus, adeoque illud tempus sufficiens visum est ad convincendam negligentiam.

Declaravit autem Innocentius III. semestris 38
hujus spatii initium numerandum esse, non a die quo vacare cœpit Beneficium, sed quo certior de eo fit collator, *cap. quia, §. mandamus de concess. Præbend.*

Sed, an moram purgare possit collator negli- 39
gens, in quęstionem revocari posset. Cæterum certum videtur, quod licet alias purgatio moræ admittatur, *cap. potuit de locato L. etsi post tres, ff. si quis cautionibus, L. insulam ff. de V. ob.* attamèn in nostra specie, etiam re integra, mora purgari non possit, *cap. licet cum seq. de suppl. neglig. Præl.*

Ratio est, quia quando tempus in constitutione certum apponitur, pro forma appositum censetur, *Auth quæ supplicatio ubi Baldus, Salicetus C. de precibus Imperat. off. L. scire oportet, ff. de adm. tut. Vallensis de Benef. L. 2. Tit. 20. n. 14.*

Porrò tot Jura de hisce devolutionibus loquentia, correcta non fuerunt per reservationes tam multas, ut notat *Gonzalez ad Reg. Canc. Gloss. 11. n. 61.*

Cunctator ergo Episcopus hanc pœnam subit
devolutionis, & cum jus devolutum fuerit ad 40
Pontificem, nunquam regreditur ad Ordinarium eumdem, quamquã Pontifex intra sex menses non contulerit; probat Cabassutius *in Scientia Canon. L. 2. cap. 2. n. 17.* adducens ad id Textum in *can. aliorum 9. q. 3.*

Nec obstat Textus *in cap. literas de suppl. negl. Præl.* ibi .. nos igitur inquisitioni vestræ taliter .. respondemus per A. S. M. quatenus si Be- .. neficia, vel dignitates ipsas noveritis perso-

.. nis

„ nis idoneis assignatas, ea de patientia permit-„ tatis ab ipsis pacificè possideri; Textus loquitur de negligentia ob lapsum semestris, collatioque postea facta ab Ordinario sustinetur absque devolutione, ergo falsum videtur devolvi jus ad Pontificem.

Communis interpetratio est, quod ille Textus accipitur in terminis Pontificię dispensationis, vi cujus collatio sustinetur, *Gonzales in cap. ult. de supl. negl. Pral. sub. n.* 17. ubi alias dissolvit difficultates.

(l) *Jure præventionis.*

DISSERTATIO VI.

De modo conferendi Jure præventionis, & quatenus eo Pontifex utatur.

Paucis doctrinam de jure pręventionis in Titulo tradidimus. Hærendum in his nunc diutius
41 nobis est, & dilatandum, quod pressius, & ad normam Textus pręcepimus.

Qua fuerit auctor mandatorum de providen-
42 do, seu gratiarum expectativarum, non adeò constat, ut velim quidquam, quod rear indubitatum, affirmare. Dartis *de Beneficiis sect. 7. cap.* 2. nullum huiuscemodi mandatorum usum extitisse, affirmat, ante annum 1150. ex Corrasio *cap. 5. Part. 2. Tract. de sacerdot.* Qui auctorem hujusmodi mandatorum facit Alexandrum III. qui Pontificatum rexit circa annum 1564. Nam, ut ipse ait, cum Gratiani decretum circa annum 1150 fuerit compilatum, in eo nulla talium mandatorum mentio reperitur.

Tomassinus de *vetere & nova Ecclesia disciplina P. 2. L. 1. cap. 43. n.* 2. asserit, primum omnium Adrianum IV qui culmem adiit Apostolicæ Sedis anno 1154. postulasse ab Episcopis & Capitulis Præbendas, quas nonnullis benemeritis impertiret, ut patet ex epistola ab eodem scripta Parisiensi Episcopo, his verbis.. inde est, „ quod illum fraternitati tuæ duximus pluri-„ mum commendandum, rogantes attentius, „ quatenus pro B Petri & nostrarum reveren-„ tia literarum, primum personatus, et honorem, „ qui in tua vacabit Ecclesia, ei concedas.

Ab Abbate S Remigii Allexander III. Præbendam postulavit append. 1. *epist.* 7. 45. ibi.. „ Viris literatis, atque devotis tanto propen-„ sius providere tenemur, &c. attendentes de-„ votionem, quam circa te gerit, &c. ipsum „ commendamus rogantes, & rogando mandan-„ tes, quatenus pro reverentia D. Petri &c.

Notentur ea verba *rogantes, & rogando mandantes*; preces Pontificum mandata fuere. Ex quo interim explicatus remanet ejusdem Alexandri III. Textus in *cap. cum ten amur 6. de Preb.* in illis verbis: *Si preces, & mandatum nostrum pro aliquo recepisti*.

Innocentius III. *Regest. 15. epist.* 95. discernit tria mandatorum genera ad cullationem Beneficiorum spectantia. Prima erant mandata, ut cuipiam provideretur. His succedebant iteratę monitiones. Tertio expediebantur executoriæ, quibus delegabantur, qui urgerent executionem. Ita graditam ex precibus ad præcepta ventum est, quamquam, & preces vim mandati obtinerent; quidquid contra afferat Tomassinus ubi supra *cap.* 44. *n.* 4.

Plane ante Concilium Tridentinum modus hic providendi per gratias expectativas frequentissimus fuit, ut ostendunt *Tituli Decretalium, & in 6. & in Clem. de conceß. Preb.*

Ratio, cur id fuerit introductum, ea forte fuit ut sic Romani Pontifices coercerent Episcopos quosdam, qui indignos idoneis præferebant, & sacris Ordinibus a se adscriptos iniuriose repellebāt, 43
ut infertur ex *cap. accepimus de atat. & qual.* quod & placuit *Darti de Benef. sect. 7. cap. 2. vers. nam cum*, & in idem recidere videtur ratio altera, quam tradit Lotherius *de re benef. L. 2. q. 25. n* 3.

Satis hæc de origine. Illud certum est, quoad earumdem progressum, sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 19. de Reform.* gratias ex- 44
pectativas districtius prohibuisse his verbis.. de-„ cernit sancta Synodus, mandata de providen-„ do, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, ne-„ mini amplius etiam Collegiis, Universitati-„ bus, Senatibus, & aliis singularibus perso-„ nis (& infra) uti licere. Ergo per hoc decretum Jura illa, quæ sub Titulis de Rescript. & de conc. Pręb., tum in Decretalibus, quam in 6. & Clementinis & Extrav. una cum eorum Glossis evanuerunt, recesserunt que ab aula, ut loquitur *Gonzales ad Reg. 8. de mens. §. 1. Proem. n.* 58.

Atque ab hoc tempore Romani Pontifices pro eorum summa sanctitate abstinuerunt a concedendis hujusmodi gratiis, quamuis intelligerent, 45
plenitudinem potestatis inde sibi non fuisse diminutam, ut ait Innocent. III. *in cap. proposuit, §. licet autem de conceß. Preb.* ibi.. licet autem „ int ntionis nostræ non sit investituras de va-„ caturis factas contra canonum instituta ratas „ habere, qui secundum plenitudinem potesta-„ tis de Jure possumus supra Jus dispensare: & quoad Pontificem vigent Textus *in cap. cum te 7. in cap. constitutus* 30. *in cap. mandato* 38. *in cap. in literis* 39. *de prascript.* ut ex his Textibus ostendit *Gonzalez in cap. 2. de conc. Preb. sub n.* 15.

Exemplum quidem adduci Lotherius *L. 2. de Benef. q. 24. n.* 5. Gregorii XV. qui gratiam expectativam concessit pro Canonicatu in Ecclesia Galaguitana 16 Sept. anno 1501. Attamen his verbis idem Lotherius scribit. *Eam nihilominus gratiam Rota habuit pro exorbitanti, ut in decisione facta in eadem causa 1. Julii 1501. coram bona memoria Penna.*

Exemplumque aliud adduci potest de coadjutoriis cum futura successione, quas non absolute removit Concilium Trid. *sess. 15. cap. 7.* sed indulsit in Cathedralibus, & in Monasteriis, ex

urgenti necessitate, vel evidenti utilitate, cu-
jus inspectio spectaret ad summum omnium Sa-
cerdotum Presulem.

Cum verò etiam in coadiutoriis votum ca-
46 ptandę mortis induci videatur, explicare opor-
tet, cur hęc admitti, aliæ expectativæ gratię me-
rito explosæ, rejectæque dicantur. Nam Tolosa-
nus *de Benef. cap.* 30. *sub n* 2. post Concilium
videri sibi, ait, coadiutorias detestabiles, ex
Textu in *in cap. accepimus de pactis*. Dicendum
itaque, excludi evidenter votum captandæ mor-
tis in hisce coadiutoriis, quia exigitur consen-
sus, & requisitio coadiuti, neque enim inuito
datur coadiutor, nisi in casu dilapidationis, &
similibus *can. ult.* 3. *q.* 1. *cap. ult. de acc.* ac
per hunc consensum evanescit illa pręsumptio,
l. *ult.* & *ib. Bartolus sub. n.* 11. C. *de pact.* Et
æquum videtur, coadiutorem in successione aliis
anteponi, *can. nullus*, *can. abitum dist.* 61. ut
contingit in filiis Advocatorum, qui præferun-
tur cæteris supernumetariis, L. *nemini*, §. *filios*
C. *de Advoc. divers. Jud.* alioquin novi, rudes-
que præponentur emeritis, & antiquis, contra
Textum in *cap. ad aures de reb. Eccl. al. vel
non, in can statuimus in can. nec emeritis dist.* 16.

Veruntamen etsi Tomassinus de *veteri*, & *no-
va Eccl. disciplina* P. 2. *L.* 1. *cap.* 45. multa
congerat ad mala, que ex gratiis expectativis
orta suspicatur, demonstranda; fateatur tamen
necesse est, ut fatetur n. 12. facultatem hanc,
quam adhibuere Pontifices eisdem competiisse,
ut etiā ex canonibus antiquis deducitur, patetque
ex Textu Nicolai Pontificis *in can. omnes dist*
21. ibi: „omnes, sive Patriarchii cujuslibet apices,
„ sive Metropoleon Primatus, aut Episcopatum
„ Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis
„ dignitates instituit Romana Ecclesia. Illam
„ verò solus ille fundavit, & super petram fi-
„ dei mox nascentis erexit, qui beato æternę vi-
„ tæ Clavigero terreni simul, & cęlestis impe-
„ rii Jura commisit; quo fit, ut minime pro-
bem, quæ Tomassinus adeo exaggerat.

[m] *Reservationis.*

DISSERTATIO VII.

*De reservatione in genere; tum in in
specie de Beneficiarum in Curia
vacantium reservatione.*

Ventum est ad reservationes Beneficiorum.
47 Merito diximus in Titulo nostro potestatem
ordinariam in Beneficia, impediri per reservatio-
nem. Nec placet definitio *Ænæ de Falc. q.* 1.
prin. n. 1. Beneficii vacatur per habentem ad
id potestatem ad se factam avocationem, quam
definitionem probat *Vallensis de Benef. L.* 1. *Tit.*
7. *n.* 6.

Nam reservatio interdictum involvit, quo usus
potestatis disponendi de Beneficio prohibetur;
48 vi cujus interdicti provisio ab inferiore facta
dicitur pręsumpta, *cap.* 2. *ad finem de Præb.*
in 6. ibi: *conferre alicui*, *seu aliquibus non
præsumant*; consonat Textus *in cap. inter cæte-
ra* 17. *eod. Tit. decr.* elidit ergo hoc interdictum
potestatem providendi in Ordinariis, solidatur-
que in Pontifice.

Non quidem hanc potestatem aufert Pontifex
ab Ordinariis, sed simplicem usum; nec est cur 49
Ordinarii conquerantur, origo enim collatio-
num ex Pontifice fluit, in aliosque diffunditur
can. omnes dist. 22. ex *can. ita Dominus* 19.
dist. Cum ergo sibi reservat, non aufert eam
potestatem, sed tantum definit eam diffundere; 50
ad eum modum, quo Princeps, non detrahit
Magistratui per se creato, si ipsi tamèn libeat
munus exequi judicandi. Et licet ex quo fuit
diffusa potestas illa, revocare postmodum, redo-
leat nescio quid odii, *cap. decet. de Reg. Jur. in*
6. *can.* 1. 25. *q.* 1. verè tamen diffusio illa non
in Episcoporum gratiam, sed in gratiam ipsius
Pontificis diffundentis contigit. Non ergo excedit
formam simplicis mandati, quod perpetuò man-
dantis nutui est expositum, *L. si mandassem*,
ff. mandati Non potest ergo reservatio dici po-
testatis avocatio, nisi quoad usum, & impropriè.

Ex quo patet, quam a recto deflexerit Basi-
leense Concilium reservationes Pontificum im-
probando, arrogandoque sibi potestatem supra
ipsum supremum Ecclesiæ Principem, cum ori-
go collationum ex Pontifice fluat, *d. can. ita
Dominus* 19. *dist.* ut optimè Lotherius *de Benef.*
L. 2. *q.* 26 *n.* 21.

Jam verò in specie de his reservationibus ser-
mo sit. Dicimus in Titulo nostro, reservata esse
Beneficia in Curia vacantia, & quomodo cæpe- 51
rit isthæc reservatio, ex Barbosa ibidem citato
docuimus. Perantiquam fuisse consuetudinem,
ut de his Beneficiis Sedes Apostolica disponeret,
& eam a se tantummodo confirmari Clemens IV.
ea Constitutione, quam citavimus ibidem edita
anno 1265. testatus est. Aurea sunt verba Pon-
tificis, libetque transcribere. „ licet Ecclesiarum
„ Personatuum, dignitatum, aliorumque Bene-
„ ficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio
„ ad Romanum noscatur Pontificem pertinere:
„ ita quod non solum ipsa cum vacant potest
„ de Jure conferre, verum etiam jus in ipsis
„ tribuere vacaturis; collationem tamen Ecclesia-
„ rum, Personatuum, dignitatum, & Benefi-
„ ciorum apud Sedem Apostolicam vacantium
„ specialius cæteris antiqua consuetudo Roma-
„ nis Pontificibus reservavit.

Et non desunt ante Clementem IV. exempla
collationis Beneficiorum, quæ in Curia vacasse 52
censebantur. Cum Præbendarius Ecclesiæ Vra-
tislaviensis in Silesia Romæ excessisset, Innocen-
tius III. Præbendam ejus Ecclesiæ Romæ contu-
lit, *Regest.* 16. *epist.* 166. ex quo exemplo, ut
aliis recensendis supersedeam apparet, quam
falso Tomassinus de *vetere*, & *nova Ecclesia dis-* 53
ciplina P. 2. *L.* 1. *cap.* 48. *n.* 2. affirmet, In-
nocentium IV. & Alexandrum IV. hujus con-
suetudinis fundamenta jecisse; certe saltem jure

præ-

præventionis Papa Beneficia in Curia vacantia conferebat, ex Glossa notabili *in cap. statutum de Preb.*

Porrò provisiones in Romana Curia fiunt per
54 signaturas, quæ sunt in duplici forma, nempe in forma gratiosa, & in forma commissoria, quæ vulgo dicitur *in forma dignum*. Cum quis in forma gratiosa providetur, non debet ab Ordinario examinari, nam signaturam in forma gratiosa præcessit attestatio Ordinarii ad Pontificem scripta, de supplicantis habilitate. Quocirca signatura gratiosa hanc habet clausulam: *orator testimonio Ordinarii sui de vita, & moribus, & idoneitate commendatur*. Signatura verò *in forma dignum* non confert Beneficium, sed mandat Ordinario, ut conferat. Sic autem vocatur ob clausulam, quam habet: *dignum arbitramur, & congruum; ità Cabassutius in Scientia Canon.* L. 2. *cap.* 2. *n.* 2.

Quæstionis esse, video, an eadem sit vacatio
55 apud Sedem Apostolicam, & vacatio in Curia.

Misere lapsus est vir alioquin perdoctus Quintinus Æduus in *repet cap. de multa de Preb.* Hic enim n. 109 nimis petulanter ait Romanam Curiam ex diversarum fæce nationum (o indignissimum loquendi modum!) & conventu constitutam. Quid ais Quintine? Ergo ne Curiam a cavea non distinguis? Cavea namque est plebis consessus, ut Servius notat in illud Virgilii L. 5. Æneid.

Hic totum caveæ consessum ingentis, & ora.
Prima Patrum.

Olim Senatus Curia dicebatur: quia ille Remp. curabat, *Varro 5. de ling. lat. Fenestella de magistr. cap.* 4. Est Curia amplissimi ordinis consessus, L. 1. C. *de Consult. C. Theod.* cujus nobilius membrum, caputque Princeps est, L. *Jus Senatorum*, C. *de dign.* L. 12. *cap. insinuante qui Cler. vel. vov.*

Ergo Romana Curia conflatur ex officialibus, & Pontifice, *Clem. ne Romani*, §. *sanc de el. Cov. in pract. cap.* 4. *Oliva de foro Eccl. P.* 3. *q.* 15. *n.* 28. *&* 29. *Gonzal. in cap. ult. de foro compet.*

Jam ergo dicimus, verissimum esse, quidquid contra arbitretur Gomes. *ad Reg. de trien. q.* 31. vacationem apud Sedem Apostolicam non distingui a vacatione in Curia.

Ratio est, quia quæ sunt prorsus connexa, ea dicuntur indivisibilia, *cap.* 4. *de Jud. cap. de Jure de Jure patr.* Potest quidem Romana Curia separari ab Urbe Roma, at non ipsa a Sede Apostolica: ubi Sedes est, ibi & ipsa Curia, *cap. præsenti de Preb. in* 6.

Textus accedit in *cap. licet de Preb. in* 6. ubi quæ dicta sunt Beneficia in Curia vacare, post - in §. *nos itaque* dicuntur in Curia Romana vacare, his verbis: *Nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus &c.*

Nec obstat, supposita vacatione Sedis Apostolicæ, dari Curiam, non tamen Pontificem, & vacare tamen in Curia Beneficia, *cap. si Apostolica de Preb. in* 6.

Imò dicimus, mortuo Pontifice non extingui jus Principis; sed illud viget, quoad radicem, in sacro Senatu; quoad verò auctoritatem jurisdictionis in ipso Christo, ut eleganter ex *Augustino Triumph. de Potestate Ecclesiæ q.* 3. *art.* 8. *Lotherius de re Ben.* L. 2. *q.* 27. *n.* 22.

Sed hinc pedem efferamus, & singillatim exquiramus, quæ nam sint illa Beneficia, quæ in 56
Curia vacare dicuntur.

Quænam sint hæc Beneficia, declaratur in *cap. præsenti* 34. *de Preb. in* 6. Per quem scimus, talia censeri Beneficia, quæ venientes ad Curiam vel etiam recedentes obtinere, noscuntur, si eos mori, contingat, in loco, ubi est Curia, vel in locis vicinis, hoc est intra duas diætas legales, nempe intra 40. milliaria, ut ibidem explicat Glossa verbo legales ex *L. vicena ff. si quis cautionibus*.

Mirum est, quod dicitur in *Extravaganti ex debito* §. *hujusmodi autem de elect.* ibi: *Episcopales insuper, vel altas dignitates, Ecclesias, Monasteria, & alia prædicta fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium apud dictam Sedem, per eorum obitum vacare, censemus, sive inibi, sive alibi ubicumque ipsos migrare, contigerit de hac luce, & hoc idem in dignitatibus, & Beneficiis quibuslibet, ut de aliis præmittitur officialium nostrorum.* Hic subsisto. Ergo ne etiam extra Curiam morientium Beneficia, in Curia vacare dicuntur? Scire oportet, ad intelligentiam, plerasque personas ita esse addictas Romanæ Curiæ, tamquam illius partes, ut abesse non intelligantur propter nexum, quo sunt Curiæ adstricti, exemplo servi, qui, eo quod sit addictus fundo semper ibi esse intelligitur, etiam si alio justa ex causa secedat, *L. quæsitum* 76. *ff. de Leg.* 3. *L. Seia* §. *Pamphila, ff. de fundo instructo.* Prædictam Extravagantem adnotando, constat, quæ sint ea Beneficia, de quibus asserimus. 57

Attamen *in cap. præsenti de Preb. in* 6. non reservata dicuntur illorum Beneficia, qui in loco, ad quem Curia se transtulit, originem, seu domicilium habentes moriuntur, ita ut ibidem non morarentur occasione Curiæ, & Curiales non essent.

[n] *Regula mensium.*

DISSERTATIO VIII.

De Regula mensium. Quinam menses ad conferenda Beneficia proprii sint Episcoporum.

Clemens VIII. Regulæ 8. Cancellariæ Apostolicæ conditor distribuit menses Pontificiæ collationi reservatos, aliosque collationi Episcoporum relictos, his verbis: *Item cupiens &c. omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus* 58

(& in-

(& infra) *dispositionis sua generaliter reservavit:* & in §. *insuper* Pontifex idem hæc addit: *Insuper Sanctitas sua, ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiù apud Ecclesias, aut Diœceses suas, vere ac personaliter resederint dumtaxat de omnibus, & quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis &c. qua in antea, in mensibus Februarii, Aprilis Junii, Augusti, Octobris & Decembris extra Curiam ipsam vacare, contigerit* (& infra) *libere disponendi facultatem concessit.*

Hac Regula est quidem octava, sed proptet additionem Gregorii XV. nonam evasisse ait *Lotherius L. 1. q. 36. de re Benef. Phabeus in Instit. Can. L. 1. Tit. 13. n. 16.* octavam tamen vocat Gonzales in suis commentario elegantissimo, quod frustrà Garcias, cum potest, carpit P. 5. *cap. 1. §. 1.* octavamque facit Antoniellus *de tempore legali L. 3. cap. 1.* Pax Jordanus L. 11. *Tit. 1. n. 19.* olim tamen erat Regula 69. *Gonzal. ubi supra Gloss 1*

60

Summa prædictæ Regulæ hæc est: Pontifex octo mensibus confert Beneficia; Episcopi solis in quatuor mensibus; quod si alternativa acceperint mensibus alternis vacantia conferunt Beneficia, & qui nam illi menses sint, litera regulæ declarat.

61

Causa hanc reservationem inducendi fuit, ut provideretur residentibus in Curia, ut dixit *Glossa in Extrav. execrabilis §. qua omnia verbo reservamus de Preb.* ibi: *si quaris a me, qua fuit esse causa rationabilis, quod Papa ad se talia Beneficia revocaverit conferenda; possum respondere quod cum ad ejus Sedem confluant undecumque Clerici indigentes, quibus paterna provisione subvenire tenetur, justum fuit, & equum, ad invenire modum per quem Papa possit de multis Beneficiis providere,* & ex hac id notat Gonzalez *Gloss. 4. de mens. n. 155*

62

Magisque præcise rationem assignat ipse Clemens VIII. inquiens: *Item cupiens idem D. N. Papa pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis provideri:* Optimè quidem loquitur Clemens. Nam ad Pontificem utpote patrem pauperum, egentium sollicitudo pertinet, *cap. nihil de prescript.* his enim providendum est, qui Divinis mancipati ministeriis, Beneficio carent *cap. Episcopus 4. de Preb. cap. si pauper eod tit. 6. Clementina literas ib. Extrav. t. de concess. Preb.* Præfationes autem optimè arguunt causam finalem, *L. ult. ff. de hared. inst. L. ut liberis C. de coll.* Nunquam vero adeo pius sanctusque reputatur affectus in conferendis Beneficiis, ut est Pontificis, ut perdocte concludit *Lotherius de re Benef. L. 2. q. 36. n. 16. & seq.*

63

Ante hanc distributionem mensium in Apostolicos, & ordinarios, erat quidem regula, quæ auctorem habuit Alexandrum V. anno 1447. quæ scripta inter regulas Sixti IV. invenitur publicatas anno 1471. in qua indulgebatur Ordinariis, ut conferrent in Martii, Junii, Septembris, & Decembris mensibus, quæ transcribitur a *Lotherio de re Benef. L. 2. q. 37. in princ.* Attamen ea non erat reliquorum octo mensium, pro Sede Apostolica absoluta, & stricta reservatio. Cum enim tunc vigerent gratiæ expectativæ, respiciebat illa mensium Apostolicorum reservatio gratias expectativas, quibus in illis mensibus Pontifex prævenire velle Ordinarium per regulam significabatur. Ex quo eveniebat, ut cessantibus expectativis, omnes menses cederent dispositioni Ordinarii, ut preclare notat *Loth. ubi supra n. 4.* Quamquam etiam ante abrogatas expectativas, duas regulas distinctas facere Pontifices consueverunt, unam super quatuor mensibus Ordinariis, alteram pro octo Pontificiis, ut idem *Lotherius* notat *n. 5. ib.*

Insuper ex litera prædictæ regulæ Alexandri V. constat, reservationem illam mensium usque ad quinquennium fieri consuevisse, ibi: *qua intra quinquennium, a data die Kalendarum Januarii Pontificatus anni 1. computandum,* quod observat Garcias de *Benef. P. 5. cap. 1. §. 10. n. 446.* his verbis: *Cum tamen antea soleret fieri usque ad quinquennium, & illo finito renovari, ut in regula Pii V, & Gregorii XIII.* Hodie tamen regulæ fiunt, sine temporis præfinitione usque ad Pontificis beneplacitum, ut regula Clementis VIII. initio dissertationis adductæ: notat Gonzal. ad *reg. mens. §. 4. Proem. n. 10.* 64

Satis hæc ad cognitionem constitutæ regulæ, ut præsto sit mens legislatoris, & innovatio.

Jam de ipso effectu, & vi legis, quæ mensium hanc celebrem partitionem induxit. Quatuor in mensibus confert Episcopus suæ Diœcesis Beneficia. At si alternativam accepit, sex mensium indulgetur eidem collatio. 65

Quatuor hi menses Episcopi collationi destinati sunt *Martius, Junius, September, & December.* 66

Olim hac non existente reservatione, aut Pontificis mandatis, ad Episcopum collatio absque præfinitione temporis spectabat. Ut enim ab Episcopo Beneficia fundantur, ita ad eundem provisio pertinet, *can. nullus 6. q. 7. cap. conquerente de off. Ord. cap. ex frequentibus de inst. can. ab exordio dist. 35.* Sive alia ratio adduci potest, qua utitur Tomassinus, *de ver. & n. Ecclesia discipl. P. 2. L. 1 cap. 33.* Ut ordinandi, ita et Beneficia conferendi penes Episcopum erat potestas, cum ita ferret vetustissima Ecclesiæ disciplina, ut nec ab ordine Beneficium, nec vicissim ordo a Beneficio disiungeretur. 67 68

Attendebatur, & ordinabatur prorsùs nemo, qui non intitularetur, id est cui non statim sacræ functiones assignarentur. In Concilio Toletano IV. *can. 33.* scriptum est, ne in Basilicis quidem Martyrum a privatis hominibus extructis, quæ erant quasi tentamenta, & præludia Beneficiorum, posse Clericos inconsulto Episcopo constitui, ibi: *sed juxtà canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.*

At

At quid ni potuit Pontifex octo sibi reservare menses, quatuor ad collationem tantummodo Episcopo relictis? Ut in dissertatione IV. clarissimè ostendimus, amplissima est in Beneficiis Pontificis potestas, & illimitata?

At illud difficultatem movere potest; cur Clemens VIII. in nostra hac regula addat ea verba: *quorumcumque collatorum, & collatricum*. Ergo
69 ne etiam fœminæ conferendi Beneficia jus habent? An non fœminæ sunt jurisdictionis incapaces *can. mulierem 33. q. 5. cap. 2. de Jud. L. 2. ff. de reg. Jur.*

Dico, haud inconsulto restringi tempus ad quatuor menses in ea Clementis regula, non tam Episcopis, quàm etiam collatricibus. Etenim ex privilegio Apostolico possunt fœminæ jus habere conferendi Beneficia, ut de Comitissa Flandriæ dictum est in differt. III. ex *cap. dilecto 4.*
70 *de test.* - In Flandria, & in Germania Monasteria Canonicarum construebantur, quarum Abbatissa, non solum in Canonicas prædita erat potestate, verùm etiam in Clericos, de quibus mentio est in *can. fin. 12. q. 5 in can. perniciosam 18. q. 2. in cap. dilecta de major. & obed.* ad quem Textum *Gonzalez n. 8.* ità loquitur: *etiam Beneficia conferre possunt, & Clericos instituere, institutione collativa, non autem auctorizabili*; talemque fuisse Abbatissam Regalis Monasterii de las Guelguas, ipse refert, & de hac facultate *Gonzalez ad reg. mens. Gloss. 21 per tot.*

Nec obstat ratio dubitandi supra expensa. Nam verum est, simplicem fœminam arceri ab officiis virilibus. Cum verò dignitatem obtinet, cui annexa sit jurisdictio, eam potest exercere, ut fusius *in d. cap. dilecto exponit Gonzalez n. 10.*

Quatuor ergo menses soli collatoribus, & collatricibus vi regulæ nostræ competunt ad Beneficia conferenda.

Verùm, si Episcopus alternativam acceptat, per alternos menses dividitur annus, & æqua-
71 liter confert Ordinarius, & Apostolica Sedes.

Quid verò est alternativam acceptare? Est obligare se se Episcopum, ad residendum in Episcopatu, in quavis anni parte. Verum est, Epis-
72 copos ad residendum jure ipso Divino obligari, *Trident. sess. 23. de Ref. cap. 1.* adeoque adstrictos vehementer esse, *cap. magna 6. ipsum de voto*; Non tamen ità jugis exigitur residentia, ut ne modicum quidem tempus excuset, *can.*
73 *præsentium 7. q. 1.* Excusat trimestre, veluti si quis animi causa, ad levandam mentem à curis, ad convalescendum abfuerit, *d. can. præsentium, Tridentinum sess. 13. cap. 1. de Reform.* Excusat Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas, *cap. de cetero, cap. inter, cap. tua, cap. relatum, de Cler. non resid. cap. ad supplicationem de ren. can. quorundam dist. 74. Trid. sess. 23. cap. 21. de Reform. vers. nam cum. Zoesius de Cler. non res. n. 8. Sannig. eod. Tit. cap. 3.*

Esto hæc omnia excusent. Cum tamen aliquis Episcopus acceptat alternativam, omnino, vere, & personaliter residere cogitur. Adducam formulam hujus assensus, quam Pax Jordanus Episcopus Traguriensis adhibuit, ut ipse testatur *L. 10. Tit. 1. n. 21.*

N. N. Dei & Apostolica Sedis gratia Episc. & Ecclesia N. Intendentes, & volentes observare Regulam SS. D. N. Clementis Divina providentia 75
P. P. VIII. de, & super reservatione mensium Apostolicorum, & alternativa Episcopis residentibus concessa, eandem alternativa gratiam similiter, & omni meliori modo, quo possumus libenter acceptamus, uti velle, declaramus. In cujus nostræ voluntatis acceptationis fidem, præsentes literas in forma patentes manu propria subscripsimus, nostroque sigillo munivimus, ac ea ad Illustriss. & Reverendiss. D. Datarium, transmittimus, juxta formam, & ad effectum, de quo in prædicta regula data N. die N. Mens. N. anni N.

Moveantur verba *Episcopis residentibus concessa*; ut alternativam, quæ est quid favorabile, Episcopus acceptet, oneri quoque succumbat, necesse est veræ, & propriæ residentiæ. Hic enim favor quibus concedatur, declarat ipsa hæc nostra regula, his verbis: *ipsis quandiu apud Ecclesias, aut Diæceses suas vere, ac personaliter resederint dumtaxat.*

Non obstat, absentem ex justa causa haberi pro præsente, *cap. ex parte, cap. ad audientiam de Cleric. non resid. cap. un. eod. in 6. L. quasitum, ff. de Leg. 3.* Non obstat, eum, qui causa abest, abesse non dici *L. qualitum, §. fin. ff. de Leg. 3. L. 1. C. de V. S.* Non obstat haberi pro præsente, si quis statim sit reversurus, *L. postliminio, §. captivis ff. de capt. & postl. reverſ. can. divortium de pæn. dist. 1.*

Regula nostra fictiones excludit, ait: *vere* idest phisicè præsentem esse oportere Episcopum, *L. præsens cum L. seq. ff. de Proc. L. absentem 199. ff. de V. S.* Nec enim fictio convenit cum veritate, nec vera, ac naturalis fictionem admittunt. *L. contract. 54. ff. de obl. & act. L. frater 38 ff. de cond. ind. Mel. bior de de Valentia Tract. 3. cap. 1.* Ait insuper *personaliter*, quod personæ in loco præsentiam denotat *Clem. 1. de vit. & hon. Cler.* Dictiones autem taxativæ somnum inducunt, *Extrav. ambitiosa Tit. de reb. Eccl. al. vel non.* Aliud est vere, & personaliter adesse; aliud haberi pro præsente, *L. si maritus, §. quod si quis ff. de ad.*

Ergo etsi Concilium Tridentinum supra citatum admittat, Episcopos animi causa abesse a residentia per trimestre; post acceptatam alternativam, ut ea Episcopus gaudeat, abesse non potest, aut si abesse velit, desinet gaudere alternativa, ut fusius plures decisum in puncto, tradit *Gonzalez ad Reg. 8. Glossa 43. n. 41.*

Imò Maximilianus ab Austria Episcopus Segobiensis, audito adventu propè suam Diæcesim 76
Regis Hispaniæ, eo se contulit ad exhibendam obsequii significationem; duobus tantum diebus abfuit a residentia, ex causa, ut apparet, honestissima; orta fuit controversia, an prosequetur

retur alternativa gaudere. Dubium a Rota fuit decisum negativè die 16. Martii anno 1604. ut exemplum, hinc inde rationibus discussis, adducit *Gonzalez ubi supra n. 83.*

Cum igitur ita Episcopus ad residendum se obligat, conferre poterit Beneficia, quę vacant in sua Diœcesi his mensibus, nempe *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris.*

[o) Ut gratis.

DISSERTATIO IX.

Beneficium gratis conferendum est.

Si quis injusto cordis amore, vel fraudulento
77 aliquo munusculo inanis avaritiæ gloria Beneficium a conferente accipiet, eumque mora invenerit non pœnitentem, absque dubio in æternum peribit; ita ferme dicitur *in can. si quis* 115. 1. *q.* 1. Dum Greg rius ait, *injusto cordis amore*, ostendit incorruptam esse debere Beneficiorum collationem, ut ea verba interpretatur *Quitinus Haduus in cap. de multa de Preb. n. 24.*

Constans est Doctorum opinio, Beneficiarium cedere debere Beneficio; quandocumque sciverit, illud habuisse per simoniam, *cap. ex diligenti de simon.* Sivè ipse, sive alius, ipso etiam ignorante, causam criminis dederit, ex Felino *in cap. insinuatum de sim. si quis insaniens*, §. *ambitio* 15. *q.* 1.

Reprobata etiam est illa consuetudo, qua prandium debeatur a novo Canonico, *cap. Jacobus* 44.
78 *de sim.* Quod iampridem graviter reprehenderunt P. P. Synodi *Carthag.* 3. *can.* 42. ibi: *conviviis sibi conciliantes plebem, ut persuasu maligno, & illicito eosdem velint collocare Rectores.* Similemque consuetudinem accipiendi scyphum a novo Canonico, improbavit Honorius III. in *cap.* 2. *de consuet. in* 5. *comp.* ibi.. ad audientiam .. nostram noveritis, perven sse, quod præt xtu .. cujusdam consuetudinis, ut dicitur juramento .. firmatę a singulis, quos in Ecclesia vestra .. canonicari, contingit, unum scyphum argen- .. teum exigitis &c.

Et si dulciaria exigat Episcopus pro collatione, seu receptione in Canonicum, suspensus est a Pontificalibus, & Capitulum talia exigens subiacet interdicto, Pius V. in Const. declaratoria Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 14 *de Ref. edita anno* 1570. apud Vallensem de *Benef* L. 2. *Tit.* 1. *n.* 1. & 2. quidquid de ejus observantia dicat Lessius ab eodem Vallensi citatus *n.* 3.

In summa, provisiò simoniaca nulla est (mitto pœnas, de quibus L. 4. differemus) *can. ea, qua* 1. *q* 3. *cap. cum Clerici de pactis, Extrav. cum detestabile de sim. Vallensis ubi supra.*

At in controversia est, an si ex utraque parte non sit impletum simoniacum pactum, provisio
79 Beneficii nulla sit?

Explico quęstionis statum: conventum est cum collatore de pretio (o nefariam conventionem!) collatum est Beneficium, nondum tradito, nondù recepto pretio; an collatio sit nulla disputatur.

Nullam esse, irritamque collationem, videri 80 posset ex his, quæ subnectam.

I. Ex *can. ea, qua* 1. *q.* 3. ibi: *quidquid ergo, vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam habere vires, censemus*, ergo irrita collatio.

II. Per Textum *in cap. cum Clerici de pactis*, ibi: *spolietis*, quod cum executionem denotet, supponit privationem ipso jure ex *Butrio in cap. fin. de postul.*

III. Ex *cap. nobis de simon.* ibi: *penitus reprobanda*, quę nullitatem *ipso jure* indicant, *Felinus in cap. insinuatum de sim.*

IV. Ex Constitutione Martini V. edita in Concilio Constantiæ *sess.* 43. quę incipit *multæ*, per quam collatio simoniaca nulla est.

V. Ex Constitutione Pii V. quę incipit *cum primum* apud Garciam P. VIII. de *Benef. cap.* 1. *n.* 15. ubi pariter simoniaca collatio irrita declaratur.

Cæterum ex stilo Romanæ Curiæ, qui facit Jus, *cap. ex literis de const. cap. quam gravi de crim. falsi* non induci pœnam similem nullitatis, per 81 simoniam tantùm cōventionalem, notat *Vallensis de Benef.* L. 2. *Tit.* 1. *n.* 19.

Probatur hæc sententia, ex *cap.* 3. *de confess. ex cap. insinuatum, & aliis de sim. ex can. Presbyterum, ex can. erga* 1. *q.* 1. *ex can. ex multis* 82 1. *q.* 2. ubi pœnę imponuntur privationis, vel depositionis per sent. iam. Atqui lex puniens aliquem actum ceni ea est punire actum completum, L. 1. §. *fieri ff. quod quisque iur.*

Neque superiùs opposita refragantur, nam 83 procedunt illi Textus de Jure antiquo, cujus rigore inspecto, forte ad pęnas conventionalis quoque sufficiebat simonia cum emptio, ac venditio solo consensu perficiatur, §. 1. *Inst. de empt. & vend.* Simonia autem ad hunc contractum refertur. At diversum est juxta Romanæ Curiæ stilum, vi cujus exigitur simonia utrinque completa. Remanet ergo, ut dicamus, pendere collationis nullitatem ab euentu conditionis, qua posita, retrotrahuntur omnia ad tempus pręteritum, exemplo amissionis emphytheusis ipso jure incursæ ob non solutum canonem, *cap. potuit de locat.* L. 2. C. *de jur. emphyt.* si judicatur amissa, sic declarante domino, velle, ut res cadat in commissum: judicatur amissa cum omnibus fructibus, & quidem a tempore elapsi triennii, exemplo etiam ejus, quod habetur in §. *ejus Inst. quibus non est permiss. fac. test.* & ejus, quod habetur in L. *quadam, ff. de reb. dub.*

Atque hanc sententiam aliis tuetur rationibus *Zoesius* L. 5. *Tit.* 3. *de sim. n.* 91. & *seq. Thesaurus de pœnis cap.* 2. *verbo simonia n.* 10. *vers. limita ut secundum.*

(p] Ut

(p) Ut sine.

DISSERTATIO X.

In qua explicatur Titulus Decretalium: ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

Vitiosa est Beneficii collatio facta cum dimi-
84 nutione antiquorum reddituum. Sunt enim Be-
neficia indivisim conferenda, hoc est integra,
non dimidiata, non unum duobus. Nullus præ-
sumat Ecclesiam inter duos, pluresque dividere,
ait Textus *in can. sicut* 21. *q.* 2. Si non inte-
gre conferantur Beneficia, non valet collatio,
ut docet Quintinus Haduus *in cap. de multa de
Præb. n.* 29.

I. Integre non confertur Præbenda, cum Præla-
tus collator fructus sibi retinet, collato Beneficio,
85 *cap. unico de Eccl. Benef. sine dim.* ut per hunc
Textum *Zoesius ibid. n.* 1. & ideo *in can.* 1. *caus.
ult. q* 3. improbantur omnes consuetudines, qua-
rum vigore in collationibus fiunt deductiones fruc-
tuum, aut compensationes. Ergo non potest
86 sibi Episcopus, vel suæ mensæ reservare ad tem-
pus integros redditus Beneficii vacantis, etiam
cum consensu Capituli, nisi accedat Apostolicum
indultum, ut contra Barbosam Sannig. *ad* L. 3.
decret. Tit. 12. *n.* 4. & constat ex *can. prohibe-
mus 7. de cens, & arg. Clem.* 2. *de reb. Eccl. ex cap.
extirpanda de Præbend. ex cap. prohibemus de
cens.* Hinc Joannem XXII. & Benedictum XI.
in subsidium belli adversus fidei inimicos, hæc
fructuum reservationis indulta concessisse, refert
Cironius ad hunc ipsum Titulum, quem expli-
camus, atque in hunc modum defendit *Salcedo*
L. 1. *de Lege Pol. cap.* 19. sectionem Beneficiorum in
Diæcesibus Palentina, Calagutina, & Burgensi.
Nihilominus si justa causa subsit, veluti si Ecclesia
ære alieno gravata sit, *cap. pen. de V. S.* po-
terit Episcopus cum Capitulo partem fructuum
Beneficii vacantis retinere ad tempus, ut æs alie-
num dissolvatur, Vallensis id docet ex d. cap.
pen. Tract. de Benef. L. 2. *Tit.* 6. *n.* 3. & San-
nig. ubi supra ex *cap. unico hoc Titulo*. Ratio
est quia talis reservatio procul est a suspicione
simoniæ, de qua ratione Textus *in d. cap. unico
in fine*. Neque vero ob simoniam solum sectio
Præbendarum præcisè prohibetur; sed & quia
id indecorum est, ait Textus *in cap. majoribus*
8. *de Præb.* ex quo Textu ita loquitur Quinti-
nus Haduus ubi sup a n. 29.: *tendit illa consti-
tutio, ad ornamentum Ecclesiarum, & honesta-
tem publicam, non in alicujus privati commo-
dum*. Cum verò fructus reservantur, ad æs ali-
enum exsolvendum, potius reservatio decora
est. Et simile quiddam dicendum, si reservatio
fructuum facta sit ad sarciendam Ecclesiam ar-
gumento Textus *in cap. pr. de reb Eccl. in* 6.
ut ex hoc Textu Grananetus *in cap. un ut Eccl.
Benef. sine dim. n.* 11. Hæc verò reservatio fru-
ctuum ante collationem fieri debet, vel simul cum
illa, ne gravando postea alicui jus suum dimi-
nuatur, *Zoesius ad hunc Tit. n.* 2.

II. Integrè pariter Præbenda non confertur,
cum idem Beneficium inter plures dividitur, *cap.
majoribus* 8. *de Præb.* ibi: *indecorum nimis vi-
detur, ut minorum Clericorum Præbenda patian-
tur sectionem*. Ratio est, quia debet Ecclesia
sicut in magnis, ita etiam in minimis membris
suis firmatam habere unitatem, ità Alexander III.
in d. cap. majoribus, sicut una Diæcesis postu-
lat unum Episcopum, *cap. cum non ignores* 15.
de Præb. cum unum corpus diversa capita habe-
re, portentum sit, ut differit Textus *in cap qu.
niam* 14. *de off. Ord.* Ut una uxor duos viros
habere non potest uno, eodemque tempore, *cap.*
1. 2. 3. & 4. *de secund. nupt.* ita neque Ecclesia
duos Rectores, valetque argumentum a matrimo-
nio carnali ad spirituale, *cap.* 1. & 2. *de transl.
Ep.* Tandem quia Præbenda est unicum jus spi-
rituale, & individuum, *cap. dilecto* 25. *de Præb.*
unitas autem divisionem excludit, *can. loquitur*
14. *q.* 1.

Neque obstat Textus in *cap. ad audientiam*
3. *de Eccl. æd.* ubi, una Ecclesia duobus assi-
gnata fuisse, videtur.

Id opposui, ut nunc præclara adnotetur limi-
tatio. Præbenda dividi potest, cum necessitas 88
suadet. Ecce, populus magnum in numerum
excrevit, ad Parochiam sine magno incommodo
accedere non potest, nova potest in Parochia ædi-
ficari Ecclesia, atque in ea Sacerdos institui,
certam portionem ex Parochi redditibus eidem
deputando, quod ampliatum est *a Concilio Tri-
dentino sess.* 21. *de Ref. cap.* 4. ut interpetratur
oppositum Textum *Grananetus ubi supra n.* 9.
& præclarè Sannig. *ex cap. vacante de Præbend.*
eumdem Textum in hoc sensu accepit *in com-
ment. ad hunc Tit. n.* 6. & factum id fuisse,
ab Episcopo Gaufrido, narrat *Innoc. III*, L. 1.
regestr. epist. 50. ibi: *Gaufridus Eboracensis Ar-
chiepiscopus de quadam magna Præbenda duas
instituit*.

III. Multò minùs numerus Beneficiorum Ec-
clesiasticorum poterit imminui per suppressionem 89
earumdem, atque extinctionem. Nam Divinus
cultus imminueretur, *cap. ex parte de const.*

Nec repugnat Textus, in *cap. cum accessissent*
8. *de const.* in cujus specie Canonici Tullentes
dignitatem Primiceratus in sua Ecclesia confir-
mante Alexandro III. suppresserunt, postea Tex-
tus ad alia narranda procedit. Interim constat,
suppressionem hujusmodi jure canonum non pro-
hiberi.

Sed rectè perpendit Zoesius *ad hunc Tit. n.* 3.
posse Prælatum ex communi consensu Beneficiū
extinguere; verùm, & requiritur causa, & con-
firmatio Sedis Apostolicæ, & tradit *Glossa ib.* ver- 90
bo confirmatum. Quod ita accipit Abbas ib.
n. 4 si numerus Præbendarum per Pontificem
sit confirmatus: quamvis etiam velit, ex causa
superveniente posse diminui Præbendas per Epis-
copum, & Capitulum, etiam eo in casu sine
auctoritate Pontificis, veluti si sint diminuti ro-

tabiliter fructus; nam non obstante confirmatione numeri per Pontificem, possunt nihilominùs augeri, ex superexcrescentibus fructibus, *cap. cum M. Ferrariensis 9. de const.*

(q] *Ut palàm*.

An forma ulla servanda sit necessariò in collatione Beneficii simplicis.

Vallensis in *Tractat. de Benef.* L. 2. *Tit. XVI.*
hunc examinat articulum, an forma ulla servan-
91 da sit in provisione Beneficiorum simplicium.
Mihi placet, quod docet Dartis *in Tract. de Benef. sect. 5. cap. 4.* ait enim, quod potest quidem inferri *ex cap. un. §. porro ut Eccl. Benef. sine dim.* dum ait Textus occultum locum efficere, ut collatio suspicione non careat, formam,
justumque illum servandum esse, ut palam conferatur Beneficium, Cæterum non improbatur
in eodem Textu consuetudo, quæ jam inolevit,
92 ut Episcopi suis in cubiculis, paucis præsentibus
Beneficia conferant.
Illud tamen verum est conficiendas esse literas collationis, *cap. 1. injunctæ de elect. in Extrav. comm.* in quibus testes subscribere debent ad mi-
93 nus duo; in quibus pariter narretur Diœcesis,
ubi Beneficium situm est, *cap. significante de Rescript.*
Cæterum nec requiritur concursus, ut infertur argumento a contrario sensu ex Concil. Trid.
94 *sess. 22. cap. 4. de Reformat.* prout per *Vallensem*
ubi supra; neque ut de die collatio sequatur, *Selva de Benef. P. 3. q. 17.* quamquam electio noctu facta illegitima habeatur, *cap. quia de elect.* ubi præcisa forma servanda est; ut argumentatur *Vallensis ib. n. 3.*
Sed post habitam de Beneficio provisionem,
tenetur provisus antequam possessionem adeat,
95 se proprio Prælato præsentare, professionem fidei
emittere, quæ in actis publicis insinuetur, quæ in majoribus Beneficiis iteranda est coram Capitulo, *Trid. sess. 24. cap. 12. de Ref.*
Ulterius provisus solemniter mittendus est in
96 possessionem quæ missio per Clericum fit ejusdem
Diœcesis, adjuncto Notario cum duobus, aut tribus testibus; eaque fit per ingressum in Ecclesiam, sumptionem aquæ benedictę, osculum ad altare, contactum Missalis, sessionem in stallo, sonitum campanæ, quamvis aliqua ex his sufficiat. Et possessio acquiri etiam per Procuratorem potest, *cap. accedens de Præb. L. 1. C. de acq. poss.* & de his & similibus formis omnium optimè Cabassutius *in Scientia Can. L. 2. cap. 18.*

(r) *Conferantur*.

DISSERTATIO XI.

Ubi argumentum de pluralitate Beneficiorum planè discutitur.

Olim, ut supra monuimus, nemo in Cleri-
97 cum ordinabatur, quin intitularetur. Palàm est
pro more residere in singulis non potuisse, cui plures fuissent assignati tituli Ecclesiarum; præcla-
re Concilium Chalc. *can. 10. Non licet, Clericum* 98
conscribi in duabus simul Ecclesiis; quam rationem per doctè dilatat Tomassinus *P. 2. L. 3. cap. 1. de vetere, & nova Eccl. discipl.* Redditus Beneficiorum meris constabant distributionibus, seu sportulis. Quorsum ergo plura, quis sibi accumulasset Beneficia, cum præsentibus tantum, & officio fungentibus hæ sportulæ dispensarentur? Quare in Concilio Urbani sic præcipitur: *in qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret can. sanctorum 70. dist.* In Concil. Chalced. sic statuitur: *Clericum in duarum Ecclesiis Civitatum eodem tempore conscribi, non oportet.* Quare Anacletus in *can. Episcopi dist. 8. Singuli tamen per singulos titulos suos.*
Cum tamen a prisco rigore recessum fuerit, ut ostendunt Textus *in cap. gratia de rescript. in 6.* ubi Bonifacius; *Si talia sunt Beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri*; ergo quædam simul jure teneri possunt. Textus alter *in Clem. gratia de Rescr.* ibi: *si ante adeptionem ejusdem aliud Beneficium pacificè assequaris.* Textus in *Extravag. execrabilis de Præb.* ibi: *quæ alias*
absque alia dispensatione legitima obtinere nequi- 99
bant. Ostendendum est, quibus temporibus serpere in Ecclesias cœperit pluralitas Beneficiorum.
Ansam igitur pluralitati Beneficiorum, quantum video, præbuere translationes. Restit t quidem Concilium Chalced. *can. 10.* sed jam ante 109
ejus Concilii tempora translationes cœperant, quibus medicinam adhibuit sancta Synodus. Qui enim ab una in aliam Ecclesiam translati fuerant, callidè tentabant prioris Oratorii redditium esse consortes, quem gliscentem abusum, ut reprimat Concilium hęc pronunciat: *Si vero jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet.* Ergo qui se transferre voluit in alium titulum, huic constanter se, ex Concilio, debet affigere, de primo ne cogitare quidem.
Quoniam igitur translationes aliquot jam cœperant, nonnulli priorem titulum in commendam saltem retinere satagebant, Quo factum, ut Concilia Affricana ad annuum spatium solùm extendi commendas, decreverint, & Ferrandus Diaconus hæc refert ex his Conciliis *cap. 21.* ibi: *ut nullus Episcopus Cathedram, cui datus fuerit interventor, plusquam annum teneat.* Commendæ usitatæ erant etiam tempore B. Ambrosii, qui Episcopo suæ Provinciæ curam proximioris ei Ecclesię Immolensis, quæ tunc vacabat, commendavit, ita enim Sanctus in *epist. 44. commendo tibi fili Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii quo eam de proximo intervisas frequentiùs, donec ei ordinetur Episcopus*, notat Tomassinus P. 2. *de vetere, & nova Eccl. discip. L. 3. cap. 1.* sed illa commenda, de qua D. Ambrosius alienissimo a terrenis cupiditatibus animo, data, & sus-

fuſcepta eſt.

Turonenſem Metropolim conſecutus Arctardus, non tamen dimiſit Nannetenſis Eccleſię prioris curam, & poſſeſſionem, quod illi Hincmarues probro vertit *L.* 1. *Epiſt.* 8. ibi .. unde .. ſe conatur excuſare, inde magis accuſare, .. & cupiditatis, atque ambitionis cauterio inu- .. rere, qui plus poſſeſſiones terrenas, quàm ani- .. marum lucra videtur acquirere. Cæterum tempore etiam Concilii VII. generalis ſuperfluitas Beneficiorum irrepſerat Conſtantinopoli, quare idem Concilium *can.* 15. narrat abuſum, quem poſtea prohibuit: *in Reginæ autem Urbium non ſolum in duabus, ſed etiam in pluribus exultitantur.*

Negari tamen haud poteſt; commendas, unio-
102 neſque Beneficiorum juſtas ob cauſas priſcæ Eccleſię diſciplinę fuiſſe conſentaneas. Quod exemplis declarabo, & ſimul, quę cauſæ extiterint, innoteſcet. Severinus Presbyter duas cū ædificaſſet Eccleſias, & illatis Martyrum ſacris pignoribus conſecraſſet, ubi in earum altera ſacris operatus eſſet, actutum equo conſcenſo ad alteram properabat, *Gregor. Turonenſ. de glor. confeſſ. cap.* 50.

Everſa Auguſta Veromanduorum, B. Medardus ejus ante Epiſcopus ſedem ſuam Noviodunum tranſtulit, electuſque fuit Epiſcopus Tornacenſis, nec tamen Epiſcopatum Noviodunenſem abiecit, Surius die 8. *Jun. cap.* 18. ibi: *Pontificali videlicet authoritate, duas illas Eccleſias unam fecit.* In Concilio Emeritenſi conceditur, ut Epiſcopi Præsbyteros è Parochiis ruralibus transferant in ſuas Cathedrales ita ut in Parochiis dimiſſis retineant authoritatem, ita enim *in can.* 12. *ab Eccleſiis tamen, in quibus conſecrati ſunt, vel a rebus earum extranei non maneant.* Minturnenſi Civitate diruta prorſus, & æquata ſolo, flagitavit vicinus Epiſcopus, ut is Epiſcopatus, ſuo accreſceret, Eccleſię utilitati cōſultum volens, idque impetravit, unde Gregorius *L.* 2. *epiſt.* 31. hæc habet: *Conſulentes, tam deſolationi loci illius, quam Eccleſiæ paupertati.* Conglutinavit etiam Miſenatem, Cumanumque Epiſcopatus in unum, quoniam ait idem Gregorius ib. non ita ſejuncti ſunt, *nec tanta populi multitudo eſt, ut ſingulos ſicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes.* Beatus Oſcucaldus Vorceſterſtrenſis in Anglia Epiſcopus clavum arripuit Eboracenſis Eccleſię, nec tamen a prioris Epiſcopatus ſui gubernaculis receſſit, idque ob ejus ſingularis probitatis exemplum factum fuiſſe, narrat *Surius d e* 15. *Octobr.* Incurſationes Barbarorum juges, & cruentiſſimæ Fundana civitate Epiſcopum, plebemque propemodum omnem effugarant. Idem Fundenſis Epiſcopus Ferracinenſis Eccleſiæ Paſtor a Gregorio Magno eſt deſignatus *L.* 2. *epiſt.* 150. Joannes Talaia Antiocheuus Patriarcha Alexandrinus vi perſecutionis ejectus Eccleſię Nolanæ ſuſcepit gubernacula Felicis Papę indulgentia, *Liberat. in breviar. cap.* 18. Atque innumera alia hujus generis exempla adducit Tomaſſinus *P.* 2. L. 3. *cap.* 11. & *ſeq. de nova & vet. Eccl. diſcipl.*

Ex quo infertur controverſiæ illius vexatiſſimę deciſio, an Beneficiorum pluralitas Divino, ac naturali Juri contraria ſit?

Dicendum eſt, prohibitionem coacervandi in
hunc modum Beneficia ſolum a Jure poſitivo 103
proficiſci.

Ratio efficax. Quia adductæ diſpenſationes, vi quarum impune plura Beneficia retinebantur, perperam conceſſæ viderentur, cum ne Pontifex quidem contra Divinum Jus diſpenſet, *can. ſunt quidam* 25. *q.* 1. at quis hoc dixerit?

Deinde Concilium Tridentinum debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens ſtatuit quidem, ut unum tantum Beneficium ſingulis conferatur, *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de Ref.* at ſubiungit: *liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat eidem conferre*; & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. in illis verbis: *etiam ſi Cardinales ſint obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam*, quę verba expendens Tomaſſinus *ubi ſupra* L. 3. *P.* 2. *cap.* 5. *n.* 13. ait quod Tridentina Synodus Cardinales patitur, & Epiſcopos ſimul eſſe, & Cardinales. Indè eſt, quod fatetur Fagnanus *L.* 1. *part.* 1. *pag.* 278. nulla iam diſpenſatione opus eſſe, ut Epiſcopatum priorem retineat, qui Cardinalatu iam decoratur. Et volumus, adverſari Juri Divino pluralitatem Beneficiorum?

Difficilis tamèn occurrit Textus, quem expendit Quintinus Hædnus in *cap. de multa de Præb. n.* 56. Nimirum in *cap. ad hæc* 13. *de Præb.* in
illis verbis .. illud eſt omni rationi contrarium 104
.. ut unus Clericus in una, vel diverſis Eccle- .. ſiis plures dignitates, vel perſonatus obtineat.

Miratus ſum, hunc Textum omitti in ipſa hac quæſtione a *Gonzalez in comm. ad cap. de multa de Præb. a Maneino diſſ.* 3. *cap.* 11. *ad Rubr. de Præb. & dign. a Granetto in cap. de multa n.* 18. *de Præb.*

Planè in litera Textus juxta primam collectionem ea verba non habentur, ſed vel a ſunt: *licet conſuetudo illa non ſit conſona rationi.* Admiſſis tamen verbis prędictis, dico, optimè locorum fuiſſe Pontificem; non tamen ſignificare illud eſſe contrarium Divino, naturali Juri, & humano ſimul. Nititur quidem rationi, quæ conſtruitur, perpenſa auctoritate Legis Divinæ, eaque ad caſum Beneficii per interpretationem transfertur expreſſo Textu in *can. Clericus* 21. *q.* 1. veluti ſi ita arguas: verbum Divinum eſt, neminem poſſe duobus dominis ſervire, *Math.* 6. ergo nemo duobus affigi poteſt Eccleſiis. At non ideo infertur, ergo hęc prohibitio eſt Juris Divini; ſed Juri Divino ſubnixa dicenda eſt, quod ultro admittimus. Cum verò ait Pontifex, omni rationi eſſe contrariam ſuperfluitatem hanc Beneficiorum, percipitur, quo ſpectet hic loquendi modus. Ex pluralitate Beneficiorum naſcitur avaritia, & ambitio, *Extravag. execr. bilis de Præb.*

de Preb. Pluralitas divagationi causam præstat, *cap. cum singula de Preb. in 6.* Repugnat etiam politicæ gubernationi; nemo duobus assideat Magistratibus, *L. nemo C. de assess.* Singula officia singulis sunt distribuenda, *L. libertus, § rescripto, ff. ad municip.* Quare Textum oppositum exponens Quintinus supra citatus, concludit his verbis, *bene ergo, & vere dictum, quod omni rationi contrarium est, Clericum unum habere plures Ecclesias.*

His elucidatis, quæ ad notitiam antiquitatis pertinere videbantur, videamus jam, quomodo se res habeat circa Beneficiorum pluralitatem hodiernis temporibus.

Ut rem ordine pandam; dico I. certum esse ex Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 17. duo Be-
105 neficia simplicia, quorum unum non sufficiat ad congruam sustentationem sine dispensatione posse retineri, prout ex hoc loco Concilii docet Villensis *L. 3. Tit. 7. de Benef.* Ergo cum Clericus unum insufficiens Beneficium habet, poterit eidem Episcopus aliud simplex sufficiens conferre: ita ex mente Concilii, ait Barbosa de *universo Jure L. 3. cap. 13. n. 179.* Et sacra Congregatio Card. apud Garciam P. 11. *de Benef. cap. 5. n. 310.* censuit, solum duo Beneficia uni posse Episcopum conferre; quod si velit conferre tertium, quia illa duo nondum congruæ sustentationi sufficiunt, non potest. Si tamen tertium conferat collatio tertii erit valida; sed si tertium sit sufficiens, vacabunt priora duo; sin minus, tenetur provisus dimittere alterum ex illis, ut resolvisse S. Congregationem, testatur idem Gargias *P. 5. cap. 5. n. 310.* Et rursus eadem sacra Congregatio sub die 13. Nov. 1627. proposito dubio, quodnam ex his tribus vacet censuit, vacare primum: adducitur a Barbosa *ubi supra n. 181.*

Dico II. distinguendum esse inter Beneficia incompatibilia *primi generis*, & incompatibilia *secundi generis*. Primi generis sunt plura duplicia, ut dignitates; Parochiæ, & simplicia sub eodem tecto uniformia, idest eadem Ecclesia vel duæ Capellaniæ, duæ portiones, duæ pensiones; atque in hac incompatibilitate *primi generis* receptum est, primum ipso jure vacare, *cap. de multa de Preb.* qui Textus correxit Jus antiquum, juxta quod in electione erat Beneficiarii utrum retinere mallet, *cap. 7. & cap. præterea 14. de Preb.* Additumque in *Extrav. execrabilis de Prebend.* si Beneficiarius prius non dimittat coram Ordinario, etiam secundo privari, & reddi ad quodcumque inhabile; *Ita Zoesius ad Tit. de Preb. n. 59.* Secundi generis incompatibilia sunt uniformia in diversis Ecclesiis requirentia residentiam, difformia sub eodem tecto, qualia sunt habentia diversam functionem, ut Dignitas, & Canonicatus - Parochia, & Capellania. Hujus incompatibilitatis id proprium est, ut posterioris acceptatio non faciat quidem ipso jure vacare prius; non tamen sine crimine periculo retinetur, neque huc pertinere Textum *in cap. 28 & 54. de Preb. & d. Extrav. execrabilis, & Trid. cap. 17. ib.* qui Textus utpote pœnales non sunt ad casum alium detorquendi, docet *Zoesius ubi supra.* Et quoad retentionem, posse Episcopum dispensare, Glossa docet *in cap. dudum 2. verbo intitulatam de elect.* quam communiter receptam testatur Sannig. *ad Decr. Tit. de Preb. cap. 2. in fine. Vallensis de Benef. L. 3. Tit. 9.* sadeique declaratio Card. quam refert Gargias de *Benef. cap. 5. P. 11. de Benef. n. 377.*

Dico III. Pontificia dispensatione pluralitem hanc admitti: licet enim Concilium Nannetense 107
can 8. dicat quod sicut vir unam uxorem de- 108
bet habere, sic Presbyter unam Ecclesiam, ac propterea sicut Pontifex in pluralitate uxorum dispensare non potest, *cap. gaudemus de divort.* ita ne inducat bigamiam hanc spiritualem præclusus videtur aditus esse dispensationi. Quare Paulus II. referente *Joanne Nicolao de incompat. Tit. 3. cap. 6.* rogatus super pluralitate, respondit, se in Ecclesia Dei nolle inducere bigamiam. Attamen certum est, Pontificem in pluralitate hac posse dispensare, nam bigamia carnalis excludit dispensationem, quia Jure Divino, ac naturali prohibetur, quod secus esse, diximus, in nostra specie.

(*f*) *Irrita.*

DISSERTATIO XII.

Ubi provisio Parochialium Ecclesiarum, quo modo canonum dispositione facienda sit, declaratur.

Expedit maximè animarum saluti, a dignis, atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius, & rectiùs perficiatur, sancta Tridentina Synodus hæc præcipit observanda.

Cum Parochialis Ecclesiæ vacatio contigerit, statim ac Ordinarius notitiam vacationis habue- 110
rit, Vicarium, seu Æconomum, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituat, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provisum fuerit. Idemque Ordinarius edictum publicum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis, ac Parochialis vacantis intra triduum affigat, quo vocentur omnes, qui examinari volent, transacto constituto tempore; atque omnes, qui ad concursum venerint præstituto die se sistant coram Ordinario, & Examinatoribus in Synodo constitutis non paucioribus, quam tribus, & qui Examinatorum judicio magis idoneus reperietur, Ecclesiæ vacanti præficiatur. Ita Concilium *sess. 24 cap. 18. de Ref.*

Edictum publicum pro concursu positum esse 110
in arbitrio Episcopi an proponatur, quia Concilium Trid. ad id non compellit Episcopum, statuit Sacra Congregatio *in Placent. apud Pacem Jord. L. 10. Tit. 8. n. 22* his verbis: *quod verò ad propositionem edicti publici attinet, hoc totum positum est in arbitrio ipsius Episcopi faciat, vel non.* Ut plurimum tamen edictum hoc

propo-

proponitur vacante Parochiali, habita vacationis notitia, hoc est infra triduum. Et quia ex ipsa formula edicti facilius percipietur hoc collationis praeliminare, non erit abs re eam oculis subiicere

.. Vacante Parochiali Ecclesia N. nostrę Diœ-
111 .. cesis, cupientes eidem de idoneo providere
.. Rectore, atque S. Conc. Trid, decreta pro viribus Deo adjuvante exequi, tenore praesentium requirimus, & monemus primo, 2. & 3. & peremptorie omnes, & singulos Praesbyteros, & Clericos volentes ad examen per concursum faciendum se praesentare acturos a die executionis praesentis edicti computandos debeant in actis Cancellariæ Curiæ nostræ describi facere eorum nomina, cognomina, ætatem, & patriam ad effectum, ut de eorum natalibus, vita, moribus, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis juxta decreta dicti S. Conc. inquiri & transacto constituto tempore examinari possint.

In quorum fidem &c. Dat.&c.

Formula hæc est apud Pacem Jordanem *ubi supra n.* 74. Portò in edicto assignari potest ad sum-
112 mum terminus 20. dierum, intra quem concurrere volentes ad Parochialem sui copiam facere debeant, ex Bulla Pii V. quæ incipit *in conferendis*, quæ transcribitur a Garcia *in P. 9. cap. 2. de Benef. n. 3.* ibi: *ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant*; ergo alii decem dies ab Ordinariis possunt assignari adeoque 20. ad summum.

Qui ergo ad Parochiam petendam se expone-
113 re cupiunt, ad minus per tres dies ante lapsum termini in edicto præfix. nomina sua in actis describi curabunt, ut inquiri possit de vita, moribus, aliisque requisitis, *Concilium Archiep. Bonon.* P. 4 *Tit. de ven. ad concursum*. Potest tamen Ordinarius, non obstante lapsu termini aliquem, venientem ad concursu admittere, re tamen adhuc integra, ex declaratione Cardinalium apud Garciam P. 9. *de Benef. cap.* 2. *n.* 206. favorem Ecclesię id suadere videtur, cujus interest, plures concurrere, *arg. ll. e si post tres ff. si quis caut. cap. consuluit de off d l. L. 2. C. quomodo, & quando Jud. L. cum dies, §. si quis, ff. de Arb. cap. Ecclesia 2. de el.*

Sit ergo iam conficiendum examen; quis exa-
114 minat, quis prius examinatur, qua de re examinatur? Explicemus hæc singula.

Quis examinet, Concilium Trid. statuit *d. cap.* 18. cui præcitata Bulla Pii V. adhęsit. En
115 verba Concilii: Examinatores autem singulis
.. annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel
116 .. ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Sy-
.. nodo satisfaciant, & ab ea probentur: & sacra Congregatio Concilii *Saonensis* 1. *Febr.* 1593. apud Gallemart ad Concil. Trid. censuit his verbis: *Congregatio Concilii censuit, Examinatores Synodales durare, donec alii in Synodo deputati fuerint*. Cum Examinatores in Synodo eliguntur, jurant ad sancta Dei Evangelia, *se munus suum fideliter executuros Trid. d. cap. 18. Concil. Provinc. Mediol. 5. P. 3. Tit. de exam. ratione*. Cumque ex Concilio Tridentino constet, 117
juramentum præstandum esse tactis Evangeliis, tanget electus Examinator utraque manu Evangeliorum codicem supra genua Episcopi positum.
Sed quia evenire potest, ut Examinatores mo- 118
riantur, providendum fuit si quid ejusmodi contigisset. Et Provisum est a Clem. VIII Nam anno 1593. in Episcopatu Civitaten omnibus Examinatoribus defunctis, Parochia vacavit, Clemens VIII. ita decrevit .. S. D. N. Clem.
.. VIII. decrevit hoc in futurum observari, quan-
.. do omnes Examinatores Synodales intra an-
.. num eorum deputationis mortui fuerint, nem-
.. pe Episcopus ex Examinatoribus antiquis Sy-
.. nodalibus, si fuerint, subroget alios, non
.. pauciores numero sex, & si non steterint tot
.. Examinatores Synodales antiqui ad nunc nu-
.. merum ascendant, tunc Episcopus eligat illos
.. qui fuerint, ac alios suppleat de novo, ap-
.. probatos tamen a Capitulo usque ad numeri
.. præfati complementum: verum si nulli anti-
.. qui Synodales Examinatores superstites fue-
.. rint, tunc Episcopus omnes nova Examina-
.. tores probitate, ac scientia idoneos, quia Ca-
.. pitulo probati sint, non pauciores præfato-
.. rum substituat, & veniente vacatione cu-
.. juslibet Parochialis Ecclesiæ, Episcopus de-
.. bebit ex prædictis Examinatoribus eligere tres,
.. qui cum eo examen juxta decretum Concili
.. cap. 18. sess. 24. perficiant Officium omnium
.. prædictorum Examinatorum Synodalium su-
. brogatorum expiret, cum primum advenerit
.. tempus novæ Synodi &c.

Ergo apparet, supplendum esse ab Episcopo, approbante Capitulo subrogatos in locum demortuorum, superstites verò retinent suum jus, ex
declaratione Cardinalium apud *Pacem Jordanem* 120
L. 10. *Tit.* 8. *n.* 16. ibi .. Et si ex dictis sex
.. Examinatoribus aliqui intra annum suæ ele-
.. ctionis mortui fuerint, tota facultas exami-
.. nandi una cum Vicario ad superstites, etiam
.. si unus tantum superesset, spectabit, eo an-
.. no durante, & significat tota facultas, idest ea, quę uni competere potest, non minuitur. ita Pax Jord. *ubi supra n.* 141.

Quis autem, ab hisce tribus Examinatoribus ex Clericis concurrentibus sit examinandus prius
alio quocumque, Bononiense Concilium Ar- 121
chiepisc. *P. 4 Tit. de ratione exam.* declarat his verbis.. Illud tamen nostra Synodus observan-
.. dum esse, ducit, ut cum plures se obtule-
.. rint examinandos, illi, qui prius nomina
.. dederint, primi ad examen admittantur, aut
.. si ita expediat, omnes simul coram Exami-
.. natoribus convocentur, ut de unoquoque
.. coram omnibus periculum fiat.

Qua de re examinetur in concursu, si quæritur; idem Concilium Bononiense declarat his verbis P. 4. *Tit. de rat. exam.* .. ea semper ra-
.. tione servata, ut inter examinandos, quanta

.. fieri

„ fieri poterit æqualitas observetur, & super „ eadem re, & per easdem interrogationes singuli examinentur, ut omnis collusio, sive præcedens instructio amoveatur sub perjurii periculo. Interrogantur autem de rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex Con-
122 cil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. ibi „ quotcumque „ ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, „ doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; adeoque de Sacramentis, eorumque præsertim administratione, solemque in scriptis respondere, qui concurrunt interrogationi, ut multis in locis servatur.

Examine peracto, sequitur approbatio, vel
123 reprobatio; in quo observetur, quod sacra Congregatio Concilii apud Garciam P. 9. *de Benef. cap.* 2. *n.* 35. *non statuit praecisè, ut Examinatores sint tres, sed quod non possint adesse pauciores tribus*. Hoc posito, vota sua Examinatores aut palam, aut secretò impertiunt. Neutrum ex his modis præcise statuit Concilium Trid. ut notat Ventriglia *Tomo* 2. *annot.* 5. §. 1. *n.* 53. qui ait, utrumque modum in praxi servari, Bononiæ per suffragia dari secreto. Laudatur tamen modus a D. D. publice voluntatem declarandi, ita ut prius Examinatores inter se vota conferant, deinde illa jubeant scripto comprahendi per tabellionem, quę approbatum, vel reprobatum concurrentem designent. Quæ deduximus ex declaratione Cardinalium apud Garciam, n. 107. quę fic censuit „ licet Concilium non expresserit, an vo„ ta Examinatorum palam, aut secrete fieri de„ beant, magis tamen expedit, ut Examinato„ res palam inter se sua vota conferant, deinde „ notario jubeant, ut in actis suis simpliciter „ scribat, Titium approbatum idoneum, Seium „ verò reprobatum, ut Romę fit.„

His peractis Episcopus potest eligere, ac de-
124 bet eum, qui sibi magis idoneus videatur, ex declaratione sacrę Congreg. his verbis: *Examinatores debent solum renunciare duos, vel tres v. g. repertos idoneos, deinde Episcopus absque votorum calculo, sed suo judicio eligere digniorem*, transcripta est a Pace *Jordano L.* 10. *Tit.* 7. *n.* 180. Quod si ignoret, quis sit dignior; omnimodam expiscari debebit ab Examinatoribus, *Vallensis de Benef.* L. 2. *Tit* 13. *n.* 1. Ac si 125
si vota paria fuerint aut singularia, nempe unus Examinator uni adhærebit ex concurrentibus, alter alteri, habebit eo casu Episcopus votum decisivum, poteritque accedere cui magis videbitur, ut idem Vallensis ex Concilio Trid. *vers. transacto cap* 18. inferri, contendit.

Rejectus verò provocare potest prælectum ad novum examen coram Judice appellationis, antequam doceat de irrationabili judicio Episcopi, ita censuit S. Congregatio in Vobinaten. die 9. Sept. 1018. *apud Pacem Jord. ubi supra n.* 127. quam declarationem, ut singularem extollit.

Hactenus, quomodo provisio Parochialium contingat, edocuimus.

Non tamen semper collatio Parochialis exigit concursum plurimorum; sed si Parochialis ab Episcopo conferenda sit ad nominationem Patroni 126
laici (quam secus est in Patronatu Ecclesiastico) Patronus præsentabit; præsentatus verò ab Episcopo examinabitur, repertumque idoneum, admittet, Concilium Bononiense *P.* 4. *de examine per concursum*: *Hoc edictum non ad dignitates &c. pertinet neq. ad Ecclesias Jurispatronatus laicorum &c. de quo Concilio Garcias* P. 9. *cap.* 2. *in fin.*

Et fanè quod recentiori Jure, hic modus conferendi Parochiales sit constitutus, mirum non videtur. Concilium Coloniense anno 1549. decrevit, ut a Pontifice postularetur revocatio cujuscumque potestatis ad Beneficia Parochialia conferenda, solumque Episcopum conferre, *Tit. de exam. Ord. cap.* 0. Nonnullos autem in Pa- 127
rochialibus institui, abusu quodam consuevisse, inconsulto Episcopo, testatur Concilium Rotomagense *anni* 1335. *can.* 01. his verbis: *Quia aliqui plerumque Parochialibus Ecclesiis instituuntur per alios, quam per Diacesanos sine auctoritate ipsorum, &c.* notat Tomassinus idcircò labis hujus farciendæ vias ac rationes recentiora Jura invenisse P. 2. L. 1. *cap.* 32. *de nova, & vet. Ecclesiæ discipl. n.* 9.



DE

DE INSTITUTIONIBUS, ET JURE PATRONATUS.

TITULUS. XXXIII.



Iberalem se Ecclesiæ exhibuisse nunquam cuiquam damno fuit. Qui fundaverint, ędificaverint, dotaverint sacras ędes, Jus patronatus in præmium impetrabunt. An est hoc pręmium tenue, inutile, minimi pretii? Imo præstans, eximium, & afferens plurimum emolumenti. Ut id constet, legantur, quæ per volumina sacri Juris sparsa sunt, honorifica canonum decreta, ad hæc pia officia fidelium voluntatem excitantia. Ego nunc imitabor agricolas; atque ut illi segetem uberrimam agros undique oecupantem in manipulos colligunt: sic paucis complectar, quidquid multiplex, atque diffusum videretur, ut celerius necessariæ cognitiones comparentur.

Ecclesia igitur gratam se volens exhibere extruentibus Templa, aut solum ad ea excitanda donantibus, aut dotem ad decus, splendoremque concedentibus, privilegium, (*a*) & quidem singulare proposuit indulsitque, ut his jus esset præsentandi Clericum in tali Ecclesia; adeo, ut cum Episcopus liberam alioquin de vacantibus Beneficiis disponendi facultatem habeat, cum tamen Ecclesiam hanc vacare, contigerit, Patroni nominatio expectanda sit, nec libera proinde, sed alligata nominationi sequetur collatio, quam canones vocant institutionem. [*b*) Habet insuper Patronus ultra præsentandi actum quo ejus auctoritas explicatur, alimenta [*c*) congrua ab Ecclesia, in quam suam contulit liberalitatem, si is laboret egestate, ex veteri quasi contracta obligatione: habet honorem pręcessionis (*d*) in Ecelesia patronata; potest in ea sua insignia (*e*] apponere; permittitur pro iis locis curam [*g*) habere sollicitam, *can. decernimus 16. q.* 7 & si sit Patronus Clericus de bonis Ecclesię rationes exigere, *cap. cum & plantare*, §. *in Ecclesiis de Privil.* En quale Jus Patroni nanciscantur; quo vero Ecclesiæ sæculo exoitum sit Jus patronatus, disquisitio historica est, de qua non pauca dicta sunt *hoc Libro Tit.* 20. *diss.* 4.

Convertamus iam sermonem ad varias Juris patronatus species. Constat primo ex variis canonum decretis Ius patronatus aliud esse Clericorum, quod & Ecclesiasticum dicitur competens Clerico ratione dignitatis, aut Ecclesiæ, cui præest, ex cujus bonis fundata, dotata aliqua Ecclesia fuerit, aut Beneficium erectum: aliud laicorum, quod laicale vocant, competens ratione fundationis Ecclesiæ ex bonis patrimonialibus.

Non

Non rectè ideò laicum dixeris, [*b*) quod a laico possideatur, Ecclesiasticum verò, quia possessor ejus sit Clericus; sed si contributa fuerint bona laica, erit laicale; si bona Ecclesiæ, erit Ecclesiasticum; non ergo a possessore consurgit distinctio, sed a bonis contributis. Quod si bona contributa partim Ecclesiastica sint, partim laica, quæ privilegia propria sunt patronatus laicalis, veluti, ut illi derogatum non censeatur per collationem Pontificis, sed expressio requiratur, *Vivianus de Jure Patr. L.* 14. *cap.* 2. *n.* 7. communicantur Patrono Ecclesiastico, & vicissim privilegium semestris ad præsentationem, quod competit Patrono Ecclesiastico, communicatur Patrono laico. Constat II. Ius patronatus dividi in familiare, seu gentilitium, (*i*) & in hæreditarium. Familiare, seu gentilitium destinatum est omnibus certę stirpis, ac familiæ, ex qua descendentibus jus illud præripi sine iniuria non potest. Hæreditarium (*l*) ad quoscumque etiam extraneos pertinere potest, cum etiam in fideicommissarium universalem transeat, & donari possit, & cum universitate bonorum vendita ad emptorem transferatur: quibus in casibus, aliisque ejusdem generis quatenus Episcopi [*m*) consensus requiratur, in notis disputabitur.

Nunc actus ipse pręsentationis considerandus; de quo hęc videnda, qui sint habiles ad præsentandum, intra quod tempus sit pręsentandum quinam sit præsentandus, an unus, an plures, quis locus idoneus ad pręsentationem; quis modus adhibendus, quis effectus pręsentationis. Proponuntur, ut vides, in hac partitione plurima, omnia tamen ad scopum egregiè collimant.

Quinam sunt habiles ad præsentandum? Omnes, qui non prohibentur; jus enim præsentandi prohibitorium est *Vivianus L.* 5. *cap.* 2. Prohibentur excomunicati *cap. pen. de sent. excom.* Prohibentur [*n*] furiosi nisi interdum resipiscere videantur. Prohibentur Relligiosi (*o*) Prohibentur malæ fidei possessores; [*p*] quot nam verò actus ad legitimam possessionem juris præsentandi requirantur, quæstionis est admodum perplexæ; [*q*] Prohibetur præsentare procurator, nisi speciali mandato fuerit instructus, ac præmunitus. (*r*] Prohibetur minor septennio. [*ſ*]

Intra quod tempus pręsentandum est? Vacante iam Beneficio, aut per mortem, aut per resignationem, aut per consecutionem alterius incompatibilis, aut per Matrimonium, aut per ingressum Relligionis, aut alia quacumque ratione: tempus datum ad præsentandum, vacatione comperta, aut quadrimestre est, aut semestre. Cum in divisione Iuris patronatus dictum sit Patronos aut laicos, aut Clericos esse, Patronis laicis datur (*t*) quadrimestre; Ecclesiasticis semestre. (*u*] Nec mirum videatur tam variè pręsentandi tempus esse præscriptum; laici variare (*x*) possunt. Clericos cum dedeceat inconstantia, quo diligentius excogitent an præsentandus idoneus sit, dignusque institutione, major temporis indulgetur

getur illis dilatio. Sed in notis, hæc ratio an vera sit, exquiretur.

Quisnam est prȩsentandus? Sui (*z*) ipsius præsentatio, ut inconcessa respuitur, *cap. per nostras de Jure patr.* quæ sint verò regulæ hujus exceptiones, in notis ostendemus. Ergo Patronus alium offerat Episcopo, necesse erit. Si verò laicum [*y*] offeret, si servum (*aa*), si illegitimum, si irregularem, si criminosum, inutilis erit oblatio, ac nominatio. At poterit ne Patronus errorem emendare, ac redordiri nominationem? Hic subsisto. Cave, putes, Ecclesiastico Patrono novam permitti præsentationem, cum Jus patronatus est ex bonis Ecclesiasticis comparatum: imò ea vice privatur jure prȩsentandi. Si verò sint Patroni laici, vel Clerici ratione proprii patrimonii, qui minus idoneum præsentaverint, poterunt intra quadrimestre alium cumulative præsentare, ut in *diss. 9. in explicat.* declarabitur.

Quis locus idoneus ad præsentationem? Cum præsentatio sit actus voluntariæ jurisdictionis, ubicumque reperiatur Episcopus, etiam extra Diœcesim, (*bb*) & præsentari Clericus, & institui potest, *cap post electionem de concess. Præb.*

Quis modus adhibendus? Ut Patroni personaliter se (*cc*] sistant coram Ordinario, aut Vicario simul cum Clerico prȩsentando, duobus testibus, & tabellione formulam præsentationis exprimendo, quam in notis descriptam (*dd*) invenies; nec repugnat, præsentationem concipi sub conditione, *Clem. plures*, §. *ult. de Jure patr.* Sed cum Patronus erit unicus, facile modus hic observari potest. Cum tamèn tritum sit vetustate proverbium: *ubi multitudo, ibi confusio*, ad hanc vitandam permittunt canones, ut Patroni plures inter se convenire possint, ut singuli alternis vicibus prȩsentent, *Clem. plures*, §. *& ut faciliùs de Iure pat.* & non raro Pontificia derogatio intervenit; & ubi ad populum spectat Jus patronatus, [*ee*] poterit Magnates urbis eligere, penes quos sit præsentandi potestas, ut usitatum Pisis, docet *Vivianus L. 8. cap. 2.* Cum verò Jus patronatus est gentilitium omnes prȩsentant in capita; (*ff*) cum hæreditarium, [*gg*) in stirpes.

Quis tandem effectus est prȩsentationis? Institutio effectus (*hh*] est; quæ tandem nihil est aliud, quam Beneficii collatio. Institui potest Clericus etiam absens, *cap. accedens de Præb.* cui cum primum institutus assentitur, acquirit jus in re, *cap. si tibi absenti de Præb. in 6.* tandemque possessionem impetrati Beneficii comparabit. (*ii*)

SUMMARIUM.

1 TRES tantum modi sunt acquirendi Jus patronatus.

2 Primus modus est fundatio, quis fundator dicatur.

3 Secundus modus est constructio Ecclesiæ; quis dicatur construere.

4 *Explicatur Concil. Trid. sess. 14. cap. 12.*
5 *Tertius modus est dotatio, quis dotasse, dicatur.*
6 *Quaenam sit competens dos.*
7 *Qui dotem auget, non dicitur dotare.*
8 *Disputatur, an ultra hos modos, alia ratione comparetur Jus patronatus.*
9 *Romanus Pontifex Jus patronatus ultra illos modos concedere consuevit.*
10 *Consuetudo existens Mediolani.*
11 *Conclusio defenditur, omnes alios modos ultra praedictos tres abrogatos fuisse.*
12 *Declaratio Cardinalium adducitur.*
13 *Contrariis occurritur.*
14 *Disputatur, an sine reservatione Jurispatronatus fundans, construens, dotans, illud ipso jure acquirat?*
15 *Defenditur, reservatione opus non esse.*
16 *Contraria refutantur.*
17 *Institutio quid sit.*
18 *Quot sensus habeat vox* institutio.
10 *Alimenta praestanda sunt Patrono indigenti.*
20 *Disputatur, an sola qualitas gentilitia sit requisitum obtinendi alimenta.*
21 *Negativa sententia defenditur.*
22 *Refutatur Lotherius, ejusque ratio.*
23 *Disputatur, qua actione alimenta peti debeant.*
24 *Defenditur, nulla actione peti posse alimenta, sed proponi solum expostulationem.*
25 *Contrariis occurritur.*
26 *Patrono debetur honor praecessionis.*
27 *Item honor in processionibus.*
28 *Item Patrono debetur honor pacis:*
29 *Et alia honorificentia insignia dicta enumerantur.*
30 *An in Ecclesia patronata Missa celebranda sit pro anima Patroni.*
31 *Insignia sua Patronus in Ecclesia ponere potest.*
32 *Quemadmodum in vestimentis.*
33 *Patroni debent defendere Ecclesiam.*
34 *Alioqui privantur Jure patronatus.*
35 *Et excommunicantur.*
36 *Quid sit advocatus, de quo loquuntur canones, an differat a Patrono.*
37 *Aliquando Patroni dicuntur advocati.*
38 *Dividitur Jus patronatus in laicale, & Ecclesiasticum.*
30 *Quid sit Jus patronatus Ecclesiasticum.*
40 *Est Jus patronatus Ecclesiasticum, quod spectat ad Magistros, seu Equites Ordinum militarium.*
41 *Quid sit Jus patronatus laicale.*
42 *Differentia inter hos patronatus non est ex persona desumenda, sed ex materia ipsa.*
43 *Juspatronatus mixtum quid sit.*
44 *Juspatronatus mixtum aequaliter laico, & Ecclesiae competit.*
45 *Quandoque tamen hoc fallit.*
46 *Juspatronatus gentilitium dicitur quoque familiare.*
47 *Nonnulla exempla ad ipsam appellationem explicandam.*
47 *Quando nam Jus patronatus gentilitium constitutus dicatur.*
40 *An transmittatur hoc ad haeredes.*
50 *Adoptatus an sit patronatus gentilitii capax.*
51 *Conclusio proponitur, ac defenditur negative concepta.*
52 *Probatur pluribus argumentis.*
53 *Contrariis occurritur.*
54 *Disputatur, an Jus patronatus gentilitium durante familia possit renunciari.*
55 *Negativa opinio defenditur, & probatur.*
56 *Contrariis occurritur.*
57 *De Jure patronatus haereditario.*
58 *Juris patronatus haereditarii natura est, ut sit transitorium ad haeredes.*
59 *Juspatronatus libertorum quam differat a Jure patronatus Ecclesiae.*
60 *Juspatronatus libertorum transit ad haeredes.*
61 *Opera libertorum sunt duplicis generis.*
62 *Etsi testator nihil dixerit, tamen Jus patronatus transit ad haeredes.*
93 *In eum, qui repudiat non transit.*
64 *Nec quidquam refert, filium retinere legitimam.*
65 *Cur si non datur successio in Beneficio, succedatur in Jure patronatus.*
69 *Traditur vera discriminis ratio.*
67 *Disputatur, an Jus patronatus transeat in fideicommissarium.*
68 *Defenditur affirmativa sententia.*
69 *Refutantur contraria.*
70 *Disputatur, an Jus patronatus, quod habet debitor suos provocans creditores ad suorum concursus, per cessionem in eos transferatur.*
71 *Defenditur, transferri.*
72 *Occurritur difficultati.*
73 *Jus patronatus in alium, inconsulto Episcopo, non transfertur.*
74 *Probatur haec regula.*
75 *Regulae ratio.*
76 *Quis hic Episcopus esse debeat.*
77 *An hic consensus praecedere alienationem debeat.*
78 *Utilius est, ut praecedat.*
79 *An Episcopus obligetur assentiri?*
80 *Imo cogitur.*
81 *Limitatur haec regula multis modis.*
82 *An ad permutandum Jus patronatus consensus exigatur Episcopi?*
84 *Defenditur affirmativa sententia.*
85 *Furiosi an praesentare valeant.*
86 *Religiosi an valeant praesentare.*
87 *Elegans historia.*
88 *Disputatur, an malae fidei possessor praesentare possit.*
89 *Difficultates enodantur.*
90 *Bonae fidei possessor valide praesentat.*
91 *Disputatur, an sequester praesentare possit.*
92 *Defenditur, sequestrem praesentare non posse.*
93 *Conclusio probatur.*
94 *Contrariis occurritur.*
95 *Ad praescribendum Jus patronatus quot actus praesen-*

præsentationis requirantur.
96 *Disputatur, an procurator præsentare possit.*
97 *Quænam ætas requiratur ad legitimam potestatem præsentandi.*
98 *Laici Patroni intra quadrimestre præsentant, & an id semper sit observatum.*
99 *Quadrimestre currit etiam si Patroni inter se litigent.*
100 *Explicatur Textus in* cap. cum propter de Jure patr.
101 *Hoc quadrimestre prorogari potest ab Episcopo.*
102 *Disputatur, an quadrimestre, a die vacationis currat, vel potius a notitia vacationis.*
103 *Defenditur currere a die vacationis.*
104 *Contrariis occurritur.*
105 *Patronis Ecclesiasticis semestre competit.*
106 *Quid si agatur de Parochialibus Ecclesiis.*
107 *Quid significet, Patronos laicos variare posse.*
108 *De Jure Cæsareo hæc variatio non admittitur.*
109 *Quænam ratio, cur Patroni laici variare possint.*
110 *Vera assignatur ratio, aliis rejectis.*
111 *Patroni laici præsentare possunt successive.*
112 *Patronus laicus, rejecto primo præsentato, alium præsentare potest.*
113 *Patronus laicus variare potest solum cumulative, non privativè, quid hoc significet.*
114 *Interdum variare potest etiam Patronus Ecclesiasticus.*
115 *Se ipsum nemo præsentare potest.*
116 *Variè hæc regula limitatur.*
117 *Disputatur, an filius præsentari possit ad Ecclesiam, in qua Pater ministravit.*
118 *Negativa sententia defenditur.*
119 *Contraria refutantur.*
120 *Refellitur opinio Rotæ.*
121 *Laicus præsentare non potest.*
122 *Distinguitur nominatio a præsentatione.*
123 *Aliquando laici præsentatio valet.*
124 *Servi præsentare nequeunt.*
125 *Disputatur, an præsentatio extra Diœcesim fieri possit.*
126 *Defenditur hujusmodi præsentationem valere.*
127 *Contrariis occurritur.*
128 *Duplex præsentatio, una imperfecta, alia perfecta, & solemnis.*
129 *Forma præsentationis traditur.*
130 *Non admissa præsentatione, præsentatus potest appellare.*
131 *Tractatur de derogatione Juris patronatus.*
132 *In quinam consistat derogatio.*
133 *Præsentant in capita Patroni cum Jus patronatus est gentilitium.*
134 *Quo pacto id intelligatur.*
135 *Patroni præsentant in stirpes cum Jus patronatus est hæreditarium.*
136 *Tractatur de institutione; quid sit, quæ ejus forma, & quotuplex.*
137 *Tractatur de possessione Beneficii comparanda.*

EXPLICATIONES.

(a) *Privilegium.*

DISSERTATIO I.

An tres modi Jus patronatus acquirendi, sint fundatio, constructio, dotatio, vel etiam aliis modis comparetur, & quid post Concilium Tridentinum, & an sit opus reservatione?

NON mentior, cum gratum, in Titulo, quem nunc explicare aggredior, Ecclesiam voco, cum liberalitatem fidelium pari liberalitate se compensare, pronuncio. Quod nam expectamus certius argumentum, si re ipsa fidelibus jus quoddam Ecclesiasticum impertitur, nempe Jus patronatus?

Jus patronatus ii acquirunt fundantes, construentes, dotantes Ecclesiam. 1

De fundantibus, sunt expressi canones, Textus, in can. *pia* 16. *q.* 7. ibi „ piæ mentis amplectenda devotio est qua se Julius nobis in 2 „ re Juliana sui juris fundasse perhibetur Ecclesiam. Textus *in cap. querimonia* 9. *de Jure patr.* ex cujus historia, quam ad hunc Textum Gonzalez retexuit, Comes Cornuvaliæ fundator Monasterii Launth. in eo habuit Jus patronatus. Textus *in cap. consuluit* 15. *ib. vel Clerici Ecclesias a parentibus suis fundatas.* Textus *in cap. nobis* 25. *hoc Tit.* ibi „ pro fundatione „ quoque ipsi honor processionis fundatori ser„ vatur. Textus *in can. decernimus* 16. *q.* 7. ibi, decernimus, ut quamdiu fundatores Ec„ clesiarum in hac vita superstites extiterint, „ pro eisdem locis curam permittantur habere „ sollicitam. Textus *in cap. significavit de test.* ibi: *significavit &c. quod fundatores ejusdem Ecclesiæ.* Ergo, ut his contenti simus, explorati Juris est, fundatorem Ecclesiæ acquirere Jus patronatus. Sed quis nam fundator dicitur? Estne idem ac constructor Ecclesiæ? Vitentur æquivocationes. Non est idem fundator, ac constructor. Fundator dicitur, qui fundum, sive ut clarius eloquar, qui aream, super qua sacrum ædificium possit excitari, liberaliter concedit, Textus *in can. Abbatem* 4. 18 *q.* 2. ibi: *& possessionis dominus &c. postulaverit ordinari.* Præsentat ergo possessionis dominus, nempe fundi concessi, ut hunc Textum expendit ad hoc ipsum probandum Rochus Curtius *ad Rubr. de Iure patr.* §. *Ecclesiam fundavit n.* 1. adeòque per solam fundi concessionem fundator aliquis, & dicitur, & est re ipsa. Abusive tamen in Iure quan-

deque fundator pro constructore accipitur, ut *in cap. nos 3. de test.* ubi in §. *pervenit* dicitur *fundari*, in §. *quod si* dicitur, *tunc per te ædificetur*, nos absolute vocem hanc usurpavimus *in hoc eod. lib. Tit. 20. diss. 4. per tot*.

De construentibus sunt pariter clarissimæ auc-
3 toritates *in can. pia*, *in can. filiis*, *in can Monasterium 16. q. 7. in cap. nobis 25. de Iure patron.* quos Textus ad id expendit *Vallensis de Benef. L. 1. Tit. 4. pag. 37.* faciunt, quæ congesta sunt *supra hoc* Lib. *Tit. 20. diss. 4. per tot* & quæ addit *Vanaxel ad Tit. de Iure Patr. n. 3.* - Sed quis nam dicitur constructor. Rideo, cum sollicitos video Interpetres, & admodum anxios, ut persuadeant, pro constructoribus non intelligi artifices, cæmentarios, structores. Quasi verò difficile sit intelligere quod is dicitur facere, cujus nomine quid fit, L. 1. §. *dejecisse*, *ff. de vi, & vi arm. cap. mulieres de sent. excom. cap. qui facit de Reg. Iur. in 6.* Est ergo constructor ille, cujus sumptibus extruitur Altissimo templum aut oratorium; ille etiam, qui construit altare ad effectum hunc, quem sermo respicit, constructor dicitur, ex consensu tamen Episcopi, ut fiat oportet, *cap. nullus Presbyter de cons. dist. 1.* per quem Textum *Rochus Curtius §. construxit de Iure patr. n. 9.* & si in Ecclesia Regularium ex consensu Regularium, *idem Rochus n. 10.* Insuper, & ille, qui dirutam, collapsamque reficit Ecclesiam, constructor dicitur, per solam refectionem. Nam hæc refectio constructio potius est, cum Ecclesia sic reparata indigeat consecratione, prout explicat *Garcias de Benef. P. 5. cap. 9. n. 51.* & sic conciliando dissentientium opiniones rem declarat *Pax Iordanus* L. 10. *Tit. 4. n. 42.* Huc pertinet elegans Textus *in cap. consuluit 7. de Iud.* distinguens reparationes variis Synagogarum, alter Textus *in L. Prætor*, §. *via vel vicinales*, *ff. ne quid in loco publico*.

4 Neque obstat Concil. Trid. quod in *sess. 14. cap. 12.* modos duos videtur approbare acquirendi Jus patronatus fundationem, & dotationem, ibi .. in casu autem fundationis, aut do-.. tationis &c. ergo excluditur hic alter modus, per constructionem.

Agnovit difficultatem *Pax Jord. ubi supra n. 41.* qui respondet, fundationis nomen in his verbis genericè acceptum fuisse a Concilio, nam in eodem capite de constructione loquitur.

De dotantibus similiter in occursum veniunt Textus perspicui; *in can. filiis, 16. q. 7.* ibi:
5 .. ejus qui construxit, vel dotavit Ecclesiam &c. .. *in can. nemo 9. de cons. dist. 1.* ibi: quæ ad .. luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia .. custodum sufficiant; quem Textum cum præcedenti conjungendum esse, ait *Vallensis L. 1. de Benef. Tit. 4. n. 18.* Textus in Concil. *Trid.* .. *sess. 25. cap. 9.* ibi: ut Titulus Juris patro-.. natus sit ex fundatione, vel dotatione. - Sed quis nam dotator dicitur? Qui competenter Ecclesiam dotat, ut ait Concilium Trid. *sess. 14.* .. *de Ref. cap. 12.* ibi: competenter dotaverit.

Sed quæ nam competens dos? Quæ nimirùm, 6
ad luminaria, ad custodiam, & stipendia custodum sufficiant, expresso Textu *in can. nemo de cons. dist. 1. in can. placuit 1. q. 2.* & uberrimè de hac dote scripsimus hoc *Lib. Tit. 20. dissert. 6.* Ergo dans modicam dotem non efficitur Patronus, ut a contrario sensu ex adductis locis rectè infert Rochus Curtius in §. *& dotavit de Jure patron. n. 14.* Modica dos est proportione quadam; si de Monasterio agatur, dos modica dicitur, cum per eam sustentari non possunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cantores, & lectores, ex *Auth. ut determinatus sit num. Cler.* §. 1 quæ auctoritas ad hoc allegatur a *Glossa in cap. cum sicut de cons. Eccl.* Contra in alia Ecclesia dos minor sufficiet, per quam nempe ad minus duo Clerici sustentari possint, *cap. proposuit de fil. Presbyt. can. illud. 7. q. 1.* Minor etiam sufficiet in Parochiali, ob decimas, oblationes, & obventiones, quibus frui potest Parochus, & satis est, ut Parochus cum uno ministro se possit sustentare, quando Ecclesia non est Collegiata, quod solemnia Missarum celebrari absque ministro non possint, *cap. proposuisti de filiis Presbyt.* Notat *Rochus Curtius ubi supra n. 17.* Cæterum & incompetens dos dicitur augmentum dotis; non propterea qui dotem auxit, se Patronum evasisse, æquo jure 7
contendere potest, ut late ostendit *Pax Jordan. L. 10. Tit. 7. n. 52. & seq.*

Vides igitur, tres esse modos comparandi Jus patronatus, fundationem, constructionem, dotationem. Quia his modis Ecclesia in esse deducitur.

In controversiam revocatur; an ultra hos modos, aliundè sit aditus ad hanc adipiscendam 8
prærogativam?

Explicabo rationem dubitandi. Negari non potest, quin, & si tres illæ causæ nullatenus extiterint, possit Romanus Pontifex alicui Ius 9
Patronatus concedere; exempla sunt *in can. in Synodo*, *& can. Adrianus dist. 63. in cap. cum Bertoldus de re jud. ubi Doctores*, considerat *Vivianus de Jur. patr. L. 2. cap. 9. n. 4. Vallensis de Benef. L. 1. Tit. 4. pag. 39.* omnium optimè Sannig. *de Jure patron. ad Tit. 38. decret. L. 3. n. 4.* qui ita loquitur .. et hac via puto, .. Imperatorem, Reges, Principes, similesque .. Magnates Ius patronatus acquisivisse, super .. Cathedrales, aliasque insignes Ecclesias.

Marchioni de Mirabel Jus patronatus ex privilegio concessisse Pium IV, narratur in una Placentina de Mirabel 10. Ian. apud *Garciam P. 5. cap. 4. n. 187.* Commendatarius Monasterii S. Andreæ de Villareal. pariter ex privilegio Ius patronatus obtinuerat, ut narratur in declaratione Cardinalium, in una Bracharensi apud eumdem *Garciam n. 118.*

Insuper Mediolani fuisse consuetudinem, ut Rectores Ecclesiarum ad Parochianorum petitio- 10
nem instituerentur, *Rochus Curtius §. competens de Jure patron. q. 15. n. 60.* testatur; ergo

ex con-

ex consuetudine videtur comparari posse Jus patronatus.

Addendum, quod præscriptione acquiri potest Jus patronatus, *cap. relatum 21. de Jure patr.* ibi: nisi præscriptione, aut Episcopi .. concessione muniti fuerint, juxta literam .. Gonzales *Cabass. in Scient. Can. L. 2. cap. 6. in fin.*

Sit nostra conclusio: Concilium Tridentinum
11 omnes alios modos acquirendi Jus patronatus abrogavit, præter fundationem, constructionem, dotationem.

Locus, ubi hæc abrogatio Concilii apparet, .. est in *sess. 25. cap. 9. de Ref.*: reliqui patro- .. natus omnes in Beneficiis (&c.) & privilegia .. concessa, tam in vim patronatus, quàm alio .. quocomque jure nominandi, eligendi, præ- .. sentandi ad ea cum vacant, &c. in totum .. prorsus abrogata, & irrita, cum quasi posses- .. sione inde secuta intelligantur.

Excipit tamen Concilium ibidem patronatus Imperatoris, Regis, seu Regna possidentis, alteriusve sublimis, ac supremi Principis, his .. verbis: exceptis patronatibus, super Cathe- .. dralibus Ecclesiis, competentibus, & excep- .. tis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, .. seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac .. supremos Principes jura imperii in dominiis .. suis habentes, pertinent, & quæ in favorem .. studiorum generalium concessa sunt. Quem locum Concilii, ut notabilem observarunt *Sannig. ad Tit. de Jure patr. Zoesius ad eumdem Tit. n. 7. Leonius P. 2. cap. 6. in Thes. n. 7. Ventriglia annot. 1. §. 2. Tom. 2. Barbosa de universo Jure L. 3. cap. 12. cap. 67. Cardin. de Luca ad Concil. Trid. id annot. discurs.* 22. qui docet *n.* 5. contra alios quamplures, suspicionem usurpationis ex potentia locum non habere in Regibus, & Principibus supremis.

Ergo quæ pro ratione dubitandi Jurapatronatus nuper recensuimus, per hanc Concilii innovationem evanuerunt excepta autoritate Papæ.

Ratio insinuatur ab eodem Concilio *initio cap. 9. d. sess.* 25. .. ut hoc colore Beneficia Eccle- .. siastica in servitutem, quod a multis fit, re- .. digantur, non est permittendum.

Et emanavit 13. Febr. anno 1608. declaratio Cardinalium, quæ sic censuit, ut est apud Gal-
12 lemart ad *Concil. Trid. d. cap.* 9. his verbis .. .. Item Patronatus ex privilegio ante Concilium .. concessos esse eodem decreto sublatos, tametsi .. insetta esset ipsi privilegii clausula, ut per- .. inde habeantur, ac si essent ea fundatione, .. vel dotatione.

Quod vero spectat ad consuetudinem, aut
13 præscriptionem; Concilium ne quo colore, atque involucro usurpatio obtegeretur, sic prospexit in eodem *cap.* 9. ut titulus ostendatur ex authentico documento fundationis, constructionis, dotationis, aut saltem ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum Juris dispositionem. Cum verò agitur de personis, seu communitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, pleniorem exposcit, exactioremque probationem.

Quare ex hoc decreto Concilii duplex est probatio. Una non tam rigorosa in personis privatis, quę præsumptionem usurpationis non inducunt. Altera rigorosa inter personas, in quas usurpationis suspicio cadit, ita distinguit *Ventriglia annot.* 1. §. 2.

Ergo ad probandum Jus patronatus, qui suspecti non sunt ostendere debent multiplicatas præsentationes intra spatium temporis immemorabilis; multiplicatæ dicuntur etiam tres, ac duæ etiam, ex L. *ubi numerus ff. de test.* ex L. *si libertas*, §. *fin. ff. de man. test. ex cap. pluralis de Reg. Iur. in 6. Maceraten. var. resol. L.* 1. *resol.* 109. *n.* 37. ut si ostendatur id per scripturas 100. annorum, *Novar. novi Iuris Pont. Pract. Concl. de Iure Patr. Concl.* 1. *n.* 8. At qui suspecti dicuntur, alio modo probant Jus patron. per immemorabile, tenentur enim insuper per authenticas scripturas docere de præsentationibus continuatis 50. annorum ad minus, quod tamquam novum disposuit Concilium, ut notat *Ventriglia ubi supra n.* 16. Caterum si Ecclesia nata est in statu libertatis, cessat prescriptionis probatio, *Lotherius de re Ben. L. 2. q. 7. n.* 131.

Altera quæstio, quæ tres hujusmodi rationes assequendi Jus patronatus respicit, illa est; an
sine reservatione expressim facta a fundante, 14
construente, dotante, ipso jure acquiratur Jus patronatus.

Ego quod docui *hoc Libri Tit.* 20. *dissert.* 4. *n.* 28. nunc pro conclusione defendam. Etiam si
non reservetur Jus patronatus nominatim, & 15
expresse, adhuc tamen Jus patronatus comparari, quod & defendit *Mancinus dissert. 9. ad Rubr. de Iure patr. cap.* 15 *Pax Iordanus L.* 10. *Tit. 4. n. 30. Vallensis de Benef. L.* 1. *Tit.* 4. *pag.* 38. *vers. ex simplici*.

Probatur I. nam Jura reservationem hanc expressam nusquam exposcunt, sed solum Episcopi assensum, *cap. 3. cap. nobis de Iure patr. can. decernimus, can. filiis* 16. *q.* 7.

Probatur II. ex *cap. significavit de testib.* & ex hoc Textu mirificè assumptum patere, ait Vallensis *ubi supra*. Quidquid in contrarium inferat *Lambertinus de Iure Patron. P.* 1. *L.* 1. *q.* 2. *art.* 4. cui adhęret *Gonzal. ibid. lit. B. in notis*. Nam si fundatorem declarare, oportet, se nihil juris retinere velle in Ecclesia fundata, ergo illatio legitima est, etiam omissa reservatione, etiam si nihil dixerit, nihil expresserit, canonum indulto sibi acquiri Ius patronatus. Adde, quod in specie ejus Textus Presbyter Ecclesię, cui fundator renunciabat tale jus, sollicitus fuit, ut per testes renunciatio illa appareret. Cur tanta sollicitudo? Nimirum ne reviviscat, ut ita dicam, nisi de renunciatione constet, Ius patronatus, quo spectat Textus in

L. *pla-*

L. plures C. de fid. instr. in L. sicut datam C. de lib. caus. in L. 2. C. de cond. ex Lege.

Probatur III. ex *can. si quis Basilicam* 10 *de cons. dist.* 10, ubi potius talis reservatio per pactum re obstat, ea ratione, ne *sub tributaria conditione condita* Ecclesia videatur; neque enim opus est pacto, ubi ex liberalitate res conceditur, quemadmodum Ius patronatus, differtque donatio a ceteris contractibus.

Probatur IV. ex *can. pia 16. q. 7.* ubi Ius patronatus *proprium* Ius dicitur, adeoque, ut infert Glossa *in d. can. Basilicam*, ipso Jure ad fundatorem pervenit, cessante reservatione *arg. Text. in L. statuas C. de Reli. & sumpt.*

Probatur V. Quia ab initio Patronus renunciare potest Iuri patronatus; cum tamen jam fuerit in esse deductum, non poterit. Vallensis *ubi supra*, *Covar. L. 2. var. cap. 18.* Quid opus esset ab initio renunciari, se ab initio fundator illud constituere oporteret, hæc enim invicem pugnant. Et tamen, hæc renunciatio admittitur, expresso Textu *in cap. 1. de Iure Patr. in 6.*

Nec primo obstat Textus in *cap. cum dilectus de censuet in cap. praterea, in cap. nobis de Iure patr.* quibus ex canonibus infertur, Ius Pa- 16
tronatus non nisi pactione obvenire.

Resp. nihil tale ex his locis probari; aut dicendum, cum Ius commune impugnatur, eluti ut se Patronus electioni immisceat, pactiones esse necessarias, ut respondet Mancinus supra laudatus. Rursus interdum reservatur expresse *cap. 5. 6. de etero de Jur. patr.*

Nec secundo refragatur, cum fundator de suo Jure silet, in ambiguo remanere voluntatem ejusdem: porro in ambiguo favendum esse Ecclesiæ, ut libera existimetur, ergo aut reservatio ostendatur, necesse est, aut Ecclesia se liberam jure optimo contendet, *cap. fundamenta, §. ne de el. in 6.*

Resp. imo constructorem Eccl-siæ Iuris præsumptione muniri, *d. cap. significavit*; Ius enim fundatori Ecclesiæ non secus obvenit, quam patri in filium, ut enim pater filium; sic Patronus Ecclesiam in esse deducit, notat *Rochus Curtius in Rubr. de Iure patr. n. 5.* ut ergo ingnorantt patri acquiritur, *L. etiam invitis ff. de acq. rer. dom. L. qui in aliena C. placet 70. ff. de acq. har. Melchior de val. L. 3. Tract. 2. P. 2. n. 7. & 8.* Sic patrono.

Nec tertio obstat, Ius patronatus saltem esse spiritualiannexum, *cap. de Iure de Iure patr. cap. quanto de Iud.* ergo cum laici ejus sint incapaces, Ecclesiæ indigent dispensatione, ut tale Ius potiantur, *cap. 3 de Iure patr.* Non ergo ipso Iure acquiritur fundatori Ecclesiam.

Resp. cum Granameto ad *Textum in cap. causam 17. de praf. ...* Quod Ius patronatus ex gratia, & ex permissione Pontificis laicis concessum fuit, ut invitarentur ad construendas, dotandasve Ecclesias, facit *Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. de Ref.* & infra latius, cum te tulerit occasio, de origine Iuris patronatus differemus.

[b) Institutionem.

Institutio est collatio non libera.

Ne mirere, cum audis, in nostro Titulo institutionem vocari collationem ben ficii factam ab Episcopo, sed non liberam. Haud aliter eam 17
vocat Lancellottus, quo duce utimur *in L. 1. Tit. 28. in princip.* Cabassutius *in Scientia Can. L. 2. cap. 6.* ibi.. sic etiam Patronorum præsentationibus minuatur collatorum Ordinariorum .. potestas. *Zoesius ad Tit. de Inst.* ibi.. cum .. collatio fit libera, hæc autem necessario facienda ad præsentationem Patroni. Inutilis labor alios exquirere, cum omnes id approbent. Et quid ni approbent, si deducitur ex clarissimis Textibus? Nihil agere Episcopum conferentem, oblatione non expectata Patroni tradit Textus in *can. decernimus 16. q. 7. in cap. illud de Jure patr.* Quod clarius adhuc percipitur hoc exemplo. An non si Patroni tempus ad præsentandum sinant elabi, præsentandi ea vice facultate privantur? Si neges, convincam ex Textu in *cap. cum propter 27. de Iure patr. in cap. sicut, §. nolentes de suppl. negl. Prel.* Cum Episcopus negligentiam Patronorum supplens, confert, libere confert. Differt ergo collatio ab institutione. Alia de institutione *in fine* dicemus.

Illud moneo, ... insuper sensu accipi institutionem, de qua nihil ad nos impræsentia. 18
Quædam .. potius confirmatio ei ... , *cap. ex ore de u t, qua sunt.* Item collatio prævio examine, dicitur institutio, *cap. 1. cap. cum venissent de inst.* Interdum accipitur pro investitura, ut in *cap. ad ha., cap. ut nostram de off. Archid.* notat *Vanaxel ad Tit. de Inst. Sanig. ibid.*

[c) Alimenta.

DISSERTATIO II.

De alimentis Patrono præstandis. An patronus, ut ea consequatur descendere debeat a fundatore? Qua actione Abbac alimenta impetrare valeat?

Quid magis optari potest a Patrono? Invadat illum fortuna, bonis evertat suis, atque ad statum calamitosum perducat. Num idcirco alienus, egenusque corporis cura cruciabitur? Ecclesia perfugium erit tutissimum. Ecclesia ad levandas miserias benignos oculos in eundem convertet. Et quid ni convertat? An non etiam Patronus in casu egestatis a liberto suo alimenta consequitur? *L. si quis a liberis, §. selent, ff. de lib. agn.* Canones igitur hoc solatium Patronis suis exhibent redactis ad ærumnas pauper- 19
tatis.

In Concilio Toletano, prout habetur *in can. quicumque 16. q. 7.* hæc prænunciantur .. Quicumque fidelium devotione propria de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid contulerint; .. si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint

.. ad noi-

„ ad inopiam, ab eadem Ecclesia Suffragium
„ vitæ pro temporis usu percipiant. Clemens III.
in cap. nobis idem suffragium confirmat *de lure*
„ *patr.* ibi: & si ad inopiam vergat, ab Eccle-
„ sia illi modestè succurritur, sicut in sacris
„ canonibus est constitutum. Ergo hic Textus
se refert ad canones antiquos. Et ultra adductum
in can. quicumque, est alter antiquus can. nem-
pe *Textus in can. contra 16. q. 7.* ubi Leo IV.
„ Carolo Regi: Si verò fundatores Ecclesiarum
„ ad inopiam vergere cœperint, ab eisdem Ec-
„ clesiis temporalis vitæ suffragia percipiant.
Est ergo Iuris constitutissimi, Patronum ino-
pem ab Ecclesia esse sustentandum.

At ex his Iuribus plurimę pullulant con-
20 troversię.

Prima est an, Patroni, ut jure alimentorum
gaudeant, debeat Ius patronatus esse gentilitium,
ita ut Patroni ex titulo hæreditario, vel do-
nationis, ab alimentis excludantur.

Qualitatem gentilitii patronatus requiri, do-
cet Lotherius *de re Benef.* L. 2. *q.* 5. *n.* 4. Ne-
gat *Lambertinus* L. 3. *q.* 3. *princ. art.* 13. *n.* 2.
Gratianus disc ept. 177. *n.* 9.

Et verius. Nam si liberalitatem Ecclesię in-
21 tra fines tam angustos includere nostra inter-
pretatione vellemus, ut dictante Iure patro-
natus, liberalitas cessaret, quia fundator deces-
sit sine prole, transtulitque Ius patronatus in
extraneos, non transferretur Ius patronatus,
prout esse debet *utile*, ut differit *Antonius de
Luca ad Ventrigli in annot.* 1. §. 4. *n.* 2. Atqui in
extraneos Ius patronatus, ut certum est trans-
fertur, *can. filiis* 16. *q.* 7. ergo & utilitas quoad
jus alimentorum transfertur ut Crotus ait *in
cap. quicumque de lure patr* §. *circa primum n.* 5.

Nec obstat, quod pro contraria ratione pro-
22 fert Lotherius L. 2 *q* 5. *n.* 4. nimirum Tex-
tum *in can. quicumque* suffragium promittere
descendentibus ex familia, hanc proindè quali-
tatem necessariò probandam esse, juxta regulam
L. 4. §. *hac autem ff. de vi bon rapt.*

Nam hoc ipsum quæritur, utrum verba illa
in d. *can. quicumque* 16. *q.* 7. *si forte ipsi, aut
filii eorum*, taxative posita sint, nam & *in can.
contra* 27. *q.* 7. de solis fundatoribus Textus lo-
quitur, tamen verba illa *si verò fundatores* taxa-
tivè posita non sunt, nam ubi agitur de alimen-
tis, ut pote quæ pietatis intuitu exolvuntur,
quod taxativè positum videtur, extendendum
est, ex Textu singulari in *L. Mela* 14. *ff. de ali-
mentis & lib. leg.* benignamque interpretationem
in causa alimentorum faciendam esse, ait *Tex-
tus in L. Rebus* 20. *ff. de alim. & cib.*

II. Quæstio non minus ardua, an actio Patro-
23 no detur, quæ condictio dicitur ex canone, an
officium Judicis?

Condictionem ex canone Patrono competere,
docuit *Joann. Andr. in cap. nobis de testam. n.* 27.
Lambertinus de Jure Patron. L. 3. *q.* 3. *art.* 7. *n.* 7.

Officio Judicis petenda esse alimenta, censet,
ut verius *Lotherius de re Benef. L.* 2. *q.* 5. *n.* 10.

Nec condictionem ex canone, nec officium
Judicis Patrono competere, docet *Manenius diss.*
9. *cap* 13 Quę sententia nobis etiam arridet.

Dicimus itaque, nullam controversię litis ima-
ginem esse oportere inter Ecclesiam, & Patro- 24
num, ad petenda alimenta, sed proponendam
esse verecundam expostulationem, & querelam.

Probatur assertio. Nam eisdem regulis me-
tiendum est jus petendi alimenta, quo fruuntur
Patroni, seu parentes, suffragium vitæ a liber-
tis, liberisque poscentes, & jus competens Pa-
tronis in specie nostra, nec quisquam id negat,
nec Lambertinus, nec Lotherius, nec Surdus *de
alim. Tit.* 3. *q.* 1. *n.* 10. *& seq.* Atqui Patro-
nus solam habet querelam ad petenda a liberto
alimenta, *L.* 1. *ff de Iure Patr.* ibi: Patrono-
„ rum querelas adversus libertos Præsides audi-
„ re, & non translatitię exequi debent, L.
1. *vers. cum Patronus*, *ff. de off. Præf. urbi* ibi
„ cum Patronus contemni se a liberto, dixerit,
„ vel contumeliosum sibi libertum queratur.
Nam querela hæc proponenda fuit, coram Ius
dicentibus, & Magistratibus, non ergo est officium
Iudicis; Iudex enim ab Ius dicente, mirum
quantum discrepat, neque enim de Ius dicen-
tibus, sed de iudicibus satis loquuntur Iurisconsulti
si pressum, & rigorosum sensum attendas, cum
de officio Iudicis loquuntur, *L. ult. ff. de eo,
quod certo loco*, *L. centum capera*, *ff. eodem*
§. 1. *ff. de act. empti*, *L. quaro*, *ff locati*; quod
officium Ius dicentis in Iure dicando, aliisque
multis exercetur, *L. sedsles* 22. §. 8. *ff. de ad ed.*
L. 1. *ff. de off Iud Mondanus in comm. de Iu-
risd. com.* 5. *n.* 44. *Saddaus ad L. plus est n.* 18.
ff. de V. S. Faber in tit. ad L. lis nulla, *ff. de
iud. col.* 5.

Nec novum est hoc querimonię remedium.
Extat exemplum de eo, qui queritur, se iniuste
excommunicatum, in *can. si Episcopus quis* 4. *caus.*
11. *q.* 3. prout exemplum adducit *Natta in Rep.
Clem. sape de V. S n.* 37. Et est querimonia
quid distinctum ab aliis remediis, elegans Tex-
tus in *L. prefecti*, *ff. de min.* notat *Antonius
Burgos in repet. in cap. cum omnes de const. n* 90.

Extat aliud exemplum in *L. qui gravatus* 5.
C. de censibus L. 11. ibi: *de iniusto onere con-
querantur*. Quod libuit explicare, ne cuiquam
in mentem veniat, disputationem redigi ad so-
lam nominum varietatem. Et aliud exemplum
in L. 1. C. *ad L. Iul. de ad*

Neque obstat I. querelam esse actionem, L.
2. L. *quemadmodum*, L. *nihil interest*, *L. nam* 26
etsi 15 §. *ult.* L. *filio* 16. L. *mater ff. de inoff.
testamento*, *L. ult.* C. *de inoff. don.*

Resp., imo querelam inofficiosi testamenti ex-
postulationem, sivè accusationem vocari *in L.
Posthumus* 6. §. *si quis* 2. *& L. seq. ff. de inoff.
test. in* L. *in arenam* 21. C. *eod.* Nec planè pro-
priè actio est, L. *Papinianus* 8. §. *si quis irri-
tum*, *ff. de inoff. test.* quia non est jus persequen-
di, neque accusatio, quia non persequitur pœ-
nam, sed expostulatio, ut aditus aditioni pate-
fiat

fiat testamento rescisso; quare ipsa querela potius est actionis causa, ut diserte ait Picharadus, *ad Rubr. inst. Tit. de inoff. test. n. 32.*

Neque obstat II. Textus in L. 1. C. *de aper. lib.* ibi: *nisi quando propter inopiam, pro alimentis id extra ordinem peti, necessitas suaserit;* Textus loquitur de Patrono, & tamen ait, Patronum petere. Ergo non utitur querela.

Resp. Patronum propriè querelam, quæ effectum quidem habet petitionis, non tamen imaginem litis habet, & controversiæ judicialis; etenim Ius dicens audita querela, decernit alimenta, & idem sensus est Textus in L. *si quis a liberis in princ ff. de lib. agn.*

Nec obstat III omne Christi fidel s in ultimam egestatem rejectos consequi ab Ecclesia subsidia vitæ *can. quid autem* 23. *q.* 7. *can. convenior* 23. *q.* 8. *can. non rogantur dist.* 41. Atqui consequuntur per denunciationem Evangelicam, *Glossator ad can. sicut* 21. *vers. esurientium* 47. *dist.* quæ nihil aliud tandem est, nisi querela, *can. si peccaverit* 2. *q.* 1. ergo ut fit differentia inter Patronum, & pauperes, Patrono querela non competit.

Resp. admissa in hoc paritate inter pauperes, & Patronos, ut omnibus querela competat, quod tamen vix admitendum est, neque enim eleemosinæ pauperibus debentur ex remedio Iuris, sed magis naturali æquitate, & quadam pietate, assignatur discrimen inter ipsos & quidem insigne. Nam Patronus ipsis pauperibus præferendus est, nam quasi pater Clerico est, *arg. cap. caterum* & *can. non est probanda* 56. *dist* *Lalius Mancinus diss.* 9. *cap.* 12. *n.* 8. Insuper pauperibus piè aliquid erogandum, sed Patrono affluentius, cui non ut pauperi tantùm, sed ut de Ecclesia optimè merito subveniendum est. Rursus non idem pauperibus, & Patronis subveniendi modus; Patronus quasi dives alendus, neque idcircò idem ciborum usus, *can. non rogantur dist.* 41.

Resp. ulteriùs, denunciationem Evangelicam non esse querelam illam, de qua loquimur, sed remedium distinctum a cæteris, ut exemplis, ante primam difficultatem ostendimus.

Neque obstat IV. quod ubi æquitas est a Lege approbata, competat conditio ex Lege, *L. un. ff. de condict. ex Lege.* Atqui æquitas præbendi Patronis alimenta a Lege approbatur, *can. quicumque* 16. *q.* 7. ergo locum habet condictio ex canone.

Resp. Textum oppositum intelligi, ut detur condictio ex Lege, cum per Legem obligatio aliqua est introducta; at hæc obligatio ad similitudinem Patroni petentis alimenta a libertis enascitur; non ergo ex nova Lege introducitur; ita *Lotherius de re Benef.* L. 2. *q.* 5. *n.* 15.

[d] Præsessionis.

Honor præsessionis Patrono convenit quemadmodum, & alia honorificentiæ genera, quæ in hoc §. declarantur.

Honorem præsessionis Patrono convenire, atque competere, ait etiam *Cabassutius Scient. Can.* L. 2. *cap.* 6. *n.* 21. *Lotherius de re Benef.* L. 2. *q.* 4. *Barbosa de Iure Eccl.* L. 3. *cap.* 12. *n.* 217. In altiore enim loco sedere debet, propè Rectorem scilicet, & Clericos, *Glossa in §. aliam verbo altiori, Inst. de bon. poss. Ventriglia Tom.* 2. *annot.* 1. §. 4. *n.* 2. multos citans.

Honor etiam in processionibus debetur. Id omnes concedunt, & princeps locus in processionibus, est incedere propè ultimum Clericum, & sic digniorem; *Barbosa de Iure Eccl.* L. 3. *cap.* 2. *n.* 214. *Lotherius de re Benefic.* L. 2. *q.* 4. At perperam nonnulli id deducere conantur ex *can. pia mentis* 16. *q.* 7. ut nos singulariter, rejecto Gonzales, ostendimus *hoc Libro Tit.* 20. *diss* 4. & in eumdem scopulum impegisse videtur *Tomassinus de nova, & vet. discipl. Eccl. P.* 2. *L.* 3. *cap.* 29. *n.* 8. cujus interpetrationi minimè acquiescimus.

Honor ulteriùs anterioritatis Patrono debetur in suscipienda pace, quæ exhiberi debet Patrono post Clericos a ministro induto superpelliceo, ut voluit *Sacra Congregatio Rit. in Calaguritana* 5. *Julii* 1614. & *in Placent.* 21. *Martii* 1609. *teste Sell Select. Canon. cap.* 17. *n.* 12. 28

Honor alter debetur, ut primus inter laicos thurificetur, tametsi prohibuit sacra Congregatio, honorem hujusmodi præstari a Presbytero celebrante, *Sacra Congr. Rit. in citata Calaguritana, & refert Barbosa in summ. Apost. decis. verbo turificatio n.* 18. 29

Honor quoque competit Patrono recipiendi candelam in die Purificationis B. V. Palmæ ramum in Dominica Palmarum, cinerem in primo die quadragesimæ, *Ventriglia ubi supra n.* 8.

Honor amplior, si Patronus sit Rex, vel supremus Princeps. Et occurrent Clerici, Cassaneus in *Cath. glor. mundi* 4. *P. cons.* 8.

Quæri posset an & id ad honorem Patroni spectet, ut quotidie pro ejus anima in Ecclesia patronata Missa sit celebranda? 30

Ludovicus Romanus in *cons.* 330. negat, arg. Textus *in can. non mediocriter de cons. dist.* 5. *in can. visum, in can. de nominibus de cons. dist.* 1. *Rochus Curtius de Jure patr. §. honorificum n.* 90. ubi latius articulum examinat.

(e) Insignia.

Potest Patronus in Ecclesia patronata sua insignia apponere.

Nihil temere conamur pronunciare. Quod diximus in Titulo, posse Patronum in Ecclesia apponere sua insignia, diximus freti Cabassutii assertione in Scientia Canonica L. 2. *cap.* 6. *n.* 21. qui citat *Choppinum L.* 1. *de Sacra Politia cap.* 2. *n.* 5. *Lotherii* L. 2. *cap.* 13. *n.* 46. Sed hunc articulum uberiùs possumus explicare.

Non hæc ad pompam ponuntur, inanemque gloriam, sed ad quamdam gratiarum actionem, ad excitandos posteros, ad virtutem, divinumque 31

cul-

cultum, ut aspectu hoc admoniti reminiscantur preces offerre pro fundatorum animis, *Petrus Ancharanus Conf* 113.

Usus hic antiquissimus; legitur enim 1. *Machabæor cap.* 13. .. sic & ædificavit Simon super se-.. pulchrum patris sui, & fratrum suorum ædi-.. ficium altum visu lapide polito retro, & ante, .. & statuit septem pyramidas, unam contra, .. unam patri, & matri, & quatuor fratribus, .. & in his circumposuit columnas magnas, & .. super columnas arma ad memoriam æternam. Paschalis primus, extructis in augustiorem formam Ecclesiis S. Praxedis, & S. Cæciliæ in vertice absidis arcus quoddam insigne posuit ex quadam literarum strue efformatum, *Baronius ad ann.* 81. *n.* 12.

32 Habere igitur ad similitudinem Patroni possunt insignia, ac stemmata in Ecclesiis, sacris indumentis, ceterisque rebus Ecclesiæ donatis, illi, qui se gratos exhibuerunt sua largitate; ita *Pax Jordan.* L. 10. *Tit.* 7. *n.* 454.

Ea verò stemmata a quoquam auferri non possunt, arg. Textus in L. *lex qua* §. *nec verò domum*, C. *de adm. tut.* atque arbitrio Ordinarii ea delentes puniuntur, *Capola de servit. urb. præd. cap.* 71. *de pict. ex* L. *qui liberalitatem ff. de off. pub.* L. 1. *ff. de sepul. viol.*

Imò neque hæredi Iuris patronatus affigere sua insignia permittitur, ubi arma fundatoris, existant, ut *Lambertinus* L. 3. *art.* 4. *q.* 5. *ex* L. 2. C. *ut nemini liceat signa, ex* L. *Basilicam*. *publ.* C. *de off.*

(g) Curam.

DISSERTATIO III.

Quo sensu procedat, quod dicimus, Patronum curam habere sollicitam Ecclesiæ, & an differat ab advocato Ecclesiæ.

Nunc genus honoris commemorandum, quod ab onere disiunctum non est: & honor, & onus est. Permittunt canones, ut Patroni defendant

33 Ecclesiam, inquirant, scrutenturque, ne bona illius dilapidentur, imò alienationem quoque revocent, ut accipiunt Textum *in can. filius in can. decernimus* 16. *q.* 7. de preeminentia quæ onus vertori sensu sit, *Barbosa de univers. Jur.* L. 3. *cap.* 12. *n.* 215. *Ventriglia Tomo* 2. *ann.* 1. §. 4. *n.* 12. *Pax Jordan.* L. 10. *Tit* 7. *n.* 471.

Atque hoc onus adeò Patrono incumbit, ut si negligat in hunc modum Ecclesiam patronatam

34 defendere, privetur Jure patronatus, ut infert Rochus *Curtius de Jure patronatus* §. *onerosum n.* 3. *repugnat* L. *el*, *Mancinus diss.* 9. *cap* 10 *per tot.*

Si verò eam ipse opprimat, pœna coerceatur excomunicationis, ut ex d. *can. filiis Zoesius ad Tit. de Jure patr. n.* 19. cum quod ex officio

35 prohibere debet, id ipsum admittere nefas sit, L. *alitus ff. de serv. urb. præd.*

An autem Patronus perindè teneatur ad defensionem Ecclesiæ, ejusque bonorum, quo advocatus Ecclesiæ, & quo pacto ab eo differat, non insulsè exquirit, *Wamesius Tomo* 2. *Conf.* 481. *Vallensis de Benef.* L. 1. *Tit.* 4. *n.* 6.

Etenim sciendum est, esse quoddam munus, de quo passim canones loquuntur, priscis quoque temporibus injunctum viris potentioribus ab Ecclesia, quod advocatia, & quandoque vocebarbare mundeburdium dicitur; quare in Synodo legitur: *Volumus, ut Ecclesiæ, & casæ Dei,* 36 *& Episcopi, & Dei homines, Clerici, & Monachi, & nonna talem mundeburdem, & honorem habeant.* Hoc munus erat defendere Ecclesias ab injuriis, quibus utinam obnoxiæ non essent, semperque fuisse anteactis sæculis, utinam exempli luctuosa non demonstrarent. Ergo advocatiã Cathedralium, & Regularium ultrò canones supremis commisere Principibus, Textus in *cap. præterea* 23. *de Jure Patr.* Hoc munus commemorat Lothario Imperatori D. Bernardus *epist.* 139. et Conrado Regi Romanorum *epist.* 243. Laborante Affricana Ecclesia Donatistarum tyrannide, in singulis Ecclesiis dati a Principibus fuere defensores, seu advocati, *can. ab Imperatoribus* 23. *q.* 3. De advocato Ecclesiæ Cisinatinæ Textus habetur *in can. Salvator* 1. *q.* 3. Ecclesiæ Gallicanæ non minus suos habuere advocatos *Concil. Moguntinum sub Carolo M. can.* 50.

Talis advocatia erat olim gratuita, *Molanus* L. 2 *de can. cap.* 46. temporum progressu quæstuosa advocatio facta est. Regibus dona annua mittebantur. Monasterium S. Galli duos equos, & scuta cum lanceis Ludovico Regi misisse, refert *Rotpert* *de casib. Mon. S. Galli cap.* 8. Sæpe advocatis dabantur in beneficium certa prædia Ecclesiæ, quæ, & *advocatia* vocata sunt, quod uti aliorum testimonia omittam, infertur ex Abbate Urspergensi in Friderico 1. ibi: *recipiendo nihilominus in Ecclesiis ducatus marchias, comitatus, advocatias, monetas, telonea, caterorumque regalium, quæ possident sumunt.* Alia loca ad comprobationem ducit *Dartis in Decretum dist.* 78. *pag.* 168. Aliquando pecuniam in subsidium ab Ecclesiis advocati petebant, *Gulielmus Brito* L. 1. *Philip.*

Tempore cujusdam guerræ Rex prodigus aris.
Cum res exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Rhem nsem petiit, scriptoque rogavit,
Ut sibi subsidium ferret, quo gratior illi,
Adstantes vellet sumptus impendere gratis.
Ut solet Ecclesia Patronos sæpè juvare.

Cum tande n advocatia prædatio evasisset, quippe plus convento exigebatur a potentioribus viris, Eugenius II. *in Synod. Rem. cap.* 5. anno 824. sic pronunciavit .. Auctoritate Apostolica .. prohibemus, ut nullus advocatus, præter jus, .. & Beneficium antiquitus, aliquid sibi accipe-.. re, vel usurpare præsumat, quod si quis con-.. tra hoc tentaverit, Ecclesiastica careat sepul-.. tura, & Lucius III. *in cap. præterea* 23. *de Jure Patr.* & Innoc. *III. in cap* 2. *de pœnis* prohibitionem confirmarunt.

Et hi quidem sunt, qui propriè advocati dicun-

cuntur; qui non sunt patroni. Patroni item
37 advocati dicuntur in *cap. quia Clerici*, *in cap. cum autem advocatus de Jure patr.* sed eatenùs, quatenùs Ecclesiæ patronatæ curam gerunt. Quocirca hæc distinctio est inter hos, illosque advocatos, quod viri potentes sunt advocati dati, Patroni advocati nati, ut eleganter *Gonz. in cap. præterea de Jure patr. n. 8.*

(b) Dixeris.

Quale sit Jus patronatus Ecclesiasticum, & quale sit laicale.

Permagni interest ad vitandos errores, divisiones Jurispatronatus probè percipere. En earum explicationem aggredimur.

Prima divisio est in Jus patronatus Ecclesiasticum, & laicale.
38

Est Jus patronatum Ecclesiasticum, quod vel habet Ecclesia, aut Collegium religiosum, *cap. fin. §. 1. & 2. de Præb. in 6. cap. cum autem de Jure patr.* vel ex benignitate Pontificis, *cap. un. §. fin. de Jur. patr. in 6.* vel quod fundata fuit Ecclesia ex redditibus, & bonis Ecclesiasti-
40 cis, *cap. 3. de Eccl. ædif.* Quocirca Jus patronatus spectans ad Magistros, seu Equites Ordinum militarium etiam coniugatos, ratione Magistratuum, vel ratione præceptoriarum, seu commendarum, est Ecclesiasticum, *Mascard de Prob. concl. 660. n. 3. & 4. Vallens. de Benef. L. 1. Tit. 4. n. 7.*

Est laicale cum noscitur ex bonis laici Ec-
41 clesia ad esse deducta.

Quocirca differentia inter has patronatus species, non est ex persona desumenda, ut perperàm arbitratur *VVamesius Tomo 2. Conf. 470.*
42 sed ex materia ipsa, ex qua originem traxit fundatio, ut si ex re Ecclesiæ Ecclesiasticum reputetur, si ex patrimonio privati, privatum, & laicale, ut egregiè *Lothe ius de re Benef. L. 2. q. 10*

Si verò mixtum ex bonis laici, & Clerici fundata fuerit Ecclesia, provenit in laicum, & Clericum mixtum Jus patronatus. Verum quoad
43 mixtum hoc Jus patronatus singulariter adnotandum propono, non dici mixtum, ex solo concursu Ecclesię seu Patroni Ecclesiastici, & Patroni laici, sed illud tantùm, quod æqualiter utrique competet; nam si ex tribus voci-
44 bus duas habeat Ecclesia, judicabitur totum Ecclesiasticum, & è converso totum laicale, si duas habeat laicus; ita item explicat Lotherius *de re Benef. L. 2. q. 10. n. 67.* Tametsi quandoque consideretur plus unius Clerici persona,
45 quàm plurium laicorum, ut in casu cap. per tuas de arb. et ex hoc Textu *Rochus Curtius de Jure patr. verbo Jus sub n. 16.* Sed contrarium docere videtur Vallensis *de Ben. L. 1. Tit. 4. n. 8. pag. 32.*

[i Gentilitium.

DISSERTATIO IV.

De Jure patronatus gentilitio, seu familiari. An adoptatus sit eiusdem capax? An durante familia possit alienari?

En aliam divisionem Jurispatronatus in gentilitium, & in hæreditarium. Separatim de utroque verba faciemus; nunc de gentilitio, quod 46
etiam appellatur familiare.

Meminit Cicero in *Orat. de Arusp. respons.* cujusdam Sacerdotii patronati, quod gentilitium 47
dicebatur, idest generis, seu familiæ. Sic & Michas vir in monte Ephraim Idolum sibi fecit, & ei extruxit ædiculam, fecit Ephod, & Theraphin idest vestem Sacerdotalem, & illi redditus, ut habetur *in L. Iud. cap. 17. & 18.* In Ecclesia, & inter veræ fidei cultores Ius patronatus gentilitium dicitur, quando fundator voluit, illud pertinere ad gentem, vel famili- 48
liam, aut suam, aut alterius personæ a se dilectæ, *Lotherius, de re Beneficiaria L. 2. q. 10. n. 3.*

Ex qua reservatione initio conventa cum Episcopo, *cap. nobis de Jure patr.* sequitur, ut nemo, qui stirpis, & familiæ, quam indicat reservatio non sit, ad præsentandum admittatur, *Vivianus de Iure patr. L. 1. cap. 3. n. 29. Barbosa L. 3. de univ. Jure cap. 12. n. 21.*

Finita verò, atque exacta generatione, trans- 49
mittitur Ius patronatus ad hęredes, & efficitur hæreditarium, neque enim cum familia extinguitur, ex celebri *consilio 81. Ancharani n. 4. & per tot.* cui licet obsistat *Geminianus cons. 45. n. 7.* attamen *Rota* re maturè discussa A charani subscripsit opinioni *parte 1. divers. decis. 385.*

Constat ergò, quid sit Ius patronatus gentilitium.

De eo non satis constat, an si quis adoptetur in filium, gentilitii patronatus capax dicatur. 51
Sit nostra conclusio: cum gentilitia qualitas impressa noscitur in Iure patronatus, verius est, 52
ad filium adoptivum nequaquam porrigi præsentandi facultatem.

Probatur I. ex L. *si ita quis §. fin. ff. de Leg. 2.* ubi si testator mentionem liberorum faciat, de veris, & naturalibus filiis, non autem de 52
adoptivis sensisse intelligitur, consonat Textus in *L. fideicommissum ff. de cond. & dem* inferendum proinde est reservationem restrictam ad filios, ac descendentes, non extendi ad eos, qui sunt adoptivi.

Probatur II. Nam adoptivus non succedit in feudum, *cap. adoptivus in tit. si de feudo fuerit controv. inter dom. & agnat. in lib. feud.* ergo adoptivi pari modo non succeduot in Ius patronatus.

Probatur III. quia cum Episcopi consensu indigeat reservatio isthæc gentilitia, *cap. illud, cap. cum saculum de Jure patr. cap. quoniam ib.* non debet concessio, quæ jus conferendi, quod alioquin liberum penes Ordinarium esset, diminuit, extendi, cum a Iure

exor-

exorbitet.

Et aliiis argumentis assumptum confirmat *Rochus Curtius in Rubr. de Jure patron. §. ipse velis n. 74. & seq.*

Non obstat I. quod filius adoptivus, filius est, *princ. Tit. Inst. de adopt.* & filiorum appellatione omnes liberi continentur, *L. filii §4 L. justa 201. L. liberorum 220. §. 1. ff. de V. S. L. uxorem 41. §. concubina, ff. de Leg. 3. L. Senatus consulto 50. ff. de ritu nupt. L. filium 14. ff. ad Maced. L. pen. C. eod.*

53

Resp. quod etsi reservatio Juris patronatus gentilitii comprehendat filios; propriè tamen, qui non sunt veri, naturales, & originarii liberi non dicuntur, neque jus cognationis adoptio afferre potest, *L. qui adoptionem 22. ff. de adopt.* & solum adoptivus assimilatur illi filio, qui fit ex legitimo matrimonio natus, *§. in plurimis 8. Inst. de adopt.* & ideò in dispositione, *si liberos reliquerit*, adoptivi non comprehenduntur, *L. si ita quis, §. fin. ff. de L. 2.*

Non obstat II. Text. in *L. si is, qui nepotem 44. ff. de ad.* ubi jura consanguinitatis adoptione quaeruntur.

Resp. in citato Textu per consanguinitatem intelligitur ius fraternitatis, & agnationis: cum consanguinei propriè dicantur fratres ex eodem patre geniti: licet magis generali nomine vocentur etiam cognati. Caeterum agnati ultra fratres, non propriè dicuntur consanguinei: sicut nec uterini, vel vulgo quaesiti; etiam si eumdem patrem certa opinione demonstrare possint, *§. vulgo quaesitos de success. agn.* Quod verò cognatus dicatur adoptivus, id intelligitur de cogn. civili, *L. si qua mihi, §. adoptiva, ff. de rit. nupt.*

54 Altera quaestio, quoad gentilitium Jus patronatus examinanda occurrit: An Jus patronatus hujusmodi durante familia possit renunciari, aut in alium transferri?

Defendendam censeo, ut veriorem negantium opinionem, cum Roderico *de ann. reddit L. 2. q. 22. n. 37. et seq.* & cum Garcia *de Benef. P. 5. cap. 9. n. 69. aliisque.*

55

Probatur I. argumento a simili deducto a feudi, & emphyteusis exemplo. Non potest feudum aut emphyteosis accepta a patre pro se, & filiis alienari; nam filii vocantur ab ipso concedente; ipsi positi sunt in dispositione, & a concedente titulum, jus, & causam capiunt, *Text. in cap. unico, & ibi Isernia de feudo Marchia, cap. unico de gradibus success. in feud. cap. unico de natura success. feud.* prout expendit hos Textus *Covarr. in Rubr. de Testam 3. parte n. 16.* Ergo neque in casu Jurispatronatus gentilitii, ad vitandum descendentium praejudicium talis poterit alienatio subsistere.

Probatur II. inductione Textus in *L. eum, qui vers. quae vero, ff de interd. & releg.* ibi: *quae verò non a patre, sed a genere &c. tribuerentur ea manere eis incolumia.* Ergo cum haec sit Juris dispositio, ut quae generis sunt incolumia, pro successoribus serventur, gentilitium Jus patronatus non poterit alienari, ut optimè distinguens fundatorem ab eo, qui post fundatorem acquisivit, qui alienare non potest, differit *Rochus Curtius de Jure patron. §. ipse velis n. 72.* Nam quod attinet ad fundatorem, cum ipse tempore fundationis vult, Ecclesiam esse liberam, dispositio hujusmodi in praejudicium successorum sustinetur, ad quod Crottus de Monteferrato *in cap. quicumque de Jure patr. n. 7.* inducit Textum *in cap. significavit de testibus.*

Nec refragatur I. Textus in *L. voluntas C. de fide.* ubi prohibitii alienare extra familiam, tamè soror potest alienare, faemina verò extra familiam dicitur, *L. pronunciatio 195. in fine, ff. de V. S. L. familia 106. §. 1. ff. eod* 56

Resp. ea in Lege vocem *familiae* accipi prout in *L. suggestioni 5. C. de V. S.* cujus verba sunt: *Et si quis per suum elogium fideicommissum familiae sua reliquerit, nulla speciali adiectione super quibusdam certis personis facta, non solum propinquos, sed etiam his deficientibus, generum, & nurum, significari.* Quocirca, & Ius patronatus dicimus transire in faeminas, *cap. fin. de concess. Preb. cap. ex literi de Iure patr.* tametsi gentilitium fuerit, si ità expresserit fundator, ut ex familia omnes succedant, dummodo ad solam agnationem minimè respexerit testator; sed si dixerit reservare Jus patronatus omnibus ex sua stirpe descendentibus, aequum est, faeminas non excludi, ut Rota praecitatos Textus accipit *decis. 69. post. Vivianum Molina de Prim g. L. 3. cap. 4. n. 10. Covarr var. L. 3. cap. 5. n. 1. vers. rursus septimo.* Quomodo accipitur etiam quod est in *una Pistorien. coram Pl ovann post cap. 2. L. 14. apud Viv. n. 55.* ubi traditur, faeminas non succedere in Jus patronatus gentilitium; succedunt ergò, quia ex stirpe descendunt, cessante masculorum concursu; quia masculinum comprehendit faemininum, *L. si ita scriptum §. 1. ff de V. S. cap. mulieres de sent. excom.* Quamquam distinguat Rochus Curtius *, competens de Jure patr. n. 3.* an faemina sit nupta, vel innupta. Ut ergò redeam ad Textum oppositum, testator prohibuit, ne fundus extra familiam alienaretur; ex hac prohibitione colligitur, personis in eadem familia comprehensis ex testatoris permissu fundum vendi, sive donari posse; secus est de extraneo *ex L. peto, §. fratre, ff. de Leg. 2.*

Non obstat II. Textus in *cap. si laicus 1. de Jure patr. in 6.* ubi Ius patronatus donari potest, & *Archidiaconus, & Dom.* inducunt Textum, etiam in casu praejudicii filiorum, & descendentium.

Sed *Crottus in cap. quicumque de Jure patr. n 7.* ad summum ait, Textum procedere (si libeat eum de Jure patronatus gentilitio intelligere) cum Patronus tempore fundationis Ecclesiam vult esse liberam; re vera enim filiorum evanescit praejudicium. Ratio est quia remanet impeditum jus acquirendum descenden-

 tibus

tibus, non verò jus acquisitum.

[l] *Hæreditarium.*

DISSERTATIO V.

Altera species Jurispatronatus, nempe hæreditarii; ejus proprietates explicantur. Quæritur an Jus patronatus transeat in fideicommissarium, & an cedi possit.

Hereditarium Jus patronatus vocant, quod
57 transit etiam in extraneos, *Vivianus L. 1. de
Jure patr. cap. 3. n 28. Lotherius de re Benef.* L.
2. *q.* 11. *n.* 10. hæreditate, donatione cessione,
Rota post Vivianum decis. 108. *n.* 3.

Sed rem explicemus ex fontibus hauriendo cognitiones oprabiliores.

Sic est natura Juris patronatus, ut sit tran-
58 sitorium ad hæredes. *Clem. plures de Jure patr.*
ibi: *plures ab uno ex Patronis Ecclesiæ relicti hæ-
redes*, ergò qui primus comparavit Jus patrona-
tus, de eo testari potest, nec per mortem fun-
datoris revertitur ad Ecclesiam. Textus alii oc-
currunt *in can. quicumque 16. q. 7.* ibi: *si for-
tè ipsi, aut filii, can. considerandum, can. si plu-
res 16. q. 7. cap significavit de testib. cap. 3. de
Jure patr. cap. cum sæculum, cap. ex literis eod.
Tit.*

Miraberis, hæc audiens, & quasi divinarem, reddes admirationis causam. An non, inquies, Jus patronatus Ecclesiç metimur regulis Iuris patronatus libertorum?

At libertorum operæ in extraneos non tran-
59 sferuntur, *L. liberti C de oper. libert. L. si ope-
rarum, ff. eod. Tit.* L. *filii, ff. de Jure patr.*
quomodo ergò transitorium in extraneos prædi-
camus hoc Jus patronatus?

Cesset admiratio. Patronalis obsequii nexum
60 ad extraneos successores porrigi, credibilius dixe-
rim; Ecce; maxima obsequii portio est, ut li-
bertus agere cum Patrono, irrequisito Prætoris
assensu, nequeat, L. 4. *ff. de in Ius vocando.*
Arqui in Jus vocari ne filius quidem Patroni
potest, L. 2. C. *de in Jus voc.* quamquam quoad
successionem nil juris habeat. Præterea duplicis
generis sunt operæ libertorum, artificiales, vel
officiales. Artificiales, ut si libertus faber operas
61 fabriles, pictor pictorias promittat: hç in ex-
traneos migrare possunt, *L. 6. ff. de oper. lib.* Of-
ficiales, quæ nullo generç artificii expresso,
sed indefinitæ promittuntur, & in Patrono qui-
buscumque officiis juvando versantur, *Cuiac.* L. 17.
obs. cap. 14. Dicimus jam, si quid commune ha-
bet spiritualis patronatus cum eo libertorum,
communicare cum operis illis artificialibus. Cæ-
terum nec commune quidquam habere admit-
timus. Libertus ipso Jure operas non debet, sed si
juraverit, si stipulanti promiserit, aut aliter obli-
gatus sit, L. *operis 6. qui libertinus, ff. de oper.
lib.* At quod Ecclesiæ Patronus habet, ei ipso
Iure obvenit.

Ut ergò magis homines ad fundandas, construendas, dotandasque Ecclesias invitarentur, favoris publici censuere canones, ut transiret Ius patronatus, idest res spiritualis, idest res attinens ad Ecclesiam, transiret, inquam, ad hçredes, donari posset, ut solent domini; quam rationem notat *Lal. Mancin. dissert.* 9. *cap.* 16.

Et quia id est Iuris communis, ut ad hære-
des pertineat Jus patronatus, *cap.* 1. *cap. cum 62
sæculum ide Jure patr.* idcircò etsi testator ex-
traneum instituens, de Iure patronatus hæredi-
tario nihil dixerit, ad hæredem tamen pertinet,
tacitè enim pro hærede reservatum intelligitur
Lotherius de re Benef. L. 2. *q.* 11. *n.* 19. Et
quod admirabilibus est, non transit idcircò Ius
patronatus in Patroni filium, qui ejus hæres
non sit, aut hæreditatem patria repudiaverit,
Covarr L. 2. var. cap. 18. n. 7. Quamquam 63
etiam legitimam obtinuerit titulo institutionis,
non tamen legitima, etsi sit jus quoddam univer-
sale, L. *Papinianus §. quarta ff. de inoff. test.* 64
L. 2. §. *si quarta ff. de hær. inst.* est universitas,
ut pręclarè distinguit *Covarr. ubi supra* L. 2.
cap. 18. *n.* 9.

At inquies; potius videntur velle canones,
ut Ius patronatus non transferatur ad successo- 65
res. Nam denegant canones successionem in Be-
neficie, ut supra ostendimus *Tit. præced. n.* ....
ergo, ut canonea sibi cohçreant, successionem
quoque in Iure patronatus denegent, necesse est.

Discrimine adducto evanescet difficultas. Plus
concederetur laicis concedendo ius successionis in
Beneficios, minus conceditur admittendo laicos 66
ad succedendum in Iure patronatus. Cur ita?
Beneficium annectitur Ecclesiç, & rei spirituali
can. si quis 1. *q.* 3. Ius patronatus annectitur spi-
ritualibus, non tam proximè, sed antecedenter,
quia præsentatio præcedit Beneficii institutionem,
can. decernimus 16. *q.* 7. Nec præsentatus, vi
præsentationis aliquod jus in re, vel ad rem nan-
ciscitur, sed ius petendi institutionem, ex qua
conferatur Beneficium, *cap. quod autem de Iure
patr.* Quocirca in *cap. consuluit hoc Tit.* statui-
tur ad Patronum collationem non pertinere, ut
rectè explicat Textum *Gonz. in cap.* 2. *de Iur.
patr. n.* 8. Ergo excludunt meritò canones a suc-
cessione in Beneficiis, concedunt successionem
in Iure patronatus.

Repeto igitur, quod initio pronunciavi. Sic est natura Iuris patronatus, ut sit transitorium ad hçredes

Sed vocatur in controversiam, an Jus patronatus transeat in fideicommissarium?

Quæstio hæc gravissima est, & magno conflic-
tu discussa. Negat *Bartolus in L.* 22. §. *resti- 67
tuta, ff. ad Trebell. Fachinaus L. 10. contr. cap.*
95 affirmat *Romanus in* L. *Titius n.* 5. *ff. ad
Trebell.* & alii, quos citat *Lotherius de re Be-
nef.* L. 2. *q.* 11. *n.* 31. & *Zoesius ad Tit. de Ju-
re patr. n.* 12. *Fusarius de Fideic. substitut. q.*
268. *n.* 11.

Quid dicendum? Ego magis inclinare me fa- 68
teor ad partes eorum, qui affirmant, Iuspatro-

natus

natus sui natura transitorium esse ad fideicommissarios.

Probatur I. Quia Ius patronatus sequitur universitatem bonorum, & cum ea transit ad emptorem universitatis, *cap. cum saeculum de Iure patr.* nisi exceptum fuerit, *cap. ex litteris cod. Tit. Tridentinum sess.* 25. *cap.* 9. Atqui titulus fideicommissi est titulus universalis, L. *cogi* §. *de successione*, *ff. ad Trebell.* ergo transit etiam in fideicommissarium, ut res, quę ex natura sua sequitur eum, ad quem universa bona transeunt. Nec rectè Fachinæus ubi supra in hanc rationem regerit, omnia quidem jura transire in fideicommissarium, L. 1. *L. facta ff. ad Trebell.* non tamen cogi hæredem gravatum reddere Ius patronatus, cum sit quid spirituale, *cap.* 3. *de Iud.* Nam nimis probat hæc ratio, probat enim quod vendens universitatem excepisse intelligatur Iuspatronatus, cum sit quid spirituale quod minimè in conventionem deducitur *cap. de Iure* 16. *de Iure patr.* Atqui non transire Jus patronatus cum bonorum universitate, quis unquam dixerit? Quare nullam satis congruam differentiam dari posse, ait Eman. Costa *in cap. si pater de Test.* *n* 7.

Probatur II. Quia Iuspatronatus competit hæredi extraneo, ergo & fideicommissario, cujus persona potius inspicienda est, nam ad ipsam spectat commodum hæreditatis, quam persona hæredis gravati, L. *si necem verf. si extraneus*, *ff de bonis libert.* L. 3. §. *item si*, *ff. de Leg. præst.* ita argumentatur Crotus *in cap. quicumque* §. *circa primum n.* 14. *de Iure patr.*

Probatur III. Quia quæ non transeunt ad extraneos, non transeunt ad fideicommissarios, probat Crotus in *rep. in cap. quicumque de Iure patr. n.* 14. ex L. *si Patroni*, *ff. ad S. C. Treb.* Sed Ius patronatus transit in extraneum, ut certum est, ergo etiam transit in fideicommissarium.

Probatur IV. exemplo emphytheusis, quæ concessa privato, tamen in fideicommissarium pertransit, *Novel* 120. *cap.* 6. §. 1. *licentiam igit.* etc. ut arguit *Alexander in* L *si Patroni in princ. ff. ad Treb.* & *Crotus ubi supra n.* 14.

Experiamur; an fundamenta, quamquam solidissima, adversariorum, possint ullatenus convelli.

69 Opponitur I. Textus in L. *quia*, *perinde*, *ff. ad S. C. Trebell.* Verba sunt: *Restituta hæreditate jura sepulchrorum apud hæredem remanent.* Imò remanent etiam in casu, quo ab indigno auferatur hæreditas, L. *si quis* 33. *ff de rell.* & *sumpt. fun.* Hoc est argumentum Bartoli in *d. L. quia perinde* argumentum, quod tantam vim continere, visum est passim Iurisperitis, ut ultrò manusdederint, ejusque sententię obsecundarint.

Molina tamen ausus est obsistere contra, non facilè magni viri acquiescens autoritati, sed veritatem exquirens. En ejus responsionem L. 1. *de primog. hisp. cap.* 24. *ex n.* 10. Textus in d. *L. quia perinde* loquitur de jure sepulchri familiari non de jure sepulchri hæreditario. Hæc distinctio, non ex Interpetrum commento profecta est, sed Ius eam docet in *L. familiaria* 5 *ff. de rell.* & *sumpt fun.* ibi: *familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi, familiæque suæ constituit; hæreditaria autem, quæ quis sibi, hæredibus que suis constituit.* Idque ut plurimum ex inscriptione cognoscitur, ut dixi *hoc Lib. Tit.* 26. *n.* 94. ubi plura ad rem nostram. Sed hæc responsio vix admitti posset per ea, quæ in hoc articulo tradidimus ex Thesauro *hoc libro* in loco laudato cujus tamen opinionem tantummodo retulimus. Igitur cum Zoesio *de Iure patr. ad Decre. n.* 12. responderi ulterius potest, non spectari simpliciter in Iure patronatus titulum hæreditarium, sed universitatem bonorum. Ius patronatus eum sequitur, qui bona universa comparavit; hinc & transit ad emptorem universitatis, transit ad fiscum, qui loco hęredis est, L. *si totam* 83. *ff. de acq. her.* Dico iam. An non fideicommissarius universalis omnia bona acquirit? Cur volumus a Iure patronatus excludi, si transit sui natura in possessorem universalem bonorum? Excluderetur quidem fideicommissarius, si expressa a fundatore facta esset reservatio, pro solis agnatis, his existentibus. Et si hæc responsio non arrideat, alia audiatur. Etsi in Iure sepulchorum id esset admittendum, ut non transiret in fideicommissarium, quidquid contra censuerit Thesaurus, cujus opinione proposuimus *hoc Libro Tit.* 26. *n.* 94. Attamen diversa ratio est de jure sepulchrorum, & de Iure patronatus, quia ex jure sepulchrorum non percipitur commodum pecuniarium, nec alterius similis commodi temporalis ratio habetur, ut Glossa considerat, in L. *fideiussoris*, *ff. de pactis.* At ex Iure patronatus percipitur commodum quoque temporale, *cap. nobis de Jure patr.* atque insuper cum Patronus presentat filium, ut potest *Gloss. in cap. consuluit de Iure patr. Barbosa de un. Iure* L. 3. *cap.* 12. *n.* 107. certe ex tali præsentatione commodum consequitur, cum liberetur ab onere alendi filium, qui ex redditibus Beneficii se se alere potest, L. *si quis a liberis*, §. 11. *ff. de lib. agnosc.* quæ responsio traditur *a Croto in repet. cap. quicumque, de Iure patr. n.* 16.

Non obstat *II.* Textus *in* L. *si patroni* 15. *ff. ad S. C. Treb.* ubi restituta hæreditate non transit Ius patronatus, sed apud liberos manet.

Responsio petenda est ex his, quæ nuper diximus, in hac dissert. n. 61.

Coherenter, quoad Ius patronatus hæreditarium, ad melius ejus naturam percipiendam, quam esse diximus, ut sit transitorium ad hæredes, & donari, & vendi possit; non erit inutile aliam attingere controversiam, cujus est hic status: An Ius patronatus, quod habet debitor suos provocans creditores ad judicium concursus, intelligatur cessione ipsa in creditores translatum? 70

Sit nostra conclusio, includi sub cessione bonorum Ius etiam patronatus.

Probatur I. Quia dum suis bonis universim 71

cedit;

cedit; nihil sibi reservat, L. 1. C. *qui bonis cedere*, & singulare est in Clerico, ut sibi reservet, quantum sufficit ad sustentationem, *cap. Odoardus de sol.* ergo nec Ius patronatus, dictio enim universalis, ut cum pronunciatur, *cedo omnia quæcumque bona mea*, comprehendit jura, comprehendit corporalia, comprehendit incorporalia, L. *honor* 40. *in fin.* L. *res* 23. *ff. de V. sib.* L. *si legat* 30. §. 1. *ff. ad Treb.* L. *nomen C. quæ res pign.*

Probatur II. ex *cap. ex insinuatione* 14. *de Iure patr.* quem Textum ad cessionem inducit *Zoesius ad Tit. de Iure patr. n.* 13.

Nec adversatur, jus patronatus utpote rem
72 spiritualem, non recipere æstimationem, *cap. cum sæculum de Iure patr.*

Resp. enim procedere posse argumentum, si agatur de dando in solutum Iure patronatus per se, quod instar esset venditionis, quę ut simoniaca, reprobanda esset; at cum universitate bonorum, quin possit cedi, nemo facilè suadebit, quid quid contrarium sit arbitratus *Abbas in cap. quærimonia de Iure patr.* Quam verissimam opinionem docet etiam Vivianus de Iure patr. L. 4. *cap.* 5. *n.* 17. & 8. explicans Textum *in cap. de iure, de Iure Patronatus*, & latissimè tractatur hæc controversia a Salgado *P.* 3. *cap.* 5. *Labyr. cred.*

(*m*) *Episcopi.*

DISSERTATIO VI.

Quatenus Episcopi consensus ad transferendum Ius patronatus requiratur. Quæritur an permutatio Iurispatr. exigat Episcopi consensum.

Faciendum putavi, ut distinctè, ac separatim articulum discuterem de consensu Episcopi, pro translatione Iurispatronatus necessario; hæc enim cognitio imprimis utilis est, & ad praxim pernecessaria, atque eadem opera varii transferendi modi, ultra enumeratos in superiori dissertatione innotescent.

Dico imprimis, hanc esse regulam, quod dum
73 transferendum in alium est Ius patronatus, inconsulto Episcopo, ejusve irrequisito consensu, translatio illegitima est, inutilis, & irrita.

Quæ regula satis probatur ex *cap. præterea* 23. *de Iure patr.* ibi: juxta literam Gonzalez, &
74 .. quod ministri Ecclesiarum, eis inconsultis faciunt juxta proprium arbitrium in irritum .. deducentes (*& infra*) contractus etiam, quos .. de alienatione advocationis, sive patronatus .. vel fecerint hactenùs, vel facere in futuro pię.. sumpserint, præsenti institutione cassamus. Probatur ex *cap. illud* 8. *de Iure patr.* ibi .. tum .. quia laicus sine autoritate Episcopi nemini .. potest Ecclesiam date: licèt religioso loco Ius .. patronatus conferendi liberam habeat facultatē. Probatur ex *cap. quod autem* 5. *eod. Tit.* ubi dum agetur de trāslatione Iuris patronatus Alex. III. ita loquitur: *Si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur*; consonat Textus *in cap. nullus ib. in cap. consultationibus de donationibus.*

Ratio regulæ, hęc est. Quia cum sit Ius patronatus spirituali rei annexum, Ordinarii con- 75
sensus prærequirendus est, ut idem observet, an translatio pura sit, & labis simoniacę expers, utque cognoscat, an illi, in quos idem Ius transfertur, capaces existant, an contra eos militet suspicio fraudis, & detrimenti Ecclesiæ, ut has considerans rationes, optimè ait Antoniellus *de loco legali* L. 1. *cap.* 13. *n.* 26. *Pax Jordan.* L. 10. *Tit.* 7. *n.* 143.

Ad uberiorem regulę explicationem, qualis hic consensus esse debeat, perscrutemur.

Primo ejus Episcopi consensus exposcitur, in cujus Dięcesi sita sit Ecclesia patronata, *can. ne-* 76
mo de cons. dist. 1. *cap. nullus de Iure patr. can. omnes Basilicæ* 16. *q.* 7. ut ex his locis notat *Vivianus hoc Tract.* L. 4. *cap.* 5. *n.* 24. 35. Secundo, an ante actum alienationis, an post ipsum consensus accedat, parvi momenti est. Cur ita? 77
Quia validus actus censetur. Ergo sive Ius patronatus a laico donetur Ecclesiæ, sive alteri laico, & præcedere, & subsequi consensus potest, *cap. cura de Iure patr.* ibi .. aut Dięcesani .. Episcopi habuerit postea consensum, *cap. suggestum* 20. *eod. Tit.* ibi: & auctoritate Dięce.. sani Episcopi facta est, aut ejus assensus fue.. rit postea subsecutus. Nec mirum; nam & hic locum habet retrotractio, de qua *in can. ult.* 16. *q.* 1. & quod fort: in .. dum fuisset subsequens confirmat cons us, *cap. cura eod. Tit. cap. cum nos ac alii, quæ fiunt, cap. pastoralis de don.* & sufficere consensum hunc quandocumque præstitum, receptum quoque in Tribunalibus esse, docet Vivianus L. 4 *cap.* 6. *de Iurepatr n.* 74.

Cęterum utilius est obtinenti Ius patronatus per translationem, ut præcedere consensus, quàm 78
ut subsequi debet. Nam, si duobus separatim sit facta ejusdem patronatus donatio, & primo sine consensu donatum sit, alteri, assentiente Episcopo; hæc secunda donatio prævalebit. Appositè Textus *in cap. continebatur* 2. *de his, quæ fiunt a Prel.* ibi .. Verum si ignorante conventu, .. aut contradicente decimam prius prædicto H. .. concessit, & non post multum temporis de .. assensu conventus eamdem decimam dedit ei.. dem, secunda concessio debet prejudicare primi. Huc quoque pertinet Textus *in cap. illud* 8. *de Iurepatr.* non enim præstat impedimentum, quod non sortitur effectum, *cap. non præstat de Reg. Iur. in* 6. Tertio obligatur assentiri Episcopus, 79
si justam causam agnoscat alienationis; & quia obligatur, ideò cogi potest. At inquies, a quo nam cogi potest? Audi verba Textus *in cap. nullas* 17. *de Iurepatr. Et si quis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causa consentire noluerit,* 80
Romano Pontifici nuncietur. Sed Textus accipitur ut ultimo loco adeatur Pontifex, cæterum ejusdem Diæcesani superiorem prius compellandum esse, ut interpetatur Textum Vivianus *ubi supra*

supra, ex *Rivio in Praxi decis.* 150. *n.* 152.

Ita est igitur regula. Nunc recto ordine insistendum in limitationibus, si quæ fortè reperiantur. Et reperiuntur quidem, ut jam apparebit.

I. Limitatio audiatur ex verbis Textus *in*
81 *cap. un. in pr. de Iure patr. in 6.* ibi.. Si laicus .. Juspatronatus Ecclesię, sibi competens, eidem, .. vel alteri Ecclesiæ, seu loco religioso duxe- .. rit conferendum: hujusmodi collatio, quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit, efficax est censenda; notavit *Antoniellus de loco leg.* L. 1. *cap.* 13. *n.* 17. *Vivianus* L. 4. *cap.* 1. *n.* 16. *de Jurepatr.* Ratio obvia est, quia cum laicus donat Ecclesiæ, Ecclesia quidquam minimè alienat. At verò si Ecclesia alteri Ecclesię, vel laico donaret Ius patronatus, nec sufficeret quidem Episcopi consensus, sed requireretur, prout in alienationibus consensus Pontificis, *Extrav. ambitiosæ Tit. de reb. Eccl. non al.* ibi: *omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem* (& infra) *prohibemus*; quem Textum ad hoc extendit *Antoniellus ubi supra*, & est *decisio* Seraphini apud Vivianum L. 4. *cap.* 1. *n.* 32.

II. Limitatio est, ut si unus Patronus alteri Ius patronatus liberali titulo largietur, non sit opus Episcopi consensu; quia omnes in solidum Ius patronatus possident, est enim Iuspatronatus quid individuum, *cap.* 1. *de Jure patr.* ibi: *Nobis visum est, quod Ecclesia inter hæredes Patroni dividi non debet* consonat Textus *in* L. *si libertus in fin. ff. de bon. lib.* Non ergo hæc est propria donatio, sed potius proprii juris relaxatio. Hinc, & si pluribus donatio fiat, & alter eorum repudiet, jus accrescit alteri; nam quamvis in contractibus inter vivos cesset jus accrescendi excepto usufructu, L. 2. §. *in proprietate ff. de usufr. accr.* secus est, ubi in contractu res intervenit individua, L. *proprium ff. comm. præd.*

III. Limitatio est, cum jure successionis comparatur ab aliquo Ius patronatus hæres quicumque tandem ille sit, aut sius, aut extraneus, aut ab intestato, aut ex testamento, non indiget ad validam acquisitionem, licitamve Episcopi consensu. Praxis id servat, Interpretes id docent, quos videre datur apud Barbosam *alleg.* 71. *n.* 28. *de off. & pot. Ep.* Mens canonum hæc esse videtur. Nam *in Clem. plures in principio*, *de Iure Patr.* ut heredes relicti vocem habeant in præsentatione, non requirit Pontifex Episcopi consensum. Ratio non deficit, quia Ius patronatus sui ipsius natura ad hæredes transitorium est.

IV. Limitatio non minus observanda hæc est. Quod cum transfertur in alium Ius patronatus per quamdam accessionem, ut ex venditione villæ, castri &c. cui sit annexum, absque Episcopi consensu translatio effectum operatur, *cap. ex literis*, *cap. cum sæculum de Iure patr.* ut ex his Textibus probat *Antoniellus* supra laudatus *n.* 23. & quando transit accessoriè Ius patronatus, non esse necessarium Dięcesani consensum, docet etiam *Vivianus* P. 1. L. 4. *cap.* 1. *n.* 15.

Quæstionis est non omittendę, an & hæc sit limitatio, ut cum nimirum permutatur Ius patronatus, prętermitti consensus Episcopi possit? 82

Dubitandi ansam præbet *Clem. plures vers. & ut facilius de Iure patr.* ex qua, non esse Diœcesani consensum necessarium probari, notavit Rochus Curtius *de Iure patr.* §. *ipse velis n.* 28. *Zoesius hoc Tit. n.* 25.

Sed verius est, & defendendum, Diæcesani consensum postulari, & exposci.

Probatur, quia in translatione Iurispatronatus 83 cavendum est, ne qua simoniaca labes occultis veluti itineribus rem spirituali annexam collutulet; nam ut sunt quidam ad fingendum, simulandumque proclives, nomine permutationis venditionem facile contraherent, jamque infandum crimen simoniæ audacia minimè ferenda committeretur. Quis huic periculo prospicere certius potest Episcopo? Ergo præsto sit necesse est permutationi, consensus Ordinarii.

Ulterius id inferunt *Host. Ioan. Andr. Card. & Abbas ex cap. querimoniam de Iure patr.* ibi: *Absurdum videtur omnino ut (& infra) & vicissitudines Ecclesiarum ab advocatis, vel aliis præsumantur*. Obscura quidem prima specie videntur hæc verba. Sed audi verba Glossæ: *vicissitudines, idest permutationes, ut puta si Patroni hab rent plura Jurapatronatus, non possunt illa permutare sine auctoritate Episcopi*.

Addatur, quod major ratio reddi non potest, cur Beneficia, non possint permutari inconsulto Episcopo, *cap. quæsitum*, *cap. cum olim*, *cap. cum universorum de rer. permut.* possit verò permutatio Juris patronatus irrequisito Diæcesano celebrari. Uerses te licet huc, illuc, experieris, discriminis rationem tradi nequaquam posse.

Neque obstat Textus in *d. Clem. plures*, prout diximus induci in ratione dubitandi præmissa. 84

Nam respondet Rochus Curtius *ubi supra*, conventionem illam de præsentando alternis vicibus propriam non esse permutationem, sed respicit ea cõventio quietam, & amicabile Iurispatronatus exercitium, respicit faciliorem Ecclesiæ provisionem, quo casu, cum Patronis jus minime aufeatur, neque ulla contingat subrogatio, consensus Dięcesani minimè ducitur necessarius.

Minus obstat Textus in *cap. ex insinuatione de Iure patr* ubi Patronus absque consensu, alteri liberaliter Ius patronatus confert, ergo liberalis permutatio utpote periculi simoniæ expers non indiget Ordinarii consensu.

Ego quidem possem retorquere in adversarios arma sua, quibus nos adoriuntur. Nam *Hostiens. Cardin. & Abbas* hoc Textu utuntur, ad nostram sententiam stabiliendam. Sed verè nec favet nostræ assertioni, nec adversatur. Solum hoc dicit Constitutio opposita, quod sine consensu Patroni non potest quisquam Ecclesiam occupare. Qua de re latissimè *Chokier. de permut. Benef. cap.* 19. *& seq.*

[n) Furiosi.

Furiosi si habeant dilucida intervalla, præsentare an possint?

Clarum est hoc, quod asserimus in nostro Ti-
85 tulo, arceri a præsentandó furiosum, nisi interdum resipiscere videatur. Ita est: dilucida intervalla prosunt, ut idem ad præsentandum ad mittatur.

Quod dixi, indictum nolo, ita sentio cum *Viviano L. 5. cap. 2. n. 10. de Iure patr.* Verum est, actum gestum a furioso, in dubio præsumi factum tempore furoris, quamvis habeat dilucida intervalla, ut optimè Iason. in *L. patre furioso, ff. de his, qui sunt sui, vel al. jur.* At supponimus, certò sciri, qood furiosus, dum præsentat, habeat dilucida intervalla; ideò nihil prima specie proponitur, cur excludendus sit ab actu præsentationis.

Si enim cum furiosi inducias habent, quibus sapiunt, testamentum, quod testatio mentis est, sustinetur, *§. praterea Inst. quibus non est permissum fac. test. L. furiosum 9. C. qui testam. fac. pos.* quid ni in his intervallis præsentare valeant?

Dubitarunt quidem an iqui, num in hisce induciis ha... ret voluntatem; donec Justinianus, habere, sua Constitutione declaravit, *L. furiosum 9. C. qui testam. facere poss.* Nec tamen, ut hoc etiam dicatur, omnis remissio furoris tollit furorem, adeo ut cautè procedendum sit, dum agitur de eodem admittendo ad præsentandum. Eleganter Celsus *in L. quod nemo 18. §. si furioso, ff. de acq. poss. quamvis verum sit, a rabie eum quievisse, tamen a morbo non est liberatus, quamdiù fomenta, & causa morbi in eo perseverant*. Tutius est igitur, præsentationem per curatorem expediri, uti docet Vivianus *L. 5. cap. 2. n. 10. de Iure patr.* Nonnulla indicia ad cognoscendum, an aliquis sit a morbo liber, ad ducit *Franc. Niconit. in Rubr. de test. a n. 113.*

[o) Relligiosi.

Relligiosi præsentare non possunt.

Proprio nomine Relligiosi præsentare non possunt, quia nil proprii retinere dicuntur. Quam doctrinam deducit Vivianus *ubi supra ex Concil.*
86 *Trid. sess. 25. cap. 2.* his verbis .. Nemini igitur .. Regularium, tam virorum, quàm mulierum .. liceat &c. bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo .. ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam .. nomine Conventus possidere, vel retinere; sed .. statim ea Superiori tradantur, Conventuique .. incorporentur. Ergo si propter Regularem devolvatur ad Monasterium Juspatronatus, nomine Monasterii, non autem nomine Regularis præsentatio facienda est, & casus hujus dissolutionis habetur *in cap. in præsentia de probat. Vivianus ib. n. 16.*

Nec verò Monasterium incapax est Juris patronatus. Sic Rex Carolus, & Sancius Navarræ Cænobio Hyrachensi donarunt patronatus Ecclesiarum Stellæ, & Mendaviæ, ut narrat *Murga de Benef. q. 3. sect. 2. n. 21.* & satis hoc probatur *ex cap. un. de Iure patr. in 6.*

Et repetendo memoria ante acta secula, illustre exemplum exhibet historia de Clericorum, Mo- 87
nachorumque Siciliæ dissensione, quam pacavit tandem Joannes IV. Pontifex, prout est *in collect. Rom. pag. 254.* Nam Clerici, & Monachi dissidebant invicem, atque altercabantur, utrum in Ecclesiis ab Episcopia eis traditis deberent præsentare Monachi, an Clerici? Et Ioannes IV. ita statuit. *Omnino licentiam Monachis damus suarum Ecclesiarum investitores fieri.* Vestigiis adhæsit Ioannes Gregorii Magni, qui Abbati permiserat nominationem Presbyteri, qui in Ecclesia Monasterii sacra celebraret, narrat Tomassinus *de vetere, & nova Ecclesia discipl. P. 2. L. 1. cap 30. n. 7.*

(p] Possessores.

DISSERTATIO VII.

Prohibentur præsentare malæ fidei possessores. Quæstiones discutiuntur.

Quod nunc se exhibet explicandum, & magni momenti est, & æquè difficile. Qui est in possessione præsentandi, jus præsentandi habet.

Duo præsertim, ut id compertum sit, exposcitur, ut videamus. Primo qualis isthæc possessio esse debeat, secundo, quot actus ad possessionem hanc, seu quasi possessionem requirantur.

Age jam, qualis nam possessio esse debet, ut potestas præsentandi sit? Hæc bonæ fidei sit, 88
necesse est. Possessor qualibet aut est bona fidei, aut malæ fidei, *L. 3. § ex contrario §. genera ff. de acq., ss. L. duo 10. ff. de precar. L. quod servus 24. ff de acq. poss. L. 1. §. deicitur; & §. quod servus, ff. de vi & vi arm. Melchior. de Valenza Illustr L. 1. Tract. 2. cap. 3. n. 6. & 7.*

Possessor violentus, intrusus, invasor ex præcitatis Legibus est malæ fidei possessor, talisque est, si quis hoc modo jus præsentandi comparaverit. Hic igitur a præsentando excluditur. Quid si præsentet? Quod actum est, rescinditur, & removetur institutus. Si dubitas, oculos conjice, in hæc verba, quæ transcribam, *ex cap. consultationibus de Iure patr. Si verò non possidebat, sed tantùm credebatur esse Patronus, cum non esset, poterit (institutus) ab eadem Ecclesia removeri.* Consonat Textus *in can. decernimus §. quod si 16. q. 7.* Si rationem exposcis, eam tradam. Præsentatio fructus est. Atqui malæ fidei possessor fructus reddit, licet consumptos, *cap. gravis de rest. spol. ibi: ut non tantùm fructus a novo, & violento possessore perceptos (& infra) reddi, faciatis, L. fructus percipiendo, ff. de usur.* ergo non valet institutio.

Erit tamen, quod in hanc sententiam tibi obiiciendum videatur.

Pri-

Primo quidem, cur nam semel institutus amoveatur, licet mala fide præsentatus? Sententia institutionis lata fuit ab Episcopo; cum definitive vim habeat, si non fuit ab adversario provocatum, transiit in rem judicatam. Ergo institutio facta est irrevocabilis, *cap. quod 15. §. taliter de sent. & re jud can. 1. & 2.35.q.9.*

Resp. argumentum optimè procedere; nos item supponimus, cum non constat de malę fidei possessore, sustineri actum utrumque, & præsentationis, & institutionis; at si in judicium venerit, qui actum præsentationis impugnet, ut in specie Textus *in d. cap. consultationibus*, an non procedet dispositio Textus? Nec quidquam refert, an verus Patronus opponat postquam sententia transiit in rem judicatam; propterea quod removebitur institutus, non ut satisfiat Patrono petenti; sed quia sententia lata in causa beneficiali adversus Episcopum non transit in rem judicatam, quod attigit Mancinus *tripl. Jur. dist. 9. cap. 9. in fin.*

Sed aliud in nos telum ecce vibras, quod tamen eodem chlypeo retundemus. Inquis, institutionem jam publicatam supponi, & quod magis est, præmissæ monitiones fuerunt, *cap. ult. de el. in 6.* Si nemo statuto tempore contradixit; cur ergo institutus removendus est?

Resp. paucis verbis; removendus est, quia adversus Episcopum in causa beneficiali, ab ipso lata sententia, in judicatum transire nequit.

Alii quidem ultrò concedunt, institutum in hoc casu removendum non esse, quia videtur consentire, qui non contradicit intra terminum præfixum, *cap. fin. de elect. in 6.* & qui tacet, consentit etiam in sui præjudicium, *L. de atate §. qui tacuit, ff. de interr. act cap. 2. de conf. in 6.* ita apud Rochum Curtium *in Rubr. de Jure patr. §. competens n. 51.* Quod tamen ita temperant, ut institutus ipse debeat a vero Patrono iterum præsentari, *cap. si vero de Jure patr.*

His adhuc non acquiescis, & alio uteris argumento. Institutus recepit auctoritate Judicis Ecclesiastici institutionem, ergo ab Ecclesia minime removendus. Consequentia urget ex Textu in *L. si quis in tantum C. unde vi* ibi: *ante adventum judicialis arbitrii*, ex quo arguendum a contrario sensu, ut arguit ad rem nostram Innocentius *in cap. consultationibus de Jure patr. n. 2.*

Sed audi ejusdem Innocentii verba pro responsione: *Aliud est in Patrono, qui non nititur auctoritate Superioris, nec publico officio, licet pro eo feratur sententia, quod sit Patronus: quia semper habet malam fidem, & ideo non facit fructus suos, argumento L. Jul. ff. de cond. ind. & aliud in Prælato, qui nititur confirmatione Superioris in publico officio, & sic loquitur Glossa, quæ est in cap. nihil de el.*

Satis hæc de malæ fidei possessore. Possessor bonæ fidei, de quo iam sermo habendus, est, qui possidet cogitatione domini, talem enim se certò credit. Hinc vera possessionis definitio apud Theophilum *in §. item in l. de interd. in §. item per quas personas nobis acquiritur, & §. item quibus mod. tollit. obligatio* ea est, ut dicatur detentio rei animo domini, diciturque animo domini, ut excludantur detentores, ut commodatarii, fructuarii, depositarii, qui non possident, *L. officium 9. ff. de rei vind. L. possessio 49. ff. de acq. poss.* & vitiosa possessio civilis esse non potest, *L. Pomponius 13. §. pen. L. 3. §. genera ff. de acq. pos. L. nemo 10. C. de acq. poss. L. quod uxor ff. ib.*

Possessor bonæ fidei validè præsentat, neque institutus est removendus, si dominus evincat Jus patronatus a vero possessore, Textus *in d. cap. consuluit in cap. quartmoniam hoc T.* optimè *Gonzales in d. cap. consuluit in comm.* 90

Quo probè constituto se offert difficultas, quam indiscussam relinquere præsentis argumenti ratio non patitur.

Quæstio est percelebris, an sequester præsentandi jus habeat?

Sequester dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt. Ita loquitur *Textus in L. sequester 109. ff. de V. S.* consonat Textus *in L. licet, ff. depositi, in L. aquissimum, ff. de usufr. in cap. ab eo 3. de sequestr. poss. & propr. in cap. ex transmissa de rest. spol. in cap. cum locum de spons. in Clem. ult. de rest. spol.* Quocirca sequester est depositarius, *L. ei §. 1. L. etsi ff. depositi*. Quare in sequestrarium competit actio depositi, *L. 5. §. 1. L. si in Asia 12. §. cum sequestro ff. depositi, L. propter 5. C. eod. Tit.* Sequestrum vulgò duplex confingunt, necessarium unum, aliud voluntarium. Quidnam sequestrum necessarium? Illud est cum res accipitur ex Judicis præcepto, alterutro ex litigantibus postulante, vel cum Magistratus, dum timetur in alicujus detrimentum dilapidatio, ad ejus securitatem in sequestrum rem deponi, decernit, tametsi hoc mixtum sequestrum verius dicatur, sed vere non est voluntarium, ideò libet iam utrumque in hac prima parte nostræ partitionis ponere. Exempla sequestri necessarii se se offerunt in *L. 2. & 3. C. de edicto D. Hadriani, in L. scripturas, C. qui potiores in L. ult. C. si cert. petat. in L. si cujus 13. in L. aquissimum, ff. de usufr. in L. fidejussor 7. §. ult. ff. qui satisdarr in L. si eum dotem 22. §. si vero ff. soluto matr. in L. in rebus 30. in fine C. de jure dot. in cap. per vestras de don. inter vir. & ux in L. ult. c. de ord. cogn. in L. ult. C. quibus ad lib. in L. litibus C. de agricolis, L. 11. in L. postquam 5. ff. ut legat, in L. Imperator 21. ff. de appell. in L. 5. C. quorum appell. in L. 1. §. si frater, ff. de coll. bon. in L. si quis 9. in L. si oleum 10. ff. de dolo, in L. ult. C. de aff. coll in cap. olim de restr.* 91

Voluntarium sequestrum quidnam sit, facilè intelligitur; cum nempe, contrahentium, contendentiumve consensu fit. *Zoesius ad Tit de sequestr. possess. n. 1. Sannig. ad eumdem Tit. n. 4.*

Utque accedamus ad articulum, tamquam ad sco-

scopum, ad quem collimare debet hæc explicatio: dubium est, an sequester possideat? Et quidam sentiunt, voluntarium sequestrem possidere, quod Sänig. ubi supra satis arbitratur probari ex L. interesse 39. ff de acq. possess. Alii probant ex L. licet ff depositi Alii ex Innoc. III. in cap. 1. de seq. poss. & pr. ibi: possessionem vel parte possmodum resignarent. Necessarium excludunt a possessione. Sed neutrum mihi probatur. Verior distinctio hæc est, quam docuit Gonzalez vir summus in cap. ab eo de seq. poss. n. 5. Aut enim res tantùm in custodiam datur, & planè sequester non possidet, cap. examinata de Jud. Depositarius enim non possidet; L. 17. § 1. L. videamus 38. §. si possessionem, ff. de usur. L. si rem 47. ff. de acq. poss L. stipula: 8 §. habere, ff. de V. ob. Aut specialiter traditur in sequestrum, possessio, ut penes sequestrem sit, prout in specie L. licet 17. §. 1. ff. dep. in cap. 2. de dolo, & cont. Tunc sequester possidet. L. interesse 39. ff. de acq. poss.

His elucidatis, Defendendum censeo, quod sive possideat, sive non possideat sequester, præsentare non potest.

Repugnat quidem huic sententiæ Ottavianus Vester in praxi L. 7. cap. 2. n. 3. Gigas de pens. 92 q. 72. n. 3. Sayson in consuet. Turon. Tit. de Dovayre cap. 3. Portoles in §. resistentia n. 59. Didacus Perez L. 2. Tit. 10. L. 1. in Gloss. l. q. 17. Barbat. in cap. examinata de Iud. n. 16. Corras. in Paraphr. Sacerd. 2. par. cap. 6. & in L. 3. Miscell. cap. 2. ex n. 16. Cæsar Lambert. de Jure patr. in 3. art. 9. q. princ. 2. p. L. 1. pag. 142. Sabagun. in cap. fin. de seq. poss. n. 56.

Nobis satis est non repugnare hanc sententiam rationi, & sacris Constitutionibus. Sed quid dico? Quasi verò, & agmen Doctorum, qui nobis favent, educi in aciem, campumque non possit, quos videre est apud Paulum Christinæum decis. 107. Volum. 6. apud Canedum in Quæst. Can. quæst. 10. apud Zoesium ad hunc Tit. n 41.

Probatur jam conclusio, & primo ratione irrefragabili. Si possideat sequester, possidebit eo modo, quo creditor possidet pignus, nempe ad 93 securitatem, dominium verò, & fructus sunt penes debitorem, cap. cum contra de pignor. Atqui creditor si detineat pignus, cui sit annexum Ius patronatus, quantumcumque possideat non potest præsentare, en Textum singularem in cap. cum Bertholdus 18. de sent. & re jud. ubi Bertholdus debitor curiam suam, idest territorium, ut dicitur in L. 1. feud. Tit. 10. pignori dedit creditori; territorio annexum erat Jus patronatus; creditor præsentavit, & debitor. Cujusnam præsentatio potior judicata fuit? In fine Textus decidit, veram præsentationem fuisse præsentationem debitoris, ibi: ipsum a vero Patrono &c. Audi egregium canonem Concilii Salzeburg. tempore Martini V. can. 22. ibi: ad omnium quoque dubitationem, sive quæstionis materiam amputandam, statuimus, ut si qui prædium suum, cui Ius attinet patronatus, cuiquam obligaverit, indistinctè jus præsentandi apud ipsum obligantem residat. Si ergò dum a credi ore detinetur possessio ad modum sequestri, canones declarant, creditorem ob possessionem non adipisci jus præsentandi; ergo possessio penes sequestrem in nostra specie, non transferet in eumdem facultatem præsentandi. Nonne hæc ratio vehementer urget? Multò minus si non possideat sequester, præsentare poterit. Quo jure, quo titulo, poterit id contendere, si dominus vivit, si possessor vivit?

Probatur II. Quia jus præsentandi, fructus censetur, quidquid contra arbitretur Mancinus tripl. Jur. diff. 9. cap. 8. n. 12 qui satis ex d. cap. cum Bertholdus convincitur. Atqui sequester quantumcumque possideat, non tamen fructus suos facit, sed possidet ad hunc effectum, ne tempore sequestri interrumpatur præscriptio, L. interesse 39. ff. de acq. poss. ergò licet possideat, præsentare non potest.

Probatur III. Quia Jus patronatus, si transiret in sequestrem, adeoque jus præsentandi, si quæ illius admitteretur præsentatio, sequestri fructus dissiparentur, qui nullo pacto vincenti restitui possent contra finem sequestri; sequestri finis est, ut sequester fructus suos non faciat, sed conserventur, cap. 2. de seq. poss. Clem. 1. eod. Tit.

Probatur IV. Ex cap. quoniam 3. vers. & id ipsum etiam faciat, si de iurepatronatus quæstio emerserit de Iur. Patr. faciat; idest liberè Episcopus conferat. Ex quo Textu, dum res, cui fuerit Jus patronatus annexum sequestrata reperitur, nec dominum, nec sequestrem præsentare, sed liberè conferre Episcopum probari, ait Canedus q. 10. n. 4. Zoesius ad hunc Tit. n. 41. Immò Zoesius hoc unico Textu ad probandam nostram sententiam utitur.

Remanet ergo, ut si velit sequester præsentare, 94 ne non [illegible] fructibus conscientiam habeat rei alienæ, cum malæ fide utatur.

Neque obstat I. Textus in cap. ex literis 7. de Iure patr. ubi conductor, qui simplex detentor est, præsentat, ibi: miles, qui villam, in qua Ecclesia sita est, a Monasterio de Vinton ad primam tenebat, &c. præsentavit, ad firmam ducere est conducere, cap. vestra de loc. & cond. cap. 24. de decim. diximus latè in hoc lib. Tit. 29. in expl.

Resp. ibi affirmari, præsentasse validè militem illum, quia non erat simplex conductor; sed conductor ad longum tempus, nempe emphytheuta, qui cum habeat utile dominium, ex communi sententia, quamquam contrarium docuimus hoc Lib. Tit. 20. n. 200. aut saltem possessionem, ex qua fructus suos facit, ad eum, par est, Jus patronatus transire, ut respondet Garcias de Ben. P. 5. cap. 6. n. 8. & Gonzal. ad eum Textum.

Non obstat II. interesse Ecclesiæ vacanti, ut citius, quàm fieri possit, provideatur in ea Rector, cap. ne pro defectu de elect. ut arguit Corrasius l. 3. miscellan. cap. 2. n. 16.

Nam huic periculo prospexere canones, statuen-

tuentes, ut interim liberè provideret Episcopus, *juxta Textum in cap. quoniam de Iure patr.* ut respondet *Barbat. in cap. examinata de Iud. col.* 20. *Zoesius ad Tit de Preb. n.* 15.

Non obstat III. Textus *in Clem.* 1. *de seq.* in illis verbis: *qua plenam de ipsis, & debitam curam gerens*, ex quibus deducitur fructus administrari a sequestre, ergo ipse præsentat.

Resp. ex ipsis verbis Textus, cum sequester suos fructus non faciat, cum eos perdere non possit, sed percipiendi sint a victore, ad sequestrem jus præsentandi spectare non posse, ut optimè Zoesius ubi supra.

His expositis, quoad sequestrem, cohærenter esset disquirendum de præscriptione Juris patronatus. Sed quæ necessaria sunt, adduximus in *prima dissertat. n.* 10. Videndus Covarruvias in *Reg. possessor de Reg. Iur. in* 6. 2. *part. rel.* §. 10. *per tot. Lotherius* L. 2. *de re Benef. q.* 7.

(q) Perplexa.

Quot actus præsentationis requirantur, ut dicatur Ius patronatus præscriptione acquisitum.

Jam in prima dissertatione, pro explicatione hujus Tituli, hunc ipsum articulum attigimus n. 50. necessariasque cognitiones non omisimus.
95 Addo nunc, quod licet Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 9. sustulerit modos omnes comparandi Jus patronatus præter fundationem, constructionem, dotationem; tamen non sustulit modum acquirendi virtute præscriptionis, cum scilicet Beneficium non fuit unquam in statu libertatis, sed affectum fuit Jure patronatus, ità eleganter *Lotherius de re Benef.* L. 2. *q.* 7. *n.* 31. & sic declarasse Nicolaum V. testatur *Paul. de Cittad. de Iure patr. p.* 3. *caus.* 5. *n.* 26. Quod significat, unum alteri præripuisse vi præscriptionis jus præsentandi, per varias præsentationes. Quot actus præsentandi requirantur, si quæris, jam in dicta dissertatione diximus, duas ad minus requiri ex L. *ubi numerus de testibus*.

[r) Præmunitus.

Examinatur, an Patronus possit præsentare per procuratorem.

Actum præsentationis non excludere procuratorem, probat Textus *in cap. ult. de concess. Preb.* ibi: *et donationes eorum in manibus po-*
96 *suerit alienis*, ut Textum hunc notat *Vivianus de Iure patr.* L. 5. *cap.* 6. *n.* 1. Probat *Clement. dudum* §. *statuimus verf. quas sic de sepult.* ibi: *quas sit ab ipsis electas repræsentent, vel faciant præsentari*, consonat *Textus in cap. si tis*, §. *porro de elect. in* 6. *in cap. ea noscitur de his, qua fiunt a Prel. cap. cum & plantare*, §. *in Ecclesiis de priv.*

Quocirca satis est, ut constet, Patronum consensisse, ut is, vel ille Clericus præsentetur, & literis consensus rectè exprimitur, *can. optatum* 100. *dist. can.* 1. 64. *dist. Gonzales in cap. ea noscitur de his, qua fiunt. n.* 3.

Si contingerit, Patronum alium præsentasse, postquam unum præsentavit procurator, intelligitur cumulativè fecisse, hoc est perindè videtur, ac si idem Patronus plures præsentasset, *Golinus de Procur. P.* 5 *cap.* 5. *n.* 60. *Vivianus* L. 5. *cap.* 6. *n.* 21.

Si contigerit, unum, eumdemque constitui procuratorem a diversis Patronis, non poterit diversos præsentare, *cap. pen.* §. *porro de el. in* 6. qui Textus & si de electione loquatur, procedit tamen etiam in præsentatione, *cap. fin. & ibi Glossa de el. in* 6.

Si contigerit, duos procuratores in solidum suisse deputatos ad præsentandum, & unus præsentet, & præsentatus renunciet præsentationi; procurator alter non poterit præsentare, si tempus præsentationis fuerit elapsum, *cap si duo de elect. in* 6. Quod si duret tempus, quia laicus Patronus variare potest, admittetur præsentatio, *cap. quod autem de Iure patr. Vivian.* L. 5. *cap.* 6. *n.* 18.

An autem peregrè profecturus possit constituere procuratorem, ut si vacet Beneficium, ille præsentet, & an induceatur votum captandæ mortis, quærit *Lotherius de re Benef.* L. 2. *q.* 6. *n.* 11. *& seq.*

(s) Septennio.

Quæ nam ætas requiratur, ut aliquis & sit Patronus, & præsentet.

Moritur Patronus, succedit infans; Acquirit ne Iuspatronatus?

Nil prohibet, infantes ab ipso lustrali fonte Patronos effici, Qui enim Baptismi undis sunt 97
regenerati, hujusce Juris capaces redduntur, *can. pia mentis, can. Frigentius, can. quicumque* 16. *q.* 7. *Lamb rtinus de Iurepatr.* L. 1. 1. *p. q.* 7. *princ. art.* 14. *n.* 1.

Ex quo intelligitur differentia inter Ius patronatus libertorum, & Juspatronatus Ecclesiæ; nam in utero existenti competet Jus patronatus libertorum, L. *qui in utero* 26. § *posterioribus, ff. de statu hominum*, observat *Anton Faber in Iurisp. Papin. Tit.* 4 *princ.* 3. *illat.* 3. Sed obvia ratio est, quia in utero existens ideò incapax censetur Iuris patronatus Ecclesiastici, quia nondum baptizatus est; et ideo amittitur Ius patronatus, cum Patronus in hæresim incidit, *cap. cum secundum de hær in* 6. ut ex eo Textu docet *Vivian.* L. 17. *cap.* 2. *de Iure patr. n.* 5.

Quod verò spectat ad actum præsentandi; sic distinguitur a nostris. Aut infantes tutorem habent, & per eum præsentant, *Rochus Curtius de Iure patr.* §. *competens n.* 12. aut non habent, & præsentant per consanguineum, *Vivianus* L. 8. *cap.* 2. *n.* 25. Quod si verò infans sit compatronus, & non habeat tutores, ejus portio compatronis accrescit, ut idem docet *Vivianus ib. Narbona de ætat. q.* 22. *n.* 14.

Interim igitur constat, per se minorem septennio

nio præsentare non posse. At poterit major septennio *ex notatis in cap. si eo tempore de rescript. in 6. Rochus Curtius de Iurepatr. §. competens n.* 13. & probat Garcias *de Benef. P. 5. cap. 9. n.* 186. *ex cap. decernimus 16. q. 7.*

(t) *Quadrimestre.*

DISSERTATIO VIII.

Laici Patroni intra quadrimestre præsentabunt; an currat quadrimestre, dum Patroni litigant? Quando currere incipiat?

Olim tempus quadrimestre, intra quod Patroni præsentare tenerentur, regnante Clodovæo, definitum nondum erat. Sed Patronos, si cunctarentur, occupabat Episcopus, ne diutiùs vacarent Ecclesiæ, notat Tomassinos *de vetere, & nova Eccl. discipl. P. 2. L. 1. cap. 30. n. 25.*

98 Innocentius III. *in cap. cum propter, de Iure patr.* definivit, si Patroni laici intra quatuor menses neminem præsentent, ab Episcopo tunc tandem Beneficium conferri debere. *Ita ceptum* est decretum de quatuor mensibus, Patronis laicis, de sex mensibus autem, Ecclesiasticis attribui. Nam quamquam sex menses jampridem induiti essent, intra quos provideri posset vacantibus Præbendis, officiisque, non satis tamen liquebat, an eo decreto *Concil. Lateran. can. 3. & 8.* Patroni continerentur, ut idem *Tomassinus observat ib. cap. 23. n. 4.*

Res jam certa est, & conclusi Juris, Patrono laico ad præsentandum quadrimestre tantùm competere, *ex dicto cap. cum propter 27. de Jure patr. ex cap. un. §. verum de Iure patr. in 6. ibi: verum licet Patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre.*

Et quod videbitur admirabilius, quadrimestre tempus adversus Patronos elabitur, tametsi inter ipsos discordiæ litium exarserint, expresso Textu in *cap. cum propter 27. de Iure patr.* ibi:

99 „ Si de Jure patronatus quæstio emerserit inter
„ aliquos, et ab eo, cùi competit, infra qua-
„ tuor menses non fuerit diffinitum, ex tunc Ec-
„ lesiam ipsam de persona non differas idonea
„ ordinare; ita quod illi ex hoc non debeat
„ impostèrum præjudicium generari, qui Jus
„ evicerit patronatus.

100 Jam, quomodo Textus hic intelligatur, videamus. Quid significat in Textu illud, *de persona idonea non differas ordinare?* Significat ne, ut œconomum Episcopus constituat? Nihil tale. Significat, Episcopum etiam invitis Patronis de Beneficio posse providere. Ratio est, quia qui ex Patronis jus se habere potat, de Jure, & de facto poterat præsentare, ita *Vallensis L. 1. de Ben. Tit. 4. n. 14. Vvamesius conf. 469. n. 11. & conf. 6. 9. Tomo 2.* Sed nondum elucidata remanent Textus prædicta verba. Providebit ne Episcopus, salvo tamen Jure præsentandi ei, qui vicerit in causa? Ad hanc interrogationem respondeat diversimodè Interpretes. Quidam docent, pro illa vice provisum ab Episcopo non esse a victore præsentandum, ita Glossa *in cap. cum te de Iurepatr. Abbas in cap. t. n. 3. hoc Tit. & in cap. cum vos verbo œconomus de off. Ord. Innocent. in cap. 1. n. 2. hoc T. Selva 3. p. q. 59. Praxis Episcop. P. 1. verbo Iurispatr. §. 5. Hostiensis & Gesfr. in summa hujus Tit.* Quidam alii, a victore provisum esse præsentandum, opinantur, & id verius esse, docet *Pax Iord.* L. 10. *Tit. 7. n. 359.* ob Textum literalem *in cap. si vero vers. fas tibi de Iure patr.* ibi: *fas tibi sit appellatione remota, in eadem personam idoneam instituere. Ita quod representetur ab eo, qui Ius evicerit patronatus.* Esto ita se res habeat; adhuc est aliquid veluti obvolutum in obscuro in ea Textus sententia. Finge enim, Patronos duos jam præsentasse; sed lis nascitur inter eosdem, uter potiorem vocem habeat, cujus nam valida, vel invalida sit præsentatio, &c. an & in hoc casu poterit Episcopus, prætermissis Patronis, ut sibi libet, providere? Etiam in hoc articulo dissentiunt invicem scriptores. Expectandum esse ab Episcopo litis eventum, quidam censent, quos inter *Vivianus L. 7. cap. 3. n. 4. Barbosa alleg. 72. n. 140.* Alii ab Episcopo esse providendum, opinantur, ob Textum literalem *in cap. quoniam 3. hoc T.* ibi: *si autem sine scandalo esse nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam.* Sed verius esse, docet *Pax Iord. ubi supra n. 361.* ab Episcopo interim esse instituendum unum ex illis præsentatis, quem dignictem arbitrabitur. Quod si onus ex Patronis potentior impediat nimis, ne is instituatur, quem alter præsentaverit; & digniorem judicat Episcopus, & minus instituti possem, timet, cum magnum scandalum timeatur, deveniendum erit ad remedia, de quibus *in cap. 1. & 2. hujus Tit.* ut Episcopus claudat Ecclesiæ ostia, sublatis inde Reliquiis; ut factum ministerium nullus in ea celebret.

Vides ex his explicationibus, intra quadrimestre, litigantibus Patronis laicis, Episcopum conferre; eumdem finita lite repræsentandum a victore in causa, & secuta ante lite Patronorum præsentatione, Episcopum adhuc lite gliscente, digniorem instituere. Ergo supponit Textus explicatus litem inter Patronos; tunc ipse Episcopus, nulla Patronorum habita ratione, conferat. At si lis sit inter præsentatos, infertur, Textum, quem explicavimus, non procedere, sed expectandum esse ab Episcopo exitum litis, *Barbosa de un. Iur. L. 3. cap. 12. n. 172.* Itemque infertur, si lis oriatur inter Episcopum, & Patronum, posset enim œconomus in Beneficio, *Pax Iord. L. 10. Tit. 7. n. 363. ubi plures citat.*

Hoc quadrimestre concessum Patronis laicis prorogari tamen potest ab Episcopo etiam sine causa, quia non tractatur, nisi de ipsius præjudicio. Quemadmodum enim potest Superior non uti jure devolutionis, lapso hoc præfixo tempore, ut notat *Vallensis L. 1. Tit. 4. de Benef. n.* 101

14. ex

14. *ex cap. quoniam de Iure patr.* sic poterit differre tempus, *Vgolinus de off. Episcop. cap. fin. §. 1. n. 4. vers. 3. Paris. de Resig. L. 7. q. ult. n. ult. Barbos. alleg. 72. n. 143.* & ita praxim esse, tradit *Pax Iord. L. 10. Tit. 7. n. 345.*

101 Sed disputari, video, an hoc quadrimestre tempus a die vacationis currat, vel potiùs a die notitiæ ejusdem vacationis.

In puncto Juris defendendum, censeo, quadrimestre numerari a die vacationis, quamvis 103 praxis jam contrarium servet, ad tradita *per Garciam de Benef. P. 10. cap. 2. n. 34. per Barbosam alleg. 72. n. 134 per Vivianum de Benef. L. 1. Tit. 4. n. 12. per Cavalerium decis. 489. per tot. per Riccium collect. 119. per tot.*

Agnovit tamen sententiam, quam tueri aggredimur magis Iuri consonam *Vuamesius Tomo 2. cons. 471. n. 8. Rebuffus in praxi Benef. L. 1. Tit. de revol n. 5. Villaloboc T. 1. Comm. op. L. 4. Tit. 22. n. 125. Mancinus tripl. Iur. differt 9. cap. 7. Flores q. 3. n. 20. -* Agnovit *Rota Romana decis. 1. de Iure patr. in ant.* Quare olim in Romano auditorio sententia hujusmodi recipiebatur ut certa. Hodiè neglecta talis opinio quiescit; sed immeritò, ut jam paratus sum demonstrare.

Sic primum conficio argumentum. Quod Patronus ignoret vacationem, est impedimentum, quo dicunt excusari, ne ob ignorationem labatur tempus in ejus præjudicium. Atqui falsum est, tempus excurrere a die sublati impedimenti, & hoc jam ostendo, ex *cap. eam te de Iure patr. ex cap. 3. hoc T. ex cap. si vero ex cap. cum propter ib.* quibus in locis decernitur, & si litigent Patroni, tempus excurrere præfixum præsentationi; quid tamen justius impedimentum lite? *cap. 2. de rest. in int. & toto Tit. ut lite pend.* Ergo æquè falsum est, tempus præfixum incipere a notitia vacationis.

Secundum argumentum fit, quod cum favor concurrit alterius, tempus licèt ignoranti currit, ut est exemplum in *L. genero, ff. de his qui not. infam.* atqui favore Ecclesiæ sic tempus perstrictum est, ut semestris, vel quadrimestris metas non excedat, ut notat *Mancinus ubi supra n. 10.* et quod favore Ecclesiæ contigerit temporis limitatio, ex eo constat, quia Patroni facultas, præsertim laici, quasi odiosa quadam servitus Ecclesiæ est, *cap. significavit de test.* ibi: *liberam, Glossa in can. pia mentis 16. quæst. 7.*

Tertio sic assumptum demonstro; si enim notitia Patroni initium est quadrimestris, vel semestris, cum Patronus erit absens, ut frequenter contingit, Patroni ignoratio diutissima pariter erit; ergo diutissimè vacabit Ecclesia, si interim erepta sit Episcopo facultas providendi. Tamdiù vacare Ecclesiam, tamdiu Episcopum impediri conferre, an canones permittant, velim dicant adversarii. Ego interim observo Textum *in cap. nulla §. cum verò de concess. Prab.* ibi: *non diù maneant in suspenso;* Textum *in cap. cum nobis, §. nos Ecclesia de elect.* ibi: *nec Ecclesia pariter, & persona providere volentes;* Textum *in cap. quia propter in princ. de el.* ibi: *& magna pericula imminent Ecclesiis viduatis*, Textum *in cap. ubi periculum de el. in 6.* ut sexcentas ejusdem generis authoritates omittam. Quod si ne vacet diutissimè Ecclesia causa publica est, si jus præsentandi, quo frui Patronus debet, causa privata; an non juris est constitutissimi, causam publicam præferendam esse privatæ? Ut ex *L. postliminium vers. filius ff. de capt. & postlim.* diximus in *L. 1. Tit. 16. n. 31. in expl. in cap. eam te de Iure patr.*

Quarto Textus quoque id confirmat in *cap. un. §. verum de Iure patr. in 6.* ibi: *Patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre dumtaxat:* Si a die notitię id intelligeretur, non esset dumtaxat quadrimestre, nam sex aut septem menses excurrere possent, antequam notitiam compararet Patronus; deinde eidem quadrimestre competeret. Et hoc esset quadrimestre dumtaxat? *Dumtaxat* est dictio taxativa, ejus natura est excludere casus alios, *Clem. 1. de seq. possess. cap. statutum §. in nullo de rescr. in 6 cap. 1. de Iur. jur. in 6. cap. 2. de tempor. ord in 6. L. nemo, C. qui testam. fac. poss.* latè *Cænedus singul. 18.*

Nunc audiamus, quibus ducti rationibus, contrariæ sententiæ Interpretes tam multi adhærendum censuerint.

I. Inquiunt contra nos. Episcopo etiam, instar Patroni, certum tempus ad conferendum præscriptum est sex mensium; atqui semestre tempus, non a tempore vacationis, sed notitię Episcopi, computatur, *cap. quia diversitatem de concess. Prab.* ibi: *non a tempore vacationis Prabendarum, sed notitia ipsius potius volumus computari*; ergo quod est in Episcopo constitutum, idem et in Pattono statuendum videtur.

Respondetur facili negotio, quamquam Lælius Mancinus ornatu quidem verborum, sed involutè, & parùm appositè difficultati satisfaciat *diss. 9. cap. 7. n. 12.* Dicimus itaque, discrimen esse, quia in nostra specie tractatur de limitatione temporis, quo elapso, res ad dispositionem Juris communis re ertatur, ut conferat liberè Episcopus, *can. regenda 10. q. 1. can. noverint ib.* ideò lata facienda est interpetratio, ut tempus excurrat ignoranti Episcopo; se mestre competit de Jure communi, *cap. nulla de concess. Prab.* At jus præsentandi Patrono competit ex privilegio, *cap. 3. de Iure patr.* quod facilius tollitur, *L. ejus militis, §. militia ff. de mil. testam.* Ita Crotus *in repet. Textus in cap. cum propter de Iure patr. n. 5.* respondet.

II. Auribus inculcant illud Juris theorema decantatum, neminem citra culpam indicta causa puniendum, *cap. sine culpa de reg. Iur. in 6 cap. intelleximus, de jud.* maximum id fore Patroni præjudicium; demum a benignitate Ecclesię id mirum quantum abhorret?

Dicta doctè, sed parùm efficacia ad suadendum

dum. Esto indicta causa Patronus puniri videatur; at non protinus judicandum id incoveniens, causa interveniente. Quæ nam causa in nostra specie? Nimirum ne Ecclesia sive Rectore, ut Patronus expectetur, diutissimè maneat, quemadmodum *in tertio argumento* dictum est, contra id, quod disponitur *in cap. quam sit de el. in 6.* Causa verò occurrente aliquem jure suo excidere posse, novum non est; *cap. quanto de divort. cap. quoniam, §. si verò ut lite non cont.*

III. Illa urgent subtili ratione, quod si litigantibus Patronis, dum tempus interim præfixum effluit, & providit Episcopus Ecclesiam, canones decernunt, finita lite ipsum provisum esse repræsentandum a victore in causa *cap. si vero de Iure patr.* Quid est hoc, nisi nolle Ecclesiam ullatenùs exclusos Patronos a præsentando? Et tamen, id contingeret, si, quæ nunc a nobis defenditur, opinio vera esset.

Respondet Crotus *ubi supra* negando quidem, in nostra specie Patronum negligentem, seu ignorantem, ut veriùs loquar, posse repræsentare institutum, seu provisum; sed ratio est, quia in alio casu non videtur excludendus Patronus ab hoc jure, cum jam Ecclesia non periclitetur. At si expectetur Patronus diutissimè, quia nondum paravit notitiam vacationis, carebit Ecclesia Rectore, quod ferendum non est, *cap. quam sit de el. in 6.* Mancinus tamen *ubi supra n. 18.* ait, quod et si Episcopus in nostra specie providear, erit provisus similiter a Patrono repræsentandus, *cap. si verò de Iure patr.* Insuper etsi provisum non repræsentet, vitat Patronus præjudicium; quia præter jus istud devolutum pro ea vice, conservat reliqua emolumenta, & jura Patronorum, *cap. eum propter de Iure patr.* ibi: *ex hoc non debeat imposterùm præjudicium generari.*

Amittit igitur unicum pro ea vice Jus præsentandi, quod tamen est interesse affectionis, non pecuniarium, adeoque vix attenditur, *cap. dudum de Præb. in 6.*

IV. Opponunt, quod non valenti agere dies non currit, L. 1. §. *ult.* & L. *ult.* C. *de annal. except cap. quia diversitatem de conceß. Præb. cap. ne pro defectu de elect.*

Sed jam responsum patet ex II. nostræ sententiæ fundamento prajacto, & similia levioris momenti, ex argumentis, quibus hęc jam abolita in Tribunalibus sententia fulcitur, per se concidunt.

[u) *Semestre.*

Sex menses Patronis Ecclesiasticis assignantur, ad præsentandum.

Tempus sex mensium Patronis Ecclesiasticis indulgent sacri canones ad nominandum, offerendumve Clericum, *cap. un. §. verum de Iure* 105
patr. in 6. cap. quoniam in fine, cap. eum propter ib. in decret.

Eleganter Gonzalez exponens Textum in *cap. eam te de Iure patr.* in quo semestre Patronis assignatur, eum accipit de Patronis Ecclesiasticis. Cęterum non desunt Interpetres, qui affirment, Textum *in d. cap. eam te* indistinctè Patronis laicis etiam semestre indulgere ad præsentandum; sed posteà fuisse correctum a posteriori canone *in cap. eum propter de Iure patr.* ut notat *Pax Iord.* L. 10. *n.* 359. Nam *in d. cap. eum propter*, illa distinctio inter Patronos laicos, & Patronos Ecclesiasticos exprimitur apertissimè.

Nunc, ut hos Canones Patronis Ecclesiasticis semestre decernentes explicemus; dicimus, simul ac aliquis est promotus ad Ordines, non proinde dici Patronum Ecclesiasticum; Patronus laicus erit interdum etiam Clericus, si ex bonis profanis fundata, constructa, vel dotata fuerit Ecclesia, ut jam supra diximus, & notavit ad rem nostram *Pax Iord. ubi supra n.* 327. Dicimus ulteriùs in patronatu Ecclesiastico, & laicali simul, idest mixto, sex menses Patronis etiam laicis indulgeri, *cap. unico, §. verum de Iure patr. in 6.* Nam magis dignus trahit ad se minus dignum; tum etiam quod est servanda paritas in una, eademque re, ut ratiocinatur 106
Zoesius ad hunc Tit. n. 46. Dicimus insuper in Ecclesiis Parochialibus, quæ sint Iure patronatus affectæ, Patronis aut quadrimestre, aut semestre minimè competere, sed proposito per Episcopum edicto pro concursu, Patronus intra decem dies debet nominare, *Concil. Trid. seß. 24. cap. 18. de Ref.* ibi: „ Porro Episcopus, & „ qui Ius patron. habet intra decem dies, vel „ aliud tempus ab Episcopo præscribendum, „ idoneos &c. nominet; ita observat *Pax Iord.* L. 10. *Tit.* 7. *n.* 355.

[x) *Variare.*

DISSERTATIO IX.

In qua, quid significet, laicos Patronos variare posse, expenditur.

Fateri debemus; nil temere canonica Iura disponunt. Videbitur aliquid interdum subobscurum; sed exploranti diligentiùs, quę mens po- 107
tuerit esse Legislatoris, se prodet summa providentia, summa ratio, atque consilium.

Ecce disponunt canones, laicum Patronum variare posse, nequaquam posse Ecclesiasticum. Textus est in *cap. pastoralis 29. de Iure patr. cap. eum autem ib. in cap. un. ib. in 6. Clem. plures, §. fin. ib.*

Et ne quid ignoretur, illud observandum proponit Tomassinus *de veteri, & nova Eccl. discipl. P. 2. Lib. 1. cap. 30. n. 26.* in Iure Civili variationem hanc admissam non fuisse, ut patet ex 108
Auth. de Sanctiss. Episc. coll. 9. Tit. 6. cap. 18. ibi: Si verò, qui ab eis eliguntur, tamquam „ indignos prohibent sacræ regulæ ordinari: tunc „ sanctissimus Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinare procuret. Ergo non datur juxta hanc Novellam Patrono variandi potestas

testas, cum si præsentatarus indignus appareat, alium instituere jubeatur Episcopus.

Sed non sine ratione variatio Patronis laicis permittitur, denegatur Ecclesiasticis.

Quænam hæc ratio? Hæc ferè omnibus vera, genuina, & intima ratio videtur; quia Patronum Ecclesiasticum minus decet instabilitas, seu variatio, *Clem. un. de Ren.* ibi.. Cum illusio, & .. variatio in personis Ecclesiasticis maximè sint .. vitandæ. Consonat Textus in *cap. publicato de elect. in can. dilectissimi* 8. q. 2. *in cap. nulli de el. in 6.*

Ideo, ut maturè deliberet, ut assequatur notitiam, an offerendus Episcopo sit dignus, qui admittatur, sex mensium intercapedo Patrono Ecclesiastico conceditur. Quæ ratio cessat in laicis, ac propterea quadrimestre illis datum &c. Ita Phœbeus *Inst. Can. hoc T. n. 7.*

109 Ego tamen, etsi videam, arridere summopera Gonzalez eruditissimo, posthabitis, rejectisque cæteris, hujusmodi rationem *in cap. quod autem de Jure patr. n. 4. & Zaesio ad hunc Tit. n. 45.* illi non possum subscribere, cum non cohæreat cum divisione Jurispatronatus. Dividitur Jus patronatus in Ecclesiasticum, & laicale. Laicales Patroni possunt esse etiam Clerici, si Jus patronatus fundatum sit ex bonis non Ecclesiasticis. Clericus Patronus laicus habet ad præsentandum quadrimestre, & certum est, eumdem variare posse, propter hanc Juris patronatus qualitatem, *cap. cum dilectus de Jure patr.* Vide nunc, an verum sit, ideò Clericos variare non posse, quia illos dedecet incostantia. Clericus est Patronus; Clericus tamen variare potest.

Alii rationem illam comminiscuntur; quia vid. electio respuit variationem, quia electus jus in re adipiscitur, *cap. quod sicut de elect.* Atqui Clericorum præsentatio vim habet electionis, non tamen præsentatio laicorum, quia laici eligere non possunt, *cap. ex eo de el. in 6.*

Refellitur hæc quoque ratio; quia gratis asseritur, præsentatum a Patrono Ecclesiastico acquirere jus in re, non tamen acquirere jus in re præsentatum a Patrono laico. Nullus id comprobans adduci potest Textus canonicus, ut fidenter asserit *Gonzal. ubi supra*, nullus canon plus juris tribuit quoad actum præsentandi Patrono laico, ut notat Crotus ad Textum in *cap. cum autem de Jure patr. n. 14.*

110 Vera igitur discriminis ratio, quam pauci observarunt, illa est, quia sacri canones respexerunt laicos Patronos ut magis Ecclesiæ liberales, ac benevolos, quippe qui bona temporalia, quibus & ipsi, & descendentes frui poterant, maluerunt Ecclesiæ elargiri. Per laicos Patronos maiorem nacta est conditionem Ecclesia. Per Patronos Ecclesiasticos nihil acquisivit, sed solùm translatio, commutatioque bonorum Ecclesiasticorum in alterius Ecclesiæ dominium facta est. An non præponderat liberalitas Patroni laici? Ergo æquum fuerat, ut laico Patrono plus etiam in quamdam remunerationem sacri canones concederent, elegans Textus *in cap. in officiis de testam. in cap. ad aures de reb. Eccl. al. vel non.* Atqui plus utique concesserunt, admittendo, ut laici Patroni variare possent. Melior ratio reddi non potest, ut ait *Crotus ubi supra*, qui sanè doctissimus Vir nobis præluxit. Quod enim sint canones Patronis laicis indulgentiores, comprobatur, quia permittunt Jura, ut Legatus possit conferre Beneficia Juris patronatus Ecclesiastici, in præjudicium Patroni; at non permittunt, ut possit conferre Beneficium Juris patronatus laici, *cap. cum dilectus de Jure patr.* Si quis nostram hanc explicationem non admittit, adducat, si potest, in hoc exemplo discriminis rationem. Quare, & hoc laicis Patronis indultum fuisse, ex canonibus antiquis discimus, ut Patroni nomen in eminentiori Ecclesiæ loco figeretur, utque ipsum ante oblationem Missæ recitaretur, *can. 19. Concil. Emerit.* ibi.. eorum .. nomina, a quibus Ecclesias, constat, esse .. constructas, vel quid iis Sanctis videntur, .. ut visi sunt contulisse si viventes in corpore .. sunt, ante altare recitarentur tempore missæ: .. quod si defuncti, cum fidelibus recitentur suo .. ordine.

Remanet ostendendum, genus esse majoris indulgentiæ, ac privilegii, ut Patroni laici variare possint. Hoc verò innotescet, si in quo consistat variatio, elucidatur.

Cum Interpetres distinctionibus quibusdam variationem explicent, ago, quo res tota noscatur ad evidentiam, canonum verba ob oculos constituam, & dicta Interpretum. 111

I. Successivè Patroni laici præsentare possunt, idest unum, post alium. Clariùs dicam. Si primus præsentatus a Patrono laico non erit admissus ab Episcopo, poterit Patronus laicus alium præsentare. Audi verba Textus *in cap. quod autem § de Jure patr.* .. Quod autem consulis, si .. Clericus idoneus, ad vacantem Ecclesiam præsentatus, non fuerit ab Episcopo Diœcesano .. admissus, & Postmodum alius idoneus præsentatus. resumit *Glossa verbo possidentis:* hoc .. intellige cum laicus præsentat, secus si Ecclesiast ca persona, cui taliter variare non licet. Ità intellexit etiam *Vallensis L. 3. de Benef. T. 4. n. 15.* dum ait.. At verò Patronus laicus intra .. tempus sibi præfixum non solum unum, aut .. etiam plures simul præsentare potest, sed etiā .. successivè plures. Et Rochus Curtius *de Jure patr.* verbo honorificum *n. 30. his verbis:* Nono .. quæro, an possit Patronus variare, seu præ- .. sentare plures successivè, & sic hodiè unum, .. cras alium? Dicas, quod sic, loquendo de .. Patrono laico. Nec etiam dissentit, ab hoc modo explicandi successivam præsentationem Petrus Gregorius in Syntagm. *Lib. 17. cap. 4. n. 11.* ibi.. Quia laici ante institutionem possunt .. variare, idest plures præsentare, alios, post .. alios. Mitto innumeros congestos a Viviano *L. 10. cap. 1. n. 1* ibi.. et aliū simul, seu successivè; ergo differt præsentare successivè, a præsentatione

tione

tione plurium simul facta. Addo Grananietum *in cap. cum te de Jure patron. n.* 3. dum ait: .. Et sic patronus laicus potest intra quadrimestre ante Episcopi institutionem variare, & .. plures successivè præsentare. Addo Aut. Burgos *in cap. quanto de Jud. n.* 7.

II. Repudiato ab Episcopo tamquam indigno, quem Patronus laicus præsentaverit, potest variare Patronus, alium rursùs præsentando. Hoc
212 deducitur *ex cap. cum autem* 24. *de Jure patr.* ibi: .. cum autem advocatus Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit postmodù, .. eo non refutato, alium æquè idoneum in eadem Ecclesia admittere, &c. Si ergò eum Episcopus refutaverit, Patronus alium potest præsentare. Textum ita intelligit *Petrus Gregor. L.* 17. *in Syntag. cap.* 4. sic inquiens .. Licita tamen .. variatio, si præsentet laicus indignum, & .. repudietur ab Episcopo, nam potest, & tunc .. intra tempus illi concessum alium præsentare. Lambertinus de Jure patr. id ipsum docet 1. *parte* 2. *Lib.* 4. *art.* 10. *quæst. pag.* 664. dum ait, hanc fuisse mentem Legislatoris permittentis variationem, *uti Patronus emendare possit, quod malè gessit:* Ratio est, quia tunc Patronus recedit a prima nominatione cum causa, quod permittitur, ut ait Vallensis L. 1. *de Benef. Tit.* 4. *n.* 15. Ratio altera; quia, ut loquitur Innocentius, *in cap. cum vos de off. Ord. ante num.* 1. §. *vel dic:* .. licèt Patronus laicum præsentet minus idoneū, .. non tamen transfertur potestas providendi ad .. Episcopum; quidquid in hanc rationem scripserit *Cevallos in spec. opin. comm. con. comm. q.* 659. repugnat enim *Glossa in cap. cum vos verf. idonea de off. Ord.* quam communiter receptam dicit *Antonellus de tempore leg. L.* 3. *cap.* 15. *n.* 14. Et proinde quod si Episcopus repudiaverit præsentatum, quem ipse arbitratur indignum, possit Patronus laicus redordiri præsentationem, docuit etiam *Cabassutius Scientia Can. L.* 2. *cap.* 6. *n.* 4. his verbis .. *Patronis laicis conceditur* .. variare, ac retractare primam suam nominationem, ad alterum præsentandum, sive quia .. Ordinarius primam ejus præsentationem noluerit admittere, cap. pastoralis de Iure da.. tron. &c. Et in una Bononien. Parochial. 24. Novembr. 1595. coram Lita *apud Garciam p.* 5. *cap.* 9. *n.* 213. fuit decisum non posse Patronum laicum recedere a prima *sine causa;* ergò cum causa potest, ut cum repudiatur præsentatus. Tandem, ut alios omittam Interpretes id ipsum docentes, pro expositione Textus *in d. cap. cum autem ut Barbos. de Jure un. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 176. utque appareat, quàm menti canonum talis expositio cohæreat, adducam alium Textum, & quidem clarissimum *in cap. pastorali* 29. *de Jure patron.* ibi .. Postulasti edoceri an Clericus ad ali- .. quam Ecclesiam a Patrono laico præsentatus, .. si Diœcesanus Episcopus ipsum non duxerit .. admittendum, aliquid juris assequatur in illa. .. Et si forte (& infra) idem Patronus alium .. curaverit præsentare (& infra) dicimus, quod .. institutio præsentati 2. loco a laico Patrono .. robur obtinet firmitatis.

Oppones, quod Patronus dignum præsentare debet, etsi indignum præsentet, excidit pro ea vice Jure præsentandi, ergo contingere non potest in sensu explicato variatio.

Antecedens probatur ex *cap. cum in cunctis* juncto *principio cum* §. *Clerici de elect. ex cap. cum Vinton. ib. ex cap. innotuit eod Tit. Rochus Curtius verbo honorificum de Jure patr. n.* 16. *Pax Jord. L.* 10. *Tit.* 7. *n.* 326 *Barbosa de off. & pot. Episc. alleg.* 71. *n.* 170.

Pro responsione, sciendum est, non defuisse, qui distinguentes inter Patronum Ecclesiasticum, & laicum, existimaverint, Patronum Ecclesiasticum privari præsentandi facultate, & devolvi liberum conferendi jus ad Episcopum, si indignum præsentasset; At excusari Patronum laicum, eique, inhabilitate præsentati comperta, variare licere alium præsentando, quos inter ita censuit *Baldus in Margarita verbo Patronus.* Ratio est, quia prolixius tempus conceditur Patrono Ecclesiastico, ut cognoscat, quis habilis sit; Patronus laicus dignus est excusatione, cui quadrimestre tantùm indulgetur, ita *Zoesius ad hunc Tit. n.* 45 *Petrus Gregor. in Syntagm.* L. 17. *cap.* 4. *n.* 12. Clerici enim magis discernere debent. Et planè hac de re Textus expressus videtur in *cap. cum vos* 4. *de off. Ordin.* ibi .. Quandoque .. personę vobis minus idoneę præsentantur. Quid tum postea? An liber. conferet Episcopus? Imo ait Textus, quod interim ponendus est œconomus, donec nova præsentatio fiat, lite finita. Quid clarius? Et proinde id disputando tandem concludit etiam Crotus *in cap. quicumque de Jure patr. n.* 2. *& seq.*

Quamquam verò non sit omnino admittenda hæc responsio; non tamen omnino repudianda. Quare dicimus, quod si scienter indignum Patronus laicus præsentet, excidit pro ea vice Jure suo. At si per ignorantiam, rursùs præsentare potest. Ita ex communi DD. sententia *Rochus Curtius ubi supra n.* 16. Quamquam primam responsionem approbet Vivianus de Jure patr. *L.* 6. *cap.* 7. *n.* 6. 7. 68. & 69. si agatur de indignitate non criminosa, ut ipse ait; at si Patronus laicus scienter indignum ob crimina præsentaverit, tunc excidet facultate præsentandi pro ea vice, ut idem *n.* 71. & colligitur ex *Auth. de sanctiss. Episcopis* §. *si quis Oratorii coll.* 9.

III. Variare non potest Patronus laicus privativè, sed cumulativè.

Significat hęc celeberrima distinctio, quod 213
Patronus, dum variat toties, quoties voluerit, ut ait Vallensis L. 1. *Tit.* 4. *de Benef n.* 15. non potest recedere a prima præsentatione, privando per secundam præsentationem primo loco præsentatum jure, quod sibi acquisivit, petendi institutionem; tale jus namque obtinet, ut explicat Lotherius L. 2. *q.* 13. *n* 3. *de re Benef.* Ergo accumulatur per hanc variationem posterior præsentatio priori, *cap. quod autem, cap. cum autem*

de

de jure patron. Zoesius ad hunc Tit. n. 45. Et Episcopo integrum est, quem velit, eligere, Clem. plures, §. fin. hoc Tit. Gonzal. in cap. quod autem n. 4. quod vocatur etiam gratificari, Vanaxel ad hunc Tit. n. 24. omnibus existentibus paribus, aliùs potior est præferendus, ut ibid. Vanaxel Corradus in Praxi Ben. L. 4. cap. 2. n. 24.

Jam, ut revertar eò, unde discessi; cum talis variandi facultas concedatur Patrono laico, aut unico contextu plures præsentando variis, Clem. 2. hoc T. aut successivè, aut primo repudiato, alium offerendo, id tamquam singulare, tamquam privilegii genus reputandum est, est enim quiddam extraordinarium, & a Jure exorbitans, L. sicut C. de act. & obl. cap. quod semel de reg. Iur. in 6. ut eleganter Crotus in cap. propter de Iure patr. n. 9.

Prædicta tamen intelliguntur de variatione a præsentatione, non a nominatione, a qua etiam Patronus Ecclesiasticus variare potest, Ventriglia

114 T. 2. ann. 1. §. 3. n. 13.

[☧] Sui.

DISSERTATIO X.

Patronus se ipsum nequit præsentare. An Pater præsentare possit filium? Explicatur Textus in cap. ex transmissa de fil. Presbyt. & quædam limitationes expenduntur.

Cum statuitur in cap. per nostras de Jure patr. sui ipsius præsentationem esse inutilem, summa

115 ratione statuitur. Si inter dantem, & recipientem distinctio esse debet, cap. eum ad nostram de instit. si inter baptizantem, & baptizatum cap. debitum de Baptis. Cur non etiam inter præsentantem, & præsentatum?

Ratio est, quia ambitionem redolet se ingerere Ecclesiasticæ prælationis officiis, d. cap. per nostras, vers. cum igitur. Ambitiosus verò repellendus, can. in scripturis 9. q. 10. L. si quamquam, C. de Episc. & Cl. L. quia, ff. de Procur. notat Gonzales Glossa 2. n. 57. Igitur jure merito respuitur præsentatio sui ipsius.

Et hæc quidem regula est. Jam audiantur limitationes.

I. Limitatio regulæ est, quod si plures Patro-

116 ni fuerint ejusdem Beneficii, poterunt ex se ipsis unum præsentare argum. Textus in cap. cum jure de el. Quemadmodum Decuriones, etsi se ipsos tutores dare nequeant, unum tamen ex se tutorem creare possunt, L. ubi absens, ff. de tut. & cur. Electores, & si se ipsos eligere nequeant, unum tamen, ex se eligere valent, cap. ne pro defectu, cap. quia propter de elect. can. congregatio 56. q. ult.

Ratio est, quia in hoc casu Patronus se non ingerit, neque auctorizat sibi ipsi, ut notat Rochus Curtius de Iure Patr. §. honorificum n. 20.

II. Limitatio sic se habet, ut si unicus Patronus sit, possit illi de patronatus Beneficio provideri, non quidem per præsentationem propriam sed spontaneam Episcopi provisionem, Vinnesius Tom. 2. cons. 477. n. 7. Vallensis de Benef. L. 1. Tit. 4. pag. 47. Neque enim tunc provisio originem habet ab ipso Patrono, ut ratiocinatur Vivianus de Jurepatr. L. 9. cap. 9. n. 6. Aut etiam precari potest Patronus Episcopum, ut deputet, Vivianus ib. n. 5.

III. Limitatio vulgo traditur in filio. Pater filium suum præsentare non prohibetur, cap. consuluit de jure patron. ibi: non debet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias a parentibus suis fundatas propria auctoritate detineant; ergo nisi detineant propria auctoritate, de his provideri ad nominationem patentum poterunt.

Hæc illatio receptissima est, & vera; cum enim edictum de præsentando sit prohibitorium hic casus deductus per illationem, prohibitus non reperitur, remanet ergo eumdem censeri concessum.

Et ideò ita, per corollarium quoddam rectè infert ex illo Textu Glossa verbo propria Vallensis L. 1. Tit. 4. de Benef. pag. 47. idque in praxi usitatissimum esse, narrat Vivianus L. 6. cap. 9. n. 23. Barbosa de Iure un. L. 3. cap. 12. n. 197.

Ratio est, quia filius Patroni non debet esse deterioris conditionis, quàm extraneus quilibet, ne quod in remunerationem concedit Ecclesia, in odium retorqueri videatur, contra text. in L. quod favore, ff. de Leg. in reg. quod ob gratiam de Reg. Iur. in 6.

Ratio altera, quia caritas imprimis erga proprium sanguinem exercenda est, can. non satis dist. 66. cap. dilecto de Preb. can. omnino dist. 31.

Et probatur etiam ex cap. dilectus de Preb. ubi Cardinalis contulit Canonicatum nepoti suo.

Sed jam se offert occasio examinandi, an si pater ministraverit in Ecclesia, ad quam filius præsentatur, valida sit, & admittenda præsentatio, pro explicatione Textus in cap. ex transmissa de fil. Presb. 117

Sit nostra conclusio. Filius præsentari non potest ad Beneficium, quod Pater antea possederit. 118

Quam assertionem docent Gonzales cum pluribus ab eo congestis in cap. dilectus de fil. Presb. ultra quos addo Vannaxel. ad Tit. de fil. Presb. n. 8. Sannig. ad eumdem Tit. cap. 2. n. 7. Gargiam de Benef. part. 7. cap. 3. Gratianum discept. for. cap. 397. n. 24. Gonzalez Glossa 5. n. 33. Pacem Iordan. L. 10. Tit. 19. n. 45.

Probatur I. Auctoritatibus expressissimis, in cap. ex transmissa de fil. Presbyt. ibi.. ad dilecti filii .. nostri Abbatis de Castini præsentationem, in .. quoddam Ecclesiæ Beneficium de Viverton, ab .. eo sibi canonicè concessum, eum in præsen- .. ti recipere distulisti, eò quod quidam E. qui .. pater ejus dicebatur, in præfata ministravit .. Ecclesia. Sed an justè distulit Episcopus filiû præsentatum ad Beneficium paternum instituere?

Distinguit Textus. Si immediatè a patre Beneficium sic profluat in filium, inanis est præsentatio, at si media intercessit persona valida est præsentatio. Et similis est cum hac distinctione

Textus *in cap. ex tua de fil. presbyt. in cap. ad extirpandos ib. in cap. Michael ib. in cap. dilectus eod. Tit.*

Probatur II. Ratione. Nam non modo vera successio jure sanguinis exploditur, reprobaturque a sacris canonibus, *can. Apostolica 8. q. 1. cap. ad hac de decim. cap. 1. de Prabend.* huc pertinent, quæ diximus *hoc Lib. Tit. 32. n. 8. in expl.* verùm etiam quidquid successionis jure sanguinis imaginem, ac speciem præsefert, *cap. ad extirpandas de fil. Presb.* ibi: *ad extirpandas successiones a sanctis Ecclesiis, studio totius sollicitudinis debemus intendere, cap. ex transmissa ib.* ibi: *quod hic hareditariam in Ecclesia Dei destruit successionem.* Planè cum filius a Patrono præsentatur ad Beneficium paternum, si ab Episcopo instituatur: re inspecta solertiùs, jure sanguinis, aut successionis ad paternum Beneficium nequaquam vocatur. Attamen populo, qui ignarus, & negligens est, id quamdam successionis imaginem facilè præbere potest; ergo ad omnem scandali præcidendam occasionem, prout solliciti sunt canones, *cap. si quis de furtis*, hujusmodi præsentationem aversantur.

Neque adversatur I. Textus *in cap. consulvit* 119 *de Iure patr.* ubi auctoritate Episcopi, rectè, cum pater præsentat filium, a filio Beneficium impetratur, qui Textus antinomiam facere videtur cum Textu in *cap. ex transmissa de fil. presbyt.* directè contrario, ut notat *Gonzal. ib. in not.*

Responsio est ex Doctrina Rochi Curtii *de Iure patr. verbo honorificum sub n.* 48. valere dispositionem testatoris, ut semper præsentetur, qui sit ex tali agnatione, qui sit ex tali sanguine procreatus. Tunc verò Juris prohibitio succedendi parentibus in Beneficiis omninò cessat. At verò in d. cap. ex transmissa, agit Alex. III. de Jure patronatus libero, quo casu filius præsentari non potest ad Beneficium paternum.

Non adversatur II. Textus in *cap. non fine de arbitr.* ubi proponitur nepos institutus in Ecclesia, quam antea patruus detinuerat, ergo rectè sequitur præsentatio etiam ad Beneficium paternum. Consequentia urget, quia filiorum appellatione nepotes continentur, *L. juxta, ff. de V. S. L. liberorum ib.*

Resp. distinguendo; aut enim agitur de nepote ex fratre, & hic potest succedere in Beneficio avunculi, seu patrui; aut de nepote ex avo, & hic succedere non potest. Juxta quam distinctionem accipiendus est Textus oppositus, & Textus in *cap. ex parte 12. de off. deleg. in cap. accedens de accus.* Ratio discriminis est, quia nepos ex avo cum sit in recta linea obtinens Beneficium avitum præsefert detestabilis illius successionis jure sanguinis imaginem; cum verò agitur de nepote ex fratre, hic propemodum extraneus est, nec venit appellatione filii, verique nepotis. *Ita Garcias de Benef. part. 7. cap. 3. Rebuffus de Pacificis n. 12. 14.*

Aliam responsionem Gonzalez amplectitur in *cap. dilectus de fil. presbyt. n. 15.* asserendo, in odiosis, nepotes appellatione filiorum non comprehendi, *L. lege Julia 6. hoc ff. de ritu nupt. L. Patri, ff. ad L. Jul. de ad.*

Et ideò non repugnare ait, ut nepotes præsententur ad Beneficium avi, vel patrui. Imò id probari potest ex *cap. consuluit de Iure patr. juxta literam González*. Verba sunt: Consuluit nos „ tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de „ Clericis, qui Ecclesias constructas hereditario „ jure sibi vindicant, nec tibi volunt exindè res„ pondere, & de laicis, qui præscriptas Eccle„ sias filiis, vel nepotibus suis dare nituntur. Observo verba illa *hareditario jure*, quæ coincidunt cum verbis in *cap. ex transmissa de fil. Presb.* et tamen Patroni juxta hunc Textum nepotes rectè præsentant; nam solùm prohibet Textus, ne ipsi conferant propria auctoritate. Igitur ex institutione Episcopi, non obstante, quod videantur nepotes *hareditario jure succedere*, rectè iidem Beneficium assequuntur. Ac proinde prohibitio, ne filii præsententur ad Beneficium paternum, ad nepotes non extenditur.

Instabis in hanc responsionem ex *cap. quia 6. de Iure patr.* ubi apertissimè prohibetur, ne præsententur nepotes.

Respondetur, in hoc Textu tractari de his, qui simoniacè comparant Jus patronatus; cum per hanc detestabilem emptionem maxima fit illata injuria Ecclesiæ, *cap. de hoc de sim. can. si quis 17. q. 4.* tantùm abest ut Patronus emptor præsentare queat nepotem, quin potiùs nec filium, nec quemquam alium jus habet nominandi, nam Jus patronatus amittit, ut in fine decidit Textus.

Instabis adhuc in eamdem responsionem ex Concilio *Trid. sess. 25. cap. 15. de Ref.* ibi: *longissimè arceantur.* Quem Textum sacra Congregatio, prout notat *Vallensis de Benef. L. 1. Tit. 18 n. 10. Gallemart. ad Concil. Trid. n. 2.* intelligit, procedere etiam in nepote, propter verbum *longissimè*, quod excludit omnem personam. Atqui Concilium, nec dissimile Beneficium posse obtineri, statuit, a filio illegitimo in eadem Ecclesia ubi pater sit, vel fuerit, & si obtinuerit, cogitur illud resignare, vel permutare. Et Clemens VII. anno 1530. in sua Constitutione, quæ *in Bullario* est 36. prohibet, ne filius illegitimus mediatè, vel immediatè paternum assequatur Beneficium, cujus Bullæ meminit *Garcias P. 7. de Benef. cap. 1. n. 9. Pax. Jord. L. 10. Tit. 19. n. 15. Murga de Benef. q. 3. sect. n.*

Resp. Textus oppositos rectè procedere de nepote illegitimo. Hic planè excluditur a Beneficio paterno, vel avito, ex speciali ratione, quam Concilium adducit his verbis: *Ut paterna incontinentia memoria locis Deo consecratis, quos maximè puritas, Sanctitasque decet longissimè arceatur, non licet &c.* Ceterum nec omnis nepos excluditur; nam sacra Congregatio in una Bracharen. 17. Octobr. 1592. apud Gallemart hæc habet: *Congregatio Concilii causa alias maturè dis-*

discussa, *censuit*, *nepotem legitimum ex filio illegitimo non comprehendi decreto cap.* 15. *sess.* 25. & alia declaratio emanavit die 2. Martii 1508. quæ sic censuit: *Congregatio Concilii censuit*, *decretum cap.* 15. *sess.* 25. *minimè prohibere*, *ut nepos illegitimus ex filio illegitimo Beneficium*, *quod avus habuit*, *obtinere non possit*; & aliæ declarationes sunt apud Murgam *de Benef. sect.* 1. *q.* 3. & *seq.* & *Gargiam* ubi sup.

III. Obiicitur. Si præmoriatur patri filius, qui Beneficium habebat, potest presentari ad idem Beneficium, *Gloss. in can. Apostolicam* 8. *q.* 1. *Gonzalez ubi supra n.* 10.

Resp. quod etsi imago successionis in hoc casu non excludatur; attamen parentum successio sequitur turbato ordine mortalitatis, *L. nam etsi ff. de inoff. test.* & ideo, ut non admodum frequens, in Juris dispositione comprehensa non est, nec comprehendi censetur, quia Juris prohibitio, in qua versamur, odiosa est, & ideò restringenda, regula *odia de Reg. Jur. in* 6. Unde fit, ut sacra Congregatio decreverit, filium Clerici decreto Concilii præcitato non prohiberi, quominus tamquam Capellanus amovibilis deservire possit atque obtinere in Ecclesia, in qua ejus pater nunquam fuit intitulatus, ut loquitur Congregatio, cujus verba transcribit *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 19. *n.* 66 ut respondet *Rebuffus de Disp. super def. n.* 29. *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 19. *n.* 50.

IV. Limitatio traditur a Riccio in *praxi For. Eccl. decis.* 19. *n.* 216. ut scilicet procurator a
120 Patrono constituatur. Hic verò procurator virtute mandati poterit Clericum Patronum præsentare. Sed hæc limitatio est contra Jus, contra communem opinionem D. D. & quod Lege non cavetur, in praxi non habetur, ut ait *Baldus in cap nihil de el. n.* 15 & latè Riccius refellitur *a Corrado in praxi Benef.* L. 4. *cap.* 2. *n.* 18.

(y) Laicum.

Præsentandus ad Beneficium, an laicus esse possit.

Sic est, ut docemus in nostro *Tit.* Præsentandus debet esse Clericus. Laicus enim est incapax spiritualium, *can. si quis deinceps* 16. *q.* 7. *cap. causam de præscript.* Beneficium verò est quid spirituale, *cap. dilecto de Preb.* & ideò solis Clericis confertur, *cap. cum adeo de rescr. cap. ex literis de transf cap.* 21, *de inst.*

Hinc sequitur, nullam esse presentationem
121 laici, *Lambertin. de Jure patr. q.* 7. *art.* 2. *ad fin.* & *art.* 7. & 29. *Part.* 1. *Lib.* Sed ut faciliùs res hæc percipiatur, distinguendum est inter Nominationem, & præsentationem, prout distinguit *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 7. *n.* 379. *Ven-*
122 *triglia annot.* 1. §. 3. *n.* 13. *Tomo* 2. Nominatio est destinatio, seu electio presentandi facta Ordinario. Præsentatio est actus oblationis Clerici ad Beneficium vacans, ut optimè etiam distinguit *Marescot. var. resol.* L. 1. *cap.* 83. *n.* 9.

( ) Jam verò sic nominari, seu destinari potest etiam laicus, ut ostendit ex Rotæ decisionibus *Garcias P.* 7. *de Benef. cap.* 1. *n* 35. At præsentari laicus non potest, *si absolutè* præsentatio sequatur.

Nec temere verba illa subiunxi, *si absolutè*. Rursus enim distinguere oportet. Aut laicus presentatur in tempus habile, cum nempe erit 123
Clericus, & tunc laici presentatio valet. Aut nil dicitur, sed offertur Episcopo nondum habens primam tonsuram, & præsentatio nulla est, quia subsequens Clericatus, non retrotrahitur ad tempus præsentationis, *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. *Garcias P.* 7. *cap.* 1. *n.* 31.

Hinc intelligitur declaratio sacre Congregationis *ibid. apud Gargiam n.* 30. quæ sic censuit: „ Vicarius Capituli, Sede vacante, infra annum potest concedere, dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est præsentatus a patronis laicis ad Beneficium Ecclesiasticum Juris patronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat.

(aa) Servum.

Servus præsentari non potest, nec alii qui ordinari prohibentur.

Breviter de servis. Servi presentari non possunt, & si Baptismi undis regenerati fuerint; 124
nam adhuc servorum conditionem retinent, ad tradita a nobis *L.* 1. *Tit.* 7. *n* 4. *in expl*, & *Tit.* 22. *n.* 1. *in expl.* Nec quisquam ex his idcircò fit Clericus, nisi priùs manumittatur, *cap.* 1. 2. & 5. *dist.* 4. Quocirca Episcopus olim in sui consecratione admonebatur, ne quemlibet servilis conditionis ad Ordines promovere præsumeret, *cap. consuluit. de serv. non ord.* Tametsi cum promoveantur de facto ab Episcopo servi, etiam inconsulto domino, ad sacros Ordines, ingenuitatem adipiscantur, *cap. cum secundum de at.* & *qual.*

Tunc igitur servus præsentari poterit ad Beneficium, cum erit manumissus, & Clericali militiæ adscriptus, ut latè *Vivianus* L. 6. *cap.* 4. *de Iure patr.*

Eademque ratione illegitimi, irregulares, & criminosi, utpote qui ad tonsuram promoveri non possunt, *cap. per venerabilem qui filii sint leg. cap. accepimus de at.* & *qual. cap. ult. de tempor. ord. cap. quærenti de V. S. cap.* 2. *de Cler. pugnant in duello cap ult. de Clerico excom.* inhabiles quoque sunt ad presentationem, ut idem *Vivian. ubi supra.*

[bb] Extra.

DISSERTATIO XI.

Quo loci sit præsentatio facienda. Et disputatur, an similes actus peragi extra Diœcesim possint?

Principio sic statuo, presentationem esse actum voluntarium extrajudicialem, *arg. Text. in* 125
cap.

cap. concertationis 8. *de appell. in 6 Vivianus de Iure patr.* L. 8. *cap.* 1. *n.* 6.

Actus autem voluntarii explicantur per voluntariam jurisdictionem, non autem per contentiosam, L. *actus C. de Feriis*. Negat quidem, jurisdictionem sejungi, ac dividi in voluntariam, & contentiosam, *Lotherius de re Benef. q.* 2. fretus probationibus Cujacii L. 1. *Pauli ad edictum*, *& L. ult. ff. de jurisd.* qui satis convinci putat, contrarium astruentes ex *L. invito*, §. *tutoris datio*, *ff. de tutelis*. Attamen ex communiori scriptorum sententia verè jurisdictio datur, quæ voluntaria sit, Textus *in L. omnes* 3. *ff. de off. Proconf.* ibi: *habent jurisdictionem, sed non contentiosam, sed voluntariam*. Neque enim hæc redditur in invitum, ut contentiosa, *L. interstipulantem*, §. 1. *ff. de V. ob. L. fin. ff. de jurisd. omn. Jud.* L. 1. *ff. si quis jus dic. non obt.*

Cum igitur actus voluntariæ jurisdictionis fieri etiam extra territorium Judicis possint; ubicumque idem repetiatur, §. *servi Inst. de libert. L. emancipari*, *ff. de adopt.* Meritò dubitatur, an etiam præsentatio ritè, & legitimè extra territorium, & Diœcesim Episcopi facta intelligatur?

Sit nostra conclusio, præsentationem vali-
126 dam esse, quamquam fiat extra Episcopi territorium.

Quam sententiam docet *Vivianus* L. 3. *cap.* 1. *n.* 12. *de Jure patron. Gonzales in comment. Reg. Cancell. Glossa* 62, *n.* 6. *Lambertin. de Jurepatr.* L. 2. *P.* 3. *q.* 2. *princip. art.* 6. *n.* 1. *Oliva de Foro Eccl.* P. 3. *q.* 10. *n.* 11. *Antonellus de loco legal.* L. 1. *cap.* 12. *Covarr. L.* 3. *var. cap.* 20. *n.* 8

Probatur I. ex Textu *in cap. post electionem*, §. *quoniam de concef. Preb.* ubi Eboracensis Archiepiscopus in remotis agens (ut notat Glossa in casu) Archidiaconatum contulit. Litera Gonzales juxta *tertiam Collect.* hæc est *cum ad adven. fr. n. Eboracen. Archiepiscopi notitiam pervenisset, agentis tunc in partibus cismarinis*. Ergo valet collatio, quæ etiam in hoc Textu vocatur institutio, facta extra Diœcesim Episcopi.

Probatur II. ratione; quia actus voluntariæ jurisdictionis, utpote qui sine litis contestatione & contentione partium explicantur judicialem cognitionem non exigunt, nec opus est, ut judex pro tribunali sedeat, quod extra territorium facere non posset, *can. Episcopum* 9. *q.* 2. *can. si quem*, §. *si quis* 2. *q.* 3. ut observat *Oliva de for. Eccl.* P. 3. *q.* 2. *n.* 56. Ergo juramentum continens soli Deo factam promissionem absolvi extra territorium potest, quia non requirit causæ cognitionem, veluti requirit juramentum continens promissionem homini factam, & ideò hoc extra territorium relaxari non potest, *cap. per venerabilem de elect.* & aliud exemplum adducit Sanchez *L.* 3. *de Matr. disp.* 19. Aliud quoque habetur in *cap. qua fronte de appell.*

Idemque propterea de præsentatione concludendum est; optimè *Barbosa de off. & pot. Ep.* P. 3. *alleg.* 72. *n.* 126.

Neque obstat I. ea, quæ spiritualia sunt, ut 147
institutio ad præsentationem. Patroni, in Ecclesiis, aut Capitulis ad hoc deputatis fieri oportere, *can. in nomine dist.* 23. *can. præceptum* 2. *q.* 2. *can. convenior* 23. *q. ult. cap. cum terra de elect. cap.* 1. *de imm. Eccl.*

Respondetur enim, ad summum probari ex tam multis autoritatibus, præsentationem faciendam esse in loco honesto, non in loco, quem canones improbent, *cap. qua fronte de appell.* Cæterum etiam in cubiculo proprio Episcopus recipere præsentationem potest, aut sit extra Diœcesim, aut in proprio territorio, notat *Vivianus ubi supra n.* 31. *& seq.* Et dummodo Clerici subditi instituantur, *cap.* 4. *de Cler. peregr. & ibi Gonz.*

Neque adversatur II. Textus *in cap. quoniam de Jur. Patr.* ubi proponitur Patronos in præsentando dissentire; similis Textus *in cap. si verò* 5. *de Jure patr.* Ergo actus præsentationis non videtur jurisdictionis voluntariæ.

Dedita opera hanc excitavi difficultatem, ut limitationem conclusionis proponam. Si enim lis inter præsentantes insurgat, processus extra Diœcesim efformari non potest, neque extra territorium sententia pronunciari valet, cum sit actus judicialis, & contentiosæ jurisd. ut benè observat *Vivianus ubi supra n.* 28. *& seq* quomodo etiam responderi posse videtur *Zoesio ad hunc Tit. n.* 53.

(cc) *Se sistant.*

Præsentatio est duplex.

Duplex præsentatio; et ideò bis patroni se
coram Ordinario sistent. Una, quæ potius des- 128
tinatio præsentandi vocatur, præceditque veram præsentationem, *Ventriglia Tomo* 2. *in Praxi annot.* 1. §. 3. *n.* 13. *Pax Jordan. L.* 10. *Tit.* 7. *n.* 370 Alia, quæ vera præsentatio est, quam institutio subsequitur. Si de primi generis præsentatione loquamur; per hanc nominari potest absens, laicus, & similes inhabiles dummodò is, & præsens, & Clericus, & habilis pro actu perfectæ præsentationis sit redditus. Ex quo Doctores inferunt, per hanc minus solemnem, & imperfectam nominationem, præsentato jus non acquiri; Insuper Patronum quoque Ecclesiasticum a tali nominatione posse recedere, & variare, *Ventriglia ubi supra n.* 13.

(dd] *Descriptam.*

Adducitur formula perfecta, & solemnis præsentationis.

Forma præsentationis secundum *Concilium* 129
Trid. sess. 14. *de Ref. cap.* 13. *apud Campanil. in Diversorio Juris Can. Rubr.* 11. *cap.* 13. *n.* 295. *& Vivianum de Jure Patr. P.* 2. *L.* 8. *cap.* 7. *n.* 38. talis est.

.. Titius Patronus, seu in quasi possessione
.. Juris patronatus, seu Juris præsentandi exis-

tens,

.. tens, ad Ecclesiam N. vacantem per obitum .. &c. ultimi, & immediati Rectoris illius, extra .. Romanam Curiam defuncti, & infra quadri- .. mestre a Jure Patronis laicis concessum.

.. Constitutus coram vobis admodum Rev. D. .. Vicario Generali Illustriss. & Reverendiss. &c. .. Confidens, de bonis moribus, & idoneitate .. N. eumdem coram vobis presento, ad regimen .. prædictæ Ecclesiæ &c. Dominationi vestræ be- .. nè notum, & idoneum ad dictum Beneficium, .. & Ecclesiam assequendam præsentem, coram .. vobis existentem, & acceptantem, petens, .. dictam præsentationem per suos admitti, di- .. ctumque ita præsentatum ad dictam Ecclesiam .. institui omni meliori modo.

Qua formula audita D. Vicarius sedens de stylo dicit .. Visis, & auditis prædictis, prædi- .. ctam præsentationem admisit, si & in quan- .. tum, & successivè commisit, fieri edictum .. in forma, illudque in foliis locis affigi, .. præsentibus duobus testibus, & notario Can- .. cellatio, qui rogatur de prædictis omnibus, .. ea omnia penes acta Curiæ reponat. Cujus edicti forma ponitur in *cap. ult. de elect. in 6. Vivianus Lib. 9. cap. 2.*

130 Illud notetur, non admissa præsentatione ab Ordinario, præsentatum posse appellare, *cap. pastoralis de Jure Patr. Vivianus Lib. 10. cap. 5.*

(ee] *Intervenit.*

De derogatione Juris patronatus. Quid sit, & quando a R. Pontifice fiat.

131 Usitatissimum est, Rom. Pontificem pro summa, qua pollet auctoritate in rebus Beneficialibus, Juri patronatus derogare. Insistamus ergò in hoc articulo, tam necessario, & videamus, quid sit derogatio, & casus, in quibus a Romano Pontifice derogatur Juri patronatus.

Derogatio in hoc posita est ut Pontifex jus Patroni suspendat, *Caballutius scient. Can. L.*
132 *2. cap. 6. n. 16.* adeò ut pro ea vice Patroni, vel non præsentent, vel præsentent inutiliter, *Covar. in Practicis cap. 36.* Exemplum elegans est in *cap. dilectus 6. de officio Legati.* Prænestinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus cuidam Canonico Metensi Beneficium Juris Patronatus, nulla habita ratione patroni, contulit, & collatio valida declaratur ab Innocentio III. Quid fit hæc collatio, nisi derogatio Juris patronatus? Si Legatus a latere derogat Juri Patronatus, facilè percipitur, multò magis posse Pontificem derogare. Atque hunc Textum ad hoc expendit *Panormitanus ib. n. 4.* & similis est Textus in *cap cum dilectus 28. in princ. hoc T.* quem notat in præsenti articulo *Vanaxel ad Titul. de Jur. Patr. n. 33.* Nec mirum videatur, si talis contingat derogatio. Non possunt queri laici, quippe Jus patronatus habent ex mera gratia Pontificis, *cap. 1. de Jure patr. & ibi Bereus n. 1.* Pontifex autem in Beneficialibus est dominus absolutus, *can. cuncta per mundum 9. q. 3. Zoesius ad hunc Tit. n. 66.*

Sed quia sine causa ad talem derogationem deveuire Pontifex non solet, iam de his causis cognoscendum; quæ ut facile intelligantur, distinguendum est; aut enim Pontifex derogat in parte, aut derogat in totum. Derogat in parte cum fuit aliquis a dimidio Patronorum præsentatus; ut lites tollantur, & celeriter provisio Beneficii contingat, Pontifex rationem habet ejus medietatis Patronorum, qui præsentarunt; Juri aliorum non concurrentium in præsentatione ipsa derogat; & hæc est magis frequens derogatio Vivianus L. 15. *cap. 1. n. 19.* Effectus est, ut considerentur tamquam soli Patroni illi, qui præsentationi consenserunt. Ergo in provisione Apostolica ponitur clausula: *dummodò consensus medietatis Patronorum accedat*, quæ non conditionalis, sed modalis est, & ponitur ad validitatem provisionis completæ, & purè factæ, *cap significasti de elect. cap. significatum de Præb. cap 2. de el. in 6.*

Derogat etiam ad lites vitandas pro duabus tertiis partibus totius Jurisp. Mandosius *de signat. grat vers. aliquando pag. 8.* quod non tam frequens est.

In totum derogari potest a Pontifice Juri patronatus laicorum: veluti cum præsentatur unus Patronus, aut filius, *Mandosius ubi supra*, nec enim dici potest, spretum fuisse Patronum, ut videtur prohibere Textus *in cap. decernimus 16. q. 7.* Quod verum est, nisi sit conventio alternis vicibus præsentandi, *Vanaxel hoc Tit. n. 35.* Similiter in totum derogat Pontifex, cum Beneficium patronatum vacat apud sedem, *cap. 2. de Præb. in 6.* Pari eique si Beneficium patronatum ex præscriptione, vel consuetudine, vel privilegio vacat in uno ex octo mensibus reservatis in *Reg. 8. Canc.* libere confertur a Pontifice, perinde ac si tacitè illi esset derogatum, *Gonzal. ad Reg. 8. Gloss. 19. n. 92.* Tandem si Beneficium in Curia Romana sit litigiosum, parùm refert, esse patronatum: Confertur enim a Pontifice, *Covarr. ubi supra n. 7. & 8.*

(ff) *In capita.*

Cum Jus patronatus est gentilitium, Patroni præsentant in capita.

Ità est: Patroni, cum Jus patronatus est gentilitium, præsentant in capita, *Gratianus disc. forens. cap. 552. n. 23. & cap. 675. n. 7. Franc. decis. 85. Duran. decis. 438. per tot. Rot. Rom. P. 18. recent. decis. 667. n. 8. Gonzalez in cap. 3. hoc T. n. 6.*

At quid significat præsentare in capita? En verba Pacis Jordan. L. 10. Tit. 7. *de Jure patr. n. 135. Dicitur autem præsentatio in stirpes quando plures succedentes uni habent unicum votum in præsentatione. In capita verò, quia quot succedentes, tot vota.* Idemque dixit Gratianus dicta *discept. 552. n. 23.* Ad similitudinem ejus, quod dicitur de hæreditate. Succedius enim in

C...

capita, & in stirpes. Successio in capita fieri dicitur, cum omnes succedentium personæ partem habent hæreditatis, L. 1. §. hac hæreditas 2. ff. de suis, & leg. Novella 118. cap. 2. §. si vero. At in stirpes fieri dicitur successio: cum pro numero stirpium, unde personæ succedentes descendunt, partes hæreditariæ constituuntur: ita ut qualibet stirps partem suam ferat, non habita ratione multitudinis, vel paucitatis personarum, *Ritbersusius in exposit. Nov. Iust. P. 7. cap. 1. n. 8.*

Eodem pacto in Jure patronatus gentilitio, idest familiari, qui succedunt, omnes jus habent præsentandi, vocemque suam, ut colligitur *ex cap. quoniam 3. hoc T. ibi: fundatores Ecclesiarum, aut heredes eorum &c. plures repræsentant.* En quod omnes habent suam vocem ob fundationem, & planè, id de patronatu familiari accipitur, ut hunc Textum intelligit Glossa in Clem. plures *de Iure patr. verbo plures vers. scilicet ut quot.*

Non repugnat tamen, quin fieri possit præsentatio in stirpes, quamvis Jus patronatus sit gentilitium, *Pax Iord. ubi supra n. 133.*

Et quamquam in Jure patronatus Gentilitio verum sit, succedere omnes de familia, id ta-
234 men ità intelligitur, ut is de familia succedat primum, qui pro tempore est proximior fundatori, *L. cum ità §. in fideicommisso, ff. de Leg. 2. optime Lotherius de re Benef.* L. 2. q. 11. *n. 124.* nisi diversus sit fundationis tenor, ut *n. 129. observari, monet ipse Lotherius.*

Imo adeò verum est, in Jure patronatus gentilitio præsentari in capita, ut puerorum, quoque, & mulierum innuptarum ratio habenda sit, in computatione votorum, quia ad ipsos quoque pertinet Jus patronatus, Vivianus L. 4. *cap. 10. n. 24.* Præsentat enim eo casu ejus tutor, latè *Rochus Curtius §. competens n. 12. 13. 14. & seq.*

[gg] In stirpes.

§ Patroni in Iure patronatus hæreditario præsentant in stirpes.

Insignis quidem differentia est, & notatu digna inter gentilitium, & hæreditarium patronatum. In gentilitio præsentatur in capita. At verò in hæreditario præsentatur in stirpes. Videamus de hac præsentatione in stirpes.

235 Audiantur verba *Clem. plures de Iure patr.* Plures ab une ex Patronis *Ecclesiæ relicti heredes vocem dum taxat unius habebunt in præsentatione Rectoris.* Quæ verba simul explicantur, quid sit præsentare in stirpes. Cum plures loco unius præsentant, unam vocem habent, unam nominationem; atque id in praxi receptissimum est, *Rota parte 12. recent. decis. 204. per tot. & decis. 400. & part. 13. decis. 73. n. 15. & decis. 103. per tot. & decis. 237. per tot. & decis. 273. p. 14. recent. Bichius decis. 206. per tot. Rota. part. 16. recent. decis. 452. n. 17. & part. 17. decis. 99. per tot.* Eamdemque Clementinam fuse explicat *Maranta Contr. P. 5. resp. 30. per tot.*

Cum verò succeditur in plures partes hæreditatis, non propterea hæres habet pinguius votum, nec plures voces, nisi aliud de mente testatoris appareat, *Gratianus discept. for. cap. 645. n. 7. per tot.* Etenim non pertinet ad hæredes Jus patronatus secundum portiones hæreditarias, ut definivit ipsa *Clementina*, antequam Tancredus, Bernardus, Joannes Andreas in *cap. 1. de Iur. patr.* contra sentiebant; prævaluitque sententia Hostiensis asserentis, non pertinere ad hæredes Jus patronatus pro hæreditariis portionibus. Quæ doctrina principiis Iuris consonat. Nam plures habentur loco unius *cap. pastoralis de rescr. cap. licet 47. vers. statuit, de test.* L. *filia 28. §. 1. ff. de cond. & dem.* L. *si cui fundus, ff. de cond. & dem.* Procedit autem prædicta Clement. sive hæredes sint sui, sive extranei, sive masculi, sive fœminæ, ut optimè notat *Rochus curtius §. ipse velis n. 5.*

Sed cum dicimus, omnes hæredes pro uno haberi, attamen omnes ad eam unicam vocem componendam sua vota habent, & pro Episcopo unius censetur præsentatio, ad quam unicam nominationem vota plurium concurrunt, ut optimè *Rochus Curtius ubi supra n. 6.* Et sufficit, hanc unicam vocem esse apud majorem partem, ceteros, qui minores numero Patroni sunt, dissentire, nil refert, idem *Rochus Curtius n. 6. & 7.* Quod enim efficit major pars universitatis, id fecisse totam universitatem, censetur *L. cum major, ff. ad municip.*

[hh] Institutio.

De Institutione post præsentationem.

Plura de institutione dicta sunt *supra hoc T. n. 17.* quid sit, & varii significatus sunt explicati.

Nunc addo, solum Episcopum posse instituere, *cap. ex frequentibus de Inst. in 6. cap. cum satis de off. Archid. Clem. plures de Iure patr.* 236
Nec opus est consensu Capituli, *cap. nobis de Iure patr.* ut eum Textum expendit Vivianus L. 12. *cap. 2. n. 3.*

Item hanc potestatem habet Vicarius habens generale mandatum, d. *cap. ex frequentibus.* Sede quoque Episcopali vacante, instituere potest Vicarius capitularis, *cap. 1. de Inst. in 6.* huc conferunt a nobis dicta *hoc Libro Tit. 21. n. 72.* Et dicitur habere Episcopus intentionem fundatam circa jus instituendi, *can. omnes Basilicæ 10 q. 7.* Inferioribus quoque Prælatis jus instituendi potest competere ex privilegio, ex præscriptione immemorabili, seu consuetudine legitimè præscripta, *cap. 2. & 3. de Inst.* Et Capitulum Pisanæ Primitialis habere jus instituendi, narrat *Vivianus L. 2. cap 3. n. 14.*

Forma institutionis, si quæritur; hæc solo verbo fit, sed ei coniungitur investitura. Utrumque, jam explico: solo verbo fit; cum vel Episcopus, vel ejus Vicarius, inquit: *institu*

Jacin-

Iacintum Clericum hic præsentem, & præsentatum a Petro, &c. Patrono in Rectorem Beneficii, seu Altaris, &c. in Ecclesia Sancti &c. Additur investitura. Quia post ea verba sic resumit ille, qui instituit: *& de dicto Beneficio* eumdem *Iacintū per annuli, vel birettiimpositionem*. Adeoque simul coniungitur institutio, & investitura nonnullis in locis investiendus, emittit professionem fidei, & homagium, ut Florentię *Sannig. ad L.* 3. *Tit.* 8. *cap.* 3. & de illis investituræ symbolis, annulo, vel traditione bireti Textus est *in cap. ex ore de his, quæ fiunt a major. part. cap.*

Duplex autem est institutio. Alia auctorizabilis, alia collativa. Auctorizabilis illa est, per quam Episcopus alicui committit animarum curam, postquam ab alio, quam ab Episcopo proprio collatio Parochialis facta est, vel ex privilegio, vel ex consuetudine. Idem namque, cui Parochialis commissa fuit, non habet potestatem conferendi sacramenta, & administrandi cum cura, nisi auctoritate Episcopi intercedente, *cap. in Lateranensi de Præb. cap. un. de Capell Mon. in* 6. *cap.* 2. *de at. & qual. cap.* 54. *de el.* optimè *Lotherius* L. 2. *de Benef. q.* 25. *n.* 12. & 13. Ratio intima est. Quia curam animarum committere Episcopis reservatum est ingratiam eorum, & ratione Ordinis Episcopalis, *can. nullus* 16. *q.* 7. *Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 18. *Gonzal. in cap. cum satis de off. Arch. n.* 4. Et ideò licèt institutio collativa ram præscriptione, quam consuetudine acquiri possit ab inferioribus Prælat. *cap. cum venissent de Inst. cap.* 2. *de excess. Præl. cap. auditis, cap. cum olim de. Præser. cap. referente de Præb.* Non tamen hęc ab inferioribus Prælatis quæri potest, *cap. cum satis de off Arch cap. un. de Cap. l. Mon. in* 6.

Collativa iustitutio ea est, de qua inpræsentia tractatur, & ad Episcopum pertinet de Iure communi, *cap. ex frequentibus de Inst. can. nullus* 16. *q.* 7. *cap. cum vos de off. Ord. can. ad regendam* 10. *q.* 1. *cap.* 1. *de Inst. in* 6. *cap.* 1. *de Iure Patr.*

Antequam detur institutio, etiam nullo existente contradictore, ille, qui debet instituere, ex officio discutiet totum negotium, & cognoscet de iuribus Patroni præsentantis, & Clerici præsentati, *cap. ult. de el. in* 6. ut innotescat, an Beneficium sit liberę collationis, *Vivian.* L. 11. *cap.* 1. *n.* 15. & 17.

(ii) *Comparabit*.

De possessione Beneficii, ad quod Clericus fuit institutus.

Per institutionem non transfertur in institutum corporalis possessio Beneficii. Acquiritur quidem ius in re *cap. si tibi absenti de Præb. in* 6. *cap. ult. in fine de conces. Præb. in* 6. non tamen possessio, quæ de Iure communi, post institutionem factam ab Episcopo, debet tradi ab Archidiacono, *cap. ad hæc, cap. ut nostrum de off. Archid. can. si pluribus* 63. *dist. can. perlectis* 25. *dist.* optimè Gonzales, qui explicat Textum, qui videtur antinomiam facere in *cap. licet de Præb. in* 6. asserens ibi: *verbum institutionem* accipi pro collatione; Textum quoque alium Gonzales exponit *in cap. proposuit* 8. *de Cler excom.*

In praxi notat *Vivianus* T. 13. *cap* 1. *num.* 3. usitatum esse, ex consuetudine ubique recepta, & inveterata, ut institutus, sive ejus procurator habens ad id speciale mandatum, accedat personaliter ad Beneficii locum, & Ecclesiam, seù Capellam, & de manu alicujus Clerici corporalem possessionem apprehendat, & ità solet apponi in literis institutionum, *Lambert. de Iure patr.* L. 2. P. 3. *q.* 11. *art.* 6. Apprehendit autem possessionem institutus, cum sedet in sede Rectoris, tangit altare, pulsat campanas, januam aperit, & claudit; per quam censetur quoque apprehensa possessio omnium bonorum spectantium ad Beneficium, *Vivianus ubi supra*, qui decisiones Rotæ Romanę ad comprobationem adducit, *Zoesius ad Tit. de Inst. n.* 4.



DE

DE CLERICIS
NON RESIDENTIBUS.
TITULUS. XXXIV.



I quis vult esse Pontifex, non tam vocabulo, quàm merito imitetur Moysem, imitetur, & Aaron; ait D. Hieronymus *super Levit.* Quid enim dicitur de iis? Quod non descendebant de tabernaculo Domini. Et generatim statuunt canones, cum Beneficia ad explenda officia Divina noscantur instituta, *cap fin. de rescript. in 6.* nullum ad Ecclesiasticum Beneficium asumi, qui in loco ejusdem Beneficii per se residere, curamque demandati officii non valeat exercere, *cap. 3. & 4. Tit. de Cler. non res. cap. ad hęc de Preb. can. singula dist. 89.* Non distingunt quod, aut quale sit Beneficium: etiam modicum *(a)* exigit residentiam, *cap. conquerente, cap. inter cetera de Preb.* Consuetudo tamen generalis simplicia exemit ab omni residentia, *Dartis Tract. de Benef. sect. 11. cap. 1.*

Jam de pœnis non residentium. Distinguendum Jus antiquum, a Jure novo Conc.Tridentini,cōtra Clericos non residentes. Quod attinet ad Episcopos, hi tam affigi, & adglutinari debent suo gregi, ut nec metu persecutionum deterriti fugam possint abripere, *can. suscitaris 7. q. 1.* Pimenium Amalphitanæ civitatis Episcopum foris per diversa loca vagantem, nisi emendaretur, a Gregorio Pontifice Monasterio jussum est deputari, *can. pervenit 7. q. 1.* Ragusinus Archiepiscopus cum per quadriennium expectatus non reverteretur ad cor, novum eligi Archiepiscopum, prçcepit Innoc. III. *in cap. qualiter de Cleric. non resid.* Ecce quas pœnas imposuerint canones in Episcopos non residentes, detrusionem in Monasterium, & Episcopatus privationem. Sed novo Concilii Tridentini Jure *sess. 6. cap. 1. de Reform.* antiquis canonibus, qui temporum, atque hominum injuria pœnè abierant in desuetudinem, adversus non residentes innovatis, Episcopi sex mensibus extra Diœcesim morantes amittunt quartam partem fructuum unius anni fabricę Ecclesię, & pauperibus applicandam, per Superiorem Ecclesiasticum. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverint, aliam quartam fructuum similiter applicandam amittunt. Crescente verò contumacia, res erit Romano Pontifici denuncianda, ut in ipsos absentes animadvertatur, & Ecclesiis prospiciatur. Additum fuit insuper in *sess. 23. cap. 1. §. si quis de Reform.*

Reform. ut Episcopus non residens, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat. Hæc de Episcopis. Quod attinet ad Parochos, (*c*) aliosve curâ animarum habentes, in hos quoque, ut reflorescеret antiquæ disciplinæ decor, easdem præscripsit pœnas *Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 1. §. *eadem omnino*; addens, quod si Parochi absentes per edictum citati, contumaces fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem Beneficii, compelli possunt. Hactenùs de Parochis. Quod attinet ad eos, qui Canonicatum, Præbendam, Portionem in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinent, & non resident; ex Concilii pariter *Trident. sess.* 24. *cap.* 12. primo anno privatur unusquisque dimidia parte fructuum: eadem usus negligentia privatur omnibus, quos tali anno foret percepturus: crescente contumacia, privatur Beneficio, ex declaratione Cardinalium *apud Sanuig. ad hunc Tit. cap.* 2. *in fine*.

Non tamen immites sunt canones Ecclesiæ. Tres (*d*) Episcopis induciarum menses indulget Conc. Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* ut modo justa causa subsit, quot annis sive continuè, sive interruptè eo temporis decursu suis possint ab Ecclesiis abesse. Itemque omnes in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis provisi de Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, ac Portionibus, non possunt singulis annis diutius abesse, quàm tribus ad summum mensibus, *Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de Ref.* Parochis, aliisque curam habentibus non permittitur longior, quam bimestris absentia *Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de Ref.*

Dico rursus, immites non esse sacros canones. Excusant enim a continua residentia, cum evidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas, [*e*] Clericum alio se conferre, suasit, vel debita obedientia, [*f*] vel urgens necessitas, (*g*) vel Christiana charitas, (*h*) *Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform* Quibus causis addi etiam potest longæva senectus, [*i*] arg. textus *in cap un.* §. *qui verò de Cler. non resid. in* 6.

SUMMARIUM.

1 *Jure communi Beneficium quoque simplex exigebat residentiam.*
2 *Nec distinguitur, an sit tenue.*
3 *Ex historia, quando nam id exoleverit, ostenditur.*
4 *Explicatur Textus in* cap. inter de Cler. non resid.
5 *Idque jam consuetudine invaluit, ut simplicia non exigant residentiam.*
6 *Historica exempla Episcoporum, qui residendi obligationem evitabant.*
7 *Episcoporum residentia semper habita fuit necessaria.*
8 *Ut facilius Episcopi residerent, eligebantur ex Clero.*
9 *Ut residendi obligatio commemoraretur, bis anno quolibet Episcopis professio recitabatur.*
10 *Disputatur, an Episcoporum, aliorumque curam habentium animarum residentia sit Juris Divini.*
11 *Affirmativa sententia defenditur.*
12 *Hoc tamen Jus Divinum non est expressum, sed reductivum.*
13 *Contrariis occurritur.*
14 *An Pontifex dispensare valeat Episcopum a residentia.*
15 *Quibus fruatur privilegiis Episcopus residens.*
16 *Quibus pœnis non residens obnoxius sit.*

 17 *Paro-*

17 *Parochi residere debent.*
18 *Correctio Textus in* cap. cum ex eo de elect. in 6.
19 *Parochus absens tribus milliaribus a Parochia non dicitur residere.*
20 *Domum Parochia cogitur Parochus habitare.*
21 *Quibus pœnis coerceatur Parochus non residens.*
22 *Juxta canones antiquos sex mensium absentia permittebatur.*
23 *Aliquando etiam trium hebdomadarum.*
24 *Quid sit causa utilitatis, ex qua absentia permittebatur.*
25 *Ministerium quoque legationis refertur ad causam utilitatis.*
26 *Historica exempla proferuntur.*
27 *In aulis quoque Principum ex dispensatione Pontificis Episcopi morabantur.*
28 *Alia causa excusans a residentia est obedientia debita.*
29 *Quid hoc significet, explicatur.*
30 *Alia etiam causa excusans a residentia est necessitas.*
31 *Exemplis hæc causa explicatur.*
32 *Causa insuper excusans est christiana charitas.*
33 *Disputatur, an senectus excuset a residentia.*
34 *Affirmativa sententia defenditur.*
35 *Hæc probatur tribus argumentis.*
36 *Oppositiones enodantur.*

EXPLICATIONES.

(d) *Modicum.*

Beneficium etiam tenuis redditus exigit residentiam. Quid de consuetudine?

Inspecta Jutis communis dispositione, omne
1 Beneficium quantumcumque simplex annexum
habet onus residentiæ. Priscis enim Ecclesiæ sæculis, dum Ordines traderentur, quilibet attonsus intitulabatur. Titulus enim Ecclesia quędam erat, cui Clericus dedicabatur. Quare Capitulare Aquisgranense anno 780. in cap. 250. ibi: *ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronunciatione, & stabilitate loci, ad quem ordinatur*; latè Tomassinus *de veter. & nova Eccl. discipl. P. 2. L. 1. cap.*
2 2. 3. 4. 5. & 6. Hinc sequitur, non distingui,
an Beneficium sit tenue, vel lucrosum; hanc, qualecumque sit, exigit commorandi assiduitatem, *cap. quia nonnulli, cap. quia intantum de Cler. non resid. cap. ex parte de off. Vicarii, cap. pervenit de appell. cap. Sanctorum 70. dist.*, Petrus *Gregor. in Syntagm. L. 17. cap. 2. n. 12.*

Verumtamen illo temporis interstitio, quod
3 ab Alexandro III. ad Gregorium IX. ab anno
1180. ad annum 1230. elapsum est, invaluit distinctio Beneficiorum, quæ vel a compatibilitate, vel a residentia petitur, *cap. Clericos 17. de Cleric. non resid.* quem Textum expendit Tomassinus *de veteri, & Nova Ecclesia discipl. P. 2. L. 3. cap. 34. n. 3* Hæc novitas unde irrepserit, si quæritur; cum labefactata diù jacuisset Ecclesiæ disciplina, ubi primùm senescente sęculo XI. respirari cæptum est ab ea calamitate, & restaurari, quę collapsa fuerant, omnes quidem severe rursùs ad residentiam obligati fuerunt, veteresque canones renovati; sed cum altè descendisset ulcus, ut totum simul persanari posse desperaretur, curæ interim maximę fuit, ut saltem Parochi, & obtinentes in Cathedralibus, & Col-
4 legiatis residerent. *Tomassinus ubi supra.* Ex quo
explicatur interim Textus in *cap. inter 10. de Cler. non resid.* Ibi enim monuit Innoc. III. Patriarcham Constantinopolitanum, posse eum in non residĕtes animadvertere privatione Beneficiorum; at solas Ecclesias, & Beneficia expressit. Nec temerè, usu enim invaluerat, ut per Ecclesias intelligerentur Cathedrales, vel Parochiales. Eo sensu eam vocem usurpaverat Concilium Lateranense III. *can.* 13. ibi „ Nonnulli dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias „ *Parochiales* contrà canonum instituta nituntur „ obtinere. In Concilio autem Lateranensi IV. cum firmando canoni supradicto Concilii Lateranensis III. pęnæ decernerentur adversus pluralitatem Beneficiorum, damnata non est ea pluralitas, nisi in Episcopatibus, & Parochiis, in Dignitatibus, & Præbendis Capitulorum. Ergò his duobus Lateranensibus Conciliis non apertè quidem copia fiebat plura retinendi simplicia, nec in illis residendi; sed cum pęnæ non decernerentur, eo silentio, ea tolerantia, & impunitate quoad alia Beneficia patefactæ sunt fores Benefitiornm simplicium pluralitati, & licentiæ non residendi.

Exinde verò generalis consuetudo in omnibus 5
Ecclesiis auctoritatem, & vim suam videtur consecuta, ut residentiam simplicia non postulent. Quod Bonifacius VIII. indubium habens *in cap. 7. de Rescript. in 6.* distinxit Beneficia, quę simul teneri possunt, ab incompatibilibus. Et Sacra congregatio apud *Fagnanum L. 1. Decret. F. 1. pag. 126.* rescribens Episcopo Intemeliensi censuit, non posse ab eo Presbyteros simplicibus gaudentes Beneficiis cogi, ut in Diœcesi residerent.

[b) *Ad Episcopos.*

DISSERTATIO I.

De Episcoporum residentia, qualis exigeretur juxta canones antiquos; An profluat a Iure Divino.

Non defuerunt Episcopi, qui se considerent, 6
posse vinculum exuere residentiæ. Orientis enim

qui-

quidam Metropolitani residentiæ legis exsortes se putabant cum Episcopum sibi subrogassent; eamque vecordiam compressit Synodus VIII. Generalis *can.* 24. ibi .. Subiectos Episcopos ad se .. se adducunt, & committunt eis Ecclesiæ pro- .. priæ Divina officia, & litanias &c. Insuper Primatum, seu Metropolitarum Affricæ propria erat illa consuetudo, vel potiùs corruptela, ut quo vellent loco, in villis sedem haberent. At Gregorius præcepit, ut Urbem deligerent, in qua habitarent, L. 1. *epist.* 72. ibi . Ipse ve- .. rò Primas non passim, sicut moris est per vil- .. las; sed in una juxta eorum electionem Ci- .. vitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis .. meliori ingenio resistendi Donatistis possibi- .. litas disponatur. Et fortasse hoc intelligitur de vacante Episcopo, de quo est *can.* 16. Concilii Antiocheni, quem eruditè explicat *Emanuel a Schelestrate pag.* 373.

At quomodo nam se eximere possunt Epis-
7 copi ab hoc onere, si antiquissima est obligatio residendi? Aurea, & illustris, sed operosissimi servitus Episcopatum consectatur. Prioribus quinque Ecclesiæ sæculis necessaria semper fuit existimata, ut patet ex Synodo Nicæna *can.* 16. ex Sardicensi *can.* 8. 9 10. 11. 12. ex Eliberitano *can.* 14. ex Cartaginiensi V. *can.* 46. ex D. Cypriano de lapsis L. 4. *Epist.* 6. ex D. Ambrosio *epist.* 86. ex D. Augustino *epist.* 138. ex D. Athanasio *Apolog. ad Constant. Imper.* Nec minus necessaria Episcoporum habita est residentia posterioribus sæculis. Hinc ut faciliùs residerent Epis-
8 copi, eligendi erant ex ipsius Ecclesiæ Clero, in quem cooptari debebat flos Civium delibatus. Cives quippe præferebantur extraneis in delectu faciendo ad Ordines. Ex quo intelligitur, cur Zosimus Papa asserverit *epistola* 3. Lazzatum & Hærotem, extranei cum essent, & ignoti, Episcopos in Galliis creati non potuisse; ideoque ipsi designati, ea se abdicarunt Dignitate, ut in ea epistola narratur Intelligitur, cur Cælestinus Papa idem firmavit *epistola* 2. ad Episcopos *Galliæ cap.* 5. nec non etiam Leo Magnus *epistola* 84 *cap.* 6. Hilarius Papa Episcopis Hispaniæ idem inculcavit, ut ex Urbano Clero Episcopus deligeretur: *Barcinonensibus de suo Clero protinùs ordinetur Antistes* Julius Pontifex in ea ad Orientales epistola, quam suæ Athanasius Apologię II. intexuit, Arrianos ita increpat .. ubi .. istiusmodi Ecclesiasticus canon, aut traditio .. Apostolica in pace agente Ecclesia, & Epis- .. copis concordibus cum Episcopo Alexandriæ .. Athanasio immittere Georgium peregrinum, .. & exterum hominem, neque Alexandriæ, .. Baptizatum &c. Alia congerit Tomasiinus, *de Veter. & nova Ecclesia discipl.* P. 2. L. 3. *cap.* 35. *per tot.*

Sed ut officii sui memoria Episcopis refricaretur Concilium Parisiense anni 1212. can. 8. ju-
9 bet, bis anno quolibet curare, ut sibi publicè legatur professio, qua se illigarunt, dum ordinarentur; ibi .. statuimus, ut formam profes- .. sionis, quam in sua consecratione fecerint, .. saltem bis in anno, scilicet semel in Synodo .. & semel in Capitulo publicè legi faciant. Idemque statuit Concilium Londinense *anni* 1237. *can.* 22. ibi: *ad quæ omnia melius exequenda, professionem, quam in sua consecratione fecerunt, saltem bis in anno &c. faciant, sibi legi.*

Nec mirum. Nam testimoniis, & argumen-
tis in lectissimis astruunt Doctores, Episcopos de Jure Divino ad residendum obligari. Quo in 10
articulo jam & nos insistemus.

Assertionem, quod Episcopi residere teneantur de Jure Divino, hæc quæ subnectam, con-
vincunt. 11

I. Concilium Meldense *can.* 5. ibi .. Ut Epis- .. copi, qui plebes sibi concreditas raró, aut .. nunquam per se ipsos visitant, juxta ordinem .. Evangelicum (& infra) a Comprovinciali- .. bus Episcopis acrius corripiantur; de quo loco sic loquitur *Gonzalez in cap. 4. de Cler. non resid. n.* 10.: *nullus est æque idoneus, ad probandum, residentiæ obligationem in Jure Divino radicari.*

II. Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. .. Cum præcepto Divino mandatum sit omni- .. bus, quibus animarum cura commissa est, .. oves suas agnoscere, pro his sacrificium of- .. ferre, Sacramentorum administratione, ac bo- .. norum omnium operum exemplo pascere. Inde infert Concilium, ad residendi obligationem.

III. Probatur ex Concilio Bracharensi 4. *art.* 2. *cap.* 2. quod ad hoc expendit *Gallemart ad Concil. in remiss liter. A.*

IV. Quia Jure Divino Episcopi, & alii curam animarum habentes pastores dicuntur, Hieremyæ *cap.* 12. *Joannis cap. ult.* Hinc illud *Lucæ cap.* 2.: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* quod quidem Christi præceptum est, etsi jure speciali D. Petro tributum, tamen gradatim jure ordinario omnes comprehendit Prelatos, *cap. messana de elect.* ut argumentatur Granametus *ad Tit. de Cler. non resid. P.* 1. *n.* 1.

V. Ratione Bellarmini *in epist. ad Nepot. Controv.* 2. Procurare salutem animarum obligatur Episcopus sub præcepto Divino. Si verò posset Episcopus Vicarios, & perfunctorios ministros ad hoc delegare, Dominus omninò esset, & non pastor gregis; et tamen liquido constat, Episcopos esse pastores ovium Christi. Atque ideò cum Clementi VIII. idem Bellarminus exprometet capita castigandæ disciplinæ Ecclesiasticę, residentiam quoque Episcoporum, attigit. Narrat Tomassinus *de veteri, & nova Eccl. discipl.* P. 2. *L.* 3. *cap.* 34. *n.* 14.

Idemque Bellarminus cum triennio rexisset, Capuanam Metropolitanam Ecclesiam, cumque vetitus esset a Paulo V. Roma discedere, statuit, abdicandum sibi Episcopatum, in quo residere non posset, ut ipse ait *epist.* 141. *ad Archiep. Rotomag.*: *Quia vero tolerare non poteram absentiam ab Ecclesia mea pastorali cura commissa, existimavi in conscientia, me eam debere alteri resignare.*

Hæc tamen assertio in hunc modum intelli-
gitur, ut nimirum hoc Jus Divinum obligans
12 curam animarum habentes ad residentiam, sit re-
ductiuum, non expressum; nam Concilium
Trid. sess. 23. cap. 1. de Ref. in vers. sacrosancta ex præcepto Divino expresso pascendi, infert
ad residentiam, ut considerat egregiè *Gonzales ad Tit. de Cler. non resid. cap. 4. n 6. & 7.* Jus
autem Divinum reductiuum, non obligat æquè
absolutè, ut Jus Divinum expressum, quod non
indiget consequentia, ut ex verbis, aut tradi-
tione deducatur. Consequentiam illam deduxit
Tridentinum ex præcepto pascendi. Ergo in
Ecclesia residet potestas declarandi, quando ces-
set consequentia. Ideò subiungit Concilium..
.. Nam cum Christiana charitas, urgens neces-
.. sitas, debita obedientia, vel Reip. utilitas,
.. aliquos nonnumquàm abesse, postulant, &
.. exigunt, decernit eadem S. Synodus &c. Hoc
autem Jus licet non sit dispensabile, admittit
tamen declarationem de casu, in quo cessat ob
maius bonum, ut aliis confutatis docet *Gonzalez ubi supra n. 8.*

Nec obstat I. Textus in *cap. 2. in fine de Cler.
non resid.* ubi non residens Cardinalis, dicitur
13 *canonum* transgressor; non ergò transgressor est
Juris Divini.

Resp. oppositum Textum unum dicere, aliud
non excludere. Dicit, violari canones per delic-
tum non residendi, at non excluditur, quin &
Jus Divinum violetur. Canones violantur, quia
residendi obligatio Jure quoque humano sanci-
ta, & confirmata fuit, ut patet ex tam multis
canonibus collectis *sub Rubrica de Cler. non resid.*

Nec adversatur II. Beneficia Iuris esse Eccle-
siastici, *can. 1. 13. q. 1. cap. 2. de Preb. in 6.*
Ergo residentia in Beneficiis Juris erit Eccle-
siastici.

Resp. quod licèt diœceses fuerint Jure Eccle-
siastico divisæ; non ideò pascendi oves officium
Jure Ecclesiastico primò, ac potissimè inductum
est; sed profluit ex Jure Divino, ut benè res-
pondet Sotus L. 10. *de Inst. q. 3. art 1.*

Nec repugnat III. Si residendi obligatio esset
de Jure Divino, dispensandi jus nullum fore
Pontifici, *cap. ex publico de conversi. con. cap.
cum ad monasterium de statu mon. can. sunt quidam 25. q. 1.* Atqui in hac obligatione Pontifex
dispensat, *cap. tua, cap. fin. de Cler. non res.
Trid. sess. 7. cap. 6. ergo &c.*

Resp. dispensationem illam propriè dici inter-
pretationem, aut declarationem Juris Divini,
& naturalis. Est quidem Jus Divinum, & na-
14 turale immutabile; verum si alicui actui parti-
culari applicetur, recipit mutationem, non ex
eo, quod ipsum Jus mutetur, sed quia circum-
stantia illius actus variationem recipiat. Jam
verò residere quidem obligantur de Jure Divino
Episcopi; tamen aliquando ob justam causam
ab illa obligatione liberantur ratione majoris bo
ni, quod Ecclesia universalis, vel particularis
consequitur ex absentia. Et huc pertinent de-
clarationes S. Congregationis *apud Fagnanum L. 3. pag. 60. 61. 62.* Optimè *Grananietus ubi supra n. 6.* qui ita huic difficultati occurrit.

His demonstratis; superest, ut videamus, quæ
privilegia Episcopis residentibus indulgeantur,
& contra quibus pœnis non residentes coerceantur.

Privilegia Episcoporum residentium sunt ultra 15
alternativam, de qua satis *hoc Lib. Tit.* . . . .
ut non possint citari, ad comparendum perso-
naliter etiam pro causa hæresis, nisi de speciali
commissione Pontificis manu signata, Pius IV.
*Const. de Salute pred. Non. sept. 1560. 17. in Bull.
de qua Parisius de Resign. L. 1. q. 10. n. 32.*
Ut exempti censeantur ab oneribus impositis
a Sede Apostolica, Pius IV. *ead. Const.* de qua
etiam *Bellencinus in tract. de charit. subsid. q. 66.*

Pœnæ ultra enumeratas a Concilio, quas in
nostro Titulo adduximus, habentur *in ead. Const.
Pii IV.* nec non in alio *Motu proprio edito* 11. 16
Maii 1565. eiusdem Pontif. ubi non residentes
Episcopi testandi, & disponendi facultate pri-
vantur, & late *Pax Iordan.* L. 10. *Tit. 40. n. 20.*

(c) *Ad Parochos*.

*Quando nam Parochus residere intelligatur,
& de pœnis in non residentem.*

Statutum olim fuerat in *cap. cum ex eo de* 17
Elect. in 6. ut per septennium Parochi ante 18
Sacerdotium studere possent; sed iam neque cau
sa studiorum abesse valent Parochi ultra duos
menses, sine Episcopi licentia, *Trident. sess. 23.
de Reform. cap. 1.*

Si Parochus degat in Civitate, a qua sua Pa- 19
rochia distet tribus, aut quatuor milliaribus,
non habetur pro residente, quamvis festivis die-
bus ad illam accedat, Sacra Congregatio *apud
Garciam de Benef. P. 3. cap. 2 n. 179.*

Si Ecclesia Parochialis habeat propriam do- 20
mum ad habitationem Parochi, eam cogitur Pa-
rochus inhabitare, Sacra Congregatio apud *Ventriglianı Tomo 1. annot. 20. §. 1. n. 2.*

Si domo huiusmodi Parochia careat, in loco
propinquiori Parochus habitabit. En verba Con-
gregationis apud *Gallemart. ad Concil. sess. 23.
cap. 1.* .. Congregatio Concilii censuit, si Eccle-
.. sia Parochialis Rectoris habitatione caret, de-
.. bere utique, & posse Rectorem compelli ad
.. habitandum intra limites Parochiæ, in loco
.. propinquiori.

Parochus ergò residere debet. Quod si obliga- 21
tioni suæ non satisfecerit, ultra pœnas supra in
Titulo enumeratas, recentiores canones alias su-
peraddunt.

Pius V. in Constit. 115. quę incipit *in supremis militantis* statuit, si Parochus non resideat
ejus bona intuitu Ecclesiæ quæsita spolio subi-
acere, & si ex privilegio facultatem haberet tes-
tandi, notat *Ventriglia ubi supra n. 20.*

Idemque Pius in Bulla *cupientes edita die 15.
Junii 1568. in Bullario fol.* 1021. censuras addit, &
pœnas pecuniarias, arbitrio Episcopi declarandas.

(d) Tres.

Quantum temporis abesse liceat a residentia, in Beneficiis, juxta veteres canones.

Repetam, quod dixi in Titulo. Canones immites non sunt; aliquo temporis intervallo permittunt ab onere residendi respirare. Auditum est, quid decernat Concilium Tridentinum.

22 Aliquid ex antiquis Canonibus delibandum est. Olim Episcopi sex menses ab esse poterant, ut colligitur ex Innocentio III. *in Epistola ad Patriarcam Constantinopolitanum in Gest. In pag.* 190. ibi .. si nec si curaverint obedire; sed con- .. tra ultra sex menses suas deservetint Eccle- .. sias, ut juxta canonicas sanctiones eis meritò .. debeant spoliari. Quamquàm dici posset toleratam fuisse temporis hujus dilationem, antequam ad pęnas deveniretur. Nam Sardicense Concilium tantum admittit trium hebdomadarum absentiam, *can.* 14. his verbis .. Meminimus, .. superiore Concilio Fratres nostros constituisse, .. ut si quis laicus in ea, in qua commoratur

23 .. civitate, tres dominicos dies, idest, per tres .. septimanas non celebrasset conventum, com- .. munione pri aretur. Si ergo hęc circa laicos .. constituta sunt, multò magis Episcopum, nec .. licet, nec decet, si nulla sit tam gravis ne- .. cessitas, quæ detineat, ut ampliùs a suprascrip- .. to tempore absens sit ab Ecclesia sua. Mens ergo Patrum Sardicensium est, ne Episcopus extra Paraciam suam, tres integras hebdomadas exigat. Sed fortè dici posset, loqui Concilium, de Episcopis Occidentis; habita enim est hęc Synodus Sardicæ, ad eum effectum commodissimæ, quippe quæ confinis esset Civitas, ac intermedia Provinciis Orientis, & Occidentis inter Illiticum, Mæsiam, & Thraciam constituta. Quod enim Orientalibus Episcopis tale jus esset absentiæ per sex menses, convincunt etiam verba Concilii Constantinopolitani *can* 16. ibi: .. Qui in alio loco supra semestre tempus de- .. git, statuit S. Synodus, ut a Sacerdotio alie- .. nus omninò constituatur. Permittit ergò Concilium sex absentię menses inultos. Et de hoc semestri est Textus *in cap. ex tua* 11. *de Cleric. non resid.* ibi: *& ultra sex menses suas deservevint Ecclesias.* Scripta est hæc Decretalis non Archiepiscopo Panormitano; sed Patracensi, ut notat Gonzalez. Patras autem est Civitas Achaię in Grçcia. Quare refertur ad Gregorium seu Orientalium Episcoporum morem, qui abesse poterant per sex menses. Idemque colligitur *ex Concil. Constantin. post Concil. VIII. can.* 16.

[e] Utilitas.

Clericus causa utilitatis absens, pœnas non residentium evitat.

Sunt causæ quædam excusantes a residentia, quæque absentem, veluti pręsentem constituunt. Ordiar a causa utilitatis.

Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. nam cum Christiana* ait, quod si evidens Ecclesię, vel reipubl. utilitas aliquos nonnumquam abesse postulet, & exigat, inculpata hujusmodi reputetur absentia.

Idipsum jam antea decreverant canones, patet *ex cap. ex parte* 13. *de Cleric. non resid.* Ubi litigans pro causa Ecclesiæ, justam dicitur habere causam absentiæ; ut patet *ex cap. fraternitati* 5. *eod. Tit.* Ubi similiter immunes a culpa non residentium vocantur, qui recesserunt ad invigilandum Ecclesiasticis disciplinis, *cap. cum ex eo de elect. in* 6. ut sunt Theologiæ studium ad quinquennium, adeò ut ne licentiam quidem Episcopi requiri, asserat *Cabassut. scient. Can.* L. 5. *cap.* 1. *n.* 7. eo quod ab ipso Jure indulgetur, *cap. fin. de Mag. Trid. sess.* 5. *cap.* 1. vel studium Juris Pontificii, *cap.* 2. *de Priv. in* 6. *Cabassut. ib.*

Insuper ad causam utilitatis refertur absentia pro Concilio celebrando, qualecumque sit, *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 40. *n.* 37. *Sannig. ad* L. 3. *Tit.* 4. *decr. cap.* 3. *n.* 2. *can. placuit dist.* 18. *can. can. Episcopos dist.* 17.

Ultra hæc, & justa causa respiciens utilitatem Reip. censetur ministerium legationis, *Pax Jord. ubi supra n.* 37. vel in Curiis Regum, & Principum Præsidis officium, aut consiliarii, 25 confessarii, & similium, dummodò tamen ea sit hominum penuria, ut alii æquè idonei non 26 reperiantur, qui talia præstent obsequia, quo casu Pontificis exigitur licentia ob Urbani VIII. Constitutionem, quæ incipit *Sancta Synodus editam* 12. *Decembr.* 1634. quam ad hoc notat *Pax Jordan. ubi supra* - Plena est historia Sacra legationum Episcopalium, quas summi Pontifices destinabant ad Ecclesiæ universalis utilitatem. B. Epiphanium Ticinensem Episcopum ad Anthemium Imperatorem Romę sedentem, constat, legationem suscepisse, *Siannodius in vita Epiph. Tomassinus de vet. & nov. Eccl. discipl. P.* 2 L. 3. *cap.* 36. Elaphius Catalaunensis Episcopus in Hispaniam missus est propter negotia quædam Reginæ Brunechildis, *Gregor. Turon.* L. 3. *cap.* 4. Ægidius Remensis Episcopus ad Guntrammum Regem a Ghildeberto ablegatus est, *Tomassinus ubi supra cap.* 37. *n* 11. - Gregorius Patriarcha Antiochenus ad exercitum suos in omnes Duces exasperatum, & rebellantem legationem suscepit, militumque animos exulceratos Divina eloquentia mansuefecit, *Evagrius L.* 6. *cap.* 10. Est ergo pium per Regna, & Provincias Pastorali sollicitudine discursare.

Nec mirum si legationes Episcoporum Justinianus Imperator *in Novella* 123. *cap.* 16. Canonicas, Legitimasque deprædicet.

In Aulis quoque Principum morari quandoque Episcopos ex dispensatione Pontificis consuevisse, constat ex historia Sacra. Cum Carolo Magno totus propemodum subesset Occidens, 27 unum ille dumtaxat Episcopum in aula sua retinuit; idemque cum ad exercitum profecturus

esset

esset Imperatricem custodiæ Episcopi commisit, Sangallensis Monachus L. 1. *cap. 19.* Cæterum Concilium Parisiense anni 829. Ludovicum Pium interpellavit *can.* 14. ut abigeret multitudinem illam Presbyterorum, qui Curiam frequentabant. Nec verò absentia a Beneficio permittebatur sanctioribus anni temporibus, *Tomassinus ubi supra cap.* 38. *n.* 7. - Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus non finit, Episcopos Diæcesibus suis egredi, *epist.* 7. *Bibl. Patr. Tomo* 3. *nisi forte propter necessitatem, ad utilitatem animarum pertinentem, ab Imperatore, aut a Patriarcha statim rediturus vocetur.*

(*f*) *Obedientia.*

Quid pro debita obedientia intelligatur.

Ad obedientiam debitam hæc rediguntur. Im-
28 primis cum Clerici beneficiati mandato Summi Pontificis avocantur ad aliquod ejusdem ministerium, *cap. cum dilectus* 14. *hoc T.* ibi .. quate-
.. nus eidem in nostro servitio commorantur, ob
29 .. reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram an-
.. nuatim fructus præbendæ suæ integraliter as-
.. signetis. Ergo si Episcopus ad Curiam vocaretur pro munere Camerarii, Vicecancellarii, summi Penitentiarii, Auditoris Camerę, vel Rotæ, Thesaurarii, Datarii, Secretarii, Confessarii, munus exequeretur ex obedientia; sed id licitum DD. putant, si alii non reperiantur æque idonei, *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 40. *n* 35.

Item ad obedientiam refertur ministerium ab Episcopo traditum incompatibile cum residentia, *cap. de cætero* 4. *hoc Tit. cap. ad audientiam* 15. *ib. Sannig. ad hunc Tit cap.* 3.

(*g*) *Necessitas.*

Quid pro necessitate intelligatur.

Ad causam necessitatis refertur bellum ingruens hostiumve incursiones, can. pastoralis 7. q. 1.
30 aeris intemperies, corporis infirmitas, seu gravis morbus in loco Beneficii non curabili, *can. præsentium* 7. *q.* 2. *cap. ad audientiam* 15. *hoc T.* & Sacra Congregatio Card. sic censuit apud *Gallemart. ad sess.* 23. *cap.* 1. .. Si tamen Rector
31 .. infirmus esset, & in loco Parochialis curæ cu-
.. rari non potest defectu Medicorum, medici-
.. narumve, tunc posset ab Ordinario dari ei di-
.. lationem trium, vel quatuor mensium, ut in
.. locis vicinioribus recuperandæ sanitatis causa,
.. posito interea ab ipso Ordinario in Parochiali
.. Vicario, cum congrua portione, ex redditi-
.. bus Parochialibus.

Item votum sacræ peregrinationis, huc referri potest, sed consensu Episcopi opus esse, colligitur ex Concilio Cabilonensi II. *anni* 813. *can.* 44. ibi: *Romam, sive Turonum absque licentia Episcopi sui adire penitùs decrevimus inhibendum, notat Tomassinus ubi supra cap.* 41. Nam illud commutare potest Episcopus, nisi sit ex reservatis Rom. Pontifici, *cap.* 1. & *ibi Gonzal. n.* 9. *de vot. & vot. red. cap. magna ib.*

(*h*) *Charitas.*

Quid sit causa charitatis abesse.

Proximorum commodum, & auxilium est 32
christiana charitas, *can. caritas de pæn. dist.* 1. *can. ficta de Pæn. dist.* 2. *can. ubi sana* 24. *q.* 1. *can. Ecclesia de cons dist.* 4. *Trident. sess.* 6. *cap.* 10. Ut si Ecclesia versetur in magno periculo hæresis, schismatis, & possit Episcopus alterius Diæcesis multum ei prodesse, prędicatione, prudentia, dexteritate, notat *Pax Jord.* L. 10. *Tit.* 40. *n.* 31. *Sannig. ad hunc Tit. n.* 5. *cap.* 3.

[*i*] *Senectus.*

DISSERTATIO II.

Excusat a Residentia senectus.

Hactenus causas illas quatuor commemoratas 33
a Concilio, explicavimus.

Disputatur a nostris an etiam ętas, justa causa sit eximens a residendi obligatione?

Negat *Zoesius ad hunc Tit. n.* 10. Sed recep-
tius est, senio confectum choro interesse non 34
obligari; cæterum in loco Beneficii præsentem esse oportere.

Sic defendunt *Narbona de ætate anno* 80. *q.* 8. *Oieda de incompatibil. Benef. P.* 1. *cap.* 17. *n.* 17. *Barbosa ad Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *Perez de Lara in compendio vitæ hom. cap.* 31. *n.* 32.

Quod tamen intelligitur de octogenario, ut *Moneta de distrib.* P. 2. *q.* 7. *pertot. Gratianus discept. for. cap.* 805. *n.* 41.

Probatur ex declaratione Cardinal. ad *d. sess.* 24. *cap.* 12 *Conc. Trid. in una Ravennaten.* quam
memorat moneta *ubi supra n.* 15. queque est apud 35
Gallemart. in d. sess. pag. 326. verba sunt *senio confectis, si alias residere solitè sint, distributiones debentur.*

Probatur quoque ex *cap. un.* §. *qui verò de Cler. non resid in* 6. ibi: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusarent.* Senes autem infirmi existimantur, *cap.* 1. §. *fin autem de Cler. egrot. in* 6. L. *cui* 11. *ff. de ad. ed.* L. 1. §. *quem ita senio, ff. de vacat. mun.* Quod ipsum clariùs deducitur ex Propheta *psalmo* 89. ibi: *dies annorum, si autem in potentatibus* (hoc est robustioribus, ut explicat Titelmanus, constatque ex Caldæa versione) *Octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* deducitur tandem ex *cap. quoniam ut lite non contest.*

Probatur præterea, quia residentia est munus personale, *cap. quia* 3. §. *cum igitur de Cler. non res.* atqui a muneribus personalibus senectus excusat, L. 3. §. *quamvis, & cura* 12. *ff. de mun. & hon.* L. 2. §. 1. *ff. de vacat & excus. mun.* L. *majores, ff. de Jure immun.* L. *ult.* C. *qui at. vel prof.* L. *si ultra* 10. C. *de Decur. ergo &c.*

Ne-


36 Neque adversatur I. Quod prętextu senectutis Episcopus non potest se Episcopatu abdicare, *cap. 1. de ren. cap suggestum 46. cap. scifcitasti 47. q. 1. cap. cum post 46. de el.* ergo neque a residendi obligatione prætextu senectutis quisquã eximitur; gravius quippe onus est Episcopatus, quam munus residendi.


Respondetur enim, Textus oppositos in specie Episcopi longævi, procedere, cum propria auctoritate Episcopus deserere ob senectutem vellet Episcopatum, quod non licet, tum quia Matrimonium illud spirituale, quod est contractum inter Episcopum, & Ecclesiam, dissolvendum est per Pontificem, *cap. inter de transl. Episcop.* præcedente justa causa, nec semper senectus justa causa est, sed illa, quæ Episcopum reddit inhabilem, Gonzal. *ad cap. 1. de Ren. n. 9.* Tum etiam quia, quæ publicam causam continent, privato arbitriò nec dari, nec cedi possunt, L. 3. §. *idem L. Paulus 47. ff. de bonis libert.* L. *meminisse 10. ff. de off. procons.* L. *pen. ff. de off. Præf.* Quæ ad casum residentiæ transferri non possunt.

Nec obstat II. Textus qui adducitur a Zoesio ad hunc *Tit. n. 10. in* L. 1. C. *de Profess. qui in Urbe* L. 11. ubi qui 20. annos legit, Comitatus dignitatem consequitur, quem Textum explicat *Anton. de Luca in Tract. de Præst. Laurea Doctoralis cap. 10.*

Nam respondetur, a diversis illationem non fieri. Non omnis ętas senectutis liberat a residentia, ut *supra* dictum est, in explicatione conclusionis; sed octogenaria, ut probat *Narbona de æt. anno* 80. *q.* 8. hac enim ętate homines adeò sunt senio confecti propter naturę imbecillitatem, ut amplius Divinis interesse non valeant *Moneta P.* 2. *q.* 7. *n.* 16. *Caned. Q. Q. can.* 9. 1. *n.* 14. & 15.

F I N I S.





INDEX
RERUM, ET VERBORUM INSIGNIORUM,
Quæ in hoc Secundo Libro occurrunt.

Prior numerus paginam; Alter numerum marginalem designat.

A

B

C

Cambium.

Expo-

Acce-

E

Ecclesia quoad ejus appellationem.

Ecclesia, quoad dedicationem, et consecrationem.

In

I

Immunitas quoad appellationem.

Immunitas Ecclesiæ quoad Contractus aliosque profanos actus.

Immunitas Ecclesiæ quoad Infideles non recipiendos.

Immunitas Ecclesiæ quoad Asylum.

Immunitas Ecclesiæ quoad ejus extensionem.

Immunitas quoad loca quæ ea gaudent.

Immunitas Personalis.

Immunitas Realis.

An

L

Latina lingua.

M

Pu-

Ex-

Matrimonium quoad clandestinitatem.

Matrimonium quoad impedimentum Raptus.

Matrimonium quoad impedimentum catechismi.

Matrimonium quoad Impedimenta, et de eorum dispensatione.

diffi-

Quoad

tuto

Item

Un-

F I N I S.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 33. Num. 27. conftnat	conftant
pag. 34. nu. 18. egro	ergo
pag. 35. nu. 24. Ebdomatis	hebdomadis
pag. 38. nu. 34. manum	manuum
pag. 40. nu. 39. amplius manum.	amplius per manum
pag 43. nu. 47. Analyfii	analyfi
pag. 45. nu. 55. de confirmationem	de Confirmatione.
pag. 46. nu. 57. jejunii	jejuni
pag. 56. nu. 14. a Reo	a Deo
pag. 58. nu. 17. fatis mirare	fatis mirari
pag. 59. nu. 19. celebrat a	celebrata
pag. 59. nu. 19. Læfione	læfione
pag. 59. nu. 20. Pænictntia	Pęnitentia
pag. 61. nu. 25. Remil.	re milit.
pag. 63. nu. 32. extermiandam	exterminandam
pag. 63. nu. 36. mingarur	injungatur
pag. 63. nu. 36. folemui	folenni
pag. 63. nu. 63. folemni	folennis
pag. 63. nu. 37. refpiciebat	refpuebat
pag. 73. nu. 65. inftituatur	inftituat
pag. 91. Num. 25. Chriftum	Chriftus
pag. 101. nu. 60. non non miniftrentur.	non miniftrentur
pag. 101. nu. 61. Vefteapellius	Veftcapellius
pag. 111. nu. 87. gecta	gefta
pag. 140. nu. 37. javenio	invenio
pag. 153. *in textu* confuetudine	confuetudinem
pag. 154. *in textu* culto	cultu
pag. 158. nu. 18. continere	contineri
pag. 166. nu. 52. § at inftat - fornicationis	fornicationes
pag. 180. nu. 44. veriu	verius
pag. 185. n. 53. §. probatur 2. quamquod non retinetur	quam quod retinetur.
pag. 186. nu. 55. ff. de Cond. et Rem.	ff. de Condit. & dem.
pag. 187. nu. 57. Hec cõditio contraham tecũ	Hæc conditio, fi contraham tecum.
pag. 195. nu. 75. *fit nofia*	*fit noftra*
pag. 205. nu. 2. confeffus	confenfus
pag. 207. nu. 2. fori	fori
pag. 209. nu. 33. intelligantur.	intelligentur
pag. 219. nu. 17. honeftat	honeftati
pag. 224. nu. 28. admiffa	admiffa
pag. 224. nu. 31. fed fponte per ignorantiam	fponte fed per ignorantiam
pag. 233. nu. 66. Tori	Tauri
pag. 237. *intextu* verba	verbera
pag. 244. Interpetres	interpretes
pag. 249. Phanutii	Paphnutii
pag. 257. Quod fit	Quid fit
pag. 264. nu. 25. Taneredus	Tancredus
pag. 264. nu. 31. actendendas	attendendus
pag. 264. nu. 32. er propterba, hæ vera	et propterea hæc verba
pag. 289. nu. 1. Cathechifmus	catechifmus
pag. 327. nu. 37. Jurifdictionis	jurifdictioni

Pag. 345. *in textu* duorum	duarum
pag. 368. nu. 11. ut poteſt	ut patet
pag. 375. proditorius ſit	proditorius poſitus ſit
pag. 389. exempto	exemptio
pag. 402. nu. 103. Viſitant	viſitanti
pag. 415. nu. 4. qua literatura	qua ſit literatura.
pag. 415. nu. 8. immunens	immunes
pag. 466. nu. 36. nihil tate	nihil tale
pag. 467. nu. 44. *in ſummario* potendæ	petendæ
pag. 484. nu. 14. profitetur eſt æquitatem	profitetur æquitatem
pag. 484. nu. 14. ficei	fidei
pag. 488. nu. 3. *C. de pet. hared. C. de Rebus Eccleſia al. vel non*	*C. ad Senatusconſultum Trebell. C. de rebus alienis non alien.*
pag. 409. nu. 35. *C. de non num. pecun.*	*C. de probat.*
pag. 490. nu. 37. loquitua	loquitur
pag. 520. nu. 170. C. arbores ff. de Uſur.	*arbores ff. de Uſur.*
pag. 527. nu. 212. *in ſummario* quęrit	quęritur
pag. 530. nu. 226. *l. ne cui C. de jure emphyt.*	*C. de locato*
pag. 535. nu. 237. *cap. quibuſdam de depoſito*	*quod quibusdam de Fidejuſſ.*
pag. 541. nu. 254. *§. rep. pragmaticos*. diſſimus	fidiſſimus.
pag. 545. nu. 1. *can. non dicatis ead. c. & q.*	can. expedit
pag. 558. nu. 57. cuncta clementina	juncta Clementina
pag. 577. nu. 101. prædittum	prædictum
pag. 579. nu. 123. Pontificaliu	Pontificalium
pag. 631. nu. 88. *§. ſed aliud* . chlypeo	clypeo

